

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/doctrinamoralisv0000vari_m8t9



S. ALPHONSI

DOCTRINA MORALIS VINDICATA

Cum approbatione auctoritatis Ecclesiasticae.

VINDICIAE ALPHONSIANAE

SEU

DOCTORIS ECCLESIAE

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

EPISCOPI ET FUNDATORIS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS

DOCTRINA MORALIS VINDICATA

A PLURIMIS OPPUGNATIONIBUS

CL. P. ANTONII BALLERINI, SOC. JESU

IN COLLEGIO ROMANO PROFESSORIS,

CURA ET STUDIO QUORUMDAM THEOLOGORUM

E CONGREGATIONE SS. REDEMPTORIS

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ROMAE

EX TYP. POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXIII.

4830

Quae jura a lege sunt Auctores sibi reservant.

BENEVOLO

AC STUDIOSO LECTORI

Mirum forte cuipiam videbitur, librum a nobis edi quo vindicetur S. Alphonsi Mariae de Ligorio doctrina moralis, postquam, biennio nondum elapso, SS. D. N. Pius PP. IX. (cui Deus O. M. vires addat annosque augeat) ex S. Rituum Congregationis consulto, praestantissimum hunc Virum de universa societate christiana tantopere meritum, Sanctis Ecclesiae Doctoribus adnumerare dignatus est. Quid igitur praesenti Operi evulgando causam dederit, paucis exponere juvat.

Praeter alias, quas Rmus D. Promotor Fidei in Causa *Concessionis tituli Doctoris in honorem S. Alphonsi,* pro suo officio objecit difficultates, et numero plures, et majoris simul momenti illae dicendae sunt, quae circa ejusdem Sancti doctrinam moralem versantur. Has autem Animadversiones, praelaudatus Censor, ceu ipsemet aperte declarat, non e proprio penu hausit, sed ex *Adnotationibus* desumpsit, quibus clarissimus *P. Antonius Ballerini, S. J.,* in Collegio romano Professor, locupletavit *Compendium Theologiae moralis, auctore P. Gury,* ejusdem Societatis, in hac alma Urbe anno 1866. editum. Ut itaque S. Alphonsi doctrina a plurimis, quae ipsi opponebantur, mendis et erroribus vindicaretur, profecto necesse erat hujusmodi oppugnationes rite perpendere, atque ad diligentem trutinam revocare. Quod probe intelligens praeclarissimus Causae Defensor, Illmus D. Professor Hilarius Alibrandi, a nobis expostulavit, ut ipsum in hac disquisitione coadjuvaremus. Cui desiderio, cum abnuere non potuerimus, operi nos accinximus, ac responsiones nostras in *Summario additionali* eidem Causae adnexo, sapientiori et altiori S. Rituum Congregationis judicio exhibuimus.

Quo maturius autem in gravissimo isto negotio procederet, eadem S. Congregatio duos deputavit Theologos, qui, cum Animadversiones, tum Responsa severiori examini subjicerent, ac *«pro veritate»*

sententiam suam aperirent. Porro, alter ex hisce Theologis, postquam in doctissimo *Voto,* S. Congregationi exhibito, singulas Defensoris Responsiones plane sibi probari ostenderat, de doctrina morali S. Alphonsi disserens, haec, inter alia egregie dicta subnexuit: « *Caeteras vero Animadversiones, quas Rmus Censor, S. Fidei* » *vindex, ex Adnotationibus desumpsit cl. P. Ballerinii, tum circa* » *morale S. Alphonsi systema, tum circa particulares quaestiones in* » *Theologia Morali pertractatas, silentio praeteream. Difficultates* » *enim omnes, quae proponuntur, Responsionibus, sive ab egregio Cau-* » *sae Defensore, sive a quibusdam Theologis elaboratis et in Sum-* » *mario Additionali exhibitis, adeo copiose eruditeque dissolvuntur,* » *ut iis nihil addere, nihil demere, pro mea tenuitate, possem.* »

Eadem plane sensa non semel nobis testati sunt Viri complures, cum doctrina, tum dignitate praestantes, ad quorum manus pervenerunt *Acta Doctoratus;* adjectis simul precibus, ut non modo praefata Responsa publici juris fierent, verum et aliae cl. Ballerinii oppugnationes eadem ratione pertractarentur. – Ejusmodi desideriis, ut annueremus, diutius nos cohibuit timor, ne quis suspicaretur, minus propensum inesse nobis animum erga inclytissimam Societatem Jesu, cujus nomine illustris Professor merito gloriatur. Quae sane suspicio nonnisi menti praejudicatae insidere posset: nam, praeterquam quod viri religiosi lege charitatis arctius obstringuntur, filii sumus insignis illius Sancti, qui eamdem Societatem, tanquam firmissimum Ecclesiae propugnaculum peculiari veneratione et affectu prosecutus, duris in angustiis positam, nullo rerum humanarum respectu deterritus, et verbis et scriptis strenue et constanter defendit. Praeterea neminem latet, quanto in pretio S. Doctor habuerit ejusdem Societatis praeclaros et eximii nominis Scriptores; quosque, ipso duce, nosmetipsi in praesenti Opere non modo, prae aliis Auctoribus, contra sententias cl. Professoris libentius allegavimus, verum etiam ab immeritis oppugnationibus nonnumquam vindicare necessarium duximus.

Animo itaque perpendentes, nobis potissimum S. Alphonsi filiis obligationem incumbere, Ipsius doctrinam moralem, veluti sacram haereditatem nobis transmissam, incolumem servandi atque tuendi; iteratis nobis patefactis desideriis obsequendum esse censuimus. Hinc, nonnisi animarum salutem prae oculis habentes, operosissimum suscepimus laborem, quem tandem, Deo juvante, ad finem perductum, benevolo ac studioso lectori fidenter exhibemus: ipsum S. Doctorem enixe rogantes, ut disquisitiones istae morales, ad

praxim Confessarii maxime spectantes, in majorem cedant sacrorum Ecclesiae Ministrorum utilitatem.

Quibus expositis, pauca nobis dicenda veniunt de materiis, quibus praesens Opus componitur. Praeter quaestiones morales jam in Actis Doctoratus discussas, quas, integra servata doctrina, passim novis sive argumentis, sive auctoritatibus, prout res suadebat, confirmavimus; alias complures cl. Ballerinii Adnotationes ad examen revocavimus, quae majoris momenti nobis visae sunt, et in quibus S. Alphonsi doctrina velut omni, praeter fallaces auctorum allegationes, solido fundamento destituta, quinimo singularis, imprudens, aut rationi non consona exhibetur. – Porro, disquisitiones nostras, pro rerum sive copia, sive gravitate, plerumque fusiori sermone exaravimus; at nunquam non plano ac simplici stylo, ita ut in modo scribendi cl. Professorem, sin minus puritate, saltem claritate et perspicuitate vinceremus. Et quo melius cujusvis quaestionis statum lector pernosceret, generatim integros, cum S. Alphonsi, tum cl. Ballerinii, textus attulimus. Quocirca advertere juvat, textus S. Doctoris allegatos esse juxta editionem nonam Bassanensem, de anno 1785., quae a Sede Apostolica revisa, et tanquam nihil censura dignum continens, approbata fuit. Adnotationes vero cl. Professoris ex priori editione romana Compendii P. Gury, anno 1866. evulgata, desumpsimus; habita tamen semper ratione editionis alterius, quae pariter Romae anno 1869. prodiit, pro majore scilicet eorum commoditate, qui istam prae manibus tenent. – Ad rerum ordinem quod attinet, claritatis causa, integrum Opus in octo Partes distribuimus, quarum singulae singulas complectuntur quaestiones ad eamdem materiam spectantes. – Ne autem Opus istud nimiam in molem cresceret, alias non paucas cl. Ballerinii Adnotationes variis locis summatim tantum attigimus; ita tamen, ut prudens quisque, quid de iis sentiendum sit, facile judicare queat.

Praefatis octo Partibus subnectere opportunum duximus quatuor Appendices, quarum prima, uno velut intuitu, ordinatim lectori exhibet tum omnes S. Doctoris sententias, quae in hoc Opere aut exponuntur aut vindicantur, tum singulas a nobis confutatas cl. Professoris adnotationes. – In secunda, illas recensemus quaestiones, quae jam in *Actis Doctoratus* discussae reperiuntur. – Tertia, haud levis momenti, ac discipulis S. Alphonsi potissimum inserviens, inscribitur: *Clavis Operum moralium S. A.*, seu regulae quaedam, ad veras S. Doctoris sententias facilius dignoscendas. – In quarta demum, praecipuas indicamus quaestiones, in quibus *textus*

ipsius Patris Gury, in duplici editione romana a cl. Ballerinio evulgata, a doctrina S. Alphonsi discrepat: quam textuum inter se collationem, eum tantum in finem instituimus, ut, qui eidem Compendio student, absque ullo labore nosse valeant, utrum, in rebus saltem majoris momenti, sententiae praelaudati auctoris doctrinae S. Alphonsi consonent, nec ne.

En itaque totius Operis finis simul et argumentum. Benignum ergo lectorem enixe rogamus, ut, quo spiritu a praeconceptis scholarum opinionibus alieno hasce disquisitiones exaravimus, eodem et ipse illas perpendat; quas cum attente perlegerit, utri Magistro ducendum sese committat, an cl. Ballerinio, an non potius S. Doctori, pro sua prudentia et conscientia statuet. Ad quod judicium aptius ferendum, prooemialem benigne adeat Dissertationem *de auctoritate doctrinae moralis S. Alphonsi* inscriptam.

Quae vero in praesenti Opere tractavimus, ea omnia et singula filiali obsequio supremae Illius auctoritati subjicimus, qui (ut verbis utamur ipsius S. Doctoris) *« summus est Theologiae Princeps unusque Ecclesiae Moderator, divinae veritatis Conservator et Vindex, unusque Controversiarum Judex ab ipso Deo singulari providentia ad hoc constitutus. »*

Romae, die 8. Decembris 1872, festo Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis.

DE AUCTORITATE

DOCTRINAE MORALIS S. ALPHONSI

DISSERTATIO PROOEMIALIS

Qualis quantusque Vir fuerit S. Alphonsus, quantamque universa ipsius Doctrina prae se ferat excellentiam et utilitatem, neminem sane latet, qui authentica *Doctoratus Acta* vel obiter evolverit. Sive namque praecellentes inspicias dotes, cum naturae, tum gratiae, quibus divina Bonitas praeclarum istum Heroem cumulavit; sive ardentissimum consideres zelum, quo nunquam non aestuabat pro gloria Dei atque animarum salute omnibus viribus promovenda; sive perpendas indefessum per quadraginta annos laborem in exarandis tot tantisque saluberrimis Scriptis, cuivis hominum statui accommodatis: non poteris non agnoscere, quam merito S. Doctor noster divinum illud sibi promeruerit effatum: « *Qui autem fecerit et do-* » *cuerit, hic Magnus vocabitur in regno coelorum* » (Matth. 5. 19.).

Supervacuum itaque foret, de universa S. Alphonsi Doctrina fusiori calamo disserere. Quis caeteroquin dignis laudibus celebrare posset praestantissimum hunc Virum, qui « *ultra centum Opera vel Scripta diversa ex-* » *arare potuit, in quibus continuo apparet prodigium naturae, prodigium* » *sanctitatis, prodigium omnimodae eruditionis?* »[1] – « cujus aurea scri- » pta » (si verbis clarissimi defensoris Causae uti liceat) « *universus fidelium* » *populus* perlegit cupidissime; quem *Scholae et Gymnasia,* in quibus re- » rum divinarum scientia traditur, quasi Magistrum egregium colunt ac » retinent; quem *Academiae,* ac Societates praeclarissimae doctorum ho- » minum, summis laudibus exornarunt; quem *Scriptores* lectissimi quasi » decus atque ornamentum literarum elapsi saeculi celebraverunt; quem » *Theologi* perinsignes, ac *religiosorum Ordinum Antistites* fere omnes, » catholicae scientiae lumen praedicarunt certatim; quem maxima pars » *Pastorum* Dominici gregis dignum censuit, qui inter Doctores Ecclesiae » connumeretur; cujus honores augeri titulo nobilissimo, *S. R. E. Cardi-* » *nales* concordi prece postularunt; de quo demum *Romani Pontifices* a » Benedicto XIV. usque ad SS. Dominum Pium IX., tot effuderunt prae- » conia, quae eminentem praestantemque Doctrinam decere tantummodo » poterant »[2].

1) Acta Doctoratus S. A. (inscripta: *Concessionis tituli Doctoris in honorem S. A.,...* Romae 1870.), Litterae supplices n. 26. p. 49. — 2) Ibid. Responsio ad Animadv., § 1.

Nec nimia censenda esse praeclara ista S. Doctoris elogia, luculenter patet ex ponderosis testimoniis Causae Doctoratus insertis. – « *Docuit Al-* » *phonsus* » (sic, inter alios, solemniter testantur quamplures Sacrorum Antistites) « *omnibus suis Scriptis moralibus, dogmaticis et asceticis, coe-* » *lesti doctrina pietateque refertis; ac ita bene docuit, ut ipsa totidem* » *sint quasi buccinae, quae per universum Orbem, heroicum illius Ze-* » *lum* [1] *atque eminentem Doctrinam annuntiant, et ubique depraedicant.* » Is enim, non ad duas Urbes, aut decem, neque ad unam Gentem a Deo » missus, sed *ad omnem mundum,* et hunc variis criminibus oppressum, » ut Chrysostomus ait, *doctissimis aeque ac saluberrimis suis Scriptis a* » *Sede Apostolica jamdiu approbatis, tum omnium, tum singulorum ho-* » *minum aeternae saluti et utilitati prospexit* » [2].

Ne tamen hujusce Prologi limites praetergrediamur, ad exponendam *Doctrinae moralis* S. Alphonsi auctoritatem accedamus. Et quo magis claritati consulatur, 1. Referemus ipsius *S. Sedis* testimonia atque judicia; 2. Quomodo *interpretanda* sint haec Apostolicae Sedis judicia, et quaenam ex ipsis circa moralem S. Alphonsi doctrinam, legitima inferenda sint *consectaria,* paucis exponemus; 3. Tandem, cujusmodi fuerit erga S. Doctorem agendi ratio *cl. Ballerinii,* perpendemus.

§. 1.

Praecipua referuntur S. Sedis Testimonia atque Judicia de morali doctrina S. Alphonsi.

Non est, cur in extollendo praecellenti Merito Doctrinae moralis S. Alphonsi diutius immoremur. Adeat benignus lector *Doctoratus Acta;* et ex unanimi praestantium cujusque coetus Virorum concentu percipiet, Alphonsum celebrari ceu *Ducem certissimum, insignem Magistrum divinitus Ecclesiae datum, Principem Theologiae moralis.* Prae caeteris audiet ultra sexcentos Sacrorum Antistites, ex omnibus Orbis regionibus, uno ore pro-

1) Sapienter omnino praelaudati Sacrorum Antistites heroicum Alphonsi *Zelum* speciatim commemorant. Flagrantissimus enim S. Doctoris Zelus, (quemadmodum egregie demonstrat cl. Defensor *(Responsio, Cap. I. §§. 2–6.)*, merito dicendus est fons et radix, unde se prodidit eminens ejus Doctrina. — Quocirca referre juvat, quae idem Causae Patronus *(§. 389.)* recte simul et concinne declarat: « *Alphonsus* (inquit), *in tot Vo-* » *luminibus edendis, id unice anhelabat,* » *ut quam plurimas Deo lucraretur animas:* » *exardebat enim et pene consumebatur* » *cor ejus zelo domus Domini; zelo, in-* » *quam, illo qui charitatis perfectio est,* » *et ejus ignium purissima flamma. Sancti* » *complures, ii praesertim qui de rebus* » *speculativis disseruerunt, incensi studio* » *aeternae Veritatis libros suos ediderunt.* » *Zelus dumtaxat Alphonso fuit scribendi* » *stimulus. Inde est, quod in Oratione die* » *festo Sancti nostri recitanda, Ecclesia* » *nominatim flagrantissimi zeli virtutem* » *laudibus extollit, eamque exhibet quasi* » *notam, tesseramque totius ejus vitae:* « Beatum Alphonsum... animarum Zelo sue- » censum ». *Inde quoque est, quod Opera* » *apostolici Viri undequaque, et in iis etiam* » *materiis quae mere metaphysicae viden-* » *tur, salutem spirant animarum; et dum* » *mentes veritate illustrant, corda simul,* » *ex peculiari quadam Dei benedictione,* » *coelesti amore inflammant. Quare, si de-* » *nominatio quaedam tribuenda esset Scri-* » *ptori nostro, perapta sane foret compel-* » *latio* Doctoris zelantissimi. » — Quod judicium cl. Defensoris jam plurium Scriptorum suffragio comprobatum est, qui eodem titulo S. Alphonsum passim condecorarunt. — 2) Acta Doctoratus, Litt. suppl. num. 3. pag. 27.

clamantes: « *Ipsa* (Scripta moralia S. A.) *in Scholis catholicis acceptata, » jure merito tamquam tuta, sana ac perpetua Regula ab ipsis repu- » tantur* »[1].

Quae nobilissima testimonia recolens, doctissimus Theologus, in *Voto,* jubente S. Rituum Congregatione, « *pro veritate* » exarato, affirmare non dubitat, Alphonsum, jam antequam Sanctis Ecclesiae Doctoribus accenseretur, instar Doctoris ab Ecclesia habitum fuisse. – Qua de re, sequentia memoratu dignissima scribit: « Praeter aliorum auctoritatem, consideranda » quoque est, in re nostra, *Auctoritas quam S. Alphonsus, doctrina sua » sibi in Ecclesia vindicat.* Hoc enim constituit alterum extrinsecum ar- » gumentum ex facto desumptum, nimirum, quod jamdiu Doctoris instar » ab Ecclesia Alphonsus habetur, seu quod ipse jam vere Ecclesiam docet. » *Docet enim Episcopalem Ordinem,* a Gregorio XVI. eidem in exemplum » propositus; *docet Ecclesiae Ministros,* qui in Sacramento Poenitentiae » salutaria ejus monita regulasque sequuntur; *docet Clerum universum,* » qui ejus Moralis Theologiae documentis imbuitur; docet denique chri- » stianum populum, qui in asceticis ejus libris coelestis doctrinae pabulo » reficitur, ac piae devotionis affectu eruditur. – *Tanta ubique est ejus in » re morali Auctoritas, ut in conscientiae casibus dubiisque solvendis, » omnes Alphonsum in ore habeant. Si quis, moralem Theologiam tra- » dens, aliam forte ac Alphonsi rationem in docendo experiri velit, id » ei dedecori potius quam honori tribuitur* »[2].

Nec mirum: quid enim doctrina morali S. Alphonsi *praestantius,* quid *utilius?* Quocirca, ad praecavendam omnem, vel minimam, adulationis suspicionem, audire praestat, quae jam multis abhinc annis graviter testatus est *Neyraguet,*[3] eximia S. Alphonsi Merita hisce verbis recensens: « 1°. S. Auctor, ex his omnibus qui de re morali scripserunt, *recentissi- » mus* est; idcirco caeterorum Doctorum praeclare dicta et excogitata prae » manibus habens, horum opiniones diu investigatas ponderavit, precibus- » que et virtutum exercitio, qui lumine coelesti prae caeteris adjuvaretur, » meruit. – 2°. Omnium insignium DD., qui de re morali dissertaverunt, » opiniones in medium profert, ita ut *illius Theologia caeteros Auctores » supplere possit.* – 3°. Non nisi *post multos sacri ministerii annos,* in » missionibus indefesse peractos, scripsit; quod jam pluribus Auctoribus » valde fuit insolitum. – 4°. Innumeras mirasque *conversiones,* Deo juvante, » obtinuit.... – 5°. Nulla cupiditate ductus, et ab omni singulari doctrina » alienus, *Ecclesiae Romanae soli doctrinae toto corde adhaerens,* Deci- » siones S. Sedis data occasione profert, quod saepe praetermittunt alii

1) Cfr. Acta Doctoratus, *Litterae supplices,* n. 2. pag. 7. — Vid. etiam ibid. praeclara testimonia Facultatum Theolog. *Vindobonen., Lovanien., Neapolit.* et *Bononien.* (pag. 95. 96. 105. 119.).

2) Exoptandum nobis videtur, ut Scriptores morales, cum S. Alphonsum nominatim adducunt, ipsum non simpliciter *S. Ligorium,* sed potius *S. Alphonsum* nuncupent. Ex quo enim Alphonsus Sanctorum albo adscriptus fuit, et inter Doctores Ecclesiae connumeratus, posterior illa denominatio usui loquendi in Ecclesia recepto magis consentanea est. Adde quod S. Antistes, non modo in Actis Canonizationis et Doctoratus, sed etiam in ipsis Decretis Pontificiis hujusmodi appellatione constanter designatur.

3) Compend. theol. mor. S. A., Praefatio.

» Doctores: hoc praecipuum in animo habens, ut *Jansenistas,* sanae doctrinae hostes infensissimos, debellet, eorum errores patefaciat, illosque ad antiquas Ecclesiae Catholicae regulas reducat. – 6°. *Ejus doctrinam sectantes,* innumeri Clerici scientia et pietate conspicui, in ejusque studio maxime versati, *cum magno successu sanctum Ministerium exercent.* – 7°. Vix ac ne vix quidem alius Doctor reperitur, qui de re morali *tam multa, tamque particulatim* scripserit.... – 8°. *Sic agendo et docendo, ad coelum evolavit beatus.* Quid tu pluris facis? quid tibi felicius optas?... Non mirum ergo, quod hisce temporibus haec Theologia ubique exoptetur et exquiratur; quod ab Ecclesiarum Praesulibus commendetur, ab eximiisque Doctoribus summis laudibus extollatur; quod *in universum Orbem diffusa,* in omnium fere Clericorum manibus versetur. Quid igitur insulsum magis, quam improbare Opus adeo eximium, quod innumeri Doctores, *totque S. Sedis oracula* tam alte jam commendarunt! »

Tanta demum universim visa est praecellentia Doctrinae S. Alphonsi, ut quamplurimi Episcopi in Causa Doctoratus testentur, Ipsius Theologiam moralem « *sua excellentia, utilitate et successu, Solis instar in firmamento Ecclesiae refulgere* »[1].

Sed jam graviora nos advocant Summorum Pontificum testimonia, atque solemnia S. Sedis judicia, de quibus speciatim hic disserere juvat. Sunt autem sequentia:

Benedictus XIV.

1. Epistola de die 2. Nov. 1753. ad S. Alphonsum[2]. – « Abbiamo ricevuto il *primo suo Tomo della Teologia morale, dedicato a Noi,*[3] che le rendiamo grazie dell'onore compartitoci, e dell'opportuna inserzione delle Nostre Lettere encicliche nella predetta Opera. – L'assicuriamo, che l'Opera sarà letta da Noi nelle occasioni opportune, *avendo Noi il dovuto concetto del di lei merito, diligenza ed equità nel giudicare...* »

2. Alia Epistola, data 15. Jul. 1755[4]. – « Abbiamo ricevuta una sua lettera degli 8. di Giugno, unitamente col *secondo Tomo* della sua Morale, ed altri pure suoi Libri di minor mole, ma di gran profitto per la salute delle anime. Noi la ringraziamo del regalo, ed avendo data una scorsa al secondo Tomo della sua Morale, *ch'è dedicato a Noi,* del che rendiamo particolari grazie, l'abbiamo ritrovato pieno di buone notizie; ed *ella può restar sicuro del gradimento universale, e della pubblica utilità.* A tratto a tratto l'andremo leggendo; e speriamo, che quanto leggeremo, corrisponderà a quanto abbiamo letto... »

3. Quanto in pretio Benedictus XIV. habuerit Alphonsi « *meritum, diligentiam et aequitatem in controversiis dirimendis* », patet ex iis quae doctissimus Pontifex tradit in aureo Opere *de Synodo dioecesana* (cfr. infra, pag. 781. n. 5.). – Constat etiam ex facto a *P. Tannoia*[5] hisce verbis

1) Acta Doctoratus, Litterae supplices, num. 2. pag. 6. — 2) Ex ipso Autographo. — 3) Theologia moralis Benedicto XIV. dicata, est editio *secunda*, ann. 1753. et 1755. duobus Tomis in-4°. Neapoli evulgata. — 4) Ex ipso Autographo. — 5) Vita ed Istituto di S. A., lib. 2. cap. 38. in fine.

relato: « Era tale la stima, che di sua saviezza aveva il medesimo Pontefice Benedetto XIV., che, richiesto del suo parere circa la maledizione de' morti dal dotto missionario napoletano, e gran servo di Dio, D. Giuseppe Jorio, non volle decidere da sè, e gli rispose: *Voi avete il vostro Ligorio, consigliatevi con esso.* »

Clemens XIII.

1. Litterae in forma Brevis, 4. Aug. 1767. ad S. Alphonsum [1]. – « Librum » tuum adversus errores, qui nunc temporis omnem propemodum infecerunt Europam, libentissime excepimus; tum quod tuus est, *cujus probe* » *novimus ex pluribus aliis Scriptis tuis et ingenium, et doctrinam, et* » *Dei zelum magnopere flagrantem....* Caeterum, Venerabilis Frater, te » summopere amamus, quod minime contentus uni Ecclesiae tuae prodesse, » *quidquid temporis tibi superest* ex episcopali tua procuratione, id perire » non pateris, sed *omne consumis in ejusmodi laboribus, quorum utili-* » *tas* non circumscribitur finibus tuae Dioecesis, sed *ad Ecclesiam porri-* » *gitur universam.* Deum rogamus, firmam ut tibi tribuat valetudinem, et » vitam addat et vires, quo alia complura, quae forte inchoasti, feliciter » possis absolvere... »

2. Ex Actis Beatificationis [2]. – « Romam reversus (Alphonsus), a Summo Pontifice peramanter complexus, trium horarum colloquio dignatus est. Quum inter gravissima Ecclesiae negotia, de quibus ipse a Pontifice consulebatur, retulisset oppugnatum fuisse Librum, quem *de frequentis Communionis utilitate* nuper ediderat, excanduit zelo Pontifex, eamque sanctissimam praxim animabus perquam utilem ostendens, idque sua firmans experientia, ei jussit, ut adversarium confutaret: quemadmodum brevi Romae fecit, editumque responsum ipsi Pontifici obtulit. »

3. Praeclara extant Summorum Pontificum *Clementis XIV.* et *Pii VI.* testimonia; attamen, cum ista respiciant quaedam S. Doctoris opera dogmatica, ab iisdem recensendis abstinemus. – Sufficiat hic allegare, quae laudatus P. Tannoia [3] de *Pio VI.* refert: « L'avvocato Vincenzo Picerni avendogli dedicato nel 1798. la *Difesa del Sistema morale di Alfonso,* ne mostrò molto compiacimento nel Breve di risposta diretto allo stesso Picerni. »

Quibus praemissis, ad graviora judicia exponenda gressum faciamus.

Pius VII.

1. Decretum super revisione et adprobatione Operum Ven. Alphonsi [4]. – « ... Fa- » cta... plena relatione tam praefatorum Operum impressorum, quam alio- » rum Mss. omnium,... NIHIL *in iis* CENSURA DIGNUM *repertum fuit*... Qui- » bus SSmo D. N. relatis, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 18. Maji 1803. [5] ».

1) Cfr. ibid., lib. 3. cap. 38. — 2) Positio super Introduct. Causae, Romae 1796. Informatio n. 71. — 3) Vita di S. A., lib. 4. cap. 43. in fine. — 4) Cfr. Opusc. cui tit. *Santità e dottrina del B. Alfonso*, Ferentino 1834. p. 45.

5) Hos inter Libros, quos S. Sedes probavit tanquam nihil Censura dignum continentes, primas tenet « *Theologia moralis* » *V. S. D., editio nona Bassani 1785... in* » *tres Tomos distributa...* »

2. Decretum super Dubio, an constet de Virtutibus in gradu heroico [1]. – « ... Magna, quae de castis sanctisque moribus Ven. Alphonsi insedit opi- » nio apud omnes quoscumque... semper magis magisque aucta est... Elu- » cescebat... *in verbi Dei ministerio* apud rudem derelictam plebem, dum » eam *praeceptionibus divinae legis* imbuebat; *in cathedra morum, apud* » *conscientiarum moderatores, dum doctrinae copiam effundebat;*... in » pastorali officio apud commissum sibi gregem, dum vigili custodia illum » *salutaribus pascuis* enutriebat... Quam optimo autem jure tanti eum fa- » cerent homines, hodiernum Apostolicae Sedis judicium manifestat. Insti- » tuta enim inquisitione de ejus peculiaribus actionibus,... ac *facta discus-* » *sione de quibuslibet licet minutissimis exceptionibus,* quae perfectiori » virtutum christianarum exercitio opponi potuerant, iterumque renova- » ta,... *ita evanescere omnes difficultates visae sunt, ut nihil amplius* » *opponi potuerit adhuc perpendendum...* Hoc autem Decretum (Sanctitas » Sua) evulgari, et in acta S. R. C. referri mandavit, nonis Maji 1807. »[2].

3. Decretum super Dubio, an tuto procedi possit ad Beatificationem [3]. – « Omni- » potens Dei sermo, qui vocat stellas, ut in militantis Ecclesiae firma- » mento splendeant, Ven. servum suum Alphonsum vocavit, ut Apostolici- » carum virtutum luce coruscaret. Divinae ille voci respondit, et Apostolo » dignas virtutes quasi jubar emisit,... cum, *et voce, et scripto in media* » *saeculi nocte errantibus viam ostendit, qua, eruti de potestate tene-* » *brarum, transire possent in Dei lumen et regnum... Sed et intelligent* » *profecto Pastores animarum, et divini verbi praecones, pii quoque et* » *docti viri, quantum sibi in Alphonso Maria imitando ornamenti ac* » *praesidii constitutum sit.* Cum hujus igitur lucidissimae militantis Eccle- » siae stellae virtutes heroicas habendas esse, SS. D. N. Pius Papa VII... » edixerit,... rite pronuntiavit: Tuto procedi posse... Atque hoc Decretum » in vulgus edi... jussit, 12. Calend. Jan. 1815. »

4. Breve Beatificationis, de die 6. Sept. 1816. [4] - « Ad excitandam me- » liorum charismatum aemulationem, semper in Ecclesia instaurat Do- » minus maxima virtutum exempla. Jam vero, praeter tot alios, qui me- » moria nostra multiplici virtutum apparatu florere visi sunt, mirum in » modum claruisse constat Ven. Dei servum Alphonsum... Sicut sagitta » in manu potentis, in vitia irruit... *Hinc sane mirum,* quot odia extin- » xerit, *quot devios ad rectum tramitem, ac etiam ad christianam per-* » *fectionem,* verbo, exemplo, ac *multiplicibus Scriptis adduxerit...* »

5. Certo etiam constat, Pium VII. suasisse Episcopis Ditionis Pontifi- ciae, ut in suis Seminariis Theologia moralis B. Alphonsi traderetur. [5]

1) Santità e dottrina, pag. 54.

2) Probe notandum est, Decretum istud latum fuisse, postquam denuo ad severiorem trutinam revocata fuerat Doctrina moralis Ven. Alphonsi, et speciatim (praeter alias quaestiones) ejus *Systema morale*, et doctrina de *Recidivis* (cfr. pag. 85. et 648. n. 4.). — 3) Vid. cit. opusc. Santità e dottrina, pag. 59. — 4) Ibid. pag. 61. — 5) Cfr. Morale Sistema del B. Alfonso... del Sacerd. Andrea Coppola, Napoli 1824. pag. 144.

Leo XII.

1. Litterae ad Typogr. Hyacinth. Marietti, datae 19. Febr. 1825. [1] - « Ut » minus noceat malorum colluvies librorum, qua, nunquam satis deplo- » randa aetatis nostrae calamitate, regiones omnes redundant, non exiguus » facit Scriptorum pietate ac doctrina praestantium numerus, quos Deus » *ad Religionis morumque tutelam,* misericordi Providentiae suae consi- » lio nunquam perditorum non opponit audaciae. In quibus, cum *praeser-* » *tim* Vir sanctissimus idemque doctissimus B. Alphonsus de Ligorio jure » optimo numeretur,... (cujus scripta) *firmissima sunt adversus omnem* » *pravitatem praesidia:* optime sane de Religione meritus es, et, sua si » norit commoda, de universa hominum societate, qui in Scriptoris hu- » jusmodi Operibus colligendis, et in lucem edendis, operam tuam indu- » striamque collocaveris... »

2. Testatur D. Gaume, eodem tempore a Leone XII. similes Litteras in forma Brevis datas fuisse ad Episcopum Massiliensem. [2]

Pius VIII.

1. Epistola data (quum esset adhuc Poenitent. Major) ad Episc. Massil. [3] - « Est sane cur tuae Dominationi vehementer gratulor de pientissimo » consilio, quo penes gregem tuum venerationem in B. Alphonsum fovere » conniteris; quem, nedum virtutum splendore illustre Episcopali Ordini » decus nostra aetate intulisse, sed *et sana et secundum Deum doctrina* » *praefulsisse suspicimus, tot editis ea de re voluminibus, in quibus ni-* » *hil dignum censura venerando judicio admonemur.* Id nunc restat, tua » haec in ovium bonum vota, ex ipsius B. Alphonsi praesidio, optato » exitu cumulari. »

2. Decretum super Dubio, an constet de Miraculis, 3. Dec. 1829. [4] - « Beato » Alphonso Mariae de Ligorio dedit *scientiam Sanctorum* Deus, et hone- » stavit illum in laboribus, qui... *usque ad extremam senectam... stu-* » *duit... saluberrimis elucubratis Libris fidelium animos ad fallacis sae-* » *culi contemptum, atque aeternae gloriae amorem accendere... Hujus* » *Beati Viri Nomen,* tum praeclaris gestis, tum *voluminibus ipsius pie-* » *tate et doctrina refertis, ubique gentium diffusum,* et in adversis in- » vocatum (est)... »

3. Decretum super Dubio, an tuto procedi possit ad Canoniz., 16. Maji 1830.[5]- « Inter Operarios, quos nullo tempore mittere destitit ad vineam suam » excolendam coelestis Paterfamilias, *plurimum laboravit ad plebem verbo,* » *scriptoque erudiendam B. Alphonsus...* »

1) Vid. edit. stereotyp. Operum S. A., Torino, Marietti, Vol. 5. in princ. — 2) Manuel des confesseurs, Préface. — 3) Card. Villecourt, Vie de S. Alph. Tom. 4. pag. 250. — 4) Santità e dottrina, pag. 67. — 5) Ibid. pag. 70.

Gregorius XVI.

1. Bulla Canonizationis, de die 26. Maji 1839. [1] – « Sanctitas et Doctrina..., ex Apostoli gentium sententia, ornare Episcopum quemque debent... *Ad eximium hoc egregii Antistitis exemplum instaurandum, datus divinitus Ecclesiae superiori saeculo visus est Alphonsus Maria Ligorius,* qui, cum... *sacris praesertim doctrinis mirifice polleret,* ad Episcopatus munus longe impeditissimum vocatus est... *Illud vero omnino mirandum,* quod, licet in apostolici functione muneris, perpetuis occupationibus detineretur, atque adeo omni cruciatuum asperitate sua membra torqueret, ac debilitaret, tanta nihilominus alacritate in rerum sacrarum studiis versari, ac tantum insumere temporis potuerit, ut *doctis aeque ac laboriosis Operibus in lucem editis, rem christianam mirifice juverit.* Enimvero, ut se suasque vitae rationes omnes divino cultui devoveret, maxime arduum, ac novi pene generis votum emisit, ut ne tantillum quidem temporis otiose, verum perpetua in actione traduceret. *Plurimos sane conscripsit libros, sive ad morum doctrinam tuendam, sive ad plenam sacri Ordinis institutionem,* sive ad confirmandam Catholicae Religionis veritatem, sive ad asserenda hujus S. Sedis Apostolicae jura, sive ad pietatis sensum in Christianorum animis excitandum. *In iis porro inusitatam vim, copiam, varietatemque doctrinae, singularia ecclesiasticae sollicitudinis documenta, exquisitum Religionis studium demirari licet. Illud vero imprimis notatu dignum est, quod, licet copiosissime scripserit, ejusdem tamen Opera* INOFFENSO PRORSUS PEDE *percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum fuerit.* »

2. Decretum de die 10. Jan. 1840. [2] – « *Maxima inter Catholicae Ecclesiae lumina atque ornamenta, Sanctus Alphonsus Maria de Ligorio refulget,* qui, *doctrina et sanctitate insignis,* summaque charitate incensus, miris omnium virtutum exemplis, ac *plurimis doctissimis ac pientissimis Operibus, Dei gloriae ac spirituali hominum saluti unice serviens,* post vitam sanctissime exactam, jam coronatus possidet palmam, et cum Deo in coelo triumphat. »

3. Responsum S. Poenitentiariae, de die 5. Julii 1831. [3]

Consultatio. – « Eminentissime. Ludovicus Franciscus Augustus, Cardinalis de Rohan-Chabot, Archiepiscopus Vesontionensis, doctrinae sapientiam et unitatem fovere nititur apud omnes dioecesis suae qui curam gerunt animarum, quorum nonnullis impugnantibus Theologiam Moralem Beati Alphonsi Mariae a Ligorio, tanquam laxam nimis, periculosam saluti, et sanae morali contrariam; Sacrae Poenitentiariae oraculum requirit, ac ipsi unius Theologiae professoris sequentia dubia proponit solvenda:

» *1°. Utrum sacrae Theologiae Professor opiniones, quas in sua Theo-*

1) Ex actis causae. — 2) Ex copia authent. — 3) Cop. auth.

» *logia morali profitetur Beatus Alphonsus a Ligorio, sequi tuto pos-*
» *sit ac profiteri?*

» *2°. An sit inquietandus Confessarius, qui omnes Beati Alphonsi a*
» *Ligorio sequitur opiniones in praxi sacri Poenitentiae tribunalis,* hac
» sola ratione quod a Sancta Sede Apostolica « nihil in Operibus censura
» dignum repertum fuerit? » – Confessarius, de quo in dubio, non legit Opera
» Beati Doctoris, *nisi ad cognoscendum accurate ejus doctrinam, non*
» *perpendens momenta rationesve quibus variae nituntur opiniones;* sed
» existimat se *tuto* agere, eo ipso quod doctrinam quae « nihil censura
» dignum » continet, prudenter judicare queat *sanam esse, tutam, nec ul-*
» *latenus sanctitati evangelicae contrariam.* »

Decisio. – « Sacra Poenitentiaria, perpensis expositis, Reverendissimo
» in Christo Patri S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Vesontionensi, respon-
» dendum censuit:

» *Ad 1um quaesitum:* AFFIRMATIVE, *quin tamen inde reprehendendi*
» *censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.*

» *Ad 2um quaesitum:* NEGATIVE, *habita ratione mentis Sanctae Se-*
» *dis circa approbationem Scriptorum Servorum Dei ad effectum Ca-*
» *nonizationis.*

» Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 5. Julii 1831.

A. F. De Retz, S. P. Regens.

F. Tricca, S. P. Secretarius. » [1]

4. Aliud Responsum S. Poenitentiariae, de 8. Junii 1842. [2]

Consultatio. – « Bme Pater. Episcopus Cenomanensis... humillime re-
» praesentat: Fere omnes juniores sponsi numerosiorem prolem habere
» nolunt, et tamen ab actu conjugali abstinere moraliter nequeunt...
» Praefatus Cenomanen. Episc., ingentia hinc obventura esse mala prae-
» videns, et anxietate turbatus, a Beatitudine Vestra sollicite exquirit:...
» 2°. Si actus habendus sit ut moraliter malus, an conjuges de illo se non
» accusantes considerari possint tanquam in ea constituti bona fide, quae
» eos a gravi culpa excuset? 3°. An probanda sit agendi ratio Confessa-
» riorum, qui, ne conjugatos offendant, illos circa modum, quo juribus
» matrimonii utuntur, non interrogant? »

Responsio. – « S. Poenitentiaria, mature perpensis propositis quaestio-
» nibus... Ad 2. et 3. respondet: quod praefatus Confessarius revocet in
» mentem adagium illud, sancta sancte esse tractanda; atque etiam *verba*
» *perpendat S. Alphonsi de Ligorio, Viri docti et harum rerum peritis-*
» *simi, qui in Praxi Confessariorum,* §. 4. *n. 41. inquit:* « Circa autem
» peccata conjugum respectu ad debitum conjugale, ordinarie loquendo,

1) Responsum istud S. Poenitent. a S. M. Gregorio XVI. approbatum confirmatumque fuit sub die 22. Julii; uti constat ex epistola Emi Card. de Rohan-Chabot ad D. Gousset, ejus Vic. gen. (qui praefata dubia proponi curaverat): « *Ayant soumis au Saint-Père, dans une audience du 22. Juillet* (1831.) *la Réponse de la Sacrée Pénitencerie....., Sa Sainteté l'a confirmée, en approuvant et la Réponse et le dessein que j'avais de la publier et de l'appuyer par cette Lettre pastorale...* » (Cfr. Gousset, Justification de la Théol. mor. du B. Alphonse, Besançon 1832. pag. 251.).

2) Vid. Gury, edit. Rom. 1866. Tom. 2. n. 929.

» Confessarius non tenetur, nec decet interrogare, nisi uxores, an illud » reddiderint, modestiori modo quo possit... De aliis taceat, nisi interro- » gatus fuerit. » Necnon alios probatos auctores consulere non omittat. »

SS. D. Pius PP. IX.

1. Litterae ad P. Hugues, C. SS. R., datae 25. Nov. 1846. [1] - « Si unquam » alias, nunc certe omni studio atque industria curandum, ut salutaribus » scriptis vitia profligentur, atque in omnium animis virtus, religio, pie- » tas excitentur, foveantur... Itaque pium a te susceptum laborem sum- » mopere commendamus, tibique addimus animos, ut majori usque alacri- » tate, tuam operam *in saluberrimis S. Alphonsi scriptis magis in dies* » *promulgandis* impendas, *quorum lectio*, non solum christianae plebi, » verum etiam *ecclesiasticis viris, animarum praesertim curae et regi-* » *mini addictis, maxime prodesse potest.* Siquidem illius sanctissimi ac » doctissimi Viri libri... *optima quaeque monita, consilia, praecepta, co-* » *piose suppeditant, quae ad animarum salutem tuendam, procurandam,* » *vel maxime conducunt...* »

2. Litterae de die 7. April. 1847. ad D. Scavini. [2] - « Tibi vehementer » gratulamur, quod in hisce Theologicis Institutionibus conficiendis, *nihil* » *antiquius* habueris, quam *salutares* sanctissimi ac doctissimi Viri Al- » phonsi Mariae de Ligorio *doctrinas magis magisque propagare, iisque* » *ecclesiasticae praesertim juventutis animos imbuere.* Itaque susceptum » a te consilium summopere commendamus... »

3. Litterae ad Typogr. Marietti, 12. Jul. 1847. [3] - « In tanto pravorum » librorum numero, qui prodeunt hoc aevo quotidie in lucem, maxima » apud Nos profecto laude dignus videris, dilecte Fili, cujus opera et im- » pensa, Typographia istic pluribus ab hinc annis patet, quae libros edat, » aut iterum praelo committat ad Religionem tuendam, et ad fovendam » pietatem, vel in primis utiles et opportunos. *In his autem edendis,* » *merito praeire caeteris Sanctum Alphonsum de Ligorio censuisti, cui* » *quidem, ut mira fuit in proximos lenitas, ita defessus nunquam zelus* » *salutis animarum.* Laudamus sane, quod novam sancti ejusdem Antisti- » tis Operum editionem publicare jam coeperis.... »

4. Responsum S. Poenitentiariae, de 19. Dec. 1855. [4]

Postulatum. - « Emẽ et Rmẽ Domine. Supplex infrascriptus, ad offi- » cium Praefecti publicarum Collationum moralium a suo Episcopo nomi-

1) Cfr. Villecourt, Vie de S. Alph., T. 4. pag. 253. — 2) Vid. Scavini, Theol. mor. edit. 10. Mediolan. 1865. Tom. I. in princ. — 3) Vid. edit. stereotyp. Operum S. A., Torino, Marietti, Vol. 7. in princ.

4) Cfr. *Scavini*, theol. mor. edit. 10. Mediolan. 1865. Tom. 3. pag. 435. n. 564. — Loco cit. *num. 563.* cl. Auctor haec praemittit: « Quanti sit facienda doctrina S. Alphonsi, Ducis nostri atque Magistri, satis copiose Tom. 1. tract. de consc., ubi sub num. 117. argumenta retulimus, tum extrinseca, tum intrinseca, quae ejus praxim prae caeteris commendant. Et sub num. 115. *decretorium* Responsum scripsimus S. Poenitentiariae 5. julii 1831., a Gregorio XVI. confirmatum. — *564. Ad auferendam tamen omnem animi fluctuationem a timidulo, qui adhuc forsan vereatur saluberrimam Ligorianam doctrinam profiteri* (etsi ad illam animo propensus), *quia jamdiu contrariae Scholae nomen dedit, atque ei se totum devinxit:*

» natus, ob propriam erga S. Alphonsum a Ligorio devotionem ac reve-
» rentiam, *valde optat ejusdem tanti Sancti doctrinam in omnibus te-*
» *nere, tradere et tueri,* idque in proximo edendo Dioecesano Calendario
» (sicut etiam praelaudato suo Episcopo, erga S. Alphonsum admodum
» propenso, placet) palam facere; inhaerendo et servando Decisionem hac
» super re editam sub die 5. Julii 1831. ab hac S. Poenitentiaria. *Verum*
» *quoad id aliquali religione detinetur, eo quod, cum Gradus academi-*
» *cos jampridem obtinuit, Juramentum ut infra praestitit, ejusdem se*
» *Universitatis (quae Probabiliorismum et Probabilioristarum sententias*
» *sequitur) doctrinam retenturum.* – Quum haec ita sint, et quum insu-
» per clariss. Scavini, qui idem Juramentum emisit, in sua Theologia
» morali SS. D. N. Pio PP. IX. dicata, eundem S. Alphonsum praecipue
» Ducem habuerit; hinc, pro suae conscientiae quiete, humillime ad Emi-
» nentiam Vestram recurrit, et instanter supplicat:

» *1. Ut doceatur, an praefato Juramento obstet S. Alphonsi a Ligo-*
» *rio doctrinam in omnibus sequi et publice tradere,* ut supra exponitur?
» *Vel 2., ut ab eodem servando juramento dispensetur....* »

Responsio. – « Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, dilecto
» in Christo oratori ad proposita dubia respondendum censuit, prout re-
» spondet: *Ad primum, Negative.* – *Ad secundum, Provisum in primo.*

» Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 19. Decembris 1855. »

5. Responsum S. Rom. et Univ. Inquisitionis, 18. Jul. 1860. [1]

Postulatum. – « Bm̃e Pater. Episcopus N. in Gallia,... humiliter ex-
» quirit:... 2°. An impediti adire Romam in persona, teneantur adire sal-
» tem per epistolam aut procuratorem, ad absolutionem a casibus Sedi
» Apostolicae reservatis impetrandam?...»

Responsio. – « Feria IV. die 18. Julii 1860. In Congregatione generali
» S. Rom. et Univ. Inquisit. habita..., Em̃i ac Rm̃i DD. mandarunt rescri-
» bi:... Ad secundum Dubium. *Consulat* probatos Auctores, inter quos
» *S. Alphonsum Mariam de Ligorio....* »

6. Aliud Responsum S. Rom. et Univ. Inquisit., de 18. Jul. 1860. [2]

Postulatum. – « Bm̃e Pater. Hodiernus Episcopus N. in Gallia,... ex-
» postulat... 2°. Utrum (Episcopus) saltem habeat praefatam facultatem »
(sc. extra Italiam sive per se, sive per delegatum, absolvendi ab excom-
municatione occulta, quam Confessarius contraxit, absolvendo extra arti-
culum mortis complicem in crimine turpi) « in casu quo, propter immi-
» nens periculum scandali aut alterius gravis mali, recursus ad S. Sedem
» fieri nequit opportuno tempore? – 3°. Utrum, in iisdem circumstantiis,
» habeat facultatem absolvendi Sacerdotem, qui non esset suae dioecesis? –
» 4°. Utrum, absolvendo a praefata excommunicatione propter urgentem
» causam, debeat imponere poenitenti onus recurrendi, cessante impedi-

en novum S. Poenitentiariae Responsum ad rem nostram, cujus autographum libenter ac liberaliter nuper nobis largiebatur doctus et pius Orator, ad quem illud missum fuerat (quodque nunc servatur in Bibliotheca Ven. Seminarii Novariensis). » — 1) Vid. infra, pag. 562. *nota.* — 2) Cfr. Ephem. cui tit. *Revue des sciences ecclés.*, T. 3. 1861. pag. 367.

» mento, ad S. Sedem, sub poena reincidentiae? - 5°. Utrum facultatem praefatam valeat ad tempus praefixum, vel ad praefixum casuum numerum, an tantum pro casu exposito, delegare?... »

Responsio. - « Feria IV. die 18. Julii 1860.... Ad II. III. IV. et V. Dubium. *Consulat* Decretales Clementis III.... et probatos Auctores, inter quos *S. Alphonsum de Ligorio, lib. 7. cap. 1. dub. 5. de Censuris, n. 84. ad 92...* »

7. Responsum S. C. Concilii, de die 29. Aug. 1860. [1]

Postulatum. - « Bme Pater. Henricus... humillime requirit: 1°. Utrum Sacerdos, qui stipendium solito pinguius accepit, possit in gratiam pii operis, alii Sacerdoti ordinarium tantummodo stipendium tradere, retinendo prorsus partem, quae taxam ordinariam superavit? - 2°. Utrum idem Sacerdos possit sibi alium Sacerdotem substituere, ea lege, ut aliquam partem stipendii ordinarii vel extraordinarii, in gratiam pii operis determinati remittat? - 3°. Et quatenus negative in utroque casu, utrum Sacerdos ita agens ad restitutionem teneatur? - 4°. Utrum Sacerdos petens ab alio hujusmodi condonationem, debeat prius illi stipendium totum tradere? - 5°. Et quatenus affirmative, utrum aliter agens ad restitutionem teneatur? »

Responsio. - « Die 29. Augusti 1860. *Consulat* Theologos, *praesertim S. Alphonsum de Ligorio,* tract. XIII. de Sacr. Euchar. cap. VII. » (seu lib. 6. tr. 3. cap. 3. n. 321. et seqq.) « et Benedictum XIV.,... *eorumque sententiis sese conformet...* »

8. Responsum S. Poenitentiariae, de die 10. Dec. 1860. [2]

Postulatum. - «... 18. Quomodo se gerere debeant Parochi in celebratione matrimoniorum illorum, qui notorie in ecclesiasticas censuras inciderint? »

Responsio. - « Parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, *omnibusque perpensis, quae* a probatis auctoribus, et *praesertim a S. Alphonso (Lib. 6. tract. 1. cap. 2. n. 54.) traduntur,* ea declaret, quae magis expedire in Domino judicaverit... »

9. Decretum Urbis et Orbis de die 23. Martii 1871., super concessione tituli Doctoris.

« Inter eos qui fecerunt et docuerunt, quosque Dominus Noster Jesus Christus magnos fore vocavit in regno Coelorum, merito recensendus est S. Alphonsus Maria de Ligorio... Quod autem sancta operatione complevit, verbis etiam et scriptis docuit. Siquidem *ipse errorum tenebras ab Incredulis et Jansenianis late diffusas, doctis Operibus, maximeque Theologiae Moralis tractationibus, dispulit atque dimovit. Obscura insuper dilucidavit, dubiaque declaravit, cum inter implexas Theologorum sive laxiores, sive rigidiores sententias, tutam straverit viam, per quam Christifidelium animarum Moderatores inoffenso pede incedere possent...* »

1) Ibid. pag. 272. — 2) *Memoriale theol. moral.*, auctore Henr. Sarra, Romae 1869. pag. 501. ad 18.

10. Litterae Apostolicae in forma Brevis de die 7. Julii 1871., super confirmatione tituli Doctoris.

« Qui Ecclesiae suae numquam se defuturum spopondit Christus Dominus, quum maxime in rem suae immaculatae Sponsae esse perspexerit, » insignes excitat pietate et doctrina Viros, qui, repleti spiritu intelligentiae, tamquam imbres mittant eloquia sapientiae suae. *Neque enim* » *sine providentissimo Omnipotentis Dei consilio factum est*, ut, quum » *Jansenistarum* doctrina Novatorum oculos in se converteret, errorisque » specie multos alliceret, ageretque transversos, *tunc potissimum extaret* » *Alphonsus Maria de Ligorio...*, qui, bonum certans certamen, os aperiret suum in medio Ecclesiae; *scriptisque doctis et laboriosis, istam ab* » *inferis excitatam pestem radicitus evellendam, et ab agro Dominico* » *exterminandam curaret.* - Neque vero has solum sibi partes depoposcit » Alphonsus; sed in Dei gloriam, spiritualemque hominum salutem unice » intendens animum, *plurimos Libros conscripsit, sacra eruditione et pie-* » *tate refertos, sive, inter implexas Theologorum tum laxiores, tum ri-* » *gidiores sententias, ad tutam muniendam viam, per quam Christifide-* » *lium animarum Moderatores inoffenso pede incedere possent; sive ad* » *Clerum informandum, instituendum;* sive ad catholicae Fidei veritatem confirmandam, et contra cujuscumque generis aut nominis Haereticos defendendam; sive ad asserenda hujus Apostolicae Sedis jura; sive » ad Fidelium animos ad pietatem excitandos. Hoc porro praedicari verissime potest, nullum esse vel nostrorum temporum errorem, qui, maxima saltem ex parte, non sit ab Alphonso refutatus. Quid quod ea, quae » tum de Immaculata Sanctae Dei Genitricis Conceptione, tum de Romani » Pontificis ex cathedra docentis Infallibilitate... a Nobis sancita sunt, in » Alphonsi Operibus reperiuntur et nitidissime exposita, et validissimis » argumentis demonstrata?

» Quae cum ita sint,... Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, titulum Doctoris in honorem *S. Alphonsi Mariae de Ligorio...* » confirmamus, seu, quatenus opus sit, denuo Ei tribuimus, impertimus; » ita quidem, *ut in Universali Catholica Ecclesia semper Is Doctor ha-* » *beatur... Praeterea hujus Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula,* » *Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo pri-* » *vatim, sed publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, Lectio-* » *nibus, Disputationibus, Interpretationibus, Concionibus, Sermonibus,* » *omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus,* » *citari, proferri, atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus et de-* » *cernimus...*

» Quocirca universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, » Episcopis, et Dilectis Filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis, per universum terrarum Orbem constitutis, per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis, et Dioecesibus sollemniter publicari, et ab omnibus personis Ecclesiasticis saecularibus et quorumvis Ordinum Regularibus, ubique locorum et gen-

» tium inviolabiliter et perpetuo observari procurent. Haec praecipimus » atque mandamus, non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Pro- » vincialibus et synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus » Constitutionibus et Ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.»

§. 2.

Exponitur, quo sensu Doctrina S. A. a Sede Apostolica approbata dici possit et debeat.

Prae caeteris, cum Scavini [1] aliisque Theologis, triplex distinguenda est S. Sedis approbatio. 1°. *Negativa* seu *Permissiva,* si nempe Ecclesia doctrinam aliquam ab omni censura theologica immunem declarat; quin tamen de ipsa aliquid positive decernat, vel speciatim eam laudet, aut commendet. - 2°. *Positiva* seu *Electiva,* si doctrina quaedam explicite laudatur et commendatur, ceu talis quae a quovis tuto in praxi teneri potest; quin tamen ulla sit obligatio eam sequendi, nec idcirco reprehendendi sint qui contrariam ab Ecclesia toleratam amplectuntur. - 3°. *Definitiva* seu *Dogmatica,* si nempe Ecclesia doctrinam aliquam absolute certam, et ab omnibus necessario tenendam declarat, adeo ut qui contra sentiat, contra ipsam Ecclesiam sentiat.

Postrema istarum approbationum profecto nec S. Alphonso, nec alii S. Scriptori aut Doctori convenire potest. Ista namque ad solos Libros canonicos et ad Dogmata spectat; et idcirco Ecclesia nullatenus definivit, nec unquam sane declarabit, doctrinam moralem S. Alphonsi veram esse, eo sensu, quod ab omnibus sequenda ac tenenda sit. - Contra tamen, duas priores approbationis species S. Doctor pleno jure sibi vindicat, quas proinde paulisper examinabimus: iis tantum innixi documentis, quae universalem Ecclesiam respiciunt.

I.

De Approbatione negativa seu permissiva.

I. - Postquam Causa Beatificationis Ven. Alphonsi apud S. Sedem introducta fuerat, et antequam ad ejus examinandas Virtutes procederetur, severissimo complurium Revisorum, a S. Rituum Congregatione deputatorum, examini subjecta fuerunt universa ipsius Opera, cum typis impressa, tum Manuscripta. Qua peracta diuturna et accuratissima revisione, prodiit anno 1803. Decretum a Pio VII. confirmatum, solemniter declarans, « *facta* » *plena relatione tam praefatorum Operum impressorum, quam aliorum* » *Mss. omnium,* NIHIL *in iis* CENSURA DIGNUM *repertum fuisse.* »

1. Porro, *Benedictus XIV.,* generalibus inhaerens Decretis Urbani VIII., in Opere *de Serv. Dei Beatificatione,* lib. 2. cap. 28. n. 2. docet: « *Finis* » *seu scopus hujus judicii* (revisionis) est, ut videatur, an doctrina Servi » Dei, quam scriptis exposuit, sit *immunis a quacumque theologica cen-*

1) Theol. mor. T. I. edit. 10. Mediolan. 1865., n. 114. not. 3.

» *sura;* ita ut, si aliquid a Revisoribus praeter doctrinam adnotetur, severe » loquendo, id dicendum sit ad eorum messem non pertinere. » - Et *n. 5.*, regulas exponens a Revisoribus servandas, sic pergit: « Posito igitur, quod » judicium revisionis operum sit *solius doctrinae judicium,* Decreta gene- » ralia Urbani VIII. praescribunt ea, quae a Revisoribus sunt advertenda: » videlicet, an in operibus error contineatur *contra fidem* vel *contra bo-* » *nos mores*, aut doctrina aliqua *nova* et *peregrina* atque *a communi* » *sensu Ecclesiae et consuetudine aliena.* »

2. Hinc, eodem docente Pontifice, loco cit., « *onus est Revisorum, unam-* » *quamque propositionem, quae cum sana doctrina non cohaereat, singil-* » *latim perpendere,* et in suo suffragio, quod Cardinali Relatori causae ex- » hibere tenentur, sua censura theologica qualificare. » - Quaenam vero sint praecipuae istae censurae seu notae theologicae, ibidem exponit dicens: « Nonnullae sunt (propositiones) *haereticae,* nonnullae *erroneae,* nonnullae » *errori proximae,* nonnullae *sapientes haeresim,* nonnullae *sapientes er-* » *rorem*, vel *de errore suspectae,* aliae *temerariae,* aliae *scandalum prae-* » *bentes*, aliae *pias aures offendentes*, aliae *male sonantes*, aliae *sim-* » *plicium seductrices,* nonnullae *schismaticae*, aliae *injuriosae,* nonnullae » *impiae* seu *blasphemae.* »

3. Stante ergo solemni S. Sedis Decreto, pro certo atque indubitato tenendum est,[1] in omnibus S. Alphonsi Operibus deprehensum esse: 1°. Nullum principium, nullum caput doctrinae, nullam opinionem, quae *fidei* aut *bonis moribus* adversetur, ac proinde nec unam quidem sententiam, quae ab Ecclesia reprobetur, aut in se mala sit et perniciosa ; - 2°. Nullam doctrinam *novam* vel *peregrinam*, seu talem, quae (docente Bened. XIV. l. c. n. 6. 7.) vana et inutilia, Scripturisve divinis et SS. Patribus adversantia proferat; - 3°. Nullam, nec unam quidem, propositionem *male sonantem, piarumve aurium offensivam;* - 4°. Nullam prorsus doctrinam *communi sensui Ecclesiae et consuetudini contrariam.* - 5°. Contra vero certum atque exploratum est, omnes omnino propositiones « *cum sana do-* » *ctrina cohaerere* », ac proinde universas et singulas, quae mores respiciunt, *solido inniti fundamento,* quo fit ut *vere sint probabiles.* [2] Hoc insuper ex iis patet, quae idem Pontifex l. c. *n. 9.* subdit: « Debent quoque » (Revisores) de alienis sententiis judicium non ex sua, vel suorum, » ferre, sed *agnoscere libenter probabilitatem doctrinae,* a qua alioquin ab- » horrent. »

II. - Contra hanc interpretationem praefati Decreti S. Sedis, quae cuivis sane recta ac genuina videbitur, objiciebat olim Canonicus quidam Neapolitanus *De Folgore*, asserens, doctrinam S. Alphonsi, etiam post illud Decretum, remanere, uti ajunt, *in statu quo:* ita ut, eodem prorsus modo ac antea, cuilibet liberum sit eamdem impugnare. Quod quidem affirmabat

1) Vid. opusc. inscript. *Riflessioni sopra la santità e dottrina del B. Alfonso,* (auctore insigni Dei servo *Pio Lanteri,* Fundatore Ven. Congr. Oblatorum B. M. V.) Reggio 1825., part. 1. cap. 2. pag. 32. — 2) Vid. infra, pag. XXX. n. 1., et pag. XXXV. *not.*

verbis innixus, quibus *Benedictus XIV.* lib. 2. cap. 34. n. 12. tractationem suam de Revisione operum Servorum Dei concludit: « Hoc unum pro co-» ronide addendum esse videtur, nunquam posse dici a Sancta Sede ap-» probatam Servi Dei doctrinam, sed *ad summum dici posse non repro-» batam:* si Revisores retulerunt, nihil in ejus operibus reperiri, quod » adversetur Decretis Urbani VIII., et judicium Revisorum fuit a S. Con-» gregatione approbatum, et a Summo Pontifice confirmatum; *praedictam-» que idcirco doctrinam* DEBITA CUM REVERENTIA *posse citra ullam teme-» ritatis notam impugnari, si* MODESTA *impugnatio* BONIS RATIONIBUS IN-» NIXA *sit*, etiam postquam Dei Servus, qui scripsit, inter Beatos aut » Sanctos fuerit relatus. »

1. Hanc objectionem pluribus argumentis egregie diluit cl. vir *Andreas Coppola,*[1] ex cujus disceptatione haec tria certo constant: 1°. Praefata verba (secundae editioni Operis Benedicti XIV. addita), nisi doctissimum Pontificem apertae contradictionis insimulare velimus, eo sensu interpretanda sunt, qui cum integra quaestionis expositione cohaereat. Porro, tum ex regulis a Pontifice Revisoribus traditis, tum ex pluribus Decretis, maxime Urbani VIII. ab ipso adductis, pro certo tenendum est, doctrinam Servorum Dei auctoritate apostolica revisam et approbatam, *ab omni qualicumque censura theologica immunem declarari*, ac proinde ceu talem, tum in foro externo, tum in foro conscientiae, ab omnibus esse agnoscendam. – 2°. Supervacua prorsus foret, si aliter se res haberet, severissima haec Operum revisio; nec ullum plane sensum haberet latum in Causa S. Alphonsi Decretum, quod inscribitur: « *Decretum super revisione et* ADPRO-» BATIONE *Operum... Ven. Servi Dei Alphonsi... a S. Rituum C. editum,* » *et a SS. D. N. Pio VII. confirmatum.* » Quocirca sapienter advertit insignis Dei Servus *Pius Lanteri:*[2] « Ed a chi dicesse, che la Chiesa non » approva tutto ciò, che non condanna, ma spesso tollera, si risponde » colle parole medesime del Beato (Alfonso) per simile difficoltà: « *Ciò* » *può dirsi parlando delle opinioni particolari, ma non già delle altre,* » *che contengono dottrine generali, quali sono i principii della morale,* » *da cui dipende poi la direzione delle coscienze in tutti i casi parti-» colari,* dicendo S. Agostino (Epist. 119.):[3] *Ecclesia Dei multa tolerat, et* » *tamen quae sunt contra fidem sanctam, vel bonam vitam, nec adpro-» bat, nec tacet...* S. Tommaso (Quodl. 9. art. 15.) anche insegna: *Quod ver-» git in commune periculum, non est ab Ecclesia sustinendum.* » – 3°. Dum itaque Benedictus XIV. concludit « nunquam posse dici a S. Sede approba-» tam Servi Dei doctrinam, sed ad summum dici posse non reprobatam », nihil aliud declarare intendit, praeterquam, hujusmodi approbationem *non esse definitivam,* seu talem, qua Sedes Apostolica doctrinam aliquam approbaret tanquam absolute veram atque ab omnibus necessario tenendam.

2. Posito itaque, quod praefata Apostolicae Sedis approbatio dicenda sit

1) In opusc. Morale Sistema del B. Alfonso... difeso da' quattro sillogismi del Sig. Can. D. Gaetano de Folgore, Napoli 1824., pag. 40. et seqq. — 2) In opusc. *Riflessioni sopra la santità e dottrina del B. Alfonso,* part. 1. c. 6. pag. 58. — 3) Alias, Ep. 55. n. 35.

permissiva, sequitur, doctrinam S. A. non jam *mere toleratam* censeri posse, eodem prorsus sensu, quo tolerata erat ante Ecclesiae judicium. Siquidem antea authentice non constabat, sicut in praesenti, ipsam a quavis censura esse immunem. Quemadmodum qui in jus vocatur, et per sententiam judicis ab omni culpa eximitur, merito censendus est innocens: sic doctrina, quae a S. Sede quavis censura immunis declaratur, ceu talis ab omnibus habenda est: secus, aut ipsa Ecclesia falleretur, aut fideles in errorem induceret. - Singulare igitur privilegium sibi vindicat Alphonsus prae aliis, licet eximiis Scriptoribus, de quorum doctrina ex solemni Ecclesiae judicio nondum certo constat, nihil censura dignum in ea reperiri.

3. Hinc merito concludendum est, solemnem hanc declarationem, etsi negativae seu permissivae tantum approbationis rationem habeat, *verum* tamen et *absolutum* esse *judicium de ipsius doctrinae Puritate:* quae declaratio, *quoad praxim,* jam positivae seu *electivae* approbationi certe aequivalet. Et re quidem vera: si pretiosus cuipiam liquor porrigeretur duobus in vasibus aureis, quorum alteri *nullum certo venenum* infusum est; nonne haud cunctanter istud prae altero quisque arriperet?

II.

De Approbatione positiva seu electiva.

I. - DECRETA IN CAUSA CANONIZATIONIS PROLATA.

1. Hanc nobiliorem approbationem S. Alphonso convenire, luculenter probant varia in Causa Beatificationis et Canonizationis edita Decreta, in quibus Summi Pontifices, tanquam supremi Ecclesiae Doctores loquentes, ejusdem Sancti doctrinam moralem miris laudibus extollunt atque commendant. - Sic 1°. in Decreto super Virtutibus,[1] Pius VII. declarat, Alphonsum eluxisse « *in cathedra morum,* apud conscientiae moderatores, » *dum doctrinae copiam effundebat;* in pastorali officio apud commissum » sibi gregem, dum vigili custodia illum *salutaribus pascuis* enutriebat. - 2°. In Decreto super *Tuto,*[2] exhibetur veluti « stella, in militantis Eccle- » siae firmamento splendens,... cum, et voce et *scripto, in media saeculi* » *nocte errantibus viam ostendit* »; atque ibidem monentur « *Pastores ani-* » *marum et divini verbi praecones, pii quoque et docti viri* », ut profecto intelligant, « *quantum sibi in Alphonso Maria imitando ornamenti* » *ac praesidii constitutum sit.* » - 3°. In Brevi Beatificationis,[3] maxime demiratur Pontifex « *quot devios ad rectum tramitem ac etiam ad chri-* » *stianam perfectionem... multiplicibus scriptis adduxerit.* » - 4°. In die festo S. Alphonsi, omnes Sacerdotes, ex praecepto Ecclesiae, orare jubentur, « ut *ejus salutaribus monitis edocti,* et exemplis roborati, ad Deum » pervenire feliciter valeamus. » - 5°. In solemni Bulla Canonizationis[4], Gregorius XVI. declarat, Alphonsum « *divinitus Ecclesiae datum fuisse* », ipsumque « *doctis aeque ac laboriosis Operibus in lucem editis,* REM » CHRISTIANAM MIRIFICE JUVISSE. » Ibidem maxime laudatur Alphonsus, quia

1) Vid. supra, pag. XIV. — 2) Ibid. — 3) Ibid. — 4) Pag. XVI.

« *plurimos conscripsit libros, sive* AD MORUM DOCTRINAM TUENDAM, *sive ad* » *plenam sacri Ordinis institutionem* »; in quibus porro « *inusitatam* » *vim, copiam, varietatemque doctrinae demirari licet.* Illud vero *impri-* » *mis notatu dignum* est, quod, licet *copiosissime* scripserit, *ejus tamen* » *Opera* INOFFENSO PRORSUS PEDE *percurri a fidelibus posse, post diligens* » *institutum examen perspectum fuerit.* » - 6°. Testante eodem Pontifice [1], Alphonsus « *maxima inter Catholicae Ecclesiae lumina atque ornamenta* » *refulget, qui, doctrina et sanctitate insignis, plurimis doctissimis ac* » *pientissimis Operibus, Dei gloriae ac spirituali hominum saluti unice* » *servivit.* »

2. Quis non videat, maximi profecto faciendam esse doctrinam, tam splendidis laudibus exornatam? Non defuerunt tamen qui senserunt, ea quae Sedes Apostolica, tum in memoratis Decretis, tum speciatim in alio super « nihil censura dignum », de S. Alphonso edixit, non esse judicia lata *super ipsa doctrina, in se spectata;* sed Alphonsi doctrinam examinatam ac judicatam fuisse tantummodo AD EFFECTUM CANONIZATIONIS obtinendae, ac proinde id unice inferri posse, ipsam ejusmodi esse, quae non obstiterit ejusdem Sanctitati declarandae. Et exinde arguerunt, praefata Sedis Apostolicae judicia nullatenus respicere *intrinsecum valorem seu meritum doctrinae.* - Utique S. Sedes, in allegatis Decretis minime definivit, S. Alphonsi opiniones esse absolute veras, adeoque ab omnibus tenendas: hac de re nemo sane dubitabit. Libenter etiam concedimus, laudata judicia *directe* quidem lata fuisse in ordine et ad effectum Canonizationis. Verum affirmamus, illa non limitari aut restringi ad solam Sanctitatem declarandam, sed ejusmodi esse, quae *ultra hunc effectum* sese extendant. Quis enim negare possit, splendida illa Sedis Apostolicae testimonia esse *positiva atque explicita judicia de* PRAECELLENTI MERITO *doctrinae S. Alphonsi?* Nonne Summi Pontifices coram universa Ecclesia solemniter testantur, ipsius Opera non solum « *inoffenso prorsus pede* » percurri posse, verum etiam « *rem Christianam mirifice juvisse?* » Annon hoc ipso significant, Alphonsi doctrinam *saluberrimam* esse, *utilissimam,* et idcirco *summopere commendandam?* Annon declarant imprimis, « *inusitatam vim, copiam, varietatemque doctrinae* » demirandam esse in Operibus, « *sive ad morum doctrinam tuendam, sive ad plenam sacri Ordinis institutionem* » conscriptis?

3. Ad praedicta confirmanda, egregie inserviunt ea, quae in Actis Causae Beatificationis leguntur. Jam Decretum erat latum super « nihil censura dignum », jamque discussae erant heroicae Alphonsi virtutes. At nihilominus, jussu Pontificis, *nova* instituta fuit *Positio super virtutibus* (1806), et quidem super *Prudentia,* non quoad istius virtutis exercitium, sed *ob nonnullas regulas morum,* in ejus Operibus contentas. Hinc, praeter alias quaestiones particulares, ad severiorem trutinam revocata fuerunt speciatim *Systema morale,* et doctrina de *consuetudinariis* et *recidivis.* - Quae-

1) Pag. XVI. n. 2.

nam vero huic novae et insolitae disceptationi causam dederint, ab ipso *Fidei Promotore* excipere juvat, qui in §. 20. Animadversionum haec notatu digna tradit: « Cum gesta Apostolici hujus Viri celeberrimi *id pro-* » *prium habeant, ut studiosissime omnium ad se oculos rapiant;* cum- » que tali tantoque nomini impertiri Ecclesia altarium honores non pos- » sit, nisi uno tempore Alphonsum tanquam *Exemplum ac veluti facem* » praeferat, *praesertim doctis piisque viris evangelici agri cultoribus, ac* » *spectatissimo ipsi Ordini Episcoporum:* propterea diligentia quanta ma- » xima enitendum est, non modo nulla ut macula hanc lucem obumbret, » sed *(quod caput est)* ut, *inclinatis jam ac decidentibus hujus saeculi* » *moribus,* nullum obvelamentum in Alphonsi nomine atque exemplo re- » lictum esse intelligatur. Atqui *nonnihil obvelamenti relictum his mo-* » *ribus* videri posset, si consisteret *Imprudentiae* nota, quam eidem inus- » serunt docti plures, atque, uti existimandum est, benemeriti Scriptores, » *praesertim ob nonnullas regulas in morum doctrina ab eo traditas,* » *quarum ductu fraenum humanae libertatis non parum fortasse laxari* » *arbitrati sunt.* »

4. Hujus vero peculiaris inquisitionis exitum nemo ignorat, ex Decreto de 7. Maji 1807., in quo *Pius VII.* declarat, quod « *facta discussione* » *de quibuslibet licet minutissimis exceptionibus, quae perfectiori vir-* » *tutum christianarum exercitio opponi potuerant, iterumque renovata,* » *ita evanescere omnes difficultates visae sunt, ut nihil amplius opponi* » *potuerit adhuc perpendendum.* » Hinc Pontifex solemniter edixit: « *Constare de Ven. Servi Dei Alphonsi Virtutibus theologalibus et car-* » *dinalibus earumque adnexis in gradu heroico.* » – Quae cum ita sint, pro certo habendum est, moralem S. Alphonsi doctrinam non modo nulla, vel minima, imprudentiae labe affectam esse, sed etiam *in regulis morum a se traditis, Ipsum fuisse heroice prudentem.* Heroice ergo prudens dicendus est in Systemate morali a se proposito; heroice prudens in doctrina de absolvendis occasionariis et recidivis; heroice prudens in universo doctrinae moralis complexu. Haec cum ita se habeant, quis jam negare poterit, *ipsam quoque S. Alphonsi doctrinam declaratam fuisse prudentissimam atque sapientissimam?* Quis demum inficiabitur, hanc declarationem S. Sedis *positivum esse judicium de praecellenti ejusdem doctrinae Merito?* – Hoc porro Sedis Apostolicae judicium maximi dicendum est momenti, spectata tum *Operum amplitudine,* tum praesertim *natura et gravitate rerum,* ad bonam malamve animarum directionem spectantium: quae omnia, in approbanda Alphonsi doctrina eo magis attendenda erant, quod eo jam tempore ejusdem Opera in complurium, sive fidelium, sive Confessariorum, manibus reperiebantur, atque ipse Alphonsus, veluti lucerna super candelabrum posita, iis qui in domo Dei sunt, miro jam splendore elucebat.

5. Nec silentio praetereundum est factum, ex eadem *Positione super Virtutibus* desumptum. Audiamus miram petitionem a *Fidei Promotore* factam: « Sed antequam locum hunc deseramus, animadvertendum est,

» quosdam ex Patribus opportunissimum ac plane necessarium duxisse, » ut *Retractationes,* quas non semel Ven. Ligorius doctrinarum ab se » traditarum edidit, ea, quae sanctissimum Virum decebat, docilitate » atque humilitate, *in unum omnes colligantur, atque ita collectae* » *seorsim ab ejus Opere de Theologia morali publici juris fiant.* » – Sed cur et quorsum mira haec petitio? Quid sibi velit haec retractationum in unum collectarum evulgatio, cum Alphonsi sanctitate declaranda? Nonne jam exstabat alioquin Decretum super « nihil censura dignum »? – Porro, mentem suam *Promotor Fidei* sic aperit, dicens: « Ex iis, qui » primi theologicum Opus istud compararunt, sunt, qui retractationes » prorsus ignorant; sunt, qui eas factas et evulgatas quidem audierunt, » sed minime viderunt; sunt tandem qui eas norunt quidem, sed non » omnes, cujusmodi in novissima editione (1785) recensentur. Quibus po- » sitis, *verendum profecto est, ne ii, qui primis editionibus potiuntur,* » *videntes Alphonsum altarium honoribus auctum, putent cum Auctore* » *suo* PROBATAS CONFIRMATASQUE *ab Apostolica Sede* ILLAS ETIAM *senten-* » *tias, quas Alphonsus ipse vel retractavit, vel reformavit.* Ne quid tale » igitur adcidat, valde expediens ac plane necessarium est, ut Elenchus » Retractationum, de quibus agitur, de mandato hujus S. Congregationis » seorsim ab Opere typis evulgetur, *ut omnes possint eas noscere, sibi-* » *que facili negotio comparare, atque ita fidelium profectui prospiciatur,* » et Sacrae ipsius Congregationis decus sartum tectumque servetur. »

6. Exinde cum cl. *Andrea Coppola* [1] merito inferre licet, Sedem Apostolicam, in examinanda approbandaque S. Alphonsi doctrina, non in solis constitisse Regulis ab Urbano VIII. *ad effectum Canonizationis* promovendae traditis, sicut pro aliis Sanctis; sed ulterius progressa, *iteratis vicibus* ampliora tulisse judicia *de ipsius doctrinae merito.* – Quod alioquin evidenter constat, tum ex singulis relatis Decretis, maxime ex severiori instituta inquisitione de heroica prudentia in regulis morum ab Alphonso traditis, tum ex modo allegata petitione a Fidei Promotore facta. Ex cujus insuper verbis manifestum est, « *probatas confirmatasque ab Apostolica Sede* » dicendas esse omnes Alphonsi sententias, iis tantum exceptis « *quas ipse vel retractavit, vel reformavit.* » – Nec objici potest, istarum quaestionum evulgationem omnino necessariam fuisse ad effectum Canonizationis; eo quod hujusmodi sententiae a S. A. primitus traditae, tanquam absolute improbabiles rejiciendae sint, quas proinde Sancta Sedes ab omni censura immunes declarare non potuisset. Siquidem Promotor Fidei minime dicit, easdem esse reprobandas; quin potius praefatam evulgationem necessariam censuit ad majus ministrorum Ecclesiae bonum, ut omnes scilicet veram noscant Alphonsi sententiam, « *atque ita fidelium profectui prospiciatur.* » – Quocirca probe notandum est, omnes ab Alphonso *reformatas* opiniones *a probatis Auctoribus passim tradi,* ac proin, omni fundamento, saltem extrinseco, non carere. Praeterea, istae retractationes

1) Cfr. sit. opusc. pag. 78. et seqq.

nullum primarium aliquod principium aut caput doctrinae moralis respiciunt; sed generatim (prout scite advertitur in Causa Doctoratus) [1] nonnisi circa quaestiones omnino secundarias versantur. De his emendationibus memoratu digna sunt, quae refert P. Tannoia, [2] S. Doctoris coaevus et biographus: « *In Napoli non furon troppo gradite da quelle rispettabili* » *Congregazioni che vi sono, queste sue ritrattazioni: giudicandosi da* » *tutti bastantemente sode, e fornite di classiche autorità le opinioni* » *da esso ritrattate.* Taluni arrivarono a dire, che con questo, poco onore » si faceva. *Si dica di me,* disse Alfonso, *ciò che si vuole; io non cerco* » *la mia gloria, ma il bene delle anime e la gloria di Gesù Cristo.* »

7. Quae hucusque de sensu Decretorum S. Sedis in Causa Beatificationis et Canonizationis S. Alphonsi exposuimus, egregie confirmat doctus quidam Anonymus Gallus, [3] dicens: « Qui ne se souvient de ce temps, » encore peu éloigné, où nos écoles de France subissaient le joug de la » doctrine rigoriste que nous avait léguée le Jansénisme? ... De Rome » cependant, du centre même de la Catholicité partait une impulsion » destinée à réagir contre une funeste rigueur, en ramenant la Morale » dans les saines voies de la tradition ancienne. *La Cour Romaine se* » *hâtait de glorifier le grand Moraliste des temps modernes, St. Alphonse* » *de Liguori.* Ni amis ni ennemis ne s'y trompèrent; dans le saint Evêque » on vénérait l'homme apostolique, orné des plus éclatantes vertus; mais » *par-dessus tout on rendait hommage au Docteur suscité par la Provi-* » *dence pour combattre les doctrines rigoureuses,* qui avaient peu-à-peu » envahi les écoles ... *Ses principes,* solidement appuyés sur les ensei- » gnements des grands docteurs et des grandes écoles catholiques, *étaient* » *approuvés par la suprême autorité de l'Eglise;* une faveur particulière » s'attachait même à son nom. Pourquoi n'aurait-on pas adopté ses dé- » cisions? Pourquoi ne se serait-on pas déclaré disciple du *Théologien* » *que le Saint-Siége proposait comme un Maître irréprochable?* ... » A Dieu ne plaise, que nous tentions d'exagérer l'étendue des jugements » du Saint-Siége; nous n'ignorons pas que l'approbation donnée aux écrits » d'un Serviteur de Dieu n'est pas la *définition* des controverses aux- » quelles il a pris part; on pourra donc, après comme avant, discuter » la vérité d'une opinion émise par un Saint. Toutefois faisons remarquer » *une grande différence entre la cause de Saint Liguori et celle des* » *autres Saints. On ne saurait méconnaître que, dans le procès de Ca-* » *nonisation, le saint Evêque a été l'objet d'une prédilection marquée* » *surtout par ses écrits. C'était sa* DOCTRINE *plus que sa personne que* » *l'on semblait* CANONISER, [4] afin de l'opposer aux derniers vestiges du » rigorisme janséniste. *Et depuis le décret d'approbation, la faveur du* » *Saint-Siége pour ces consolantes doctrines s'est manifestée plus d'une* » *fois* ... »

1) Cfr. Respons. §. 220. pag. 103. — 2) Vita di S. A., lib. 2. c. 28. — 3) Vid. Ephemerid. inscript. *Revue des sciences ecclésiastiques*, 1864. pag. 159. — 4) Eadem plane sensa exprimit cl. *P. Montrouzier*, *S. J.* (vid. infra, pag. 28. n. 3.).

II. – Decisiones et Responsa S. Poenitentiariae.

1. Primum nobis occurrit notissima Decisio venerandi hujusce Tribunalis *de anno 1831.*, Sacrae Theologiae Professores et Confessarios respiciens: cujus integrum textum pag. XVI. n. 3. retulimus.

De ipsa disserens, cl. D. *De Wit,* [1] eruditos Scriptores *Misc. theol. Leod. tom. 3. pag. 393.* adducens, cum iisdem sapienter advertit: « Si » approbatio Romana nullam doctrinae S. Alphonsi *conferat* probabilita- » tem *intrinsecam* » (quam tamen necessario *supponit,* quemadmodum idem cl. Scriptor inferius recte adnotat), « non existimamus nos ultra » quam par sit, progredi, dum contendimus illâ conferri *extrinsecam.* » Nam imprimis theologia S. Alphonsi, judicio S. Sedis, nullam propo- » sitionem continet, quae censuram aliquam mereatur; quod quidem ju- » dicium *grave profecto pondus auctoritatis* huic libro tribuit. Tum vero » S. Poenitentiaria declarat opiniones omnes S. Alphonsi, *sola ipsiusmet* » *auctoritate,* posse in praxi adoptari, id est, *conscientiam tuto formari* » *agique prudenter.* Hoc autem quid aliud significat, quam *omnes ejus* » *opiniones esse extrinsece probabiles?* . . . Observandum est igitur, ap- » probationem S. Poenitentiariae cadere in sententias et opiniones S. Al- » phonsi, prout ab ipso enuntiantur, ita ut *privatae* sententiae non ces- » sent esse *privatae,* atque ut eae, quae ille solum probabiles aliquo gradu » censeat, minime evadant certae. Quod si privatae et incertae maneant, » omnino subjectae sunt legibus opinionum, quae, cum pace Ecclesiae, in » ipsa Ecclesia a variis Auctoribus admodum variae prodierunt. Earum » autem legum haec est primaria, ut Ecclesiastica auctoritas, quum op- » portunum judicaverit, ex variis illis opinionibus eam, quae *unice* vera » est, qua talem promulgare possit, contrariis omnibus rejectis. Hinc, » *quamdiu nihil in contrarium definitum est, quisque poterit, vi ap-* » *probationis Romanae, singulis et omnibus opinionibus S. Alphonsi, in* » *sensu ab Auctore intento, ad formandam conscientiam tuto uti;* ubi » vero contigerit, ut quidquam alicui earum opinionum contrarium, a » legitimo controversiarum judice definiatur, illa deserenda est, ut hoc » servetur. . . »

Ex dictis cl. Auctor merito concludit: « *Perperam* autem approbatio » Romana in sensu *mere negativo* accipitur a nonnullis, ac si doctrina » S. Alphonsi *toleraretur* dumtaxat ab Ecclesia, minime vero *approbaretur* » *et permitteretur ut tuta.* – Quae quidem interpretandi ratio oppido dis- » sidet a decisione S. Poenitentiariae, quippe qua ad 1um quaesitum ex- » presse declaretur *tutum* esse professorem; ad 2um autem *non esse in-* » *quietandum* confessarium; nam hoc postremum, stylo Romano, quanti » valeat, non meram scilicet tolerantiam, sed *positivam permissionem* » innuere, vide apud ipsum S. Alphonsum, lib. 3. n. 765.; [2] atque illud

1) Cf. egregium opusc. cui tit. *De studio et usu Theol. mor. S. Alphonsi dissertatio theoretico-practica,* edit. 2. Buscoduci 1867. pag. 96.

2) Loco cit. S. Doctor probat, ratione periculi amittendae sortis, licitum esse, positis quibusdam conditionibus, aliquid moderatum supra sortem accipere; in cujus

» consonat sensui, quem haec eadem loquendi forma habet, unde forsan » desumpta est, in Act. Ap. XV. 19., ubi S. Jacobus, Petro consentiens, » pronuntiat, conversos ex gentibus fideles *non esse inquietandos,* id est, » non ligari lege Mosi. »

Hinc Anonymus quidam scriptor gallus,[1] quamvis nobiscum non ex omni parte sentiat, ex praefata tamen Decisione pariter concludit: « *Fa-* » *temur, nullam esse ex Decisionibus B. Ligorii, quae non habeat hu-* » *jusmodi probabilitatem;* cum saltem sint immunes a qualibet censura, » et fundatae auctoritate Doctoris gravis: quod sufficit, ut in eo systemate » reputentur *vere probabiles.* »

Doctissimus autem Theologus Romanus jam supra laudatus, in *Voto,* S. Rituum Congregationis jussu exarato, post recensita amplissima Summorum Pontificum testimonia, sequentia subnectit: « Silentio praeterire » non possum Responsum a *S. Poenitentiaria,* Summo Pontifice appro- » bante, datum anno 1831., nimirum non esse inquietandum Confessarium, » qui omnes B. Alphonsi sequitur opiniones in praxi sacrae Poenitentiae » tribunalis, hac sola ratione, quod a S. Sede Apostolica nihil in Operibus » censura dignum repertum fuerit. Notabatur vero in casu Eidem propo- » sito, quod Confessarius iste non legit Opera B. Doctoris, nisi ad cogno- » scendam accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesve, » quibus variae nituntur opiniones, sed existimat, se tuto agere, eo ipso » quod doctrinam, quae nihil censura dignum continet, prudenter judicare » queat sanam esse, tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicae contra- » riam. *Quo responso quis non videt, Confessariis in tribunali Poeni-* » *tentiae Alphonsum quasi* ORACULUM *constitutum, proindeque ejus do-* » *ctrinam in re morali* EMINENTEM *esse judicatam?*

Quae vero difficultates solemni huic Decisioni, seu potius ejusdem usui atque applicationi opponi possunt, eas inferius perpendemus.

2. Accedit praeterea *altera,* jam pag. XVIII. n. 4. relata, *Responsio ejusdem S. Poenitentiariae, de anno 1855.,* quae, licet generaliori conceptu expressa, haud parvam tamen vim habet ad priorem firmandam. Ex ipsa namque certo constat, licitum esse *Professori, doctrinam S. Alphonsi in omnibus sequi et publice tradere, quin indigeat dispensatione a praestito juramento tuendi Probabiliorismum, et Probabilioristarum sententias.* Quinimo ex praefato S. Poenitentiariae Responso jure meritoque infertur, doctrinam S. Alphonsi *probabiliorem* ac *tutiorem* esse censendam, prae aliis doctrinis in scholis traditis. Ita jam sentiebat ipse S. Doctor de suo *Systemate morali,* prout infra[2] videbimus. Porro, istud S. Alphonsi judicium S. Poenitentiaria implicite non modo confirmavit, sed ad integrum

confirmationem affert quamdam declarationem S. C. de Propag. Fide, et subdit: « Op- » ponit Henricus, praefatam declarationem » non esse approbativam, sed tantum tole- » rativam; sed respondetur, quod S. C. dicit » ibidem, mutuantes *non esse inquietandos,* » dummodo... *quae utique verba non me-* » *ram tolerantiam, sed positivam permis-* » *sionem significant.* »

1) Cfr. Migne, *Theologiae cursus completus,* Tom. XI. Append. de Probabilismo, col. 1508. n. 18. in fine. — 2) Vid. pag. 67. II. et 114. nota.

ipsius doctrinae complexum extendit. Tanta siquidem hujus doctrinae auctoritas est, ut ipsi ne juramentum quidem *probabiliores* docendi tuendique sententias obstare valeat; ipsius namque S. Sedis judicio, quivis, *etsi vinculo ejusmodi juramenti obstrictus,* doctrinam S. A. tuta conscientia *in omnibus* profiteri et publice tradere potest, *nulla requisita dispensatione.*

3. Quanti demum facienda sit Alphonsi doctrina, ex aliis quoque, jam supra memoratis, Responsis elucet, tum ejusdem *S. Poenitentiariae,* [1] tum *caeterarum SS. Congregationum Romanarum:* [2] quae, potiusquam propositas dubietates directe resolverent, ad Alphonsum, quasi Ducem certissimum atque Oraculum venerandum, consulentes passim delegarunt.

III. - Concessio tituli Doctoris.

1. Amplissima, quae hucusque recensuimus, Apostolicae Sedis testimonia, profecto ejusmodi sunt, quae nonnisi Doctorem Ecclesiae condeceant. Quamobrem Rmus Praepositus Generalis Societatis Jesu, [3] postquam in Actis Doctoratus merito affirmaverat, negari a nemine posse « mirabilem » hunc Virum, tanquam *insignem in Ecclesia Magistrum* providentissime » a Deo fuisse suscitatum, atque omni doctrinae genere illustratum »; sapientissime subjecit: « Quod autem meo quidem judicio, S. Alphonsum » eximio quodam docendi charismate a Deo distinctum ostendit, id vel » maxime continetur *morali ejusdem Sancti doctrina,* quae *singularem Ec*» *clesiae approbationem* promeruit, quaeque exinde tum *in scholis,* tum » *in sacro ministerio universo,* tanquam *tutissima agendi norma, insigni* » *cum fructu* adhiberi coepit. Fuit profecto haec, veluti prima quaedam » illius charismatis agnitio, quae juxta consuetum Ecclesiae ductum, su» premam expressamque Doctoratus recognitionem antecedere visa est, » *quaeque nil ultra requirere videtur, nisi ut solemni Decreto definia*» *tur.* » - Quae cum animo perpenderent alii praestantissimi Viri, asseverare non dubitarunt, aequum esse, ut « *qui excellentiam Doctoris Eccle*» *siae de facto* jam habet, habeat et *de jure.* [4] »

2. Sed et hanc gloriam, quam accensa omnium vota Alphonso exoptaverant, ipse consecutus est. Illa vero gravissima documenta, quibus SS. D. N. Pius PP. IX. S. Scriptori nobilissimum *Doctoris* titulum et decus solemniter impertivit, amplissimis, quae praeiverant, S. Sedis approbationibus, coronidem imponunt. - Quemadmodum ergo ex supremo et irreformabili Sedis Apostolicae oraculo constat, Alphonsum « editissimum christianae » perfectionis fastigium attigisse » [5], et « cum Deo in coelo triumphare »: [6] ita ex altero non minus venerando et aeque irreformabili Christi Vicarii oraculo edocemur, Ipsum Sanctis Ecclesiae Doctoribus adscriptum esse, « *ita quidem, ut in Universali Catholica Ecclesia semper Is* Doctor *ha*» *beatur.* [7] » Itaque, vi directi ac formalis judicii Apostolici, super Alphonsi doctrina lati, pro certo tenendum est, eamdem attigisse *Eminen-*

1) Cfr. pag. XVII. n. 4. et XX. n. 8. — 2) Pag. XIX. n. 5. 6. 7.— 3) Litt. suppl. n. 15. pag. 41. — 4) Ibid. n. 25. pag. 48.; n. 26. pag. 50. — 5) Bulla Canoniz. §. 2. — 6) Vid. pag. XVI. n. 2. — 7) Pag. XXI. n. 10.

tiae fastigium: quae solemnis declaratio, si cum aliis ejusdem Sedis Apostolicae judiciis conferatur, nonne merito concludere licet, universum S. Doctoris doctrinae complexum esse eminenter sanum, eminenter prudentem, eminenter tutum, atque eminenter utilem et salutarem?

3. Nostrum tamen non est, hoc in Opere, summum praefatae Declarationis significatum uberius evolvere. - Locuti sunt caeteroqui, pro nobis, in *Actis Doctoratus,* doctissimi cujusvis coetus atque ordinis Viri, quos inter Collegii Neapolitani perinsignes Theologi [1] graviter affirmarunt: « *Utili-* » *tas, quae ex hoc nomine et cultu ei delata, in universum Catholicum* » *Orbem copiosior atque uberior redundaret,* Apostolicam Sedem, prout » nobis judicare datum est, movere debet, ut hujusmodi gloriae insignibus » Sanctum Alphonsum velit distinguere. In comperto enim est, declara- » tionem cultumque Doctoris non hac tantum ratione ab Ecclesia decerni, » ut illius, cui deferuntur, honos augeatur; sed *multo magis, ut fideles,* » *ejus doctrina, mente eruditi et illustrati, animo etiam ad vias Domini* » *arripiendas excitentur.* » - Locuti sunt *totius fere Orbis Sacrorum Antistites,* qui, validissimis innixi rationibus, instanter supplicarunt, ut Doctoris corona Alphonsus exornetur. [2] - Locuti sunt Emi S. Rituum Congregationis Judices, qui *unanimi consensu,* augustis hisce votis annuendum esse censuerunt. - Locutus est ipse Christi in terris Vicarius atque infallibilis Doctorum Doctor, qui, auctoritate Apostolica, gloriosum Doctoratus honorem Alphonso tribuens et confirmans, solemniter simul edixit, [3] Ipsum « *maxime Theologiae moralis tractationibus, obscura dilucidasse, dubia-* » *que declarasse* »; atque « *inter implexas Theologorum tum laxiores,* » *tum rigidiores sententias,* TUTAM MUNIISSE VIAM, *per quam Christifide-* » *lium animarum Moderatores inoffenso pede incedere possent.* »

4. Qua de re summatim saltem referre juvat quae doctissimi e Societate Jesu Scriptores *Civilitatis Catholicae* [4], non minori concinnitate, quam amplitudine protulerunt: « *Il grande Concilio Vaticano è paruto quasi ri-* » *vivere, or che S. Alfonso è stato proclamato Dottore della Chiesa Uni-* » *versale.* Il Decreto Pontificio, che approva questo novello culto... fu im- » plorato e quindi fu in una certa maniera originato dai Padri del Concilio...

1) Acta Doctoratus, Litt. suppl. pag. 116.

2) « *Quid magis amplum ac splendi-* » *dum* (mirabundus exclamat egregius Causae Defensor), *quam veneranda illa Legio* » *postulantium*, et affirmantium, *Doctoris* » nomen optime Alphonsum decere? Quam ve- » nerandam Legionem constituunt 39 S. R. E. » Cardinales, Patriarchae decem, 150 Archie- » piscopi, Episcopi ultra 600 ex Europa, Asia, » Africa, Oceania, Americis duabus: ita ut » Deus immortalis huic indefesso et nonage- » nario Praeconi laudum suarum videatur » voluisse, non modo in coelis, sed etiam in » terris gloriae suae partem communicare; » *ut ex omnibus gentibus, et tribubus, et po-* » *pulis et linguis* vox personaret unanimis » concentus, quae MAGNUM dicat eum com- » pellari, quod optime fecerit, *optimeque do-* » *cuerit.* — Si ab Ecclesiae Pastoribus ad » alios Praelatos, ad Viros doctos atque il- » lustres, ad Collegia Canonicorum, Facul- » tates theologicas, Academias, aliaque So- » dalitia animum advertamus, quam gravis » et nobilis se sistit turba Suffragantium! » Refertae sunt tabulae Summarii laudibus » amplissimis, quibus ejusmodi perinsignes » Viri et Coetus praenobiles Alphonsi doctri- » nam exornarunt. » — Merito igitur affir- marunt jam superius laudati Theologi Nea- » politani: « *Petitiones Sanctae Sedi exhi-* » *bitae, tot numero tantique fuere momen-* » *ti, ut nunquam fortasse quidquam huic* » *rei simile acciderit.* »

3) Vid. Decretum et Breve Doctoratus, pag. XX. n. 9. 10. — 4) Cfr. Ser. 8. Vol. 3. pag. 285. et seqq.

» Or chi ignora gli elogi, con cui son decorati i Santi Dottori? Essi son » chiamati *colonne e fondamento della verità, occhi del gregge di Cristo,* » *custodi della santa Città di Dio, favi di mele,* cioè vasi di quella sa- » pienza celeste, onde i cristiani si alimentano, a fin di eleggere il bene » e di riprovare il male. La Chiesa medesima, invocando il loro patrocinio, » dà a ciascun di essi il titolo di suo Luminare: *O Doctor optime, Eccle-* » *siae sanctae lumen... Se tu confronti il S. Vescovo cogli antichi e som-* » *mi Dottori della Chiesa, non ti verrà meno al paragone.* Egli è una » Stella lucidissima nel cielo della Chiesa militante, un astro risplendente » fra i massimi luminari che adornano la Chiesa cattolica. Tanto afferma » Gregorio XVI...

» Se esso va di pari cogli antichi Dottori, *avanza però notabilmente* » *tutti gli Scrittori ecclesiastici di questi ultimi secoli;* e ciò per quei » titoli appunto, pei quali egli sembra suscitato da Dio a produrre colle » sue Opere i beneficii medesimi che arrecherà colle sue leggi e coi suoi » canoni il Concilio Vaticano. *Non vi ha niuno,* il quale combatta così for- » temente com'egli la moderna incredulità, o accenda sì vivi affetti di pietà » e di devozione, specialmente verso il Sacramento dell'altare, o celebri » con tante lodi le glorie della Madre di Dio, e quella soprattutto della » sua Immacolata origine, o difenda con pari costanza il primato dei Ro- » mani Pontefici e la infallibilità delle loro definizioni, o *dimostri con tanta* » *pienezza di magistero il sicuro modo di amministrare il Sacramento* » *della Penitenza...* »

III.

De consectariis ex praemissa expositione inferendis.

I. – Certum est, Sedem Apostolicam *minime declarasse,* omnes et singulas S. Alphonsi sententias *absolute veras* esse, atque adeo ab omnibus *necessario amplectendas.* Nec pronuntiavit, omnes quascumque ipsius opiniones *semper remansuras* esse sanas et tutas, ac proin vere probabiles. Nec ullatenus demum intendit, quaestiones inter Theologos legitime controversas *dirimere,* aut opiniones ab opinionibus S. Alphonsi alienas ipsisve contrarias improbare.

II. – At vero pariter certum est, non modo *omnes et singulas* S. Doctoris sententias ab eadem Apostolica Sede *declaratas fuisse omnino sanas, tutas ac evangelicae sanctitati plane conformes;* sed universum ipsius doctrinae complexum judicatum fuisse *prudentissimum, saluberrimum* atque *eminentem.* – Quae solemnes S. Sedis declarationes revera sunt et a cunctis Ecclesiae filiis haberi debent tanquam *vera et positiva judicia de ejusdem doctrinae perfecta puritate, solida probabilitate,* [1] *simulque prae-*

1) Typis S. C. de Prop. Fide nuperrime prodiit Tomus primus novae editionis Compendii P. Gury, egregiis notis illustratae. Porro, pag. 553. doctissimus Adnotator anonymus regulam commendat a S. Alphonso traditam, videlicet, auctores non numerandos esse, sed ponderandos (vid. infra, pag. LIII.), ac dein sequentia notatu digna subdit: « Quibus

cellenti merito. Et quum ista supremae auctoritatis judicia *a nulla inferiori auctoritate* legitime vel impugnari, vel reformari possint, [1] opiniones S. Doctoris procul dubio sanae tutaeque remanebunt, et ab unoquoque, vi hujus judicii, tuta conscientia in praxim deduci poterunt, quamdiu *ipsa Sedes Apostolica* sententiam aliquam sive directe, sive indirecte, non reformaverit.

III. – Quia tamen praefatae approbationes *nullatenus definitivae* seu dogmaticae dici possunt, *cuivis semper liberum erit a doctrina S. Alphonsi recedere,* aliasque amplecti opiniones ab Ecclesia toleratas, solidoque fundamento innixas, quas pro sua prudentia et conscientia sequendas censuerit. – Cuivis insuper plane licet sententias S. Doctoris examinare, ponderare, earumdem argumenta, sive intrinseca, sive extrinseca ad trutinam revocare, *de majori minorive earum probabilitatis valore seu gradu disceptare, imo et illas impugnare:* modo tamen (uti monet Benedictus XIV.) ista impugnatio fiat *cum reverentia, modesta* sit ac *bonis rationibus* innixa. – Igitur, positis praefatis Ecclesiae judiciis, hanc reverentiam, tum ipso S. Doctori, tum maxime Apostolicae Sedi debitam, graviter offenderet, qui pronuntiaret, aliquam S. Alphonsi *doctrinam penitus falsam* esse, vel *omni solido fundamento,* cum intrinseco, tum extrinseco, prorsus destitutam: hoc enim perinde esset, ac judicium S. Sedis implicite reformare, quae eamdem opinionem sanam tutamque declaravit. Majoris autem profecto temeritatis reus esset, qui pronuntiaret, hanc illamve S. Alphonsi sententiam *imprudentem* esse, *singularem, absonam* aut *absurdam:* hoc enim judicium aperte pugnaret cum Sedis Apostolicae judiciis, ex quibus certo constat, non modo nullam repertam fuisse « *doctrinam novam* » *vel peregrinam, atque a communi sensu Ecclesiae et consuetudine alie-* » *nam* », verum etiam S. Doctorem *in regulis a se traditis fuisse heroice prudentem,* omnesque ipsius sententias *tuta conscientia a quovis* teneri posse.

IV. – Diximus: omnes S. Doctoris sententias (a Sede Apostolica directe vel indirecte non reformatas) *a quovis* tuta conscientia teneri posse. Ideo minus recte quis affirmaret, hanc facultatem *pro iis tantum valere, quibus deest aut tempus aut ingenium,* quominus ulterius de veritate seu de majori minorive probabilitate opinionum inquirant; minime vero ista facultate uti posse, qui *judicium subjective certum* sibi formare valent. – Etenim plane arbitraria esset hujusmodi interpretatio Decisionis S. Poenitentiariae, quae inter doctos atque indoctos nullatenus distinguit; quin

» (Doctoribus) postremo loco commemoratis, » addendus a nobis est *Sanctus ipse Magi-* » *ster ac novissimus Ecclesiae Doctor Al-* » *phonsus, cujus sola auctoritas tanta est,* » ut, non tantum privato Theologorum cal- » culo sanae criticae regulis innixo, sed *ipsius* » *S. Sedis judicio* (prout constat ex appro- » batione Operum ejusdem, variis SS. Con- » gregationum Responsis, nec non Decreto, » quo ipse inter Ecclesiae Doctores adscitus » fuit) ad constituendam alicujus opinionis » *probabilitatem* satis sit; *ideo sententiae* » *illae, quas S. Alphonsus de Ligorio ex-* » *presse docuit, tenuit, secutus est, vel sim-* » *pliciter probabiles dixit, tanquam* VERE » PROBABILES *habendae sunt.* »

1) Cfr. Opusc. *Riflessioni sopra la santità e dottrina del B. Alfonso* (auctore insigni Servo Dei Pio Lanteri), Reggio 1825., part. 1. c. 2. in fine, pag. 38.

*

potius decisio illa directe *doctos* respicit, *Professores* nempe, quibus capacitas ulterius inquirendi certe denegari nequit. Praeterea respicit *Confessarios;* qui, etiamsi conceditur non omnes magno ingenio pollere, nec amplam doctrinae copiam sibi comparasse, supponi tamen nequeunt (nisi Episcopos in approbandis Confessariis negligentiae arguere velimus) generatim scientiae moralis plane rudes esse, atque omnino inepti ad opportunas in aliquam quaestionem investigationes instituendas. Quidquid sit, certum est in praefato Responso agi *de omnibus Confessariis indiscriminatim* sumptis, sive docti sint sive indocti, adeo ut *nullus inquietandus* sit Confessarius, « qui OMNES *B. Alphonsi de Ligorio sequitur opiniones in praxi* » *sacri Poenitentiae tribunalis* », non quidem praecise quia sunt opiniones S. Alphonsi; sed, quia Sedis Apostolicae judicio innixus, Confessarius merito « *existimat se tuto agere eo ipso, quod doctrinam, quae nihil cen-* » *sura dignum continet, prudenter judicare queat sanam esse, tutam,* » *nec ullatenus sanctitati evangelicae contrariam.* »

V. - At vero, gravis objicitur difficultas, videlicet, hanc agendi rationem Confessarii esse *valde periculosam,* et idcirco probari non posse. Hanc objectionem Scriptor quidam anonymus in *Cursu completo Theologiae* [1] protulit; quam proinde ipsius verbis referre juvat: « Circa illam (S. Poeni- » tentiariae decisionem) observa, non dici, illum Confessarium esse *appro-* » *bandum,* sed simpliciter *non esse inquietandum.* An probari debeat hu- » jusmodi ratio agendi, merito ambigitur: hoc quidem licet iis quibus deest » tempus vel facultas examinandi quaestiones; hi procul dubio possunt tuta » conscientia sequi *quemlibet* ex auctoribus in Ecclesia probatis, quoties » non animadvertunt rationem gravem suspicandi errorem in puncto par- » ticulari de quo agitur; sed generatim loquendo, *ille modus nobis videtur* » *valde periculosus, et parum conformis doctrinae ipsiusmet B. Ligorii;* » eum quidem non probaret B. Liguori, qui in suo Systemate morali hoc » pronuntiat: « *Confessarius, antequam aliquam opinionem amplexetur,* » *tenetur utique rationes intrinsecas perpendere: et cum ei occurrit ra-* » *tio aliqua convincens pro tutiori opinione, cui adaequatam responsio-* » *nem suppetere non aspicit, tunc oppositam minus tutam non potest* » *amplecti, quamvis plurimorum doctorum auctoritas ipsi faveat:* NISI AU- » CTORITAS SIT TANTI PONDERIS, *ut ei videatur magis quam rationi ap-* » *parenti deferendum... Sed iste casus rarus valde erit.* » - Confessarius » ergo, de quo agitur in quaestione proposita, non probaretur ipsi B. Li- » gorio; aliunde sequitur in praxi methodum valde periculosam: nam *sic* » *agendo negligit studium Theologiae,* quod necessarium est Sacerdotibus » officium docendi exercentibus; et, eo neglectu examinandi principia, *se* » *exponit gravi periculo errandi,* tum male interpretando decisiones au- » ctoris, tum eas applicando casibus quos non spectant, tum non attendendo » ad illam collationem principiorum, qua saepe indigemus ad determinan- » dum quid, pro variis circumstantiis quae occurrunt, sit agendum. »

1) Cfr. Migne, cit. op. Tom. XI. Append. de Probabilismo, col. 1507. n. 18.

1. In praemisso autem textu, tria notanda et corrigenda veniunt. 1°. Advertit Scriptor anonymus, « non dici, illum Confessarium esse approban» dum, sed simpliciter non esse inquietandum. » At vero, tum ex Decretis superius expositis, tum ex ipsius S. Alphonsi interpretatione, pro certo tenendum est, voce « *non esse inquietandum* » minime significari *meram tolerantiam;* sed ipsam intelligendam esse tanquam *positivam permissionem.* [1] - 2°. Utique S. Alphonsus docet, quemlibet « teneri rationes intrin» secas perpendere ..., *nisi auctoritas sit tanti ponderis*, ut ei videatur » magis quam rationi apparenti deferendum »; et merito quidem addit: « sed iste casus rarus valde erit. » Quis autem negabit, hunc casum hodie revera contingere *respectu ipsius S. Alphonsi doctrinae?* Siquidem ejus sententias non amplectimur, hac sola ducti ratione quod *suae* sint (etsi insignis Magistri); sed ideo praecipue, quia *ex suprema Sedis Apostolicae auctoritate et judicio, omnimodam certitudinem habemus,* universas et singulas S. Doctoris opiniones, ab ipsa S. Sede, vel ex praxi Ecclesiae nondum reformatas, *omnino sanas et tutas* existere. - 3°. Hinc sua corruit mole objectio, qua dicitur, *periculosam* esse agendi rationem Confessarii, plena fiducia opiniones S. Doctoris [2] sequentis, quin earumdem momenta rationesve perpendat.

2. Quam falsam assertionem egregie diluit probatissimus auctor *Petrus Scavini,* [3] dicens: « *Miramur,* quod Editores Parisienses *Curs. compl. Theol.* » *t. XI.* (edit. Migne) asserere non dubitaverint, quod Confessarius, qui in » praxi tenet responsionem datam a S. Poenitentiaria, et a Pontifice pro» batam, quoad S. Alphonsi auctoritatem, « *sequitur in praxi methodum* » *valde periculosam:* nam sic agendo, *negligit studium theologiae*, et se » exponit gravi periculo errandi. » - *Absit omnino quod tantum nefas* » *vel cogitemus.* Quid enim id sibi vult? nisi *quod Sancta Sedes adpro*» *baverit methodum periculosam, perniciosam,* et in periculo errandi po» suerit Confessarium, cum tanta animarum pernicie? *Hoc jansenistam* » *sapit.* Praeterquam quod falsum omnino, quod ita negligatur studium » Theologiae. Qui opinionibus S. Alphonsi studet, nonne *toti Theologiae* » *studet,* quippe qui de omnibus quaestionibus disserit? Nonne studet opi» nionibus ac sententiis *diligenter perpensis,* ad trutinam pluries revocatis, » examinatis, discussis, ponderatis, *et a celebrioribus Theologis ex omni* » *undequaque regione probatis?* »

VI. - Sed dato etiam (inquiet aliquis), quod praefata agendi ratio non sit quoad praxim periculosa, nonne *saltem imprudenter propriam suam rationem negligit iste Confessarius,* qui, absque ullo argumentorum examine, omnibus S. Doctoris sententiis adhaeret? - Huic difficultati jam praeivit cl. D. *De Wit*, [4] scitissime adverteus: « *Non negligit suam, sed* » *reveretur alienam, et hanc omni reverentia dignam,* utpote Viri inge-

1) Vid. supra, pag. XXX. not. 2. — 2) In tertia Appendice hujus Operis, quasdam regulas trademus, quarum ope discipulus S. Alphonsi *veros* ipsius opiniones facilius dignoscere poterit. — 3) Cfr. Theol. mor. edit. 10. Mediol. 1865., Tom. I. num. 163. pag. 128. — 4) Vid. cit. opusc. De studio et usu Theol. mor. S. A. pag. 105.

» nii acutissimi, scientia acquisita eruditissimi, experientia locupletissimi, » sanctitate spectatissimi. Non negligit suam rationem; sed non tantum ei » tribuit, ut, in dirigendis aliis, suam hujus Viri rationi praeferat. Nempe » humiliter de se sentiens, optime intelligit, poenitentibus hoc juris esse, » ut, quum plerumque non rationum momentis, sed auctoritatis eloquio » duci se sincre debeant, *confessario suo S. Alphonsum praeferant.* - Ne- » que tamen ita reveretur S. Auctorem, *ut eum infallibilem judicet;* non » ita ut, si quando constaret, ipsum in re quapiam errasse, nolit errorem » deserere; sed paratus veritatem certo notificatam amplecti, *putat non » esse suum, in doctrinam Viri, quem inter Sanctos retulit Ecclesia, in- » quirere,* ac si illa, nisi ipse eam antea judicasset, non posset dirigendis » animabus prudenter adaptari. - De caetero, *S. Poenitentiaria,* prohibens » inquietari hunc Confessarium, non declaravit, nihil a quoquam fieri posse, » quod melius sit, sed *ostendit id ab eo fieri, quod bonum sit, quod re- » probari non possit. Utinam multi Confessariorum idem facerent!* »

VII. - Si quis autem *ex propria scientia et investigatione* persuasum habeat, opinionem suam opinione S. Alphonsi *probabiliorem* aut *tutiorem* esse, quid sibi agendum erit?

1. Hoc in casu, profecto valet tritum adagium: quisque sensu suo abundet. Huic itaque opinioni, si lubeat, insistat; caveat tantum ne fucum sibi faciat, maxime cum suo dumtaxat judicio innitatur. - Altera vero ex parte, *nihil prorsus obstat, quominus tuto S. Doctoris sententiam sequatur.* Imo, generatim loquendo, *securius agit,* qui suo sensui Alphonsi sententiam anteponat: tum quia hujus auctoritas, in re morali, a nulla alia auctoritate privata superatur; tum quia, si ipse S. Doctor, prudentia heroica atque eminenti scientia praeditus, errare potuit, multo magis alius quispiam errare potest, in ferendo judicio de majori minorive opinionum probabilitate.

2. Apprime huc faciunt, quae ipse *S. Alphonsus* [1] tradit de Angelico loquens: « *Et revera* (inquit), *si ego minus doctus sententiam sequerer » D. Thomae, contra rationem quae mihi probabilior videretur; quis ne- » get, quod prudentius agerem, si, mea opinione suspensa, tantae aucto- » ritati deferrem?* Nam docet ipse *S. Thomas* 2. 2. q. 4. art. 8. ad 2.: Ali- » quis parvae scientiae magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scien- » tifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur. » - Haec procul dubio ipsi S. Doctori nostro plane convenire dicenda sunt. Quisquis enim, suo tantum fretus judicio, sententiae cuipiam adhaeret, aliud fundamentum non habet, nisi *mere subjectivum,* atque adeo nunquam non *fallibile,* quinimo innumeris dubiis et hallucinationibus obnoxium. Contra, qui sententiam S. Alphonsi (ab Ecclesia non reformatam) profitetur, *omnimoda gaudet securitate,* hanc suam opinionem sanam esse ac tutam; siquidem ipse non modo nititur auctoritate insignis Sancti et Doctoris (quod

1) *Dissertatio scholastico-moralis,* Neapoli 1755. cap. 4. n. 114.

sane jam summi est momenti), sed insuper, ex ipsius Ecclesiae judicio certus est, se in hac sententia amplectenda nullatenus inquietari posse.

3. Hinc recte omnino affirmat *Scavini:* [1] « Si opinio S. Alphonsi non » tibi videatur quidem probabilis, sed nec certo judicas improbabilem et » falsam; tunc eam habere potes *uti vere probabilem ex judicio reflexo,* » scilicet, innixus auctoritate tanti Doctoris, conscientiam efformare potes, » et doctrinam ejus in praxim deducere; *potes enim facile judicare, exi-* » *mium hunc Doctorem multo melius te ipso rei rationes perscrutari no-* » *visse.* » - Dein, laudatus Auctor praeclara haec verba *Card. Gousset* subnectit: « *Mais, dites-vous, comment peut-il se croire en sûreté de conscience,* » *en adoptant sans examen une opinion controversée, qui est peut-être* » *la moins sûre et la moins probable?* R. Il se croit en sûreté de con- » science, parce qu'il croit pouvoir juger prudemment qu'une doctrine, qui » est exempte de toute censure, est *saine en tout...* Il se croit en sûreté » de conscience, parce que la *Pénitencerie,* l'organe du S. Siége pour ce » qui a rapport à la direction des consciences, a décidé qu'on ne doit point » l'inquiéter, *non inquietandus.* Il se croit en sûreté de conscience, parce » qu'il ne pense pas que l'opinion qui lui paraît plus probable, d'après » l'examen, soit réellement plus probable que celle qu'il adopte de confi- » ance, sur l'autorité de S. Liguori. »

VIII. - Ex modo dictis manifestum est, quemvis sequi *posse* sententiam, S. Doctoris, *etiamsi videat complures Auctores, licet magni nominis, ex adverso stare.* Quod ut clarius appareat,

1. Ipsum S. Doctorem audiamus, veluti causam suam agentem. Sic enim scribit: [2] « Dicunt Azorius, Castropalaus, Vasquez, Sanchez, Torres, Regi- » naldus, et Tapia cum Navarro, Sylvestro, etc. ex D. Thoma Quodlib. 3. » art. 10., quod *aliquando, licet raro, auctoritas unius Doctoris poterit* » *constituere opinionem probabilem, et adhuc probabiliorem contra com-* » *munem aliorum:* si Auctor ille sit *valde doctus, probus* et *prudens, nec* » *novitatum amans, et utriusque partes sedulo librarit, validamque ra-* » *tionem adducat...* Si Auctor sit *omni exceptione major,* et rationem af- » ferat quam alii non considerarint, aut satis non solverint, et e contra- » rio ipse commode solvat rationes oppositas: tunc dicunt, posse censeri » probabilem illam sententiam, licet sit contra communem. Et idem docuit » S. Augustinus... Addunt insuper Viva, Croix, et Roncaglia cum S. An- » tonino, quod *si aliquis magnus Theologus testetur, aliquam opinionem* » *esse probabilem, jam reddit nos moraliter certos de illius probabilitate.*»

2. Porro quis negabit, prae aliis Scriptoribus moralibus non Sanctis, potiori jure isthaec *de Alphonso* praedicanda esse, ex duplici nempe titulo *insignis Sanctitatis*, et *eminentis Doctrinae?* - At dices fortasse: Sanctitas non arguit doctrinae veritatem; quia et Sanctus potest errare. « Ita sit (scite respondet *Scavini* [3]); attamen *nemo negaverit*, SANCTITA-

1) Cit. Tom. I. Theol. mor. n. 164.— 2) In allegata Dissert. de anno 1755., n. 117. — 3) Cfr. cit. edit. Theol. mor., Tom. I. n. 117. pag. 92. not. 2.

» TEM *alicujus Scriptoris jam esse non leve argumentum veritatis suae » doctrinae, potissimum cum agitur de christiana ethica.* In Sanctis enim » minimum possunt concitati atque inordinati animi affectus, in quibus » maximus reperitur istiusmodi errorum fons. Deinde, non parvum argu- » mento pondus accedit *ex considerata indole seu charactere ejus San- » ctitatis, quae in S. Alphonso refulsit:* nam perspicuum fit ex historia » ejusdem vitae et ex scriptis suis, sanctum hunc Virum seipsum sancti- » ficasse potissimum in promovenda per apostolicum ministerium proximi » salute, et in aliis efformandis ministris, qui huic eidem operi vacarent: » *haec fuit divina S. Alphonsi vocatio.* (Verba sunt sapientissima epi- » scopi Derthonensis, Epistola ad Clerum 13. dec. 1846.) ». Et cl. D. *De Wit*[1] perbelle subjungit: « *Vides, ut totum Opus spiritus sanctitatis intus alat » permeetque, et quantam mereantur fiduciam, quae Vir Dei sentiat, » doceat, affirmet, utpote qui, cum summa laboris industria perpetuum » orationis ac virtutum heroicarum exercitium conjungens, coelesti etiam » lumine fuerit perfusus.* » – Ad DOCTRINAE vero praestantiam quod attinet, quisque sane libenter subscribet verbis egregiis modo laudati Scriptoris, dum affirmat,[2] Alphonsum « *majorem esse omni exceptione*, sive » temeritatis in adoptatis Systematis moralis principiis, sive levitatis in » argumentando, sive imprudentiae in eligendis opinionibus, sive negli- » gentiae in penetrandis ponderandisque oppositarum sententiarum ratio- » num momentis » ; maxime si perpendatur (ceu advertit praeclarus Vir *Neyraguet* jam supra pag. XI. adductus), Alphonsum non modo omnium qui de re morali plenius scripserunt, *recentissimum* esse, sed etiam ab ipso opiniones omnium Doctorum, quibus nomen aliquod in Theologia est, proferri in medium, atque ad trutinam revocari.[3] Adde, quod inter ceteros disciplinae moralis Scriptores, solus Alphonsus *Doctoris* aureola insignitus refulget.

3. Praeterea, quantacumque *aliis Scriptoribus non Sanctis* suffragetur auctoritas (quam profecto ne minime quidem minuere ipsis intendimus), eadem semper dicenda est *mere privata*, atque adeo, *in re morali, auctoritati S. Doctoris inferior.* – Hujus quippe integra doctrina, vi supremi Ecclesiae judicii, *authenticum* prae se fert *titulum perfectae puritatis atque omnimodae securitatis:* qui quidem titulus, in aliis Scriptoribus non Sanctis, deficit. Cum itaque certi simus, in amplectendis S. Alphonsi sententiis, nullum prorsus periculum subesse, ne a tuta via deflectamus; contra vero, omnimoda haec certitudo de aliorum opinionibus non habeatur; annon merito infertur, *praeferendas esse S. Doctoris sententias?* Si autem praeferendae, nonne eo ipso, prae aliorum Scriptorum sententiis, *probabiliores* ac *tutiores* censendae sunt?[4] – Apprime huc faciunt, quae scripsit cl. D. *Grassi* in Praefatione Theologiae moralis, ad preces Card. Corsi,

1) De studio et usu Theol. mor. S. A., pag. 11. — 2) Ibid. pag. 9.

3) Auctores a S. Alphonso in Theologia morali allegati, circiter 800 numerantur; ita ut vix ullus alicujus nominis supersit, qui ab eo adductus non fuerit. Ex quo patet, S. Doctorem in semetipso complecti integram disciplinae moralis traditionem (cfr. infra, pag. LVI. nota. 2.).

4) Vid. supra. pag. XXXI. n. 2.

tunc temporis Episcopi Aesinatis, evulgatae.[1] Ait enim : « *Prudenti ac* » *provido Antistitis consilio, maxime conveniens visa est Theologia Mo-* » *ralis S. Alphonsi, in qua per certa principia, rigidioribus Auctorum* » *sententiis imposito modo, sublataque opinandi licentia, veritatem in-* » *quirenti obviam ultro prodit* VERIOR SENTENTIA, *magis quam Theolo-* » *gorum numero, potioribus suffulta rationibus:* quod sane judicium con- » firmatur tum decreto S. C. Rituum, definientis, in doctrina S. Alphonsi « *Nihil censura dignum repertum* », tum repetitis *S. Poenitentiariae* Re- » sponsis, eamdem inoffenso pede, tutaque conscientia posse decurri. »

4. Exinde tamen non sequitur, *aliorum opiniones omnem probabilitatem amittere, aut Alphonsi sententias certas evasisse.* Istae quidem semper remanent *disceptabiles;* sed quamdiu alius Scriptor eosdem, quos S. Alphonsus, titulos non exhibuerit, semper verum erit, *privatae S. Doctoris auctoritati accessisse auctoritatem ipsius Ecclesiae,* quam nulla unquam inferior auctoritas, quantilibet sit ponderis, saltem quoad universum doctrinae complexum adaequare poterit. – Quod autem revera sic res se habeat, luculenter patet ex recentiori *S. Poenitentiariae* responso de anno 1855., quo constat, ne solemne quidem *juramentum* a Professore praestitum tuendi Probabiliorismum, sententiasque Probabilioristarum docendi, ullatenus obstare posse, quominus ipse omnes et singulas S. Doctoris sententias amplecti publiceque tradere valeat.

5. Adde demum, *S. Alphonsi opiniones generatim hodie dicendas esse communes;* ceu constat tum ex amplissima *Apostolicae Sedis* approbatione et commendatione, tum ex pluribus *SS. Congregationum* responsis, quibus oratores passim ad Alphonsi doctrinas delegantur; tum ex universali suffragio *Episcoporum* totius fere orbis, *Scholarum* quoque et *Facultatum theologicarum;*[2] tum ex mira Operum moralium S. Doctoris *diffusione,*

1) Universa Theol. mor. juxta doctrinam S. Alph., Aesii 1852.

2) Quanta sit apud Theologos et Confessarios Europae, auctoritas S. Alphonsi, nemo est qui ignoret. Sed illud fortasse multos latet, ejusdem S. Doctoris Opera, praesertim moralia, *apud remotissimas quasque gentes* cujusvis coeli et linguae mirum in modum pervulgata fuisse, et maxima fama atque existimatione gaudere. — Hujus rei multa testimonia, eaque authentica, in *Actis Doctoratus* (Append. IV. §. 2. pag. 533. seqq.) adducuntur, e quibus operae pretium erit aliqua recensere. Ut itaque a *Graecia* incipiamus, testatus est Archiep. Corcyren., « *Sacerdotes* » *in Insulis maris Jonii Theologiam mo-* » *ralem S. Alphonsi, ut sanam ac tutam* » *regulam, in sacro ministerio sequi.* » — Graecorum vocibus concinunt ex Africa *Aegyptii*, quorum Vicarius Apostolicus similiter declaravit, « *Opera S. Alphonsi theolo-* » *gica magno in usu et existimatione esse* » *apud omnes Sacerdotes, et pias Congre-* » *gationes in Aegypto existentes.* » — Nec minori studio fertur clerus Asiaticus, ceu comprobant, pro regionibus *Mesopotamiae*, *Chaldaeae* et *Syriae*, litterae ab Archiepiscopo Cyprensi datae. De *Syris* praeterea asserit Patriarcha Antiochenus, « *se curam habere,* » *ut sententias et doctrinas, quas S. Epi-* » *scopus in Theologia morali docet et tue-* » *tur, Sacerdotes sui seguantur.* » Similia de *Armenis* et *Ciliciis* asseverat eorum Patriarcha. — Imo Vicarii Apostolici *Sinarum* et regionis *Malabaricae* testantur, etiam in hisce longinquis plagis, doctrinam moralem S. Doctoris summa existimatione atque auctoritate pollere.

Hisce veteris Orbis declarationibus, consonant omnino Novi Orbis testimonia, a variis prolata Praesulibus utriusque Americae, scil. *Statuum Unitorum*, *Mexicanae* regionis, *Americae centralis*, *Boliviae* et Imperii *Brasiliani*. Sufficiat tamen referre quae scripserunt Archiep. Mexican., et Episcopi in unum collecti Brasiliae. Prior itaque haec declaravit : « *Infrascriptus testatur, Theolo-* » *giam moralem S. Alphonsi a S. Sede tu-* » *tam et sanam recognitam, ab Episcopis* » *et Sacerdotibus Mexicanae nationis, ad*

tum denique ex plurimis ipsius doctrinae *Commentariis* et *Compendiis* hodiedum evulgatis.[1] – Qua de re, subnectere juvat egregia verba insignium *Theologorum Bononiensium,*[2] qui in Causa Doctoratus graviter haec testantur: « *Maximi loco beneficii habendum, Alphonsi sententias* » *ita ubique gentium invaluisse, ut Sacrorum Antistitum nemo non* » *foveat, ministrorum Ecclesiae nemo non evolvat, sedentium pro tri-* » *bunali nemo non amplectatur.* Idque re ipsa ab adversariis quoque com- » pertum et comprobatum: nam extremarum partium duces modo, qui sequi » velint, omnino non habent; quandoquidem *doctissimi hujus temporis omnes* » *in eo toti videntur esse, ut Alphonsi libros interpretentur, commen-* » *tariis illustrent... Hodie Alphonsi praecepta* non apud Italos tantum et » Gallos, et Belgas, et Germanos obtinent, sed *in Europa universa, imo* » *quam ipsa late patet Ecclesia Catholica: adeo ut, si quis forte aliam* » *ac Alphonsi rationem in docendo experiri velit, in dedecus procul dubio* » *incurrat necesse sit, quod plerumque temeraria adgressos consequitur.* »

IX. – Ast, objiciet forte aliquis, si opiniones S. Alphonsi sunt adhuc *disceptabiles*, nonne inde sequitur, *ipsas demonstrari posse falsas aut improbabiles?* Si vero falsae vel improbabiles demonstrentur, annon *uti tales habendae sunt?* – Ad hanc objectionem, quae falsa cum veris permiscet, sic respondendum censemus.

1. Utique S. Doctoris opiniones sunt et remanent disceptabiles, quia Ecclesia *de earum intrinseca veritate* non pronuntiavit; proinde impossibile non est, ut earum aliquae falsae aut improbabiles forsan demonstrentur: siquidem ad probabilitatis rationem pertinet, ut subesse possit falsitas. – Imo concedimus, errorem in *factis* asserendis aut omittendis aliquoties in amplissimo Opere revera irrepsisse. Hoc evenire potuit, v. gr. respectu *Decisionum pontificiarum*, vel quia S. Alphonsus unam alteramve earum non cognovit, vel de ipsarum authenticitate dubitavit: eo quod tunc temporis non sufficienter publicatae, aut ab uno tantum alterove Auctore relatae fuerint.[3] Caeterum probe notandum est, inter plura millia

» *honorem Dei et salutem animarum obti-* » *nendam, diligenter in praxim deduci.*» — Alteri vero haec testati sunt: « *Pro sua erga* » *S. Alphonsum M. de Ligorio veneratione* » *et devotione, subscripti declarant, ejus* » *Opera in Brasilia utiliter et suaviter* » *legi; Theologiam vero moralem, Sacer-* » *dotes in sacro ministerio exercendo, cum* » *summa Christifidelium utilitate, in pra-* » *xim deducere.* » — Demum incolae *Australiae*, licet telluris toto ab Orbe divulsae, affirmant, celebrata esse apud eos Opera moralia S. Doctoris. Id concordi voce fatentur varii illarum regionum Vicarii Apostolici.

Quae cum ita sint, jure merito exclamare potuit Defensor Causae in Actis Doctoratus: « *Nulla tellus est tam dissita, et ab hoc* » *centro Catholicae veritatis remota, quae* » *Alphonsi nomine et laboribus plena non* » *sit!* »

1) Inter praecipuos Auctores, qui doctrinam moralem S. Alphonsi aut interpretati sunt, aut in compendium redegere, quosque honoris et gratitudinis causa nominamus, recensentur ex *Italis:* Galani, Panzuti, Scavini, Grassi, Frassinetti, etc.; ex *Gallis*, Card. Gousset (prae ceteris de S. Doctore bene meritus), Neyraguet, Gury, Berman, Bouvier, Schmitt, Martinet, Gaume, Albrand, etc.; ex *Germanis*, Rmus D. Martin, Benger, Müller, etc.; ex *Hispanis*, Claret, Sala, Miguel, Mach, etc.; inter *Belgas* et *Helvetios*, Marianus a Novana, Moullet, etc.; Kenrik, in *America*, etc.

2) Acta Doctoratus, Litt. suppl. pag. 123.

3) Quandonam S. Alphonsi discipulus sententias Magistri deserere debeat, quin ab ipsius mente aut principiis recedat, inferius dicemus in tertia Appendice, *s.* 2. in fine.

quaestionum, quas complectitur Theologia moralis S. Doctoris, nonnisi *perpauca* hujusmodi menda occurrere.

2. At vero, ex eo quod nonnulli *errores facti* in S. Alphonso reperiri ac demonstrari possint, numquid legitime quis inferat, similes praesumendos esse errores *in ipsis principiis vel rationibus theologicis, seu in ipsis doctrinis?* – Minime sane: nam toto coelo distat *doctrina moralis* ab *assertione cujusdam facti*. In rebus positivis, cujusmodi sunt facta, quis unquam omnia scire potuit? quis unquam in istis infallibilitatis dotem sibi vindicavit, quum ne infallibile quidem Ecclesiae magisterium (si parva licet componere magnis) ad res hujusmodi, ni facta dogmatica excipias, sese extendat?

3. Sed ponamus interim, in Theologia morali S. Doctoris revera existere posse quasdam sententias falsas aut improbabiles: *quis vero earumdem falsitatem demonstrabit?* – Quocirca recolenda denuo et probe notanda sunt, quaenam, tum ipsius S. Alphonsi, tum aliorum gravium doctorum judicio,[1] requirantur, ut *auctoritas unius doctoris* opinionem probabilem aut probabiliorem contra communem constituere valeat; videlicet, ut non solum sit auctor « *valde doctus, probus et prudens, nec novitatum amans, et* » *utriusque partes sedulo librarit, validamque rationem adducat* »; sed ut sit « *omni exceptione major, et rationem afferat, quam alii non con-* » *siderarint, aut satis non solverint, et e contra ipse commode solvat* » *rationes oppositas.* » – Porro (ut ex supra dictis manifestum est), omnes *S. Doctoris* opiniones non reformatae hodie merito dicendae sunt *communes;* aut saltem eamdem, quam opiniones communes, vim habent, quatenus scilicet sanae et tutae ab ipsa Ecclesia declaratae sunt. Ergo solus Auctor valde doctus, probus, nec novitatum amans; solus Doctor *omni exceptione major,* si rationem afferat, quam S. Alphonsus vel ab ipso allegati Auctores non considerarunt, aut satis non solverunt, et si rationes oppositas ipse commode solvat: *iste solus,* inquam, *contra S. Alphonsum, Ecclesiae Doctorem, constituere poterit opinionem,* non quidem certam, sed solummodo *probabilem aut probabiliorem.* – Insuper sedulo notandum est, quod idem S. Doctor[2] tradit cum Sanchezio, Palao, Vasquez, Sayro, Pasqualigo, Bossio, etc., nempe, « quod *si appareat in contrarium ratio insolubilis,* » *non illico fit, ut opinio opposita deseri debeat, vel damnari ut impro-* » *babilis,* si judicetur ratio illa satis solvi posse ab aliis DD. gravibus, » antiquis et modernis, eam sententiam docentibus. »

4. Quae cum ita sint et nemini non probentur, *P. Gury*[3] scitissime advertit: « De intrinseca probabilitate juris, communiter possunt judicare » *soli doctissimi, et in re morali versatissimi:* cum soli possint scire, » nihil certe ipsis opponi. » Itaque, ex eo quod aliquis opinionem quampiam falsam aut improbabilem *demonstrasse judicaverit,* immerito prorsus concluderet, *illam revera esse falsam, et pro falsa ab omnibus habendam.*

1) Vid. supra, pag. XXXIX. n. VIII. — 2) Cfr. cit. Dissert. cap. 4. num. 118. — 3) Vid. infra, pag. 27. n. 2.

Legitima esset talis conclusio, si ratio cujusvis ratiocinantis infallibilis esset. At, quis ignorat, quot in errores lapsi sint Scriptores, etiam morales, quamvis caeteroquin haud communi ingenio et doctrina praediti? Annon passim videmus, sententias ab uno Auctore *veluti certas* definiri, quae ab alio *ne probabiles quidem* reputantur?

5. Posito tamen, quod sententia aliqua S. Doctoris falsa cuipiam Professori vel Confessario existimetur, quid tum consequitur? - Neuter quidem, stante hac certitudine subjectiva, opinionem S. Alphonsi sequi poterit, quia contra propriam conscientiam ageret. - At vero judicium istud *privatum* (nisi agatur de facto evidenti, aut de re omnibus plane obvia) profecto efficere nequit, ut sententia S. Doctoris non sit amplius *communis* ac *vere probabilis;* nec ullius est valoris ad plenam securitatem auferendam, quam S. Alphonsi sequacibus ipsa Ecclesia spopondit. Itaque, non obstante judicio illo privato, *possidet, ac firmum et inconcussum persistit Apostolicae Sedis judicium,* quo omnes et singulae S. Doctoris opiniones sanae tutaeque pronuntiatae sunt: idque judicium a nulla inferiori auctoritate, sed *ex alia tantum Sedis Apostolicae decisione, aut praxi Ecclesiae* immutari poterit.

6. Hinc, quamvis *Professori* integrum sit, *alias* sententias tueri ac publice tradere, facultas tamen ipsi non competit, suas opiniones sententiis S. Doctoris proprio marte substituere; et multo minus ei licebit, ea quae ipse opinatur ita tradere, quasi *vim obligandi* haberent, aut doctrinas S. Alphonsi, quas ipse Professor falsas aut improbabiles judicat, ceu omnino *rejiciendas* exhibere: hujusmodi enim agendi ratio gravi erga S. Sedem irreverentia ac temeritate vix carere posset. - Similiter, quamvis omnino liberum sit *Confessario,* alias profiteri sententias, ipsi tamen non licebit privatam suam opinionem *imponere* poenitenti, qui opinionibus S. Alphonsi innixus, et alioqui dispositus, absolutionem petit. Cum enim quilibet jus certum habeat, ut in sententiis S. Doctoris, ab Ecclesia summopere probati, tuto quiescat, quin legitime possit a quoquam deturbari: Confessarius jus istud poenitentis laederet, si opiniones suas privatas (etiam quae sibi certae apparerent) eidem veluti leges imponeret, ipsumque obligare vellet ad deserendas S. Alphonsi opiniones, ab Ecclesia quidem non reformatas.

X. - Concedimus libenter (instabunt aliqui), vix demonstrari posse, falsas aut improbabiles esse S. Alphonsi doctrinas morales, *rationibus theologicis* innixas. Sed 1°. constat saltem, antiquatas et proinde rejiciendas esse nonnullas opiniones, utpote rationibus fretas, *ex aliis scientiis* desumptis: quae rationes hodiedum a peritis falsae reputantur. 2°. Certum et exploratum est, multas in ejusdem Theologia morali occurrere *falsas Auctorum allegationes.* - Ergo saltem negari non potest, *hujusmodi opiniones,* in quibus aut ratio scientifica deficit, aut auctoritas perperam allegatur, *falsas* esse dicendas. - Sed facilis ad utramque difficultatem responsio est.

1. Si agatur de aliquibus S. Alphonsi sententiis, ad quarum solutionem ipse *rationes* usurpat *ex scientiis* (ut ajunt) *physicis, naturalibus,* aliisve

hujusmodi depromptas; quum istae scientiae *hominum observationi* atque *experientiae* maxime innitantur, adeoque suapte natura continui progressus sint capaces: manifestum est, earumdem solutionem immutari posse, ac proinde superstructas hisce resolutionibus sententias seu praxes, mutationi pariter esse obnoxias. - Hujus generis sunt illae *perpaucae* S. Doctoris conclusiones, in quibus v. g. dicit: Sic mihi asseruerunt *medici*, aut alii *in rebus physicis periti*, quos consului. [1] - Attamen cavendum est, ne scientificis modernorum assertionibus aut theoriis statim fides adhibeatur, etiamsi certae et evidentes non paucis appareant. Non raro enim contingit, ut quae theoriae a quibusdam peritis veluti certae atque inconcussae traduntur, ab aliis, non minus doctis et expertis, ne verisimiles quidem judicentur. In his igitur quaestionibus, prudentia suadet theologo, ut non uni alterive tantum scriptori fidem habeat, sed *communem et constantem peritorum sensum* interroget, quinimo (si res alicujus est momenti) *Ecclesiae judicium* expectet, aut ipsius saltem *praxi*, quae tacita censetur approbatio, sese conformet. [2]

2. Ad *falsas Auctorum allegationes* quod spectat, primum respondemus, minime certum et exploratum esse, multa ejusmodi exempla in Theologia morali S. Doctoris occurrere; quin potius (si *perpaucos* et *nullius momenti* casus excipias) ex quaestionibus infra discussis, *maximam ipsius diligentiam*, et *summam* in afferendis Auctoribus *ingenii perspicuitatem* demirari licebit. - Quo posito, ut objectae difficultati satisfiat, sedulo distinguendum est, et videndum, an S. Alphonsus opinionem alicujus auctoris *simpliciter referat*, vel *proprium* addat *judicium*, utendo v. g. his verbis: Merito, recte, sapienter dicit talis auctor.... In *priori* casu, illa opinio, *proprie loquendo, non est S. Doctoris*, et idcirco nihil obstat, quominus sententia opposita potius eligatur. In *Monito* namque Theologiae morali praefixo, ipsemet advertit: « *Caeterum, benigne lector, te admonitum* » *volo, ne existimes me opiniones illas approbare, ex eo quod non re-* » *probem; eas enim quandoque fideliter exponam cum suis rationibus et* » *patronis, ut alii pro sua prudentia, cujus ponderis sint, adjudicent.* » - In *posteriori* casu, *etiamsi falsa sit auctoris allegatio*, praefata sententia *omnem suam vim retinet*, quia eidem accedit *pondus et auctoritas ipsius S. Doctoris*, cujus suffragium *rationes intrinsecas* ab ipso perpensas semper supponit. - Inter omnes alioquin, etiam maximi nominis Scriptores morales, unus est *D. Thomas*, cujus auctoritate generatim moveri videtur Alphonsus ad amplectendam aliquam sententiam, quamvis de ejusdem ratione intrinseca plane sibi persuasum non sit. Tandem sermo esse nequit de falsa Angelici allegatione: siquidem S. Doctor noster in Praefatione expresse testatur: « *Praesertim sedulam operam navavi in adnotandis* » *doctrinis D. Thomae, quas in suis fontibus observare curavi.* [3] »

1) Cfr. Lib. 3. n. 478.; Lib. 6. n. 209. 225. 910. 926. in fine, etc. — 2) Vid. hac de re, *Martinet*, qui (Theol. mor. Tom. 4. lib. 5. art. 10. pag. 37.) egregie probat, falsas aut saltem temerarias esse nonnullas hujusmodi conclusiones, a moderno quodam auctore contra S. Alphonsi aliorumque Thh. doctrinam illatas. — 3) Cfr. inferius, pag. 191. q. 2.; pag. 822. q. 8.; pag. 832. num. 3.; pag. 880. nota; etc.

XI. - Aliam denique speciosam, quae moveri posset, difficultatem paucis attingere juvat, videlicet: *Si doctrinae S. Alphonsi omnes adhaererent, nonne eo ipso actum esset de scientiae moralis progressu?* - Absit a nobis, ut huic progressui vel minime adversemur: legitima enim progressio, et disciplinae moralis evolutio non solum plane licita est, quemadmodum et in alia quacumque scientia, sed etiam summopere nobis exoptanda videtur. Diximus tamen: *legitimam* progressionem: tum quia, teste experientia et *longa damnatarum Propositionum serie*, non pauci Scriptores morales, variis temporibus *regressum* potius quam progressum induxerunt; tum quia nostra potissimum aetate, ubi complures inconsulte de *progressu* clamitant, non leve subest periculum a recta via declinandi. - Quo posito, et ad pericula sive laxitatis sive rigoris effugienda, et ad legitimum simul ac verum progressum festinandum, nihil aptius, nihil efficacius nobis videtur, quam ut sacrae Theologiae Professores et Confessarii *doctrinae S. Alphonsi* universim insistant.

1. Et re quidem vera, nonne singulare dicendum esset beneficium, si de medio tollerentur, aut saltem *minuerentur tot tantaeque inter se pugnantes opiniones,* e quibus saepe ne doctissimi quidem, ubi veritas habeatur, extricare valent? Nemo sane negabit, hanc opinionum colluviem imbecillitati potius quam praestantiae adscribendam esse mentis humanae, majori minorive rectitudine aut perspicuitate veritatem inquirentis. Unde *eo major et verior* dicendus est *progressus* scientiae moralis, *quo minor fit numerus opinionum controversarum,* aut quo magis saltem in aprico veritas ponitur. - Quid autem *Alphonsus,* prae aliis Scriptoribus, licet eximiis, hac ratione praestiterit, profecto neminem latet. Ipse enim (ut verbis utamur *Bononiensium* Theologorum [1] in Causa Doctoratus) « *singulorum* » *opiniones profert, in trutina suspendit, suam postremo subjicit, quae* » *eum nunquam non peracutum veritatis aestimatorem, et peropportu-* » *num inter dissidentes conciliatorem demonstrat.* » - Verum S. Doctor etiam hisce majora praestitit. Inter omnes namque Scriptores morales (ut in Causa Doctoratus [2] probatur), Ipsi soli debetur *Systema morale,* non modo doctrinae Ecclesiae plane consentaneum, sed et absolutum ac vere scientificum: quippe quod, altissimis fundamentis, cum theologicis, tum psychologicis firmiter innixum, certam tutamque simul in dubiis agendi normam suppeditat. Nec in solo isto Systemate proponendo stetit Alphonsus; sed animarum salutem unice prae oculis habens, *integrum moralis doctrinae corpus* Ecclesiae obtulit, in quo (ceu testantur [3] praelaudati Theologi) « *num sanctitas, num sapientia magis excellat, valde implicatum* » *est declarare.* » Illud quoque iidem viri doctissimi [4] in Alphonso demirantur, quod *in singulorum casuum solutione,* a sapientissimis in *Systemate* constitutis principiis « *ne unguem quidem per totum Opus, tan-* » *tae licet sit molis, recedat.* » - Ex quibus nonne merito inferre licet,

1) Litt. supplic. num. 16. pag. 123. — 2) Responsa, pag. 105. seqq. (vid. etiam infra, pag. 74.). — 3) Loc. cit. pag. 122. — 4) Ibid.

omnes practicas S. Doctoris solutiones quamdam, reflexam scilicet, certitudinem ab ipsius firmissimo et inconcusso Systemate mutuari, atque idcirco veram scientiae rationem plane obtinere?

2. Maximus utique dicendus esset scientiae moralis progressus, seu potius ejus complementum et *perfectio,* si, *penitus sublatis opinionibus,* de unaquaque re veritas perspicua haberetur. Haec autem universalis certitudo desiderari quidem, at obtineri nunquam his in terris poterit, praesertim in materia morum, spectata scilicet ejusdem natura, ac multiplici sive rerum vel personarum, aut temporum varietate. - Hinc demiranda et collaudanda est Divina Bonitas, quae nullo non tempore *Viros doctrina juxta ac sanctitate praestantes* suscitat, qui omnium ad se oculos rapientes, et *peculiari ipsius Ecclesiae commendatione splendentes,* planam tutamque aliis viam ostenderent. Atque hoc modo aetatis quoque nostrae necessitatibus praesto fuit misericors Deus: siquidem ex supremo Christi Vicarii oraculo edocemur, *non sine providentissimo Omnipotentis Dei consilio factum esse,* ut hodie potissimum extaret *inclytus Doctor S. Alphonsus,* qui os suum aperiens in medio Ecclesiae, *tutam sterneret muniretque viam,* per quam Christifidelium animarum Moderatores inoffenso pede incedere possent. [1]

3. Sedulo insuper notandum est, eo tandem majorem esse scientiae moralis progressum, quo major inde promanabit spiritualis tum fidelium, tum ipsorum Confessariorum *Utilitas* et emolumentum. Quam in rem haec scite advertunt perillustres Theologi Lovanienses: [2] « *Quantam vero S. Alphonsi* » *de re morali Opera pro animarum conversione in universo Orbe ca-* » *tholico lucem fuderint, et quam stupendos in universa Ecclesia poe-* » *nitentiae fructus attulerint, ac porro afferant, tam diu tamque con-* » *stanter omnium regionum Antistitum atque Sacerdotum eloquia testan-* » *tur, ut S. Alphonsi doctrina non uni tantum alterive regioni luxisse,* » *sed Ecclesiam universam docuisse ac foecundasse, jure merito praedi-* » *cetur.* » - Quis ergo vereatur, huic insigni Magistro certissimoque Duci sese committere, de cujus doctrina *Card. Gousset* [3] affirmare non dubitavit: « *Nous avons peine à ne pas proclamer, sans examen, orthodoxes* » *et même excellents, des principes dont l'application a peuplé la Cité* » *sainte de milliers de citoyens.* »

4. Si quis igitur *S. Theologiae Professor* verum et sanctum disciplinae moralis profectum cordi habeat, non dedignetur S. Doctoris ductui fidenter se tradere. Ipsius doctrinae studio sedulo incumbat: reperiet in ea, velut in refertissima aurifodina, novos in dies scientiae ac sapientiae thesauros. Principiis ab Alphonso constitutis ejusque spiritui firmiter inhaerens, alios quoque probatos Auctores consulat; et pro quinque vel duobus talentis a Deo sibi donatis, sententias S. Doctoris evolvat, obscura dilucidet; quae forte desunt, juxta mentem S. Alphonsi et recentiores Sedis Apostolicae decisiones, pro sua prudentia suppleat; suisque demum alu-

1) Cfr. Decret. et Breve Doctor. p. XX. n. 9. 10. — 2) Acta Doctoratus, Litt. suppl. n. 8. pag. 97. — 3) Ibid., Responsa §. 199. pag. 94.

mnis saluberrimae hujus doctrinae amorem inspiret: quae si fecerit, sperare utique potest, auditores suos dignos futuros esse Ecclesiae ministros. - *Confessarii* vero, quibus arduum commissum est animarum regimen, gratias agant Deo, qui in Alphonso certissimum ipsis Ducem constituit. Hoc praelucente exemplari, viscera induant prudentis Benignitatis, una cum misericordi Severitate: qua agendi ratione et suam, et aliorum animas Deo lucrifacient. - Quocirca non possumus, quin praeclara referamus monita *Card. de Rohan-Chabot,* [1] olim Archiep. Vesontion., qui in Epistola circulari ad clerum suum data Romae, die 5. Jul. 1831., post acceptum a S. Poenitentiaria Responsum, haec habet: « *Nihil nobis, Dilectissimi,* » *optatius,...nihil...vobis ipsis utilius* poterat contingere, quam quod *certam* » *aliquam normam* vobis proponere possemus, pro animarum gubernatio- » ne, in Sacramento praesertim Poenitentiae administrando; quam quisque » vestrum tuto sequi posset... Quapropter, dum illam Responsionem dilecto » nostro Clero participamus, magnopere vobiscum gratulamur, quod oc- » casio nobis exhibeatur, imo et *efficax remedium ad dissidentium ani-* » *morum motus componendos, et conscientiarum tranquillitatem procu-* » *randam...* Cum itaque Romae Judicium ejusmodi sit, ut illi plane adhae- » rendum esse velimus,... *omnes paterno hortamur affectu, ut eam ad* » *praxim deducant...,* ut illud Apostoli (I. Cor. 1. 10.) teneatur, quod » tantopere commendat: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini* » *nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis* » *schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.* » Quibus alia subnectere juvat egregia verba *Card. Morozzo,* [2] olim Archiep. Novarien., pariter ad Clerum suum directa: « *Faxit Deus* (inquiebat), *ut* » *Alphonsi doctrina fiat centrum, in quo omnes animarum Directores* » *conveniant, ac tandem finem habeant tot controversiae, quae nihil aliud* » *consequuntur, nisi mentium discordiam, non sine magno, cum Cleri,* » *tum Fidelium detrimento.* »

5. Hanc ergo tam exoptatam doctrinae concordiam atque unitatem, pro majori Ecclesiae utilitate et animarum salute, ipse nobis S. Doctor e coelis efflagitet! Interim cum cl. *De Wit* [3] concludere liceat: « *Utinam omnes* » *summo studio conarentur S. Alphonsi doctrinam moralem, et doctri-* » *nam Confessarii practicam plane perspectam habere et fideliter appli-* » *care! Sancta Mater Ecclesia minime quereretur, quod inter hos non* » *invenirentur fideles dispensatores mysteriorum Dei: contra declararet* » *laeta:* INTER HOS NEMINEM INVENIO, QUEM DEBEAM INQUIETARE. »

1) Ibid. §. 197. — 2) Ibid. §. 241. pag. 113. — 3) De studio et usu Theol. mor. S. Alph. pag. 106.

§. 3.

Examinatur, cujusmodi fuerit erga S. Alphonsum agendi ratio cl. Ballerinii.

In Constitutione *Sollicita ac provida*, §. 24. *Benedictus XIV.* de S. Thoma Aquinate loquens, haec notatu digna scribit, quae de S. Alphonso aeque dici possunt ac debent: « Qui tam eximio uti solent, ac gloriari Ma» gistro..., ii sibi ad aemulandum proponant tanti Doctoris *in scribendo* » *moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi, disputandi*» *que rationem. Ad hanc caeteri quoque sese componere studeant, qui* » *ab ejus schola, doctrinaque recedunt.* SANCTORUM enim virtutes, omni» bus in exemplum ab Ecclesia propositae sunt. Cumque Angelicus Doctor » *Sanctorum albo adscriptus sit, quamquam diversa ab eo sentire liceat,* » *ei tamen contrariam in agendo, ac disputando rationem inire omnino* » *non licet...* »

Profecto dolendum est, quod cl. BALLERINIUS in exarandis suis Adnotationibus, ad ista Pontificis monita, et ad superius memorata Sedis Apostolicae judicia non satis adverterit. Qua de re audire praestat, quae in *Actis Doctoratus S. Alphonsi* leguntur. - De Adnotationibus cl. Professoris disserens, quas Promotor Fidei contra S. Doctorem allegaverat, quarumque confutationem in *Summario additionali* exhibuimus, egregius Causae Defensor Emos Cardinales Judices sic alloquitur: [1] « *Quod si... ad* » *omnes inibi disceptatas* (quaestiones) *animum oculosque convertant Pa*» *tres Emi, facile deprehendent, inesse* Adnotationibus *illis... labes quas*» *dam,* quae non semel aut iterum occurrunt, sed frequenter repetitae » demonstrant, *universam rationem initam a Professore illustri intra* » *fines sobriae, sanaeque critices minime contineri.* - Videntur acres ac » pungentes humores e calamo in subjectas paginas cum atramento flu» xisse; nec satis sedato et obsequenti animo *Alphonsi auctoritatem,* quo» ties obstabat Adnotatoris sententiae, fuisse repulsam. Certe gloria im» mortalis, qua Alphonsi doctrina praefulget, et auctoritas quam ubique » nacta est, permolesta nimis et incommoda gravabat pondere immani, » ac pene conterebat Scriptorem, qui saepe ab illa recedere adnitebatur. » *Ast itane acerbe agendum erat, ut periclitaretur quandoque ipse Con*» *tradictor, ne propria auctoritas vilesceret, dum dextra laevaque op*» *pugnabat infensus Virum sanctum et innoxium, in altiori loco con*» *stitutum?*

» Fuerit, si placet, aestus disputationis scholasticae, qui stylum cl. An» tecessoris acuerit et concitarit; sed non ideo ad sanctissimam hanc ju» dicii Sedem studium illud carpendi objiciendique transferatur. - Valeant » potius apud doctissimos Judices, nomina clarissimorum hominum, qui in

1) Responsio ad Animadv. pag. 152. §§. 348. 349.

» Collegio Romano eodem munere, quod nunc cl. Professor obit, magna » cum laude perfuncti sunt: *Joannis Petri Gury* et *Angeli Zecchinelli*, » quibus nihil sanctius, nihil antiquius fuit, quam S. Auctoris vestigia » sequi, et qui, etiam ubi alium ducem sequuti sunt, id *verecunde* et *de-* » *centissime* egerunt. Tuebantur illi *S. Auctoris decus*, et cum eo *glo-* » *riam illorum, quos Alphonsus summo in pretio habuerat*, quosque non- » numquam in theologica Responsione contra P. Ballerinium defendere » oportuit. *Salmanticenses* dico, aliosque; imo plures ex inclyta Societate » Jesu, puta *Comitolum, Lacroix, Cardenam, Vivam* ac *Suarium* ipsum...»

I.

Quod revera cl. Professor, in oppugnandis Auctoribus sibi contrariis, generatim « *intra fines sobriae sanaeque critices* » non steterit, nullus profecto dubitabit, qui quaestiones infra perpendendas inspexerit. – Sint interim quaedam exempla.

1. Judice P. Ballerinio, Pontius « *ad ingenii ostentationem affert ra-* » *tiunculam* (a S. A. probatam), *quam nemo non sprevit.* » [1] – Collet « *amore tam perdito eam* (opinionem sc., quam S. A. probabilem censet) » *deperibat, ut...* » Eidem tribuit « *ferream frontem* »; et concludit: « *Di-* » *gnum sane hujusce causae patrocinium, dignumque patronum!* » [2]

2. Eadem urbanitate tractat ipsos suos Consodales *Societatis Jesu*, licet aliqui maximi sint nominis. – Sic « *quae* Cardenas *affert, plane sunt* » *miserrima. Nam mitto, quod cum nemo antea hunc terminum* (pro eli- ciendo charitatis actu) *fixerit, jam Cardenas se unum demum pruden-* » *tem venditet* [3].... *Ut inquit dolens et fere indignabundus Cardenas,* » *vir placitis suis plus aequo forte addictus* [4].... *Cardenas, in hac Operis* » *sui parte posthuma et sane secundis curis indiga, se remque totam,* » *lapsus memoria, misere implicavit.* » [5] - Quae tradit Croix (et cum ipso S. Alphonsus) de occasione necessaria, est *hypothesis vana, absurda, chi- maerica;* et « *semper verum erit, istam Croixii opinionem nec rationi* » *consonam esse...* » [6] – « Comitolus *per invia et devia, pro indisciplı-* » *nato ingenio suo discurrit... Omnia haec* (sunt) *suo auctori congrua* [7].... » *Sed et in his videas facinus Comitolo dignum!* » [8] – « *Henricus* Hen- » riquez, *non alia sane supellectile, quam fallacium allegationum con-* » *gerie, fretus,* primus infert canonem, absolvi peregrinum posse a peccato » in dioecesi sua reservato, si reservatum in Confessarii dioecesi non sit.– » *Succedit Henriquezii discipulus,* Suarez, *arreptisque e magistro tribus* » *fallacibus allegationibus,* non modo canonem illum repetit, sed *insuper* » *novum, inauditumque ad eam usque aetatem, inversum canonem pri-* » *mus statuit* [9]..... *Verum, ne hos quidem terminos alii* (*vide* Lugo *et* » S. Alphons.) *servaverunt...; sed a consuetudine repetendam esse dixe-* » *runt* (facultatem absolvendi peregrinos): *quam quidem consuetudinem* » *incredibili anachronismo, quando scil. ejusmodi theorias ne per so-*

1) Vid. infra, p. 806. not. 1. — 2) P. 348. art. 4. — 3) Pag. 146. — 4) Pag. 473. — 5) Pag. 427. et 430. — 6) Pag. 605. 606. — 7) Pag. 340. — 8) Pag. 342. — 9) Pag. 540.

» *mnium quidem ullus hominum cogitaverat, probatam ab Eugenio IV.* » *dixerunt.* » [1]

3. Sed nec ipsum deterruit veneranda auctoritas BENEDICTI XIV. - Etenim, de solemnitatibus nuptiarum tempore feriarum vetitis, loquens, P. Ballerini sic scribit [2]: « Consuetudo quorumdam locorum habet, non quidem, ne fiant proclamationes, aut ne celebretur contractus matrimonii, neve hoc consummetur per tempora feriata; sed, ne celebrentur nuptiae, nisi aut urgente aliqua necessitate, aut obtenta Ordinarii licentia, etiam (si fieri possit) in casu necessitatis: cui consuetudini utique par est, ut Parochi sese accommodent. Ita Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Wiestner.... etc. *Quocirca necesse non erat, ut hoc ipsum Lambertinius* (Instr. 80. n. 14.) *tamquam novam ac peregrinam damnati Van-Espenii sapientiam suis Parochis proponeret...* - In eadem Instr. 80. n. 20., *Lambertinius rursus affert Van-Espen etiam reprehendentem Canonistas,* quasi hi, nimis addicti rigorosis antiquorum Canonum expressionibus, abstinentiam a matrimonii consummatione per tempus feriarum reduxerint in praeceptum, quando potius erat meri consilii: *prouti ex Lambertinio refert etiam S. Alphonsus* (Lib. 6. n. 984.). *Sed et ista ad antiquos objectos Canones responsio falsa est.* Responsio vera est....» Et concludit: « *E quibus utique edocemur, inanem esse eorum spem, qui in damnatis operibus latitare thesauros sapientiae existimantes, potius e putridis hisce fontibus expiscari peregrina, quam a sinceris catholicae scholae promptuariis doctrinam haurire satagant.* »

4. Quos autem cl. Professor prae aliis tenerrimo affectu prosequitur, sunt SALMANTICENSES. Ab exemplis hoc loco referendis abstinemus; vix enim in praesenti Opere quaestio occurret, in qua ipsos (et cum iisdem ipsum S. Doctorem) *fallacium allegationum,* quinimo « *oscitantiae et negligentiae in sententiis DD. describendis* » [3] non arguat. - Aliter tamen de Salmanticensibus judicavit *S. Alphonsus.* In Praefatione namque prioris Operis moralis (Adnotationes ad Medullam Busembaumii de anno 1748.) haec leguntur: «... Alia explicanda, alia addenda censui, ex diversis probatorum DD. auctoritatibus, nimirum S. Thomae, Lessii, Sanchez, Castropalai, Lugo, Laymann, Bonacina, Viva, Croix, Roncaglia, et aliorum; *praesertim Salmanticensium, qui communi aestimatione moralem hanc scientiam diffuse et egregie pertractant; quosque ipse inter ceteros frequentius familiares habui...* » Cui S. Doctoris judicio quisque stabit, qui praesens Opus evolverit. Non negamus, minus rectas Auctorum allegationes in Salmanticensibus (quemadmodum et in omnibus aliis) nonnumquam occurrere; sed idcirco non erat, cur eximii isti Scriptores tam acerbe tractarentur. - Quaeri potest, curnam cl. Ballerinius speciatim Salmanticenses prae aliis oppugnet? Censuitne forsitan, disjecta semel istorum auctoritate, eo ipso corruere, magna saltem ex parte, auctoritatem ipsius S. Alphonsi?

1) Cfr. infra, pag. 541. — 2) Cfr. Tom. II. ad n. 778. pag. 680. (in altera edit. pag. 542.) — 3) Vid. infra, pag. 794.

Quidquid sit, cujusmodi fuerit cl. Professoris erga ipsum S. Doctorem agendi ratio, propius inspicere juvat; quocirca praemonemus, ipsius animadversiones quandoque directe in S. Alphonsum proferri, quandoque indirecte, quatenus nempe P. Ballerini plurium auctorum sententiam oppugnat, quam S. Doctor aut tenendam judicat, aut saltem probabilem censet.

II.

Primum cl. Ballerinius S. Alphonso exprobrat, *quod plures tueatur opiniones* SENTENTIAE COMMUNI ADVERSANTES. - Sint quaedam exempla: [1]

S. Alphonsus.	P. Ballerini.
1. « An in communibus pauperum necessitatibus, sit obligatio *gravis* dandi eleemosynam ex superfluis statui? *Sententia communior, cui adhaereo, affirmat...* » (Cfr. infra, p. 152.).	1. « S.Lig. opinioni, quae stat pro *gravi* oblig., adhaeret quasi communiori. At... concludere est, *hanc opin.* non communem *esse*, sed *quorumdam paucorum contra communem.* » (Cfr. infra, p. 153.).
2. « Qui violat votum » (etiam simplex) « castitatis, *probabilius* committit sacrilegium » (p. 191.).	2. « *Haec opinio contra se habet communem Theologorum doctrinam...* » (p.191.).
3. « An liceat administrare Sacramentum Poenitentiae cum jurisdictione tantum *probabili?... Tertia sententia, quam amplector*, et tenent Suarez,... *Marchantius*, et *Gobat*, Wigandt, Sporer, et Elbel cum Bardi, Sancio et Babenstuber, dicit, *licitum* quidem esse..., sed *nonnisi* quando adest causa *gravis necessitatis* aut *magnae utilitatis*, ut ajunt Elbel et Wigandt; vel *causa rationabilis*, ut inquiunt Suarez et Sporer... » (p.486).	3. « *Primus*, ut videtur, *S. A. fuit*, qui hanc... *limitationem* distincte proposuit. *Verum.... enervari forte cuipiam videbitur.* Nam, si praecedens sententia (affirmans), *ipso fatente*, communis est,... quid deferri poterit oppositae, quam... *Marchant* invexit, et *Sporer nonnisi praesidio trium falsarum allegationum* denique communivit... *(quarta itidem falsa allegatio Suarezii apud S. A. additur), qui nihil tale docuerunt?* » - Adde, ex hac limitatione, Sacramentorum administrationem « *innumeris scrupulis et difficultatibus obnoxiam fieri* » (p. 490. sqq.).
4. « An *Sacerdos simplex* possit poenitentem absolvere *moribundum*, etiam praesente Confessario approbato? Prima sententia *communissima negat...* (a qua) puto *non recedendum* ob auctoritatem *Ritualis Romani...* » (p. 501.).	4. « *Viginti quinque minimum Doctores* produci possunt, qui *oppositam* sententiam sequuntur. Quae DD. consensio evincit, *haud invicti roboris* esse argumentum, quod in hanc rem ex *Rituali Romano* petitur » (p. 503.).

Hasce P. Ballerinii objectiones acute jam diluit egregius Defensor in Causa Doctoratus, scitissime advertens [2]: « Nonnumquam contigit cl. An» tecessori, ut S. Alphonso exprobraret, quod *communi* Auctorum senten» tiae contradicat, et suffragatorum inopia laboret. *At diligentes perve» stigatores repererunt, nominum supputationem haud semel Adnotato» rem fefellisse,* et minime communem esse opinionem, quam S. Auctor » rejecerat... Quoniam vero de *numerandis* auctorum locis incidit sermo, » reticenda non est querela illa, quam a viris sapientissimis excepi, quod

1) Textus, tum S. Alphonsi, tum cl. Ballerinii (ex iis tantum quaestionibus desumpti, quae in hoc Opere disceptantur) absque ullo commentario referemus. Si quis autem nosse cupiat, quid de singulis cl. Professoris oppugnationibus sentiendum sit, loca benigne adeat cuivis textui apposita. — 2) Responsio ad Animadv. §§. 346. 347. pag. 151.

» nempe Professor egregius, in objicienda S. Auctori nostro *communi* sen-
» tentia, non satis apte vim hujus vocabuli dimetiatur ritu *arithmetico-*
» *rum,* non Theologorum. Prudentioribus profecto semper haec regula fuit,
» quod auctores non sint *numerandi,* sed ponderandi... »

Quocirca probe notanda veniunt, quae ipse *S. Alphonsus* docet: [1] « Se-
» dulo semper advertendum, quod auctoritas Scriptorum non ex *multitu-*
» *dine,* sed ex eorum *gravitate* aestimari debet; ita ut paucorum, vel et-
» iam unius Doctoris speciali scientia ac pietate praediti auctoritas aliis
» pluribus aliquando praeferenda sit; non enim eodem modo inniti possu-
» mus auctoritate aliquorum auctorum, puta *Caramuelis, Zanardi, Joan-*
» *nis Sancii, Leandri, Martini a S. Joseph, Dianae, Antonii a Spiritu*
» *Sancto, Tamburini, Pasqualigi,* et aliorum, qui, licet docti et probi, ac
» bona fide ducti fuerint (non enim mala fide tradidisse ea quae scripse-
» runt, fas est suspicari), tamen incaute in pluribus opinionibus nimis be-
» nignitati indulserunt; sicut innitimur auctoritate *Suarii, Soti, Azorii,*
» *Cani, Sylvii, Cajetani, Bannez, Navarri, Paludani, Toleti, Sylvestri,*
» *Lessii, Sanchez, Angeli, Vasquez, Armillae, Valentiae, Laymanni,*
» *Molinae, de Lugo, Castropalai, Bonacinae, Emmanuelis Sà, Pontii,*
» *Cabassutii, Continuatoris Tournely, Roncaglia, Salmanticensium, Pe-*
» *trocorensis, Abelly, Cardenas, Coninkii, Gammachaei, Isamberti* [2], et
» aliorum, quorum scientia quanta sit, undique prospecta est; praeter
» *D. Thomam, D. Bonaventuram, D. Antoninum,* aut *Scotum,* quorum
» auctoritas aliis equidem praeponi debet. »

Ex hisce expositis patet, fallaci calculo uti illos, qui indiscriminatim *auctores numerant,* et majorem alicujus sententiae probabilitatem satis demonstrasse sibi videntur, dummodo paucos auctores pro contraria stare ostenderint. - In primis ab hujusmodi fallaciis cavendum est, ubi *in certis materiis,* de sententiis agitur, quae a multis auctoribus vel communiter tradebantur, *ante laxarum propositionum damnationes,* ab Alexandro VII. et Innocentio XI. enuntiatas, si eadem materia hisce proscriptionibus *directe vel indirecte* attingitur. Sunt sententiae id genus, quae postea communiter rejectae fuerunt, utpote tales, quae praefatis proscriptionibus difficulter conciliari possint; unde numero patronorum hujusmodi sententiae insistere, aut argumentum auctoritatis extrinsecae inde petere, nefas est.

Tandem probe recolenda sunt duo momenta, jam superius exposita. Primum, quandoque *auctoritatem unius Doctoris, omni exceptione majoris,* constituere posse opinionem probabilem et adhuc probabiliorem, contra communem aliorum: quod sane, prae aliis, de ipso *S. Alphonso* praedicari debet. [3] - Alterum, *sententias S. Doctoris* generatim hodie dicendas esse *communes.* [4]

1) Dissertatio scholastico-moralis, Neapoli 1755. cap. 4. n. 119. — 2) Obiter hic advertere juvat, inter praefatos Auctores, quos generatim recenset laudatque S. Doctor, ipso testante, non eamdem cujusvis esse auctoritatem. — 3) Vid. pag. XXXIX. n. VIII. — 4) Pag. XLI. n. 5.

III.

Sed jam alia audire praestat. Testante cl. Ballerinio, S. Alphonsus, ad complures sive approbandas, sive rejiciendas sententias, *sola Doctorum auctoritate* inductus est, quinimo PASSIM AUCTORES FALSO ALLEGAT, iisque sententiam tribuit, quam ipsi nullatenus tenent. - Non taedeat lectorem pauca quaedam excipere.

S. Alphonsus.

1. « Si opus malum patratum fuit sine peccato, *sentiunt Less. et Vasq...*, licitum esse de illo delectari, non per se, sed ut causa boni effectus. *Sed verius tenendum est oppositum cum Sanchez..., Croix, Ronc. et Salm.* » (Cfr. infra, pag. 135.).

2. « An liceat famulo, ob metum gravem, scribere vel deferre litteras amatorias concubinae domini? Quidquid alii dicant, puto cum Salmanticensibus, Viva,... etc., *haec numquam licere*: quia *formaliter* concurrunt ad peccatum heri, fovendo turpem ejus amorem » (p. 175.).

3. « Si (a Religioso) accipiatur aliquid *ab extraneis, ad aliis praestandum...*, tunc Garcia... etc. apud *Salmanticenses* assignant pro materia gravi valorem majorem 60 argenteis » (p. 372.).

4. « An inter sponsos sint peccata mortalia oscula et tactus pudici, si fiant ad captandam voluptatem? *Prima* sententia, quam tenent Sanchez, ac Salmant. dicit esse *tantum venialia*, licet intendatur delectatio carnalis...., dummodo absit periculum pollutionis.... *Secunda* sententia *longe probabilior et omnino sequenda*, quam tenent Lessius, Mazzotta, Roncaglia, Concina, Croix, Viva,... docet, tales actus *prohibitos* esse *sponsis*, eodem modo quo vetantur *omnino solutis* » (p. 296.).

5. « Si quis est impeditus adire Episcopum, an possit simplex Confess. eum absolvere a cas. et cens. ab eodem Episc. reservatis? Respondet *Ronc.* (posse)... Attamen *Laym.* cum *Suario, Soto, Coninchio*, etc. dicunt, casu, quo urgeat necessitas..., simplicem Confess. posse poenitentem absolvere directe tantum super non reservata, et indirecte super reservata » (p. 555.).

6. « An in Sacramento Poenitentiae sufficiat propositum virtuale sive implicitum, inclusum in dolore? *Prima* sententia *negat*, et hanc tenent *Suarez, Bo-*

P. Ballerini.

1. « *Salmanticenses*, quos secutus est *S. A.*, dissensionem hic inter DD. confingunt... *Sed perperam haec confingunt*, cum *nulla dissensio*, nisi forte verbotenus, habeatur » (Cfr. infra, pag. 137.).

2. « Quod *subinde alias*, etiam *nunc* S. Alphonso contigit, ut *fallacibus abduceretur allegationibus*, quas apud Salmanticenses et Dom. Viva reperit. *Neque enim vel unus* e DD., quos Salmanticenses et Viva promunt, reipsa doctrinam iis limitibus circumscriptam tradunt » (p. 176.).

3. « *S. A.* eam opinionem cum allegationibus *mutuatus est a Salmanticensibus*, quae tamen omnes, si cum suis Auctoribus conferantur, *abs re afferri* reperiuntur » (p. 373.).

4. Hanc autem quaestionem, judice cl. Professore, S. A. ita tractat, « *ut ex ibi disputatis vix intelligi queat, quo loco vere se res habeat* ». Insuper prima sententia, quam S. A. « *haud accurate* » exponit, dicenda est *communis*. Auctores vero pro secunda sententia citati, non sunt nisi falsae « *allegationes fere ex Croix, Mazzotta et Viva corrogatae* » ; siquidem allegati AA. vel « *oppositum tradunt* » vel « *nihil prorsus habent quod ad rem faciat* » (p. 304. 312. seqq.).

5. « Quod S. Alphonsus *Roncagliae* opponat *Laymann, Sotum, Conink* et *Suarezium... nihil reipsa est*. Ex his siquidem *tres priores hanc quaestionem nullatenus tangunt; Suarez* vero... mere dicit, se magis inclinare in eam partem... » (p. 556.).

6. « Atqui *Suarez* thesim contradictoriam statuit; itemque *Cajet.* et *Bon.* plane oppositum docent; *Henriquez* vero tertiam sent. expresse tradit; et *Va-*

S. Alphonsus.

nacina, Cajetanus, Valentia, Toletus, Reginaldus, Henriquez, etc. » (p. 443.).

7. Si Confessarius, ex confess. alterius complicis certo noverit peccatum, a poen. negatum: « melius, meo judicio, sentit *Croix,* citans Suarez., *Dicast.* et *Illsung,* quod eo casu *nullo modo absolvat,* sed tantum *aliquid oret* ad occult. negationem absol. Et huic adhaeret *Viva...*» (p. 588.).

P. Ballerini.

lentia diserte affirmat... *Regin.* denique et *Toletus* non ita primam praeferunt, ut alteram rejiciant » (p. 446.).

7. « Ista opinio *tota debetur hallucinationi,* quae perperam *Suarezii, Dicastilli,* et *Vivae* auctoritatem adduxit» (p. 588.).

Si itaque cl. Professori fidem adhibere velimus, S. Alphonsus passim se exhibet, non praestantissimum Theologiae moralis Scriptorem, sed merum, quinimo *infelicem, sententiarum DD. collectorem.* Quid de isto judicio sentiamus, silentio praeterire praestat: respondebunt tot quaestiones infra perpendendae. – Interim ipsum S. Doctorem, hujusmodi assertis solemniter contradicentem audiamus.

In Theol. mor., *lib. 3. n. 547.* S. Alphonsus haec scribit: « Facile con» tinget, in hoc meo Libro..., omnium sensui me non fore satisfacturum. » Ab illis enim, qui rigidae vel benignae sententiae plus forte, quam par » est, amantiores sunt, aut nimis austerus habebor, *quia a multorum gra*» *viumque Auctorum sententiis recessi;* aut nimis indulgens, quia plures » opiniones libertati faventes, tanquam probabiles approbavi. *Testor Deum,* » cujus honorem et animarum salutem mihi proposui, *quod, quidquid* » *scripserim,* non ab aliqua passione impulsus, *aut verbis aliquorum Au*» *ctorum addictus,* vel austeritati aut benignitati nimis adhaerens, ad haec » scribenda me induxi. *In qualibet quaestione, praevio diuturno studio,* » *curavi quidem veritatem investigare, praecipue in iis quae ad praxim* » *magis faciunt;* et propterea non solum *diligenti trutina perpendere* » *elaboravi rationes,* quas Doctores classici tradunt, sed etiam plures do» ctos recentiores consulere non neglexi: *adeo ut aliquando, in recto ju*» *dicio de aliqua quaestione faciendo, multos dies consumpserim.* Siqui» dem *non tamquam ovis* (ut verbis utar rigoristarum), *semitas Scripto*» *rum caeco ductu sectatus sum;* sed operam dedi, ut veritatem asseque» rer, aut sententias, quae magis veritati accedunt, amplexarer. *Pro vi*» *ribus sum conatus, semper rationem auctoritati praeponere; et ubi ra*» *tio me convicit, non renui Auctoribus plurimis contraire,* etiam iis, » quibus magis forsan adhaerere potuissem, utpote quia, cum hanc scien» tiam addiscerem, ad manus meas ante alios illi pervenerunt... » - Et in Epistola quadam apologetica [1] subjungit: « . . . Ella può osservare nella » mia Opera di Morale, *in quante opinioni, dove la ragione non mi* » *persuade, io mi allontano dalle sentenze* tenute dagli autori gesuiti; » e non solo dai Gesuiti, ma ancora negli stessi termini tenute dagli au» tori d'altre Religioni, Teatini, Domenicani, Carmelitani, Francescani, e

1) Risposta apologetica ad una lettera di un Religioso... 1764.

» simili. Io venero i Gesuiti, e tutti i Religiosi; ma *in quanto alla Mo-* » *rale, seguito quel che mi detta la coscienza; e dove la ragione mi fa* » *forza, poca specie mi fanno le autorità de' Moralisti...* » - Quam vera sint haec, et alia plura quae adduci possent, S. Alphonsi effata, nullum sane Moralistam latet, et ex infra dicendis luculenter patebit.

Nos profecto minime contendimus, Opera moralia S. Doctoris *omnibus prorsus naevis* carere. Non carent, sive quod stylus aliquando langueat; sive quod sententiae quaedam majori ordine et perspicuitate potuissent exponi; sive quod idcirco species contradictionis cum alibi dictis quandoque appareat. - Libenter etiam concedimus, quosdam perpaucos Auctores *interdum* a Sancto nostro pro aliqua sententia minus recte allegari. Ast, cuinam Theologo, de disciplina morali diffuse tractanti, non idem exprobrandum esset? Imo et Doctores, alioquin diligentissimi, ab hac culpa non reperiuntur immunes; si tamen culpam dicere liceat errores, nec voluntarios, nec ex negligentia procedentes, et insuper substantiam rei minime attingentes. [1] Quinimo ab hujusmodi imperfectionibus immunes evadunt ne ipsi quidem SS. Patres, atque clarissima Ecclesiae lumina. Inde est, quod tot auctorum commentaria existant, quod saepius de mente Scriptorum dubitetur, quod denique in pluribus controversiis, idem S. Doctor, *Augustinus* praeprimis et *D. Thomas,* ab utraque parte vindicetur. - Humano quippe modo loquendo, non potest non fieri, quin in ampliori Opere, quemadmodum in Theologia morali S. Alphonsi, inter plura millia citatorum [2], aliqua excidant errata; praesertim si de quaestionibus et sententiis, varias distinctiones et restrictiones comprehendentibus, agitur. - Diximus: *interdum;* nam ex infra exponendis clare liquebit, non S. Alphon-

1) Cfr. supra, pag. XLV. n. 2.— « Quid, » quaeso (scitissime advertit cl. Defensor » Causae, *s.* 342. pag. 149.), ad cardinem et » intrinsecam rationem gravis alicujus quae- » stionis pertinet, sicubi scriptor unus, inter » plures ab Alphonso laudatos, non unde- » quaque in eo capitulo, sectione et para- » grapho allegatis, comperiatur concinisse » cum aliis, qui simul conglobati adducun- » tur? *Labores ejusmodi potius ad diligen-* » *tem Ligoriani Operis editorem,* quam ad » doctum Antecessorem, qui alterius auctoris » librum obiter laudat, potuissent deman- » dari... » — Quem laborem, in nova accuratissima editione Theologiae moralis S. Alphonsi, Deo juvante, ut primum licuerit evulganda, haud cunctanter suscipiemus.

2) In *quatuor* fere *millibus Quaestionum,* quas complectitur sola Theologia moralis, et in quibus solvendis, S. Alphonsus *octingentorum* circiter *Auctorum* sententias allegat et perpendit, hujusmodi *Citata* sunt saltem numero *triginta quatuor millia.* — Jure igitur affirmare potuit ipse S. Doctor, in praefatione Operis: « *Concinnatas in hoc* » *reperies omnes quaestiones et res mora-* » *les, quae magis ad praxim deserviunt.* » *Ut vero sententias veritati conformiores* » *seligerem in quacumque quaestione, non* » *parum laboris impendi; per plures* (alibi » dicit: *quindecim*) *enim annos, quampluri-* » *ma Auctorum classicorum volumina evol-* » *vi, tam rigidae, quam benignae senten-* » *tiae.....* » Unde scitissime advertit Card. Villecourt, in Vita S. Alphonsi, T. 4. pag. 421.: « *D'où l'on peut se faire une idée, non-* » *seulement des peines et des fatigues qui* » *accompagnèrent ce prodigieux travail,* » *mais aussi du mérite et de l'excellence de* » *cet Ouvrage.* » Et Rmus D. Manning, Archiep. Westmonasterien., de Operibus moralibus S. Doctoris loquens, scribit: « *Les Œu-* » *vres de Saint Alphonse sont, je puis le* » *dire, la Somme de la théologie morale,* » *comme les œuvres de l'immortel S. Tho-* » *mas sont la Somme de la théologie dog-* » *matique. Pour les composer, Alphonse* » *consulta fidèlement et laborieusement les* » *Théologiens qui l'avaient précédé. En-* » *viron huit cents ont été lus et analysés* » *par lui. Le travail consciencieux, assidu* » *et minutieux, exigé pour une pareille tâ-* » *che, n'est pas surpassé dans l'histoire de* » *l'Eglise...* » (Cfr. opusc. cui tit.: *La confiance en Dieu, et la mission de S. Alphonse,* Paris, 1868, pag. 130.).

sum, sed potius ipsum P. Ballerinium, maxima saltem ex parte, errare, Auctorum textus minus recte citando, vel etiam mutilando: ita ut ejusdem culpae, quam S. Alphonso objicit, ipse plerumque reus evadat. Imo, si sensa nostra aperire liceat, censemus, vix ullum reperiri probatum Scriptorem moralem, qui (habita saltem ratione operum amplitudinis) in interpretandis Auctoribus, tot mendis scateat; nec ullum profecto novimus, qui, tot laborans indiligentiis, nihilominus correctoris munus sibi assumpserit.

IV.

Nec satis. Judice namque cl. Ballerinio, complures S. Doctoris sententiae, *praeter fallaces allegationes,* NULLUM HABENT SOLIDUM FUNDAMENTUM, *nec intrinsecum, nec extrinsecum.* - Cl. Professorem paulisper audiamus.

S. Alphonsus.

1. Quod urgeat praeceptum charitatis in articulo mortis, « *probabilissimum* est: ut Sporer... et Antoine cum communi » (Cfr. infra, pag. 149. art. 2.).

2. Ut famulus possit comitari herum ad lupanar, vel sternere equum, « *probabilius non sufficit sola ratio famulatus,* etiam si sine famuli ope herus adiret: saltem requiritur *metus gravis damni.* Ita *Sanchez, Viva, Salmanticenses* » (p. 165.).

3. « An satisfaciat praecepto, qui tempore Missae peccata sua confitetur? Resp. *negative cum sententia communi...* Secunda vero sententia affirmat... Haec... non videtur omni probabilitate destituta; sed quia observavi eam a pluribus gravibus DD. rejici, modo non audeo probabilem dicere » (p. 275.).

4. « Sententia *communis et probabilior* quam tenent Suar., Vasq... docet, contritionem debere omnino procedere ex solo motivo charit., nempe divinae bonitatis offensae... » (p. 400.).

5. « An, ut dolor sit materia apta, debeat esse elicitus cum intent. confessionis? *Negant* Lugo... *Affirmant* vero Busembaum... *Prima* est probabilior; sed *cum secunda etiam sit probabilis,* ante susceptionem Sacramenti *tutius docet Cardenas in Prop. 1. Innoc. XI., hanc esse sequendam* » (p. 411.).

6. « An, si quis statim post absolutionem confitetur peccatum oblitum, teneatur novum elicere dolorem?... Secunda sententia *affirmat; et hanc tenent Bon., Vasq., Fill....* Cum sit probabilis, imo probabilior..., *ego saltem tutius censeo tenendam* » (p. 418.).

P. Ballerini.

1. « *Nulla solida ratio* apparet, sive *intrinseca,* sive *extrinseca,* cur opinionem de hac obligatione quidam *(Vide S. Alph.)* communem aut probabilissimam dixerint » (Cfr. infra, p.150.).

2. « *Nec Sanchez, nec Salmanticenses habent reipsa doctrinam,* quam eorum nomine hic tradit S. Alphonsus... *Nec ratio ergo, nec auctoritas* A. (Patris Gury) doctrinae suffragatur; nam *et Viva a S. A. allegatus, fallaci tantummodo Sanchezii citationi innititur* » (p. 165.).

3. « Verum vix apparet, ubinam sit excessus externae probabilitatis pro negante... praesertim quod *nonnulli* (auctores) *pro negante prorsus abs re afferantur,* v. gr. Suarez et Azor, qui reipsa nihil de hac questione habent... » Et concludit: « *solidam aliquam ac manifestam rationem plane deesse* » (p.276.).

4. « *Verum auctoritas, e qua totum hujus opinionis robur existit, penitus deficit* » (p. 399.).

5. *Secunda* sententia affirmans « *aliquam ad summum probabilitatem habet.* Quae autem *Ratiuncula* affertur apud S. Alphonsum » nihil probat. « *Nec magis urget ratio petita ex Prop. 1. ab Innoc. XI. proscripta* » (p. 412.).

6. « ... Adde, pro secunda ista sententia *perperam allegari* (apud S. Alph. ex Croix) Vasquez, Bonacina et Filliuccium... *Neque auctoritas igitur, neque solida ratio ulla suffragatur isti opinioni* » (p. 419.).

S. Alphonsus.	P. Ballerini.
7. « An in confess. sufficiat attritio ex metu poen. temp., prout infliguntur a Deo?... *Cum* (sent. neg.) *non careat sua probabilitate*, saltem extr., *puto tutius in praxi eam servandam esse* » (p. 426.).	7. « *Rationes S. Alphonsi* (pro sententia negante allatae) *nec ullam vel tenuem probabilitatem* (ipsi) *conciliare possunt* » (p. 427.).
8. « An in Sacram. Poenit. sufficiat propositum virtuale, inclusum in dolore? *Prima* sententia » (quam S. A. *tenendam* dicit) « *negat*, et hanc tenent *Suarez, Bonac., Cajet., Valentia, Toletus...* » (p. 443.).	8. « *Prima* illa sententia... *reipsa vix ullum patronum habet*, et idcirco *nonnisi ex falso supposito aliqua ipsi probabilitas tribuitur* » (p. 467. art. 8. et 445. art. 1. 2.).
9. « An ignorantes invincib. reservationem, excusentur ab incurrendis cas. ab Episc. reservatis?... *Sententia communior, cui subscribo, universe negat... Ratio,* quia reservatio non est quidem poena respiciens poenit., sed *restrictio jurisdict.* respiciens Confessarios; *et de hoc non videtur dubitandum* » (p. 515.).	9. « *Haec ratio,* quae pro ea opinione, vel *unica,* vel saltem ceu *potissima* afferri solet, *nihil concludit* » (p. 516.).
10. « An requiratur monitio, si censura sit comminata a jure ferendae sententiae?... *Probabilior* sententiae dicit, *non requiri;* eamque tenent *Busemb. Bonac. Sanchez,* etc. » (p. 853.).	10. « At sincere dicendum, et *Auctores* ab ipso (S. A.) citatos *abs re afferri*, et *nulla solida ratione* eam opinionem muniri » (p. 854.).
11. « Si censura imponitur in commodum partis, ad illius instantiam citatio fieri debet: ita Suarez, Bonacina et Salmanticenses cum aliis. Debet etiam *monitio* fieri *in scriptis,* nisi judex procedat ex officio... *Ita Salmant...* » (p. 863.).	11. « Hanc opinionem S. Alphonsus *ex lapsu oculi perperam* putavit se reperisse apud *Salmant.*, qui reipsa oppositum docent... *Corruit ergo totum illius opinionis fundamentum, quae alioquin est contra communem aliorum DD.* » (p. 863.).

Infelix profecto S. Doctor! Ipsemet quidem *Lib. 3. n. 547.* solemniter testatur: « *In qualibet quaestione, praevio diuturno studio, curavi quidem veritatem investigare, praecipue in iis quae ad praxim magis faciunt;* et propterea non solum *diligenti trutina perpendere elaboravi rationes,* quas Doctores classici tradunt, sed etiam plures doctos recentiores consulere non neglexi: *adeo ut aliquando, in recto judicio de aliqua quaestione faciendo, multos dies consumpserim... Pro viribus sum conatus, semper rationem auctoritati praeponere; et ubi ratio me convicit, non renui Auctoribus plurimis contraire...* » Ast, non obstante hoc diuturno per plurimos annos studio, tot in quaestionibus, licet magni momenti, ipse tam aperte hallucinatus est, ut non paucas sententias tamquam *vere probabiles,* imo et *probabiliores,* aut etiam *tenendas* propugnaverit, quae reapse *ne solidum quidem* habent *fundamentum*, sive rationis, sive auctoritatis. Docuit ergo S. Alphonsus plures opiniones, *quibus nulla inest vera probabilitas,* quasque proin nullus vir prudens tuto amplecti potest.

At vero (ut alia interim taceamus) magna nos premit difficultas. Haeccine est ergo doctrina moralis, quam tanti facit universa Ecclesia, quam ipsa Sedes Apostolica *tuto* teneri posse declaravit, cujusque Auctorem ipsa dignum judicavit, qui *Doctoribus* Ecclesiae adscriberetur?

V.

Verum et alia patiens lector benigne excipiat. Testante enim cl. Professore, S. Alphonsus nonnullas tradit opiniones SINGULARES, IMPRUDENTES, ABSURDAS, RATIONI NON CONSONAS.

S. Alphonsus.

1. « Dicunt *probab.* Viva, Mazz., Ronc., cum aliis, non esse obligationem *omne superfluum (statui)* pauperibus elargiri... Cum *communiori* censent, satisfacere *probabiliter* divites, erogando in paup. com. quinquages. partem suor. red..., sed *non in eadem proportione, si divitiae multum excedant* » (Cfr. infra, p.161. a. 3.).

2. « An liceat famulo deferre munera meretrici, ratione famulatus? *Verius Concina putat,* hoc esse intrinsece malum; quia revera munera *per se turpem amorem fovent* » (p. 173.).

3. An liceat « vendere ornatus puellae abusurae, si illa ab aliis aeque emeret? *Hoc non admittendum,* juxta dicta n. 47. *nisi venditor alioquin notabile patiatur incommodum* » (p. 180.).

4. « *Cardenas,* cui adhaeret *Croix,* censet non excusari a mortali, qui *per mensem* actum charitatis differt; *hancque sententiam omnino ego suadendam puto* » (p. 145.).

5. « An detur *parvitas materiae* in delectatione sensibili sive naturali, *nempe, si quis delectetur de contactu manus foeminae,* prout de contactu rei lenis, puta rosae, panni serici et similis? Prima sententia affirmat... *Secunda negat* cum Cajetano, Diana et aliis apud Salmanticenses... *Et hanc puto omnino tenendam...* » (p. 284.).

6. Docet S. A., cum certo defecerit propos. explicitum, *repetendam esse confessionem:* quia « poenitens, qui gravem culpam et *certam* perpetravit, tenetur de ea *confess.* explere, non tantum *probabiliter,* sed etiam *certe validam* » (p. 458.).

7. « An qui in occasione necessaria, etiam adhibitis remediis, semper eodem modo relabitur, possit absolvi, nisi prius occasionem deserat?... *Sententia verior* quam tuentur Roncaglia, Viva cum Suarezio, Navarro et Reginaldo; Mazzotta, qui vocat *communem;*... et alii cum *Croix,* qui vocat *veram,* tenet, hunc *non posse absolvi, nisi occasionem deserat,* cum jactura adhuc vitae, si opus sit, quando nulla emendatio nec probabilis spes

P. Ballerini.

1. « Quidam, uti Roncaglia, Mazzotta, etc. *apud S. Alph.* hanc mensuram sic exprimunt, quasi pauperibus eroganda sit pars quinquagesima annuorum reddituum; *quae regula,* dum non distinguit superflua a non superfluis, *plane sonat quid absurdum* » (Cfr. infra, p.162.).

2. « *S. Alphonsus* pro ea (sententia) neminem allegat, *praeter Concinam, cujus ratio ab omnibus rejicitur* » (p.173.).

3. « Doctrina hisce verbis concepta *prorsus singularis est,* neque praesidium habet ex iis, quae S. A. disputat n. 47... Communis doctrina » (sc. opposita) « sic a Croix exponitur... » (p. 180.).

4. Quae dicit *Croix,* « non possunt ita intelligi, quasi... *absurdissime et contra prima principia* concludat necessitatem obligationes strictiores *sine ulla ratione* imponendi. » – Asserta *Cardenae* « *plane nullius sunt roboris...* » (p. 146.).

5. « *Mirum sane videbitur,* quod S. A. quaestionem instituat: An detur parvitas materiae in delectatione sensibili sive naturali; *quodque addat, tenendam esse sententiam negantem,* advocans suffragium plurium Auctorum, quos a Salmanticensibus allegatos dicit »; qui autem AA. « *prorsus abs re allegantur* » (p. 287. 288.).

6. « Ast haec *aperte repugnant* doctrinae quam alibi ipse tradit... Quod S. A. ad *singularem* illam conclusionem deflexerit, duplex videtur causa extitisse: nam primo quidem (fuit) *deceptus a Croix...* » (p. 459. 467. art. 8.).

7. Judice autem cl. Ballerinio, haec doctrina Patris Lacroix, S. J., *quam S. A. veriorem,* et Mazzotta *communem* dicit, non est nisi *hypothesis vana, absurda, absona, chimaerica;* et « semper verum erit, istam Croixii opinionem, *nec rationi consonam esse, nec prudenter ad praxim deduci posse* »; quinimo « id unice *imprudens* Confessarius consequetur, ut certam occasionem praebeat plura adhuc patrandi peccata... Adi Card.

S. Alphonsus.

emendationis appareat... Secus vero dicendum, si hujusmodi poenitens afferat extraordinaria signa doloris...» (p.603.).

8. « An frangat sigillum Confessarius, qui dicit, *Religiosum ex tali conventu* sibi confessum esse grave peccatum?... *Verius* affirmant... *Non vero (ut rationabiliter ait Concina)* si tantum diceret, se audiisse peccatum *Religiosi cujusdam Ordinis*... nisi *(recte limitat)* Religio illa esset *arctioris observantiae* » (p. 625.).

9. « *Tertia sent. communis, quam sequimur*, et tenent Sanchez, Palaus... *Salmanticenses* cum Suarez..., docet, quod peccator *recidivus* rediens cum eodem habitu pravo, *non potest absolvi*, nisi afferat *extraord. signa* suae dispositionis. - *Prima pars* est contra primam sent. dicentem quod recidivi debent absolvi, semper ac ad Sacram. accedunt... Ratio est, quia... frequens ille relapsus signum praebet vel saltem *prud. dat suspicionem*, quod sua poenitentia non sit vera: qui enim firme proponit *(bene ait Lugo)* rem sibi moraliter possibilem, non ita facile sui propositi obliviscitur... *Secunda* vero *pars* est contra secund. sent. (Merbes, *Juenii* et Genetti); quae *cum intolerabili rigore* dicit, nunquam absolvi posse consuetudinarium, nisi per longam exper. constet de ipsius emend. Ratio, quia relapsus, tametsi praebeat aliquam suspicionem, *non tamen certum exhibet signum indispositionis* » (p. 649. sqq.).

10. « *Certum* est, et *commune apud omnes*, quod possit Confessarius *differre* absolutionem poenitenti *etiam disposito* et etiam sine ejus consensu, semper ac prudenter judicet dilationem esse *utilem* ejus emendationi. Ita Salmanticenses, Lugo... et alii passim *contra paucos*. - Ratio, quia poenitens, quamvis habeat jus ad absolutionem ratione confessionis peractae, non tamen habet jus ut *statim* absolvatur; Confessarius enim, cui non solum judicis, sed etiam *medici* competit munus, bene potest, imo, meo judicio, *tenetur differre* absolutionem, *quando judicat tale remedium esse necessario utile saluti sui poenitentis* » (p. 752.).

P. Ballerini.

de Lugo, et *nullius momenti* ea apparebunt, *quae S. A. ex vana Croixii hypothesi objecit* » (p. 605. 606.).

8. « Aegre sane videbitur admittenda opinio (Concinae), quam *multo profecto laxiorem* de detrahente *cuipiam Ordini religioso* ex notitia confess., *S. A. amplexus est*... Quae quidem, non modo sunt *contra omnium Thh. sententiam*, et eorum quoque, qui *laxius* circa hoc opinari visi sunt, sed *iis rationibus* fulciuntur, *quas nemo facile admittet* » (p. 631.).

9. « *S. A.* multos quidem affert Auctores; nec dubitat sententiam hanc suam appellare communem. *At enim... horum DD. sententia... toto coelo ab ista thesi distat*... Hinc, nonnisi *oculorum aut memoriae lapsui* tribuendum videtur, quod S. A. eas citationes sumpserit *ex Salmanticensibus*... S. A. *juxta theorias Juvenin et similium* negat, ejusmodi poenitentem posse absolvi, utpote qui censeri debeat *indispositus;* secus vero Doctores, quotquot vel ipse, vel Salmanticenses allegant. » Hinc « *constat, praemissam S. A. opinionem... contra DD. communem dici posse,... et rationem* (pro ea adductam) *vitio logico non carere.* » Itaque « jam valet id, quod instar axiomatis est penes omnes Theologos : *poenitenti credendum esse et pro se et contra se* »; secus « *funditus subvertetur oeconomia, qua,* teste S. Thoma cum universis theologis, *tota regitur hujus Sacramenti administratio* » (p. 658. 690. 692. 723.).

10. « Hujus praxis *vix ullum vestigium* in scriptis antiquiorum Theologorum apparet »; et Recentiores communiter « absolutionis dilationem insinuant... ut *mere utilem*, et *ex mero consilio* et solum *aliquando* adhibendam. - Quidam *pauci* contenderunt, Confessarium non modo posse absolutionem differre, sed *ad id teneri*. Verum isti aut *aequivocatione*... laborant, aut *certe contra communem sententiam* id affirmant » ; et quod dilatio sit unquam medium necessarium « *hoc hypothesim nimis inverisimilem redolet.* » Demum « *frequentissima experientia* suadet, hanc viam... minus idoneam existere, ac *prorsus parum prodesse;* idque confirmat *ratio* » (p. 756. 761. 766.).

Judice itaque cl. Ballerinio, S. Doctor nonnullas tenet opiniones, non modo nullo, praeter fallaces allegationes, solido fundamento innixas, verum et imprudentes, singulares, rationi non consonas, absurdas. - At, si

haec ita se haberent, longe a vero aberrassent *totius fere orbis Sacrorum Antistites,* aliique *Viri conspicui,* qui in suis Litteris supplicibus, S. Alphonsi doctrinam moralem tot tantisque laudibus extollunt; [1] sed nec minus a vero aberrarent *Scholae catholicae,* quae Sanctum hunc Virum, ceu Ducem et Magistrum, plena fiducia sequuntur ac venerantur. - Quomodo autem cl. Professoris asserta cum *Sedis Apostolicae* declarationibus componi queant, vix intelligimus. Ipsa enim iteratis vicibus solemniter declaravit, doctrinam S. Alphonsi *ab omni censura esse immunem;* [2] eamdem *inoffenso prorsus pede* percurri posse; [3] *omnes S. Doctoris sententias a quovis teneri, et in praxim deduci posse, quin momenta rationesve perpendat, quibus variae ejusdem Sancti nituntur opiniones;* [4] imo *S. Alphonsi doctrinam in omnibus teneri et publice tradi posse, non obstante juramento praestito* doctrinas cujusdam Universitatis, quae Probabiliorismum et Probabilioristarum sententias sequitur, pro viribus tuendi et asserendi. [5] Ipsa demum S. Sedes, suffragante Episcopatu catholico, doctrinam S. Doctoris *eminentem* declaravit, solemni oraculo pronuntians, praeclarum hunc Virum, in re praesertim morali, *obscura dilucidasse, dubia declarasse: cum inter implexas Theologorum sive laxiores, sive rigidiores sententias, tutam straverit viam, per quam Christifidelium animarum Moderatores inoffenso pede incedere possent.* [6] - Sed quonam pacto haec enuntiare potuisset Sedes Apostolica, si S. Alphonsus plures tradit opiniones, *omni qualicumque probabilitate destitutas, singulares, imprudentes, rationi non consonas* et *absurdas?* Idcirco aut dicendum, S. Sedem in hoc judicio ferendo errasse, quod esset temerarium; aut hujusmodi impugnationes prorsus falsae reputandae sunt (prout infra videbimus), et ipsi Apostolicae Sedi, non minus quam S. Alphonso, injuriosae.

Haec prudens quisque perpendat, et sepositа omni praejudicata opinione, judicet, num hujusmodi oppugnationes probandae sint. - Caeterum, *cl. Ballerinius* ipse persensit, suam scribendi rationem non omnibus probari. In altera enim editione romana Compendii P. Gury, anno 1869. evulgata, pag. 625. quaestionem, in qua S. Doctorem acriter oppugnavit, hisce verbis concludit: « Et haec quidem ita scripseram, ut eorum, quae in » praecedenti hujus Compendii editione hoc loco dixeram, *quaeque a quibusdam minus probari audieram,* aliquam rationem redderem, atque » adeo ostenderem, *neque gratis, neque pruritu, ut quidam dictitabant, contradicendi S. Alphonso, me ab ejusdem sententia tunc discessisse...*» [7] Libenter admittimus, cl. Professorem, non aliqua passione motum, toties S. Doctori contradixisse; attamen, pro aequo suo judicio, diffiteri nequit, « *universam rationem a se initam, intra fines sobriae, sanaeque critices minime contineri* »; [8] nec mirari debet, si, post perlectas ipsius Adnotationes, Viri non pauci doctrina ac dignitate praestantes in hanc conclu-

1) Cfr. supra, pag. XXXIII. not. 2. — 2) Decret. 18. maj. 1803. (p. XIII.). — 3) Bulla Canoniz. §.7. (pag. XVI.). — 4) Decisio S. Poenit. 5. jul. 1831. (pag. XVI.). — 5) Ejusdem S. Poenit. decisio, 19. dec. 1855. (pag. XVIII.). — 6) Decret. et Breve super concess. et confirmat. tit. Doctoris (pag. XX.). — 7) Vid. infra, pag. 820. — 8) Cfr. supra, pag. XLIX.

sionem devenerint, easdem haud benevolum erga S. Doctorem animum prae se ferre.

Ad ipsam vero *cl. Ballerinii doctrinam* quod attinet, nobis sane nec competit de illa decretorie judicare, nec ullatenus nobis in animo est eamdem qualicumque censura theologica notare. Id tamen tacere non possumus, sententias cl. Professoris *nimia universim benignitate et indulgentia* imbutas nobis videri; quas inter speciatim recensemus ipsius *Systema morale,* [1] quaestiones ad *Cooperationem* spectantes, [2] complures alias *de Sacramento Poenitentiae,* illas praesertim, in quibus solvendis habenda est ratio *Propositionum* a Summis Pontificibus *damnatarum,* [3] maxime vero quaestiones de absolvendis *Occasionariis* aut *Recidivis.* [4] - Caeterum, benignum lectorem ad singulas hujusmodi quaestiones in hocce Opere discussas fidenter remittimus. Hoc unum adjicere liceat, Promotorem Fidei, in Causa Beatificationis, S. Alphonso *nimiam* objecisse *benignitatem ;* [5] contra vero, cl. Ballerinius eamdem doctrinam *nimii* generatim *rigoris* arguere non dubitat.

VI.

Et haec quidem omnia eum in finem exposuimus, non modo « *ut sua historiae et veritati jura serventur* » (quemadmodum ipse cl. Professor passim testatur), sed ut etiam *ipsius S. Alphonsi jura* integra consistant. Pro certo enim habendum est, tum ex innumeris testimoniis in Causa Doctoratus relatis, tum maxime ex solemni oraculo Sedis Apostolicae, S. Doctorem nostrum divinitus Ecclesiae datum fuisse *ad Religionis morumque tutelam.* [6]

Qua de re, gravissimum audire juverit judicium, ex praefata Causa desumptum. Quid Alphonsus in re praesertim morali praestiterit, Theologus jam supra laudatus, in *Voto,* jubente S. Rituum Congregatione, exarato, graviter sic enuntiat: «... Duae maxime pestes seculo XVIII. grassabantur, » *Laxistarum* nempe, qui nimium benignitati indulgentes, humanae liber- » tati frena relaxabant, et *Jansenistarum,* qui nimiam profitentes auste- » ritatem, suave Christi jugum, ceu intolerabile humanae naturae pondus » repraesentabant. *Ecclesiae suae mature adstitit Deus, morum doctri-* » *nae Vindicem in Alphonso constituens,* qui Opus suum magnum *Theo-* » *logiae Moralis* in lucem edidit. Apparitio hujus libri Jansenistas, sicut » fulgur, conterruit, iisdemque lethalem ictum inflixit; Laxistas porro » Theologos ad rectam doctrinae methodum viamque revocavit. - Quot » vero in morali Theologia occurrant obscura et dubia declaranda, nodique » dissolvendi, in comperto cuique est, qui implexam hanc et salebrosam » disciplinam vel a limine salutarit. Quanta in principiorum ad singulos » casus applicatione difficultas, quanta in moralitate alicujus actionis de-

1) Vid. infra, p. 33. art. 2. — 2) Pag. 165. seqq. Quaest. 5-8. — 3) Pag. 135. q. 2.; p. 283. q. 12.; pag. 411. q. 2.; pag. 418. q. 3.; pag. 426. q. 4.; pag. 443. q. 6.; pag. 472. q. 7.; pag. 480. q. 8.; pag. 485. q. 9.; pag. 822. q. 8.; pag. 879. q. 9. — 4) Pag. 283. q. 12.; pag. 296. q. 13.; pag. 603. q. 22.; pag. 647. seqq. — 5) Vid. supra, pag. XXVI. n. 3.; infra, pag. 715. nota; pag. 770. — 6) Cfr. Breve Doctor. pag. XXI. n. 10.; vid. etiam Litt. Leonis XII. pag. XV.

» terminanda ambiguitas, quanta demum in gravi vel levi alicujus culpae » reatu assignando sententiarum varietas! *Jamvero Alphonsus, in singu-* » *lorum Tractatuum quaestionibus, inter oppositas, quas refert, senten-* » *tias, veluti Judex considens, rationum momenta in trutina suspendit;* » *quo magis propendeant, declarat; et quaenam opinio probabilior, quae* » *verior, quae tutior, quae denique in praxi sequenda, exquisito crite-* » *riorum delectu, determinat.* - At nolim quis putet, id unum dumtaxat » Alphonsum praestitisse, nimirum dissidentes sententias collegisse, et per- » acute aestimasse; *cum praeterea certum sit, solida totius moralis di-* » *sciplinae fundamenta per eum fuisse constituta.* Omnes enim norunt, » fundamentalem in Theologia morali esse quaestionem *de natura et usu* » *probabilitatis;* ex ea enim plurium dubiorum casuumque resolutio pen- » det. Jamvero hujusmodi quaestio ante Alphonsum adeo erat implexa, ut » Probabilistae et Probabilioristae inter se contendentes, vel in laxismi, » vel in rigorismi scopulum facillime impingerent. *Quod autem in hac* » *quaestione nunc extrema vitentur,* UNI ALPHONSO *debetur, qui aureum* » *illud* AEQUIPROBABILISMI [1] *Systema invexit, quod constanter retinuit,* » *et in morali disciplina explicanda adoptavit...* Post haec autem, quid » amplius in Alphonso desideratur? *Moralia ejus documenta ubique in* » *Ecclesia recepta,* divinas et ecclesiasticas leges explanant, justum ab » injusto in praxi secernunt, animarum regimini prospiciunt, peccantibus » dignos poenitentiae fructus ostendunt, proficientibus tutum perfectionis » iter indigitant, omnibus denique aeternae salutis portum patefaciunt. » *Ergo per haec Ecclesia illustratur, virtutibus moribusque informatur,* » *et libenter exequitur quae Dei sunt.* »

Post amplissimum hoc testimonium, nihil nobis superest, quam ut, verba egregii Defensoris Causae [2] usurpantes, pro majori Dei gloria atque animarum salute pia haecce vota faciamus: « *Maneant igitur Opera mora-* » *lia sancti Antistitis, tanquam praenobile neque periturum ecclesiasticae* » *scientiae monumentum, ex quo, ceu fonte uberrimo, nedum animarum* » *Moderatores, sed et Jurisconsulti,* [3] *Canonistae,* [4] *ethicae disciplinae* » *praeceptores, affatim hauriant, ut solida scientia imbuantur!* »

1) Testante igitur gravissimo theologo, in aperto est, genuinum S. Doctoris Systema non esse *communem Probabilismum;* sed « *uni Alphonso deberi aureum illud* AEQUIPROBABILISMI *Systema* », prout jam in Actis Doctoratus demonstratum fuit, et luculentius adhuc ex infra perpendendis liquebit. — In eamdem plane sententiam convenit et alter Theologus anonymus, qui in *Voto* S. Rituum Congregationi exhibito, pariter affirmat, « AEQUIPROBABILISMI *Systema... uti Auctorem revera vel quasi Patrem habere S. Alphonsum.* »

2) Informatio, §. 44. pag. 16. — 3) Cfr. ex. gr. Tract. *de just. et jure.* — 4) Quam uberem doctrinae copiam Theologia moralis S. Alphonsi Canonistis suppeditet, speciatim videre licet in egregio Manuali Juris canonici, auctore cl. D. Craisson (edit. 3. Pictavii, 1872.).

PARS PRIMA

DE MORALI SYSTEMATE S. ALPHONSI

STATUS QUAESTIONIS

I. - *P. Gury,* in editione decima septima Compendii Theologiae moralis, adnotationibus cl. P. Ballerinii locupletata, Tom. I. n. 53. pag. 57. [1], de variis *Systematibus* circa probabilitatem disserens, sequentia recenset:

« 1°. *Tutiorismus absolutus,* seu *Rigorismus,* juxta quem pars tutior, id est legi favens, semper sequenda est.-2°. *Tutiorismus mitigatus,* juxta quem licet tantum sequi probabilissimam partem libertati faventem. - 3°. *Probabiliorismus,* juxta quem semper tenenda est opinio legi favens, nisi opposita sit notabiliter probabilior.- 4°. *Aequiprobabilismus,* juxta quem licitum est sequi opinionem minus tutam, modo sit aeque probabilis ac opposita, vel fere aeque probabilis. - 5°. *Probabilismus,* juxta quem licet sequi opinionem minus tutam et minus probabilem, modo vera et solida probabilitate gaudeat.- 6°. *Laxismus,* ex quo semper fas est sequi opiniones etiam tenuiter probabiles; sed hoc systema fuit damnatum...»

Ad quartum vero horum Systematum, cl. BALLERINIUS sequentem notam adjicit: « *Auctorem hujus systematis* (Aequiprobabilismi) *quidam dixerunt S. Alphonsum de Ligorio. At non ita intelligi id debet nec potest, quasi a communi systemate Probabilismi, quod et ipse acerrime defendit, aliquando Vir sanctus recesserit.* - Vide *Dissert. de morali Systemate S. Alphonsi,* quae habita est in Collegio Romano in solemni studiorum instauratione an. 1863., et prostat Romae apud Jo. Bencivenga, Piè di marmo, num. 4. »

Hanc itaque Dissertationem, in qua cl. Professor praefatam propositionem uberius probare contendit, sedulo examinabimus; atque in fine, aliquas ejusdem Adnotationes Compendio Patris Gury adjectas, et eamdem materiam respicientes, breviter perpendemus.

II. - Priusquam ad quaestionem tractandam aggrediatur, cl. BALLERINIUS in citata Dissertatione egregie praeloquitur de eminenti ac plane singulari merito, quod de disciplina morali sibi comparavit S. Alphonsus. En ejus verba: « *Nemo sane diffitebitur, insigni benignissimi Dei beneficio adscribendum esse, quod in miserrima illa opinionum invicem pugnantium colluvie, quae a duobus retro saeculis, scholas Theologiae moralis foedis agitare coepit dissidiis,* quaeque diris etiam premebat angustiis eos plurimos, qui certa quapiam tutaque norma indigent ad animarum regimen, et ad sua cuique fidelium praescribenda officia, *datum sit aliquando ad manus habere Beatissimi Alphonsi de Ligorio scripta;*

1) In altera editione romana de anno 1869., pag. 46.

» quae non modo ab *eximiis Auctoris dotibus*, sed, quod longe majoris momenti est, *ab Apostolicae Sedis judicio tam singularem commendationem mutuata sunt.* » — Et descripta illa miserrima opinionum invicem pugnantium colluvie, sic prosequitur: « *Porro quod in difficillimis hisce rerum adjunctis, coelitus oblatus nobis Vir fuerit, eruditione juxta ac sanctitate conspicuus*, qui primo quidem rejectis scholae, in quam inciderat, praejudiciis, contemptis deinde praepotentis adversae factionis clamoribus, ferreum jugum infringere et excutere ausus sit, ac doctrinas, quas catholicae Scholae veluti per manus transmiserant, magna saltem ex parte redintegrare, suumque Doctoribus immerita infamia adspersis honorem restituere feliciter sit aggressus; *quod ejus coeptis ita Apostolicae Sedis faverit judicium*, ut qui hunc sequatur ducem, a formidoloso illo laxitatis terriculamento immunis jam esse possit, ac debeat; *quod tanta*, inquam, *tamque insperata rerum conversio subito facta fuerit*, quis, rogo, non fortunatissimum id dixerit, *insignisque beneficii loco ac sane divini* habendum esse non arbitretur? »

Hisce rectissime praemissis, quibus nullus non libenter subscribet, cl. Professor scopum declarat, quem in hac Dissertatione sibi proponit, videlicet inquirere *cujusmodi sit genuinum S. Alphonsi morale systema.* Unde *pag. 6.* sic pergit: « Quae cum ita sint, atque adeo cum tantopere intersit genuinas S. Alphonsi sententias probe internoscere, ubi praesertim de summis quibusdam principiis agatur, ad quae necessario plurimae exigendae veniant quaestiones; nihil sane utilius officioque meo accommodatius, nihil etiam vobis, qui singulari Beatum Virum cultu et obsequio prosequimini, gratius fieri a me posse existimavi, quam ut in solemni hac studiorum instauratione, *mentem S. Alphonsi inquirendam* mihi proponerem *circa summum, omniumque fecundissimum in Theologia morali principium, cujusmodi* videlicet *sit genuinum ipsius morale Systema...* Illud porro statuendum initio est, *vel inter studiosissimos S. Alphonsi, non unam fuisse omnium* de morali ipsius Systemate *sententiam.* Quandoquidem *nonnemo* existimat, S. Alphonsum nova quadam incessisse via, eaque media inter duo systemata, quae catholicas Scholas tunc temporis dividebant; cumque alii licitum haberent usum opinionis probabilis ac minus tutae, probabiliore et simul tutiore relicta (qui quidem vulgo *Probabilistae* audiebant); alii vero licitum negarent usum opinionis minus tutae, nisi gravioribus prae opposita niteretur rationibus (qui porro vocabantur *Probabilioristae*); mediam inter eos S. Alphonsi sententiam statuunt, eamque *moderati Probabilismi* nomine designant, quasi nempe docuerit, tunc solum partem minus tutam teneri posse, quum tutior, quae stat pro lege, aut paris aut proximae probabilitatis esset, ac illa quae libertati obsecundet. « *Doctrina haec* (inquit vir praeclarissimus et de morali disciplina plane benemeritus) *nuncupatur in scholis systema morale Probabilismi moderati; et consequenter Probabilistae moderati vel Aequiprobabilistae vocantur, qui illud tuentur. Probabilismi moderati usum tam firmiter, tam aperte, tam constanter et copiose propugnavit S. Alphonsus de Ligorio..., ut ipse ejusdem quasi pater et auctor habeatur.* » [1] Cui sententiae vel ipse S. Alphonsi breviator *Neyraguet* adhaeret [2] cum Eminentissimo *Gousset* [3], aliisque; e qui-

1) *Petrus Scavini*, Theol. mor. Tr. 1. disp. 2. c. 3. art. 2. q. 4. — 2) De Consc. cap. 4. moral. syst. n. 3. — 3) Théol. mor. Traité de la Consc. chap. V. Tom. 1. n. 98.

» bus Anonymus quidam Gallus [1] fi-
» denter affirmat, benigniorem illam
» sententiam, quae Probabilistis tri-
» buitur, a S. Alphonso fuisse imo
» oppugnatam. Ita quidem illi.

» At vero *hoc ipsum est, quod alii*
» *jure merito non modo in dubium*
» *vocari, sed plane a veritate alie-*
» *num ostendi posse arbitrantur.*
» Quaestio, ut facile videtis, Audito-
» res humanissimi, critica est; nec
» alio sensu eam modo in animo est
» attingere; at simul ejusmodi eam
» esse, ut maximi habenda sit mo-
» menti, nemo, puto, inficiabitur,
» quando *ex Apostolicae Sedis*, ut
» diximus, *judicio, sola S. Alphonsi*
» *auctoritas efficit, ut non solum*
» *absque censura, sed etiam absque*
» *ullo laxitatis periculo vel suspi-*
» *cione, opiniones ejus, intimis et-*
» *iam rationibus minime perspectis*
» *amplecti et in praxim,* ut ajunt,
» *deducere tuto liceat.* » [2]

Quibus praejactis, cl. Ballerinius ad thesis suae probationem accedit. Hunc in finem plura profert argumenta, quae summatim sic enunciari possunt:

S. Alphonsus, in prioribus suis scriptis, Systema *communis Probabilismi,* ceu moraliter certum, acerrime defendit. – Porro contendi omnino potest, nihil reapse in ejus Operibus occurrere, quod eum a prima illa sententia aliquando discessisse suadeat. – Quod si postea S. A. thesim proposuit, non licere sequi opinionem minus probabilem pro libertate, in concursu *certe* probabilioris pro lege, haec ne minimum quidem priori sententiae adversatur. Ex variis enim ejus Operibus, et maxime ex quodam textu, in postrema Theologiae moralis editione, *a Bassanensi editore fraudulenter avulso ac sublato,* evidenter liquet, ejusmodi probabiliorem opinionem ex mente S. Doctoris aequipollere *sententiae moraliter certae.* – Ipsemet S. A. in posterioribus Theologiae moralis editionibus diserte fatetur, *se non recedere,* sed tantum praescindere a sententia primitus propugnata, quod nempe liceat sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori. – Quod si ipse deinceps docuit, non licere sequi opinionem minus probabilem in concursu certe probabilioris: *inauditam* istam thesim, *contra hostes qui nuspiam extabant,* eo solo fine protulit, ut adversariorum calumniis obviam iret, et *notam laxitatis declinaret.* – Caeterum, licet in posterioribus scriptis a defendendo communi Probabilismo, prudentiae causa, abstinuerit: S. Alphonsus probe perspexit, se, dum nervis omnibus licitum usum opinionis probabilis cum aeque probabili pro lege concurrentis, propugnabat, satis superque omissam quoque partem tueri.

III. – At vero, pace cl. viri, fidenter asserimus ne unam quidem ex istis propositionibus solido inniti fundamento, imo easdem doctrinae S. Doctoris penitus adversari. – Cum igitur praesens quaestio, maximi (prout scitissime advertit P. Ballerini) habenda sit momenti, praefatas propositiones diligenti examini subjiciemus; et quo melius claritati ac ordini consulatur, responsiones nostras sequentibus quatuor Capitibus absolvemus:

Caput I. Systematum S. Alphonsi et cl. Ballerinii compendiosa expositio.

Caput II. Demonstratio historica Aequiprobabilismi S. Alphonsi.

Caput III. S. Alphonsus verus Aequiprobabilismi Auctor.

Caput IV. Responsa ad plures cl. Ballerinii assertiones et objectiones.

1) In Appendice *de Probabilismo*, quae prostat ad calcem Tomi XI. ejus collectionis a Migne editae, quae inscribitur: *Cursus completus theologicus*, cap. 2. art. 1. — 2) Gratulamur utique P. Ballerinio de hujusmodi aperta declaratione; ac proinde vix intelligimus, curnam in suis Adnotationibus paulo post elaboratis, singularis hujus auctoritatis quam S. Alphonsus ab Apostolicae Sedis judicio mutuatus est, passim nullam prorsus rationem habuerit.

CAPUT I.

SYSTEMATUM S. ALPHONSI ET CL. BALLERINII COMPENDIOSA EXPOSITIO.

§. 1.

Exponitur genuinum ac praecellens Systema morale S. Alphonsi.

Ut omnes, quae in hac Dissertatione facile occurrere possent, ambiguitates et aequivocationes vitentur, operae pretium ducimus, spiritui ac verbis S. Alphonsi inhaerentes, breviter et clare, quantum in nobis erit, exponere: 1. Varios *gradus* seu *species Probabilitatis;* 2. Varia *Systemata* circa usum opinionis probabilis, et *judicium* quod de iisdem fert S. Doctor; 3. *Genuinum S. Alphonsi Systema;* ac tandem 4. Ejusdem *praestantissimum Meritum.*

Articulus 1.

De variis Gradibus seu speciebus Probabilitatis, a S. Alphonso enumeratis.

I. Ante omnia sedulo distinguendum est inter Certitudinem moralem et Opinionem.

1. *Certitudo moralis,* quae etiam dicitur *Scientia* seu *Sententia moraliter certa,* est judicium certum de rei veritate absque ulla prudenti formidine de opposito; ita ut sententia contraria judicetur *omninò improbabilis.* Ab hac sententia moraliter certa vix distinguitur *quasi moraliter certa,* quae ad summum admittit inanem quamdam et falsam formidinis apprehensionem. – *Opinio* autem est judicium innixum motivo non certo, sed fallibili, ac proinde cum prudenti formidine de opposito. Unde patet, essentialem esse differentiam inter Certitudinem seu sententiam moraliter certam, et Opinionem, quae quantilibet sit etiam gradus, stricte loquendo, semper aliqualem includit formidinem, et nunquam dici potest judicium certum de rei veritate.

2. Egregie hac de re disserit S. Alphonsus, dum scribit: [1] « Et haec est » differentia inter *scientiam* et *opi-* » *nionem.* Adhaerere *scientiae* est » sequi veritatem *certam;* adhaerere » *opinioni* est sequi veritatem *pro-* » *babilem*... Ex quo constat, *opinio-* » *nem* non posse esse judicium cer- » tum de rei veritate, quum oriatur » ex motivo fallibili..... Ex quibus » omnibus concluditur, quod veritas » cognita sine formidine, dicitur *cer-* » *titudo;* veritas autem probabiliter » cognita cum formidine, dicitur *opi-* » *nio.* Volunt adversarii, ut diximus, » quod opinio vere probabilis sit illa » tantum, quae hinc inde omnibus » pensatis, cognoscitur vera: ita ut » oppositum videatur certe falsum. » Sed errant in terminis; nam hoc » dicendum de scientia, sive de cer- » titudine morali, non autem de opi- » nione probabili, quae de se fert ut » sit fallibilis, et ejus contraria sit » etiam probabilis, id est probabi- » liter vera. *Veritas* igitur *certa* per- » tinet ad *judicium scientiae; veri-* » *tas probabilis* pertinet ad *judicium* » *opinionis,* cum veritas propria opi- » nionis alia non sit quam probabi- » litas. »

3. Hac essentiali differentia inter Certitudinem et Opinionem posita, obiter advertimus, *Opinionem certe et notabiliter probabiliorem* passim a S. Doctore vocari *moraliter aut quasi moraliter certam.* Quonam autem sensu haec verba necessario intelli-

1) *Dissertatio scholastico-moralis*... Neapoli 1749 (cfr. Collection. Operum a S. Sede approb. Vol. V. pag. 10.); et Theol. mor. edit. 2. an. 1753. lib. 1. n. 51. IX.

genda sint, infra exponemus ad n. III., et fusius Cap. IV. §. 1. art. 2.

II. *Opinio* PROBABILISSIMA est illa, *quae nititur fundamento gravissimo, quin tamen excludat omnem prudentem formidinem quod sit falsa; stricte ergo loquendo ipsi opponitur opinio, non tenuiter, sed* DUBIE *probabilis.* - Passim quidem, speciatim in prioribus Operibus, S. A. dicit, opinionem probabilissimae oppositam esse *vel* tenuiter, *vel* dubie probabilem. Vera autem S. Doctoris sententia quaerenda est, non in textibus, in quibus obiter tantum loquitur, sed in iis, in quibus ex proposito hac de re tractat. Brevitatis causa, unum tantum hujusmodi textum describemus, ex quo evidenter patebit, opinionem probabilissimae adversam, ex mente S. Alphonsi, non esse tenuiter, sed *dubie* probabilem.

In *Systemate* Theologiae morali inserto [1], sequentia notatu digna leguntur: « *Opinio probabilissima* est » illa, quae etsi supremum occupat » probabilitatis gradum, tamen *fines* » *probabilitatis non excedit*, juxta » terminos ejusdem Propositionis ut » supra damnatae, quae dicebat: *in-* » *ter probabiles probabilissimam;* et » ideo, prout communiter Doctores » ajunt, opinio probabilissima, quae » etiam moraliter certa (large tamen » loquendo) vocatur, *omnem pruden-* » *tem formidinem non excludit, ne* » *sit falsa:* ad differentiam opinio- » nis sive sententiae stricte certae, » quae omnem prudentem formidinem » excludit. Si ergo opinio probabilis- » sima omnem non excludit pruden- » tem formidinem, *opinio probabi-* » *lissimae opposita non equidem est* » *illa, quae tenuiter tantum est pro-* » *babilis; tenuis* enim probabilitas » *non est probabilitas,* sed dumtaxat » *quaedam falsa apparentia, seu* » *vana probabilitatis apprehensio,* » quae nullum prudentem timorem » producere potest, sed tantum *ali-* » *quam imprudentem formidinem;* » sed *imprudens formido, non est* » *formido,* quae valeat ullum pec- » cati periculum secum afferre. Ipsi- » met rigidi et stricti Tutioristae » communiter ajunt, quod hujusmodi » imprudentes formidines contemni » debent, nec de eis ulla ratio est » habenda. Insipientia revera esset » dicere, quod Deus nobis imposuerit » etiam futiles et irrationabiles timo- » res vitare. - Itaque, *proprie lo-* » *quendo,* opinio probabilissimae ad- » versa non est ea, quae tenuiter, » sed ea quae *dubitanter probabi-* » *lis* est; et haec, sicut probabilis- » sima (ut diximus) non caret omni » prudente formidine, quod sit fal- » sa; ita opinio probabilissimae op- » posita non caret omni prudenti » motivo, quod sit vera. Nunc peto, » posito quod opinio stans pro lege, » opposita *probabilissimae* stanti pro » libertate, est *dubie* probabilis, quo- » modo qui censet... »

III. *Opinio* PROBABILIOR (ut ipsa vox comparativa sonat), generatim sumpta, est illa, quae majorem habet gradum probabilitatis, prae altera cui opponitur. - Licet in opinione probabiliore (sicut in omni comparativo) plures cogitari possint gradus, recte tamen S. Alphonsus (et hoc proprium est S. Doctori) *duos* tantum distinguit gradus seu species *essentiales,* opinionem scilicet *certe ac proin notabiliter* probabiliorem, et opinionem *parum seu dubie* probabiliorem. - Cujusmodi sit utraque, sedulo perpendere juvat: quippe quod haec essentialis distinctio clavis est totius Systematis Aequiprobabilismi.

1. *Opinio* CERTE *probabilior*, ex mente S. Doctoris, illa est, quae, *post institutam rationum ponderationem pro utraque opinione mili-*

1) Cfr. ultimam Edit. a S. Sede approb. pag. 33 ; et recentiores editiones, Tr. de consc. n. 82. — Vide etiam n. LXIV. *Dissertationis*, in Theol. mor. edit. 6. anni 1767. — *Apologia* 1769. n. 36. — *Homo Apost.* Tr. 1. n. 65. — Cfr. praesertim infra relata, cap. II. §. 2. art. 1. punct. V.

tantium, absque ulla haesitatione judicatur certe praeponderans: ita ut *opposita* (licet *in se* probabilis) *relate ad ipsam* nequeat amplius dici *vere* probabilis, sed tantum *tenuiter,* aut *saltem dubie* probabilis. - Sic enim docet S. Alphonsus: « *Cum opi-* » *nio* pro lege *est* CERTE *et sine ulla* » *haesitatione probabilior, tunc opi-* » *nio illa non potest esse nisi* NOTA- » BILITER *probabilior.* Et eo casu, » opinio tutior non erit jam dubia » (intelligendo de *dubio stricte sum-* » *pto,* ut in altera quaestione dice- » mus), sed est *moraliter aut quasi* » *moraliter certa; saltem nequit dici* » *amplius stricte dubia, cum pro* » *se certum habeat fundamentum,* » *quod ipsa sit vera.* Unde tunc fit, » quod *opinio minus tuta, quae certo* » *fundamento caret,* remaneat aut » TENUITER, *aut saltem* DUBIE *pro-* » *babilis,* RESPECTU TUTIORIS... »[1]

Tria hic notare juvat. 1°. S. A. hanc Opinionem minime confundit cum *Sententia moraliter certa;*[2] haec enim *certa* apprehenditur potius *in se spectata,* quam ex vera et proprie dicta comparatione cum alia quadam adversa opinione. *Certa* autem et *notabilis praeponderantia* alicujus opinionis exsurgere nequit, nisi RELATE AD ALIAM OPPOSITAM, quae (etiamsi, *in se spectata,* vere et solide probabilis esse possit), post institutam utriusque rationum ponderationem, judicatur *certe et notabiliter minus probabilis;* et ideo *tenuiter* aut saltem *dubie* probabilis, *respectu tutioris.* Quare etiam S. A. consulto addit: « *saltem* (certe pro- » babilior) *nequit dici amplius stri-* » *cte dubia:* » siquidem, ex sententia S. Doctoris, *dubium strictum* tunc tantum habetur, cum opiniones sunt *aeque* vel *fere aeque* probabiles (cfr. infra, pag. 17.). - 2°. Quod S. Doctor dicit de opinione certe probabiliore *pro lege,* valet etiam de opinione *pro libertate:* ita ut si haec est certe probabilior, opposita pro lege non sit nisi tenuiter aut saltem dubie probabilis. - 3°. Scitissime advertit S. A., ut opinio quaedam dici possit et debeat certe et ideo notabiliter probabilior, sufficere, ut intellectus *certo et absque ulla haesitatione* judicet, ipsam VEL UNICO GRADU probabiliorem esse. Ratio, cur opinio pro lege, quae certe et sine ulla haesitatione, *vel uno solo gradu* probabilior videtur, non possit esse nisi *notabiliter* probabilior, evidens est: secus enim omnes haesitationes et fluctuationes inter rationes pro utraque opinione militantes, non cessassent. Etenim moraliter impossibile est, ut quis, si praeponderantia tenuis et modica est, firmum et inconcussum judicium ferat, opinionem pro lege reapse vel uno solo gradu probabiliorem esse, nullaque de hac re dubitatio ejus mentem subintret.[3]

2. *Opinio* PARUM *probabilior* est illa, quae « *innititur fundamento* » *graviori, sed cum prudenti for-* » *midine de opposito: cum opinio* » *opposita probabiliori possit etiam* » *gravi fulciri fundamento, ac pro-* » *inde pro illa potest revera stare* » *veritas.* »[4]

Hujusmodi opinio recte vocatur *parum* probabilior; quia, etsi habeat *quamdam majorem* probabilitatem ac opposita, ista tamen praeponderantia est *modica* tantum. At vero modica praeponderantia nihil aliud est nisi praeponderantia *dubia;* sed parva seu dubia praeponderantia nunquam dici potest *vera* et *absoluta,* ac proinde nunquam talis, quae contrariae opinioni veram, certam et gravem probabilitatem adimat. Hinc, licet opinio contraria probabiliori

1) Theol. mor. edit. 7. an. 1767., de consc. n. 55. II. (cfr. integrum textum, cap. II. §. 2. art. 2. punct. I. — 2) Vid. cap. IV. §. 1. art. 2. — 3) « *Dico, che quando la rigida* (sentenza) » *è* CERTAMENTE *probabiliore* ANCHE DI UN GRADO, *allora è anche notabilmente più pro-* » *babile: perchè...* » (cfr. cap. II. §. 2. art. 3., *Epistola 8. Aug. 1769.* et *Auctoris Monitum*); vid. etiam infra, cap. I. §. 1. art. 4. ad II. — 4) *Homo Apost.* edit. 1. Venet. 1759. Tr. I. de consc. n. 29.

paulo minus sit probabilis, *de utriusque* tamen *veritate subsistit dubium strictum;* et consequenter haec opinio parum probabiliori adversa, remanet et censenda est *vere, solide, graviter,* aut saltem *satis* seu *sufficienter probabilis.* [1]

3. Ex praemissis patet, omnino fundatam et rectam esse praefatam distinctionem S. Doctoris. Etenim, in concursu opinionis probabilioris cum alia opposita, duplex tantum datur casus. Vel ista probabilior ita *certe praeponderans* judicatur, ut altera, relate ad ipsam, non remaneat vere et solide probabilis; vel illius praeponderantia non judicatur certa, sed *dubia* tantum, ac proin modica, quae veram et solidam alterius probabilitatem elidere non valet. Priorem itaque S. Alphonsus recte vocat *certe et notabiliter* probabiliorem; alteram, *parum seu dubie* probabiliorem.

4. Haec sedulo notanda sunt, ne circa vocem: *probabilior* vel *probabilius,* ulla confusio oriatur. – Ex eadem distinctione facile simul intelligitur, quonam sensu accipienda sit duplex S. Alphonsi propositio, quae prima fronte sibi contradicere videtur. Siquidem ad quaestionem: *Utrum liceat sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore?* aliquando respondet *affirmative,* aliquando vero *negative.* In primo casu, loqui intendit de parum seu dubitanter probabiliore; in secundo intelligit certe et notabiliter probabiliorem. – Quomodo autem intelligendus sit S. Doctor, quando in solutione casuum, aliquam opinionem simpliciter vocat *probabiliorem:* dicemus in tertia Appendice huic Operi adjicienda.

IV. « *Opinio* PROBABILIS *est illa,* » *quae nititur gravi ac solido fun-* » *damento verisimili, vel intrinseco* » *rationis, vel extrinseco auctori-* » *tatis, quod valeat ad se trahere* » *assensum viri prudentis, etsi cum* » *formidine oppositi* »; [2] seu est illa, quae « *certum et grave habet* » *fundamentum* », [3] scilicet, « *gra-* » *ve motivum, quod sit vera, licet* » *in oppositum adsit formido.* » [4]

Hanc opinionem S. A. passim vocat *vere, realiter, solide, graviter, certe, absolute* probabilem; quibus verbis declarat, illam solam opinionem censendam esse *vere* probabilem, quae habet fundamentum, *non probabile aut dubium,* sed verum, reale, certum; *non aliquale,* sed solidum et grave, id est tale, quod valeat ad se trahere viri prudentis assensum. – Huic opinioni, stricte loquendo, opponitur *aequaliter* probabilis, scilicet ea, quae nititur fundamento ejusdem ponderis et gravitatis. Sed cum ex axiomate generali: *Parum pro nihilo reputatur,* certa et gravis probabilitas unius opinionis *nec elidit* veram probabilitatem alterius *paulo minus* probabilis, *nec eliditur* ab opinione *paulo majoris* probabilitatis: S. Alphonsus recte docet, opinionem vere probabili oppositam, non solum esse *aeque* probabilem, sed etiam illam quae *fere aeque* probabilis est, scilicet vel *paulo minus probabilis,* vel *parum probabilior.* – Ad Opinionem *vere* probabilem accedit SATIS vel SUFFICIENTER *probabilis,* quae vix a vere probabili differt.

V. Ad gradum verae et proprie dictae probabilitatis potius tendit quam illum revera attingat, *Opinio,* quae dicitur DUBIE vel etiam PROBABILITER *probabilis:* siquidem ei deest fundamentum sive *certum,* sive *sufficienter grave,* quale requiritur ad veram probabilitatem constituendam. Ista igitur opinio, etsi « non careat » omni prudenti motivo quod sit ve- » ra, nunquam tamen censeri potest » absolute probabilis », [5] ac proinde

1) Vid. infra, cap. II. *§.* 2. art. 2. punct. III. n. 77.; art. 3. *Epist. S. Aug. 1769.* n 2.; et *Auctoris Monitum,* n. 2. — 2) Dissertatio scholastico-moralis, 1755. n. 1. — 3) Ibid. n. 3. — 4) Dissert. scholast. mor., Neapoli 1749. pag. 10. — 5) Vid. supra pag. 5. ad II.

talis non est, quae valeat « *ad se* » *trahere viri prudentis assensum*».[1]

VI. *Opinio* TENUITER *probabilis* illa est, quae non habet nisi *fundamentum leve aut quasi leve veritatis;*[2] unde minime valet assensum viri prudentis ad se trahere. – Etenim « tenuis probabilitas non potest dici » vera probabilitas, sicuti tenuis for- » titudo et tenuis peritia non pos- » sunt dici vera fortitudo et vera pe- » ritia, sed potius dicendae sunt de- » bilitas et imperitia. »[3]

VII. Tandem extra limites probabilitatis est *Opinio* IMPROBABILIS, quae, utpote sententiae moraliter certae opposita, judicatur vel omni apparentia probabilitatis destituta, nec ullam vel levissimam admittit formidinem de opposito.[4]

VIII. Demum notandum hic venit, quid sit *Opinio* TUTA *et* TUTIOR. – « *Tuta* est, quae recedit ab omni » peccandi periculo; *tutior* vero, » quae magis a tali periculo recedit, » tametsi rationibus firmioribus non » nitatur; »[5] ex quibus patet, hujusmodi opinionem favere non libertati, sed *legi*.

IX. Ut igitur haec exposita paucis perstringamus, sequentia, *stricte loquendo,* statui possunt: 1°. Sententiae *moraliter* aut *quasi moraliter certae,* opponitur opinio vel *absolute* vel *simpliciter improbabilis*.– 2°. Opinio *certe et notabiliter probabilior* contrariam reddit *certe et notabiliter minus probabilem,* et ideo *tenuiter* aut *saltem dubie* probabilem. – 3°. Opinio *probabilissimae* adversa est *dubie* probabilis. – 4°. Opinio *parum probabilior* oppositam admittit *vere, certe, solide, graviter,* aut saltem *satis* seu *sufficienter probabilem*. – 5°. Opinio demum *vere et certe probabilis* contrariam admittit, non solum *aeque,* sed etiam *fere aeque probabilem;* ita ut nec elidat paulo minus probabilem, nec elidatur a parum probabiliore.

ARTICULUS 2.

De variis a S. A. allegatis Systematibus, una cum judicio quod de singulis profert.

Quo magis illustretur S. Alphonsi Systema morale, praemittere juvat, quaenam, testante ipso S. Doctore, fuerint suo tempore varia Systemata, sive rigidiora, sive laxiora, et quid ipsemet de illis sentiat. Porro, in prioribus Theologiae moralis editionibus, singula S. Alphonsus breviter ac dilucide sic exponit:

I. « Alii censuerunt, omnem opi- » nandi usum esse illicitum, adeo ut » *nec probabilissimam quidem* opi- » nionem liceret sequi, ut Sinnichius, » Vendrochius, etc.; et isti dicuntur » TUTIORISTAE *rigidi damnati:* ho- » rum enim doctrina proscripta fuit » ab Alex. VIII. in Prop. 3. quae dice- » bat: *Non licet sequi opinionem in- » ter probabiles probabilissimam...* » De (hac) sententia rigidorum Tu- » tioristarum futile est hic disceptare, cum ipsa jam per damnationem » Pontificis sit eliminata. »[6] – Et alibi subdit:[7] « Sententiam hanc exis- » timamus nimis rigidam, et quae » illaqueat conscientias, tale illis » onus imponendo, ut nullas alias » opiniones sequi possint, nisi quae » moraliter certae sint; et in hoc » Opusculo demonstrabimus, usum » opinionum aeque probabilium pro- » cul dubio licere. »

II. « Alii autem tenuerunt, non » esse licitum usum opinionis *nisi* » *probabilissimae,* cujus opposita nul- » lum motivum nisi leve, vel fere » leve videatur habere; sed hi pau- » cissimi sunt, et dicuntur TUTIORI- » STAE *mites non damnati...* Haec » autem sententia *universe rejicitur*

1) Cfr. infra, pag. 13. n. 2. — 2) Dissert. schol. moralis, 1755. n. 1. — 3) *Homo Apost.* tr. 1. n. 30. — 4) Vid. pag. 4. ad I. — 5) Theol. mor. tr. de consc. n. 40. — 6) Theol. mor. 2. edit. 1753. et tres aliae seq., lib. I. n. 44. — 7) *Apologia....* 1769., et *Homo Apost.* tr. 1. n. 32 (vid. infra, cap. II. §. 2. art. 2. punct. III. *n. 32.*).

» a Doctoribus, non solum Probabi-
» listis,.... sed etiam a Probabilio-
» ristis... »[1]

Hanc sententiam S. Doctor egregie confutat ex ipsa natura opinionis probabilissimae, et quidem in textu jam supra (pag. 5. ad II.) relato. - Post citata autem verba, haec addit ad rem nostram spectantia: « Nunc peto, posito quod opinio stans » pro lege, opposita probabilissimae » stanti pro libertate, est dubie pro-» babilis; quomodo qui censet illi-» citum esse immitti in periculum » transgrediendi legem, volens *pro-» babilissimam* sequi, poterit un-» quam in praxi cum tranquilla con-» scientia induci ad firmiter creden-» dum, quod opinio stans pro lege non » sit vere probabilis, et sic proba-» bilissima uti, quin periculo trans-» grediendi legem exponatur? Ubi » stateram inveniet tam exactam, » quae ipsum reddat securum, quod » opinio stans pro lege careat qui-» dem tanto probabilitatis pondere, » quod illam efficiat probabilem, et » sic ipse secure, et a periculo immu-» nis operetur? - Idcirco repeto, quod » ab initio dixi, quod *ille qui credit » non posse teneri in praxi aliquam » opinionem minus tutam, nisi pro-» babilissima sit, cum magna dif-» ficultate poterit sibi formare di-» ctamen certum ad operandum, » nisi strictum amplexetur Tutio-» rismum,* quod solummodo ab omni » periculo legem transgrediendi im-» mune atque liberum est. »

Dein subjungit: « Instant Adver-» sarii, et dicunt: Qui tutiores opi-» niones amplectitur, tutius incedit. » Respondeo. Nefas quidem est, di-» vinarum legum observantiam re-» laxare plus quam licet; sed non » minus est malum, divinum jugum » plus quam oportet durum aliis red-» dere. Nimia enim severitas, scribit » Cabassutius,[2] *dum homines ad ni-» mis ardua compellit, viam salutis » aeternae praecludit; salvandos (ut » ait D. Bonaventura) damnat, et » conscios propriae infirmitatis ad » desperationem adigit. Accidit e-» nim, ut miseri homines, hac au-» dita rigidiore doctrina, credant, » vel dubitent inesse mortalem cul-» pam, ubi nulla est; sed tamen, rei » difficultate victi, ex erronea con-» scientia mortaliter peccent, et da-» mnentur...* Hinc sapienter scripsit » Jo. Gerson: *Doctores theologi non » debent esse faciles ad asserendum, » aliqua esse peccata mortalia, ubi » non sunt certissimi de re; nam » per ejusmodi assertiones rigidas » et nimis strictas in rebus univer-» sis, nequaquam eriguntur homi-» nes a luto peccatorum, sed in il-» lud profundius, quia desperatius, » demerguntur. Quid prodest, imo » quid non obest coarctare plus justo » mandatum Dei, quod est latum ni-» mis?*[3] Optime nos instruit S. Chry-» sostomus: *Circa vitam tuam esto au-» sterus, circa alienam benignus.*[4] » Addit P. Suarez, et ait: *Imo potius » periculum animarum incurrere-» tur, si tot vincula in casibus du-» biis injicerentur.*[5] Idque fusius » Card. Pallavicinus scite explicat: » *Per se spectatum, effatum illud:* » In dubio, tutior pars est eligenda, » *verissimum est, si recte intelliga-» tur: nam, vel agitur de electione » practica, et haec semper debet esse » tutissima, quia debet esse eviden-» ter licita; vel de electione senten-» tiae speculativae, et circa eam » quaerenda quidem est major se-» curitas sententiae, non major se-» curitas actionis. Si induceretur » opinio, quod semper teneremur fa-» cere actionem, quae securior est, » etiam a transgressione materiali, » haec opinio non esset tutior, sed » maxime exposita periculo frequen-» ter transgressionis formalis; qua-» re tutior est opposita.*[6] Idem scri-» psit P. Bancel, dominicanus: *Multa*

1) Citatae editiones Theol. mor., n. 44. et 46. — 2) In Praefat. Theor. juris etc. — 3) De vita spirit. lect. 4. — 4) Ita in Can. *Alligant*, 26. q. 7. — 5) In 2. 2. q. 89. art. 7. — 6) In 1. 2. disp. 9. c. 4. art. 11. n. 12.

» *sunt, quae tutius est facere, sed* » *simul etiam tutius est non se cre-* » *dere obligatum ad ea facienda,* » *nisi moraliter ipsi constet de tali* » *obligatione.* [1] Hinc idem Auctor » concludit: *Cum non debeamus for-* » *mare conscientiam de obligatione* » *ad aliquid sub poena, nisi mora-* » *liter constet de obligatione, non* » *debemus onus illud imponere, dum* » *moraliter nobis constat, superes-* » *se nobis libertatem amplectendi* » *quamcumque voluerimus ex hu-* » *jusmodi opinionibus.* »

III. « Alii vero dixerunt licere uti » opinione, quae *validiori* nititur » motivo; et hi dicuntur PROBABILIO- » RISTAE ». [2] Istorum autem variae sunt species, prout scite adnotat S. Alphonsus: « Ipsi Probabilioristae, » licet se jactent veritatis sectato- » res, tamen *in designando proba-* » *bilioris sententiae usum,* ita dis- » sident, et principia tam inter se » diversa adstruunt, ut veritatis in- » veniendae viam penitus intercluc- » dere videantur.... Alii enim, cum » *P. Wigandt* et *Natali de Alexan-* » *dro,* admittunt opinionem probabi- » liorem libertati faventem, modo » nitatur fundamento, quod sit gra- » vior ratione opposita. Alii, cum » *Juenino,* admittunt opinionem pro- » babiliorem, si hauriatur ex Scri- » ptura et Traditione, non autem si » ex ratione, aut Doctorum authori- » tate. Alii, apud ipsum Jueninum, » admittunt in jure positivo, non au- » tem in jure naturali... » [3]

Quid autem de istorum omnium doctrina senserit S. Alphonsus, neminem sane latet. Siquidem per quadraginta circiter annos, strenuum et acerrimum cum ipsis certamen sustinuit, atque integra volumina contra ipsos composuit. – Quamvis in praesenti Dissertatione non agatur de vindicanda S. Alphonsi doctrina a Probabilioristarum impugnationibus, ad pleniorem tamen ejusdem intelligentiam, praecipua saltem argumenta quibus illos invicte perstringit, paucis referre juvabit.

1. PROBABILIORISTIS itaque, cujuscumque sint speciei, S. Doctor sequentem opposuit thesim: *Quando duae opiniones contrariae concurrunt, quae aequaliter vel saltem quasi aequaliter probabiles sunt* (ita scilicet, ut praeponderantia unius opinionis modica, et excessus dubius sit), *opinionem in favorem libertatis, relicta opposita tutiore, amplecti licet.* – Ratio est: *Lex incerta non potest certam obligationem inducere, quia hominis libertas anterius ad legis obligationem possidet.* Ultima autem ratio est: *Quia certa voluntas divina praeferenda est incertae.* Et hac ratione, potissimae Probabilioristarum objectiones radicitus refelluntur.

2. Quaerunt quippe, quomodo in concursu duarum opinionum aequaliter probabilium, contendi possit, legem pro non existente esse habendam: cum tamen ex hypothesi, existentia legis pariter probabilis sit, et consequenter pari ratione toties obtinget, quod lex existat, quoties, quod non existat? Quaerunt itaque, quo jure contendi possit, libertatem semper esse praeferendam, dum ipsa rei natura et reverentia atque observantia supremo Domino et Legislatori debita, contrarium exigat? Et inde concludunt, merito ab ipsis postulari, ut opinio in favorem libertatis *saltem notabiliter probabilior* sit; quia in hoc casu, regulariter saltem et secundum communiter contingentia, lex revera non existit, et ideo divinae Majestati nulla fit injuria, et observantia debita non laeditur.

3. Ad quas quaestiones et difficultates prompta patet responsio: *Certa voluntas divina incertae praeferenda est.* – Deus, ex beneplacito suo, hominem liberum creavit, et postea praecepta ipsi imposuit, quibus ejus

1) Brev. univ. Theol. p. 2. tr. 6. q. 5. art. 5. — 2) Cfr. cit. priores edition. Theol. mor. n. 44. — 3) Dissertatio scholastico-moralis, Neapoli 1755. n. 120.

libertas restringatur. Ideo, in concursu duarum opinionum aequaliter probabilium, quilibet sequentem argumentationem adhibere potest: Deus libertate me donavit, et vult ut libertate mea utar, in quantum non aliquod praeceptum ejus restrictionem exigat; quemadmodum docet Angelicus: « *Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur.* » - Haec dispositio divina certa est; utrum autem Deus velit, ut in casu, de quo agitur, libertati meae renunciem, incertum est; ergo tuta conscientia in possessione libertatis, qua me Deus donavit, persistam, donec contraria ejus voluntas mihi innotescat.

4. Nec objici potest regula generalis, quemlibet in rebus dubiis, illam saltem opinionem amplecti teneri, quae *propius ad veritatem accedit.* Hac objectione utique feriuntur *Probabilistae,* non autem *Aequiprobabilistae.* Cum enim ex hypothesi, ambae opiniones, etiam post debitam inquisitionem, aequaliter probabiles appareant, de neutra opinione dici potest, quod propius ad veritatem accedat. Cumque homo suspensus manere nequeat, et alterutram eligat necesse sit; recte opinionem libertati faventem eligit, secundum axioma modo expositum: *Certa voluntas divina incertae praeferenda est.*

5. Objiciebat P. Patutius, *possessionem Legis aeternae antecedere nostrae libertatis possessionem, et ideo in dubiis, opinionem pro lege praeferendam esse.* Ipsum vero confutat S. Doctor,[1] probans ex D. Thoma, quod, « *prioritate rationis,* prius » a Deo consideratus fuit homo tam » quam *liber,* et deinde considerata » fuit lex, qua homo ligandus erat. » - Cumque adversarius ipsi opposuisset: « *Ergo homo nascitur liber et independens* », scitissime respondet: « Neutiquam; nascitur potestati divinae subjectus, et consequenter » obligatus omnibus parendi praeceptis, quae Deus illi imposuerit; sed » ut homo hujusmodi praeceptis liget, requiritur, ut illa ipsi promulgentur et innotescant per rationis lumen; sed donec praeceptum » non est homini manifestatum, possidet ipse *libertatem illi a Deo donatam, quae cum sit certa, non nisi a praecepto certo ligatur;* et » cum *lex* sit regula et mensura, » qua homo suas actiones regulare » et mensurare debet, oportet quidem, ut haec regula et mensura » *incerta non sit.* - Falsum autem » est id, quod adversarii autumant, » nempe quod nihil possit homo agere, nisi certo sciat, illud sibi fuisse » a Domino permissum. Nam si hoc » esset, lex divina non indiguisset » promulgatione; sed tantum opus » fuisset, ut Deus omnia, quae nobis » permittebat operari, declarasset. » Sed Deus non ita fecit: « *Deus ab » initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. » Adjecit mandata et praecepta sua: » si volueris mandata servare, conservabunt te,* etc. » Eccl. 15. 14. » Prius itaque Dominus hominem liberum creavit, ei donando ex suo » beneplacito libertatem; juxta id, » quod scribit Apostolus: *Potestatem » habens suae voluntatis.* 1. Cor. 7. » 37. Et postea mandata, quae tenebatur servare, adjecit ac imposuit: » et ideo *hominis libertas, cum certa » sit, possideatque ante legis obligationem, ipsa nonnisi a lege certa ligatur.* »

6. Recte igitur S. Doctor fere omnes suas Dissertationes et Apologias, ac ipsum Systema postremae Theologiae moralis editioni insertum, concludit: « *Ego, ut sincere veritatem fatear, cum Theologiae » moralis scientiae vacare coepi, » quia rigidioris sententiae magistrum mihi audire contigit, pro » hac strenue cum aliis tunc temporis contendebam; sed postea meliius rationes hujus controversiae

1) In *Systemate morali;* cfr. Theol. mor. edit. 9. approb., pag. 26. (in recentioribus edit. num. 77.).

» *discutiens, opposita sententia quae* » *pro opinione* AEQUE *probabili stat,* » *moraliter certa mihi visa fuit:* et » quidem inductus ab illo pluries hic » repetito principio, quod *lex dubia* » *non potest obligare.* Hinc persuasus » remansi, nefas esse conscientias, » cum opiniones sunt *aeque* probabi- » les, ad tutiorem sequendam adstrin- » gere, cum periculo in plurimas for- » males culpas incurrendi. – Praeter- » ea tamen, cum nostra hac tempe- » state viderim ita acriter adversus » mitiorem sententiam reclamari, » *multoties hoc punctum ad truti-* » *nam diligenter revocavi, legens,* » *ac relegens Auctores omnes quot-* » *quot ad manus habere potui mo-* » *dernos,* qui pro rigida sententia » certabant, promptus a mea senten- » tia desciscere, statim ac non am- » plius certa mihi appareret; prout » enim plures opiniones, quas ali- » quando tamquam probabiles habui, » postea non erubui eas reprobare; » ita, imo *tanto magis non erubuis-* » *sem hanc sententiam, quae majo-* » *ris est momenti, retractare.* Sed » quo diligentius rationes *nostrae* » *sententiae* perpendere sategi, eo » magis certae mihi visae sunt. – Cae- » terum, si quis adesset, qui me cla- » rioribus momentis illuminare pos- » set, falsitatem ostendendo duorum » principiorum, quae hic exponere » curavi, multas ei gratias haberem, » atque statim etiam per publicam » scripturam me revocari polliceor. » Donec tamen aliter mihi, quam in » praesentiarum sentio, persuasum » non erit, dico quod sine gravi con- » scientiae remorsu non possem alios » adstringere ad sequendam tutio- » rem, cum opiniones *aeque* sunt pro- » babiles, nisi oppositum declararet » Ecclesia, cui libenter, si declara- » bit, judicium meum submitto. »[1]

IV. « Alii, PROBABILISTAE vocati, » putarunt licitum esse usum opinio- » nis *solide probabilis,* in concursu » *aeque probabilis,* ac etiam *pro-* » *babilioris.* »[2] – Hanc sententiam S. Doctor (ut ex sequenti Articulo patebit) partim rejicit, partim admittit.

1. Ipsam *rejicit,* eo sensu quod liceat sequi opinionem probabilem, in concursu non solum aeque probabilis, vel parum probabilioris, sed etiam *certe probabilioris.* Qui hanc sequuntur, merito vocari possunt *Probabilistae simplices,* seu rectius cum S. Alphonso *laxiores:* quia, ex sententia S. Doctoris, in concursu opinionis *certe* probabilioris pro lege, opinio libertati favens nequit amplius dici *solide,* sed *tenuiter* tantum aut *saltem dubie* probabilis.[3]

2. Ipsam vero *admittit* in concursu opinionis *aeque* vel *fere aeque* probabilis, id est, vel *parum minus probabilis,* vel *parum probabilioris.* Et haec est sententia S. Alphonso propria, quae vocari potest *Probabilismus moderatus,* rectius autem et communiter AEQUIPROBABILISMUS nuncupatur.[4]

V. Sequuntur demum qui LAXISMO aperte favent, juxta quos semper licitus est usus cujuscumque opinionis, etiam *tenuiter* probabilis. – Contra omnes Laxismi fautores S. Alphonsus speciatim docet:

1. Certum est: « *illicitum esse uti* » *opinione tenuiter probabili,* ut pa- » tet ex prop. 3. proscripta ab Inno- » cent. XI. quae dicebat: *Generatim,* » *dum probabilitate sive intrinseca,* » *sive extrinseca, quantumvis tenui,* » *modo a probabilitatis finibus non* » *exeatur, confisi aliquid agimus,* » *semper prudenter agimus.* Haec » propositio merito damnata fuit; te- » nuis enim probabilitas nequit dici » vera probabilitas, sicut tenuis for- » titudo, aut tenuis peritia dici ne- » quit vera fortitudo, et vera peri- » tia, sed potius dicenda est imbe- » cillitas, aut imperitia. »[5]

1) Theol. mor. edit. 9. approbata, lib. 1. pag. 34. (in recentior. edit. n. 83.). — 2) Cfr. cit. priores editiones, n. 44. — 3) Vid. supra, pag. 5. ad III. — 4) Vid. infra, art. 4. in fine, et cap. III. §. 2. — 5) Theol. mor. edit. 6. lib. 1. n. 53.

2. Praeterea ex dictis in Art. 1. (pag. 5. ad II.) de opinione probabilissima, cui opponitur *dubie* probabilis, jam infertur illicitum esse sequi opinionem *dubie* vel *probabiliter* probabilem (cfr. etiam, pag. 7. ad V.). – Et alibi S. Doctor expresse dicit: « È certo, non esser lecito seguire l'opinione tenuamente probabile... *E lo stesso corre per l'opinione dubbiamente probabile, o sia probabilmente probabile.* »[1]

3. Adde, Laxistas etiam feriri ex doctrina S. Alphonsi circa probabilitates *facti*, quam in sequenti Articulo exponemus.

Articulus 3.

Summatim exponitur genuinum S. Alphonsi Systema.

Satis non habuit S. Doctor praefata systemata sejunctim impugnare; sed animo perpendens, animarum saluti aeque obesse cum laxitatem, tum rigorem, inter varia ista sibi adversantia systemata proprium condidit ac propugnavit Systema *Aequiprobabilismi*, quod firmissimis argumentis innixum, mediam viam tenet inter communem seu simplicem Probabilismum et Probabiliorismum. – Cum autem limites praesentis Dissertationis non sinant, ut singulas hujus Systematis partes longiori sermone exponamus, praecipua saltem ejusdem capita et momenta summatim delineabimus.

I. De Conscientia probabili disserens, S. Alphonsus praemittit definitionem sibi propriam, qua, velut in nucleo, substantia ejus Systematis haud obscure continetur. Ait enim: « *Conscientia probabilis est, qua quis innixus aliqua opinione probabili, format sibi practicum dictamen rationis ex certis principiis reflexis, sive concomitantibus, ad licite operandum.* »[2] – Sic definita, Conscientia probabilis est recta regula morum: quia, stante dubio speculativo invincibili, ipsa pervenit, ope principiorum inconcussorum concomitantium, ad *practicam certitudinem moralem de honestate actionis*, quae semper requiritur ad licite agendum. – Hinc duo sequuntur:

1. Quod nunquam agere liceat *vi solius probabilitatis*, quanticumque sit gradus: « quoniam sola probabilitas haud firmum praebet fundamentum ad licite operandum; »[3] siquidem probabilitas non est nisi dubium positivum, quod per se nunquam dare potest requisitam securitatem in agendo. In hoc sensu, S. Alphonsus prorsus rejicit effatum illud commune inter Probabilistas: *Qui probabiliter agit, prudenter agit.*[4]

2. Quoties haberi nequit certitudo moralis ex principiis directis, recurri potest et debet ad *principia reflexa* seu *concomitantia*, a quibus omnino pendet usus probabilitatis. – Hujusmodi principia S. Alphonsus sic recenset et exponit:[5] « Horum Principiorum principalissimum est illud, quod LEX DUBIA NON POTEST CERTAM INDUCERE OBLIGATIONEM. Veritas hujus principii (quod non negatur, neque ab ipsis rigidae sententiae fautoribus) evidenter in Dissertatione mox enunciata probabitur...[6] Ex hoc autem primo efformatur secundum illud Principium: MELIOR EST CONDITIO POSSIDENTIS. Quoties enim lex dubia minime ligat hominem, homo utique remanet solutus, et liber ab obligatione legis; eoque casu licite potest uti sua libertate, quam vere possidet, cum lex est dubia; ait enim S. Thomas: *Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur.*[7] Hoc autem secundum Principium, licet aliqui illud infirmare conentur, dicentes, quod valet tantum pro foro, vel tantum in ma-

1) *Dell'uso moderato...* 1765. cap. I. n. 2. et cap. V. n. 25. (cfr. infra, cap. II. §. 2. art. 1 punct. V.). — 2) Theol. mor. de consc. n. 40. — 3) Vid. infra, cap. II. §. 2. art. 3. punct. II. *Auctoris monitum.* — 4) Ibid., et alibi passim. — 5) Theol. mor. de consc. n. 26. — 6) Scilicet, in *Systemate morali.* — 7) In 4. sent. dist. 15. q. 2. art. 4. ad 2.

» teria justitiae: ego tamen nescio, » quomodo in omnibus negari possit. » Quaestio tantum esse potest, an in » quolibet dubio morali possideat lex, » aut libertas. Antiprobabilistae di- » cunt, semper legem possidere; *nos* » *vero dicimus, aliquando possidere* » *legem, aliquando libertatem,* nem- » pe cum lex non est adhuc promul- » gata. Haec (dico) quaestio est; sed » nemo negare potest Principium: » meliorem semper esse possidentis » conditionem. *Casu igitur quo pos-* » *sidet lex, pro ea standum est; si* » *vero possidet libertas, standum pro* » *libertate.* – Ad dignoscendum au- » tem, pro qua parte in dubiis stet » possessio, videndum pro qua stet » praesumptio. *Praesumptio* vero » stat pro ea parte, quae non tene- » tur ipsa factum probare, sed onus » probandi illud transfert in alteram: » FACTUM enim NON PRAESUMITUR, » NISI PROBETUR; quod est aliud Prin- » cipium approbatum a l. 2. de Pro- » bation. In dubio igitur factum non » praesumitur, sed est probandum. » Si vero factum est certum, puta, » si matrimonium certe est initum, » et dubitatur an rite initum sit, » aliud Principium servari debet: *In* » *dubio, omne factum praesumitur* » *recte factum.* Sive: *In dubio prae-* » *sumitur factum, quod de jure fa-* » *ciendum erat.* Sive: STANDUM PRO » VALORE ACTUS. »

II. Advertit dein S. Doctor[1] « aliam » esse probabilitatem *Facti,* aliam » *Juris.* Probabilitas FACTI est, quae » versatur circa *rei veritatem,* sive » rei *substantiam;* nempe an Sacra- » mentum cum tali materia collatum, » sit validum aut nullum: an con- » tractus cum tali pacto initus, sit » usurarius, vel ne. *Probabilitas* au- » tem JURIS versatur circa *honesta-* » *tem actionis;* id est an *liceat* Sa- » cramentum cum tali materia con- » ferre: an contractum cum tali pa- » cto inire. »

III. Quibus praemissis, ex mente S. Alphonsi duplex statuendum est principium, videlicet:

1. *Quoties in dubio* FACTI *intervenit* PERICULUM MALI AB HONESTATE ACTIONIS DISTINCTI,[2] *illicitus est usus probabilitatis, et tenenda est opinio tutior* (contra quosdam Laxistas).

2. *Quoties autem in dubio* JURIS *agitur* DE SOLA HONESTATE ACTIONIS *(aut omissionis), licitus est usus opinionis probabilis juxta debitam et legitimam applicationem principiorum reflexorum* (contra Probabilioristas et Probabilistas).

Duo ista principia modo diligenter perpendemus. Sit ergo

I.

DE ILLICITO USU PROBABILITATIS; *ubi intervenit periculum mali ab honestate actionis distincti.*

Hac de re, S. Doctor sequentem regulam generalem tradit:[3] « *Dici-*

1) Theol. mor. de consc. n. 41.

2) Triplex distingui potest periculum in usu opinionis probabilis: periculum sc. *erroris*, periculum *peccati*, et periculum *mali externi a malo culpae distincti.* — Porro, 1°. in omni usu opinionis probabilis, necessario adest periculum seu formido *erroris:* ut patet ex notione ipsius probabilitatis (cfr. pag. 4. art. 1. ad I.). — 2°. Quando agitur de sola honestate actionis aut omissionis, i. e. *in dubiis meri* JURIS, non removetur quidem *periculum peccandi materialiter:* hoc enim intime connexum est cum periculo errandi circa legem; bene tamen removeri potest *periculum peccati formalis*, seu culpae: quia hoc unice pendet a dictamine conscientiae; sed conscientia, in dubio vel in aequiprobabilitate, et ideo in ignorantia invincibili posita, recte sibi format, ex legitimo usu Principiorum reflexorum, dictamen practicum de liceitate actionis, ut invicte probat S. Alphonsus (lib. I. n. 24. 25. 26.; et in systemate morali, n. 81. 82.). — 3°. Quando vero, in *dubiis* FACTI, periculo errandi intime connexum est *periculum mali externi*, sive moralis, sive physici (uti v. g. in usu remedii aeque probabiliter profuturo aut nocituro) tunc periculum istud tolli nequit per usum Principiorum reflexorum: quia, cum hujusmodi periculum sit externum, in ipsa re seu in ipso facto positum, et a periculo laedendi honestatem omnino distinctum, *evidenter non pendet ab interno dictamine;* ac proinde, nisi agens jus habeat permittendi periculum istud externum (v. g. in legitima sui defensione), ipse nequit uti opinione probabili: quia obstat lex certa, qua prohibetur hujusmodi periculum incurrere. — 3) Theol. mor. de consc. n. 42.

» *mus, nunquam esse licitum uti* » *opinione probabili probabilitate* » FACTI, *cum periculo damni alte-* » *rius aut sui ipsius;* quia hujusmo- » di probabilitas minime aufert pe- » riculum damni; si enim opinio illa » est falsa, non evitabitur proximi » aut operantis damnum; nam si, » exempli gratia, Baptismus cum sa- » liva collatus revera est nullus, ita » ut infans sine Baptismo remaneat, » probabilitas in oppositum non pot- » est utique efficere, ut sit validus.» - Et alibi [1] aliud exemplum affert, in quo simul clarius praefatae regulae rationem declarat: « Si vibretur sa- » gitta in probabili dubio an obje- » ctum illud sit homo vel fera, non » agitur contra legem dubiam, sed » *contra certam:* tali enim casu *certa* » *lex* est, ne in probabile conjiciatur » periculum vita proximi, qui *cer-* » *tum jus* habet ne laedatur. »

Porro, ex allata regula S. Alphonsus sequentia deducit:

1. « Non est licitum *in materia* » *Fidei, et in omnibus ad aeternam* » *salutem necessitate medii spectan-* » *tibus,* sequi opinionem nec minus » probabilem... neque probabiliorem; » sed tenemur sequi sententiam *tu-* » *tiorem;* ac per consequens ample- » cti debemus Religionem magis tu- » tam, qualis est procul dubio no- » stra Catholica.... » [2]

2. « *In collatione Sacramentorum,* » nequit minister uti opinione nec » probabili, nec probabiliori circa » eorum valorem; sed tenetur sequi » sententiam *tutam,* quae est illa » quae vel est tutior, vel moraliter » certa.... »: nisi (addit S. Doctor) urgeat necessitas, aut nisi Ecclesia possit supplere, et moraliter certum sit quod supplet, v. gr. jurisdictio- nem Confessarii. [3] - « Quod dictum » est de administratione Sacramen- » torum, dicendum etiam de *susce-* » *ptione;* ita ut nullus possit susci- » pere Sacramentum cum opinione » probabili.... Censeo non recedem- » dum a prima sententia, saltem » quia secunda (contraria) fere nun- » quam poterit deduci in praxim a » suscipientibus, sine proprio animae » detrimento. » [4]

3. « *Medicus* tenetur adhibere me- » dicamenta *tutiora* infirmis profu- » tura; nec potest uti remediis mi- » nus probabilibus, relicto probabi- » liori, sive tutiori: in medicamen- » tis enim probabilius est, quod est » tutius pro sanitate infirmi. » [5] Attamen, quando desperatur de salute infirmi, licet applicare remedium probabile aut dubium, « quia confor- » mius est prudentiae, et voluntati » infirmi (praesertim si ipse expresse » in hoc consentiat) applicare illi re- » medium dubium, quam illud omit- » tere cum certitudine mortis. » [6] - Huc spectat saluberrima doctrina a S. Alphonso tradita de *medico ani-* *marum,* qui, *qua talis,* tenetur uti opinionibus tutioribus. [7]

4. « *Judex* tenetur judicare jux- » ta sententiam *probabiliorem;* ipse » enim tenetur ex praecepto divino » et humano, jus suum cuique tri- » buere, pro majori pondere ratio- » num, quae cuique favent... » [8]

5. Uno verbo: « Non possumus uti » opinione probabili *cum periculo* » *spiritualis aut temporalis damni* » *proximi,* semper ac (intelligitur) » proximus est in certa sui juris » possessione. » [9] - Sedulo notanda est haec clausula: « *semper ac pro-* *ximus est in certa sui juris posses-* *sione,* » quam S. Doctor his verbis uberius explicat: [10] « Non licet uti » opinione probabili, cum alterius » damno. Hoc tamen valet, cum pro- » ximus certe possidet suum jus; si » secus esset, opinio poterit esse pra- » ctice probabilis *de jure,* sive pro- » babilis proxima, ut dicunt DD., » v. gr. opinio asserens, quod quo-

1) *Homo Apost.* tr. 1. n. 66. — 2) Theol. mor. l. c., n. 43. — 3) Ibid. n. 48-50. — 4) Num. 51. — 5) Num. 44. — 6) Num. 46. — 7) Cfr. infra, art. 4. — 8) Theol. mor. l. c., n. 47. — 9) *Homo Apost.* tr. 1. n 33.; et *Apologia* 1769. n. 4.; vide etiam Opusc. *Dell' uso moderato...* 1765. cap. 1. n. 9. — 10) *Homo Apost.* tr. 1. n. 28.

» ties aliquis alicubi est jam infamia » notatus, nulla ei gravis injuria in» fertur, si quis ejus crimen, licet » occultum, alibi promulgaret. Vide » alia hujus generis exempla in Ope» re (sc. in Theologia morali). Ratio, » quia in omnibus istis casibus, pro» ximus consideratur non habere jus » certum, aut saltem certam posses» sionem illius. »

6. Ad praefatam regulam, inter alia exempla, referuntur ea quae tradit S. Alphonsus de *possessore bonae fidei* in materia justitiae, scilicet, illum non teneri ad restituendum pro rata dubii, aut spei alterius (sicut tenetur possessor malae aut dubiae fidei, qui nempe vel cum dubio incepit possidere, vel superveniente dubio omisit diligentiam); sed verius talis possessor bonae fidei ad nihil tenetur: nisi « *contra pos*» *sessorem rationes sint taliter pro*» *babilissimae, ut fundent contra* » *ipsum moralem certitudinem;* tunc » ipse tenetur totam rem restituere; » si autem secus, ad nihil tenetur. »[1] Et idem tenendum dicit, etiamsi possessor nullam habeat pro se probabilitatem: quia « si haberet posses» sionem certam ac legitimam bonae » fidei, tunc *sola possessio,* etiamsi » nulla alia ratio ei suffragaretur, » praeberet illi *jus certum,* quod » superari non potest nisi *a ratio*» *nibus certis oppositis,* non autem » ab opinione probabili, quae neces» sario formidinem includit. »[2]

II.

De licito usu Probabilitatis *ubi agitur de sola honestate actionis.*

Celebris modo nobis occurrit controversia: quaeritur namque: *Quando, in quaestione Juris, diversitas datur opinionum, quarum alia stat pro lege, alia pro libertate, quaenam pars sequenda sit?* - Solutio hujus quaestionis maximi, ut patet, est momenti; siquidem ab ipsa pendent innumerae solutiones practicae casuum moralium. Hinc varia a variis Auctoribus condita fuerunt systemata, vel legi, vel libertati faventia, prout in praecedenti Articulo vidimus. Nullus autem, fidenter asserimus, excepto S. Doctore nostro, hanc quaestionem adaequate et omni ex parte solvit; alii namque, ut Tutioristae et Probabilioristae, dixerunt, potius standum esse legi; alii, ut Probabilistae, censuerunt generatim favendum esse libertati.

Docet itaque S. Alphonsus, nec semper standum esse legi, nec semper favendum libertati; sed modo huic, modo illi, prout uni aut alteri favet *jus possessionis.*[3] - Hinc duplex oritur status quaestionis: *Vel dubitatur de legis aut juris* Existentia, v. gr. an lex sit condita, promulgata; an habeat hunc sensum; an se extendat[4] ad hunc casum aut subjectum; an imponat tale onus; an inceperit obligare; an votum fuerit emissum, an tali sensu; an existat hoc debitum, contractus, promissio; an Superior ille, qui nondum est in pacifica possessione sui juris, sit legitimus; et similia. - *Vel dubium est de* Cessatione *legis aut juris certe prius existentis,* v. gr. an lex sit abrogata, aut revocata, aut abolita per desuetudinem, per consuetudinem contrariam, per privilegium; an in ea sit derogatum, aut dispensatum; an obligare desierit; an adsit causa excusans a legis aut voti obligatione; an legem aut obligationem impleveris; an Superior justa praeceperit; et alia hujusmodi.

Pro diversitate quaestionis, diversimode respondet S. Doctor; en itaque genuina et integra ejus doctrina.

1) Theol. mor. de consc. n. 35. in fine. — 2) Ibid. n. 36. — 3) Vide supra, pag. 14. — 4) Quod dicitur de *existentia* legis, dicendum est etiam de ejus *extensione:* etenim, quaerere an lex ad talem casum se extendat, idem est ac quaerere, an lex in tali casu existat. Cfr. S. Alph., *Systema,* in 9. edit. approb. pag. 25.; in recent. edit. n. 74.; vide etiam infra, cap. II. *s.* 2. art. 1. punct. I. n. 2.

I. - *In dubio circa* EXISTENTIAM *Legis aut juris, ubi concurrunt duae opiniones, quarum una stat pro lege, altera pro libertate:* nec licet (uti volunt *Probabilistae*) sequi opinionem probabilem libertati faventem, relicta tutiore *certe probabiliore;* nec datur obligatio (ceu contendunt *Probabilioristae*) sequendi tutiorem, etiamsi opinio benignior sit *parum minus probabilis.* Ut autem sequi liceat opinionem pro libertate, REQUIRITUR ET SUFFICIT, UT IPSA SIT AEQUE VEL FERE AEQUE PROBABILIS, ac illa quae stat pro lege.

Dicitur 1°. *Requiritur* (contra Probabilistas); etenim « ad prudenter agendum, omnino requiritur, ut opinio qua utimur, sit solide probabilis, id est gravi fundamento munita » [1]; at vero « *Opinio* VERE *probabilis, est* ILLA SOLA, *quae nititur fundamentis intrinsecis et extrinsecis* AEQUE *vel* FERE AEQUE *gravibus, ac illa quae oppositae favent, ita ut lex* CERTE *et* STRICTE DUBIA *appareat.* »[2] - Ex mente itaque S. Alphonsi, opinionem libertati faventem tunc tantum amplecti et sequi licet, cum adest *dubium strictum* de existentia legis; hoc autem dubium strictum minime habetur, posito quod opinio pro lege sit *certe* probabilior, *etsi unico gradu;*[3] sed in solo casu, quo utraque opinio est *aeque vel fere aeque* probabilis: « *Cum autem opinio, quae stat pro libertate, est aeque* (vel fere aeque) *probabilis, tunc adest dubium strictum de existentia legis; ac proterea, sicut probavimus, non adest tunc obligatio sequendi opinionem tutiorem, nec servandi legem de qua plene dubitatur an existat, vel non existat.* »[4] - Cum itaque ex sententia S. Alphonsi, opinio *certe* probabilior *veram et solidam* probabilitatem alterius necessario elidat: clare patet, Ipsum nullatenus suffragari sententiae eorum qui contendunt, licere sequi opinionem libertati faventem, relicta tutiore etiam *certe* probabiliore, modo illa *vere et solide* probabilis sit. Idcirco non sufficit, ut opinio pro libertate vere et solide probabilis sit, *in se spectata;* sed requiritur, ut talis etiam sit et remaneat *relate ad tutiorem,* ac proinde ut sit *aeque vel fere aeque* probabilis, ac illa quae legi favet (Cfr. §. 2.).

Dicitur 2°. *Sufficit* (contra Probabilioristas); quia « duabus *aeque* probabilibus opinionibus concurrentibus, quamvis opinio minus tuta teneri non possit, quoniam, ut diximus, sola probabilitas (nota: sola probabilitas) haud firmum praebet fundamentum ad licite operandum; tamen opinio illa, quae stat pro libertate, *cum aequali potiatur probabilitate,* ac opposita quae stat pro lege, *grave* quidem *immittit dubium an existat lex,* quae actionem prohibeat; ac proinde sufficienter *promulgata* minime dici potest; ideoque, dum eo casu promulgata non est, *nequit obligare;* tanto magis quod lex *incerta* non potest certam obligationem inducere.... »[5] - Et in fine moralis Sy-

1) Dissertatio Scholastico-moralis, 1755. num. 109. — 2) « L'opinione *veramente* probabile è *quella sola*, che ha fondamenti intrinseci ed estrinseci *egualmente o quasi egualmente* validi, che non ha la contraria per la legge, in modo che la legge apparisce *certamente e strettamente dubia* » (cfr. infra, cap. II. §. 2. art. 1. punct. V. — 3) Vid. supra, pag. 5. ad III. — 4) Cfr cap. II. §. 2. art. 3. punct. II. n. 2. — 5) Theol. mor. edit. 9. approb., Systema, *Dico III.* (in recent. edit. n. 59.). — In eodem Systemate (cit. edit. 9. pag. 29., et recentior. n. 78. in fine) S. Doctor advertit: « Frustra objicitur a nostris adversariis (sc. Probabilioristis), quod, cum opiniones sunt *aeque* probabiles, *opinio tutior.* si non inducit obligationem certam, *inducit saltem obligationem probabilem;* et ideo deerit dictamen moraliter certum de actionis honestate, sine quo non licet operari. Sed huic pluries supra data est responsio: nempe, quod cum duplex concurrit opinio aeque probabilis, *opinio quae stat pro lege alium non inducit obligationem, nisi deponendi dubium;* sed hujusmodi dubium, juxta omnium Probabilistarum et Probabilioristarum, ipsiusque P. Patutii sententiam, ut vidimus, *bene potest deponi, non tantum ex directo, sed etiam ex reflexo Principio certo,* quo certitudo de honestate actionis jam habetur. »

stematis, S. Doctor addit: « Conclu- » ditur, quod, *nisi opinio quae stat* » *pro lege sit aut certa, aut saltem* » *certe probabilior,* prout ab initio » diximus, *eam sequi non tenemur.*»

Dicitur 3°. *Aeque vel fere aeque probabilis ;* « quia (sicut omnes et » Probabilistae et Antiprobabilistae » conveniunt), cum inter utramque » opinionem modica est praeponde- » rantia, ita ut valde tenuis et du- » bius sit excessus, tunc ambae opi- » niones aeque probabiles existiman- » tur, juxta commune illud axioma: » *Parum pro nihilo reputatur.* » [1]– Ad aequilibrium vero inter opiniones destruendum sufficit *unus* gradus praeponderantiae, qui *certo,* seu *sine ulla haesitatione* judicatur stare pro sententia opposita. [2]

Demum 4°. advertendum est, hic agi *de Concursu opinionum ;* unde dicitur in propositione: *Ubi concurrunt duae opiniones,* ad quas reduci possunt omnes opiniones, quae, in hujusmodi conflictu stant sive pro lege, sive pro libertate. – Si autem pro aliqua parte staret *unica gravis probabilitas,* contra quam non certaret alia probabilitas pro parte opposita, illa probabilitas *non oppugnata* pro praxi habenda esset *instar sententiae moraliter certae :* quia homo, uti ait rigidus Billuart [3], non potest semper in moralibus habere omnimodam certitudinem. Unde dicit Angelicus: [4] « Certitudo non est similiter quaerenda in omni materia: in actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa; eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quae in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat.» – Cui consentit S. Alphonsus, dicens: [5] « Casu quo notitia adesset probabilis » *tantum pro lege,* absque probabi- » litate in contrarium: tunc legi quae- » dam moralis certitudo adsisteret.» Et vicissim pro *libertate ,* in casu legis prohibentis , v. gr. in juramento quod prohibetur fieri sine veritate, S. Doctor haec habet: [6] « Ad re- » cte tamen jurandum, non requiri- » tur certitudo absoluta et omnino » infallibilis, sed sufficit aliqua cer- » titudo moralis, sive *quaedam pro-* » *babilitas, quae ad quamdam cer-* » *titudinem moralem pertingat....* » Immo Sanchez... ac Salmanticen- » ses.... cum communi expressius » ajunt, sufficere in juramento sive » assertorio, sive promissorio , *pro-* » *babilitatem* veritatis assertae, vel » impletionis exequendae rei promis- » sae: *modo, intelligendum, non ha-* » *beatur ratio probabilis in oppo-* » *situm.* »

II. – *In dubio circa* Cessationem *Legis aut juris certe prius existentis, ut tollatur obligatio, non sufficit per se probabilitas etiam gravis favens libertati; sed requiritur probabilitas talis, quae fundet certitudinem moralem.*

Dicitur 1°. *Non sufficit probabilitas etiam gravis ,* ad tollendam obligationem legis aut juris certe prius existentis. – Ratio est : quia tunc lex habet jus certum possessionis ; unde , quemadmodum in casu praecedenti , in quo dubium est de obligationis *Existentia,* lex tantum probabilis superveniens libertati certae, hanc non ligat; sic in praesenti, ubi dubitatur de obligationis *Cessatione ,* libertas tantum probabilis superveniens legi certae , ipsam non solvit. Aliis verbis: *In dubiis, praesumptio stat pro illo qui non tenetur probare , sed alteri imponit onus probandi;* atqui, quando lex simul certe existit et positive imperat, ipsa jus certum possidet, quod nullo modo probare tenetur; et ideo ligata manet libertas, donec probaverit se esse solutam. Hinc illud

1) Theol. mor. edit. 6. de consc. n. 55 — 2) Cfr. supra, pag. 5 ad III. — 3) De consc. diss 5. art. 1. — 4) 2. 2. q. 20 art. 2 — 5) Theol. mor. edit. 9. approb., *Systema* pag. 20. et 26. (in recentior. edit. n. 71. et 76.) — 6) Lib. III. n. 148.

tritum: *Non tollitur obligatio certa, nisi per deobligationem pariter certam.* [1]

Rem aliquibus exemplis illustrare juvabit:

Lib. I. n. 97. de causa sufficienti loquens, S. Doctor quaerit: « Quid in » dubio, *an causa quam habes, sit* » *sufficiens* ad te excusandum a le» ge? » Et respondet: « Quicquid di» cat Salas, *verius est te teneri ad* » *legem; quia tunc possidet lex an*» *tecedenter ad tuam libertatem.* »

In novo Tractatu *de Conscientia,* sextae editioni de anno 1767. inserto, S. Alphonsus n. 28. et 29. speciatim tractat de *Voto,* et expresse advertit « *id quod de lege dictum est,* » *dicendum esse etiam de voto;* vo» tum enim est instar legis parti» cularis, quam homo sibi imponit. »– Exinde deducit, ad voti impletionem teneri, tum qui *dubitat*, tum qui *probabiliter judicat* se jam satisfecisse. Ait enim: « Si quis est certus » de voto, et *dubitat* de satisfactio» ne, *tenetur quidem ad votum, quia* » *tunc votum possidet.* » Dein quaerit: – « Si quis *probabiliter judicat* » jam voto satisfecisse, an teneatur » hoc non obstante illud implere? » *Negant* plures AA....; quia (ut » ajunt) cum obligatio legis eo casu » sit dubia, fit dubia etiam legis » possessio. *Olim probabilem hanc* » *opinionem putavi, ductus magis* » *a probabilitate extrinseca, quam* » *intrinseca; sed, re melius per*» *pensa, nunc minime illam pro*» *babilem censeo. Hinc oppositam* » *dico tenendam...* Ratio quia, cum » votum est dubie emissum, recte » dicitur non adesse obligationem » illud implendi: tunc enim pos» sidet libertas; *cum tamen votum* » *est certum, libertas haec ligata* » *remanet ab obligatione voti, do*» *nec votum certe non sit imple*» *tum.* Tum tantum prima senten» tia admitti posset, *cum probabi*» *litas esset talis, quod praesumere* » *faceret quadam certitudine mo*» *rali,* voto jam fuisse satisfactum. » Et (notatu dignum) subdit: « Quod » autem diximus de Voto, intelligen» dum est etiam *de satisfactione poe*» *nitentiae sacramentalis.* » – Idem expresse docet in *Hom. Apost.* Tr. I. n. 17., ac similiter addit: « Et idem » dicendum de obligatione recitandi » *Horas canonicas*, et adimplendi » *poenitentiam sacramentalem.* » – Confirmatur demum ex Quaestione reformata in editione octava de anno 1779. (cfr. secundum Elenchum, sub n. 15.): « Si votum sit certe e» missum, sed *tantum probabiliter* » *impletum,* utrum vovens teneatur » omnino votum implere? Negant » plures AA...; *sed censeo... votum* » *implendum esse; cum enim votum* » *est certum, possidet obligatio im*» *plendi votum.* Vid. lib. I. n. 29. » (supra citatum).

In Quaestionibus anno 1767. reformatis (cfr. secundum Elenchum, n. 18.) legitur: « An teneatur quis » confiteri peccatum mortale *certe* » *commissum,* si postea sit in dubio, » *an illud fuerit vel ne confessus?* » Lib. 6. n. 477. dictum fuit non te» neri, si credat se probabiliter pec» catum Confessario jam exposuisse. » *Sed nunc teneri dicimus: quia,* » *sicut certa fuit obligatio confiten*» *di, ita certa debet esse confessio...* » Hinc in sexta editione Theol. mor. citati an. 1767. S. Doctor lib. 6. n. 477.

1) Eamdem doctrinam egregie sic exponit cl. vir Josephus Grassi, in *Universa Theologia morali juxta doctrinam S. Alphonsi* (Aesii 1852. Vol. I. pag. 52.): « In dubio, an lex certa finierit per se, aut per revocationem Principis; an prodierit a legitima potestate, vel hanc excesserit superior; an lex sit justa, aut usu recepta; an aliqua causa sit *sufficiens* ad excusandum ab observantia legis: in his, inquam, casibus, *standum est pro lege*, et non pro libertate dubitantis; quia lex, ubi lata et promulgata sit, *certam acquirit possessionem,* vimque obligandi, qua possessione expoliari postea nequit, *nisi constet* CERTO vel legem esse revocatam, vel affici aut fuisse affectam ac vitiatam aliquo defectu irritante ipsam legem; adeoque in hujusmodi dubiis, subditus obedire tenetur legi, aut Superiori, ne injuriam inferat possidenti jus praecipiendi. »

*

scribit: « Si dubium est negativum, » equidem tenetur illud confiteri... » Contra vero, si dubium est posi- » tivum, ita ut ille probabiliter cre- » dat illud jam confessum fuisse, » adest sententia non teneri ad il- » lud confitendum.... Verum, sicut » mihi probabilis minime visa fuit » opinio alibi relata eorum Aucto- » rum, qui dicebant non esse obli- » gationem implendi *Vota,* quae pro- » babiliter impleta sunt: *ita nec va- » leo hanc approbare sententiam » quoad peccatum probabiliter con- » fessum, cum obligatio confessionis » sit certa, et satisfactio dubia...* » – Et in editione octava de anno 1779., iterum legitur Quaestio reformata (quae habetur in secundo Elencho, sub n. 16.) sequentis tenoris: « An » teneatur poenitens confiteri mor- » tale peccatum certo commissum, » *si tantum probabiliter reputet se » illud confessum fuisse?* Negant Sua- » rez, Lugo, Salmanticenses et alii. » Sed dico cum Concina et aliis, *eum » teneri peccatum illud clavibus » subjicere, cum dubia sit confessio, » et certa sit confessionis obliga- » tio...* »

Eamdem doctrinam circa Votum, Horas canonicas et Poenitentiam sacramentalem, S. Doctor expressis verbis confirmat in Quaestionibus reformatis, citatae editioni sextae de anno 1767. adnexis. Scribit enim n. 1.: « *Si quis probabiliter judicet, » se implevisse Votum, Horas cano- » nicas, sive Poenitentiam; an te- » neatur eam satisfacere, si adhuc » probabile sit, vel dubium, non » implevisse?* Negant plures Aucto- » res, lib. 1. n. 76. [1] *Sed oppositum » est tenendum: quia possidet obli- » gatio jam contracta, donec certe » non fuerit impleta.* »

Eadem tradit S. Alphonsus circa debita justitiae. In novo namque Tractatu de Conscientia sextae editioni inserto, n. 34., docet « *quod certus » de debito, et dubius de solutione, » tenetur solvere.* » Et Lib. 3. n. 700. in fine, expressius ait: « Quando de- » bitum est certum, et *probabilitas* » versatur circa factum solutionis, » *certe ex probabili solutione debi- » tor non liberatur:* quia solutio pro- » babilis aequare non potest debitum » certum... »

Lib. IV. n. 47. S. Doctor quaerit: « *Utrum subditus dubitans, an res » praecepta sit licita, vel ne* » (quod idem est ac dubitare, an in Superiore cesset jus praecipiendi) « *pos- » sit et teneatur obedire?* » Et, variis allegatis rationibus pro sententia affirmante militantibus, concludit: « Hinc recte deducitur, quod » subditus tenetur obedire Praelato, » etiamsi res praecepta *probabilius* » ei videatur illicita... Ratio, quia » *jus possessionis, quod habet Su- » perior, praevalet omni opinioni » contrariae, quae non habet ra- » tiones convincentes, fundantes » certitudinem moralem:* juxta dicta » *de Conscientia...* » (Cfr. Lib. 1. de Consc. n. 31. 98. 99. et 100. quaer. 3.).

Et Lib. VI. n. 906., sese reformans similiter docet: « *In dubio de morte » prioris conjugis,* sive nuptiae sint » initae cum bona fide, sive cum dubia » fide, nunquam conjux dubitans pe- » tere poterit, *nisi de morte prioris » conjugis habeatur certitudo, aut » saltem tanta praesumptio, quae mo- » ralem certitudinem statuat.* Alias, » si tantum probabilitas de morte ha- » beatur, nequit unquam conjux ille » dubitans petere: tum quia tunc re- » manet probabile periculum inju- » riae prioris conjugis, juxta dicta » Tom. 1. in Tract. *de Conscientia, » quem ipse condidi* » (sc. in eadem edit. 6. de anno 1767., n. 33.); « tum » quia eo casu *possidet prius matri- » monium, donec constet fuisse so- » lutum.* »

DICITUR 2°. *Non sufficit* PER SE *probabilitas etiam gravis:* quia per accidens bene sufficere potest. Et hoc locum habet, quando in adjutorium

1) Scilicet, in editione quinta, de anno 1763.

libertatis, pro qua stat illa probabilitas, invocari possunt quaedam *Principia* certa ipsi faventia; quorum ope et applicatione legitima, libertas, etsi per se tantum probabilis, penitus deobligatur et solvitur.

Primum hujusmodi Principiorum est illud Juris 45. in 6.: *In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus;* aliis verbis: *Quod ordinarie, quod regulariter fit, factum esse censetur.* – Hinc de Officio divino loquens, docet S. Alphonsus, Lib. IV. n. 150. excusari a repetendo, « si recordaris, te incepisse Psal» mum, Lectionem vel Horam; si » postea, non data opera distractus, » vel non interruptus te invenias in » fine Horae, legendo, vel memoriter » recitando ea *in quibus ordinarie* » non soles errare; et hoc locum ha» bere dicunt..., *etiamsi habeas ra» tionem probabilem omissionis:* quia » *praesumptio, quod soleas perficere* » *quod incepisti,* efficit ut nihil te» nearis repetere, nisi sis moraliter » certus quod non dixeris... Caete» rum, bene ait Croix cum Navar» ro..., quod si *ordinarie* non so» leas dicere Horam posteriorem, » nisi post priorem, prudenter pot» es credere nihil omisisse. » – Et Lib. VI. num. 477. de accusatione peccati probabiliter confessi agens, similiter dicit: « Non autem reprobo » id, quod iidem citati AA. tradunt, » nempe quod ille, *qui diligens fuit* » *in suis peccatis confitendis,* si » postea dubitat an aliquod peccatum » omiserit, postquam multum ela» psum sit tempus a quo illud patra» vit, *non tenetur ad confitendum,* » *cum possit credere eo casu mora» liter certe, jam de illo confessum* » *fuisse.* »

Aliud Principium est, quod *in dubio standum pro valore actus;* quando scilicet jam certa est facti substantia, et dubitatur sive positive, sive etiam negative, de qualitate seu valore actus positi: tunc *praesumitur factum, quod de jure faciendum erat;* aliis verbis: *factum praesumitur rite factum.* – Hinc doctrina S. Alphonsi (lib. VI. n. 505.): « non esse cogendos poenitentes ad » repetendas confessiones, *nisi mo» raliter certo constet eas fuisse in» validas...* quia possessio stat pro va» lore confessionum praeteritarum, » quamdiu de earum nullitate non » constat...» (Cfr. etiam *Hom. Apost.* tr. 1. n. 16.). – Similia tradit S. Doctor quoad impletionem *Voti* (Hom. Ap. tr. 5. n. 31. in fine); de valore *dispensationis* (Lib. 1. n. 186., lib. 6. num. 1133.); circa *debita justitiae* (Lib. 3. n. 700. in fine), etc.

Tertium Principium, quo libertas juvatur in probabili legis positivae impletione, illud est, quod *Praeceptum non obligat cum tanto incommodo.* – Ait enim S. Doctor (lib. 1. n. 175.) cum Busembaum: « *Interim* » *saepe fit,* ut praecepta quaedam » non obligent, cum eorum observa» tio cederet *in grave alicujus in» commodum:* et tunc, si ex metu ta» lis incommodi quis tale praeceptum » omittat, non peccat, cum praece» ptum non liget » (Cfr. etiam lib. 3. n. 325.). – Ex eodem principio S. Alphonsus docet, non urgere obligationem repetendi actum, quo lex probabiliter impleta est, quando v. gr. id *viam scrupulis aperiret* (vid. Lib. 1. n. 16., lib. 4. n. 150., lib. 6. n. 477. etc.). – Sic etiam limitatur obligatio obediendi Superiori, qui probabiliter vel rem illicitam praecipit, vel potestatem suam excedit: « 1°. *Si res sit valde difficilis et mo» lesta;* quia tunc difficultas operis, » simul cum opinione probabili quod » res praecepta sit illicita, vel quod » praeceptum excedat potestatem Su» perioris, praevalet illius possessio» ni. 2°. *Quando subditus obediendo,* » *exponeret se vel alterum periculo* » *gravis incommodi subeundi in vi» ta, fama, honore aut bonis.* Ra» tio, quia subditus non tenetur tunc » se privare jure suo certo, quod » possidet circa talia bona magni » momenti, ne Superior privetur sua » possessione, quae in eo casu est

» aliquo modo incerta » (Lib. 4. n. 47.).

Huic tertio Principio affine est illud alterum: *In legum conflictu, lex superior est inferiori praeferenda.* Quo principio innixus, S. Doctor in favorem libertatis sequentia solvit dubia: An *sexagenarius certe robustus* jejunii lege teneatur? (Lib. 3. n. 1036.). An excuseris a *recitatione Officii,* si dubium perseverat, quod recitatio sanitatem graviter laederet? (Lib. 4. n. 154. not. 3.). Item pro *auditione Sacri* (Lib. 3. n. 325. et Hom. Apost. tr. 6. n. 39.). – Solutio in hujusmodi casibus benigna est; quia, antecedenter ad legem Ecclesiae, possidet jus naturale servandi sanitatem.

DICITUR 3°. *Sed requiritur probabilitas talis, quae fundet moralem certitudinem.* Id est, quando deficiunt praefata principia aut alia similia, et libertas, omni auxilio extrinseco destituta, *sola pugnat* cum lege certo possidente: tunc libertas solvi nequit ab obligatione legis aut juris, nisi illi adsistat probabilitas talis, quae, pro praxi, aequivaleat certitudini morali.

Talis autem probabilitas (uti jam diximus) primum illa est, quae dicitur *unica;* ea nempe, quae gravibus nititur rationibus, nec ab aliis rationibus aut conjecturis deturbatur vel minuitur. Etenim, cum nihil eidem obstet in contrarium, ipsa jam habet fundamentum moraliter certum, quod sit vera. Sic, v. gr., S. Alphonsus satis decretorie dicit: « *Probabiliter excusatur etiam* (ab auditione Sacri) *qui timet carcerari, si ecclesiam adeat* » (Lib. 3. n. 326.). Item: « *Valde probabiliter excusatur, qui, ob Missam audiendam, omittere deberet negotium cum damno gravi* » (Loco cit. n. 332.). Item: « *Probabiliter admittit Illsung, excusari qui omitteret Missam pro se confitendo, si alias deberet aliquandiu permanere in statu peccati mortalis* » (Ibid.). Hinc hujusmodi probabilitates ab aliis non oppugnatae, fundant sufficientem certitudinem in lege positiva, praesertim humana. – Cum vero adsunt rationes pro et contra, ita ut probabilitas una sit ab altera *aeque aut fere aeque gravi* oppugnata, tunc non datur nisi *dubium strictum,* et ideo standum est pro lege quae possidet. Unde scitissime loquitur S. Doctor, dum in Quaestionibus reformatis dicit, ad certam impletionem teneri, qui « *probabiliter judicat, se implevisse* votum, horas canonicas, sive poenitentiam, *si adhuc probabile sit,* vel dubium, *non implevisse* » (cfr. supra, pag. 20.): quo in casu, evidenter habes duas sibi oppositas aeque aut fere aeque graves probabilitates, ex quibus dubium strictum exsurgit.

Eadem probabilitate certitudinem moralem fundante gaudet, in casu conflictus rationum aut conjecturarum, *Opinio certe probabilior:* quia hujusmodi probabilitas (uti vidimus in quaestione praecedenti) non minorem habet vim ad legem evincendam, quam ad ligandam libertatem.

Ex dictis itaque concludimus: *Omnia quae statuit S. Alphonsus de dubio* NEGATIVO, [1] *valent etiam pro dubio* POSITIVO, *quoties aequivalet dubio* STRICTO: id est, quoties non destruitur *aequilibrium* rationum; seu, quoties dubium non tollitur, sive per gravem probabilitatem *unice* stantem, sive per probabilitatem prae

1) In novo Tractatu *de Conscientia*, sextae editioni Theol. mor. inserto, S Alphonsus n. 27, sic docet: « *Si lex est dubie condita, vel dubie promulgata,* non obligat; quia possessio non stat pro ipsa, sed pro libertate. Idem dicendum, si dubitatur, an in lege promulgata comprehendatur vel ne aliquod onus; tunc enim non tenemur illud implere, quia pro illa parte, de qua lex est dubia, lex non possidet. — Contra vero, *si lex est certe condita, et certe promulgata,* et inde oritur dubium, an sit abrogata, vel revocata, aut dispensata, est observanda; quia tunc ipsa possidet. Sic etiam in dubio, an lex per se justa fuerit acceptata, etiam observari debet; quia praesumendum est, eam fuisse receptam: ex illo alio principio: *In dubio praesumitur factum, quod de jure faciendum erat.* »

opposita *certe et notabiliter majorem.* Et ratio est: quia dubium positivum resultans ex aequiprobabilitate rationum essentialiter non differt a dubio negativo; cum, pariter ac istud, sit dubium strictum et proprie dictum: juxta sententiam D. Thomae: « *Inter aequalitatem etiam rationum et argumentorum, soli dubio est locus.* » [1] (Cfr. Cap. IV. §. 2. in quo, contra cl. Ballerinium, eadem exponuntur et probantur; ibidem etiam audire licebit Defensorem Causae Beatificationis S. Alphonsi, plane nobis consonantem.)

Hisce expositis, sit

Summa Systematis S. Alphonsi.

1. In dubio circa *Existentiam* (vel Extensionem) legis aut juris, ubi concurrunt duae opiniones, quarum una stat pro lege, altera pro libertate; ut sequi liceat opinionem *libertati* faventem, requiritur et sufficit, ut ipsa sit *aeque vel fere aeque probabilis,* ac illa quae stat pro lege: quia in dubio stricto circa existentiam legis, certo possidet libertas *(pag. 17.).*

2. In dubio circa *Cessationem* legis aut juris certe prius existentis, ad tollendam obligationem, non sufficit per se probabilitas etiam gravis; sed (deficiente certitudine hausta ex principiis concomitantibus) requiritur *probabilitas talis, quae fundet certitudinem moralem:* quia in dubio stricto circa cessationem legis, possidet lex prius certa *(pag. 18.).*

3. In dubio circa *Factum,* in quo est periculum mali quod a conscientia non pendet, et ad quod permittendum agens jus non habet (uti v. gr. in materia fidei et sacramentorum, etc.), semper *pars tutior* sequenda est: quia tunc usui probabilitatis obstat lex certa non incurrendi periculum mali externi, a laesione honestatis distincti *(pag. 14.).*

1) Vid. cap. I. §. 2. art. 2. ad II. versus fin.

ARTICULUS 4.

Ostenditur praecellens Meritum Systematis S. Alphonsi.

S. Alphonsus passim in suis Operibus moralibus commemorat perpulchrum Doctoris Seraphici effatum: « *Cavenda est conscientia nimis lar-* » *ga et nimis stricta; nam prima* » *generat praesumptionem, secunda* » *desperationem; item prima saepe* » *dicit malum bonum, secunda e* » *contra bonum malum; item prima* » *saepe salvat damnandum, secun-* » *da e contra damnat salvandum.* »

Palmam itaque sibi vindicabit illud Theologiae moralis Systema, quod neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectens, majori securitate et rectitudine viam tenebit mediam, sapientioresque suppeditabit regulas ad vitanda peccata, et ad conducendas animas in beatum finem illis a Deo optimo propositum.

Porro, numerus augetur peccatorum et damnatorum, tam ex laxiori, quam ex severiori Systemate. Istud enim, dum imprudenter multiplicat leges et obligationes, eo ipso, spectata humana fragilitate aut malitia, multiplicat transgressiones ac peccata. Illud vero, libertati plus aequo indulgens, multiplicat peccatores, minuendo timorem Dei; dum enim, ex falsa et crudeli charitate, liberat a lege, non liberat a peccato: siquidem conscientia ex sententia laxa recte formari nequit, quinimo a daemone vel amore proprio illusa, saepe credit bonum quod reipsa est malum. – Insuper, ex utroque, tum severiori, tum laxiori Systemate, remedia peccati quae sunt Sacramenta, potius fiunt instrumenta mortis et damnationis. Etenim in priori penitus deseruntur; in posteriori autem inutilia evadunt quin et nociva, ita ut peccatores ad mortem usque in peccatis tabescant.

Ad vitandum itaque duplex istud

malum et periculum, zelantissimus Doctor noster, divinae legis amator, et animarum zelo succensus, mirabile suum Opus condidit, in quo PRUDENTEM BENIGNITATEM et MISERICORDEM SEVERITATEM simul conjungens, tutissimas ac saluberrimas tum Theologo, tum Confessario, regulas suppeditat. – Fundamentale et primarium totius Operis principium hisce aureis enuntiatur verbis, passim a S. Alphonso repetitis: [1] « *Ubi agitur* » *de removendo poenitente a peri-* » *culo peccati formalis,* Confessa- » rius debet, generaliter loquendo, » et in quantum christiana pruden- » tia suggerit » (alibi [2] expressius dicit: « in quantum christiana pru- » dentia *concedit* ») « *benignis* opi- » nionibus uti. *Ubi vero opiniones* » *benignae proximius reddunt pe-* » *riculum formalis peccati,* prout » sunt nonnullae Auctorum opinio- » nes, v. g. quoad vitandas occa- » siones proximas, et aliae id genus, » *tunc semper expedit, ut Confessa-* » *rius utatur, imo dico quod ipse,* » *ut Medicus animarum, tenetur uti* » *opinionibus tutioribus, quae poe-* » *nitentes ad se servandos in statu* » *gratiae conducunt.* »

Secunda pars hujus eximiae regulae, ut patet, praecipue respicit praxim Confessarii, seu doctrinam quae traditur a S. Doctore de conferendis Sacramentis, ac speciatim doctrinam de occasionariis et recidivis. [3] Non paucae ejusmodi quaestiones in hoc Opere discutiendae et vindicandae nobis occurrent, in quibus saluberrimam S. Alphonsi doctrinam demirari licebit. – Prima vero pars enuntiatae regulae, Systemati Aequiprobabilismi tota convenit: in eo namque revera docet, uti benignioribus opinionibus, in quantum prudentia christiana concedit; quod jam sufficienter liquet, tum ex aliorum Systematum confutatione, tum ex ipsius Systematis expositione, et ex infra dicendis contra systema cl. Ballerinii luculentius patebit.

Pauca tamen de mira S. Doctoris sapientia in regula Aequiprobabilismi tradenda addere juvat; quocirca breviter ostendemus, eamdem regulam esse *omnium rectissimam, prudentissimam, facillimam, et probatissimam.*

I. *Regula Aequiprobabilismi a S. Alphonso tradita, est omnium* RECTISSIMA.

Ratio est, quia ex una parte, *in aequiprobabilitate opinionum* datur ex principiis reflexis perfecta securitas et rectitudo in agendo; ex altera vero, ista securitas et rectitudo haberi nequit, nisi in *sola* aequiprobabilitate cum iisdem principiis.

1. Primum patet ex notione ipsius *aequiprobabilitatis,* cujus natura est generare *verum et strictum dubium,* dum ponit in bilance mentis pondus utrinque grave, utrinque aequale aut fere aequale: « *Inter aequalitatem etiam rationum et argumentorum* (docet D. Thomas), *soli dubio est locus.* » [4]

Et re quidem vera: *Lex* vere et stricte dubia est, cum probabiliter existat, et aeque probabiliter non existat. Eo casu, dubia quidem est et ipsa *Libertas;* sed *ante promul-*

1) Systema morale (in edit. 9. approbata, pag. 34.; in recentioribus, n. 84.). — 2) Cfr. lib. VI. n. 456., et *Homo Apost.* tract. ult. n. 7.

3) Plures aliae sunt hujusmodi sententiae, quas in praxi sequendas docet S. Alphonsus, licet oppositae sint speculative probabiles; prout v. gr. de expetenda punitione offensoris, ob periculum propriae vindictae *(lib. 2. n. 29. in fine);* in materia simoniae *(lib. 3. n. 52. seq.)* et usurae *(ib. n. 778-780.)* ubi plura videntur excusari ratione liberalis gratitudinis, at in praxi magnum periculum involvunt; de compensatione occulta, ob periculum injustitiae *(ib. n. 524.);* de osculis, tactibus, choreis et comoediis *(ib. n. 413. et seqq.);* de reprimendis motibus sensualibus *(lib. 5. n. 7.);* de lectionibus periculosis quoad fidem et mores *(lib. 1. Append. 3.);* de proximo corripiendo, non tantum circa peccatum, sed etiam circa proximum peccandi periculum *(lib. 2. n. 38.);* de non absolvendo debitore, nisi prius restituat *(lib. 3. n. 682.);* de non suscipiendis Sacramentis cum opinione probabili *(lib. 1. n. 51.)* etc.

4) Vid. cap. I. §. 2. art. 2. ad II. versus fin.

gationem legis vincit libertas, quia ipsa prioritatem habet, seu quia certe possidet ante legem: [1] libertas namque aliud non est, nisi potestas faciendi id omne quod nulla lege prohibetur. [2] - E converso, *post promulgationem legis,* et in simili dubio, *vincit lex,* quia tunc ipsa possidet; et hoc in casu ligata remanet libertas, quae, cum a dubio non exeat, jus suum probare nequit contra jus certum legis. - En quomodo, in aequiprobabilitate rationum, principia reflexa dent securitatem et rectitudinem conscientiae: sive certe solvendo libertatem, cum dubitatur an lex inceperit obligare; sive eam certe ligando, quando dubium est an legis obligatio desierit.

2. Ex iisdem notionibus et principiis etiam patet, perfectam securitatem haberi non posse nisi in *sola* aequiprobabilitate, cum principiis reflexis. - Perfecta namque conscientiae securitas, nec datur agenti ex opinione probabiliore aut probabilissima, sejunctim a principiis reflexis: quia neutra exit a finibus probabilitatis, nec proinde a dubio, ut fusius probat S. Alphonsus contra Tutioristas et Probabilioristas; [3] - neque dari potest ex principiis reflexis agenti cum opinione certo minus probabili: quia tunc ista principia legitime invocari nequeunt, ut infra contra Probabilistas demonstrabitur (pag. 34. ad II.).

II. *Regula Aequiprobabilismi S. A. est omnium* PRUDENTISSIMA: siquidem ex una parte omnem *hallucinationem* praecavet, et ex altera *scrupulis* viam omnino praecludit.

1. Certum atque exploratum est, tam ex natura rei quam ex hominis indole, nec non ex testimonio experientiae, quod in dubiis moralibus plerumque *amor proprius* se ingerere, et in dubio dirimendo partem sibi arrogare studeat. - S. Alphonsus in Dissertatione de anno 1755, [4] in qua Tutioristas refutat, Venerabilem Paulum *Segneri* citat, qui dicit, se nescire, quomodo salvus fieri posset, si crederet, non licere sequi opiniones minus tutas, nisi munitae essent notabili illa praeponderantia, quam adversarii requirunt. Plures rationes affert, cur judicio de hac praeponderantia, tuta conscientia acquiescere nequiret, et demum hanc: « Quis me tutum reddet,... quod hallucinatus non fuerim a proprio sensu, ita ut si errem, error meus sit vere invincibilis et inculpabilis? »

Ad haec verba, S. A. addit: [5] « Et revera, quod in opinionibus maximam partem sibi *sensus proprius* sive *passio* vindicet, et non ratio, passim accidit doctis et indoctis; *imo saepius evenit doctis,* quia his facilius est rationes invenire ad sibi suadendum, quod veritas sit ex ea parte, in quam magis a passione feruntur: *Unusquisque faciliter credit, quod appetit,* dicit S. Thomas. - Considera Scotisticam Schola a tot saeculis Thomisticae oppositam. Per haec tempora, nullum legimus, aut ex Fratribus Minoribus doctrinis Ordinis Praedicatorum adhaesisse, nec quemquam ex istis adhaesisse illis. Et tamen, si Franciscanus aliquis elegisset S. Dominici religionem, nonne certe manibus et pedibus Scoto adversaretur? Et e converso, si quis Dominicanus Ordinem Minorum introisset, nonne doctrinae S. Thomae absolute se opponeret? Peto, in istis quid praevalet? sensus, an ratio? non quidem ratio, quia qui nunc existimat probabiliorem sententiam suae Scholae, si esset alterius, illam minus probabilem profecto putaret...»

Verissima sunt ista; at regula a S. Alphonso tradita omnes sensus proprii, sive passionis hallucinationes penitus arcet. Qui huic regulae

1) Vide supra pag. 11. n. 5. — 2) Cfr. S. Alph. lib. 1. n. 97. — 3) Theol. mor. edit. 9. approb. *Systema morale,* pag. 33. (in recent. edit. n. 82.); vide supra, pag. 8. ad II. — 4) Cap. 2. *s.* 5. n. 48. (cfr. Vol. V. Collect. Operum a S. Sede approb.). — 5) Ibid. n. 49.

obtemperans, opinionem pro lege, quam *vel uno solo gradu* ut *probabiliorem certo et sine ulla haesitatione* agnovit, pro *notabiliter* probabiliore habet (quia secus omnes haesitationes non cessassent), jam in tuto collocatur, et ab omni amoris proprii hallucinatione munitus est. Imo, plerumque tanto firmius id tenere potest et debet, quia plerumque amor proprius, libertatis patrocinium suscipiens, rationes pro ipsa certantes, quantum potest, plausibiles reddere conatur. Si igitur intellectus nihilominus non potest, quin opinionem pro lege ut probabiliorem agnoscat, tanto evidentius est, praeponderantiam hujus opinionis notabilem esse debere. [1]

2. Si quis autem jam sua indole, ab amoris proprii lenociniis et hallucinationibus munitus est, et potius in *scrupulos* inclinat, aut saltem in dubiis moralibus non facile ad judicium decretorium pervenire solet: S. Alphonsus similiter regulam ipsi suppeditat omnem mentis perplexitatem arcentem, nec non nimiam timoratae conscientiae sollicitudinem sedantem, cui tuto et tranquillo animo acquiescere potest. Quamdiu quippe *vel minime dubitat*, opinionem pro lege probabiliorem esse, eam sectari non tenetur. [2]

3. Ingeniosa haec propositio, opinionem pro lege, quae *vel uno tantum gradu*, at *certo* ut probabilior cognoscitur, semper *notabiliter* probabiliorem esse, *S. Alphonso omnino propria est*, nec ab aliis mutuata; nec mera est hypothesis arbitrarie excogitata, sed altissimis fundamentis verissimisque momentis, tam theologicis, quam psychologicis innititur. Ipsa simul firmissimam et tutissimam *agendi normam* suppeditat, quae una ex parte omnes amoris proprii *hallucinationes* praecavet, ex altera omnem mentis *perplexitatem* praecludit, et neminem in incerto relinquit, quaenam pars sibi eligenda sit. Nemo quippe opinionem, quae pro lege stat, amplecti[1] tenetur, quamdiu de majore ejus probabilitate vel minime dubitat. – Non defuerunt jam ante S. Alphonsum Doctores, quos ipse saepius NOSTROS vocat, qui docuerunt, non licere uti opinione libertati favente, si altera pro lege notabiliter probabilior apparet: at criteria, quibus id dignoscatur, tutamque agendi normam ipsi non statuerunt.

III. *Regula Aequiprobabilismi S. Alphonsi est omnium* FACILLIMA. – Duo namque sufficiunt: 1°. Videre utra possideat, an lex aut libertas (juxta superius exposita, pag. 16.); 2°. Palmam adjudicare ei quae possidet, nisi opinio alteri favens sit evidenter probabilior.

1. Sed objiciunt quidam Probabilistae: Facilius est *de solida et gravi probabilitate* judicare, quam de *excessu* probabilitatis oppositae; ergo facilior est regula simplicis Probabilismi. – Mira sane objectio! At vero quid facit Probabilista? Ad judicium ferendum de solida et gravi probabilitate, vel attendit ad solas *suae* opinionis rationes et auctoritates; vel etiam ponderat rationes et momenta *alterius* sententiae. – *Si primum:* Probabilista plane arguendus est *imprudentiae;* cum, testante D. Thoma, [3] proprium sit imprudentis, judicare aut agere, sufficienti deliberatione neglecta. Nonne imprudens et injustus dicendus esset judex, qui, audita una tantum litigantium parte, et quidem sibi amica, eidem victoriam adjudicaret? Nonne similiter imprudenter et injuste agit, qui de doctrina controversa judicium fert, quin de rationibus adversis curet? Sic igitur intellecta, regula Probabilistae dici nequit regula morum, quia nec recta nec licita est. – *Si secundum:* Non est cur Probabilista de simpliciori regula glorietur; quippe quae eamdem exigit operam ac no-

1) Vid. supra, pag. 6. not. 3. — 2) Cfr. cap. II. §. 2. art. 3. — 3) 2. 2. q. 53. art. 2.

stra : ad judicium namque ferendum *eadem requiritur deliberatio, eadem rationum hinc indeque stantium ponderatio.* Supposita igitur necessaria rationum utriusque sententiae ponderatione, haud videmus quomodo facilius sit dicere: *Haec mea opinio non vincitur ab altera,* seu, *est* SOLIDE *probabilis;* quam dicere: *Altera non vincit,* seu, *non est* CERTE *probabilior.*-Ergo fucum sibi faciunt, qui opinantur simpliciorem esse regulam communis Probabilismi: haec enim vel non est recta morum regula, vel eadem est ac nostra.

2. Non negamus, in permultis quaestionibus, nec paucas, nec leves occurrere difficultates in recto judicio ferendo circa veram soliditatem aut praeponderantiam opinionum. Quas difficultates fatentur et ipsi Probabilistae communes; ait enim *P. Gury* (de consc. n. 54. ad 5.): « De intrinseca probabilitate juris, communiter possunt judicare *soli doctissimi, et in re morali versatissimi :* cum soli possint scire, nihil certi ipsis opponi. » - Verum, in hujusmodi difficultatibus enodandis anxius non haeret discipulus S. Alphonsi; quin potius (si velit, aut si non possit), ab onere rationes ponderandi omnino liberatur ; et hoc quidem duplici ex capite. 1°. *Quia plerumque ipse S. Doctor mira sagacitate, prudentia et doctrina justum cuivis opinioni pondus et valorem tribuit.* Quocirca ipsemet in Praefatione Theologiae moralis affirmare non dubitat: « Ut sententias veritati con- » formiores seligerem in quacunque » quaestione, non parum laboris im- » pendi ; per plures enim annos, » quamplurima Auctorum classico- » rum volumina evolvi, tam rigidae, » quam benignae sententiae... In de- » lectu autem sententiarum, ingens » cura mihi fuit semper rationem au- » ctoritati praeponere; et priusquam » meum ferrem judicium, in eo (ni » fallor) totus fui, ut in singulis » quaestionibus me indifferenter ha- » berem, et ab omni passionis fuli- » gine expoliarem... Caeterum, sat- » egi ut plurimum *meam exponere* » *sententiam,* justum pondus tribuen- » do majoris, vel aequalis, vel mi- » noris probabilitatis cuique senten- » tiae, prout meae imbecillitati vi- » sum fuit; ne ancipitem relinque- » rem lectorem, more aliquorum, » qui sententias aliorum tantum re- » ferentes, non parum exosos legen- » tibus se praebent. » - 2°. Insuper (et hoc maximi est momenti) *ex ipsa S. Sedis decisione,* discipulus S. Alphonsi certus est, *omnes S. Doctoris sententias* (ab eadem S. Sede sive directe, sive indirecte non reformatas) *sanas et tutas esse:* quas proin tuta prorsus conscientia sequi et in praxim deducere potest: prout modo dicemus.

IV. *Regula Aequiprobabilismi S. Alphonsi est omnium* PROBATISSIMA. - Qua de re perjucundum sane foret, fusius hic disserere. Ne tamen limites praesentis Dissertationis praetergrediamur, paucis innuere sufficiat, eamdem omnium probatissimam esse, tum *ex singulari praecellentia ipsius S. Alphonsi,* tum maxime *ex gravissimis S. Sedis decisionibus,* quibus accedit *universalis Episcoporum et Theologorum nostri temporis consensus.*

1. Ad primum quod attinet, ne ullam adulationis suspicionem moveamus, lectorem ad *Acta Doctoratus* [1] libenter remittimus, in quibus splendidissima reperiet testimonia Summorum Pontificum, Sacrorum Antistitum, et cujusvis coetus et ordinis virorum conspicuorum, qui certatim Alphonsum celebrant prodigium naturae, prodigium sanctitatis, prodigium omnimodae eruditionis, Virum ultra modum extraordinarium, *praeclarissimum Ducem, insignem Magistrum, Principem Theologiae moralis.*

1) Cfr. Litteras supplices, et Responsa Defensoris, cap. 2. et 4.

2. Ex iteratis vero S. Sedis decisionibus constat: doctrinam S. Alphonsi *post diligens examen repertam fuisse ab omni censura immunem*; [1] speciatim ipsius *Systema morale* immune esse ab omni vel minima imprudentiae labe; [2] ejusdem doctrinam *inoffenso prorsus pede* percurri posse; [3] *omnes S. Alphonsi sententias a quovis teneri et in praxim deduci posse, quin momenta rationesve perpendat, quibus variae ejusdem Sancti nituntur opiniones*; [4] imo ipsius doctrinam in omnibus teneri et publice tradi posse, *non obstante juramento praestito* doctrinas cujusdam Universitatis, quae Probabiliorismum et Probabilioristarum sententias sequitur, pro viribus tuendi et asserendi; [5] ac tandem *S. Doctorem*, eminenti sua doctrina, *inter implexas Theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias, tutam stravisse viam, per quam Christifidelium animarum Moderatores inoffenso pede incedere possent.* [6] - Quid hisce supremae veritatis Cathedrae effatis praeclarius, quid splendidius desiderari aut cogitari posset? Summi quidem extiterunt Scriptores morales, ac de Ecclesia optime meriti: ast, quaerimus, quisnam alius, praeter Alphonsum, singulares hujusmodi titulos nobis ostendet? Quisque sane pro libitu aliquod systema morale, ab Ecclesia toleratum, sequi et amplecti potest; verum meminerit, unicum esse morale Systema S. Alphonsi, quod ipsa S. Sedes sanum, tutum, et ab omni censura immune declaravit. Nonne itaque pleno jure concludere licet, S. Doctorem inter omnes probatos Auctores, esse probatissimum?

3. Quod autem res ita se habeat, uno ore testantur innumeri et gravissimi testes in Causa Doctoratus adducti. - Sic, inter alios plurimos, cl. P. *Montrouzier, S. J.* affirmat: « *Les suffrages des diverses écoles ont successivement été acquis à la Théologie morale de S. Alphonse... S. Liguori est donc proclamé par le Saint-Siége comme le Docteur de la théologie morale... C'est un oracle, dont toutes les décisions peuvent sans nul danger être suivies et mises en pratique. Rien de plus grave que cette approbation solennelle, mieux que cela, cette canonisation de la doctrine du Saint. L'histoire de l'Eglise n'en présente peut-être pas d'autre exemple.* » [7] - *D. Frassinetti* non dubitavit quin haec conscriberet: « Questo bell' accordo di dottrine morali, che inutilmente si è sempre desiderato, è grazia della divina Provvidenza, la quale ha disposto che si diffondessero quasi universalmente le dottrine morali di S. Alfonso de' Liguori.... *Egli è un fatto, che non si fa più buon viso a quelle opere morali, nelle quali non sono seguiti i principii del Santo. Egli è un fatto, che i più dotti Moralisti viventi pare non aspirino che a farsi commentatori, illustratori, compilatori delle sue dottrine.... Le dottrine di questo Santo sono ora le dottrine non solo dell' Italia, ma dell' Europa, e del mondo cattolico; e se alcuno volesse sforzarsi ad oscurarne lo splendore, farebbe opera stolta, come la farebbe chi attentasse d' oscurare la luce del sole.* » [8] Et alibi egregie addit: « S. Alfonso riscuote sì grande venerazione, inspira cotanta sicurezza, gode una stima così universale, *che non fu d' altri mai dopo S. Tommaso.* Per tutte le cinque parti del mondo la Morale Teologia, che può dirsi essere alle mani di tutti e regolare tutte le coscienze, è la sua. » [9]

Iisdem Auctoribus adstipulantur

1) Decretum 18. maji 1803. — 2) Vid. infra, cap. 3. §. 2. art. 2. — 3) Bulla Canoniz. §. 7. — 4) Decisio S. Poenitentiariae, 5. jul. 1831. — 5) Eadem S. Poenit. 19. dec. 1855. — 6) Decretum et Breve super concessione tituli Doctoris, 23. mart. et 7. jul. 1871. — 7) Vid. Causam Doctoratus, *Responsa*, n. 210. pag. 99. — 8) Ibid. n. 203. pag. 96. — 9) *Manuale pratico del parroco novello*, n. 382.

doctissimi Facultatis *Bononiensis* Theologi, dicentes: « *Maximi autem loco beneficii habendum, Alphonsi sententias ita ubique gentium invaluisse, ut Sacrorum Antistitum nemo non foveat, ministrorum Ecclesiae nemo non evolvat, sedentium pro tribunali nemo non amplectatur.... Doctissimi hujus temporis omnes in eo toti videntur esse, ut Alphonsi libros interpretentur, commentariis illustrent.... Hodie Alphonsi praecepta non apud Italos tantum, et Gallos et Belgas et Germanos obtinent, sed in Europa universa, imo quam ipsa late patet Ecclesia Catholica: adeo ut, si quis forte aliam ac Alphonsi rationem in docendo experiri velit, in dedecus procul dubio incurrat necesse sit, quod plerumque temeraria aggressos consequitur.* [1] - Iisdem concinunt Theologi *Vindobonenses* praeclaris hisce verbis: « *Id quidem maximum, quo S. Alphonsus inclaruit, meritum esse putamus, quod morum doctrinam, tum ab immoderato rigore, tum a nimia lenitate aeque distantem, doctrinam genuino Ecclesiae spiritu undique plenam, mira eruditione exposuit, perspicacissime probavit, acutissime explanavit, fortissime contra adversarios armis victricibus propugnavit.* » [2] - Demum, ne plura afferamus, 660 Sacrorum Antistites ex totius Orbis regionibus solemniter asseverant: « *Ipsa* (Scripta moralia S. A.) *in Scholis acceptata, jure merito tanquam tuta, sana ac perpetua Regula ab ipsis reputantur.* »[3]

4. Gravissimis hisce testimoniis quaedam pauca subnectere juvat ad *Systema morale* speciatim spectantia. - *Emus Gousset* scitissime advertit: « *Nous avons peine à ne pas proclamer, sans examen, orthodoxes et même excellents, des Principes dont l'application a peuplé la Cité sainte de milliers de citoyens.* » [4] - Cl. Professor *De Wit*, [5] perpendens «quanta auctoritate S. Alphonsi Theologia *per sese* potiatur » egregie sic exorditur: « *S. Doctor major est omni exceptione, sive temeritatis in adoptatis Systematis moralis principiis, sive levitatis in argumentando, sive imprudentiae in eligendis opinionibus, sive negligentiae in penetrandis ponderandisque oppositarum sententiarum rationum momentis...* » Et alibi, [6] decisiones S. Sedis referens, concludit: « *Si approbatio Romana nullam doctrinae S. Alphonsi conferat probabilitatem intrinsecam, non existimamus tamen nos ultra quam par sit, progredi, dum contendimus illa conferri extrinsecam. Nam imprimis Theologia S. Alphonsi, judicio S. Sedis, nullam propositionem continet, quae censuram aliquam mereatur; quod quidem judicium grave profecto pondus Auctoritatis huic Libro tribuit...* » Quod pondus Auctoritatis (uti jam innuimus) eo gravius censendum est, quia, praeter S. Doctorem, nullus alius Scriptor moralis hujusmodi sanctionem sibi vindicare potest.

Tandem audire juvat *A. Martinet*, qui [7] de regula Aequiprobabilismi sic disserit: « 1°. *Fulcitur hoc evidenti judicio rationis speculativae:* Nemo stricte tenetur de lege vel obligatione, quam, omnibus perpensis, non potest habere ut verisimiliorem, nedum ut veram: atqui talis est lex vel obligatio stricte dubia; haec est enim vis propria dubii stricti, ut neutra ex partibus contradictoriis videatur vera, aut saltem verisimilior; ergo nemo tenetur de lege vel obligatione stricte dubia. *Quod judicium rationis speculativae, ratio practica confirmat altero non minus evidenti:* Non sunt alliganda hominibus onera gravia et

1) Cfr. cit. Causam Doctoratus, *Litterae supplices*, n. 16. pag. 123. — 2) Ibid. n. 6. pag. 95. — 3) Ibid. n. 2. pag. 7.; n. 3. pag. 26.; n. 17. pag. 125.; n. 18. pag. 130. — 4) Ibid. *Responsa*, n. 199. pag. 94.— 5) *De studio et usu Theol. mor. S. Alphonsi*, Buscoduci 1867. pag. 9. — 6) Ibid. pag. 96. — 7) Theologia moralis, Parisiis 1867. Tom. I. lib. 1. art. 13. §. 4.

importabilia; atqui tale esset onus servandi pro certis obligationes dubias, quae sunt numero indefinitae; ergo. Nec excipienda videntur dubia de jure naturali, in quibus agitur de intrinseca honestate actus... [1] 2°. Evidentiae intrinsecae, qua gaudet regula Aequiprobabilismi, *accedit evidentia extrinseca Auctoritatum,* quas undique profert et vere prodigit S. Alphonsus in suo Morali systemate... *Magnam demum regulae Aequiprobabilismi auctoritatem conciliavit doctissimus et sanctissimus conditor, praefatus Alphonsus Maria de Ligorio...* Cujus eximii Operis (*Theologiae moralis*), acerrimos olim nacti obtrectatores in scholis, supervacua jam esset defensio, cum haec duo constent: 1°. *Theologiam Ligorianam, probatiorave ejus Compendia, diu noctuque versari ab omnibus ferme Pastoribus et Confessariis;...* 2°. *Inter Theologias morales, recentiore aevo editas, ab impraejudicatis animis principem locum Ligorianae facile decerni, ob immensam, nec tamen confusam, eruditionis copiam, ob singularem prudentiam, experimentalemque scientiam sanctissimi Auctoris, maxime vero ob iteratam comprobationem S. Sedis Apostolicae...* »

V. Priusquam huic materiae finem imponamus, obiter tria advertere liceat.

1. Aliqui affirmare non dubitarunt, S. Doctorem, licet in Systemate morali *Aequiprobabilismum* statuerit, in solutione tamen casuum uti verum *Probabilistam* sese gerere. — Quam inconsiderata autem sit hujusmodi assertio, infra dicemus, Cap. IV. §. 1. art. 3. in fine.

2. Quosdam, licet praecellens Aequiprobabilismi meritum agnoscentes, aliqua tamen tenet difficultas: sibi fingentes, istud systema arctioribus, quam par est, limitibus circumscribi, quibus intellectus *in angustum* cogatur. Quisquis autem superius exposita attente perpenderit, pro certo habebit, regulam Aequiprobabilismi, qualis a S. Alphonso traditur, non modo non angustam, quin potius VERE AMPLAM esse (in quantum prudentia concedit), et rationi plane consonam. — Etenim S. Doctor minime requirit, ut duae opiniones contradictoriae sint *omnino et perfecte aequaliter probabiles:* quod profecto esset mentem in angusto ponere; cum raro detur ista perfecta aequalitas opinionum, et rarius mens eam percipere, aut de ea sine ulla haesitatione judicare possit. Sed docet, sufficere ut sint aeque vel *fere aeque* probabiles: quia parum pro nihilo reputatur; hinc curandum non est de excessu probabilitatis qui notabilis non est, nec uti talis certo apparet. Equidem diligentia et consideratio in theologo requiruntur; sed quoties intellectus non clare percipit certam praeponderantiam opinionis tutioris, integra remanet libertas. [2]

3. Quibusdam aliis haud arridet vox: *Aequiprobabilismus,* et opinantur, Systema S. Alphonsi rectius denominari: *Probabilismus moderatus.* Sed judicio nostro ista denominatio (quamvis recte intelligi possit) nec adaequata est, nec periculo vacat. E contra, vox: *Aequiprobabilismus* 1° clare eruitur *ex ipsis S. Alphonsi verbis.* Licet S. Doctor pluribus Dissertationibus et Apologiis generalem titulum praefixerit: « *De usu moderato opinionis probabilis* »; aperte tamen declarat, ab ipso non agi nisi « *Dell' uso lecito dell' opinione* EGUALMENTE *probabile* »; [3] imo, proprium Systema pressius determinans, illud passim nuncupat: « *il nostro Sistema dell'* AEQUE PROBABILE... *meum Systema* AE-

1) Hac de re, videsis egregium opusculum cl. *Fedelini*, inscriptum: *S. Alphonsus sepsum vindicans, Dissertatio...* Veronae 1852.— 2) Cfr. cap. II. §. 2. art. 2. punct. III. *n. 77.*; et art. 3. punct. I. et II. — 3) Vid. cap. II. §. 2. art. 1. punct. V.

QUE PROBABILIS *opinionis* »; [1] et ipsemet jam utitur voce : *Aequiprobabilista.* [2] – 2°. Adde, quod Systema S. Alphonsi nomine Aequiprobabilismi venit, tum apud Auctores communiter, [3] tum speciatim in Causa Doctoratus. [4] – 3°. Et rectissime quidem: infeliciter namque usurparetur vox: *Probabilismus moderatus;* quia hoc ipso titulo simplices et communes Probabilistae nostri aevi suum systema condecorare, et « *magno nomine S. Alphonsi tegere solent.* » [5]

Unde, si eadem denominatione uteremur, non levis oriretur aequivocatio; quinimo periculum subesset, ne complures incaute deciperentur, atque in sententiam a S. Doctore non modo non traditam, sed expresse reprobatam, paulatim adducerentur. Vox autem: *Aequiprobabilismus,* utpote clara et praecisa, aperte nos ab aliis discernit, et proprium ac genuinum S. Alphonsi Systema primo intuitu nobis exhibet.

§. 2.

Perpenditur genuinum cl. Ballerinii Systema morale, ad quod immerito pertrahitur S. Alphonsus.

Ex principiis et argumentis supra expositis, quisque jam judicare potest, cujusmodi sit genuinum S. Alphonsi systema. Ex iisdem etiam patet, quid sentiendum sit de assertione cl. Ballerinii: « *jure merito* » *non modo in dubium vocari, sed* » *plane a veritate alienum ostendi* » *posse* », quod proprium S. Doctoris Systema sit *Aequiprobabilismus.* – Antequam vero ulterius progrediamur, non abs re erit ipsius cl. Professoris systema paulisper inspicere.

Articulus 1.

Quodnam sit verum P. Ballerinii Systema morale.

1. Cl. Professor passim in Dissertatione asserit, licitum esse, sequi opinionem *probabilem* in concursu *probabilioris*, quin tamen hujusce propositionis limites pressius circumscribat, ejusque sensum clare determinet. In Compendio quidem Theologiae moralis P. Gury, adnotationibus suis locupletato, [6] cum eodem Auctore sequentem thesim statuit: « *Licet sequi opinionem vere et so-* » *lide probabilem, relicta tutiore* » *aeque probabili, vel etiam vere* » *probabiliori...* » [7] Sed nec ista propositio clarum et stricte praefinitum exhibet sensum; siquidem vox: VERE *probabilior* duplici modo accipi potest.

2. Vel significat Opinionem PARUM *probabiliorem;* quae, ut jam supra ostendimus (pag. 6. ad III. n. 2.) reputanda est *dubie probabilior.* Et-

1) Loco cit. punct. VI. n. 2.; art. 2. punct. III. *n.* 75. Cfr. etiam art. 1. punct. I. n. 4., punct. II. in fine, punct. III. n. 1., punct. IV. n. 1. 4. 5, punct. V. n. 3.; et art. 3. punct. I. — 2) Ibid. art. 3. punct. III. n. 3. in fine. — 3) Cfr. cap. III. *§.* 2. — 4) *Responsa*, cap. 4. art. 2. pag. 105. — 5) Martinet, Theol. mor. tom. 1. lib. I. art. 13. pag. 260. — 6) Tom. I. n. 60.

7) In prioribus Compendii editionibus (cfr. Lugdunens. 1850., Parmens. 1852., etc.) *P. Gury* cit. n. 60. aliam thesim clarius et rectius statuerat, in qua, quoad substantiam, cum S. Doctore conveniebat: « *Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiori aeque probabili, vel etiam probabiliori, ubi de solo licito vel illicito agitur: modo tamen excessus probabilitatis sententiae tutioris non sit valde notabilis.* — Sic, *praeeunte S. Alphonso de Ligorio*, mediam sectamur viam oppositas inter Theologorum partes, rigorem quidem Probabilioristarum temperando, simul et benignitatem aliquando nimiam Probabilistarum non paucorum strictioribus coarctando limitibus. Nobiscum enim consonat S. Auctor, siquidem docet licitum esse sequi opinionem non solum *aeque* probabilem, sed *fere aeque* probabilem, licet *minus tutam:* porro statuit, opinionem aliquam esse *fere aeque* probabilem, quoties opposita opinio non est *certe, evidenter, multum* vel *notabiliter* probabilior. Homo Apost. n. 77. etc. — Nos vero, opinantes licitum esse sequi opinionem etiam

enim *parva* praeponderantia nunquam dici potest *certa* praeponderantia: alias, secundum S. Alphonsum, eo ipso esset *notabilis;* [1] parvus ergo excessus probabilitatis pro lege, non est nisi excessus *dubius;* dubius autem excessus pro lege necessario efficit, ut lex remaneat *certe et stricte dubia.* Stante ergo inter utramque opinionem stricto dubio, opinio pro lege, licet sit aut videatur *parum probabilior,* non est nisi *aeque aut fere aeque probabilis* ac illa quae favet libertati: et sic habes ipsum S. Alphonsi *Aequiprobabilismum.* – Unde praefata propositio, hoc sensu accepta, sequenti ex asse respondet: *Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore aeque vel fere aeque probabili.*

3. Hisce tamen limitibus thesim suam circumscribere non intendit cl. Professor. Siquidem aperte dicit: « *plane a veritate alienum ostendi* » *posse* », quod S. Alphonsus docuerit « *tunc solum partem minus tutam* » *teneri posse, quum tutior, quae* » *stat pro lege, aut* PARIS *aut* PRO- » XIMAE *probabilitatis esset, ac illa* » *quae libertati obsecundet* »; [2] idque confirmat, dum scribit: « *Auctorem* » *hujus Systematis* (Aequiprobabi- » lismi) *quidam dixerunt S. Alphon-* » *sum de Ligorio. At non ita in-* » *telligi id debet nec potest, quasi* » *a* COMMUNI SYSTEMATE PROBABILI- » SMI, *quod et ipse acerrime defen-* » *dit, aliquando Vir sanctus reces-* » *serit* ». [3] – Cum itaque P. Ballerini nullatenus subscribat Aequiprobabilismo, nequidem largo, qui intra suos limites admittit opinionem parum aut dubie probabiliorem; ejusdem Systema non potest esse nisi sequens: *Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore, etiam* CERTE *et* NOTABILITER *probabiliore.* – Nec objici potest, illegitimam esse hanc conclusionem, eo quod inter *parum* probabilius et *notabiliter* probabilius, dari queat gradus *medius,* superior quidem parum probabiliori, sed inferior notabiliter probabiliori. Ast cujusmodi, quaerimus, erit intermedius iste gradus? Etenim 1°. *major* haec probabilitas, vel judicatur *certe* praeponderans; et tunc, ex mente S. Alphonsi, etiamsi *unico tantum gradu, certe et sine ulla haesitatione* cognoscatur probabilior, ipsa *relate ad oppositam, notabiliter* probabilior evadit, ita ut necessario veram et solidam oppositae probabilitatem elidat; quia eo casu, tollitur prudens dubitatio de rationibus quae pro utraque parte militant. Vel 2°. *major* illa probabilitas apprehenditur ut *dubie* praeponderans; et tunc ipsa confunditur cum *parum probabiliore,* quia inter utramque opinionem remanet *dubium strictum.* [4]

4. Adde, quod praefata propositio

minus probabilem libertati faventem, hanc apponimus restrictionem, scilicet: *modo excessus probabilitatis sententiae tutioris non sit valde notabilis*, quod in Ligorianam doctrinam recidit. Usum Probabilismi sic temperandum esse existimamus. Etenim, si tantus daretur excessus probabilitatis legi faventis prae alia, prior videretur fere in *probabilissimam* recidere, et proinde posterior *dubie aut tenuiter probabilis* evaderet...» — Qua vero de causa cl. vir de S. Doctore caeteroquin bene meritus, in posterioribus editionibus (ab anno 1862.) ab hac sententia discesserit, nostrum non est hic exponere.

1) Vid. supra, pag. 6. not. 3. — 2) Cfr. pag. 2. — 3) Pag. 1.

4) Cfr. cap. II. §. 2. art. 3. punct. I. et II. — Egregie hac de re disseritur in opere inscripto: *Fondamenti dei due Sistemi della Morale Teologia, in difesa del Ven. Mons. de Liguori,..... composti e dedicati alla S. di Pio VI..... dal Dottor Vincenzo Picerni,..... Napoli 1797.*; ex quo sequentia pauca decerpere juvat (Part. I. cap. II. pag. 120.): « Non ci è peggior cosa in questa materia, che il generico uso di quelle voci *più* » o *meno* in paragone, senza volerle prima mettere in bilancia, e ben bene caratarle..... » Quella preponderanza (della probabiliore) o è *tenue* e *dubbia* prudentemente; o è *grave* » e *certa* in riguardo alla probabile. Se è *tenue* e *dubbia* prudentemente: dunque la pro- » babiliore racchiude in seno, il *prudente* timore dell' opposto; e perciò è fuori del *certo* » *morale* di quella tal legge, su cui combattono; onde non ci è obbligo di seguirla. Se poi

ipsa secum pugnat. Fieri enim nequit, ut quis judicans opinionem pro lege esse *certe et notabiliter* probabiliorem, oppositam pro libertate *vere et solide* probabilem censeat. Nam posito, quod opinio pro lege sit certe et notabiliter probabilior, eo ipso tollitur *dubium strictum*, seu cessat prudens formido de opposito, ita ut opinio pro libertate (etiamsi, *in se spectata*, vere et solide probabilis sit) *relate ad tutiorem*, necessario judicari debeat aut *tenuiter*, aut *saltem dubie* probabilis. – Hinc enunciata propositio cl. Ballerinii rectius sic sonat: *Licet sequi opinionem* MINUS *probabilem, in concursu* CERTE *et* NOTABILITER *probabilioris.* Quid autem de hac doctrina sentiat S. Alphonsus, modo examinabimus.

Articulus 2.

Probabilismus communis, cui adhaeret cl. Ballerini, jure meritoque a S. Alphonso rejicitur tanquam sententia laxa.

En gravia S. Doctoris verba, quae leguntur tum in *Apologia* de anno 1769., tum in tertia editione Operis cui titulus: *Homo Apostolicus*, a S. Sede anno 1803. revisis et approbatis: « Utrum autem liceat cum » opinione probabili operari, tres ad- » sunt sententiae, prima quarum est, » *ut possit quis licite sequi opinio-* » *nem etiam minus probabilem pro* » *libertate, licet opinio pro lege sit* » *certe probabilior. Hanc sententiam* » *elapsi saeculi Auctores* QUASI COM- » MUNITER *tenuere; sed nos dicimus* » *eam esse* LAXAM, ET LICITE AMPLE- » CTI NON POSSE. » [1]

In hoc textu, S. Alphonsus aperte loquitur de *Probabilismo communi*, seu de illo Probabilismo quem tenuerunt quasi communiter Auctores saeculi XVII. Hanc itaque sententiam, cui adhaeret cl. Ballerinius (ut ex dictis in praecedenti Articulo patet), S. Doctor non modo non approbat, quin potius ceu *laxam* et *illicitam* plane rejicit. – Memores praecepti Summorum Pontificum, cavendi scilicet « *ab omni censura et no-* » *ta contra eas propositiones, quae* » *adhuc inter Catholicos controver-* » *tuntur, donec a S. Sede super eis* » *judicium proferatur* », [2] nobis profecto nec competit, nec animus est sententiae cl. Professoris notam *damnandae laxitatis* affigere. Verum, stante judicio S. Doctoris, quod ipsa S. Sedes ab omni censura immune declaravit, nobis sane licebit, ad vindicandum S. Alphonsi Systema morale, breviter ostendere, rectum et omnino fundatum esse praefatum ipsius judicium. – Hoc autem clare apparebit I. Ex ipsa *Laxismi* natura et definitione; II. *Ex illegitima applicatione*, a Probabilistis facta, *Principiorum reflexorum*, ad tuendam libertatem; III. *Ex neglecta ab ipsis necessaria ponderatione* rationum pro sententia tutiore militantium; IV. *Ex inconsequentia*, qua laborant simplices Probabilistae, circa *cessationem* legis; V. Demum ex *periculo*, quod in praxi vix abest, paulatim ad laxismum damnatum deflectendi.

I. *Laxismum* generatim sumptum sic definit ipse *P. Gury*, T. I. n. 49.: « Conscientia *laxa* ea dicitur quae, *ex leviori ratione*, id quod illicitum

» è *grave* e *certa;* allora è uscito dal seno della probabiliore il prudente timore dell' op- » posto... Sintantochè la preponderanza della probabiliore non giunga ad essere *grave* (in » riguardo all' opposta probabile) dovrà sempre essere *tenue;* nè può esservi alcun mezzo » tralla *tenue*, e *grave* preponderanza *morale*, di cui trattiamo...; siccome tralla *veniale* » e la *mortale* colpa non potrà mai esservi mezzo. Potrà una colpa esser più o meno grave » di un' altra...; potrà ancora tra veniale, e veniale colpa esservi gradazione. Ma tra *leg-* » *giera*, e *grave* colpa, o sia tra *veniale* e *mortale*, non vi è mezzo. Così ancora tralla » *tenue*, e *grave* preponderanza fra quelle due contrarie opinioni, *non potrà mai esservi* » *mezzo.* »

1) Vid. cap. II. §. 2. art. 2. punct. III. — 2) Innocent. XI., Decret. de 4. Mart. 1679. n. 65.; et Benedict. XIV. Const. *Sollicita ac provida*, §. 23.

est, licere judicat; vel veniale tantum peccatum, ubi mortale est, deprehendit: ea videlicet est, quae, *absque sufficienti ratione, judicium in favorem libertatis inflectit,* vel ad legem vitandam, vel ad minuendam culpae gravitatem. »

1. Porro, quomodo Probabilismus communis, absque sufficienti ratione, judicium in favorem libertatis inflectat, ex ipso S. Doctore audiamus: [1] « Quoties intellectui diserte apparet, » veritatem multo magis stare pro » lege, quam pro libertate, tunc vo» luntas nequit prudenter et sine » culpa parti minus tutae adhaere» re; siquidem eo casu, homo *non* » *proprio judicio,* seu propriae cre» dulitati innixus operaretur; sed po» tius *per quemdam conatum,* quem » sua voluntate in intellectum in» ferret, ut a parte quae valde ve» risimilior sibi apparet, removere» tur, et ad partem quae sibi vera » non apparet, imo quae videtur nec » certum fundamentum habere, quod » possit esse vera, *inflecteretur.* Et » huc facit illud Apostoli: *Omne* » *quod non est ex fide, peccatum* » *est* (Rom. 14. 23.). » [2]

2. Ex doctrina itaque S. Alphonsi, communis Probabilismus rejiciendus est, quia est *sententia laxa,* seu quia judicium in favorem libertatis inflectit, non ex lege intellectus (deficiente enim certitudine, mens in partem verisimiliorem necessario inclinatur), sed ex quodam imperio seu conatu voluntatis, quae, hanc legem praetergrediens, in intellectum vim infert. Et idcirco actio sequens jam non procedit ex dictamine rectae rationis, sed ex illicito conatu voluntatis, et eo ipso laxa est atque illicita. [3]

II. *Insuper Probabilismus communis certo fundamento caret: quia, stante opinione certe probabiliore pro lege, illegitime invocantur Principia reflexa in favorem libertatis.* – Apud omnes in confesso est, nunquam licere agere juxta opinionem probabilem, *propter solam probabilitatem;* sed deficiente certitudine morali directa, necessario recurrendum est ad certa Principia reflexa, quae fundent certitudinem moralem de honestate actionis. Exinde sequitur, nisi recta fiat applicatio istorum Principiorum (quae, in casu, sunt totius agendi rationis fundamentum), conscientiam operantis omni solido agendi motivo destitui, ac proinde ipsum illicite operari, quippe quod a dubio practico legitime non exeat. – Porro, ubi datur opinio certe et notabiliter probabilior pro lege, et opinio certe minus probabilis pro libertate, legitime invocari nequeunt Principia reflexa in auxilium libertatis: quod ex dicendis patebit.

1. Primum ac praecipuum, ne dicamus fere unicum Principium, quo utuntur nostri Probabilistae, illud est: LEX DUBIA NON OBLIGAT. – Huic axiomati S. Doctor summam quidem probandi vim tribuit; sed (bene no-

1) Cfr. cap. II. §. 2. art. 2. punct. I.

2) Cl. *Albrand,* in nova editione Theologiae univ. Thomae ex Charmes (cfr. edit. 2. Tom. 4. pag. 173.) pulchre demonstrat, eamdem sententiam pugnare cum aliis Apostoli verbis, I. Thess. 5. 21.: *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos.* Ait enim: « Qui sequitur opinionem minus probabilem faventem libertati, seu cupiditati, in concursu probabilioris faventis legi: 1°. *Non omnia probat;* nam non omnia probat qui se non determinat prudenter; sed qui sequitur opinionem minus probabilem, non se determinat prudenter, ut patet, et infra probabitur: ergo, etc. 2°. *Non tenet quod bonum est;* nam ille non tenet quod bonum est, qui amplectitur quod ei malum apparet potius quam bonum; atqui, etc. 3°. *Non abstinet ab omni specie mala;* nam ille non abstinet ab omni specie mali, qui amplectitur quod prudentius et probabilius malum esse judicat; atqui, etc. »

3) De hac S. Alphonsi doctrina egregie disserit cl. *Müller* (Theol. mor. T. 1. pag. 302. et seq.), ac plures sibi consentientes Auctores adducit, quos inter *Stapf,* qui (Theol. mor. T. 1. §. 81.) merito animadvertit: « *Sane omnes fateri cogimur, naturam rationalem violari, atque impium esse, si quis, neglectis momentis gravioribus, illud sequitur quod, utpote rationibus levioribus nixum, divinae legi minus congruit.* »

tetur) dummodo dubium, an lex existat, sit *dubium strictum*, id est, modo rationes pro utraque opinione militantes *aequaliter vel quasi aequaliter* probabiles sint, ita ut neutra certe verior appareat, et intellectus in neutram inclinet. – Verum in casu nostro, *lex* jam dici nequit simpliciter et stricte dubia; quia, ex hypothesi, est *certe et notabiliter probabilior*. Unde, comparatione facta, ipsa, relate ad opinionem libertati faventem, potius apparet moraliter aut quasi moraliter certa. Deficiente itaque certo Systematis fundamento, corruit et ipsum systema.

Nec objici potest, legem reddi incertam, ex eo quod contra ipsam militet *vera et solida* probabilitas pro libertate: siquidem hoc ipsum praecise *negatur*, quod nempe subsistere possit *vera et solida* probabilitas libertati favens, in concursu opinionis *certe seu notabiliter* probabilioris pro lege; illius scilicet quae, ob rationes certe praeponderantes, sine ulla haesitatione uti probabilior apparet. [1]

2. Similiter legitime invocari nequit alterum axioma: IN DUBIO MELIOR EST CONDITIO POSSIDENTIS. Etenim (ut jam supra demonstravimus), stante opinione certe et notabiliter probabiliore pro lege, nullum amplius subsistit dubium absolutum seu strictum, sicut in aequiprobabilitate opinionum; hinc, practice loquendo, jam non versamur in *dubio;* sed in opinione, quae, relate ad alteram libertati faventem, *certa aut quasi certa moraliter* dicenda est; respectu cujus, non melior, sed deterior fit conditio libertatis.

Sed forsitan quis instabit, dicendo: Libertas, ubi possidet, habet jus certum, quod non evincitur nisi a jure pariter certo. – Utique rectum est istud principium, modo tamen (uti ajunt) cum grano salis accipiatur; si enim plus quam par est urgeretur, illud sequeretur, quod nulla lex imponi posset, nisi illa quae absolute et directe certa (cujusmodi est libertas) demonstratur: quod profecto nullus sano judicio praeditus admittit. – Ad evincendam itaque libertatem, sufficit ut lex *saltem indirecte* moraliter certa demonstretur. Hoc autem fit, quoties opinio fundans legem intellectui tanquam certe probabilior apparet: quia tunc accedit illud alterum principium, seu regula generalis undique recepta: Quilibet in dubiis tenetur *veritatem inquirere*, et si veritatem absolutam seu omni exceptione majorem attingere non valet, illam saltem opinionem debet amplecti *quae propius ad veritatem accedit*. Qua de re rationabiliter dubitari nequit: quia intellectus, ex cessatione omnis haesitationis, non potest non colligere, veritatem multo magis pro lege stare.

Hisce generatim expositis, non abs re erit inspicere quomodo speciatim PP. Gury et Ballerini se habeant circa idem principium: *Melior est conditio possidentis.* – In quibusdam prioribus editionibus, [2] P. Gury affirmabat (contra sententiam S. A. [3]), illud non valere nisi in materia justitiae. In duplici vero editione Romana, ipse cum cl. Ballerinio (egregiis ductus Suarezii rationibus, quae partim etiam a S. Alphonso referuntur [4]) dicit, communiorem et prorsus tenendam esse sententiam, quae censet, istud axioma valere in aliarum quoque virtutum materia. Contendunt autem praefati Auctores, idem principium locum non habere *nisi in dubio negativo*. Ait enim P. Gury: « Haec regula, prout a DD. tradi et admitti in scholis consuevit, nunquam de statu *opinionis*, sed *solum de statu dubii presse sumpti* intellecta et recepta fuit » – (quod cl. Ballerinius in adjecta nota confirmat, dicens cum Lugone « *id procedere, quando est merum dubium negativum* »). – « Inter *dubium* autem et

1) Cfr. supra, pag. 6. et pag. 17. ad I. — 2) Cfr. Lugdunens. 1850. et Parmens. 1852., etc. Tom. 1. n. 78. — 3) Vid. supra, pag. 13. art. 3. n. 2. — 4) Vide Theol. mor., edit. 5. lib. I. n. 53.

opinionem, hoc semper discrimen exstat, ut illud omnimodam assensus suspensionem inter duo contradictoria importet, haec vero assensum in alterutram partem, licet non sine formidine oppositae. »

Sed pace cl. Auctorum, captiosa hujusmodi argumentatione haud feliciter difficultate se expediunt: dum enim discrimen statuunt inter *dubium* et *opinionem*, significant istam esse *solam*, cui nulla alia contradicat; unde mirum non est, si in praxi ista unica opinio assensum ad unam partem trahat. [1] - Verum, res non ita se habet in Aequiprobabilismo: supponitur namque *concursus* opinionum; supponuntur duae opiniones aeque vel fere aeque probabiles, aeque aut fere aeque validae, quae sibi invicem opponuntur, sibi invicem contradicunt, altera affirmans, negans altera, circa idem objectum, circa eamdem legem aut obligationem. Quid autem, quaerimus, ex tali pugna oritur? nonne dubium *strictum* seu *pressum?* An forsitan mens magis in suspenso remanet, cum *nullae* dantur rationes ex utraque parte, quam si habeantur utrinque rationes *aequaliter* graves? Minime sane: hinc scitissime advertit S. Alphonsus: [2] « Cum adest ex alia parte » opinio AEQUE probabilis pro liber- » tate, tunc *ex neutra parte aliqua* » *potest superesse probabilitas*, seu » probabilis ratio, apta ad pruden- » tem hominis assensum sibi trahen- » dum; *nam ex his aequalibus pro-* » *babilitatibus aliud quam* MERUM » DUBIUM *non resultat, an existat,* » *vel non existat lex*. Id clare docet » S. Thomas: *Intellectus noster re-* » *spectu partium contradictionis se* » *habet diversimode; quandoque* » *enim non inclinatur magis ad* » *unum, quam ad aliud, vel propter* » *defectum moventium, sicut in il-* » *lis problematibus, de quibus ra-* » *tiones non habentur, vel propter* » *apparentem aequalitatem eorum* » *quae movent ad utramque partem,* » *et ita est dubitantis dispositio, qui* » *fluctuat inter duas partes contra-* » *dictionis* (de Verit. q. 14. art. 1.). » Idemque alibi brevius docet: *Inter* » *aequalitatem etiam rationum et* » *argumentorum, soli dubio est lo-* » *cus*... Itaque, respectu ad nostram » controversiam, in qua de duabus » opinionibus *aeque* probabilibus agi- » tur, dici non valet probabilem legis » notitiam sufficere ad eam promul- » gatam efficiendam; eo enim casu, » neutiquam notitia sufficiens ad le- » gem promulgandam habetur, sed » tantum ad promulgandum *dubium*, » sive meram haesitationem, an ad- » sit lex, vel non: quandoquidem, » *cum duae aequalis ponderis opi-* » *niones concurrunt, evenit* (ut di- » ximus) *nullam earum pondus ha-* » *bere*. »

Cum ita se res habeat, quid concludendum, nisi quod cl. Patres Gury et Ballerini proprio gladio se confodiant, dum dicunt, praetatam regulam Juris: *In dubio, melior est conditio possidentis*, solum admitti et intelligi *de statu dubii presse seu stricte sumpti?* Nonne exinde sequitur, eamdem regulam utique valere *in Aequiprobabilismo*, at vero *prorsus illegitime invocari in Probabilismo communi*, in favorem scilicet opinionis minus probabilis pro libertate, cui adversatur opinio certe aut vere probabilior pro lege? - Rectissime igitur docet S. Alphonsus: [3] « *Cum opinio tutior est certe proba-* » *bilior*, eo casu, quamvis lex omni- » no certa non sit, tamen propter » illam majorem probabilitatem, opi- » nio pro lege videtur moraliter ve- » rior; et consequenter etiam lex » moraliter sive sufficienter promul- » gata; et ideo *lex nequit dici tunc* » *omnino dubia*, DUBIO STRICTO; re- » manet tantum eo casu *aliquod du-* » *bium latum*, quod non permittit

1) Cfr. supra, pag. 18. *Demum* 4°., et cap. IV. *§.* 2. art. 2. ad I. — 2) Theol. mor., Systema morale, edit. 9. approb. pag. 20. (in recent. edit. lib. 1. n. 71.). — 3) Cfr. cap. II. *§.* 2. art. 3. punct. II. n. 2.

» ab opinione tutiore discedere. *Cum* » *autem opinio, quae stat pro liber-* » *tate, est* AEQUE *probabilis, tunc* » *adest* DUBIUM STRICTUM *de existen-* » *tia legis;* ac propterea, sicut pro- » bavimus, non adest tunc obligatio » sequendi opinionem tutiorem, nec » servandi legem, de qua plene dubi- » tatur an existat, vel non existat. »

III. Praeterea *hodiernus Probabilismus communis,* dum uti renuit omnibus regulis a S. Alphonso traditis, velit nolit, *in plura incidit antiqui Systematis incommoda.*

1. Antiqui Probabilistae, ad principia reflexa non recurrentes, dicebant quod, ubi dantur plures opiniones probabiles, homo circa opinionem tutiorem *judicium suspendit,* et probabilitati opinionis benignae se innitens, operatur. – Quos confutat S. Doctor,[1] dicens, non licere hanc judicii suspensionem, quia est « *mere vo-* » *luntaria;* unde excusare non pot- » est, quin ignorantia sit vere vin- » cibilis, ideoque eo modo nequit » equidem dubium deponi. »

2. Similiter, ubi dantur duae opiniones, una probabilis pro libertate, altera certe probabilior pro lege, hodierni Probabilistae, ut adhaereant opinioni benigniori, quamdam etiam abstractionem seu judicii suspensionem necessario faciunt, non attendentes nisi gravi probabilitati in favorem libertatis, quidquid sit de certa praeponderantia opinionis tutioris. – Sed iterum cum S. Doctore dicimus: Haec judicii suspensio aut abstractio non licet; quia est mere voluntaria, et contra legem evidentem intellectus, cujus est id amplecti *quod propius ad veritatem accedit.* Hinc docet S. Alphonsus: « *Quo-* » *ties intellectui diserte apparet,* » *veritatem multo magis stare pro* » *lege, quam pro libertate, tunc vo-* » *luntas nequit prudenter et sine* » *culpa parti minus tutae adhae-* » *rere.* »[2]

3. Nec valet objectio: Qui operatur innixus gravi probabilitate, agit ex motivo rationabili; ergo non peccat. – Utique non peccat, qui operatur innixus gravi probabilitate, quae est *unica,* vel quam non superat opinio *evidenter gravior.* Certo autem peccat operans, qui *voluntarie* innititur gravi probabilitate, cui contradicit opinio *certe major, gravior, aut verior:* quia hujusmodi motivum a majori superatum amplius dici nequit rationabile.[3] (Cfr. dicta de merito Systematis S. A., pag. 26. ad III.).

IV. Adde, quod hodierni Probabilistae non solum libertati plus aequo indulgent, sed *sibi non constant.* Licet enim admittant, valere in genere *principium possessionis,* et eo bene utantur in favorem *libertatis;* eodem tamen uti renuunt in favorem *legis:* cum dicant, ad *cessationem* legis sufficere probabilitatem ei contrariam, seu sufficere ut quis sit probabiliter solutus a lege, quin ad aliud teneatur.

Hoc autem videtur omnino inconsequens: etenim *jura legis et libertatis in pari causa, aequalia sint oportet;* judex, inter utramque positus, uti nequit pondere et pondere, sed, in iisdem circumstantiis, debet utrique idem jus tribuere. – Et re quidem vera: si in dubio invincibili de *existentia* aut *extensione* legis, juris vel obligationis, praesumitur non-existentia, aut non-extensio: nonne pariter, in dubio invincibili

1) Theol. mor. edit. 9. approb., Systema morale, pag. 17. (in recent. edit. n. 69.); vid. etiam infra, cap. II. §. 2. art. 2. punct. I. n. 4. — 2) Vid. supra, pag. 34. Cfr. etiam cl. *Müller,* T. 1. pag. 303. — 3) In Compendio Theologiae *Thomae ex Charmes,* a R. P. Mariano a Novara recens edito (Bruxellis, Goemaere 1872.), ex, quoad partem moralem, ad doctrinam S. A. reducto, pag. 364. apte diluitur objectio: « *Inst.* Opinio minus probabilis fundatur motivo gravi, alias non esset probabilis; ergo juxta illam licet operari. *Resp. Dist.* Motivo gravi, superato per motivum gravius in oppositum, *conc.*, non superato, *nego.* Porro motivum grave superatum a graviori, fit leve, nec meretur assensum. »

de *cessatione* legis, juris aut obligationis, praesumi debet non-cessatio? Si lex dubia aut probabilis, superveniens libertati certae, jus libertatis non evincit; quanam ratione, libertas dubia aut probabilis, superveniens legi certae, posset jus legis evincere?[1] – Hac praecipue agendi ratione, a regulis prudentiae aliena, Probabilismus communis immoderantiae et laxitatis arguitur, et legitime vocari nequit *Probabilismus moderatus*.

V. Haec speculative et in rigore doctrinae dicta sint; at *in praxi*, Probabilismus communis adhuc magis ad deteriora ducit. Iterum protestamur, nobis nullatenus esse mentem praedicto Systemati censuram aliquam theologicam affigere: hoc enim soli Ecclesiae competit; multo minus in animo habemus, Scriptorum eidem systemati adhaerentium debitam existimationem quam minimum violare. Ast, quisquis impraejudicato animo naturam praefatae doctrinae inspexerit, non poterit non agnoscere, ipsam (sane praeter, imo contra Scriptorum intentionem) lugenda, sed ineluctabili lege, ad laxismum absolutum et damnatum paulatim ducere.

1. *Laxismus damnatus* definitur a P. Gury (cfr. supra, pag. 1.) ille «*ex quo semper fas est sequi opiniones etiam* TENUITER *probabiles.*» – Porro, hodierni Probabilistae, ex eo quod admittant licitum esse usum opinionis, dummodo sit *in se spectata* vere et solide probabilis, nec se teneri credant ad ponderandas rationes sententiae tutioris: haud raro sibi fucum faciunt, et tanquam licitam et solidam sequuntur opinionem, quae reapse, *respectu certe probabilioris* pro lege militantis, non solum *dubie*, sed *tenuiter* probabilis est. Quae hallucinatio praesertim locum habet, ubi agitur de probabilitate *extrinseca*, cui Probabilistae generatim libenter adhaerent ad tuendam libertatem: non raro enim evenit, ut opinio quaedam ab Auctore etiam magni nominis teneatur, et tamen vix aut tenuiter sit probabilis.[2] – Caeterum, praefatum damnandae laxitatis periculum, uti jam innuimus, *ex ipsa Probabilistarum methodo* sequitur, atque inevitabilis est eorum Systematis consequentia: tum quia ipsorum *formula* nullam exprimit necessitatem ponderandi rationes sententiae tutioris; tum quia ipsi talem obligationem non supponunt, eo quod de excessu etiam notabili probabilitatis oppositae nihil curandum judicent.

2. Adde, quod *amor proprius* in dubiis moralibus plerumque se ingerat, et in iisdem dirimendis haud levem partem sibi arrogare studeat. Quocirca S. Alphonsum jam supra audivimus graviter monentem: « Et » revera, quod *in opinionibus ma-* » *ximam partem sibi sensus pro-* » *prius sive passio vindicet,* et non » ratio, passim accidit doctis et in- » doctis; imo *saepius evenit doctis,* » quia his facilius est rationes inve- » nire ad sibi suadendum, quod ve- » ritas sit ex ea parte, in quam ma- » gis a passione feruntur...»[3] – Quis insuper ignorat, homines plerosque

1) Vid. supra, pag. 18. ad II.; et infra, cap. IV. §. 2.

2) Hac de re, S. Alphonsus in Systemate morali (cfr. edit. 9. approb. pag. 34., in recent. edit. n. 83. in fine) advertit: « Confessarius, antequam aliquam opinionem amplexetur, tenetur » utique *intrinsecas* rationes perpendere; et cum ei occurrit *ratio aliqua convincens pro* » *tutiori opinione*, cui adaequatam responsionem suppetere non aspicit, tunc oppositam » minus tutam amplecti non potest, *quamvis plurimorum Doctorum auctoritas ipsi faveat:* » modo auctoritas non sit tanti ponderis, ut videretur ei magis quam rationi apparenti de- » ferendum; juxta id quod docet S. Thomas: *Aliquis parvae scientiae magis certificatur* » *de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem* » *videtur.*» Scite autem addit S. Doctor: « *Sed iste casus valde rarus erit.*» – Hodie tamen iste casus revera obtinet relate ad ipsius S. Alphonsi doctrinam: cum Ecclesia declaraverit, eamdem esse sanam et tutam.

3) Vide supra pag. 25.

ad libertatis extensionem, et ad laxitatem opinionum inclinatos esse? Qua de re S. Doctor rectissime advertit: [1] « *Non dubito, quin majori* » *quidem detrimento semper in Ec-* » *clesia fuerint Confessarii nimis* » *indulgentes: cum major hominum* » *pars ad vitia proni sint.* »

3. Haec gravia S. Alphonsi verba, nostris praesertim luctuosis temporibus, serio ponderanda sunt. Ipsius quidem Libris theologicis debetur (prout uno ore testantur Sacrorum Antistites in Causa Doctoratus [2]), ut rejecta atque extincta sit lues Janseniana. Verum quis nescit, hodiedum aliam non minus infaustam pestem ubique grassari: pestem execrandi *Liberalismi;* qui postquam humanam invasit societatem, principium auctoritatis excussit, atque illimitata libertatis jura superbe affirmans, praeter alia innumera mala, *Moralem independentem* ac omnimodam conscientiae libertatem invexit. Nonne itaque summa omnium dicenda esset calamitas, si et ipsi ministri Ecclesiae, et maxime Scriptores catholici, spiritui hujus aevi faventes, sub specie benignitatis hodiedum necessariae ad animas facilius a peccato retrahendas, doctrinam moralem laxioribus principiis informarent?

4. Nec imaginarius est timor, quem nobis ingerit hodiernus Probabilismus communis; nobiscum enim sentiunt plures recentiores Scriptores. — Sic inter alios cl. Professor *Müller* [3] apertè declarat: « *Probabilismum absolutum,* juxta quem coll. §. 79. [4] licet uti opinione minus probabili in concursu opinionis tutioris et certe probabilioris, *adoptare nequimus. Is fere coincidit cum Laxismo n. 5. refutato... Idem systema recentissime Stapf, Scavini, Gousset, Martin, Simar, etc. repudiant.* » — Accedit *A. Martinet,* [5] qui confutationem systematis P. Gury sic concludit: « Concesso semel omnibus jure habendi pro incertis et nullis obligationes, quibus unusquisque privatim judicet adversari *probabilitatem aliquam veram et solidam,* vere nescimus: 1°. *Utrum ex receptissimis vitae christianae obligationibus, una sit in tuto;* 2°. *Utrum ex damnatis Laxistarum propositionibus, una sit quae non reviviscat.* » — Demum ipse S. Doctor noster, cui profecto nec benignitas nec prudentia christiana denegari potest, affirmare non dubitat, se licentiam audiendi confessiones illi non concessurum, qui opinionem certo minus probabilem tenere vellet. In Epistola namque ad Superiorem suae Congregationis, ipsius vices gerentem data, [6] haec ponderanda verba leguntur: « Il Padre N., » mi ha fatte alcune difficoltà, vo- » lendo sostenere, che ben potea se- » guirsi l'opinione per la libertà, » benchè fosse conosciuta per *certa-* » *mente meno* probabile; ma io gli » ho risposto a lungo, e finalmente » gli ho scritto, che siccome io ho » scrupolo di far confessare chi se- » guita N., [7] *così avrei anche scru-* » *polo di permettere, e far confes-* » *sare chi dei nostri volesse seguire* » *l'opinione conosciuta per certa-* » *mente meno probabile.* Onde gli » ho scritto, che ciò lo faccia sentire » a tutti i compagni di là. Ed ora » prego V. R. di farlo sentire a tutti » i fratelli di qua. Io non parlo delle » opinioni *particolari,* perchè in que- » ste ognuno si regola secondo il pro- » prio dettame, ma parlo del *Siste-* » *ma generale, che voglio che si ten-* » *ga, acciocchè non abbraccino i no-* » *stri fratelli* IL VERO LASSISMO... » [8]

1) Lib. 6. n. 426. — 2) Cfr. Litteras supplices, n. 2. pag. 6. etc. — 3) Theol. mor. Vindobonae, 1868., Tom. 1. pag. 303. — 4) Loco cit. pag. 274, in definiendis variis systematibus, cl. Auctor dicit: « *Probabilismus absolutus*, juxta quem permissum est sectari *opinionem minus tutam et minus probabilem, modo vera probabilitate gaudeat*, in quaestionibus de licito vel illicito. » — 5) Theol. mor. T. 1. pag. 275. — 6) Cfr. cap. II. §. 2. art. 2. punct. II. — 7) S. Doctor loquitur de P. Patuzzi, acerrimo Probabiliorismi defensore. — 8) Vid. infra, cap. III. §. 1. art. 2. in fine, *nota.*

CAPUT II.

DEMONSTRATIO HISTORICA AEQUIPROBABILISMI S. ALPHONSI.

Quicumque Systemata S. Alphonsi et cl. Ballerinii superius exposita attente et absque praejudicata opinione perpenderit, non poterit non agnoscere, aliud esse Systema S. Doctoris, aliud cl. Professoris. Ex dictis namque aperte constat, simplicem ac communem Probabilismum, cui adhaeret P. Ballerini, a S. Alphonso non modo non teneri, verum et expressis verbis ceu sententiam laxam rejici.- Sed cl. Professor thesim suam ex ipsis S. Doctoris Operibus probare contendit; atque hunc in finem distinguit inter priora et posteriora S. Alphonsi Scripta. Quae in hanc rem profert, paucis sic enunciari possunt: Certum est, S. Alphonsum in *prioribus* Operibus, communem Probabilismum « *omni argumentorum genere communire et confirmare studuisse;* » et pariter certum est, in *posterioribus* ipsius Scriptis « *nihil reapse occurrere, quod eum a prima illa sententia aliquando discessisse suadeat.* »

Quo clarius autem pateat, ipsam P. Ballerinii thesim « *non modo in dubium vocari, sed plane a veritate alienam ostendi posse* » (cfr. pag. 3.), historicam demonstrationem et nos aggrediemur; ex qua, luce clarius apparebit: 1. S. Doctorem, ne in *primis* quidem suis Scriptis communi Probabilismo adhaesisse, sed jam *implicite Aequiprobabilismum* tenuisse; 2. In *posterioribus* vero, *Aequiprobabilismum explicite et systematice* docuisse, illumque non solum majori semper perspicuitate exposuisse, sed ad mortem usque constanter ac strenue propugnasse. Quod ex duplici sequenti Paragrapho patebit.

§. 1.

S. Alphonsus nunquam communi et simplici Probabilismo adhaesit, sed jam in prioribus suis Scriptis Aequiprobabilismum saltem implicite tenuit.

Pag. 8. cl. BALLERINIUS primum thesis suae argumentum sic exponit: « Quod itaque in hanc rem facit maxime et sedulo haberi prae oculis debet, illud est, Beatum Alphonsum sententiae illi, quam *Probabilistis* vulgo tribuunt, calculum olim suum plane adjecisse; quin et *eandem omni argumentorum genere communire et confirmare studuisse.* Quam in rem ea quidem nunc mitto, quae ipse disputavit in dissertatione neapolitanae editioni anni 1749. inserta, cui titulum fecit: *Dissertatio pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris:* ubi hanc, quam dixi, doctrinam et perpetuo appellat *sententiam nostram*, et multis rationibus corroborat, quas *validissimas* dicit, atque ab argumentis adversariorum vindicat ac tuetur.

» Magis diserta sunt, quae S. Alphonsus habet in ampliore Dissertatione sexennio post, id est ann. 1755, editioni alteri neapolitanae praefixa. Nam cum thesim primo ita statuisset: [1] *Ultimam benigniorem et communissimam (sententiam) probandam aggredimur, nempe licitum esse uti opinione probabili etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et*

1) Num. 3.

» *grave habeat fundamentum;* sic » deinceps aperit, quo in pretio eandem thesim habeat: [1] *Dicimus, quod nostra sententia, nempe quod liceat sequi opinionem probabilem pro libertate, relicta probabiliori, est longe probabilior, sive probabilissima, imo moraliter seu lato modo certa: id patet ex argumentis supra expositis.* - Quae quidem argumenta postquam S. Alphonsus breviter ibidem recensuit, hoc etiam mox subdit: *Adde his potissimum argumentum sub initium propositum, nimirum quod si sententia benigna fuisset falsa, minime quidem communiter a Doctoribus undique fuisset recepta, ut vere recepta fuit, aut saltem Ecclesia eam non tolerasset, permittendo, quod animae communiter per hanc perditionis viam, ut adversarii clamitant, a talibus caecis ducibus deceptae incederent.* - Denique de argumentis ipsis, ac de thesis suae ratione fidentissime ejusmodi fert judicium: *Haec argumenta singula valent moralem certitudinem nostrae sententiae ostendere; tanto magis simul conjuncta. Ad formandam enim certitudinem moralem alicujus sententiae non requiritur, ut Auctores oppositam tenentes omni ratione adhuc levi careant; sed sufficit, si sententia illa, omnibus perpensis, ita vera appareat, ut contrariae vix supersit apparentia veritatis, vel ut contraria non videatur satis probabilis.*

» Beatum ergo Alphonsum approbantem habemus eas Doctrinas, » quibus ipsum recentiores isti infensum praedicant; neque approbantem habemus dumtaxat, sed » eas insuper tradentem tamquam communissimas, atque a Doctoribus plane receptas: quin imo etiam » propugnantem tamquam probabilissimas, imo moraliter certas, » adeo ut opinioni oppositae vix aliquam veritatis speciem aut probabilitatem tribuat. Neque id ab eo » factum intelligimus obiter, seu ut » graeculi ajunt ὡς ἐν παροδῳ, materiam attingente; verum quum ex professo eam pertractat, quum » data opera quaestionem late agitat, quum diuturnis iteratisque » studiis illam versat, quum deni» que momenta omnia utriusque opinionis librat, adversaeque partis, » qua in prima institutione ejus animus occupatus fuerat, praejudicia exuit, ultroque in contraria » mutat. »

Sed pace cl. Professoris, isti textus modo allegati nihil aliud probant, nisi quod S. Alphonsus non fuerit *Probabiliorista,* nullum autem solidum praebent fundamentum, quo assumpta thesis sustentetur. - Sufficiant pauca haec argumenta.

I. Ante omnia notandum est, duplicem citatam Dissertationem inscriptam esse: « *Dissertatio.... pro usu* MODERATO *opinionis probabilis...* » Ex quo titulo jam a priori inferre licet, S. Doctorem non intendisse communem et simplicem Probabilismum defendere, sed potius sententiam suam *certis limitibus* circumscribere, qui ipsam jam prima fronte a communi Probabilistarum systemate secernerent. - Nec objici potest, hanc vocem: *moderato* appositam fuisse a S. Alphonso, ne ejus sententia confunderetur cum laxa illorum Probabilistarum doctrina, qui quamcumque probabilitatem sufficere affirmabant; etenim eadem haec vox apponitur titulo fere omnium *posteriorum* Dissertationum, in quibus (ut infra videbimus) S. Doctor explicite *Aequiprobabilismum* defendit. - Adde, nullum Auctorem reperiri, qui, ante S. A., termino: *Probabilismus moderatus* usus sit, ad designandum communis Probabilismi systema.

II. Utramque allegatam Disserta-

1) Num. 52.

tionem (quemadmodum et posteriores alias fere omnes) S. Alphonsus concludit dicendo, se, *dum studiis vacaret*, rigidioris sententiae habuisse magistros, et tunc temporis strenue pro eadem contendisse; rebus autem melius perpensis, ab illa discessisse. [1] Quae cum ita sint, rationabiliter supponi nequit, S. Doctorem, postquam in scholis rigidiorem Tutioristarum et Probabilioristarum doctrinam didicerat, jam in prioribus suis Operibus *aliam omnino oppositam* (qualis est communis et simplex Probabilismus) ceu moraliter certam, totis viribus propugnasse.

III. Ipsemet P. Ballerini aperte declarat, S. Alphonsum systema morale primitus a se propugnatum nunquam retractasse, vel immutasse. Optime sane: hujusmodi enim *retractatio*, aut *substantialis* Systematis *immutatio* nullatenus probari posset. - At vero, quid exinde sequitur? Ipsum S. Alphonsum paulisper audiamus. Circa annum 1765. scribit: « *Noi (siccome abbiam più* » *volte detto di sopra) non difen-* » *diamo la* PROBABILE *in concorso* » *della* PROBABILIORE; *ma diciamo* » *esser lecito seguir l'* EGUALMENTE » *probabile in concorso della più* » *sicura*.....» [2] Similiter anno 1764. dixerat: « *Per quanto sinora ho* » *lette e scrutinate le opposizioni* » *che si fanno contro l'opinione* » EGUALMENTE *probabile, in vece di* » *persuadermi, più mi han confer-* » *mato nella mia sentenza: dico* » MIA, *perchè questa tengo, e mi* » *pare evidente*..... » [3] Et anno sequenti 1765. haec notatu digna subjungit, de opinione *aeque* probabili tractans: « *La* MIA *sentenza io l'ho* » *esaminata, e scrutinata* PER LO » SPAZIO PIÙ DI TRENT' ANNI, *leggen-* » *do e rileggendo quanti Autori* » *mi son venuti im mano, che ne* » *trattavano, e conferendo spesso* » *sulle ragioni dell' una e dell' al-* » *tra parte, co'* PROBABILISTI, *e Pro-* » *babilioristi*.... » [4] - Ex hac igitur aperta, et omni exceptione majori declaratione, evidenter liquet, S. Alphonsum jam ab anno 1735. *Aequiprobabilismo* adhaesisse; ergo (nisi ejus veracitatem perperam in dubium vocare velimus), necessario admittendum est, jam in prioribus Scriptis moralibus (quorum primum anno 1748. in lucem prodiit), S. Alphonsum tradidisse, *saltem implicite*, *Aequiprobabilismum*, minime vero communem et simplicem Probabilismum, qualem profitetur cl. Ballerinius. [5]

IV. Quod revera ita se res habeat, praeter solemne S. Doctoris testimonium, confirmari posset ex variis ejus Scriptis, ab anno 1748. ad annum usque 1762. evulgatis. Ne tamen longiores simus, quaedam solummodo adnotabimus circa duplicem Dissertationem a cl. Professore pro thesi sua allegatam.

1. Annis 1749. et 1755., S. Alphonsus duas evulgavit Dissertationes inscriptas: *Dissertatio scholastico-moralis pro usu moderato opinionis probabilis, in concursu probabilioris*, [6] in quibus alium finem sibi non praefixit, praeterquam confutare *Tutioristas* et *Probabilioristas*, qui docuerunt, non licere sequi opinionem in favorem libertatis, nisi moraliter certam, aut quasi certam et notabiliter probabiliorem. Unde ipsis hanc thesim opposuit: « *Licitum est uti opinione proba-* » *bili etiam in concursu probabi-* » *lioris pro lege, semper ac illa cer-* » *tum et grave habeat fundamen-* » *tum.* » [7] - Conditio ergo, quam ponit, ea est, quod opinio libertati favens *certum et grave fundamentum* habeat. Quam conditionem ube-

1) *Dissertatio scholastico-moralis*... 1749. pag. 45.; et alia de anno 1755. cap. IV. n. 123. — Vid. etiam supra, pag. 11. n. 6. — 2) Vid. infra, *s.* 2. art. 1. punct. VI. in fine. — 3) Cfr. pag. 51. punct. II. in fine. — 4) Pag. 56. n. 5. — 5) Cfr. pag. 31. *s.* 2. — 6) Cfr. Vol. V. Collectionis Operum a S. Sede approb. — 7) Dissertatio... Neapoli 1755. n. 3.

rius explicat in *n. 13*, ubi objectionem Probabilioristarum allegat: « Ideo enim (ajunt Probabilioristae) » licitum est sequi opinionem pro- » babiliorem, quia haec respectu ad » oppositam est moraliter certa, » *cum major probabilitas elidat* » *minorem:* unde fit, quod cum opi- » nio pro libertate sit minus proba- » bilis, evadit improbabilis, respe- » ctu ad opinionem probabiliorem » pro lege, quae tunc unice sibi » valet trahere mentis assensum; » sicut majus pondus unice sibi lan- » cem inclinat, quamvis in altera » lance esset aliud pondus, sed mi- » nus grave. » - Et replicat: « At re- » cte respondent *Auctores nostri*, » falsum esse, *majorem probabilita-* » *tem elidere minorem*, nisi quando » illa minor probabilitas ex eodem » principio hauriatur, vel *nisi opi-* » *nio probabilior habeat pro se tam* » *convincens argumentum, ut con-* » *traria vere improbabilis, vel non* » *amplius graviter et certo proba-* » *bilis videatur.* Secus tamen dicen- » dum, si EXCESSUS NON SIT NOTABI- » LIS, et probabilitas opposita *ex* » *diversis principiis* (ut fere sem- » per accidit in opinionum concursu) » vim accipiat. *Tunc enim opinio* » *minus probabilis gravi sua pro-* » *babilitate minime destituitur...* » [1]

2. Claris ergo et distinctis verbis S. Alphonsus docet, licitum esse usum opinionis probabilis pro libertate in concursu probabilioris; at vero solummodo, *si excessus non sit notabilis, quia secus haec opinio non amplius certo et graviter probabilis est.* Claris quoque et distinctis verbis docet, *eo casu, quo excessus notabilis est, minorem probabilitatem per majorem elidi;* et ideo opinionem pro lege, *respectu ad alteram,* moraliter certam evadere, vel saltem certitudini proxime accedere, et consequenter non amplius *dubium,* an lex existat, sed jam *ipsam legem* promulgari. - Et quos « *Auctores nostros* » vocat, illi sunt, qui similiter usum opinionis notabiliter minus probabilis in favorem libertatis non admiserunt.

3. Id ipsum quoad substantiam S. Doctor postea docuit in systemate suo morali, primitus anno 1762. exposito: videlicet licere sequi opinionem non tantum *aequaliter* probabilem, sed etiam *quasi aequaliter* probabilem, quando nimirum praeponderantia opinionis, quae pro lege stat, *modica* est, et *de excessu dubitatur.* Secus vero, si quis *cum omni certitudine, et sine ulla haesitatione* judicat, opinionem pro lege *probabiliorem* esse: quia in hoc casu, eadem opinio *notabiliter* probabilior, et ideo pro praxi moraliter vel quasi moraliter certa habenda est. [2] - Discrimen igitur inter priorem et posteriorem doctrinam in eo tantum consistit, quod S. A. illam, quam in Dissertationibus praecedentibus breviter proposuerat, postea fusius explicavit, acutissimis rationibus comprobavit et in *Systema* redegit, nec non *normam practicam,* hallucinationes pariter ac scrupulos arcentem adjecit.

4. In eadem Dissertatione anni 1755. utique legitur propositio a cl. Ballerinio citata: « *Dicimus, quod* » *nostra sententia, nempe quod li-* » *ceat sequi opinionem probabilem* » *pro libertate, relicta probabiliori,* » *est longe probabilior, sive proba-* » *bilissima, imo moraliter seu lato* » *modo certa.* Id patet ex argumen- » tis supra expositis. » [3] - Verum, quomodo haec verba intelligenda sint, ex praemissis patet. In quantum enim hic *in genere* quaerebatur, an opinionem *probabilem* sequi liceat in concursu *probabilioris* pro lege: sententiam affirmativam ut moraliter certam propugnavit, contra Tutioristas et Probabilioristas, quos confutare sibi hic proposuerat. In quantum vero inter ipsos Doctores affirmativam defendentes discepta-

1) Cfr. etiam Dissertationem anno 1749. Neapoli evulgatam, pag. 14. *Falsum est.* 2) Cfr. integrum *§.* 2. — 3) Num. 52.

batur, *an id etiam liceat, si opinio pro lege notabiliter probabilior est:* suam sententiam jam in num. 13. explicavit, scilicet *id non licere;* quia in hoc casu, opinio pro lege, *respectu ad alteram,* moraliter certa evadit, vel saltem proxime ad certitudinem accedit. Hanc autem sententiam, et ante et post Systematis sui expositionem, pro probabilissima imo pro certa habuit. – In Dissertatione de usu moderato opinionis probabilis, anno 1762. evulgata, ait: « Io per me confesso la » verità, che *quando cominciai a* » *studiar la Teologia morale,* per- » chè fui diretto a principio in tale » studio da un maestro della *rigida* » sentenza, impresi a difendere la » medesima con molto calore; ma in » appresso, considerando meglio la » questione, *mi parve moralmente* » *certa la sentenza, che sta per l'o-* » *pinione* EGUALMENTE *probabile,* in- » dotto dal medesimo principio qui » provato, che *la legge dubbia non* » *può indurre un'obbligazione cer-* » *ta.* Quindi fermamente restai per- » suaso, che non doveano costringer- » si le coscienze a seguire l'opinione » più tuta, quando l'opposta fosse già » *egualmente* probabile, per non met- » terle nel pericolo di molte colpe » formali. » [1] – In ejusdem autem Dissertationis exordio, thesim ponit: « *Diciamo, che non è lecito di se-* » *guitare l'opinione meno probabile,* » *quando l'opinione che sta per la* » *legge, è notabilmente e certamen-* » *te più probabile.* » [2]

5. Nec sibi contradicit S. Doctor, dum communem Probabilistarum sententiam pro sua parte allegat. Bene enim perpendenda sunt verba quibus utitur, simulque notandum quinam sunt illi, contra quos argumentatur.

In cit. num. 52. Dissertationis anni 1755. haec habet: « *Adde his po-* » *tissimum argumentum, sub ini-* » *tium propositum in cap. I. ex* » *n. 9., nimirum, quod si* SENTENTIA » BENIGNA *fuisset falsa, minime qui-* » *dem communiter a Doctoribus un-* » *dique fuisset recepta (ut revera* » *recepta fuit), aut saltem Ecclesia* » *eam non tolerasset, permittendo,* » *quod animae communiter per hanc* » *perditionis viam (ut adversarii* » *clamitant) a talibus caecis duci-* » *bus deceptae incederent.* » S. Doctor itaque affirmat, in genere *benignam sententiam,* rigidae Tutioristarum et Probabilioristarum oppositam, communiter receptam fuisse; et lectorem ad Cap. I. delegat, ubi *(n. 4-9)* centum circiter auctores adducit ipsam tenentes. Primo loco *(n. 4)* allegat *Bartholomaeum Medina:* « Si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit. » Dein *Didacum Alvarez:* « Potest sequi opinio practice probabilis, relicta probabiliore. » Tertio *Dominicum Bannez:* « Verum est, posse hominem sequi probabilem opinionem, relicta probabiliore. » Sequuntur caeteri, atque inter illos, quorum textus affert, est *Suarez* dicens: « Principium est generale, quod in moralibus licet practice operari cum opinione minus probabili adversus opinionem speculative probabiliorem. »Et *Lugo:* «Cum nemo teneatur in operando sequi opiniones probabiliores, sed possit sequi probabiles. » Et post alios plurimos citatos addit *(n. 5.), Antonium Terillum* asserere, pro contraria sententia vix esse unum auctorem pro decem, qui affirmativam tenent.

Merito autem S. Alphonsus pro sententia communi omnes illos auctores INDISTINCTE allegat, qui *in genere* usum opinionis probabilis in concursu probabilioris admittunt. Etenim omnes illi Auctores, etiam ii qui cum ipso sistunt intra limites parum probabilioris, seu latae aequiprobabilitatis, contradicunt doctrinae *Tutioristarum* et *Probabiliori-*

1) *Breve Dissertazione sull'uso moderato dell'opinione probabile,* Napoli 1762. pag. 90. (Vid. Vol. V. Collectionis Operum a S. Sede approb.). — Cfr. etiam supra, pag. 11. n. 6. — 2) Vid. infra, *s.* 2. pag. 47.

starum, asserentium, non licere sequi opinionem in favorem libertatis, praeter moraliter aut quasi moraliter certam et evidenter probabiliorem: quos solos impugnare et refutare, in istis Dissertationibus sibi proposuerat. Unde *eosdem Auctores* etiam allegat, tam in *Apologia,* quam in *Dissertatione* anno 1765. typis evulgatis, in quibus Systema *Aequiprobabilismi* contra objectiones Vincentii Patuzzi vindicat. [1] – Distinctione vero utitur, dum contra Probabilistas non moderatos, seu nimis benignos, propriam sententiam statuit: quemadmodum infra videbimus. Et ideo, dum alibi Probabilistas nimis benignos saeculi XVII. laxitatis damnat, non jam utitur voce *communiter* absolute et indistincte; sed dicit: « hanc sententiam elapsi saeculi Auctores *quasi communiter* » tenuere » (cfr. pag. 33. art. 2.): quibus verbis innuit, inter istos Auctores esse aliquos qui sanam doctrinam retinent in genere, alios vero numero plures laxiori sententiae adhaerentes.

6. Quod tandem alterum argumentum attinet, scilicet *quod Ecclesia sententiam affirmantem non tolerasset,* S. Alphonsus (cit. Dissert. 1755. cap. 1. n. 9.) refellit *Julium Mercorum,* acerrimum Tutiorismi defensorem, qui negavit hanc sententiam communem esse, tum inter antiquos tum inter recentiores, et affirmans, suam sententiam ex apostolica traditione descendere, inde conclusit, « quod si antiqui contrariam doctrinam suppositae traditioni adversam docuissent, contra eos insurrexissent innumeri, qui illam impugnassent. » – Quod argumentum S. Doctor retorquet cum Antonio Terillo, dicens: « *Si sententia benigna fuisset opposita Traditioni apostolicae, et communi sensui Doctorum qui Medinam praecesserunt, quomodo mille contradictores non insurrexissent adversus eam, et damnassent?* Tanto magis, quod fautores *benignae* sententiae scripserunt *paulo post editum Tridentinum,* quod ideo coactum fuit, ut morum depravatatem, quae per orbem christianum irrepserat, eliminaret; *unde Praesules et Pontifices, si illam ut damnosam doctrinam habuissent, totis certe viribus pro ipsius eliminatione incubuissent.* Anne putabimus, Deum tunc temporis Ecclesiam deseruisse, permittendo, hoc errore tam pernicioso (ut ipsi clamitant) fideles undique decipi? » Et idem argumentum postea, in duplici Opere anno 1765. edito, opposuit Vincentio Patuzzi, qui *usum cujusvis sententiae probabilis* in favorem libertatis, etiam *aequaliter* probabilis, praeter moraliter et quasi moraliter certam, vel probabilissimam reprobavit. [2]

V. Ex omnibus hisce expositis clare liquet: 1°. S. Alphonsum, in *prioribus* suis Scriptis, nullatenus communi et simplici Probabilismo adhaesisse, sed potius *Aequiprobabilismum, saltem implicite,* in iisdem jam tenuisse. 2°. Ipsum non allegasse sententiam communem et ab Ecclesia toleratam Probabilistarum, nisi *indistincte,* ad refellendos Antiprobabilistas, qui omnem usum probabilitatis etiam moderatum rejiciebant.

1) *Apologia, in cui si difende la Dissertazione* (anni 1762.)..... Bassano 1765. §. III. pag. 140. seq. — *Dissertazione dell' uso moderato dell' opinione probabile*, Napoli 1765. cap. VI. n. 5. — 2) Locis cit.

§. 2.

Ab anno 1762. S. Alphonsus explicite Systema Aequiprobabilismi professus est, illudque non solum majori semper perspicuitate exposuit, sed ad mortem usque constanter ac strenue propugnavit.

Pag. 10. P. Ballerini thesis suae probationem prosequitur, dicendo : « Hinc enimvero pronum est concludere, antequam S. Alphonsus traduci queat ceu novi auctor systematis, quod medium incedens inter duas oppositas sententias, utramque excludat et damnet, plane ostendendum esse, sententiam, quam defenderat, eum deinceps rejecisse ac damnasse; eoque firmioribus atque evidentioribus argumentis id evincatur oportet, quo manifestius constat, ita eum illi sententiae adhaesisse, ut ipsam tamquam certam haberet ac vindicaret.

» Porro tum anonymus Gallus, quem memoravi, tum alii cum eo affirmant id quidem, ac veluti notum habent; attamen *omnino nulla, nedum graviora quaepiam, quibus idipsum evincant, argumentorum momenta depromunt. Contendi contra omnino potest, nihil reapse in S. Alphonsi operibus occurrere, quod eum a prima illa sententia aliquando discessisse suadeat.*

» Et sane inspiciatur, quaeso, *elenchus ille 99 quaestionum, quas Auctor* (verba sunt tituli elencho praefixi ad calcem Operis) *post primam neapolitanam editionem, rebus ad seduliorem trutinam revocatis, reformavit.* Inspiciatur et alter *elenchus 26 quaestionum* priori ibidem subnexus, hoc titulo : *Adduntur aliae recentes retractationes opinionum, quae in praecedenti editione recensebantur.* In quo quidem elencho retractatas reperies opiniones, non modo ex praecedentibus Theologici Operis editionibus, sed etiam ex recentioribus opusculis, cujusmodi sunt *Praxis Confessariorum*, et *Examen Ordinandorum.* – Atqui in tam prolixa retractationum duplici serie, retractatam sententiam, quam acerrime ab eo in duabus illis neapolitanis editionibus propugnatam vidimus, invenies nuspiam. Et tamen non de peculiari aliqua hic agebatur opinione, *quam* (ut ejusdem S. Alphonsi verbis [1] utar) *Ecclesia prudentiae causa saepe tolerat;* sed de doctrina, *quae* (ut pergit) *importat cunctarum conscientiarum directionem circa omnes particulares casus; unde, si falsa esset, universi populi christiani deceptio invecta fuisset.* Quonam igitur pacto S. Alphonsus ad praecavenda incommoda, quae a prioribus Operis sui editionibus timebat, diligentissime quidem recensuisset vel levioris momenti reculas, praecipuum adeo doctrinae caput, e quo tot tamque gravia mala profluere possent, tacitus praeterisset? »

Ex sententia itaque cl. Professoris, omnino contendi potest, S. Alphonsum etiam in posterioribus suis Scriptis, communi semper Probabilismo adhaesisse; et Aequiprobabilismum nullatenus dici posse proprium ac genuinum ejus systema, prout incaute et absque solido fundamento pauci quidam affirmant. Ingenue tamen fatemur, et nos de istorum esse numero, etiam post perlecta superius allata argumenta; imo confidenter adjungimus, miram nobis videri hujusmodi assertionem, prolatam a viro in noscendis S. Al-

1) Dissert. ann. 1755. n. 10.

phonsi Scriptis perquam exercito. – Cum igitur, testante ipsomet P. Ballerinio, praesens quaestio « *maximi habenda sit momenti,* » quosdam e singulis S. Doctoris Operibus textus describemus: ex quibus facile quisque judicare poterit, utrum « *plane a veritate aliena* » sit sententia eorum, qui (communiter, ut ex Cap. III. §. 2. patebit) genuinum ac proprium S. Alphonsi Systema morale, *Probabilismi moderati* seu rectius *Aequiprobabilismi* nomine designant.

Ex sequenti chronologica expositione Operum S. A., sive italico, sive latino sermone conscriptorum, clare apparebit, ipsum semper sibi constare in affirmando explicite Aequiprobabilismo; ita ut in omnibus scriptis ab anno 1762. ad 1785. exaratis, eadem semper occurrat sententia. – Quo clarior autem evadat longior ista expositio, praenotamus, in Systematis S. Doctoris evolutione, tres distingui posse quasi epochas: in quarum prima (1762) Aequiprobabilismum *explicite et formaliter* docuit; in secunda (1767) quasdam introduxit emendationes ad *cessationem legis* spectantes, ut singulae systematis partes plane sibi cohaereant; [1] in tertia demum (1769) qualitatem Opinionis *certe probabilioris* obligantis magis praecise determinavit. – Hinc triplex Articulus.

Articulus 1.

Exponuntur Opera moralia S. A. ab anno 1762. ad 1767. conscripta.

I.

Breve Dissertazione dell' uso moderato dell' opinione probabile. — Napoli, 1762.

I. – 1. In exordio hujus Dissertationis, [2] S. Alphonsus doctrinam suam sic exponit: « Due sono le questioni » che intendiamo di esaminare nella » presente Dissertazione. La prima, » se sia lecito seguitare l' opinione » *meno probabile.* La seconda, se, » essendo le due opinioni opposte » *egualmente o quasi egualmente* » *probabili,* sia lecito seguire la me- » no tuta.

» In quanto alla prima questione » presto ci sbrigheremo, perchè la » risoluzione è troppo chiara. Di- » ciamo, che *non è lecito di segui-* » *tare l' opinione meno probabile,* » *quando l'opinione che sta per la* » *legge è notabilmente e certamen-* » *te più probabile:* perchè allora » l' opinione più tuta non è già dub- » bia (intendendo con dubbio stret- » to, siccome si dirà nella seconda » questione), ma è moralmente o » quasi moralmente certa, avendo » per sè un fondamento certo d' es- » ser vera; dove all' incontro *l' o-* » *pinione meno tuta e molto meno* » *probabile, non ha tal fondamento* » *certo d'esser vera.* Ond' è che al- » lora questa rimane *tenuamente, o* » *almeno dubbiamente probabile, a* » *confronto dell'opinione più tuta;* » e perciò non è prudenza, ma *im-* » *prudenza grave* il volerla seguire. » Poichè, quando apparisce all'intel- » letto con certezza, che la verità » sta molto più per la legge che per » la libertà, allora non può la vo- » lontà prudentemente, e senza col- » pa abbracciare la parte men tuta; » perchè in tal caso, l' uomo non » opererebbe per giudizio proprio o » sia propria credulità, ma *per uno* » *sforzo, che colla sua volontà fa-* » *rebbe all' intelletto,* in rimuoversi » dalla parte che gli apparisce molto » più verisimile, ed appigliarsi alla » parte che non solo non gli apparisce » vera, ma che neppure ha fonda- » mento certo di poter esser vera. » E qui fa quello che dice l'Apostolo: » *Omne autem quod non est ex fi-* » *de, peccatum est* (Rom. 14, 23.).

» In quanto poi alla seconda que- » stione *(che qui di proposito ed a* » *lungo esamineremo),* diciamo che

1) Vid. pag. 18. — 2) Cfr. Collection. Operum a S. Sede approb., Vol. V.

» *quando l' opinione men tuta è* » UGUALMENTE *probabile, può lecitamente seguirsi:* perchè allora la » legge è dubbia, e perciò non obbliga: per ragion del principio certo, siccome vedremo qui essere indubitabile, secondo le dottrine di S. Tommaso, che *la legge dubbia non può indurre un obbligo certo.* Esaminiamo la cosa dai suoi principj... » [1]

2. Post varias solutas difficultates huic principio oppositas, S. Doctor prosequitur: « Un certo moderno autore cerca per altra via di confutare la nostra sentenza, e dice così: Per dirsi che una tal legge sia dubbia, dovrebbe dubitarsi, se una tal legge esiste, o no; ma questo (dice) non può essere, perchè le leggi così divine come umane, che dobbiamo osservare, son tutte certe ed abbastanza promulgate. Il dubbio dunque cade non già sopra l'esistenza della legge, ma sopra i casi particolari, se quelli sien compresi o no nelle leggi universali: ond' è che, se vogliamo servirci del principio supposto, cioè che la legge dubbia non può indurre un obbligo certo, non possiamo dire che la legge dubbia o non abbastanza promulgata, non sia legge; ma solo dobbiamo dire: quando v'è opinione probabile da amendue le parti, che la legge si stenda, o no, a quel caso, la legge certamente non si stende. Ma, dicendo così, ritorna la difficoltà del principio: poichè quando v'è il dubbio, se sia lecita alcuna azione, o non sia lecita, come compresa o non compresa dalla legge, non può assegnarsi un tal principio come certo.... - Ma si risponde,.... che *benchè la legge sia certa,* non però *le circostanze diverse che occorrono, fanno che la legge ora obblighi, ed ora non obblighi;* giacchè i precetti sono bensì immutabili, ma alle volte non comandano *sotto questa, o quella circostanza....* Quindi.... *mutando si le circostanze de' casi,* (le leggi) *si rendono dubbie, e come dubbie non obbligano.* - Dunque, replica l'autore riferito, secondo il vostro principio che la legge dubbia non obbliga, voi concludete che nel dubbio se la legge si stende o no, a quel caso, certamente non si stenda. Ma noi rispondiamo ritorcendo l'argomento, e diciamo: Dunque secondo la vostra sentenza, in dubbio se la legge si stende a quel caso, dovremo dire che certamente si stende. Ma ciò è quello che noi neghiamo. Non già asseriamo che la legge in dubbio certamente non si stende al caso; ma diciamo che *quando vi sono dall' una e dall' altra parte opinioni* EGUALMENTE *probabili, allora, non essendo certo che la legge si stenda a quel caso, a rispetto di quel caso la legge si rende dubbia, e come dubbia non obbliga, poichè allora non è abbastanza promulgata...* » [2]

3. Et paulo inferius, S. Doctor subdit: « Non voglio tralasciare qui di rispondere ad una certa decisione, che si asserisce dagli avversarj fatta dal Clero gallicano, cioè che non sia mai lecito seguir l' opinione probabile in concorso dell'*egualmente* probabile più tuta. Per 1°. diciamo, che malamente si chiama questa decisione del Clero gallicano, poichè non fu fatta che da soli quattordici Prelati..... Per 2°. rispondiamo, che costoro ben diceano ciò, parlando contro quei dottori *Probabilisti,* che voleano essere *per sè stesso* lecito il seguire ogni opinione egualmente probabile, per quella massima da essi comunemente adottata che: *Qui probabiliter agit, prudenter agit.* Ma questa massima, in sè parlando, è *certamente falsa:* perchè non è prudenza, nè è lecito l' operare coll' opinione solamente probabile,

1) Loc. cit. pag. 3-5. — 2) Ibid. pag. 43-46.

» avverso l'opinione più tuta *egual-*
» *mente* probabile, senza riflettere
» ad altro principio che al riferito
» di sopra, cioè che opera prudente-
» mente chi probabilmente opera col-
» l'opinione egualmente probabile;
» giacchè *in tal caso vi manca la*
» *moral certezza dell'onestà dell'a-*
» *zione*, senza cui non si può ope-
» rare. – Ma altro è poi il seguire
» l'opinione *egualmente* probabile
» *col giudizio riflesso* ossia concо-
» mitante, che, *essendo in tal caso*
» *dubbia la legge, la legge non ob-*
» *bliga...*» Et paucis praemissis sub-
jungit, injustam fore obligationem
« di seguir la più tuta nell' opinioni
» *egualmente o quasi egualmente*
» *probabili;* poichè, attento il prin-
» cipio riflesso o sia concomitante
» che la legge dubbia non può im-
» porre un obbligo certo, allora si
» opera col giudizio pratico moral-
» mente certo dell'onestà dell'azio-
» ne. Ho detto: *egualmente o quasi*
» *egualmente probabili;* perchè (se-
» condo in ciò convengono i Probabi-
» listi e gli Antiprobabilisti) quando
» è poca la preponderanza tra l'una
» e l'altra opinione, sicchè tenue e
» dubbioso è l'eccesso, allora ambe-
» due le opinioni si reputano egual-
» mente probabili, giusta l'assioma
» comune che: *Parum pro nihilo re-*
» *putatur;* perchè allora, essendo
» dubbio l'eccesso a favor dell'opi-
» nione che sta per la legge, *la legge*
» *è similmente dubbia con vero e*
» *stretto dubbio....*» [1]

4. Hanc Dissertationem S. Doctor tandem concludit, dicens: « Lascio » poi di rispondere ad altre obiezioni, » che oppongono gli avversarj contro » il probabilismo; perchè quelle im- » pugnano propriamente l'uso del- » l'opinione *notabilmente meno pro-* » *babile* che sta per la libertà, ma » non *l'uso dell'opinione* EGUALMEN- » TE *probabile,* CHE SOLAMENTE È AM- » MESSO DA NOI PER LECITO, come da » principio notammo. » [2]

5. Disertis igitur verbis, ab omni ambiguo alienis, quae nullam prorsus aliam interpretationem permittunt, S. A. hic declarat, usum opinionis probabilis in favorem libertatis non licere, nisi *aequaliter aut quasi aequaliter* probabilis sit. – Regulam autem et principia hic stabilita, in omnibus subsequentibus Apologiis et Dissertationibus, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinando, firmiter probat atque strenue propugnat.

II. – Hanc eamdem Dissertationem S. Alphonsus postea inseruit Operi cui titulus: *Istruzione e pratica,* cap. 1. punct. 3. n. 31-69., [3] imo et in linguam *latinam* transtulit. [4] Quo clarius omnibus mens S. Doctoris pa-

1) Ibid. pag. 52–55. – 2) Ibid. pag. 96. — 3) Cfr. edit. 6. Neapolit. 1765., in Vol. III. Collectionis Operum a S. Sede approb.

4) Haec Versio latina (in qua adduntur quatuor numeri, 23, 24, 40, 41, qui autem nihil continent, quod in aliis Apologiis et Dissertationibus non legeretur) exhibetur in Collectionibus Taurinen. et Modoetian. Operum S. A. (cfr. Vol. cui tit. *Dissertationes quatuor*..... Modoetiae 1832. pag. 389.) inscripta: « *Dissertatio quarta..... juxta editionem Bassanensem 1773.*» — Postrema haec verba referri nequeunt ad 7. editionem Theol. mor. an. 1773., sed potius ad Opusculum: « *Confessore della gente di campagna, ediz. 2. Bassano 1773.*» in quo legitur haec Versio, una cum sequenti Praefatione editoris: « Essendomi stata *ultimamente* spedita dal chiarissimo nostro Autore una dottissima *Dissertazione latina*, » sopra l'uso dell'opinione probabile, insieme con una *Risposta apologetica* del medesimo » ad una lettera d'un religioso circa lo stesso argomento, ho stimato bene di aggiugnere si » l'una, che l'altra in fine di questa Operetta.....» — Haec sane verba: « Essendomi stata *ultimamente* spedita..... » recentiores Editores induxerunt ad affigendam istam Versionem anno 1773. Probabilius autem est, ipsam jam antea evulgatam fuisse; citata enim Praefatio parum probat, siquidem in 3. edit. Bassanen. 1785. ejusdem Opusc. eadem iterum legitur; insuper Epistola seu *Risposta apologetica*, de qua sermo fit in citata praefatione, jam typis edita fuit anno 1764. Unde rectius legendum videtur cum editione Veneta, Tom. XCIX. an. 1840: « *juxta editionem Bassanensem 1763.*»

In citato volumine collectionis Modoetianae, pag. 259. alia etiam exhibetur « *Dissertatio tertia..... juxta editionem Bassanensem 1763*, quae incipit: « *Ante omnia advertenda est*

teat, initium saltem hujus versionis referre juvat:

« 1. Praesenti Dissertatione duas » nobis proponimus quaestiones dis- » cutiendas. Prior est, an licitum sit » sequi opinionem minus probabilem, » relicta probabiliori quae stat pro » lege. Posterior, an duabus opinio- » nibus adversis aequaliter aut quasi » aequaliter probabilibus, licitum sit » minus tutam amplecti. Dicitur *ae- » qualiter aut quasi aequaliter pro- » babilibus;* quia, sicut omnes, et » Probabilistae et Antiprobabilistae, » conveniunt, cum non evidenter, sed » ita parum una praeponderat alteri, » ut valde tenuis et dubius sit ex- » cessus, tunc utraque opinio aequa- » lis probabilitatis existimatur, juxta » commune axioma: *Parum pro ni- » hilo reputatur.*

» 2. Circa primam quaestionem, » citius me expedio; resolutio enim » est nimis perspicua. Dico igitur, » *non licere sequi opinionem minus » probabilem, cum opinio quae stat » pro lege est notabiliter et certe » probabilior.* Tunc enim opinio tu- » tior non est jam dubia (intelligendo » de dubio stricte sumpto, ut dice- » mus in altera quaestione), sed est » moraliter aut quasi moraliter cer- » ta, cum pro se fundamentum cer- » tum habeat, ipsam esse veram. » Unde fit, quod opinio minus tuta » remanet *tenuiter aut saltem dubie » probabilis, respectu tutioris;* adeo- » que non est prudentia, sed *impru- » dentia* velle illam amplecti. Nam » quoties intellectui certo apparet, » veritatem multo magis stare pro » lege quam pro libertate, tunc non » liberum est voluntati, prudenter » et citra culpam minus tutae adhae- » rere; siquidem in eo casu, non pro- » prio judicio, seu propriae credulі- » tati innixus operaretur homo, sed » potius conatu, quem ex propria » voluntate in intellectum inferret, » ut a parte quae valde verisimilior » sibi apparet, abstraheretur, et ad » partem quae non solum sibi vera » non apparet, sed neque certum fun- » damentum posse esse veram vide- » tur habere, inflecteretur. Et huc » facit illud Apostoli: *Omne autem » quod non est ex fide, peccatum » est* (Rom. 14, 23.).

» 3. Quod ad alteram refert quae- » stionem (quam nunc accuratius et » latius discutiemus) dico, quod *cum » opinio minus tuta est aeque pro- » babilis,* potest quis eam licite se- » qui; quia tunc *lex est dubia,* adeo- » que non obligat, ex illo certo prin- » cipio, quod hic videbimus non esse » in dubium revocandum, juxta ea » quae tradit S. Thomas, nempe le- » gem dubiam non posse certam obli- » gationem inducere... »

II.

Il Confessore diretto per le confessioni della gente di campagna.— Benevento, 1764.

Ineunte anno 1764. S. Alphonsus typis evulgavit Compendium Theologiae moralis ad usum Confessariorum rudioris plebis, in quo, mira cum claritate, exponit puncta scitu magis necessaria. [1] – Hoc in Opere, suam sententiam de opinione *aeque probabili* iterum aperte declarat, addens, se hanc quaestionem jam fusius tractasse in Dissertatione de anno 1762. Ex egregio hoc Compendio, sequentia ad rem nostram spectantia allegare juvat.

In *Cap. I. n. 15-18.* S. Doctor advertit, non licere uti opinione probabili, *probabilitate facti,* videlicet quando agitur de rebus fidei, de cura aegrotantium, de ferendis sententiis,

differentia...» Ista autem non est nisi mera reimpressio Dissertationis, quae legitur in 5. editione Theol. mor. (Lib. I. n. 44–73.) de anno 1763. Haec ipsa vero Dissertatio (quae quoad substantiam concordat cum alia anno 1755. separatim evulgata) jam legitur in 3. et 4. edit. Theologiae mor. de annis 1757 et 1760., imo et (quoad 4. primos numeros) in secunda, quae anno 1753. in lucem prodiit (vid. infra, cap. IV. *s.* 1. art. 4. n. 2. et seqq.).

1) Cfr. cit. edit. Beneventan., in Collectione Operum a S. Sede approb., Vol. VI.

de valore Sacramenti, ac demum de damno tertii. – Quibus praemissis, sic prosequitur: « *19.* Veniamo ora » a vedere, se fuori di questi casi, » può seguirsi l'opinione probabile; » e diciamo per 1. essère certamente » lecito operare coll' opinione *proba-* » *bilissima*.... Diciamo per 2. non es- » ser lecito operare coll'opinione *te-* » *nuamente probabile*, che sta per » la libertà, contra l'opinione, che » sta per la legge.... Diciamo per 3. » similmente non esser lecito operare » coll' opinione *certamente e nota-* » *bilmente meno probabile*... Dicia- » mo per 4. esser ben lecito poi l'o- » perare coll' opinione *egualmente, o* » *quasi egualmente probabile*, che » sta per la libertà; perchè allora la » legge è dubbia, con vero e stretto » dubbio, ed è principio certo, che » la legge dubbia non può indurre » un obbligo certo.

» *20.* Questo punto, che la legge » dubbia non può indurre un obbligo » certo, noi l' abbiamo esaminato e » provato a lungo in una Disserta- » zione uscita a parte; ma vogliamo » qui accennarne in breve le pruove » principali, per soddisfazione del leg- » gitore, e diciamo così. La legge, » per obbligare, dee essere certa e » manifesta, come insegnano S. Isi- » doro e S. Tommaso..... E la ragione » di ciò è, perchè la legge (come dice » lo stesso Angelico) non ha virtù » di obbligare, se non quando è pro- » mulgata ed intimata all' uomo.... » E ciò s' intende non solo della legge » *umana*, ma anche della *divina* e » *naturale*, la quale (come insegna » lo stesso angelico maestro) si pro- » mulga a ciascun uomo, quando ella » gli vien manifestata alla mente col » lume della ragione. – *21.* Or, quan- » do la legge è dubbia, ed è proba- » bile l' opinione che non vi sia la » legge, allora non vien promulgata » all' uomo la legge, ma solamente » il *dubbio*, ossia l' opinione che vi » sia la legge: e come mai *l'opinione* » che vi sia la legge, può diventar » *legge* che obblighi?.... »

Hisce praemissis, S. Doctor plures exponit ac solvit difficultates objectas, et demum in *n. 26.* sic concludit: « Io vorrei, che i contrari mi » sciogliessero queste sole poche ra- » gioni che qui ho accennate, ed io » son pronto a rivocarmi subito; ma » per iscioglierle, non con chiacchie- » re, ma con sodezza, mi pare senza » dubbio, che dovrebbero confutare » come errori tutte le dottrine di » S. Tommaso di sovra addotte, le » quali sono troppo chiare. *Del re-* » *sto, per quanto sinora ho lette e* » *scrutinate le opposizioni che si* » *fanno contro l' opinione* EGUAL- » MENTE *probabile, in vece di per-* » *suadermi, più mi han confermato* » *nella mia sentenza: dico* MIA, *per-* » *chè questa tengo, e mi pare evi-* » *dente*... »

III.

Risposta apologetica ad una lettera d'un Religioso, circa l'uso dell'opinione EGUALMENTE *probabile.— 1764.*

Vixdum praefata Dissertatio anni 1762. in lucem prodiit, quum acerrime impugnata fuerit a quibusdam Probabiliorismi fautoribus, ac speciatim a P. Vincentio Patuzzi, viro caeteroquin non communis meriti. Hujusmodi impugnationibus S. Doctor plura opposuit Scripta, in quibus personis adversariorum charitatem sibi negatam servans, quindecim annorum certamine sententiam in praedicta Dissertatione expositam, victricibus armis propugnavit, atque mirifice illustravit.

1. Porro hanc primam Epistolam apologeticam, cujus sat clare jam loquitur *ipsa inscriptio*, S. Alphonsus sic exorditur: « Ricevo la sua sti- » matissima ben lunga, e mista di » lodi, consigli, ammonizioni, rim- » proveri e spaventi. Dovrei anch'io » a lungo rispondere ad ogni cosa, » ma le cure del vescovado non me'l » permettono. – Risponderò pertanto » in breve come meglio potrò. In pri-

*

» mo luogo V. P. mi dice: *maravi-*
» *gliarsi ch' io, dimostrando di far*
» *buona vita ed esemplare* (meglio
» avrebbe detto che, ingannando il
» mondo), *tenga poi una dottrina*
» *poco sana, col difendere l'uso del-*
» *l' opinione* EGUALMENTE *probabile.*
» Padre mio, io giudico e vedo tutto
» l' opposto: vedo che la mia vita non
» è nè buona nè esemplare, ma tutta
» piena di difetti; all' incontro tengo
» che *il mio sistema* circa del proba-
» bilismo, secondo quel che ho scritto
» nell' ultima mia Dissertazione data
» alle stampe, sia *sanissimo e certo.*
» Ivi già mi sono spiegato, non es-
» sere lecito il servirsi dell' opinione
» *meno probabile* e meno tuta, quan-
» do l' altra che sta per la legge è
» *notabilmente e certamente* più pro-
» babile; perchè in tal caso, l' opi-
» nione più tuta non è dubbia, ma
» è moralmente certa, o quasi mo-
» ralmente certa. Ma è ben lecito
» all' incontro l' uso della probabile
» quando ella è *egualmente o quasi*
» *egualmente* probabile: perchè al-
» lora la legge è *dubbia con vero e*
» *stretto dubbio,* e perciò non obbli-
» ga, poichè la legge incerta non può
» indurre un obbligo certo; principio
» che credo averlo provato così chia-
» ramente colle dottrine de' Santi Pa-
» dri, e specialmente di S. Tommaso
» e degli stessi fautori della rigida
» sentenza, che non so come possa
» contrastarsi... »[1]

2. « Mi scrive di più V. P., *ch' io*
» *seguito questa mia sentenza, per-*
» *chè sono troppo appassionato per*
» *li Padri Gesuiti.* È assai che non
» mi ha chiamato anche *Terziario*
» de' Gesuiti, secondo la frase che
» corre. Io porto in verità tutta la
» venerazione a questi Padri, ma dico
» di non aver avuto mai la sorte di
» andare alle loro scuole, o di stare
» in alcuno de' loro seminarj; sì ch'io
» dalla mia gioventù, stessi pregiu-
» dicato per ritrovarmi imbevuto
» delle loro dottrine e specialmente
» di questa del Probabilismo. Sappia
» V. P., ch' io nel fare gli studj ec-
» clesiastici ebbi per miei direttori
» a principio maestri tutti seguaci
» della rigida sentenza; ed il primo
» libro di morale che mi posero in
» mano, fu il *Genetti,* capo de' Pro-
» babilioristi; e per molto tempo io
» fui acerrimo difensore del Proba-
» biliorismo. Ma poi, considerando
» le ragioni della sentenza contraria,
» e *specialmente quella, sulla quale*
» *ho fondata la mia Dissertazione*
» *(1762),* cioè che la legge incerta
» non può indurre un' obbligazione
» certa, mutai sentimento... »[2]

3. « Finalmente V. P. mi vuole
» atterrire, coll' ammonirmi *a con-*
» *siderare, se in punto di morte, io*
» *non abbia da render conto a Dio*
» *di questo mio sistema del proba-*
» *bile.....* Confesso, ch' io non sono
» un santo, ma un povero peccatore,
» che veramente tremo del conto che
» ho da render a Dio, per la mala
» corrispondenza fatta a tante sue
» misericordie; ma non già tremo
» per la sentenza che ho difesa. Sto
» sicuro e certo, che per questa sen-
» tenza non mi danno, nè posso dan-
» narmi, mentre la tengo per *certa ed*
» *incontrastabile;* e per tale la terrò,
» fin tanto che V. P. o altri non mi
» faccia conoscere il contrario... »[3] —
Et paulo inferius subjungit: « Non
» ho mancato di diligenza, per ac-
» certarmi della verità su questa
» controversia, giacchè *in più anni*
» *ho procurato di leggere tutti gli*
» *autori moderni della sentenza ri-*
» *gida,* subito che mi sono capitati
» nelle mani, esaminando tutte le
» loro ragioni ed opposizioni. Inoltre
» credo, non aver mancato di *rac-*
» *comandarmi al Signore ed alla*
» *divina Madre* su questo punto,
» con pregarli istantemente ad illu-
» minarmi, se mai errassi. Ma, *per*
» *quanto ho letto nei libri de' con-*
» *trari, niente mi ha convinto; anzi*
» *quelli mi han confermato nella*

1) Cfr. cit. Vol. VI. Operum a S. Sede approb. in fine, pag. 1.— 2) Loc. cit. pag. 13.— 3) Ibid. pag. 14–16.

» *mia sentenza,* vedendo che, per » quanto eglino si sono studiati a » rispondere, niuna delle loro rispo- » ste regge e stringe... »[1]

IV.

Apologia, in cui si difende la Dissertazione (1762)... Bassano 1765.

Anno 1764. P. Patuzzi iterum calamum arripuit, et tecto nomine *Adelphi Dosithei,* librum edidit,[2] in quo S. Alphonsi sententiam vehementer insectatus est, ac doctrinam *Aequiprobabilismi* non tantum ut falsam, sed etiam ut temerariam, et a S. Sede jam damnatam denuntiavit.[3] Cui lucubrationi, non paucis conviciis refertae, S. Doctor haud cunctanter respondit in doctissima hac *Apologia,* de qua longiores quosdam textus excerpere liceat.

1. Post plura praemissa, S. Alphonsus Introductionem Operis sic concludit: « Ma veniamo al nostro » punto, se sia lecito l'uso dell'opi- » nione *egualmente* probabile. Dice » il mio Oppositore, ch'io non mi dia » a credere d'aver proposto al pub- » blico un sistema nuovo, dicendo... » che non è lecito già seguire l'opi- » nione benigna, quando ella è *no-* » *tabilmente, e certamente meno* » *probabile;* ma CHE SOLO POSSIAMO » DI QUELLA SERVIRCI, *quando è* E- » GUALMENTE, O QUASI EGUALMENTE » *probabile;* attesochè (dice), niun » de' Probabilisti asserisce esser le- » cito seguire la tenuamente, o dub- » biamente probabile. – Rispondo. Io » non ho preteso, nè pretendo far » Sistemi nuovi; e so bene, che niun » Probabilista *di dottrina soda* dà » per lecito l'uso della tenuamente, » o dubbiamente probabile. Ma *per-* » *chè molti Probabilisti indistinta-* » *mente dicono, potersi seguire la* » *meno probabile quando v'è qual-* » *che appoggio di ragione, o di au-* » *torità: perciò ho voluto distin-* » *guere col dire, che non può se-* » *guirsi l'opinione men tuta, quan-*

1) Ibid. pag. 17. — 2) *La causa del probabilismo richiamata all'esame da Mons. de Liguori, e novellamente convinta di falsità...* Ferrara (Venezia) 1764.

3) Hanc accusationem protulit P. Patuzzi, innixus Decreto S. Inquisitionis de die 26. Februarii 1761., quo damnatum fuit Folium inscriptum: « *Probabilismus publicae disputationi... expositus contra Probabiliorismum stricte talem, utpote negotium perambulans in tenebris* » anno 1760. typis impressum, et undecim propositiones continens. Quarum prima erat: « *Probabilismus noster versatur circa haec tria: Licet sequi probabiliorem pro libertate, relicta minus probabili pro lege. Licet sequi aeque probabilem pro libertate, relicta aeque probabili pro lege. Licet sequi minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege* » (cfr. cit. Apologiam, §. IV. pag. 159.). — Qua ratione dicit S. Alphonsus: « Quindi egli (P. Patuzzi) prende a dirmi così: *Che vi sembra, Monsignore,* » *di un tal decreto della S. C. approvato e confermato dal Vicario di Gesù Cristo?* » Seguita poi a dire, che nel decreto è condannata espressamente, almeno come falsa e » temeraria, *la Proposizione* DA ME DIFESA, cioè che: *Licet sequi* AEQUE *probabilem pro* » *libertate, relicta aeque probabili pro lege* » (Loc. cit. pag. 163.).

At vero S. Doctor a *Secretario S. C. Indicis* quaesivit, quonam sensu istud Decretum accipiendum sit; qui ipsi respondit: « Dal solo titolo del foglio condannato, ognuno facil- » mente conosce, non essersi fatta condanna contro il Probabilismo, e per conseguenza non » essere stata condannata la proposizione: *Licet sequi probabiliorem pro libertate, re-* » *licta minus probabili pro lege;* la quale è sentenza comune de' Probabilioristi mode- » rati. Ben è vero, che sebbene la condanna non favorisca il probabilismo, non però può » dirsi da essa proibito il Probabilismo, nè dell'*Aeque probabile,* nè tampoco della meno » probabile favorevole alla libertà. E questo è qui sentimento comune e certo. Nè credo, » che qui i Probabilisti lascino per ciò di seguitare il loro sistema » (Ibid. pag. 173.). — Porro *Magister S. Palatii* similiter interpellatus, ipsi respondit: « La condanna e proibi- » zione fatta dal S. Officio cade sovra il foglio intero delle proposizioni, non sovra cadauna » di esse in singolare... Da ciò ne siegue, che la prima proposizione non è altrimenti con- » dannata; nè potea riprovarsi, senza adottare il Tuziorismo, e condannare il comune dei » Teologi, che la sostengono » (Ibid. pag. 171.). — Cumque tandem *Cardinalem Galli, Poe-* *nitentiarium Majorem,* in eumdem finem adiret, hic ipsi rescripsit: « Posso assicurare V. S. » I. e R., che nella condanna del cennato foglio, di cui mi scrive, non si è inteso di con- » dannare veruna delle proposizioni che si controvertono nelle scuole cattoliche, e da molti » cattolicamente si difendono; ma si è avuto il motivo di proibirlo, per quelle proposizioni » ch'ella medesima riconosce meritevoli di censura » (Ibid. pag. 174.).

» *do è molta, ed è certa la preponderanza per la più tuta* (e mi » spiego: sempre che l'opinione è » *dubbiamente meno* probabile, allora o è *egualmente* probabile, o » *molto poco meno* probabile; all'incontro, quando l'opinione è *certamente meno* probabile, io intendo » che allora è sempre *notabilmente meno* probabile); perchè allora l'opinione men tuta non può dirsi certamente probabile, nè la legge in » tal caso può dirsi dubbia con dubbio stretto; ma *quando poi la preponderanza è piccola, e dubbiosa per l'opinione che sta per la legge, allora l'opinione che sta per la libertà, ben può chiamarsi* » EGUALMENTE *probabile,* per l'Assioma comune insegnatomi dallo stesso P. Lettore, che: *Parum pro nihilo reputatur;* e l'opinione, che » sta per la legge, allora è *strettamente dubbia.*

» Due sono i fondamenti, su i quali » io ho appoggiata la certezza del » Principio da me assunto, che *la legge dubbia non obbliga;* dal che » poi si deduce, che nel concorso di » due opinioni *egualmente o quasi egualmente* probabili, non siamo » tenuti di attenerci alla più sicura: » la legge *dubbia* (io dico) non obbliga, prima, perchè *non è abbastanza promulgata;* e questo è il » primo fondamento. Per secondo non » obbliga, perchè, essendo *incerta* » la legge, *non può* ella *indurre una obbligazione certa;* e questo è il » secondo fondamento....,[1] che rende certo il Principio riflesso, col » quale formasi il dettame certo, che » sia lecito l'uso dell'opinione *egualmente* probabile; perchè una legge » incerta non può legare la libertà » ch'è certa, e che ha il possesso anteriore all'obbligo del precetto. »[2]

2. Ex duplici autem hoc principio, P. Patuzzi contenderat, non pauca fluere consectaria absurda, quorum tertium sic enuntiat: « Nel contrasto » di due opinioni, voi dite, che la » legge non è legge, perchè dubbiosa. » Vi domando: Ammettete voi, Monsignore, che fra due opinioni pro- » babili, quella che favorisce la libertà, possa esser falsa? certamente. Ma ditemi, come può esser falsa, se atteso il Vostro principio, » non si oppone mai ad alcuna legge? » Stante che, se la legge non v'è, » non può tampoco aver colla legge opposizione di sorta alcuna.... » *Adunque se non v'è legge, l'opinione favorevole alla libertà sarà » sempre vera, nè potrà mai esser » falsa: e l'opinione contraria, che » asserisce la legge, sarà sempre » falsa, nè potrà mai esser vera.* » *Che ve ne pare, Monsignore, di » questo paradosso?* » - Quid vero respondeat S. Alphonsus, audiamus: « Che me ne pare? Mi pare che que- » sto argomento niente prova e con- » clude. Sarebbe sì ben paradosso il » dire, che quando la legge è dubbia, » l'opinione favorevole alla libertà » sarà sempre vera, nè potrà mai » esser falsa. Ma non è paradosso il » dire quel, ch'io dico, cioè che *ben » può esser falsa l'opinione per la » libertà, ma quando ella è* EGUAL- » MENTE *probabile,* che l'opinione » che sta per la legge, *allora la legge è dubbia;* ed allora non dico già, » che la legge certamente non v'è, » ma che *non v'è legge che obbliga,* » perchè non è a sufficienza promulgata, come ho ripetuto più volte, » ed appresso mi bisognerà ripetere » con tedio mio, e di chi legge, per » rispondere a tutti questi assurdi » addotti dal mio Oppositore... »[3]

3. Aliud sibi objectum absurdum sic exponit S. Doctor: « Oppone per 2. » Che quando vi sono due opinioni » *egualmente* probabili, una per la » legge, un'altra per la libertà, non » può darsi ignoranza invincibile del- » la legge, e perciò non può mai » aversi il dettame moralmente certo » dell'onestà dell'azione. - Quindi

1) Cfr. cit. Operis editionem Bassan. 1765. a S. Sede approb. (Vol. IX.) Introd. pag. 20.
2) Ibid. pag. 107. §. II. in fin. — 3) Ibid. §. I. pag. 66.

» propone per parte mia questo argomento: - È certo (mi fa dire) » esser lecito di seguire l'opinione » probabile, qualora tra due opinioni » probabili, chi seguita la meno sicura, se per avventura errasse, » fosse invincibile la sua ignoranza. » Ora così è, che chi erra, seguendo » tra due opinioni *egualmente* probabili la meno sicura, il suo errore » proviene da ignoranza invincibile. » Adunque certamente è lecito di seguire tra due opinioni *egualmente* » probabili la meno sicura. Non è » questo, Monsignore, l'argomento » vostro? - Ma con licenza del P. Lettore mio maestro, bisogna avvertire, che qui sta un altro equivoco. » Noi non diciamo, che chi opera » coll'opinione *egualmente* probabile » *meno sicura,* è scusato dalla colpa » (se mai fosse vera l'opinione più » sicura), perchè ignora invincibilmente la legge; ma *perchè ignora* » *invincibilmente la certezza, o sia* » *la verità della legge.* Onde ben anche può dirsi, che finchè dura il » conflitto delle due opinioni *egualmente* probabili, è invincibile l'ignoranza della legge, perchè non » può certamente affermarsi ch'ella » vi sia. Posto poi che la legge è » dubbia, ella certamente non è a » sufficienza promulgata, e perciò non » obbliga; e su questo principio riflesso fondasi poi la certezza morale in seguire l'opinione meno » sicura. » [1]

4. Quam firmiter S. Alphonsus doctrinae a se propugnatae adhaeserit, luculenter patet ex ponderosis ac Sancto Viro dignis verbis, quibus hanc Apologiam concludit: « Egli » (sc. P. Patuzzi) in questo suo libro » tante volte m' inculca a ritrattare quel che ho scritto, e me lo » dice in modo, come io per sostenere il punto, voglia più presto » *mettere a rischio la mia salute* » *eterna,* che cedere all'impegno. » Lo ringrazio di questo buon con» cetto, che ha di me. Dunque io ho » lasciato il mondo, mi son privato » della mia libertà, entrando nella » mia Congregazione, dove si fa voto » di stretta povertà, e di perpetua » perseveranza; mi son ridotto in » somma a vivere da povero missionario in una cella (benchè poi da » quella mi ha cacciato l'ubbidienza); » e perchè? per morire dannato, a » cagion di non voler ritrattarmi *da* » *questa mia sentenza,* dopo aver » conosciuta la verità (come si va » immaginando il P. Lettore) per non » cedere all'impegno? Ma che pazzia » sarebbe la mia! Tanto più che il » rivocarmi non mi sarebbe di disonore, ma più presto di lode in faccia a tutto il mondo. Direi, rivocandomi, che sinora sono stato in » buona fede; ma perchè son uomo, » soggetto ad errare, avendomi il » Signore appresso illuminato, non » ho voluto resistere a questo lume » divino. È certo, che tutti, anche » quelli che sono della mia sentenza, mi scuserebbero, e mi loderebbero come uomo di retta coscienza. » Gli Antiprobabilisti poi, quali elogi non mi darebbero da per tutto, s' io mi facessi del loro partito! » Quando che all' incontro resto ora » presso il P. Lettore, e presso altri » Tuzioristi moderni, suoi Compagni, » nel vil concetto di cervello storto, » di lassista, di ridicolo e di ostinato, » e per compimento d' uomo di mala » coscienza. - *Ma mi consola, che il* » *giudizio della mia eterna salute...* » *non si ha da fare dal P. Lettore,* » *ma da Gesù Cristo,* il quale vede » il fondo de' cuori. Replico quel che » dissi a principio: *io tremo del Giu-* » *dizio, per causa dei peccati fatti,* » *ma non certamente per questa Sen-* » *tenza che difendo; mentr' ella mi* » *sembra così certa, che solamente* » *la Santa Chiesa potrà farmi cam-* » *biar sentimento, col condannarla;* » ed in tal caso io sottoporrò il mio » giudizio alla di lei autorità infal-

1) Ibid. §. III. pag. 111.

» libile, e dirò che mi bisogna ub-
» bidire, benchè siami ignoto il per-
» chè. E se mai, dopo la mia morte,
» la S. Chiesa dichiarasse in avvenire
» il contrario di ciò che ho scritto;
» da ora mi protesto, che intendo
» tutto di ritrattarlo, e rivocarlo.
» *Io non ho lo spirito di profezia;*
» *nondimeno ho questo sentimento,*
» *che non mai la Chiesa dichiarerà*
» *per vera la sentenza del mio Op-*
» *positore,* cioè che non sia lecito far
» uso d' altre sentenze, se non di
» quelle che sono moralmente certe
» con giudizio diretto...» [1] - Et paulo inferius exclamat: « *Dunque io nel*
» *difendere l'*AEQUE PROBABILE, *com-*
» *batto la sana Morale di Gesù Cri-*
» *sto?* » [2]

5. Demum in *Appendice* huic Operi adnexa, S. Doctor iterum clare mentem suam aperit; siquidem inter alia dicit: « Sicchè parlando della *nostra*
» *controversia, in cui trattasi di*
» *due opinioni egualmente proba-*
» *bili,* non vale il dire, che basta la
» notizia probabile della legge a ren-
» derla sufficientemente promulgata,
» perchè in tal caso non vi è noti-
» zia sufficiente a render promulgato
» un dubbio, o sia una mera esita-
» zione, se vi è, o non vi è la legge;
» giacchè quando le opinioni sono *di*
» *egual peso,* avviene (come si è
» detto) che niuna di esse ha più
» peso. » [3] - Et in ejusdem *Appendicis* §. III. haec notatu digna subdit:
« Del resto, egli (P. Patuzzi) a torto
» si lamenterebbe, se dicesse, ch' io
» non ho voluto ben considerare le
» sue ragioni. Ciò non è vero, io l'ho
» lette, e considerate più volte; ma
» quanto più l'ho considerate, tanto
» più mi sono apparse insussistenti.
» All'incontro, LA MIA SENTENZA *io*
» *l'ho esaminata, e scrutinata per*
» LO SPAZIO PIÙ DI TRENT' ANNI, *leg-*
» *gendo e rileggendo quanti Autori*
» *mi son venuti in mano, che ne*
» *trattavano, e conferendo spesso*
» *sulle ragioni dell'una e dell'altra*
» *parte, co'* PROBABILISTI, *e Proba-*
» *bilioristi;* ed alle volte *io ho fatte*
» *a me stesso certe difficoltà, e mi*
» *ho opposte certe sottigliezze, alle*
» *quali forse non ancora han pen-*
» *sato i medesimi miei Avversarj;*
» ma ritrovandovi poi le risposte
» adequate, perciò ho seguito a di-
» fendere la sentenza; altrimenti,
» senza le sue tante replicate am-
» monizioni, da me stesso mi sarei
» ritrattato. » [4]

V.

Dell' uso moderato dell' Opinione probabile. - Napoli, 1765.

Praefatam Apologiam eadem vehementia impugnavit P. Patuzzi, in libro cui titulus: « *Osservazioni teo-*
» *logiche di Adelfo Dositeo sopra*
» *l'Apologia...* » Quamobrem S. Alphonsus novum hoc edidit Opus *Clementi XIII. dicatum,* [5] cujus argumentum, ut ipsemet ait in Praefationis inscriptione, aliud non est nisi: « *Dell'uso lecito dell'opinione* EGUAL-
» MENTE *probabile.* » [6] - Perjucundum sane foret, plura ex egregio hoc Libro decerpere; ne tamen praefixos limites excedamus, quaedam pauca tantum subjiciemus.

In *Cap. I.* statum quaestionis sic exponit: « *1.* Affin di sfuggire le am-
» biguità, e gli equivoci, bisogna di-
» stinguere più cose in questa ma-
» teria. È certo da una parte, *esser*
» *lecito l'uso dell'opinione probabi-*
» *lissima,* ed è condannata la Pro-
» posizione contraria (*num.* 3.) da
» Alessandro VIII., che diceva: *Non*
» *licet sequi opinionem, vel inter*
» *probabiles probabilissimam.* Dalla
» quale proposizione non discordano
» quegli Autori, che dicono non po-
» tersi tenere altra opinione, se non
» quella ch' è talmente certa, che
» escluda ogni formidine di errore.
» Non è tale poi la *Probabilissima,*

1) Ibid. *§.* V. pag. 194.— 2) Ibid. pag. 198.— 3) Cfr. cit. Vol. in fine, Append. *§.* II. pag. 34. — 4) Loc. cit. pag. 60.— 5) Cfr. cit. edit. Neapol. 1765. a S. Sede approb. (Vol. VII.).— 6) Ibid.. Introd. pag. 1.

» mentre ella consiste tra i confini » della probabilità *(inter probabiles);* » e perciò *non esclude ogni prudente* » *formidine di esser falsa*, benchè » la contraria non mai può stimarsi » *assolutamente* probabile; mentre » la contraria alla Probabilissima » non ha che una *dubbia, non già* » *tenue* probabilità, e perciò la pro- » babilissima si stima moralmente » certa, benchè largamente, non già » strettamente parlando. Ho detto: » *dubbia, non già tenue probabile;* » perchè la probabilità *tenue* (pro- » priamente parlando) non è proba- » bilità, ma è *un' apparenza vana* » *di probabilità,* che non impedisce » di avere la vera certezza in con- » trario, parlando anche della stretta » certezza morale.

» *2.* All' incontro è certo ancora, » *non esser lecito seguire l'opinione* » *tenuamente probabile,* giusta l'al- » tra Proposizione dannata (num. 3.) » da Innocenzo XI., che diceva: *Ge-* » *neratim dum probabilitate, sive* » *intrinseca, sive extrinseca, quan-* » *tumvis tenui, modo a probabili-* » *tatis finibus non exeatur, con-* » *fisi aliquid agimus, semper pru-* » *denter agimus.* E lo stesso corre » per l' opinione *dubbiamente* pro- » babile, o sia *probabilmente* proba- » bile. Siccome neppure può seguirsi, » *secondo il nostro Sistema,* l' opi- » nione che sta per la libertà, quando » ella è *molto meno probabile,* o è » *certamente meno probabile* dell'o- » pinione, che sta per la legge: poi- » chè quando l' opinione benigna ap- » parisce certamente meno probabile, » è segno che la probabilità, la quale » assiste all' opinione più rigida, è » molto preponderante; ed in tal caso » la legge non è più dubbia con dub- » bio stretto, ma è moralmente, o » quasi moralmente certa, e come » tale ben obbliga, mentre allora è » sufficientemente proposta.

» *3. Tutta la questione dunque* » *si riduce a vedere, se sia lecito* » *seguire l'opinione benigna, ch' è* » UGUALMENTE, O QUASI UGUALMENTE » *probabile,* che la contraria la quale » sta per la legge. Si è detto: *quasi* » *ugualmente;* perchè quando l'opi- » nione per la libertà è *poco meno* » probabile allora ella stimasi *ugual-* » *mente* probabile, secondo il senti- » mento comune dei Probabilisti, e » degli Antiprobabilisti, per l'assio- » ma generale, che: *Parum pro ni-* » *hilo reputatur.* Oltrechè, quando » la preponderanza della probabilità » per la legge è molto piccola, al- » lora facilmente può dubitarsi, se » tal preponderanza vi sia, o no; » almeno in tal caso la legge stimasi » assolutamente dubbiosa con dub- » bio stretto, ed allora ella non ob- » bliga, *secondo il Sistema, che sarà* » *appresso da noi provato....* »[1].

Sedulo etiam notanda sunt, quae S. Doctor scribit in *Cap. V. n. 25:* « Dicono (i Probabilioristi), che i » Probabilisti ammettono per opi- » nioni probabili, qualunque proba- » bilità elle abbiano, viene a dire, » quantunque sieno *certamente meno* » ragionevoli, quantunque sieno solo » *probabilmente* probabili, e quan- » tunque quelle sieno difese da due » o tre Autori, ed anche da un solo » contra la comune degli altri. Ma » risponderebbe a ciò il P. Segneri, » che questo è un volere alterare » eccessivamente le cose, per farsi » dar ragione giustamente, o ingiu- » stamente. Direbbe, che l'opinione » di questa sorta sarebbe veramente » un mostro abbominevole; ma non » è così: *l'opinione* VERAMENTE PRO- » BABILE È QUELLA SOLA, *che ha fon-* » *damenti intrinseci, ed estrinseci,* » EGUALMENTE O QUASI EGUALMENTE » VALIDI, *che non ha la contraria* » *per la legge, in modo che la legge* » *apparisce* CERTAMENTE E STRET- » TAMENTE DUBBIA ».[2]

Demum in citato Cap. *n. 24.* dicit: « Confesso avanti a Dio, che... *più e* » *più volte ho cercato di esaminare*

1) Loc. cit. cap. I. pag. 11-13. — 2) Ibid. pag. 254.

» *di nuovo questa materia con tutta* » *la diligenza, deponendo ogni pro-* » *pensione, e leggendo, e rileggendo* » *tutti gli Autori antichi, e mo-* » *derni,* che mi sono capitati alle » mani della rigida sentenza, appa- » recchiato ad abbandonar la mia, » subito che l'avessi conosciuta non » abbastanza certa, *siccome non ho* » *avuta ripugnanza di ritrattarmi* » *in molte altre opinioni, un tem-* » *po da me tenute, le quali erano* » *per altro certamente di minor* » *momento, che non è questa; ma* » *quanto più ho esaminate le ra-* » *gioni, tanto più elle mi sono ap-* » *parse certe e sicure.* » [1] - Sanctum vero quem sibi praefixerat scopum, in propugnanda hac sententia, exponit in epistola nuncupatoria ad Clementem XIII., dicens: « *Io mi* » *protesto, che in tutto quello che* » *ho scritto in questa materia, al-* » *tro non ho preteso, nè pretendo,* » *che si scovra la verità di questa* » *gran Controversia, dalla quale* » *dipende la buona o mala dire-* » *zione delle coscienze di tutti i* » *Fedeli.* » [2]

VI.

La Legge incerta non può indurre un' Obbligazione certa. - Napoli (circa ann. 1765).

Hisce eruditis Dissertationibus et Apologiis adnectere juvat praesens Opusculum, [3] in quo S. Alphonsus, iterum contra P. Patuzzi, expressis verbis *Systema Aequiprobabilismi* stabilit ac probat. Non taedeat studiosum lectorem sequentia benigne excipere.

1. Doctrinae S. Alphonsi P. Patuzzi objecerat quoddam *Breve Innocentii XI.*, in quo ad preces P. Gonzalez, Praepositi generalis *Soc. Jesu,* eidem Superiori injungitur « *ne per-* » *mittat Patribus Societatis Jesu* » *scribere pro opinione minus pro-* » *babili, et impugnare sententiam,* » *licitum non esse sequi opinionem* » *minus probabilem in concursu pro-* » *babilioris; verum etiam, relate ad* » *omnes Universitates Societatis,* » *mentem esse Sanctitatis Suae,* » *quod notum faciat, ut quilibet pro* » *suo libito libere scribat pro opinio-* » *ne magis probabili, et impugnet* » *contrariam.* » De genuino autem hoc textu dubitat S. Doctor; unde advertit: « Nulladimeno il P. Gagna, » secondo dice essersi ricavato dal » Registro de' Decreti Pontificj del- » l'archivio della Compagnia, riferi- » sce il detto Decreto concepito nella » seguente forma: *Injungatur pa-* » *riter P. Generali de ordine San-* » *ctitatis Suae, ut non modo per-* » *mittat Patribus Societatis scribere* » *pro opinione magis probabili, et* » *impugnare sententiam asseren-* » *tium, quod in concursu minus* » *probabilis opinionis cum probabi-* » *liori, licitum sit sequi minus pro-* » *babilem; verum etiam, relate ad* » *omnes Universitates Societatis,* » *mentem esse S. Suae, quod notum* » *faciat, ut quilibet pro suo libito* » *libere scribat pro opinione magis* » *probabili, et impugnet contra-* » *riam.* Questo Decreto, a ben con- » siderarsi, par che abbia maggior » connessione con sè stesso, che il » primo; mentre, parlando del pri- » mo, sembra che poco corrisponda » la prima parte del Decreto, cioè: » *Ne permittat scribere pro opinio-* » *ne minus probabili* etc., colla se- » conda: *Verum etiam notum faciat,* » *ut quilibet libere scribat pro opi-* » *nione magis probabili.* » - Quibus praemissis, S. Doctor sic concludit: « Ma ancorchè fosse vero il primo » Decreto, e non il secondo, dunque » da questo Decreto si ricava esser » condannato IL NOSTRO SISTEMA? *che* » *non è per altro di potersi seguire* » *l'opinione meno probabile in con-* » *corso della probabiliore, ma di* » *poter seguire l'opinione benigna,* » *quando è* UGUALMENTE *probabile*

1) Ibid. pag. 250. — 2) Cit. Vol. in princ. — 3) Cfr. Vol. V. Collectionis Operum a S. Sede approb.

» *alla rigida;* poichè, come accor-
» dano tutti gli Antiprobabilisti, se-
» condo dice lo stesso P. Patuzzi,
» quando è *poca* la preponderanza
» tra l'una e l'altra opinione, sicchè
» tenue e dubbioso sia l'eccesso, al-
» lora ben può dirsi *egualmente* pro-
» babile, poichè: *Parum pro nihilo*
» *reputatur;* mentre all' incontro,
» allorchè la preponderanza è *gran-*
» *de,* l' opinione contraria resta *te-*
» *nuamente,* o *almeno dubbiamente*
» probabile. Sicchè questo Decreto
» niente fa contro di noi... Se poi
» ordinò (il Pontefice), che i Gesuiti
» non più scrivessero per la meno
» probabile, ciò fu ordinato sola-
» mente a' Gesuiti, e forse per ra-
» gioni particolari che ne avea allora
» il Pontefice ». [1]

2. Aliam dein objectionem sic re-fert et perpendit S. Alphonsus: « Di
» più oppone il P. Patuzzi (T. 2.
» pag. 225.) la Lettera Circolare di
» Benedetto XIV. a' Vescovi per la
» preparazione dell'Anno Santo, dove
» si disse così: « *Il buon Confessore*
» *nelle materie dubbie non dee fi-*
» *darsi della sua privata opinione...*
» *ma prenda quel partito, che ve-*
» *drà più assistito dalla ragione, e*
» *dall' autorità...* » Il P. Patuzzi fa
» forza sopra quelle parole: *Prenda*
» *quel partito, che vedrà più assi-*
» *stito dalla ragione, e dall' auto-*
» *rità:* Ecco (dice) imposto l'obbligo
» di seguitare la più probabile. -
» Per rispondere, bisogna avvertire
» che la stessa Lettera in lingua *la-*
» *tina* parla altrimenti, e questa è
» quella ch' è posta nel Bollario (Bol-
» lar. T. 1. in ord. 143.), la quale...
» non esprime quel: *più assistito,*
» ma solo dice: *In eam descendant*
» *sententiam, quam ratio suadet,*
» *et firmat auctoritas...* Questa Let-
» tera circolare è stata certamente
» un' Istruzione universale per tutto
» il mondo cristiano; onde dee te-
» nersi per genuina la *Latina* ch'è
» diretta a' Vescovi di tutte le na-
» zioni, e non l'Italiana che riguarda
» i Vescovi della sola Italia... Oltre-
» chè, replichiamo, ancorchè doves-
» simo stare alla Lettera Italiana,
» ella non riproverebbe *il* NOSTRO
» *Sistema dell'*AEQUE PROBABILE. » [2]

3. Tertiam objectionem desumpse-rat P. Patuzzi ex sequenti proposi-tione, a Facultate Sorbonensi da-mnata: « *Potest quis sequi opinio-*
» *nem minus probabilem minusque*
» *tutam, relicta probabiliori,* et ma-
» gis tuta. » Respondet autem S. Al-phonsus: « Ma come abbiam detto,
» *noi non ammettiamo la meno pro-*
» *babile, ma solamente l'*EGUALMEN-
» TE *probabile.* » - Et paulo inferius subdit: « *La* NOSTRA *sentenza*, se
» non fosse moralmente certa, al-
» meno è probabilissima, *che possa*
» *seguirsi l'opinione* AEQUE PROBA-
» BILE, e la contraria al più è dub-
» bia probabile; e come probabilis-
» sima, anche può seguitarsi per la
» proposizione 3. dannata da Ales-
» sandro VIII. *Non licet sequi opi-*
» *nionem inter probabiles probabi-*
» *lissimam.* Ma ciò sia detto per
» concessione, perchè noi *la nostra*
» *sentenza assolutamente la tenia-*
» *mo per moralmente certa.* » [3]

4. Aliam demum difficultatem ob-jectam ex 3. propositione ab Inno-centio XI. profligata, egregie diluit S. Doctor, et concludit: « *Noi* (sic-
» come abbiam più volte detto di
» sopra) *non difendiamo la* PROBA-
» BILE *in concorso della* PROBABI-
» LIORE; *ma diciamo esser lecito se-*
» *guir l'* EGUALMENTE *probabile in*
» *concorso della più sicura;* onde
» siamo affatto fuori della tenue pro-
» babilità. » [4]

1) Vid. loc. cit. pag. 33-36. — 2) Ibid. pag. 36-39. — 3) Ibid. pag. 41-44. — 4) Ibid. pag. 45.

Articulus 2.

Exhibentur novae elucidationes Systematis S. A. ab anno 1767. ad 1769.

I.

Theologia moralis, editio 6. de anno 1767.

I.° – Haec Editio novum exhibet Tractatum *de Conscientia*, in quo S. Doctor novam etiam inseruit Dissertationem « *de Usu moderato opinionis probabilis,* » diversam ab illis, quae in prioribus Theologiae moralis editionibus leguntur.

1. Ut autem cuidam difficultati, a cl. Ballerinio inferius objiciendae (cfr. Cap. IV. §. 1. art. 1.) jam occurramus, sequentia advertere juvat. Postquam S. A. in num. 42-52. docuerat: « *nunquam esse licitum uti* » *opinione probabili probabilitate* » FACTI, *cum periculo damni alterius, aut sui ipsius* », sic prosequitur:

« *53.* Secus tamen dicendum de » opinione, quae est probabilis pro» babilitate *Juris;* tunc enim quis» que licite uti potest opinione illa, » formans sibi conscientiam morali» ter certam de honestate suae actio» nis; quia tunc, cum dubia sit lex, » et non satis manifeste proposita, » hujusmodi lex vel non est lex, vel » saltem non est lex quae obligat, » *ut infra videbimus in Dissertatione de usu opinionis probabilis,* » *num. 57. et seq.* – Remanet nunc » videndum, quanam probabilitate » potiri debeat opinio, ut ea licite » valeamus uti? *Duo sunt certa.* Pri» mum est, *illicitum esse uti opi» nione tenuiter probabili,* ut patet » ex Propos. 3. proscripta ab In» noc. XI. quae dicebat: *Generatim,* » *dum probabilitate sive intrinseca,* » *sive extrinseca, quantumvis tenui,* » *modo a probabilitatis finibus non* » *exeatur, confisi aliquid agimus,* » *semper prudenter agimus.* Haec » propositio merito damnata fuit; » tenuis enim probabilitas nequit » dici vera probabilitas; sicut tenuis » fortitudo, aut tenuis peritia dici » nequit vera fortitudo, et vera pe» ritia, sed potius dicenda est im» becillitas, aut imperitia. Et *idem* » *dicimus de opinione notabiliter,* » *et certe minus probabili;* etenim » cum opinio pro lege est longe » majoris ponderis *(ut infra distin» ctius explicabimus num. 56.),* illa » evadit moraliter certa, aut quasi » certa; efficitque, ut opposita pro » libertate reddatur vel improbabi» lis, aut dubie probabilis, et ideo » illa uti non possumus.

» *54.* Alterum est, *certe licitum* » *esse uti opinione probabilissima,* » ut constat ex Propos. 3. damnata » ab Alexandro VIII. quae dicebat: » *Non licet sequi opinionem, vel* » *inter probabiles probabilissimam.* » Ita senserunt *Sinnichius* et *Ven» drochius.* Nec multum distare vi» detur ab illis *Prosper Fagnanus* » in *Cap. Ne innitaris de Constitut.* » *n. 402.* ubi ait, illam tantum opi» nionem sequi posse, quae judica» tur *sine ulla trepidatione et for» midine vera.* Sic ideo videtur re» probare usum etiam opinionis pro» babilissimae, quae, cum non exeat » a finibus probabilitatis, juxta Pro» pósitionem damnatam (ubi dicitur: » *inter probabiles probabilissimam*), » necessario debet esse conjuncta cum » formidine de falsitate. Idemque » videntur sentire *Genettus* de Con» scientia, et *Habert* tom. 3. eod. » tit. cap. 4. quaest. 1., ubi requi» rit ad operandum opinionem ita » certam, ut *prorsus omnem exclu» dat erroris formidinem.* – Duae » remanent nunc quaestiones discu» tiendae, de quibus oportet pecu» liariter in sequenti Dissertatione » sermonem habere. »

2. Dein *n. 55.* incipit *Dissertatio.* At post hunc numerum, reliqui penitus desiderantur usque ad *num. 90.* quo, terminata Dissertatione, in hac editione (sicut in quatuor prioribus, et tribus sequentibus) incipit Tractatus de Legibus. Tota autem haec

Dissertatio absolvitur numeris romanis, qui sunt LXIX. - Quanam vero de causa, numeri 56-89. deficiant, certo nobis non constat. Ex eo quod S. A. in supra relato num. *53.* lectorem remittit ad num. *56. 57. et seq.*, concludi posset, illos nonnisi ex oblivione omissos fuisse. Verisimilius tamen nobis videtur, S. Alphonsum eos dein consulto omisisse, ne ex hac nova longiori Dissertatione, ordo posteriorum numerorum immutaretur; quibus immutatis, non levis exorta fuisset confusio, siquidem in decursu totius Operis, S. Doctor passim ad varios numeros lectorem remittit. Haec interpretatio eo magis nobis arridet, quia et in tribus subsequentibus editionibus, iidem numeri penitus desunt; imo *in 8. et 9. editione,* S. A. suppressit integrum textum numerorum *53.* (salvo initio) et *54.* - Quidquid autem sit de istorum numerorum praetermissione, nullum exinde argumentum deducere potest P. Ballerini, ut *editores Bassanenses* fraudis arguat, prout infra dicetur.

3. Porro statum quaestionis S. Alphonsus sic exponit: « *55. I.* Praesenti Dissertatione, duas nobis proponimus Quaestiones discutiendas. Prior est, an licitum sit sequi opinionem *minus probabilem,* relicta probabiliori, quae stat pro lege. Posterior, an concurrentibus duabus opinionibus adversis, *aequaliter, aut quasi aequaliter* probabilibus, liceat minus tutam amplecti. Dicitur *aequaliter aut quasi aequaliter probabilibus;* quia (sicut omnes et Probabilistae et Antiprobabilistae conveniunt) cum inter utramque opinionem modica est praeponderantia, ita ut valde tenuis et dubius sit excessus, tunc ambae opiniones aeque probabiles existimantur, juxta commune illud axioma: *Parum pro nihilo reputatur.*

» *II.* Circa primam Quaestionem citius me expediam; resolutio enim est patens. Dico igitur, *non licere sequi opinionem minus probabilem, cum opinio quae stat pro lege, est notabiliter, aut certe probabilior:* dico *aut* CERTE, quia, cùm opinio pro lege est *certe,* et *sine ulla haesitatione probabilior,* tum opinio illa non potest esse nisi NOTABILITER *probabilior.* Et eo casu, opinio tutior non erit jam dubia (intelligendo *de dubio stricte sumpto,* ut in altera quaestione dicemus) sed est *moraliter, aut quasi moraliter certa; saltem nequit dici amplius stricte dubia, cum pro se certum habeat fundamentum, quod ipsa sit vera.* Unde tunc fit, quod opinio *minus tuta, quae certo fundamento caret,* remaneat aut TENUITER, aut SALTEM DUBIE *probabilis,* RESPECTU TUTIORIS; adeoque non est prudentia, sed *imprudentia* velle eam amplecti. Quoties enim intellectui diserte apparet, veritatem multo magis stare pro lege, quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter, et sine culpa parti minus tutae adhaerere; siquidem eo casu, homo non proprio judicio, seu propriae credulitati innixus operaretur; sed potius *per quemdam conatum,* quem sua voluntate in intellectum inferret, ut a parte quae valde verisimilior sibi apparet, removeretur, et ad partem quae sibi vera non apparet, imo quae videtur nec certum fundamentum habere, quod possit esse vera, inflecteretur. Et huc facit illud Apostoli: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Rom. 14. 23.

» *III.* Quod ad alteram quaestionem spectat, quam *latius hic discutiemus,* dico quod *cum opinio minus tuta est* AEQUE, *vel* FERE AEQUE *probabilis, potest quis eam licite sequi;* et hoc probandum. Ante omnia, duo ut certa supponere debemus: primum, quod ad licite operandum, necessaria nobis est *moralis certitudo de honestate actionis.* Alterum, quod haec certitudo haberi potest, non tantum

» ex directo, sed etiam *ex reflexo* » *principio,* quo moralis illa certi- » tudo actioni communicatur... »

4. Quisquis hos textus cum Dissertatione anno 1762. evulgata composuerit, facile videbit, ipsos non esse nisi ejusdem Versionem latinam. [1] - Paulo inferius S. A. dein sic pergit: « *VII.* Minime autem, ut » jam annuimus, *ad usum opinionis* » AEQUE *probabilis cohonestandum,* » valent duo principia supra relata, » et *a pluribus Auctoribus adopta-* » *ta,* unum nimirum, quod: *Qui pro-* » *babiliter agit, prudenter agit;* » alterum, quod cum opiniones am- » bae sunt probabiles, potest homo » opinione minus tuta uti, *judicium* » *suspendendo* circa oppositam tu- » tiorem; nam revera neutrum prin- » cipium certos nos reddere potest de » actionis honestate... Sed aggredia- » mur nunc Dissertationis examen. » *VIII. Duo sunt principia,* qui- » bus innixus licitum usum tueor » opinionis probabilis. Primum, quod » *lex dubia in conflictu duarum* » *opinionum* AEQUE *probabilium non* » *obligat;* quia dubia lex non est » sufficienter promulgata. Alterum, » quod *lex incerta nequit certam* » *obligationem inducere,* quia legis » obligatio posterior est ad liberta- » tem, qua homo est donatus a Deo. » Et in hoc advertendum, quod ista » duo principia non utique idem sunt » sub diverso aspectu exposita, ut » P. Patutius censet; utrumque enim » diversum habet fundamentum, cum » prius fundetur in motivo, quod » lex non habet virtutem actualiter » obligandi, nisi sit certe promul- » gata. Posterius fundatur in moti- » vo, quod homo certam suae liber- » tatis possessionem habens, de illa » non tenetur se expoliatum repu- » tare propter incertam legem. Nunc » de primo principio, deinde de al- » tero sermonem faciemus... »

5. Duplex hoc principium S. Alphonsus dein egregie evolvit et probat *in duobus Paragraphis,* quorum tamen materia aliud non est, quam compendium eorum, quae hac de re jam italico sermone fusius scripserat in Opere: « *Dell' uso moderato dell'opinione probabile,* » anno 1765. typis edito.

II. - In praefata sexta editione Theologiae moralis non solum nova legitur Dissertatio moralis; sed, tum in ipso novo Tractatu *de Conscientia,* tum in *Elencho Quaestionum reformatarum,* plures habentur emendationes quarumdam sententiarum *circa Cessationem legis.* Istas jam supra allegavimus (pag. 18. et seqq.), ac de iisdem iterum mentionem faciemus, Cap. IV. §. 2. art. 1.; unde illas hic apponere supervacuum foret. - Notare tamen juvat, istas emendationes unam tantum partem Systematis S. A. attingere, eam nempe quae praesertim Confessarium respicit; alteram namque partem (de *existentia* legis) Theologo praesertim inservientem, S. Doctor plane intactam reliquit.

II.

Epistola data Argentii (Arienzo), die 25. Maji 1767. ad P. Villani, Vic. gen. C. SS. R.

Praeter plura Opera a S. Alphonso typis evulgata, quaedam exstant *Epistolae* de Systemate morali tractantes, quae, dum agebatur de Causa Beatificationis, revisioni et approbationi S. Sedis subjectae fuerunt, ac postea in alma hac Urbe, una cum plurimis aliis in lucem prodierunt. Ex hisce Litteris, quaedam describere opportunum judicamus, eo magis quia fieri non potest, quin in ipsis, utpote ad Sodales conscriptis, genuinum ac verum suum Systema, absque ullis ambagibus S. Doctor exposuerit ac declaraverit. - Ut autem ordinem chronologicum in exponendis S. Doctoris scriptis servemus,

1) Cfr. supra, pag. 47.

unam tantum Epistolam de die *25. Maji 1767.*[1] hoc loco recensebimus, cujus argumentum sequentibus habes verbis:

« Io circa la probabile *tengo due* » *cose per certo.* La prima, contro » il P. N., che *ben può seguirsi la* » *probabile per la libertà, quando* » *è probabile* EGUALMENTE, *o poco* » *meno:* in modo che sia dubbio, se » tale opinione sia egualmente, o » poco meno probabile della contra- » ria, che sta per la legge. - Dico » all'incontro, e lo tengo per certo, » che *quando l' opinione per la li-* » *bertà è certamente meno proba-* » *bile, e quella per la legge è cer-* » *tamente più probabile, non può* » *seguirsi l'opinione per la libertà;* » perchè quando l'opinione per la » legge apparisce *certamente più* pro- » babile, segno che allora è più pro- » babile *notabilmente, e con eccesso;* » e quando l' opinione per la legge » è notabilmente più probabile con » eccesso : allora dicono gli stessi » autori nostri Probabilisti,[2] che dee » seguirsi l' opinione per la legge, » perchè allora la legge è almeno mo- » ralmente già abbastanza promulga- » ta; ed il volere allora seguir l'opi- » nione benigna, sembra un operare » imprudentemente, e contra la ra- » gione conosciuta.

» Ho voluto scrivere ciò a V. R., » perchè il P. N. mi ha fatte alcune » difficoltà, volendo sostenere, che » ben potea seguirsi l' opinione per » la libertà, benchè fosse conosciuta » per *certamente meno* probabile; ma » io gli ho risposto a lungo, e final- » mente gli ho scritto, che siccome » io ho scrupolo di far confessare » chi seguita N., *così avrei anche* » *scrupolo di permettere, e far con-* » *fessare chi dei nostri volesse se-* » *guire l' opinione conosciuta per* » *certamente meno probabile.* Onde » gli ho scritto che ciò lo faccia sen- » tire a tutti i compagni di là. Ed » ora prego V. R. di farlo sentire a » tutti i fratelli di qua. Io non parlo » delle opinioni particolari, perchè » in queste ognuno si regola secon- » do il proprio dettame; ma parlo » del *Sistema generale, che voglio* » *che si tenga, acciocchè non ab-* » *braccino i nostri fratelli il vero* » *lassismo...* »

III.

Apologia della Teologia morale.... Napoli, 1769. - Homo Apostolicus, editio 3. Bassani 1770.

Anno 1767., plures Jansenismi fautores Agrigenti in Sicilia, quo melius perfidas suas doctrinas effunderent, acriter S. Alphonsi doctrinam impugnare coeperunt, quinimo integram ejus Theologiam moralem de damnando laxismo redarguebant.[3] Unde ut ipsis os penitus occluderet, S. Doctor anno 1769. novam Apologiam edidit inscriptam: « *Apologia della* » *Teologia morale, tacciata da ta-* » *luni per lassa, come seguace del* » *lasso sistema probabilistico, e spe-* » *cialmente della Opinione meno* » *probabile.* »[4] In exordio hujus Opusculi sic praeloquitur (§. *1. n. 1.*): « L'opera della mia Teologia morale » sento esser calunniata da taluni, » sul falso supposto, che io seguiti » il sistema del lasso Probabilismo. » Mi bisogna dunque, per disingan- » nare costoro, che con brevità e » chiarezza esponga al pubblico *la* » *sostanza del sistema, ch'io vera-* » *mente seguito.* »

Hanc integram Apologiam, S. Alphonsus anno sequenti 1770. latine redditam, inseruit tertiae editioni Compendii Theologiae moralis, inscripti: *Homo Apostolicus.* Qua de causa, opportunum ducimus quaedam ex textu latino subjicere, eo magis quia praefata editio (sicut et

1) Cfr. Catalogum auth. Epistolarum et Manuscr. S. A. ex processu Neapoli constructo n. 153.; et *Raccolta di lettere...* Roma 1815. Vol. 2. pag. 47. — 2) Vid. infra, cap. IV. §. 1 art. 5. n. 3. — 3) Vid. Tannoia, lib. 3. c. 43. — 4) Cfr. Vol. V. Collectionis Operum a S. Sede approb.

ipsa Apologia, italico sermone conscripta) Sanctae Sedis approbationem consecuta est. [1]

Tract. I. cap. III. n. 31. S. Alphonsus scribit: « Utrum autem li» ceat cum opinione probabili operari, tres adsunt sententiae, *pri*» *ma* quarum est, *ut possit quis li*» *cite sequi opinionem etiam minus* » *probabilem pro libertate, licet opi*» *nio pro lege sit certe probabilior.* » *Hanc sententiam elapsi saeculi* » *auctores* QUASI COMMUNITER *tenue*» *re; sed nos dicimus eam esse* LAXAM, » *et licite amplecti non posse.* [2] Ratio est, quia quando opinio pro lege est *certe* probabilior, tunc lex non est amplius *dubio stricto du*» *bia*, uti accidit (quemadmodum postea explicamus) cum opiniones tam pro lege, quam pro libertate, sunt AEQUE probabiles; sed est moraliter certa, quum habeat pro se fundamentum certum quod vera sit; ubi e contrario, opinio minus probabilis quae favet libertati, tale habet fundamentum, *ut vera non* » *sit,* ut remaneat *tenuiter,* sive *sal*» *tem dubie* probabilis *prae opinio*» *ne tutiore;* ideoque non est prudentia, sed imprudentia eam velle sequi. Quum enim intellectui certe appareat, quod veritas stet magis pro lege quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et sine culpa partem minus tutam sequi...» Dein hanc probationem iisdem verbis prosequitur, ut in citata 6. editione Theol. mor., et concludit: « Hinc » falsum illud Probabilistarum prin» cipium: *Qui probabiliter agit, pru*» *denter agit,* penitus reprobamus: » ut enim bene operemur, sola non » sufficit probabilitas, sed certitudo » moralis requiritur quod actio no» stra honesta sit.

» *32. Secunda sententia*, quam » hodie nunc quidam moderni tenent » scriptores, vult, ut tunc aliquam » quamdam opinionem, quae *libertati* » favet, sequi possimus, quum ipsa » sit *moraliter certa.* Sententiam » hanc existimamus *nimis rigidam,* » et quae illaqueat conscientias, tale » illis onus imponendo, ut nullas » alias opiniones sequi possint, nisi » quae moraliter certae sint; et *in* » *hoc Opusculo demonstrabimus, u*» *sum opinionum* AEQUE *probabilium* » *procul dubio licere.* Lectorem me» um rogo, ne propositionem hanc » meam contemnat, priusquam legat » totum id, quod *pro hac sententia* » afferam in medium. Contemnere » quod quilibet auctor dicit, quin » quod dicit, intelligatur, non est » neque charitas neque prudentia. » Legatur, et postea contemnatur.

» *33. Tertia* igitur, quae NOSTRA EST » SENTENTIA, dicit, quod *quum opi*» *nio quae libertati favet, est* AEQUE » *probabilis, atque opinio illa quae* » *legi favet, sine dubio et licite se*» *qui potest...* Ratio, quia inter duas » opiniones *aeque* probabiles non te» nemur sequi tutam: quia lex dubia » nequit certam inducere obligatio» nem, quippe quia lex dubia non » est sufficienter promulgata, ita ut » possit ad suam observantiam nos » obligare...»

Num. 75. S. Alphonsus addit: « *Quoad* MEUM *Systema* AEQUE *pro*» *babilis opinionis, illud evidenter* » *demonstrasse mihi suadeo,* quem» admodum credunt plures Antisti» tes, Abbates, religionum Superio» res et alii doctissimi viri, qui mihi » scripserunt, *sententiae quam cer*» *tos intra fines propugnavi, ne*» *minem adversari posse:* principium » enim, super quo praefata est mea

1) Vid. cit. Collectionis approb. Vol. II. *Homo Apostolicus...* (3. Tom. in 8.) *editio tertia, ad usum Seminarii Sanctagathensis, Bassani 1770.* Tr. I. cap. III. n. 31–79.

2) « Tre sono le sentenze circa l'uso lecito delle opinioni probabili: la prima è, che possa » lecitamente seguirsi l'opinione *anche meno probabile* per la libertà, ancorchè l'opinione „ per la legge sia *certamente più probabile. Questa sentenza è stata tenuta quasi co*„ *munemente dagli Autori del secolo passato; ma noi diciamo, ch' ella è lassa, e non* „ *può lecitamente abbracciarsi...*» (Apologia, n. 2.).

» sententia stabilita, nempe quod lex » dubia non obligat, quia non suffi- » cienter promulgata, dicunt esse » evidens atque certum. Et rogo le- » ctorem meum, ut legat epistolas » hujusmodi virorum, quae sunt in fi- » ne mei libri: *Usus moderati* etc. – [1] » *76.* Scio multos, ut dictum meum » librum legerunt, rigidam deseruis- » se sententiam... »

Quibus expositis, *n. 77.* subdit: « Hic opus est, ut ego quid circa » *meum Systema* moneam, quod est » omnino monendum; et est, quod » *cum dubitatur,* an opinio legi fa- » vens sit *aeque probabilis,* aut *pa- » rum probabilior,* tunc locum habet » idem principium, quod lex dubia » non obligat: tali enim casu, ipsa » lex non desinit esse *stricte dubia;* » nam tunc, quamvis aliqua pro lege » major adesset probabilitas; cum » *dubitatur,* an haec *major* proba- » bilitas adsit vel ne, praeponderan- » tia erit tam levis et minima, ut » nihili facienda sit, prae illo effato » communiter ab ipsis adversariis ad- » misso, quod: *Parum pro nihilo re- » putatur.* Secus autem esset, *quan- » do excessus esset evidens atque » certus,* quia tunc opinio legi favens » erit *certe et multum probabilior;* » et statuatur, quod cum opinio legi » favens est certe probabilior, tunc » est quoque multum probabilior; » ideoque tunc, uti a principio di- » ctum fuit, lex est jam moraliter » promulgata, ideoque obligat, et » est procul dubio observanda...»

Demum in *n. 79.* S. A. concludit hisce verbis notatu dignis: « Finem » huic opusculo impono. Ego pluri- » bus abhinc mensibus detineor le- » cto, quadam prae infirmitate, quae » verisimiliter me brevi luce pri- » vabit. *Communiter ajunt, quod » omnes homines alio modo loquun- » tur in vita, alio in morte,* quia » in morte sentiuntur illi conscien- » tiae stimuli, qui non percipiuntur, » seu ut melius dicam, non volunt » percipi in vita. *Ego tamen nullis » prorsus conscientiae stimulis exa- » gitor prae meo, quod propugnavi » circa probabile, Systemate; immo » religioni mihi esset, contrariam » tenere sententiam...* » [2]

Articulus 3.

Referuntur ultimae explicationes Systematis S. A. ab anno 1769. ad 1785.

I.

Duplex Epistola ad P. Blasucci, Rectorem Collegii Agrigentin. (Girgenti) in Sicilia. – Arienzo, 8. Aug. 1769. et 5. Aug. 1772.

I. – In Epistola de die *8. Augusti 1769.,* [3] S. Alphonsus agit de Systemate, quod in praefata *Apologia* eodem anno evulgata exposuerat, simulque motivum declarat, quo inductus fuerat ad illam publici juris faciendam. Quamobrem sequentia ex ipsa describere liceat:

1. «... In primo luogo le dico, che » io non parlo delle sentenze parti- » colari; in queste, ognuno dee se- » guir quella che gli detta la coscien- » za; parlo del *Sistema generale,* » intorno al seguire *la vera sentenza* » circa le opinioni probabili. Nel » che V. R. ha preso equivoco, per- » chè io non dico nel primo §., che » la vera sentenza è che sia lecito » seguire tutte le opinioni probabili; » ma dico, e intendo di provare *qua- » le sia la vera sentenza* circa l'uso » lecito delle probabili. – Mi ha pia- » ciuta poi la spiega fatta nella sua, » delle parole equivoche che io spie- » gavo in altro senso, avendo riguar- » do ad un'altra lettera da lei scrit- » tami molti mesi prima, ove mi » fece la difficoltà, che supposto il » principio che la legge dubbia non » obbliga, si deduceva potersi seguire

1) Vid. infra, cap. III. *§.* 2. art. 1. — 2) Textus italicos huic Versioni latinae respondentes cfr. in cit. *Apologia* approb., n. 2. 3. 4. 46. 47. 48. 50.— 3) Cfr. Catalog. auth. Epistolarum et manuscr., S. A., ex Processu Nuceriae n. 610.; et *Raccolta di Lettere...* Roma 1815. Vol. 2. pag. 52.

» anche la *meno* probabile. In quella » lettera, V.R. diceva così: « *Se dun-* » *que tal legge non può dirsi suffi-* » *cientemente promulgata* (cioè quan- » do è dubbia), *come potrà obligarci* » *a non seguitare la molto meno* » *probabile che resta nella vera pro-* » *babilità? perchè restringerci alla* » *sola* EQUIPROBABILE, *come dubbio* » *stretto?* etc. *Quindi vedo, da quan-* » *to di sopra ho notato della suffi-* » *ciente promulgazione della legge,* » *che V. R. difende* IL PROBABILE IN » GENERALE, NON L' EQUIPROBABILE » SOLO... » Ma ora sto quieto, mentre » V. R. in quest'ultima si è spiegata » chiaramente, esser lecito l'uso del- » l'*Equiprobabile*, perchè allora la » legge non è promulgata, ecc.

2. » V. R. si lamenta, che io non » ho fatta l'*Apologia* secondo il suo » desiderio; ma io non ho avuto altra » idea, che di mettere in quella *il* » *mio sistema* in maggior chiarezza. » Avevo inteso che in Palermo si » lagnavano, che io nella mia Mo- » rale, e i miei compagni seguitava- » mo il lasso Probabilismo; e ciò è » quello che mi ha mosso a far tale » *Apologia*. È vero, che tutto stava » già detto nel Libro: *dell'uso mo-* » *derato dell' opinione probabile;* [1] » ma perchè in quel libro stava il » mio Sistema confuso in mezzo a tan- » te opposizioni, e fallacie del P. N., » perciò pensai non solo per Sicilia, » ma per tutti gli altri luoghi, di » epilogare in breve la sostanza delle » ragioni e delle autorità, affinchè » la gente, senza legger molto, aves- » se avanti gli occhi il forte di un tal » Sistema.

» Dice V. R., che quando la sen- » tenza per la legge è *probabiliore* » *anche di un grado,* naturalmente » la mente è tirata ad abbracciarla. » Ciò io non lo nego; ma *quando* » *poi si dubita,* se questo grado su- » periore vi sia, o non vi sia; allora » dico, che la mente resta non già ti- » rata, ma solo sospesa; e ciò è quel- » lo, chè io ho spiegato più volte, di- » cendo, che *quando è* CERTO *esser* » *l'opinione rigida più probabile,* » *quella dee seguirsi; ma quando poi* » *è* DUBBIO, *se l'opinione rigida sia* » EGUALMENTE *probabile,* o UN POCO » PIÙ *probabile,* ma tanto poco più » che si dubita, se sia un poco più pro- » babile, o sia egualmente probabile; » in questo caso, dico, che *la legge* » *è strettamente dubbia,* e non può » dirsi promulgata; e perciò ella na- » turalmente non obbliga nè le co- » scienze dei letterati, nè quelle dei » semplici.

3. » Del resto dico, che quando la » rigida è CERTAMENTE *probabiliore* » ANCHE DI UN GRADO, *allora è an-* » *che* NOTABILMENTE *più probabile,* » perchè quella certezza della mag- » gior probabilità prova, che quella » probabilità è talmente preponde- » rante, che basta per far traboccar » la bilancia; e così *dico essere la* » *stessa sentenza certamente più* » *probabile, che la notabilmente più* » *probabile,* perchè se non fosse no- » tabile l'eccesso, non potrebbe far » traboccar la bilancia. Del resto, » semprechè dico, che quando la sen- » tenza è certamente più probabile, » quella deve seguirsi, è tolto ogni » equivoco, ancorchè sia più proba- » bile (ma certamente) di un solo » grado. Nell'*Apologia* io scrivo co- » sì: « *Quando apparisce all'intel-* » *letto con certezza, che la verità* » *sta più per la legge, che per la* » *libertà, allora non può la volon-* » *tà prudentemente e senza colpa* » *seguir la parte meno sicura.* » [2] Co- » me io lo potevo spiegare più chia- » ro? Dirà V. R. circa il punto di » *notabilmente* più probabile, che il » peso di dieci oncie è certamente » maggiore di quello di nove, con » tutto che l'eccesso non sia notabile. » Rispondo, che ciò corre in materia » *fisica;* ma in materia *metafisica* » circa i giudizi d'intelletto, dico, » che quando *l'eccesso è certo, è an-*

1) Cfr. supra, pag. 56. — 2) Cit. Apolog. n. 2. (cfr. supra, pag. 64. *n. 31.*).

» *cosa notabile; perchè se non fosse* » *notabile, non sarebbe certo, ma* » *ambiguo e dubbio,* e così non dimo- » strerebbe moralmente promulgata » la legge...

4. » Non creda poi V. R., che tut- » to il mondo tenga il sistema del » P. N., come lo tengono quelli di » Girgenti, che sono i veri pregiu- » dicati, per i maestri pregiudicati » che hanno avuti. Molti poi parlano » senza intendere il punto, e perciò » tanti uomini dotti in leggere il » mio Libro, si sono mutati e chia- » riti. E così io intendo quel: *Parum* » *pro nihilo reputatur,* cioè quando » l'opinione benigna è tanto meno » probabile, che si *dubita* che sia » un poco meno probabile, o *egual-* » *mente* probabile; perchè quando la » maggior probabilità per la legge » è così poca, che si dubita, se vi » sia, o non vi sia, ella non fa tra- » boccar la bilancia, nè dimostra che » la legge sia promulgata...

5. » Soggiungo un' altra parola » circa la vostra lettera. Sì, Signore, » *basta che la sentenza sia più pro-* » *babile* DI UN GRADO; ma intendia- » moci bene: questo grado ha da esse- » re tale, che mi faccia *certo,* che la » sentenza sia più probabile, e che mi » faccia vedere moralmente, o sia suf- » ficientemente promulgata la legge.»

II. – Cum praesertim in Sicilia quidam Probabiliorismi et Jansenismi fautores clamitabant, doctrinam *Aequiprobabilismi* a S. Alphonso propugnatam, laxismum redolere, S. Doctor in Epistola de die *5. Augusti 1772.,* [1] ad eumdem Patrem data, expressis verbis declarat, se nullatenus esse merum Probabilistam, sed potius Probabilioristam (eo scilicet sensu, quod, ceu passim affirmat S.A., doctrina a se propugnata, non solum probabilior sit quam rigida, sed probabilissima, imo et moraliter certa): « Ieri sera ricevei tre pieghi di V. R. » – A Targianni affatto non gli scri- » verò; costui è uno di quelli (come » mi scrisse un letterario di Lucca), » che parlano contro la probabile, » ma non l'intendono che viene a » dire nè probabile, nè probabiliore, » nè probabilissima. Seguitate a di- » re, che io, e tutti siamo Probabi- » lioristi; e questa è la verità, men- » tre io dico che *la probabile non* » *può seguitarsi come probabile,* » giacchè per operar bene, vi biso- » gna la certezza morale; onde la » sola probabilità non dà bastante » fondamento di operar bene; ciò, » sebbene io non l'ho scritto con que- » ste parole, nondimeno l'ho spiegato » in altri termini, avendo detto più » volte, che per operare rettamente, » vi bisogna la certezza morale, ed » avendo ritrovata come falsissima » la massima dei Probabilisti: *Qui* » *probabiliter agit, prudenter agit.* » Come dico, non ho spiegato la dot- » trina in questi termini, ma nella » nuova ristampa che vuol fare Re- » mondini della mia Morale, mi spie- » gherò in termini più espressi. [2]

» Quando poi l'opinione per la li- » bertà è *ugualmente* probabile, al- » lora non è che può seguirsi quella » opinione, perchè è probabile; ma » perchè allora l'opinione per la leg- » ge non obliga, perchè la legge non » è promulgata; allora è promul- » gato il dubbio, o sia la questio- » ne, se vi è, o non vi è la legge, » ma non è promulgata la legge, e » perciò allora la legge come non » sufficientemente promulgata, non » obbliga... Vi prego di far leggere » questo capitoletto a tutti i com- » pagni nostri, *acciocchè tutti di-* » *ciamo la stessa cosa.* È vero che » in Girgenti, come mi scrivete, nep- » pure ciò può dirsi, seguendosi costì » la tuziore; *ipsi videant:* mi dispiace » che le povere anime ci vanno per » sotto. Oh Dio, che tempi misera- » bili! il Giansenismo va in giro... »

1) Cfr. Catalog. auth. Epistol. loc. cit. n. 617., et *Raccolta di Lettere...* Vol. 2. pag. 56.— De hujus Epistolae causa et sensu, sermo fiet infra, cap. IV. *s.* 1. art. 5. *nota.* — 2) Vid. infra pag. 68. *Dico II.*

II.

Auctoris Monitum, pertinens ad quaestionem: An usus probabilium opinionum sit vel ne licitus aliquando? - 1773.

Anno 1773, Bassani in lucem prodiit *septima* editio Theologiae moralis, in qua « *Dissertatio de usu moderato opinionis probabilis* », Tractatui de Conscientia n. 55. (caeteris numeris similiter omissis) inserta, ad litteram concordat cum eadem, quae in priore editione de anno 1767. legitur. [1] – Verumtamen *in fine Tomi III. pag. 201.* S. Alphonsus adjecit: *Auctoris Monitum* etc., quod, cum maximi sit momenti in nostra disquisitione, paulo fusius de ipso agendum est.

1. Porro praesens *Monitum* (absque ullis numeris) sic exorditur: « Cum antea sententiam meam de » hac re alio modo protulerim in » Dissertatione, quam posui in *Tract.* » *de Consc. n. 55.*, operae pretium » duxi hic *luculenter sensum expo-* » *nere, quo ipsam sequor.* – Et I. » quidem dico, quod *si opinio, quae* » *stat pro lege, videatur* CERTE *pro-* » *babilior, ipsam omnino sectari* » *tenemur:* nec possumus tunc op- » positam, quae stat pro libertate, » amplecti. Ratio, quia ad licite ope- » randum, debemus in rebus dubiis » *veritatem inquirere et sequi:* at » ubi veritas clare inveniri nequit, » tenemur amplecti saltem opinio- » nem illam, quae *propius ad veri-* » *tatem accedit,* qualis est opinio » probabilior.

» Dico II. quod *si opinio, quae* » *stat pro libertate, sit* AEQUE *pro-* » *babilis,* ac altera quae stat pro » lege, *nec etiam ipsam quis sequi* » *potest, eo quod sit probabilis;* nam » ad licite operandum, sola non suffi- » cit probabilitas, sed requiritur mo- » ralis certitudo de honestate actio- » nis; juxta illud D. Pauli ad Rom. » 14. 23: *Omne, quod non est ex fide,* » *peccatum est.* Dicitur *ex fide,* nem- » pe ex certo dictamine conscientiae, » ita ut homo in sua conscientia per- » suasum sibi habeat, quod agendo » recte agat, prout explicant illud » *ex fide* S. Chrysost., S. Ambros., » et alii cum S. Thoma *qu. 17. de* » *Verit. art. 3.* Propterea in prae- » fata Dissertat. falsum reputavi ef- » fatum illud commune inter Pro- » babilistas, nimirum: *Qui probabi-* » *liter agit, prudenter agit.*

» Dico III. quod, *duabus* AEQUE » *probabilibus opinionibus concur-* » *rentibus*, quamvis opinio minus » tuta teneri non possit, quoniam (ut » diximus) sola probabilitas haud fir- » mum praebet fundamentum ad li- » cite operandum; tamen *opinio illa,* » *quae stat pro libertate,* cum ae- » quali potiatur probabilitate, ac op- » posita quae stat pro lege, *grave* » quidem *immittit dubium, an exi-* » *stat lex,* quae actionem prohibeat. » Ideoque eo casu, lex redditur in- » certa; lex autem incerta nequit » certam obligationem inducere... »

2. Quae descripsimus, in substantia omnino concordant cum exordio *Dissertationis* quae legitur in editione anni 1767. et in hac ipsa septima editione. Discrimen inter utramque redactionem in eo tantum consistit, quod S. Alphonsus, brevitati consulere volens, in summaria ista expositione omisit explicationem, quae incipit verbis: « *Dico aut certe...* » [2] – Verum haec ipsa explicatio paulo inferius in eodem *Monito* aliis verbis occurrit. Siquidem *pag. 203.* S. A. scribit: « *Dixi sub initio, quod* » *ubi opinio pro lege videtur* CERTE » *probabilior, eam sequi tenemur;* » *secus vero si est* AEQUE *probabilis,* » *ac opinio pro libertate.* Auctor » vero Ephemeridum mihi objecit, » quod haec secunda propositio pro- » bat nimis; nam si non teneremur » sequi opinionem pro lege, quando » opinio pro libertate est *aeque* pro-

1) Vid. supra, pag. 60. n. 2. — 2) Vid. supra, pag. 61. ad II.

» babilis, quia tunc lex est dubia; » *nec etiam teneremur sequi opinio-* » *nem pro lege, quando opinio pro* » *libertate esset* MINUS *probabilis;* » *quia etiam opinio minus proba-* » *bilis efficit, quod lex sit* DUBIA, *et* » *non sufficienter promulgata.* Sed » respondeo, quod *cum opinio tutior* » *est certe probabilior*, eo casu (ut » in principio hujus *Moniti* praemi- » si), *quamvis lex omnino certa non* » *sit*, tamen propter illam majorem » probabilitatem, *opinio pro lege vi-* » *detur moraliter verior*, et conse- » quenter etiam lex moraliter sive » sufficienter promulgata; et ideo *lex* » *nequit dici tunc omnino dubia,* » *dubio stricto;* remanet tantum eo » casu *aliquod dubium latum*, quod » non permittit ab opinione tutiore » discedere. *Cum autem opinio, quae* » *stat pro libertate, est* AEQUE *pro-* » *babilis, tunc adest* DUBIUM STRICTUM » *de existentia legis;* ac propterea, » sicut probavimus, non adest tunc » obligatio sequendi opinionem tutio- » rem, nec servandi legem, de qua » plene dubitatur an existat, vel non » existat.

» Insuper aliud hic advertendum » est. Dixi mox supra, quod si opi- » nio tutior apparet *certe probabi-* » *lior*, tenemur eam amplecti; adver- » tendum quod hoc procedit, *etiamsi* » *opinio illa tutior non sit magno* » *excessu probabilior; sufficit enim* » *ipsam esse* UNO TANTUM GRADU *pro-* » *babiliorem, ut eam teneamur se-* » *ctari.* Ceterum, in praxi loquendo, » opinio tutior difficulter apparere » poterit *certe* probabilior, nisi adsit » in probabilitate aliquis *notabilis* » excessus. Sed quidquid sit de hoc, » certum est, quod *cum dubitatur,* » an opinio tutior sit vel non *ali-* » *quantulum probabilior*, vel *omni-* » *no aeque probabilis*, quam altera » minus tuta, eo casu lex remanet » *vere dubia, dubio stricto;* ideoque » non adest tunc obligatio sequendi » tutiorem... »

3. Curnam autem hoc *Monitum* adjecerit, ipsemet S. Doctor declarat, videlicet, ut clarius exponeret ac firmius probaret, legem non posse subditos obstringere, nisi eis sit promulgata. – Unde *(pag. 201.)* scribit: « Mirabitur quis, me studuisse, tot » auctoritates hic congerere ad hanc » doctrinam probandam, quae a ne- » mine in dubium revocatur; sed *me* » *id fecisse sciat, quia ab ea sen-* » *tentiae meae firmitas pendet, nem-* » *pe quod lex dubia non obligat...* » Lex vero ut obliget, non tantum » promulganda est, sed etiam pro- » mulganda ut *certa.* Et hoc pun- » ctum firmiter est hic statuendum, » ideoque in eo perpendendo diutius » non frustra immorabor, cum plura » opus sit hic repetere, quae jam » scripsi in *Dissertat.* posita initio » Libri; enimvero ex hujusmodi fun- » damento firmitatem haurit nostra » sententia, nempe non posse legem » incertam certam obligationem im- » ponere... »

4. Quibus probatis, S.A. *(pag. 203.)* concludit: « Posito igitur principio » a D. Thoma tradito, ac satis su- » perque probato, nempe, quod: *Nul-* » *lus ligatur per praeceptum ali-* » *quod, nisi mediante scientia illius* » *praecepti,* quod idem est ac dicere, » non posse legem incertam certam » obligationem inducere; necessario » eruitur esse *moraliter certum, quod* » *ubi duae opiniones* AEQUE *proba-* » *biles concurrunt, non est obligatio* » *sequendi tutiorem.* Si quis autem » de hujus sententiae certitudine ra- » tionem exposcat, breviter ei ex » omnibus in hoc *Monito* probatis » respondebitur: *quia lex dubia non* » *obligat.* Et si quaerere perget, cur » lex dubia non obliget? respondе- » bimus hoc succincto argumento: » Lex non sufficienter promulgata » non obligat: *lex dubia non est suf-* » *ficienter promulgata* (quia, dum » lex est dubia, promulgatur suffi- » cienter dubium, sive quaestio, sed » non promulgatur lex): ergo lex » dubia non obligat... Haec tandem » sit conclusio hujus sententiae: *Spe-* » *ctata probabilitate* AEQUALI *utrius-*

» *que opinionis., homo dubius ma-*
» *neret, neque operari posset; spe-*
» *ctata autem vi legis, cum ipsa eo.*
» *casu non sit sufficienter promul-*
» *gata, non obligat, nec ligat.* Et
» ideo homo, utpote ab hujusmodi
» lege dubia non ligatus, redditur
» certus de sua libertate, et sic licite
» operari potest. *Hujus autem con-*
» *clusionis concinnatio fuit mihi*
» *motivum, ad praesens Monitum*
» *hic apponendum;* nam in praefata
» mea Dissertatione, licet eandem
» conclusionem tenuerim, tamen per
» viam longiorem eam probavi; hoc
» autem *Monito* per viam *breviorem*
» *et planiorem* eadem conclusio pro-
» bata apparet; *si quis autem eam*
» *negare velit, ipsi etiam quod sol*
» *luceat in meridie negare oporte-*
» *bit...* » [1]

III.

Dichiarazione del Sistema che tiene l'Autore, dintorno alla regola delle azioni morali... Napoli, 1774.

Doctissimam hanc Apologiam S. Alphonsus adjecit Operi, cui titulus: *Traduzione dei Salmi,* anno 1774. typis edito, et S. M. Clementi XIV. dicato. [2] Scopum, quem in hac nova Dissertatione sibi praefixerat, jam in exordio expressis verbis declarat S. Doctor, dum scribit: « *1.* Taluni » mi tacciano, dicendo ch'io son Pro» babilista. Io di nuovo mi dichiaro » in questa breve Operetta, *ch' io* » *non sono Probabilista, nè seguito* » *il Probabilismo, anzi lo riprovo...* » Del resto, io nell'ultima ristampa » fatta in Venezia della mia Morale, » nell'anno scorso 1772. in fine del » secondo Tomo [3] vi ho fatto ponere » un Avvertimento col nome di *Mo-* » *nitum,* dove succintamente ho po- » sto più in chiaro *il Sistema, ch'io* » *tengo circa l' uso delle opinioni.*

» *2.* Accenno qui brevemente quel » che in detto *Monito* sta più diste- » so. Io dico per I. che *quando l'o-* » *pinione che sta per la legge, ci* » *apparisce* CERTAMENTE *più proba-* » *bile, quella dobbiamo seguire;* per » più ragioni, delle quali la più prin- » cipale si è, perchè noi ne' dubbj » morali dobbiam seguire la verità; » onde dove non possiamo chiara- » mente ritrovar la verità, almeno » seguir dobbiamo quella opinione, » che più si accosta alla verità, qua- » le appunto rispettivamente è l'o- » pinione, che ci apparisce più pro- » babile; onde la stessa verità, che » ci obbliga a doverla seguire, ci » obbliga ancora a seguire quella » opinione, che sta per la legge, » quando ella più si accosta alla me- » desima verità.

» *3.* Dico per II. che *quando l'o-* » *pinione che sta per la libertà, è* » UGUALMENTE *probabile,* che quella » che sta per la legge, *neppure pos-* » *siamo seguirla per la ragione ch'è* » *probabile;* perchè per operar leci- » tamente, non basta a noi la sola » probabilità dell' opinione, ma vi » bisogna la certezza morale dell'o- » nestà dell'azione; massima indubi- » tata anche presso i Probabilisti, » secondo il testo di S. Paolo: *Omne* » *quod non est ex fide, peccatum* » *est.* Rom. 14. 23. Ond'io sempre ho » stimato falso quel principio adot- » tato da' Probabilisti: *Qui probabi-* » *liter agit, prudenter agit;* mentre » chi opera senza la moral certezza » dell'onestà della sua azione, non » prudentemente, ma imprudente- » mente opera. E pertanto dico, che » non solo *è illecito operare secondo* » *l' opinione meno probabile,* che

1) In recentioribus quibusdam Operum S. A. collectionibus legitur: « *Dissertatio quarta... juxta editionem Bassanensem 1773.*» Quaenam sit ista Dissertatio, jam supra diximus pag. 49. not. 4.— 2) Vid. Vol. XI. Collectionis Operum a S. Sede approb.— 3) Rectius: « nell'anno 1773., » in fine del *terzo* Tomo...» Quocirca notandum est, praedictum Opus: *Traduzione* et Opusculum: *Dichiarazione,* anno 1774, typis evulgata, a S. Doctore jam anno 1773. conscripta fuisse, ut patet ex Revisorum approbationibus, praefato Vol. XI. praemissis. Item *septima Theologiae moralis editio,* quae nonnisi anno 1773. in lucem prodiit, jam ineunte anno 1771. Censorum approbationi subjecta fuerat (cfr. cit. edit. in princ. pag. X.).

» sta per la libertà, ma *neppure* » (parlando per sè) *secondo l'opinio-* » *ne più probabile, quando l'altra* » *che sta per la legge, anche è pro-* » *babile*, benchè meno probabile ; » perchè allora neppure si ha la cer- » tezza morale, necessaria a deponere » adequatamente il dubbio ; stante » che quell'opinione meno probabile » per la legge anche può esser vera. » Sicchè *io non sono nè Probabilista,* » *nè Equiprobabilista,* in modo ch'io » dica essere *per sè* lecito il seguire » l'opinione *equiprobabile*.

» *4.* Dico non però per III. che » *quando vi sono due opinioni* EGUALMENTE *probabili,* benchè l'o- » pinione meno tuta per sè non possa » seguirsi, mentre (siccome ho detto) » la sola probabilità non dà fonda- » mento bastante a lecitamente ope- » rare ; nulladimeno, quando l'opi- » nione che sta per la libertà, è *di* » *egual peso di ragioni,* che l'oppo- » sta che sta per la legge: (ho detto » *di egual peso,* perchè quando fosse » meno probabile, già si è detto di » sovra, che allora dee seguirsi l'o- » pinione che sta per la legge, la » quale benchè in qualche modo an- » che sia dubbia, il dubbio nondi- » meno è *largo*); ma quando è *di* » *egual peso,* allora entra *il dubbio* » *stretto e rigoroso,* che fa sospen- » dere affatto il giudizio della men- » te, se la legge vi sia, o non vi sia; » onde s'ignora allora l'esistenza del- » la legge, che proibisca l'azione. E » perciò in tal caso la legge non si » può dire sufficientemente promul- » gata; allora solo è sufficientemente » promulgato il dubbio, se vi è, o » non vi è la legge, ma non è pro- » mulgata la legge; e pertanto, non » essendo allora la legge promulga- » ta, non può ella indurre obbligo » certo di osservarla... »

Hoc suum Systema S. Alphonsus dein fusius evolvit et invicte probat, innixus inconcusso principio, quod lex non sufficienter promulgata est lex dubia, ac proinde nullam obligationem inducens. - Idem etiam confirmat S. Doctor in *Appendice* huic Opusculo adnexa, dum dicit *n. 16:* « Noi diciamo, che l'uomo allora è ob- » bligato ad osservar la legge, quan- » do attualmente quella gli vien pro- » mulgata. Ho detto : *ad osservar* » *la legge,* perchè altro è l'esser » tenuto ad osservar *la legge* già » conosciuta, altro è l'esser tenuto » a seguire *l'opinione,* che sta per » la legge non ancora conosciuta. » - Et ibidem *n. 20.* egregie subdit: « A chi poi dicesse, che nel concorso » delle due opinioni probabili, la » legge, se non è certamente pro- » mulgata, almeno è promulgata *pro-* » *babilmente,* e perciò dee prefe- » rirsi l'opinione che sta per la leg- » ge ; per prima si risponde, che » per questo *Perciò,* o sia per que- » sta conseguenza, non vi è ragione » che la sostiene ; perchè la retta » ragione detta (come di sovra nel- » l'Opera già si è notato), che do- » vendo esser certo l'obbligo che im- » pone la legge, non basta che la » promulgazione della legge sia pro- » babile: ma siccome è *certo l'obbligo,* » così anche deve esser *certa la leg-* » *ge,* e *certa la promulgazione* della » legge. Ma la seconda risposta più » convincente si è, che quando l'opi- » nione che sta per la libertà, è *di* » *peso eguale* a quella che sta per » la legge, allora *l'opinione per la* » *legge neppure è probabile, ma* » *solamente è dubbia ; poichè le due* » *opinioni in tal caso non partori-* » *scono probabilità, ma solamente* » *un mero dubbio, perchè allora* » *l'una opinione toglie la forza* » *all'altra di probabilità.* »

Concludimus demum hisce ponderosis S. Alphonsi verbis: « *49. Io su* » *questa materia,* PER LO SPAZIO DI » TRENT' ANNI *in circa, ho letti in-* » *numerabili Autori, così rigidi,* » *come benigni, e continuamente* » *fra questo tempo ho cercato lume* » *a Dio, per fissare il Sistema ch' io* » *dovea tenere per non errare. Fi-* » *nalmente,* come ho dichiarato a » principio di questa Operetta, HO

» FISSATO IL MIO SISTEMA... - *50.* Io » mi protesto, che quanto ho scritto » su questa materia, non ho scritto » per acquistar nome di Letterato, » ma solo per la gloria di Dio, e » per la salute delle anime. Ho scrit- » to *contra gli Autori troppo beni-* » *gni* (da' quali ho ricevuti lamenti, » e disprezzi) per non veder la Mo- » rale cristiana allargata dalla smo- » derata libertà di opinare, chiamata » da Alessandro VII: *Modus opi-* » *nandi alienus omnino ab Evan-* » *gelica simplicitate;* poichè seb- » bene il Signore desidera la salute » delle anime, nondimeno vuole che » sieno osservate le sue leggi. Ho » scritto ancora *contro gli Autori* » *troppo rigidi,* per non vedere il- » laqueate le coscienze, e poste le » Anime in pericolo di perdersi per » lo smoderato rigore... *Onde la mia* » *sentenza mi sembra incontrasta-* » *bile...* »[1]

IV.

Theologia moralis.... Editiones 8. et 9. - Bassani 1779. et 1785.

1. Hisce fusius expositis et descriptis de singulis S. Alphonsi Dissertationibus et Apologiis moralibus, pauca nobis de utraque hac Editione dicenda remanent. - Ad OCTAVAM quod attinet, S. Doctor brevitatis causa numerum *53.* coarctavit, praetermittendo explicationem (caeterum non necessariam) in qua lectorem, in 6. editione, ad Dissertationem remittebat (cfr. supra, pag. 60. art. 2. punct. I. n. 1.), ita ut in praedicto numero sequentia tantum legantur: « Secus tamen dicendum de » opinione, quae est probabilis pro- » babilitate juris; tunc enim quisque » licite uti potest opinione illa, for- » mans sibi conscientiam moraliter » certam de honestate suae actionis. » Explanata demum opinionum na- » tura, *nostrum Systema* exponi- » mus. » - Dein, omisso integro textu numeri *54.*, statim incipit, absque ullis numeris, nec arabicis, nec romanis, Dissertatio primum inscripta: « MORALE SYSTEMA, *pro delectu* » *opinionum, quas licite sectari* » *possumus.* »

2. Hoc porro Systema duplici parte constat, videlicet *Monito* quod S. Alphonsus anno 1773. Tomo III. septimae editionis Theologiae moralis adjecit. Siquidem incipit: « *Dico I.* » *quod si opinio, quae stat pro lege,* » *videatur certe probabilior,... qua-* » *lis est opinio probabilior. Dico II.* » *quod si opinio, quae stat pro li-* » *bertate... prudenter agit. Dico III.* » *quod duabus aeque probabilibus* » *opinionibus concurrentibus... obli-* » *gationem inducere...* »[2] Deest ergo explicatio: *Dixi: aut certe* (probabilior)..., a S. A. in editione 6. post primam propositionem adjecta, in praefato autem *Monito,* brevitatis causa, ab ipsomet omissa.[3] Ista tamen explicatio, ut jam supra advertimus (pag. 68. n. 2.), in eodem *Monito* aliis verbis occurrit. Falso igitur asseverat P. Ballerini, ipsam a Bassanensi editore fraudulenter avulsam esse (cfr. infra Cap. IV. §. 1. art. 1.).

3. Post triplicem enunciatam propositionem, sequitur (paucis quibusdam immutatis) *textus supradicti Moniti.* Quo terminato, duo *Principia,* quemadmodum in 6. et 7. editione, diffuse exponuntur; eo solo discrimine, quod S. A. hic eadem Principia seu axiomata exhibet veluti *Corollaria,* quae ex principio generali, legem non sufficienter promulgatam, nullam vim obligandi habere, descendunt. In citatis enim editionibus dixerat: « *Duo sunt prin-* » *cipia,* quibus innixus licitum usum » tueor opinionis probabilis. Pri- » mum, quod *lex dubia in conflictu*

1) Ut adversariorum calumnias retunderet, S. Doctor, licet unum et octoginta jam annos natus, anno 1777. aliam exaravit Theologiae moralis Apologiam, eamque Regi utriusque Siciliae obtulit. — Cfr. Tannoia, lib. 4. c. 8. pag. 616.

2) Vid. pag. 68. punct. II. n. 1. — 3) Pag. 68. n. 2., et pag. 61. ad II.

» *duarum opinionum* AEQUE *proba-* » *bilium non obligat;* quia dubia » lex non est sufficienter promulga- » ta. Alterum, quod *lex incerta ne-* » *quit certam obligationem indu-* » *cere,* quia legis obligatio posterior » est ad libertatem, qua homo est » donatus a Deo. Et in hoc adver- » tendum.... » (cfr. pag. 62. *VIII.*).- In hac vero *octava editione* dicit : « Ex hac autem doctrina S. Thomae, » nempe quod lex non habet virtu- » tem obligandi, nisi sit promulgata » et innotescat, duo *Corollaria* de- » scendunt, quibus praefata nostra » Dissertatio magis solidatur : pri- » mum, *quod lex dubia non obligat;* » secundum huic annexum, *quod lex* » *incerta nequit certam obligatio-* » *nem inducere.* - Hinc subdimus : » *Corollarium primum: Lex dubia* » *non obligat...* » [1] Haec ipsa autem *Corollaria* (si prioris initium excipias) ad litteram concordant cum duobus *Paragraphis* qui leguntur in 6. et 7. editione de annis 1767. et 1773.

4. Nec ad praedictam suam assertionem de fraudulentis mutilationibus firmandam, cl. Ballerinius objicere potest, hanc *octavam* Theologiae moralis editionem, inscio aut inconsulto S. Alphonso, ab editore Bassanensi evulgatam fuisse. Plures enim in ea occurrunt immutationes, quarum auctor alius esse nequit nisi ipse Sanctus, licet tunc temporis tertium et octogesimum annum jam attigerit. - Sic 1°. in Praefatione suppressit verba : « *Non autem hic* » *mens mihi est loquendi de quae-* » *stione illa, an liceat sequi opi-* » *nionem minus probabilem in con-* » *cursu probabilioris...* » (vid. infra, Cap. IV. §. 1. art. 4. n. 5. et 8.); e contra vero, in fine ejusdem Praefationis (quod in nulla priori editione fecerat) lectorem ad *Systema morale* remittit, dicendo : « *Si au-* » *tem observare vis, quodnam Sy-* » *stema tenendum ipse censeam,* » *circa moralium opinionum ele-* » *ctionem, vide Cap. 3. in Tract.* » *de Conscientia probabili, pag. 6.* » *num. 53. et seq.* » 2°. Coarctavit Dissertationem prolegomenam P. Zachariae, retinendo tantum Caput III. secundae partis didacticae, inscriptum: *De Romanorum Pontificum Decretis.* 3°. Ex integro omisit brevem Tractatum de Conscientia *Busembaumii,* ponendo tantum novum Tractatum, quem sextae editioni an. 1767. inseruerat. Qua de re lectorem advertit in Monito huic Tractatui praefixo: « *Adverte lector be-* » *nevole, quod primum hunc Tra-* » *ctatum de Conscientia, quo aditus* » *ad universam Moralem Theolo-* » *giam aperitur, speciali studio a* » *me elucubratum pro faciliori alu-* » *mnorum meorum instructione,* » *apponere volui...* » 4°. In fine Tomi III. pag. 204. secundo Elencho Propositionum reformatarum, *tres novas* inseruit, videlicet Prop. XV. XVI. et XXVI.

5. Haec de *octava* Editione. NONA vero *a S. Sede approbata,*[2] quae biennio ante S. Doctoris obitum in lucem prodiit, aliud non est nisi *mera Reimpressio editionis octavae,* speciatim quod ad *Systema morale* attinet, quin aliquid vel praetermissum, vel adjunctum, aut immutatum sit.

CONCLUSIO HUJUS CAPITIS.

1. Ex hisce documentis allatis luce clarius patet, Systema morale a S. Alphonso constitutum, et ad mortem usque totis viribus propugnatum, non esse communem et simplicem Probabilismum, sed illud quod jure merito vocatur *Aequiprobabilismus.* Patet etiam, quid sentiendum sit de assertione cl. Ballerinii, nihil reapse in S. Doctoris Operibus occurrere, quod eum a simplici Probabilismo primitus propugnato, aliquando discessisse suadeat. - Etiamsi autem S. A. primitus

1) Cfr. in recentior. edit. Mechlinien., Ratisbon., et Taurin., n. 68. in fine.— 2) Cfr. Vol. 1. (tribus Tomis in 4°.) Collectionis Operum a S. Sede approb.

huic systemati adhaesisset (quod tamen ex documentis adductis, nullatenus concedendum est), sententiam suam non semel tantum nec indirecte, sed directe, expresse et formaliter retractasset.

2. Adde, quod etsi S. Alphonsus in prioribus suis scriptis simplici et communi Probabilismo favisset, *genuina et vera ejus sententia* (quemadmodum et cujusvis auctoris) *quaerenda est* non in istis, sed *in posterioribus*, et maxime in iis quae paulo ante mortem evulgavit; haec autem tam clare et aperte doctrinam *Aequiprobabilismi* propugnant, ut cum ipso S. Alphonso dicere possimus: « *Si quis eam negare velit, ipsi etiam quod sol luceat in meridie, negare oportebit.* »[1]

3. Constat demum, S. Doctorem majori semper claritate et concinnitate Systema suum exposuisse et perfecisse; ita ut (juxta triplicem Articulum secundi §.) in Systematis evolutione tres distingui possint epochae. In prima enim *explicite* docuit Aequiprobabilismum, quem implicite antea docuerat. In secunda, quasdam introduxit emendationes circa partem Systematis, quae respicit *Cessationem legis*. In tertia tandem magis determinavit qualitatem *Opinionis certe probabilioris* obligantis, dicendo sufficere *unum gradum* praeponderantiae, modo sit certum.

CAPUT III.

S. ALPHONSUS VERUS AEQUIPROBABILISMI AUCTOR.

Quo clarius eluceat S. Doctoris meritum, opportunum ducimus paucis hic exponere, S. Alphonsum revera primum esse, qui, tot inter Scriptores morales, maximi etiam nominis, Systema morale sanum, irreprehensibile, omnibusque numeris absolutum constituerit, quod Aequiprobabilismi nomine venit. Cumque P. Ballerini id negare non dubitet, atque hunc in finem etiam ad auctoritatem extrinsecam confugiat, ostendemus, Scriptores disciplinae moralis, tum S. Alphonsi coaevos, tum recentiores, Aequiprobabilismum communiter ipsi adscribere. — Ex quibus patebit, S. Doctorem revera et *esse*, et *communiter dici* Aequiprobabilismi Auctorem.

§. 1.

Inter Scriptores morales, solus et primus est S. Alphonsus, qui Systema ex omni parte absolutum constituerit, quod merito Aequiprobabilismi nomine venit.

Articulus 1.

Ante S. Alphonsum, quaestio de licito usu opinionis probabilis perfecte soluta non fuerat.

I. Inter quaestiones, quae in Theologia morali agitantur, nulla existit gravior majorisque momenti, quam illa de *Probabilismo*, i. e. quaestio: An, in casu particulari, si de existentia aut cessatione alicujus legis divinae vel humanae certo non constat, opinionem probabilem sequi liceat. Etenim a principiis vel regulis, quae hac in re statuuntur, judicium pendet, quod in qualibet materia controversa de singulis opinionibus ferendum est. — Veteres DD. quaestionem hanc nonnisi per incidens attigerunt; cum autem saeculo XVI., Recentiores Theologiam moralem a dogmatica segregatam

1) Vid. pag. 70. punct. II. in fine.

systematice pertractare inceperint, quemadmodum multae aliae quaestiones, et ista speciatim proposita et ex professo discussa fuit.

II. Porro gravissima quaestio de Probabilismo duas cardinales complectitur. Quaeritur namque primo generatim: *An in dubiis moralibus, opinione probabili uti liceat;* et, si affirmative respondetur, ulterius quaeritur: *Quaenam probabilitas requiratur vel sufficiat,* seu, sub quibusnam conditionibus opinionem probabilem in favorem libertatis amplecti et sequi liceat.

1. *Prima Quaestio* utique jam ante S. Alphonsum soluta fuit a permultis Theologis, qui rectam solutionem *affirmativam* strenue propugnaverunt contra Tutioristas qui contendebant, non licere sequi opinionem in favorem libertatis, nisi moraliter certa sit, aut saltem probabilissima seu morali certitudini proxima. De hisce Theologis loquitur S. A. in Apologia contra tutioristam Adelphum Dositheum (P. Vincentium Patuzzi): « Io non ho lo » spirito di profezia; nondimeno ho » questo sentimento, che non mai la » Chiesa dichiarerà per vera la sen- » tenza del mio oppositore: cioè che » non sia lecito far uso di altre » sentenze, se non di quelle *che sono* » *moralmente certe con giudizio* » *diretto.* E dico ciò, appoggiato » non *alle mie sole riflessioni* ed al » mio debole talento, ma a quel che » hanno scritto *tanti Teologi,* e spe- » cialmente il *maestro Angelico,* » uomo così illuminato da Dio, e di- » chiarato già Dottore dalla Chie- » sa. » [1] – Auctoritatem aliorum Theologorum adducit S. Alphonsus; sed idcirco nequaquam dicendus antiquiorum Doctorum sententias *mere allegasse,* nec recentiores excripsisse; quin potius solida et subtili Tutioristarum refutatione, omnes qui antecesserant, exsuperat.

Bartholomaeus Medina, Ordinis Praedicatorum, primus fuit, qui anno 1577. quaestionem de Probabilismo proposuit; et ideo minus recte a quibusdam supponitur, eamdem jam a S. Thoma, a S. Raymundo de Pennafort, vel ab alio quopiam anteriore diremptam fuisse: quamvis ex eorum operibus excerpi deinceps laciniae potuerint, quae alterutri sententiae favere viderentur. Neque hoc mirum est. Finge enim, novam quaestionem hodie excitari. Quid contingit? Antiquiorum Doctorum opera evolvuntur; et quidquid in ipsis, licet indirecte et remote ad hanc quaestionem faciens invenitur, nec non omnes sententiae eam aliquo modo attingentes, colliguntur. – Hoc idem dicas circa quaestionem de Probabilismo. Plures hujusmodi sententiae in variis operibus *S. Thomae* reperiuntur, et quidem praecipue tres, quarum prima: « *Promulgatio necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem* »; [2] altera: « *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti* »; [3] tertia demum: « *Et hoc* (quod Deus vult hominem velle) *homini praecipue innotescit per praeceptum divinum.* » [4] Hisce sententiis utique praecipua delineantur fundamenta, quibus refutatio Tutioristarum innititur; verumtamen nemo non videt, ipsas *uberiori explicatione, commentatione* et *evolutione,* nec non *aliis argumentis indigere;* praesertim cum et adversarii Doctorem Angelicum sibi vindicare studuerint. Quapropter rectissime S. Alphonsus dicere potuit, suam sententiam eamdem esse, quam tenet S. Thomas; verum non eo sensu, quod jam omnia, omnique ex parte prompta et expedita in Angelico habeantur.

Idem dicendum est de *S. Raymundo de Pennafort,* de *S. Antonino,* deque caeteris antiquioribus. Imo etiam quidam inter minus antiquos

1) *Apologia....* Bassano 1765. §. V. pag. 195. — 2) 1. 2. q. 90. art. 1. — 3) Opusc. *de veritate,* q. 17. art. 3. — 4) 2. 2. q. 104. art. 4. ad 3.

tam perfunctorie, vel breviter controversiam disceptarunt, ut a posterioribus potuerint aliquando laudari, sed illis amplam uberemque segetem quam decerperent, praebere nequiverint. – Sic *Lessius* nullibi data opera agit de Probabilismo, sed obiter tantum materiem aliquando attingit; itemque *Bonacina* [1] totum hoc argumentum tribus pagellis expedit atque absolvit. Haec de prima quaestione.

2. Quod autem ad secundam attinet, qua scilicet disceptatur *quaenam probabilitas requiratur*, seu sub quibusnam conditionibus opinionem probabilem in favorem libertatis amplecti liceat: *haec quaestio tempore S. Alphonsi nequaquam soluta fuerat.*

Suarez, Lugo, Lessius et *Bonacina* utique usum opinionis probabilis in favorem libertatis in genere admittunt; et negant, illam tantum opinionem sequi licere, quae probabilior est altera pro lege militante. Verumtamen distinctius non explicant, quaenam probabilitas requiratur aut sufficiat, nullasque regulas hac ratione definiunt. – Sed versus medium saeculum XVII., plerique Auctores docuerunt, licere usum sententiae probabilis in favorem libertatis, etsi opposita pro lege militans *certe et ideo notabiliter probabilior* sit. [2] Imo aliqui tenuerunt, *quamcumque probabilitatem* sufficere, et licere sequi opinionem tenuiter, vel saltem probabiliter tantum probabilem. Alii vero dixerunt, opinionem, quae ab *aliquo Theologo* adseritur, jam pro *satis probabili* habendam esse.[3] Non potuit non fieri quin hujusmodi principia *re-*

1) De peccatis, disp. 2. q. 4. punct. 9. — 2) Cfr. supra, pag. 33. art. 2.

3) Unum saltem testem allegabimus. Lacroix Lib. 1. tr. 1. De Conscientia inquit: « *301.* Ex dictis infertur 1°. *Licitum esse operari secundum probabilem, licet evidens sit, oppositam esse probabiliorem;* uti habet communis cum Illsung, contra Gonzalez, Esparsa, Terillum; manent enim rationes positae. — 2°. Licitum esse cuivis, consulere plures homines, qui habentur communiter probi et docti, inquirendo, *an forte inventurus sit aliquem probabiliter excusantem*, v. g. ab obligatione restitutionis; si enim huic proposuerit rationes oppositas aliorum, et hic eas mature considerarit, ac censeat non esse convincentes, nec elidere certam probabilitatem suae sententiae, consulens tuto sequetur hunc, uti docent Sanchez.... — *366.* Quaer. *An sit licitum operari secundum opinionem tenuiter vel dubie tantum probabilem?* Respondeo: Non est, per se loquendo, licitum operari secundum opinionem tenuiter tantum probabilem... Dixi: *per se loquendo;* nam in gravissima necessitate, et quando opinio tutior non posset reduci ad praxim, licitum esset operari secundum opinionem tenuiter probabilem...»

« *368.* Quaeritur: *An licitum sit sequi sententiam, quae probabiliter tantum est probabilis?* Respondeo. Negant Terillus, Lumbier et Filguera apud Cardenam, et alii; quia talis opinio videtur esse tantum tenuiter vel dubie probabilis. E contra *affirmant* Tamburini, Illsung, Bauholtzer; quia dicere esse probabiliter probabilem, idem est ac dicere, quod omnibus expensis, possit prudenter judicari pro ea esse gravem rationem, et consequenter, quod pro ejus veritate sit grave motivum, adeoque *vix discrimen erit inter opinionem certo, et probabiliter tantum probabilem:* v. gr. si homo ignarus consulat doctum Theologum, quod hic resolvet, erit illi tantum probabiliter probabile, cum ipsemet non capiat fundamenta, et tamen, inquiunt, recte format sibi conscientiam secundum responsum illius Theologi; idem dicunt de opinionibus, quae probabiliter tantum inferuntur ex aliis certo probabilibus... Haec sententia est probabilis; in quaestione tamen de nomine, malo absolute dicere, opinionem, secundum quam formatur conscientia, debere esse certo probabilem: ne quis se periculo exponat formandi conscientiam secundum opinionem tenuiter vel dubie tantum probabilem. »

« *377. Si quis judicet opinionem alienam esse probabilem, quamvis videatur esse falsa,* ideoque spectatis principiis directis, usus illius videatur esse illicitus, *si tamen de hoc certus non sit, valde probabile est, quod ex principiis reflexis possit sibi formare prudens dictamen, et secundum eam opinionem operari*, dicendo: judico quidem opinionem illorum esse falsam; quia tamen hoc mihi incertum est, et auctores me sapientiores, qui opinionem possunt reddere certo probabilem, dicunt illam esse veram, ego quoad hanc operationem me accommodabo illis, et interea praescindam a directa opinione mea; ita absolute tenent Azorius, Vasquez, Lessius, etc. — *378.* Dixi: *valde probabile esse;* nam non est opus hoc defendere, sed satis est dicere, quod liceat sequi opinionem, de cujus probabilitate scitur, et de cujus falsitate absolute ferri non potest judicium: quod raro etiam fieri potest, uti fatetur Esparsa. » — (Vid. infra, pag. 81. *not.*)

laxationem disciplinae moralis inducerent; et id revera obtigisse, patet ex longa serie propositionum laxarum, quas Alexander VII., Innocentius XI. et Alexander VIII. damnaverunt. - Non defuerunt quidem Doctores, qui usum opinionis probabilis non admiserunt, si opposita legi favens notabiliter probabilior est, et secundum hanc regulam singulos casus solverunt; sed nullus reperitur, qui eam *methodice* exposuerit et in *Systema* redegerit.

Ex adverso autem steterunt *Tutioristae rigidi,* moralem certitudinem requirentes, quorum sententiam Alexander VIII. damnavit; *Tutioristae mitiores,* usum opinionis probabilissimae admittentes; et demum *Probabilioristae,* docentes, opinione in favorem libertatis notabiliter probabiliore uti licere.

III. In hac sententiarum varietate, vel potius (ut cl. Professoris nostri verbis utamur) « *in miserrima illa » opinionum invicem pugnantium » colluvie,* » [1] opus erat Viro eminenti doctrina et insigni sanctitate praedito, qui, omnium partium studio alienus, soloque majoris Dei gloriae et salutis animarum zelo ductus, sanum, sapiens et irreprehensibile Systema constitueret. Hoc autem egregie (cfr. dicta in Cap. I.), et solus quidem, praestitit zelantissimus Doctor, *S. Alphonsus,* qui, ceu ipsius S. Sedis oraculum nos edocet, *divinitus Ecclesiae datus est... ad morum doctrinam tuendam.* [2]

Articulus 2.

Speciatim perpenditur doctrina Eusebii Amort circa licitum usum Opinionis aeque probabilis.

I. Ne quis forte objiciat, immerito S. Alphonsum censeri Auctorem Aequiprobabilismi, quia, paulo ante S. Doctorem, praesertim Eusebius Amort eamdem thesim expresse adseruit et propugnavit; hanc objectionem absque responsione praetermittere non possumus. Etenim Amort, dum thesim propugnat « opinionem *aequaliter* probabilem sequi licere, non autem opinionem *notabiliter minus* probabilem in favorem libertatis », in ea explicanda et demonstranda *prorsus a S. Doctore nostro dissidet,* imo ex parte in sententias toto coelo oppositas abit.

1. In Tractatu de Conscientia, Disp. 2. §. 4. n. 9. quaestionem proponit: « *An liceat sequi sententiam notabiliter minus probabilem?* » et respondet: « *Non licet sequi.* Probatur 1. Qui sequitur sententiam notabiliter minus probabilem, agnoscit, suam actionem probabilius esse prohibitam; sed talis non agit licite; ergo. Minor probatur. Qui agnoscit, suam actionem esse probabilius a Deo prohibitam, non judicat suam actionem esse licitam; sed talis non agit licite; ergo. Major patet; quia non potest homo judicare, illud esse verum, quod agnoscit probabilius esse falsum. Minor probatur. *Omne quod non est ex fide,* juxta Apostolum, Rom. 14. v. 23. *peccatum est.* Ergo qui non judicat, suam actionem esse licitam, non agit licite. - Si dicas, Apostolum loqui de judicio *practico,* et non de judicio *speculativo.* Contra est. *Totis sedecim saeculis, Ecclesia non agnovit distinctionem inter judicium speculativum et practicum, inter judicium directum et reflexum;* imo ridiculus foret totus discursus Apostoli l. c., si supponeret, judicium practicum posse esse diversum a judicio speculativo; quia admissa hac distinctione, everteret seipsum et totam suam doctrinam ibi traditam. Ergo habetur ex constanti traditione Ecclesiae, eum non agere licite, qui judicio speculativo ac directo agnoscit, suam actionem probabilius esse prohibitam a Deo. »

2. At vero, respuendo distinctionem inter judicium speculativum et

1) Cfr. pag. 1. ad II. — 2) Gregor. XVI. in Bulla Canoniz. §. 1. 7.; et Breve Leonis XII. 19. Febr. 1825.

practicum, inter judicium directum et reflexum, *communissimae Doctorum sententiae contradicit Eusebius Amort.* - S. Alphonsus, in morali Systemate [1] ait: « Ex principio autem tam firmiter et multipliciter » a D. Thoma probato, nempe, quod » lex non promulgata non habet virtutem obligandi, certa descendit » praefata prima conclusio, quod *lex dubia non obligat.* Hujusmodi conclusio probatur ex eo, quod *certum et exploratum communiter est inter omnes doctores,* quod certitudo moralis alicujus sententiae, » si non probatur ex aliquo certo » principio *directo,* probetur tamen » ex alio principio *reflexo* pariter » certo. » - Et revera soli *Tutioristae* judicium *directum* de certitudine cujusvis sententiae exigunt; sed né isti quidem sibi congruunt, et passim in singulis casibus usum judicii *reflexi* admittunt, quemadmodum S. Alphonsus exemplis ostendit. Ecclesia autem sexdecim saeculis distinctionem inter judicium directum et reflexum, non hisce quidem vocibus theologicis expressit, sed utique eam agnovit in re et substantia; quemadmodum S. A. probat ex can. 4: *Quid culpatur* caus. 23. q. 1. et ex cap. *Dominus* de secundis nuptiis. [2]

3. Porro quod ad textum *Rom. 14. 23.* attinet, S. Doctor diserte ait: [3] « Ante omnia, duo ut certa suppo» nere debemus: primum, quod ad » licite operandum, necessaria nobis » est *moralis certitudo de honestate actionis.* Alterum, quod haec certitudo haberi potest, *non tantum ex directo, sed etiam ex reflexo principio,* quo moralis illa certitudo actioni communicatur. - Hisce » praemissis, dico, quod si opinio, » quae stat pro libertate, est tantum » probabilis, vel aeque probabilis, ac » altera quae stat pro lege, nec etiam ipsam quis sequi potest, eo » quod sit probabilis: nam ad licite » operandum sola non sufficit proba» bilitas, sed requiritur moralis cer» titudo de honestate actionis, juxta » illud S. Pauli ad Rom. 14. 23.: « *Omne, quod non est ex fide, pec» catum est.* » Dicitur: *ex fide,* nempe *ex certo dictamine conscien» tiae,* ita ut homo in sua conscientia » persuasum sibi habeat, quod agen» do recte agat; prout explicant illud » *ex fide,* S. Chrysostomus, S. Am» brosius et alii cum S. Thoma. » - Eo igitur sensu, SS. Patres hunc textum explicant, quod homo ex certo judicio in sua conscientia persuasum sibi habeat, se agendo recte agere, secus peccet; at non distinguunt inter judicium directum et reflexum, nec exigunt, ut persuasio ista ex *directo* conscientiae dictamine procedat. Et quidem merito: quia ipse Apostolus non distinguit, in fine sermonis sui axioma seu regulam generalem pronuntiando, qua decisio particularis casus de cibis olim vetitis, de quo in hoc capite agit, nequaquam evertitur, sed potius probatur et confirmatur.

4. Cum ergo Eusebius Amort *usum judicii reflexi non admittat,* onus in se suscipit, judicio *directo* probandi alteram suam thesim, *opinionem aequiprobabilem sequi licere.* Videamus, quomodo hoc munere susceptо se expediat. - *Num. 10.* alteram quaestionem proponit: « *An liceat sequi sententiam aeque probabilem minus tutam, relicta tutiore?* » et respondet: « 1°. Stante dubio stricte dicto de existentia legis, non licet sequi sententiam minus tutam, relicta tutiore. Ratio est, quia stante dubio, non est verum dicere, quod operans agat ex fide, seu ex credulitate propriae conscientiae de existentia directa legis permissivae. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est. 2°. Quandocumque da-

1) Vid. edit. 9. approb. pag. 17., in recent. edit. n. 69. — 2) Locis cit. — Cfr. etiam Dissertat. anni 1755. c. 2. §. 1. n. 23–25. pag. 29. seqq. — *Apologia...* 1765. §. 1. pag. 70. et §. 3. pag. 131. — *Dell'uso moderato...* 1765. cap. 3. n. 1. pag. 58. - Systema mor. *Corollar.* 1. in princ. (juxta recent. edit. n. 69.); etc. — 3) Systema mor. (cfr. in recent. edit. n. 57. 58.).

tur aequalis probabilitas inter duas sententias oppositas circa directam existentiam legis, dubium hoc speculativum per dictamen reflexum, seu concomitans, potest tolli, et formari judicium de non existentia directa legis. Probatur haec responsio ex eo, quia in tali casu possum formare hunc syllogismum, vel judicium concomitans: Quandocumque existentia legis non redditur credibilior non ipsa, moraliter certum est, non dari legem; sed in hoc casu, existentia legis non redditur credibilior non ipsa; ergo. Major patet ex natura providentiae divinae, quae, sicut tenetur suam *religionem* reddere evidenter credibiliorem seu probabiliorem non ipsa, ita etiam tenetur suam *legem* reddere notabiliter credibiliorem seu probabiliorem non ipsa. »

5. Demum idem Amort *n. 11.* quaerit: « *An liceat sequi sententiam probabiliorem, relicta tutiore?* » et respondet: « Id *licet.* Probatur 1°. Licet sequi sententiam aeque probabilem relicta tutiore, prout proxime ostensum est; ergo multo magis licet sequi sententiam probabiliorem, relicta tutiore. Probatur 2°. ex damnatione sequentis propositionis, prohibitae ab Alexandro VIII. 1690: - *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* - Dices: Sequendo sententiam probabiliorem, homo nondum est moraliter certus, quod non agat contra legem Dei, ac consequenter, quod non incurrat indignationem divinam et damnationem aeternam; ergo cum homo teneatur se constituere in morali certitudine salutis aeternae, eoipso peccat sequendo sententiam probabiliorem, relicta tutiore. - Respondeo, distinguendo: nondum est moraliter certus per motiva sententiae controversae, concedo; nondum est moraliter certus per generale dictamen naturale concomitans, nego. *Lumen enim naturale cuivis dictat,* et quivis per lumen naturale *sine ullo ratiocinio* videt, a Deo tanquam sapiente et provido gubernatore, *religionem et leges divinas debere homini reddi evidenter credibiliores non ipsis.* Itaque ubi non conspicitur hic character legis divinae, habetur eoipso moralis certitudo, non dari legem divinam. Id patet in simili: Si enim aliunde novi insignia regis vel alterius viri nobilis, quae apprimere solet suis edictis; quandocumque ea insignia non reperio, sum moraliter certus, hoc edictum, utut aliis probetur argumentis probabilibus, non esse verum seu authenticum. Similiter, si aliunde novi notas characteristicas regis et ejus famulorum et nuntiorum, ubi has notas characteristicas non reperio; eoipso, sine operoso ratiocinio agnosco, eum hominem non esse regem, aut famulum, aut nuntium regis. »

6. Hisce argumentationibus, *Eusebius Amort* thesim suam *directe* probasse sibi videtur; verum in aperta hallucinatione versatur. Notiones et distinctiones cumulat, ad extorquendum judicium directum; *de generali dictamine naturali concomitante, de judicio concomitante* loquitur; sed istud *dictamen* seu *judicium concomitans* reapse nihil aliud esse potest, nisi *judicium reflexum,* et ejusdem generis, quo etiam Probabilistae utuntur, ut judicium speculative dubium sive probabile de honestate actionis in praxi moraliter certum reddant. - Illud etiam contendit, quod lumen naturale cuivis dictet, et quivis *sine ullo ratiocinio* videat, Deum legem suam homini evidenter probabiliorem reddere teneri; quod consequenter, ubi non conspicitur hic character legis divinae, eo ipso moralis certitudo habeatur, non dari legem divinam. Nihilominus ipse ratiocinatur, et syllogismo demonstrare conatur assertionem suam, cujus sensum nedum indocti, sed etiam Theologi non statim percipiunt; cum non appareat statim quid sibi velint ista verba: *non ipsa.* - Insuper, quod caput rei est, Eusebii argumentatio *fundamento infirmo*

et minime probando innititur. Analogia inter religionem et legem divinam, quam velut certam et exploratam supponit, revera non subsistit. *Religio* amplectenda, et *Lex naturalis* observanda non sub eamdem rationem cadunt. Deus utique *Religionem* suam evidenter credibiliorem reddere debuit *non ipsa,* id est, non momentis ipsi religioni inhaerentibus, sed motivis extrinsecis, quia in Religione mysteria rationis vires excedentia comprehenduntur; idque illis momentis praestitit, quae *motiva credibilitatis* nuncupantur. Sed haec ratio excidit in *Lege naturali,* cujus praecepta lumine naturali cognoscuntur, et in quolibet homine, qui ad usum rationis pervenit, actualiter promulgantur; et ideo, ut homines ad ea observanda obligentur, momentis extrinsecis non indigent. Unde nihil aliud requiritur, praeterquam ut promulgatio sit sufficiens. Secus dicendum esset, Deum teneri omnes homines in particulari ita suo lumine illustrare, ut quilibet in quovis peculiari casu perspiciat, rationes intrinsecas in favorem legis militantes evidenter probabiliores esse, et si hoc omittit, hominem ab observanda lege dispensare.

7. Quamvis autem Amort fidenter asseveret, quod lumen naturale cuivis dictet et quivis sine ullo ratiocinio videat, Deum teneri legem suam evidenter probabiliorem reddere: nihilominus defectum sufficientis promulgationis tandem in subsidium vocat; at vera cum falsis miscens, ita ut etiam hac altera demonstratione nihil probetur. – Tractatui de Conscientia adnexae sunt *Quaestiones disputatae,* quarum quinta est: « *An liceat sequi sententiam aequiprobabilem?* » et hic thesim ponit: « *In concursu duarum opinionum, per argumenta particularia directa, aeque probabilium circa existentiam legis, accedente argumento generali reflexo, licet eligere minus tutam.* Probatur 1°. In hoc casu moraliter certum est, non dari legem directam prohibentem; ergo licet operari. Antecedens probatur. In hoc casu non datur character inseparabilis et essentialis legum: ergo moraliter certum est, non dari legem. Antecedens probatur. In hoc casu non datur sufficiens promulgatio legis; sed ea promulgatio est inseparabilis ac essentialis character legum; ergo. Major probatur. Illa sola est *sufficiens promulgatio legis,* qua lex fit credibilior non ipsa; sed talis non datur in hujusmodi concursu sententiae probabilis cum aeque probabili; ergo. Major et Minor patent ex terminis... » – Minus recte asserit Amort, quod sufficiens promulgatio sit inseparabilis et essentialis character legum; rectius dicendum esset, sufficientem promulgationem de essentia esse, ut leges *obligent.* Verum satis non est, allegare istud principium: Lex insufficienter promulgata non obligat; sed *ratio* reddenda est, cur lex *insufficienter promulgata* sit, si duae opiniones *aequaliter* probabiles concurrunt. A qua ratione, probatio thesis propositae unice pendet. Nam eodem principio etiam utuntur Probabilistae et Probabilioristae. Illi affirmant, legem insufficienter promulgatam esse, si opinio libertati favens vere et solide probabilis est, licet opposita, quae stat pro lege, vere probabilior sit. Isti contendunt, legem semper esse sufficienter promulgatam, nisi opinio libertati favens notabiliter probabilior sit.

8. Vera itaque et convincens ratio, cujus acie tam Probabilistae, quam Probabilioristae feriuntur, ea est, quam *S. Alphonsus* adfert, videlicet, quia non ipsa lex, *sed dubium an lex existat, promulgatur,* si duae opiniones *aequalis* ponderis concurrunt, et mens inter utramque suspensa haeret, atque in neutram inclinatur. – *Amort* vero aliam rationem non allegat, nisi quod illa sola promulgatio sufficiens sit, qua lex fit credibilior non ipsa. Si autem quaerimus, cur illa sola promulgatio

sufficiat, aliam responsionem non habemus, nisi: quia Deus legem suam credibiliorem reddere tenetur non ipsa. Cum vero haec ultima et unica quidem ratio falsa sit, ruit et ipsa haec demonstratio.

II. Ex hisce expositis, duo consectaria luculenter patent:

1. *Eusebius Amort,* utut vir doctissimus et eximius Theologus, atque summopere laudandus, quod usum opinionis notabiliter minus probabilis rejecit, [1] et usum opinionis aeque probabilis propugnavit: nihilominus neque hanc, neque alteram propositionem solidis argumentis probavit. Ipse *nec Probabilistas, nec Probabilioristas et Tutioristas invicte confutavit, nec Aequiprobabilismum in systema redegit; quinimo jam in ipso fundamento substruendo defecit.*

2. S. ALPHONSUS *solus fuit, et solus est usque ad praesens tempus, qui Systema ex omni parte absolutum proposuit, ingeniosissimis et inconcussis argumentis consolidavit, et contra adversariorum ex utraque parte objectiones mirifice munivit.* Nec unquam quis eo perveniet, ut alia fundamenta jaciat, aliudve Systema proponat, quo *Aequiprobabilismus* concinnius probetur, et validius contra adversarios vindicetur. — Adde, quod praecellens istud Systema morale non solum validissimis argumentis innititur, sed insuper (ut jam [2] fusius ostendimus) eo perfectius dicendum est, quia firmissimam simul et tutissimam nobis suppeditat *agendi normam,* qua, una ex parte, omnes sensus et amoris proprii hallucinationes praecaventur, et ex altera omnis perplexitas mentis praecluditur: ita ut nullus in incerto relinquatur, quaenam pars sibi eligenda sit. Porro, inter omnes Scriptores morales, primus et solus est S. Doctor, qui practicam et tutissimam hujusmodi agendi normam statuerit.

1) Ex praemissis clare patet, *Eusebium Amort* perperam inter Probabilismi vindices collocari. E contra, ipse Probabilistas acriter insectatur. Ad Tractatum nempe de actibus humanis et de conscientia *(Theol. eclectica moralis et scholastica, T. 3.)* adjicit *Catalogum 183 opinionum probabilium* circa generalia morum principia, *ex P. Lacroix.* In cujus praefatione haec habet: « Ad quantas laxitates Probabilismus viam sternat, nullo alio argumento luculentius demonstrari potest, quam si ex Probabilistarum libris excerpantur omnes opiniones probabiles, et ex his opinionibus in unum collectis, conficiatur integra Theologia moralis probabilistica..... Novum ex *P. Lacroix* excerpsi specimen, ex ejus Theologiae moralis libro primo et secundo.... Verum quidem est, quod *P. Lacroix* ad ejusmodi, quas recenset, sententias interdum addat, oppositam sententiam esse probabiliorem; aut talem, quam recenset, opinionem sibi non videri probabilem, vel eam alteri cuidam authori non videri probabilem. Sed quid prosunt in praxi, ad praescindendas innumeras laxitates, ejusmodi clausulae, annotationes ac limitationes; cum in principiis generalibus, reipsa jam indulta fuerit licentia sequendi sententias etiam *dubie* probabiles, *dummodo vere theologice probabiles sint,* aut sententias *etiam unius gravis authoris,* dummodo rationes ab aliis authoribus non sint ita enervatae, ut nulla amplius remaneat probabilitas, ne quidem tenuis aut saltem dubia? — Haec qui indifferenti animo attente ponderaverit, profecto advertet, laxitatibus et corruptelis in mundo nullum posse litus poni, nisi dicatur, quemvis pro suo captu obligari ad considerandam directe opinionum veritatem aut falsitatem; et si quae opinio alicui, consideratis omnibus, visa fuerit *notabiliter minus probabilis,* sibi eam fore illicitam: nisi in legis humanae materia, pro casu particulari necessitatis, aliud merito et prudenter per epikiam praesumpserit de legislatoris intentione et indulgentia. » Et in fine concludit: « Hucusque Catalogus opinionum probabilium, circa generalia morum principia, ex P. Lacroix. *Ex hoc autem nemo, vel parum attentus, non videt, conclusiones, phrases, responsiones, explicationes ac citationes* PROBABILISTARUM *esse versatiles, et idoneas ad terribilem corruptionem legum ac morum in praxi, si licitum fuerit sequi sententias notabiliter minus probabiles:* vix enim erit sententia, etiam rejecta a P. Lacroix, quae, spectatis ejus principiis superius de Conscientia ex P. Lacroix relatis, non possit operanti videri saltem ut tenuiter vel dubie probabilis. » — *(Cfr. pag. 76. not. 3.)*

2) Vid. supra, pag. 25. ad II.

§. 2.

Scriptores disciplinae moralis, tum S. Alphonsi coaevi, tum recentiores, perpaucis exceptis, communiter Ipsum existimant Auctorem Aequiprobabilismi.

1. Quae hucusque exposuimus, profecto jam sufficerent ad plenam susceptae thesis demonstrationem. Ast, cl. Ballerinius asserit «*vel inter studiosissimos S. Alphonsi, non unam fuisse omnium de morali ipsius Systemate sententiam.* Quandoquidem NONNEMO existimat, S. Alphonsum nova quadam incessisse via, eaque media inter duo systemata, quae catholicas Scholas tunc temporis dividebant;..... eamque (sententiam) *moderati Probabilismi* nomine designant, quasi nempe docuerit, tunc solum partem minus tutam teneri posse, quum tutior, quae stat pro lege, *aut paris aut proximae probabilitatis* esset, ac illa quae libertati obsecundet..... At vero hoc ipsum est, quod *alii* jure merito non modo in dubium vocari, sed *plane a veritate alienum* ostendi posse arbitrantur.»[1]

2. Quinam vero sint isti *alii*, cl. Professor non dicit; quamvis plurium Auctorum sibi suffragantium enumeratio majorem sane auctoritatem, vel saltem auctoritatis apparentiam, sententiae a se propugnatae tribuisset. Inter illos autem qui *plane a veritate* aberrant, non numerat nisi *Scavini, Neyraguet, Gousset,* et quemdam anonymum Gallum; adjungit quidem: *aliique;* sed istos perpaucos esse, insinuat dicendo: «*nonnemo* existimat...»–Non abs re itaque erit, judicium Auctorum exquirere, ut clarius pateat, nec istam cl. Ballerinii assertionem admitti posse. Prae caeteris tamen advertimus, in hac Scriptorum allegatione, aliam nobis mentem non esse, nisi ut probemus, S. Alphonsum ab ipsis censeri *Aequiprobabilistam,* imo et Aequiprobabilismi *Auctorem:* nihil enim ad praesentem quaestionem refert, quod S. Doctoris systema ab uno alterove omnino adaequate interpretatum non fuerit.

3. En igitur, hac super re, judicium Auctorum quos ad manus habere potuimus, non solum inter *studiosissimos* S. Alphonsi, sed etiam inter *aversissimos,* eosque tum ejus coaevos, tum recentiores.

Articulus 1.

Testimonia Cardinalium, Episcoporum aliorumque Virorum illustrium, in Epistolis ad S. Alphonsum directis.

1. Anno 1762. S. Alphonsus *Dissertationem* evulgavit, in qua *Aequiprobabilismum* jam primitus implicite traditum, *explicite et formaliter* proposuit, atque in Systema redegit. Cum autem P. Patuzzi eam acriter impugnaret, S. Doctor in doctissima *Apologia* de anno 1765., ipsam validissimis argumentis vindicavit.[2] Cum insuper adversarius jactanter ipsi objiceret, suam sententiam omnibus probari, S. Alphonsus quasdam publici juris fecit epistolas, ex iis plurimis selectas, quibus perinsignes Viri duas praefatas lucubrationes approbaverant, summisque laudibus extulerant. – Quaedam pauca itaque ex iisdem Litteris, ad rem nostram spectantia decerpere juvat.

2. Occurrit primo Emus FERONI, qui S. Alphonso rescripsit: «Ho riceruto l'esemplare dell'*Apologia, dotto parto del raro sapere e dottrina* di V. S. Illma, il quale mi è

1) Cfr. supra, pag. 2. — 2) Vid. pag. 47. et 53.

» stato oltremodo gratissimo, aven-
» dolo letto con tanta soddisfazione,
» *quanta meritamente ne cagiona*
» *in ognuno da cui è stato veduto*
» *e considerato*, non senza dare i
» dovuti elogi al ben degno e dotto
» Autore; e so che più d' uno, pel
» desiderio d'averla, ne ha commessa
» la provvista degli esemplari in Ve-
» nezia. Io mi congratulo con V. S.
» Illma di questo frutto che ritrae
» dalle sue fatiche, oltre quello che
» si è prefisso del buon servigio ed
» onor di Dio... » [1] – Accedit Emus Negrone, qui ait: « Ho ricevuto... la
» bella *Apologia* con cui V. S. Illma
» difende la *Dissertazione* già da lei
» data in luce circa l' uso moderato
» del Probabilismo. Io debbo alla sua
» bontà il piacere che... vado pro-
» vando nel vedere *con tanta soli-*
» *dità e forza, vieppiù rischiarato*
» *il suo assunto*, e con tanta mode-
» razione vendicato contro gli argo-
» menti dell' oppositore... » [2]

3. Inter Episcopos, primus dandus est locus Rmo Coppola, Episc. Castri-Maris: « *Con indicibile piacere*
» (ajebat) ho letta la *dottissima Apo-*
» *logia* in difesa della sua *ben fon-*
» *data Dissertazione*.... L' assicuro
» che ho ammirato non saprei se più
» la sua modestia, o la sua dottrina.
» Vede il mondo e vede ognuno che
» ella scrive soltanto perchè la ve-
» rità abbia il suo luogo, e non già
» per trionfare su l' altrui scrivere
» inconsiderato. La mette in chiaro,
» e come conviene ad un Vescovo di
» così sana e di così profonda dot-
» trina... *In essa non vi è... una*
» *proposizione che non sia chiara*
» *ed incontrastabile;* onde poi *sorge*
» *quell' aggregato di ragioni tutte*
» *sodissime*, che non può non riscuo-
» tere l'ammirazione insieme e *l'as-*
» *senso d' ogni intendimento non*
» *prevenuto*... Ella (se in alcuna cosa
» vaglia *la uniformità del mio pen-*
» *sare*) stia certa e sicura nel ve-
» dermi non solo di accordo, ma ben
» anche pienamente istruito dalla dot-
» tissima sua Dissertazione ed Apo-
» logia..... » [3] – Disertis verbis declarat Rmus Albertini Episcopus Casertanus: « *Il sistema del probabi-*
» *lismo equo* è da lei circoscritto tra
» giusti confini, fondato su due car-
» dini fermi. I due principj sono sodi,
» appoggiati alla ragione, ed all' au-
» torità. La chiarezza nel maneggiare
» le cose più difficili, non può esser
» più limpida... Niuna impressione
» mi fecero i di lui (Patuzzi) argo-
» menti: i quali se avessero avuta
» punta valevole a ferire l' *Equo-*
» *Probabilismo*, avrebbero ancora of-
» feso il Probabiliorismo, lasciando
» illeso il solo Tuziorismo... » [4]

4. Eadem sensa S. Alphonso pandunt plures alii Episcopi, inter quos *Aquilanus, Tarentinus, Muranus, S. Severi*, et *Cassanensis*. – Accedunt porro alii viri dignitate ac doctrina conspicui, quales profecto erant *Adeodatus Barcali*, Confessarius Clementis XIII.; *P. Carolus Domin. Moya*, Minor. Convent., et Regens Collegii S. Bonaventurae in alma Urbe; *P. Josephus Muscari*, Abbas Basilianus, vir eximia doctrina praeditus; *P. Stephanus Longobardi*, Praepositus Congregationis Piorum Operar.; *P. Nicolaus Savio*, Congr. Oratorii Panormitani; *P. Josephus Mirabella*, Ex-Provincialis et Praefectus studiorum Minor. Convent. Neapoli; *P. Paulus a Morcone*, Ex-Provincialis Capuccinor.; *Carmelus de Benedictis*, Lector Theol. cujus doctrinam S. Alphonsus maximi faciebat; *Michael Clemente*, in scientia theologica et canonica apprime versatus; [5] ac tandem *P. Augustinus Magliani*, Provincialis Ord. S. Augustini. [6] – Horum omnium epistolas, quia nimis brevitati obessent, silentio praetermittimus; lectoremque delegamus ad cal-

1) Cfr. Opusc. *Dell' uso moderato*... Napoli 1765, Appendix pag. I. (Vol. VII. Collectionis Operum a S. Sede approb.). — 2) Ibid. pag. II. — 3) Ibid. pag. III. — 4) Pag. VI. — 5) Pag. V-XXIX. — 6) Cfr. *Dichiarazione del Sistema*... (Vol. XI. Collectionis Operum a S. Sede approb., in fine, pag. XLVI.).

*

cem cit. Opusculorum, quibus S. Doctor eas inseruit.

5. Speciatim tamen commemorare juvat cl. scriptorem PROSPERUM DEL-L'AQUILA, Abbatem Montis-Virginis, qui in epistola ad S. Alphonsum ait: « Ho letto il suo libriccino sull'uso » moderato dell' opinione probabile, » e mi è piaciuto tanto, che l'ho tor- » nato a leggere. Si è così ben con- » dotta V. S. Illma nella dimostra- » zione dell' argomento, ch' io l' ho » preferito a tutti gli altri, che si » raggirano su tal soggetto, ed io » non saprei che più desiderarvi. I » principii su dei quali ha fondata » la sua sentenza, sono incontrasta- » bili... Trattandosi dunque di *due* » *opinioni egualmente probabili,* io » ancora entro nel suo sentimento, » che possa lecitamente seguirsi quel- » la, che sta per la libertà, quantun- » que meno tuta... Colla *robustez-* » *za degli argomenti* ho ammirato » eziandio *la chiarezza,* che ha im- » piegata nello spiegarsi: *cosa che* » *tra tutte le altre dee lodarsi nel* » *maneggio delle materie difficili.* Io » non cesso di ringraziarla di tal do- » no, de' lumi che ho ricevuti nella » lettura del suo libro, di cui ne farò » certamente tutto il buon uso nel- » l'articolo, che sto già stendendo » dell' Opinione probabile nel terzo » tomo del Dizionario teologico, e » dove *unicamente proporrò la let-* » *tura della sua Dissertazione,* fa- » cendone quegli elogi che merita. » — Porro in cit. Dictionario, idem P. Abbas, post enuntiatam S. Alphonsi thesim, de licito usu opinionis *aeque* probabilis, subjungit: « *Non ho letto* » *io cosa più chiara* in tal materia, » e mi sembra per verità *la sua de-* » *cisione senza replica...* » Et concludit, dicendo hanc Dissertationem esse « *un capo d' opera in tal ge-* » *nere, in cui hanno gli altri* » *Teologi scritti gran volumi, ed* » *in numero tale, che sgomenta* » *ognuno a leggerli con attenzio-* » *ne.* » [1]

6. Aliam demum epistolam S. Doctor refert viri cujusdam Religiosi, qui, licet acerrimus fuerit Probabiliorismi fautor, post perlectam S. Alphonsi Dissertationem et Apologiam, a sua sententia recessit, ac victas ipsi dedit manus. Ait enim: « La sua bel- » lissima moderna *Apologia* da me » letta e riletta,... mi ha veramente » sorpreso. *Io tengo per fermo che,* » *a schiarire il vero su di tale quan-* » *to importante, altrettanto invilup-* » *pata materia, più di mille volumi* » *in foglio, abbia giovato la sua* » *scrittura mediocre di mole, ma* » *forse immigliorabile in ciò che* » *contiene....* La sua *Dissertazione,* » e molto più la sua *Apologia,* non » solo mi hanno diradate del tutto » le tenebre, ma per esse *mi sono* » *così tenacemente rassodato nella* » *sua dottrina,* che solo l'autorità » della Chiesa me ne potrebbe rimuo- » vere... Gloria però e onor perenne » sempre a Dio, che gratuitamente » le ha illuminata la mente, e di- » retta la penna a scrivere, siccome » tante altre utilissime e dottissime » opere, così *questa ultima che io* » *stimo di gran vantaggio alla Chie-* » *sa tutta....* » [2]

7. Luculentis hisce testimoniis ab ipso S. Alphonso relatis, adnectere liceat judicium *Joan. Bapt.* GORI, S. Theol. Prof. et Revisoris praefatae Apologiae: «Eo in Opere (ajebat), » Auctor... in spiritus lenitate, sen- » tentiam benigniorem *in aeque pro-* » *babilium* opinionum usu, libratis » undique argumentis, tueri conatur, » et ab Anonymi petitionibus acute » vindicare. In Additionibus vero, » pleniore disquisitione *idem argu-* » *mentum* expendere nititur, ut di- » lucidius quae antea protulerat, ex- » plicarentur. » [3]

1) *Apologia...* 1765, *s.* III. pag. 154.; *Dell'uso moderato.* 1765. cap. VI. pag. 277.— 2) *Dell' uso moderato...* in fine, pag. XXXIII.— 3) Cfr. cit. *Apologiam,* in fine; et Opusc. *Dell' uso moderato,* in princ.

ARTICULUS 2.

Testimonium ex causa Beatificationis S. Alphonsi desumptum.

1. Etiam post Decretum S. Rituum Congregationis anni 1803., quo declaratur in Operibus S. Alphonsi *nihil censura dignum repertum* fuisse, *Morale S. Doctoris Systema* iterum ad trutinam revocatum est a Fidei Promotore, qui in *Nova Positione super Virtutibus* [1] expresse agens de Ven. Servi Dei *Doctrina, uti opposita heroicae Prudentiae,* inquit: « *20.*... Cum tali tantoque nomini » impertiri Ecclesia altarium honores non possit, nisi uno tempore » Alphonsum tamquam *exemplum* ac » veluti facem praeferat, *praesertim* » *doctis piisque viris evangelici agri* » *cultoribus, ac spectatissimo ipsi* » *ordini Episcoporum;* propterea diligentia quanta maxima enitendum » est, non modo nulla ut macula » hanc lucem obumbret, sed (quod » caput est) ut *inclinatis jam, ac* » *decidentibus hujus saeculi moribus,* nullum obvelamentum in Alphonsi nomine aut exemplo relictum esse intelligatur. Atqui non» nihil obvelamenti relictum his moribus videri posset, si consisteret » *imprudentiae* nota, quam eidem » inusserunt docti plures, atque, uti » existimandum est, benemorati Scriptores, *praesertim ob nonnullas* » *regulas in morum doctrina ab eo* » *traditas,* quarum ductu fraenum » humanae libertatis non parum fortasse laxari arbitrati sunt.–*21.*.. Unum Carolum Blascum nominabo... » qui, etsi pietatem Servi Dei insignem... suspiciat; liberare tamen » eum ab *imprudentiae* nota non » potest, ob regulam quam ille statuit: « *Legem dubiam obligandi* » *vim nullam habere...* »

2. Ad quam Animadversionem, quibusdam praemissis, sic reposuit Causae Vindex: « *89.* At quoniam » mihi viderer haud satis cumulate » satisfecisse muneri, si Ejus, qui in » hac sanctitate judicii, licet abs re, » Doctrinae imprudentia notatur, » summis saltem labiis (ut actionis » forma fert) Prudentiam non ostenderem; hinc Ven. Auctoris *Morale* » *systema* strictiori, quo possum calamo exponam, quo pateat, idem » eximiam praeseferre Prudentiam, » tum firmitate Doctrinae, tum ipsius » Doctrinae applicatione ad finem, » in qua potissimum Prudentia versatur. – Et sane *docuisse constat:* » I. Quod si opinio pro lege sit probabilior, eam sequi tenemur. II. Quod » in concursu duarum *aeque probabilium, non sufficiat sola probabilitas* ad licite operandum; sed » requiritur moralis certitudo, ex » certo dictamine conscientiae, quo » agens suasum habeat quod recte » agat. III. Quod in supposito concursu duarum *aeque probabilium,* » cum sola probabilitas, ut diximus, » haud firmum praebeat fundamentum ad licite operandum, opinio » pro libertate, quae *aequali* potitur » probabilitate, ac opposita « quae » stat pro lege (verba sunt Ven. Auctoris) *grave immittit dubium an* » *existat lex,* quae actionem prohibeat, ac proinde sufficienter promulgata minime dici potest, ideoque dum eo casu promulgata non » est, nequit obligare...»

» *91.* Ex his ergo apertissime patet hujusce Doctrinae Prudentia, » ex fine scilicet, in quem Ven. Auctor intendit, ut homo *licite* possit operari. In conflictu enim duarum opinionum *aeque probabilium,* » dubius quis haeret utri assentiatur, quia sola probabilitas utrique » communis haud firmum fundamentum praebet ad licite operandum. » Statim ac vero quis certum principium sibi proponit, quod *Lex* » *dubia non obligat, aeque probabilis* opinio quae stat pro libertate » *probabilior* evadit, propterea que

1) Romae, 1806.

» homo non amplius dubius agit, sed » se movet ex recto dictamine con- » scientiae ad libere honesteque agen- » dum. Numquid per hujusmodi Sy- » stema,... *fraenum humanae liber- » tati non parum laxari metuen- » dum est?* [1] Metuere id poterit, qui » laxismi indolem cum honesta ho- » minis operatione confundat. Frae- » num humanae libertati relaxat opi- » nio, quae non certo Theologorum » principio nititur; *fraenum huma- » nae libertati relaxat opinio, quae » cuique argumento solitarie sumpto » ad ipsam constituendam probabi- » litatem inepte nititur, rejectis » aliis gravissimis in contrarium » moventibus;* fraenum humanae li- » bertati relaxat opinio, quae unam » quaerit excusationem in peccatis. » Hinc maximam inter benigniores » opiniones, et laxiores differentiam » intercedere Theologi docent...

» *94.* Quamquam quid loquor, quid- » ve probare contendo prudentem » fuisse Ligorium, utpote *qui inter » duas aeque probabiles opiniones, » benigniorem sequi docuisset,* cum » constet eumdem secutum fuisse non » modo probabiliorem, sed omnino » *tutiorem?* Probatio in promptu est. » Utraque opinio ex duabus illis, in » quarum conflictu Ligorii Systema » versatur, cum *aeque probabilis* sit, » etiam *aeque tuta* est. Consideranti » vero certam regulam illam quod » lex dubia non obligat, sive quod » lex incerta non parit praeceptum » certum, sine quo non datur pec- » catum, probabilis opinio pro lege, » non amplius tuta, sed dubia oc- » currit; alia vero opposita quae stat » pro libertate, cum sola *tuta* re- » maneat, *tutior* evadit, proindeque » necessario eligenda... – *95.* Statim » ac vero opinio pro lege dubium » praesefert existentiae, vel pro- » mulgationis ipsius legis, opposita » pro libertate, eo in dubio, praeter » juris *aequalitatem*, certum exhi- » bet titulum suae possessionis, qui » aequalitatem tollit, proindeque *tu- » tior* evadit. Homo enim, qui est » in possessione suae libertatis ligari » nequit ab incerta lege, propterea- » que debet absolvi, non vero da- » mnari ad executionem incerti prae- » cepti...

» *96.* His principiis tam impartia- » liter Ligorius utitur pro utraque » opinione, ut *in eventu, quo opinio » quae stat pro* LIBERTATE *sit pro- » babilis vel dubia, ipse doceat stan- » dum esse pro* LEGE juxta juris axio- » ma, quod *in dubiis melior est con- » ditio possidentis;* quia tunc pos- » sessio quae stat pro lege tollit ae- » qualitatem. – Speciminis loco sint, » quae scribit, [2] ubi proposito dubio: « Siquis probabiliter judicet, se im- » plevisse votum, horas canonicas, » sive poenitentiam, an teneatur eam » satisfacere, si adhuc probabile sit, » vel dubium, non implevisse? » re- » spondit: « Negant plures Auctores; » sed oppositum est tenendum, quia » *possidet obligatio* jam contracta, » donec certe non fuerit impleta. » » Et alibi: [3] « Censeo cum Concina, » Antoine, etc., votum implendum » esse; cum enim votum est certum, » *possidet obligatio* implendi vo- » tum. » – Et [4] eodem principio nixus » docet, furem teneri semper ad re- » stitutionem in dubio, quod res fu- » rata, licet per fidelem virum ad » dominum missa, fuerit nec ne ad » ipsum perventa. – Et Lib. VI. n. 477. » docet teneri poenitentem confiteri » peccata certe commissa, si postea » sit *in dubio,* vel probabiliter re- » putet illa confessa fuisse. – Uno » verbo: *toties id docuit, quoties se » occasio obtulit disserendi de even- » tu, quo opinio, quae stat* PRO LE- » GE, *habeat pro se possessionem.* – » *97.* Concludam ergo, quod si *sa- » piens Ligorii Systema* privatis qui- » busdam scriptoribus non placuit, » *placuit tamen aliis multitudine*

1) Animad. §. 20. — 2) Cfr. Theol. mor. lib. 1. n. 29., et Elenchum quaest. reform. (secunda series, q. 1. et 15. — 3) Cit. quaest. ref. n. 15. — 4) Cfr. Theol. mor. lib. 3. n. 704. quaer. 4.; et primum Elenchum quaest. ref. n. 3.

» *infinitis, ac doctrina praestantis-*
» *simis, qui ipsum in hac quaestio-*
» *ne omne tulisse punctum existi-*
» *marunt; propterea que per totam*
» *Italiam, Hispaniam, Germaniam,*
» *aliasque Orbis partes, ejus Theo-*
» *logiam moralem summo plausu*
» *excepere.* »

3. Postquam haec Causae Vindex scitissime reposuisset Fidei Promotori, qui sub specie *imprudentiae* Systema Morale Ven. Alphonsi impugnaverat, Emi Cardinales S. R. Cong., nec non viginti quinque Consultores, [1] diversorum Ordinum Religiosorum variorumque systematum, religiosissime perpenderunt tum Animadversiones, tum ad easdem Responsionem, in generalibus comitiis ejusdem S. Congregationis. Quid porro in hisce contigerit, quisve fuerit successus, praestat audire ex verbis Decreti, lati Nonis Maji 1807, quo declaratur: « Constare de V. S. D. Al-
» phonsi M. de Ligorio Virtutibus
» theologalibus et cardinalibus, ea-
» rumque adnexis in gradu heroico. »
En verba Decreti... « Quam optimo
» jure tanti eum facerent homines,
» hodiernum Apostolicae Sedis judi-
» cium manifestat. Instituta enim
» inquisitione de ejus particularibus
» actionibus, iisque in S. Rituum Con-
» gregatione expensis, primum in
» Antepraeparatorio conventu,... ac
» facta discussione *de quibuslibet li-*
» *cet minutissimis exceptionibus*,
» quae perfectiori Virtutum Christia-
» narum exercitio opponi poterant;
» iterumque renovata in Praepara-
» toriis comitiis,.... ita evanescere
» *omnes* difficultates visae sunt, ut
» *nihil* amplius opponi potuerit ad-
» huc perpendendum in postrema
» Congregatione Generali..... Haec
» tamen convocata fuit IV. Calendas
» hujus mensis Maji coram SS. D. N.
» Pio VII. P. M., et tam Rmi Car-
» dinales, quam amplissimi Consul-
» tores, *concordi voce* Virtutes Ven.
» S. D. Alphonsi M. de Ligorio cul-
» men heroicitatis attigisse asserere
» non dubitarunt... »

4. Ex hisce praemissis nemo non videt, Causae Vindicem *certe* recognovisse, ab Alphonso doceri *Aequiprobabilismum;* quia sine ulla haesitatione de hoc unico Alphonsiano Systemate disseruit. Imo, si quis animo perpendat, Promotorem Fidei, qui de *laxo* (ut ajunt) systemate S. Antistitem insimulaverat, allatae Responsioni penitus acquievisse; non temere concludere posset, etiam Fidei Promotorem, totamque S. Rituum Congregationem habuisse Ven. Alphonsum uti Aequiprobabilistam, et non communem ac simplicem Probabilistam. Si vero secus se res haberet, nonne forsitan Emi Cardinales, Promotor Fidei et Consultores Animadversionibus institissent? eo magis, quod tunc temporis Theologi ad Probabiliorismum universim propendebant, prout ipsa indicat Animadversio. Sufficiat autem haec obiter advertisse, quae quomodocumque se habeant, certo concludere possumus, in praefata Causa S. Alphonsum ceu Aequiprobabilistam nobis exhiberi. – Ulterius igitur progredientes, judicium Scriptorum S. Doctori posteriorum exquiremus; eosque, claritatis causa, recensebimus secundum varias nationes ad quas pertinent, et tempus quo scripserunt.

Articulus 3.

Judicium Theologorum ac Scriptorum Italorum.

1. *Andreas* Galani [2] doctrinam S. Alphonsi sic contrahit: « ... *2.* Cum
» duae sint opiniones adversae *ae-*
» *qualiter aut fere aequaliter* pro-
» babiles, licet nobis minus tutam
» amplecti. Dixi: *aut fere aequali-*
» *ter;* quia, dum excessus est tenuis
» aut dubius, pro nullo reputatur.
» Jam vero *doctrinam hanc no-*
» *stram*, duplici principio innixus,
» tueri contendo... – *18.* Cetera, quae

1) Vid. *Riflessioni critiche del P. Giacomo Basso*.... Napoli 1823. pag. 64. — 2) *Alphonsi Lig. Theologia mor. in Compendium redacta*.... Bassani 1791. lib. 1. tr. 1. Epitome Dissert.

» adversus sententiam de opinione » *aeque probabili*, magno verborum » apparatu solent objicere Antipro- » babilistae, dissoluta invenies apud » Auctorem... »

2. *Vincentium* PICERNI, quamvis non fuerit theologus, allegare juvat, quia de hac materia ex professo tractavit: [1] « Il Ven. Prelato... ridusse » questa materia *alla dovuta perfe-* » *zione;* e ci riuscì con tale *brevità,* » *chiarezza, sublimità e robustezza,* » che soltanto chi voglia ostinarsi, » potrebbe ciecamente opporvisi.... » Tutto scioglie, tutto stritola, e » tutto geometricamente, per dir » così, dimostra. Onde non vi ha co- » sa da potersi torre, impugnare, » ovvero aggiungere al suo Morale » sistema. *Iddio lo creò apposta per* » *assodare e perfezionare questa spi-* » *nosissima materia,* e tanto basta: » perocchè chi da Dio *speciali modo* » non è chiamato a trattarla, in vece » d'illustrarla, la confonde. - Sicco- » me dunque a S. Agostino si fa con » tutta giustizia, l'elogio di chia- » marsi Padre della Grazia (poichè » tanto divinamente ne trattò): così » ancora al Ven. Vescovo potrebbe » farsi il dovuto encomio di appel- » larsi *Padre del grave e solido Pro-* » *babilismo,* che di sua natura oc- » cupa il centro in Morale;... *spero* » *con certezza, che questo Ven. Pre-* » *lato abbia un giorno ad essere* » *annoverato tra' Padri della Chie-* » *sa; e che il suo Morale Sistema* » *abbia a conseguire da tutt'i Teo-* » *logi quella stima, che merita per* » *ogni lato* » (Vid. etiam pag. 32. not. 4.).

3. *P. Jacobus* BASSO, C. SS. Red., sic scribit: [2] « Il B. Liguori può dir- » si esclusivamente *l'Autore dell'E-* » *quiprobabilismo,* ossia di un Si- » stema morale, in cui si fa un uso » moderato dell'opinion probabile, » nei limiti almeno dell'uguaglianza; » nè per se medesima soltanto, ma » per dei principj riflessi di certez- » za, e di evidenza forniti. E come » ciò? Perchè egli, meglio di tutti » coloro che preceduto lo aveano, ne » rafforzò le fondamenta e le basi, » con adunargli attorno quell'am- » masso di prove, e quella nuvola » di autorità, che plausibile lo ren- » dono, e solido quanto mai esser lo » possa un filosofico-moral Sistema » ad ogni uomo ragionevole: egli ne » mostrò cogli scritti *la verità, e la* » *fermezza;* e coi fatti *l'utilità e la* » *dolcezza,* con cui opera il profitto » delle anime. *È vero dunque che* » *dal Beato solo, tutto deriva a* » *questo Sistema il suo lustro, il* » *suo credito, la sua celebrità, i* » *suoi progressi.* »

4. *P. Joachim* VENTURA, Ordinis Theatinorum, expressis verbis ait:...[3] « L'accennato Sistema è stato dal » B. Liguori adottato, sostenuto, » dilucidato, diffuso, per modo che » può dirsi un *Sistema affatto Li-* » *guorino; l'Equiprobabilismo* non » è divenuto comune tra noi, se non » in conseguenza della lettura e del- » lo studio delle Opere Morali del » B. Alfonso; e non si possono com- » batterne i principj, senza attaccar- » ne colui che n'è stato, e n'è an- » cor dopo morte *il Dottore e il* » *Maestro...* »

5. Auctor Opusculi inscripti: *Ri-* *flessioni sulla santità e dottrina del B. Alfonso...* [4] haec scribit: «Sap- » piasi, che il B. Alfonso nella sua » gioventù studiò il sistema contra- » rio a quello, che nelle sue Opere » insegnò. Ma coll'esercizio delle » sante Missioni provò, che egli con

1) *Fondamenti dei due sistemi della Morale Teologia in difesa del Ven. Liguori,... dell'Avvocato Picerni, dedicati alla Santità di Pio VI...* Napoli 1797. Part. 1. c. 2. Append. pag. 155. « L'avvocato Vincenzo Picerni avendogli dedicato la *Difesa del Sistema* » *Morale di Alfonso*, ne mostrò molto compiacimento nel Breve di risposta diretto allo » stesso Picerni » (Tannoia, lib. 4. c. 43. pag. 765.).

2) *Riflessioni critiche.... sull' Opuscolo del Sac. Andrea Tingelo....* Napoli 1823. §. 7. pag. 41. — 3) In Epistola praefixa ad cit. op. P. Basso, in qua suum profert judicium circa idem opusculum. — 4) Cfr. cit. Opusc., Ferentino 1834. ediz. 3.

» tale sistema non era quieto in co-
» scienza... In seguito *formò e so-*
» *stenne l' Equiprobabilismo*, cioè
» che in confronto della legge, e li-
» bertà dell'uomo, qualora la legge
» si rendeva dubbia, non poteva par-
» torire un obbligo certo.... Tutto
» ciò sapendo *il Difensore della causa*
» *de'Santi, fece la difesa del Siste-*
» *ma morale* del B. Alfonso. La cor-
» roborò con sì sode ragioni, auto-
» rità de'Santi Padri, e Teologi, con
» l' angelico Dottore S. Tommaso,
» che tenutasi la Congregazione de'
» Riti, fu deciso dalla S. Sede, che
» il B. Alfonso nell'esercizio di tutte
» le virtù era stato eroicamente pru-
» dente. Ciò posto, non potrà più
» dirsi, che in materia di sistema
» morale, il B. Alfonso fosse stato
» imprudente, e per conseguenza po-
» trà seguirsi con tutta sicurezza di
» coscienza.» [1] - Et alibi : « L' opi-
» nione *equiprobabile* specolativa si
» è, quando *due opinioni di egual*
» *grado e peso*, sono una a favor
» della legge, e l'altra a favor del-
» la libertà. Qualor le dette due opi-
» nioni sono in contrasto, in guisa
» che non si capisce da quale delle
» due parti può pendere il giudizio
» e decisione: in tal caso la legge,
» dice il B. Alfonso, si rende *dubbia*.
» Ora insegna l' istesso Beato, con
» l' angelico Dottore S. Tommaso,
» che quando la legge è dubbia, non
» può partorire obbligo certo. Ed *in*
» *questo consiste propriamente il*
» *sistema del B. Alfonso*. A tal ef-
» fetto, con questo giudizio riflesso,
» cioè, che essendo la legge dubbia,
» non può indurre obbligazione cer-
» ta, il B. Alfonso viene a seguire
» l'opinione moralmente certa.... » [2]

6. *Andreas* Coppola, Cong. Ora-
torii [3] inquit: « Le opere del B. Al-
» fonso M. de Liguori, che sono state
» dichiarate immuni da ogni censu-
» ra... si debbono avere in conto di
» massima autorità.... Ed in conse-
» guenza anche l'*Equiprobabilismo*,
» o sia il *Morale Sistema del Beato*,
» che forma gran parte delle sue
» Opere, ha dovuto essere *approva-*
» *to come immune da qualunque*
» *teologica censura, e debbesi avere*
» *tale approvazione come di somma*
» *autorità*. » - Et paulo inferius: « *Il*
» *B. Alfonso è il primo tra i Santi,*
» *che abbia apertamente e con ogni*
» *precisione compilato un Sistema*
» *di Morale tutto compito* e non
» soggetto ad equivoci, e per con-
» seguenza *il primo Sistema decisi-*
» *vamente compito, che la Chiesa*
» *ha dichiarato immune da ogni*
» *censura*... Se vogliasi consultar la
» ragione, questa detta che debbasi
» seguire *l'Equiprobabilismo* a pre-
» ferenza di ogni altro sistema. Si
» dimostra. La ragione detta di se-
» guire quel sistema di morale, in
» cui si è sicuro di non errare a
» preferenza degli altri, ne'quali può
» esservi errore. Ma *il Sistema equi-*
» *probabilistico*, dopo l'esame rigo-
» roso che ha subito, è stato dichia-
» rato immune da errori; e gli altri
» sistemi non avendo avuta una tale
» approvazione possono contenere de-
» gli errori. Dunque. » [4]

7. *P. Blasius* Panzuti, C.SS.Red.,
idem testatur: [5] « *29*. Cum opinio
» libertati favens, ac quae favet le-
» gi, sunt vel *aequaliter*, vel *quasi*
» *aequaliter* probabiles, in hoc casu
» *docet Ligorius*, quod cum in mo-
» ralibus, ut ipsi Antiprobabilistae
» docent, parum pro nihilo reputen-
» tur, nec exiguus probabilitatis ex-
» cessus moralem possit constituere
» certitudinem; nihil prohibet, quod
» tuta conscientia (praeterquam in
» casibus exceptis n. 25. 26.), opinio-
» nem libertati faventem sequamur,
» non quidem quia est probabilis,

1) Ibid. pag. 137–139. — 2) Ibid. pag. 152. — 3) *Morale Sistema del B. Alfonso M. de Liguori..... difeso da' quattro sillogismi del Can. Gaetano de Folgore...* Napoli, 1824. - Pag. 129.— 4) Op. cit. pag. 135. 136.— 5) *Theolog. mor. S. Alph... in Institutiones redacta...* Edit. 3. Neapoli 1840. (Prima vero editio prodiit an. 1825.) Cfr. Lib. I. Tract. I. c. 4. Dissert. De usu mod. opin. prob.

» cum ad licite operandum non suf-
» ficiat sola probabilitas, sed quia,
» cum opinio libertati favens aequali
» potiatur probabilitate, ac opposita,
» quae stat pro lege, aequalis haec
» probabilitas hinc indeque grave
» immittit dubium, an existat lex,
» quae actionem prohibeat, ac pro-
» inde deest sufficiens legis promul-
» gatio ad obligandum requisita....
» *Ita Ligorius, quem sequimur.* »

8. *Joseph* Frassinetti [1] pariter scribit: « Che se alcuno opponesse,
» non bastare che l' opinione favo-
» revole alla libertà sia sodamente
» probabile, perchè si possa seguire,
» quando la contraria, favorevole
» alla legge, sia più probabile, e ciò
» per la ragione che *S. Alfonso per-*
» *mette che si abbracci l' opinione*
» *egualmente probabile, e non già la*
» *meno probabile;* noi rispondiamo
» che il S. Dottore, quando dice es-
» sere permesso di abbracciare l' o-
» pinione *egualmente probabile,* par-
» la di eguaglianza morale, che sola
» può ricercarsi in queste materie:
» or questa uguaglianza morale ha
» gran latitudine, e non può determi-
» narsi se non molto all'ingrosso... »

9. *Joseph* Grassi, in Aesino Seminario Theologiae mor. Professor,[2] quaerit: « *Quamnam opinionem se-*
» *qui licet in concursu duarum opi-*
» *nionum probabilium?* » Et respondet: « Cum distinctione; vel una est
» altera *probabilior,* vel utraque est
» *aeque probabilis.* – Si *1.* Vel *pro-*
» *babilior* stat pro lege, et minus
» probabilis pro libertate, vel vice-
» versa. Si opinio probabilior stat
» pro *lege,* hanc sequi tenemur....
» Quod si minus probabilis stet pro
» lege, et probabilior stet pro *liber-*
» *tate,* tunc (praeter casus supra re-
» latos...) licitum est sequi opinio-
» nem probabiliorem stantem pro li-
» bertate, relicta minus probabili
» stante pro lege; non quidem ra-
» tione suae majoris probabilitatis,...
» sed licitum fit per principia re-
» flexa... – Si *2.* si nempe oppositae
» opiniones sunt *aeque probabiles,*
» tunc (exceptis casibus, in quibus,
» ad excludendum errandi periculum
» cum proprio, vel proximi detri-
» mento connexum, uti tantum licet
» opinionibus tutis, ac certis) *cum*
» *S. Alphonso dicimus,* esse licitum
» sequi opinionem stantem pro li-
» bertate... ex eisdem principiis re-
» flexis... »

10. *P. Gabriel* de Varceno *Ord. Capuccinorum* aperte quaestionem ponit: [3] « *Quodnam est Systema hodie*
» *tenendum?* » Et respondet: « *Est*
» *Systema S. Alphonsi de Ligorio,*
» nempe Probabilismus moderatus.
» Quare omnes, qui hoc systema am-
» plectuntur, vocantur Probabilistae
» moderati, vel *Aequiprobabilistae.* »

Articulus 4.

Suffragantur Theologi ex Gallia et Hispania.

1. *Rmus* Bouvier, Episcop. Cenomanen., haec habet [4] de sententia Probabilistarum: « 4. *Moderati* Pro-
» babilistae contendunt hominem, in-
» ter duas opiniones *aeque probabi-*
» *les* versantem, dubium speculati-
» vum deponere et conscientiam pra-
» ctice certam sibi efformare posse,
» quod licitum sit sequi opinionem
» minus tutam, relicta tutiori; sic-
» que ratiocinantur: Qui inter duas
» opiniones *aeque probabiles* versa-
» tur, dubitat an existat lex suam
» libertatem cohibens: porro lex du-
» bia non obligat,... ergo practice
» merito judicat, se illa lege non
» teneri... Ex his momentis conclu-
» dunt Probabilistae, clarum esse,
» legem dubiam conscientiam non li-
» gare in actu secundo, id est quoad

1) *Compendio della Teol. mor. di S. Alf.*.... 3. ediz. Genova, 1867. — Tratt. I. c. 3. Dissert. 3. pag. 38. — 2) *Universa Theol. moralis juxta doctrinam S. Alphonsi de Ligorio,* Aesii 1852, Vol. 1. Tr. de consc. c. 3. quaer. 4. pag. 38. — 3) *Compendium Theol. mor.,* Viterbii 1870. tr. de consc. c. 4. art. 3. pag. 40. — 4) Cfr. *Institutiones theologicae ad usum Seminar.,* Tom. 4. Parisiis 1861. De consc. cap. 4. art. 3. pag. 515–518.

» praxim. Unde in concursu duarum » opinionum *aeque probabilium*, suam » conscientiam sic efformant practice » tutam... Ita Sylvius et multi alii » extranei, ac recentius *S. Ligorius*, » *qui... doctrinam Probabilismi mo-* » *derati fortiter ac longissime de-* » *fendit...* »

2. *Anonymus* quidam *Gallus* [1] ajebat: « Saint Alphonse, nous l'avons » déjà dit à diverses reprises, ne re- » connaît que deux degrés de pro- » babilité relative; l'*également* ou *à* » *peu près également* probable, et » le *beaucoup plus* probable... »

3. D. Bermann, olim Professor in Seminario Nanceyensi, Systema S. Alphonsi a communi Probabilismo aperte secernit. Ait enim: [2] « *Pro-* » *babilistae* ii sunt, qui docent lici- » tum esse sequi opinionem pro li- » bertate, modo sit probabilis. Ve- » rum Probabilistae non in omnibus » sunt sibi consentientes, et ad tres » classes revocantur; alii sunt Pro- » babilistae *rigidi*, inter quos *S. Li-* » *gorius*, qui volunt non licere sequi » opinionem probabilem, nisi sit sal- » tem *aeque* probabilis ac altera quae » stat pro lege. Alii sunt Probabi- » listae *benigniores*, qui docent lici- » tum esse sequi opinionem probabi- » lem quae stat pro libertate, etiamsi » sit minus probabilis quam opposita » quae stat pro lege; modo prior opi- » nio sit solide probabilis. Alii sunt » Probabilistae nimis benigni, seu » *laxistae...* »

4. Cl. Albrand, Superior Semin. Paris. Missionum ad exteros, [3] sequentem statuit propositionem: « *Non* » *licet sequi opinionem minus pro-* » *babilem faventem libertati, in con-* » *cursu probabilioris faventis legi.* » Dein, varia systemata exponens, ait: [4] « Alii, ex adverso, docent, esse » licitum sequi opinionem probabi- » lem hominis libertati faventem, in » concursu *aeque* probabilis quae fa- » vet legi, modo illa opinio sit vere » graviterque probabilis. Illorum do- » ctrina, *cui assentimur*, dicitur » Systema morale Probabilismi mo- » derati, et qui propugnant illud, » *Probabilistae moderati* vel *Aequi-* » *probabilistae* vocantur. » — Hanc suam sententiam cl. Auctor fuse probat, et addit: [5] « Neque aliter sen- » sere S. Bernardus, S. Philippus Ne- » rius, S. Franciscus Salesius, S. Leo- » nardus a Portu Mauritio, et alii..., » *sed signanter S. Alphonsus de Li-* » *gorio, auctor ingenio, eruditione,* » *sanctitate et experientia praestan-* » *tissimus...* Ille quidem, assignatis » Probabilismo moderato nativis li- » mitibus, nostram doctrinam ex » cathedra acerrime et invicte ita » propugnavit, ut *doctrina Ligoria-* » *na* placuerit appellari... (Probatur) » *ex approbatione Ecclesiae saltem* » *implicita.* Constat ex approbatione » Operum S. Ligorii.... Iterum ex » Decreto S. Poenitentiariae... »

5. *Cl. A.* Martinet, [6] agens de regulis conscientiae inter theologos licite controversis, scribit: « Altera » est *Aequiprobabilismi*, inde di- » cti, quod ad prudentem electionem » partis minus tutae exigit proba- » bilitatem *aequalem, aut fere ae-* » *qualem* probabilitati partis tutio- » ris:... in dubio quippe stricto quod » nascitur ex aequalitate probabili- » tatum utrinque pugnantium, lo- » cum obtinent principia reflexa: » Lex dubia non obligat; potior est » conditio possidentis: *secus vero*, » *ubi stat pro lege opinio vere pro-* » *babilior*, quia si tunc remanet du- » bium de legis existentia, dubium » non est strictum. *Ita S. Alphon-* » *sus....* » [7]

Et paulo inferius idem cl. Auctor

1) *Revue théologique*, V. Série, tome 1. Paris 1860. pag. 108. — 2) *Theologia ex S. Ligorio*..... Lutetiae Parisiorum, 1854. Vol. 1. pag. 116. — 3) *Thomae ex Charmes Theologia universa... quoad partem moralem ad sententias Ligorianas funditus reducta.* Edit. 2. a Rom. Censoribus approbata, Parisiis 1871. tom. 4. pag. 173. — 4) Ibid. pag. 185. — 5) Ibid. pag. 195. — 6) *Theolog. moral.* T. I. Parisiis 1867. Lib. I. art. 13. pag. 258.

7) Loc. cit. idem Auctor regulam exponit quam *P. Gury* propugnat et minus recte vocat

probat, regulam Aequiprobabilismi esse substantialiter fundatissimam; ac subjungit: « *Magnam demum re-* » *gulae Aequiprobabilismi auctori-* » *tatem conciliavit doctissimus et* » *sanctissimus Conditor, praefatus* » *Alphonsus M. de Ligorio;* qui, » ipso referente, imbutus primum » rigidiore sententia, hanc strenue » propugnavit, quoad, re diligentius » speculative et practice perpensa, » - persuasus remansit, nefas esse con- » scientias, cum opiniones sunt *aeque* » probabiles, ad tutiorem sequendam » adstringere, cum periculo in plu- » rimas formales culpas incurren- » di; - totamque suam Theologiam » moralem ab axiomate: *Lex dubia* » *non obligat,* quasi rivulum a fon- » te, derivavit. Cujus eximii Operis, » acerrimos olim nacti obtrectatores » in scholis, supervacua jam esset » defensio... » [1]

6. Auctor, qui ex praescripto Rmi Archiep. Tolosani, nonam editionem operis inscripti: *Institutiones Theol. ad usum Seminarii Tolosani,* a rigoristarum placitis purgavit, inquit: « Inclinamur in Probabili- » smum, si agatur de lege ecclesia- » stica aut civili... Si autem dubium » versetur circa legem naturalem » aut divinam positivam, vero pro- » ximior videtur *Aequiprobabili-* » *smus Ligorianus.* » - Quae verba referens, *P. H. Montrouzier,* S. J.[2] addit: « Nous voudrions ici plus de » développements. La thèse est, en » effet, d'une importance majeure. » Nous voudrions aussi que l'auteur » ne fît pas de S. Liguori un sim- » ple *Équiprobabiliste,* mais qu'il le » mît au rang des adeptes du *Pro-* » *babilisme pur et simple,* ainsi que » nous avons récemment *essayé de* » *démontrer* qu'il le faut faire. » [3]- Habemus heic duo testimonia in unum collecta. Primum pro nostra thesi, alterum P. Ballerinio favens.

7. *D. Bernardus* Sala, breviator Ligorianae Theologiae, [4] inquit: « *10.* Que, si bien hay muchos au- » tores que dicen que puede uno » lícitamente seguir la opinion *só-* » *lida,* pero *ménos probable,* que » favorece á la libertad, aunque la » que favorece á la ley sea *ciertа-* » *mente más* probable; sin embargo » *S. Alfonso* califica esta doctrina » de *laxa,* y dice que no puede lí- » citamente abrazarse. - *11.* Cuando, » empero, la opinion que favorece » la libertad es *igualmente (ó casi)* » *probable* que la que favorece á la » ley, puede sin duda seguirse lící- » tamente, no en virtud de las ra- » zones intrínsecas y directas, sino » en fuerza de los principios reflejos. »

Articulus 5.

Adstipulantur Theologi ex Austria et Germania.

1. *P. Michael* Haringer, C. SS. Red., haec adnotat: [5] « Ut lector » varias assertiones *S. Alphonsi* cir- » ca usum opinionum probabilium » quasi in nuce perspicere possit, » ipsas ex variis locis hujus Operis... » collectas, hic pro majore utilitate » subjecimus... *I. Quando non licet* » *uti Probabilismo.... 8.* Non licet

Probabilismum *moderatum:* « Tertia regula est *Probabilismi moderati,* cujus haec est for- » mula: *Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiori aeque probabili,* » *vel etiam probabiliori:* quia nempe nulla est obligatio, nisi de ea certo constet; atqui » non certo constat de obligatione servandae legis contra quam militat *vera et solida* pro- » babilitas, etc. » Ita *P. Gury,* Compend. Theol. moral. de conscient. n. 60...» Et quibusdam praemissis, haec notatu digna subdit: « *Cum Probabilismus moderatus, qualis nunc do-* » *cetur, non aliis quam Aequiprobabilismi argumentis utatur, suamque regulam, quasi* » *parum diversam a secunda, tegere soleat magno nomine S. Alphonsi....*»

1) Loc. cit. §. 4. pag. 275. — 2) *Revue des sciences ecclés.,* n. 108. Décemb. 1868. pag. 558. — 3) Cfr. eamdem Ephemer., n. 94. Octobre 1867. pag. 302. sqq., ubi cit. scriptor Dissertationem P. Ballerinii exponit atque summopere laudat. — 4) *La Teologia Moral en noventa conferencias....* Vich 1868. Conferen. IV. — 5) *Theol. mor. S. Alphonsi...* Ratisbonae, 1846. - Lib. I. Tract. 1. ad calcem Mor. System. pag. 135.

» sequi opinionem minus probabi-
» lem, relicta multo probabiliore...-
» *II. Quando licet uti opinione pro-*
» *babili.* Responsum patet ex dictis;
» sed expresse ait S. Alphonsus, quod
» licet usus Probabilismi: 1° quando
» opinio est probabilissima vel multo
» probabilior...; 2° quando opiniones,
» quae stant pro lege et pro liber-
» tate, sunt *aeque probabiles:* et hic
» notandum, quod parum (plus vel
» minus) pro nihilo reputatur. »

2. *Cl. D.* Fuchs, Professor Theol. mor. in Universitate Monacensi, postquam historiam *Probabilismi*, ac controversiarum S. Alphonsum inter et Patutium aliosque fusius exposuerit, sic concludit: [1] « Viam
» tandem inter istas partes odiis
» theologicis disjunctas deprehendis-
» se *mediam quamdam, solamque*
» *rectam* sibi persuasit Alphonsus
» Ligorius: quo id jure? ex iis, quae
» supra dicta sunt, satis sapientis-
» simo cuique patefecisse mihi vi-
» deor. »

3. *Cl. J. H.* Van Endert, S. Theol. D., cum aliis convenit. Scribit enim: [2] « S. Ligorius *Aequiprobabilistarum*
» *parens et choragus....* nonnulla
» proposuit principia reflexa, quibus
» innixus, homo in dubio possit
» suam libertatem sartam tectamque
» retinere. » Expositis deinde his principiis, idem Auctor concludit: « Ut brevi omnia sub finem comple-
» ctar, equidem *judico, Aequiproba-*
» *bilismo palmam esse tribuendam.*» [3]

4. *D. Paulus* Palasthy, Hungarus, Professor S. Theol. Pestinensis, protestatur: [4] se deserere doctrinam *a S. Alphonso de Aequiprobabilismo* traditam, ac doctrinam opinionum probabiliorum profiteri.

5. *P. Michael* Benger, C. SS. Red., in Theologia pastorali germanice scripta, dicit: [5] « *Aequiprobabili-*
» *smus* a S. Alphonso dilucide expo-
» situs..., *magis magisque etiam in*
» *Germania recipitur et approba-*
» *tur.* Cfr. Probst,... Jocham,... Mar-
» tin,... Van Endert... »

6. *Rmus Conradus* Martin, Episc. Paderbornen., in Opere morali etiam germanice conscripto, [6] ait: « *Aequiprobabilismi patronus ac de-*
» *fensor celeberrimus optimusque est*
» *S. Ligorius,* qui illum sic exponit...» Dein Rmus Auctor, post egregiam Aequiprobabilismi expositionem, his verbis concludit: « Rebus hoc mo-
» do consideratis, dubia contra *Sy-*
» *stema S. Ligorii* objecta, per se
» solvuntur. Notandum quoque est,
» a S. Alphonso Aequiprobabilismum
» ad illos tantum casus applicari,
» in quibus damnum salutis pro-
» priae aut proximorum omnino non
» adest. »

7. *Cl. T.* Simar, Theol. Professor in Universitate Bonnensi, qui pariter idiomate germanico Opus suum morale exaravit, haec tradit: [7] « Ad con-
» firmandum *Aequiprobabilismum,*
» *S. Alphonsus, praestantissimus*
» *ejus patronus ac defensor,* ista
» adhibet principia: Lex dubia non
» obligat, etc. » Quibus principiis expositis, pergit Auctor Aequiprobabilismum confirmare; deinde ostendit, in quo consistant Probabilismi et Tutiorismi systemata, ac demum concludit: « *Inter haec opposita ut*
» *inveniatur via media, defendendo*
» *tuendoque Aequiprobabilismum,*
» *praecipuus fuit S. Alphonsi labor*
» *et meritum...* Per latam diffusio-
» nem atque auctoritatem Operum
» S. Alphonsi, *hoc Systema quasi*
» *ubique terrarum in Ecclesia re-*
» *ceptum ac probatum est.* » [8]

8. *Cl. D. Ernestus* Müller, Pro-

1) *Institutiones Theol. mor....* Augustae Vindelicorum, 1848. – Vol. I. pag. 268. — 2) *De opinionis prob. usu ad efformandum conscientiae dictamen*, Coloniae, 1860. – *§.* 13. pag. 63. — 3) Loc. cit. pag. 77. — 4) *Theologia morum cathol.*, Ratisbon. 1861. part. I. *§.* 10. 11. – Cfr. *Müller, Theol. mor.* Vindob. 1868. Lib. I. pag. 285. — 5) *Pastoraltheologie*, Regensburg, 1861–63. – Vol. 3. pag. 484. — 6) *Lehrbuch der Katholischen Moral*, 5. Aufl. Mainz, 1865. — Pag. 112. *§.* 44. — 7) *Lehrbuch der Kathol. Moraltheologie.* Freiburg, 1867. *§.* 44. pag. 71. — 8) Loc. cit. pag. 81.

fessor emerit. Theol. mor. in Universitate Vindobonen., haec scitissime tradit: [1] « Contra rigidae morum doctrinae assertores, sapientius firmiusque nemo Probabilismum propugnavit et evicit, quam *S. Alphonsus,* qui praeterea haec quoque merita sibi comparavit, quod hanc doctrinam... lucidissime explicavit, principia, quibus usus opinionum probabilium adtemperandus est, accurate determinavit et vindicavit, denique *distinctius assignavit limites in probabilitatis usu non excedendos... Admittit tantum* (S. Episcopus) usum opinionis probabilis vel minus probabilis stantis pro libertate, quando opinio opposita non est notabiliter et certe, sed parum tantum probabilior, adeoque *aeque vel fere aeque probabilis,* quia parum pro nihilo reputatur. Et idcirco Probabilismus a S. Alphonso sic conceptus et *moderatus,* apte dici solet *Aequiprobabilismus, qui hodiedum in scholis fere ubique docetur.* » - Atque alibi [2] doctissimus Auctor hanc statuit regulam: « *Licitum est sequi opinionem minus tutam vere probabilem, opinione tutiore aeque vel fere aeque probabili relicta.* Contradicunt huic regulae Probabilioristae, contra quos igitur eam sequentibus argumentis demonstrandam suscipimus... 3. *Ex approbatione Ecclesiae saltem implicita,* in approbatione Operum S. Alphonsi..., qui enimvero *Probabilismum moderatum,* seu *Aequiprobabilismum* tum in sua *Theologia morali,* tum in alio Opere serius edito sub titulo: *Homo Apost.,* necnon in suis Apologiis contra adversarios concinnatis, *non minori mentis perspicacia, quam animi fortitudine propugnavit.* »

Articulus 6.

Testimonia ipsorum S. Alphonsi Adversariorum.

Recensitis hucusque Auctoribus, qui S. Alphonsum ceu *Aequiprobabilistam* laudant vel saltem agnoscunt, adjungere juvat eos qui S. Antistitis Aequiprobabilismo vehementer obstiterunt, *Patutium* nempe, *Tingelum* et *Folgore;* quorum testimonia maxima utique habenda sunt momenti.

1. Audiamus itaque *P. Jo. Vincentium* Patuzzi, Ord. Praedic., qui haec S. Doctori objecit: [3] « Comunque *egli protesti* (S. Alphonsus) *di non sostenere il Probabilismo nella guisa, che viene insegnato dagli altri, che Probabilisti si appellano, e pretenda di soltanto difenderlo, allorchè le due contradditorie opinioni, siano egualmente, o quasi egualmente probabili;* esso ad ogni modo ricade nella sentenza medesima, che è difesa comunemente dagl'altri: onde tutti gli argomenti diretti contro di quel pericoloso sistema di opinare, combattono similmente *il Sistema suo* preteso *moderato.* [4] - Et sub initio operis, sic S. Episcopum interpellat: « Come poteste mai, Monsignore, persuadervi di sostenere in piedi il rovinoso Sistema, col prendere ad impugnare soltanto l'argomento, che getta a terra quel *vostro favorito principio* della legge dubbiosa nel concorso di due opinioni contrarie *egualmente probabili?...* » [5]

Porro in §. I. P. Patutius statum quaestionis discutit, prout a S. Alphonso proponitur: « Voi date principio, Monsignore, alla vostra *Breve Dissertazione,* coll' esporre le due questioni, che intendete di esaminare. La prima, se sia lecito di

1) *Theologia mor.* Vindob. 1868. - Lib. I. pag. 285. — 2) Loc. cit. pag. 304, 305. — 3) *La causa del Probabilismo... convinta novellam. di falsità da Adelfo Dositeo...* Ferrara, 1764. (contra Dissertat. anno 1762. a S. Alphonso evulgatam; cfr. supra, pag. 47.). — 4) Ibid. *Avviso dell' editore* (sc. ipsius P. Patuzzi). — Quid vero S. A. ad hanc objectionem responderit, jam supra vidimus, pag. 53. punct. IV. n. 1. — 5) Op. cit., Introd. pag. 2.

» seguire l'opinione *meno probabile*. » La seconda, *se essendo le due opi-* » *nioni opposte egualmente, o quasi* » *egualmente probabili, sia lecito* » *seguire la meno tuta*. E quindi *per* » *dar a conoscere, che moderato sia* » *l'uso del Probabilismo da voi so-* » *stenuto*, soggiungete immediata- » mente... - Diciamo che non è lecito » di seguitare l'opinione meno pro- » babile, quando l'opinione che sta » per la legge è *notabilmente e cer-* » *tamente più probabile*. Perchè al- » lora l'opinione più tuta non è già » *dubbia*, ma è moralmente o quasi » moralmente certa, avendo per sè » un fondamento certo d'esser vera: » dove all' incontro l'opinione meno » tuta, e molto meno probabile non » ha tal fondamento certo di esser » vera. Ond' è che allora questa ri- » mane *tenuamente*, o almeno dub- » biamente probabile a confronto » della opinione più tuta, ecc. - » Con queste parole, *voi pretendete* » *di rigettare il Probabilismo* da al- » tri difeso, *per abbracciarne un al-* » *tro più moderato, e per tal guisa* » DISTINGUERVI DAL COMUNE DE' PRO- » BABILISTI MODERNI. Non è così? Ma » se pur troppo *è così...*» - Tandem in §. ultimo, pag. 229. haec P. Patutius addit: « Voi, Monsignore, giu- » dicate *moralmente certa* la sen- » tenza, che *tra due opinioni con-* » *traddittorie ugualmente probabili* » intorno la legge, possa ognuno le- » citamente seguire, e mettere in » pratica quella, che favorisce la li- » bertà, abbandonando quella, che » asserisce la legge. Tanto voi *chia-* » *ramente affermate*, e tanto *affer-* » *mar dovete:* poichè altrimente non » potrebbe essere moralmente certo » il dettame pratico della coscienza, » che regge l'azione, o l' omissione » particolare... »

2. Haec scribebat acerrimus ille S. Alphonsi adversarius, dum adhuc S. Doctor in vivis erat. Post triginta vero et amplius annos ab ejus pretioso obitu, surrexit audacter nescio quis, sub ementito nomine *Andreae* TINGELO; qui nulla alia de causa S. Doctoris morale Systema impetivit, nisi quia in illo Aequiprobabilismum sibi valde invisum agnoscebat: « *Alcuni fra i Probabilisti* » (ait Pseudonymus) nauseati della » soverchia benignità del di loro si- » stema, e mossi dal rumore che per » tal sistema si faceva nella Chiesa, » non meno che dalle ragioni, colle » quali veniva combattuto, *cerca-* » *rono di temperarlo col così detto* » *Semiprobabilismo* » (qui secundum auctorem, idem est ac Aequiprobabilismus, ut clare patet ex contextu)... « *Il B. Alfonso de Liguori vi* » *appose* in diversi tempi *non poche* » *limitazioni*.... Col *Semiprobabi-* » *lismo* si asserisce, non esser lecito » seguir in pratica la opinione meno » probabile a favor della libertà in » concorso della più probabile in » contrario; ma che sia bensì lecito » seguir la opinione probabile a fa- » vor della libertà, quando tale opi- » nione è contrastata da un' altra » *egualmente* probabile, che favori- » sce la legge. Questo è il *Semipro-* » *babilismo*, che noi combattiamo. »[1]

3. Eodem circiter tempore, in lucem prodiit opusculum *Can. Cajetani* DE FOLGORE, qui contendebat, etiam post Decretum S. Rit. Cong., quo S. Alphonsi Opera ab omni censura immunia declarantur, licite posse impugnari ejusdem Sancti doctrinam, sicuti ante praefatum Decretum. De morali autem Systemate loquens, aperte Aequiprobabilismum S. Doctori adscribit; siquidem dicit: « Dunque anche il suo Sistema » morale o sia il *Semiprobabilismo* » o *Equeprobabilismo* (dicasi come » si vuole) non è stato nella Beati- » ficazione di lui approvato, ma al » più non riprovato; e però è la- » sciato nello stesso stato, in cui era

1) *Il Pedante contro il così detto Semi-Probabilismo, Operetta del Sacer. Andrea Tingelo*, Napoli 1821. pag. 56.

» prima... » Quam assertionem egregie confutavit cl. Coppola. [1]

CONCLUSIO HUJUS PARAGRAPHI.

1. Sed jam sufficiunt ista testimonia, tum ex Scriptoribus S. Alphonsi studiosis, tum ex ejus adversariis collecta. Hi omnes uno ore testantur, proprium S. Doctoris Systema esse *Aequiprobabilismum,* et Ipsi, qua tali, vel adhaerent, vel adversantur. Imo quidam asseverant, istud Systema S. Alphonsi hodiedum in scholis fere ubique doceri. – Quae testimonia si prae oculis habuisset cl. Professor, minori profecto fiducia asseruisset: « At vero hoc ipsum » est, quod *alii jure merito* non » modo in dubium vocari, sed *plane* » *a veritate alienum* ostendi posse » arbitrantur. » Hinc non nimis forsitan a vero aberraret qui diceret, istos *alios* non esse nisi solum P. Ballerini; alium namque ejusdem sententiae suffragatorem nec ipse adducit, nec ullum nobis invenire datum fuit.

2. Ex Scriptoribus autem cl. Professori posterioribus (quorum proinde suffragium ipse invocare non potuerat), nonnisi duos cognoscimus eidem sententiae adhaerentes. – Alter est anonymus quidam Theologus gallus E. G., [2] dicens: « Il est ma» nifeste, que ce qui domine dans » les œuvres de S. Liguori, c'est le » *Probabilisme* »; adjungendo: « nous » prenons ici le Probabilisme dans » son sens le plus large, sans distin» guer ses diverses nuances. » Ipsemet dein fatetur, S. Alphonsum communiter censeri Aequiprobabilistam, et tantum asserit, ipsum in solutione practica casuum potius convenire cum fautoribus simplicis Probabilismi: « *S. Liguori est rangé* » *parmi les Équiprobabilistes,* mais, » en réalité, il s'attache surtout aux » sentiments des Probabilistes; ses » auteurs favoris sont des Probabi» listes, et les principes sur lesquels » il appuie ses décisions, sont ceux » qui conduisent nécessairement au » Probabilisme simple... » [3] – Alter est *cl. P. Montrouzier, S. J.,* qui in analysi Dissertationis P. Ballerinii, [4] cui subscribit, pariter fatetur tam communem esse sententiam de Aequiprobabilismo S. Alphonsi, ut opinio contraria paradoxum sapere videri possit: « *Que S. Liguori doi*» *ve être compté parmi les Équi*» *probabilistes, c'est un sentiment* » *si universel, et tellement accré*» *dité par d'illustres auteurs,* Sca» vini, Neyraguet, le cardinal Gous» set etc., *qu'il semble paradoxal* » *de vouloir revendiquer S. Alphon*» *se comme un des défenseurs du* » *Probabilisme.* Nous croyons tou» tefois pouvoir soutenir la thèse » opposée, et montrer à nos lec» teurs, que le Probabilisme est » bien réellement la doctrine même » du S. Evêque. Nous suivrons le » P. Ballerini dans la remarquable » dissertation.... » Hanc itaque novam sententiam, quae, ipso fatente, paradoxum sapere videtur, cl. Scriptor amplexus est sola fretus auctoritate P. Ballerinii, et falsis argumentis ab ipso allatis: hinc error discipuli totus debetur magistro.

3. Ex omnibus hucusque expositis, luculenter patet, Scriptores disciplinae moralis communiter S. Alphonso adscripsisse Aequiprobabilismum; ita ut, ratione etiam auctoritatis, sententia cl. Ballerinii nullo solido nitatur fundamento. – Sed jam ad ipsam Dissertationem revertamur, in qua cl. Professor alia profert argumenta, quibus sententiam a se propugnatam probare contendit.

1) Cfr. cit. Opusc. confutationem, cui tit. *Morale Sistema del B. Alf.... Breve opuscolo del Sac. dell' Oratorio Andrea Coppola,* Napoli 1824. pag. 100. (Vid. etiam supra, pag. 89. n. 6.). — 2) *Revue des sciences ecclés.,* n. 56. Août 1864. pag. 178. — 3) Huic assertioni sufficiens dabitur responsio, in tertia Appendice Operis. — 4) Vid. cit. Ephemer. n. 94. Octobre 1867. pag. 303.

CAPUT IV.

RESPONSA AD ALIAS CL. BALLERINII ASSERTIONES ET OBJECTIONES.

Contra cl. Professorem, in tribus prioribus Capitibus abunde probavimus, tum ex inspectis ac discussis ipsius S. Doctoris Operibus, sive priori, sive posteriori tempore conscriptis, tum ex communi Scriptorum testimonio, verum S. Alphonsi Systema morale non esse communem Probabilismum, sed sapientissimum Systema Aequiprobabilismi, cujus revera dici potest Auctor. Restat nunc, ut alia examinemus asserta et objecta, quibus cl. Ballerinius, tam in enunciata *Dissertatione,* quam in *Adnotationibus* ad Compendium Patris Gury, thesim suam firmare conatur. Hinc duplex erit hujus Capitis Paragraphus.

§. 1.

Confutantur plura alia argumenta, in Dissertatione *P. Ballerinii contra Aequiprobabilismum S. Alphonsi prolata.*

Quae, post jam praemissa, ad thesim suam propugnandam, cl. Professor asserit, ad sequentia summatim reduci possunt: 1. *Fraudulenter mutilata fuit postrema Theologiae moralis editio, a S. Sede approbata,* ita ut ex ipsa genuinum S. Alphonsi systema non appareat. – 2. *Opinio certe probabilior,* ex mente S. Doctoris, aliud non est, nisi *Sententia moraliter certa.* – 3. *Gravissima hallucinatio nonnullorum Auctorum circa S. Alphonsi systema* inde profecta est, quod isti ad *quamlibet majorem* probabilitatem ea transtulerint, quae S. Doctor dumtaxat statuerat de tali insigniori probabilitatis excessu, qui oppositae opinioni probabilitatem demat. – 4. In *posterioribus* suis Scriptis, S. A. nullatenus a communi Probabilismo recessit, sed tantum ab eo defendendo *abstinere* se declarat. – 5. *Eo solo fine ut laxitatis notam repelleret,* ipse contra hostes qui *nuspiam* extabant, *inauditam* protulit thesim: Non licere usum opinionis minus probabilis, ubi pro lege stet opposita certe ac longe probabilior. – 6. Caeterum, dum S. A. opinionem *aeque* probabilem defendebat, *eo ipso* etiam propugnavit *licitum usum opinionis probabilis in concursu certe probabilioris.*

Miras istas assertiones totidem Articulis singillatim refellemus.

Articulus 1.

Omni, vel levissimo fundamento destituta est assertio, fraudulenter mutilatam fuisse postremam Theologiae mor. editionem, a S. Sede approbatam.

Post verba superius (pag. 46. §. 2.) relata, cl. Ballerinius Dissertationem suam, pag. 11. sic prosequitur: « At enim, dicet quispiam, nihil opus » fuisse, ut retractationum catalogis » hanc quoque emendationem S. Al» phonsus insereret; quando in edi» tione anni 1773. (Dissert. de usu » mod. op. prob. n. 2.), atque etiam » in postrema Bassanensi, quae inter » omnium manus versatur, doctri» nam, de qua sermo est, reprobavit, » suaeque hujus sententiae rationes » non tacuit. Siquidem ad quaestio» nem: « *An licitum sit sequi opi» nionem minus probabilem, relicta » probabiliori, quae stat pro lege?* » » plane respondet negative: « *Ubi ve» ritas,* inquit (Syst. mor. init. in ed. » Bassan.) inter alia, *clare inveniri*

» *nequit, tenemur amplecti saltem* » *opinionem illam, quae propius ad* » *veritatem accedit, qualis est opi-* » *nio probabilior.* » Ita quidem non- » nulli ex recentioribus, qui novum » S. Alphonso systema affingunt.

» Verum (quod sane dolendum est) » non satis isti videntur advertisse, » quibusnam limitibus thesim hanc » suam S. Alphonsus constringat; » quum ex horum inspectione pla- » num alioquin esset concludere, sen- » tentiae, quam communissimam ipse » dixerat, quamque uti moraliter » certam defenderat, alteram hanc » thesim ne minimum quidem adver- » sari.

» Hanc ille ita enunciat (Init. Syst. » mor. in Bassan. edit.): « *Dico pri-* » *mo, quod si opinio, quae stat pro* » *lege, videatur* CERTE *probabilior,* » *ipsam omnino sectari tenemur,* » *nec possumus tunc oppositam, quae* » *stat pro libertate, amplecti.* »

» Porro advertatur sedulo vox illa » CERTE, scite omnino tum in Ra- » tisbonensi editione anni 1846. per » R. P. Michaelem Haringer curata, » tum in stereotypis editionibus Bel- » gica et Taurinensi, rotundis, seu, » ut ajebant majores nostri, italicis » litteris impressa. [1] Et quidem vocis » istius sensum haudquaquam nos » nobis confingimus, sed ex ipso » S. Alphonso haurimus. – Quod au- » tem haec quidam videantur peni- » tus ignorasse, facillima iis venia » tribuitur, postquam *e praedictis* » *editionibus, Ratisbonensi* scilicet, » *Belgica et Taurinensi constat, in* » *editione Bassanensi,* ad cujus exem- » plar plurimae aliae deinceps excu- » sae sunt, quae omnium vulgo ma- » nibus tenebantur, *paragraphum,* » *in qua haec explicatio continetur,* » *avulsam ac sublatam fuisse, atque* » *insuper ad istam aliasque frau-* » *dulentas mutilationes tegendas,* » *paragraphorum etiam numeros,* » *a S. Alphonso appositos, ac sae-* » *pius in progressu Operis citatos,* » *fuisse in ea Dissertatione sup-* » *pressos.* »

1. Fraudulenter ergo ex sententia cl. Ballerinii, in postrema editione a S. Sede approbata, mutilatus est textus Dissertationis inscriptae: « *Morale systema* », et vera atque genuina S. Alphonsi sententia essentialiter hac mutilatione adulterata est. Et cum hucusque nemo hanc fraudem adverterit, omnes Auctores, S. Alphonso systema Aequiprobabilismi adscribentes, in errore pessimo versati sunt; quamvis facillimam veniam ipsis clementer tribuere cl. Professor non omittat. – Quisnam vero fuerit nefarius iste deceptor, ipse non indicat, sed in genere tantum postea de *Bassanensibus* loquitur. [2] Alius autem id patrare non potuisset, nisi *Remondini,* typographus et bibliopola Venetus, cui S. Doctor perplura sua Opera excudenda et vulganda commisit; nam in fronte istorum librorum, aut: *Bassano, nella stamperia Remondini,* aut: « *Bassani, prostant Venetiis apud Remondini* » legitur.

2. Sed jam non est, quo tempus inutiliter teramus. Fraudulentam hanc mutilationem gratis omnino in medium profert P. Ballerini, prout ex documentis in Cap. II. §. 2. allatis evidenter liquet. Ipse namque Alphonsus, ut vidimus in *Monito* septimae editioni adjecto praefatam explicationem omisit, et juxta normam hujus *Moniti,* jam in editione octava Dissertationis exordium immutavit. Si autem, ipso inscio, Typographus aliusve inaudita audacia textum adulterasset, ipse saltem in subsequenti editione genuinum textum restituisset. Insuper in utraque editione, tam octava, quam nona, quae perfecte et ad litteram sibi consonant, S. A. prae-

1) Obiter advertimus, vocem CERTE jam in edition. sexta et septima, quas ipse S. Alphonsus curavit, italicis litteris impressam legi, et non solum « *seite omnino* », ut dicit cl. Professor, in Mechliniensi, Ratisbonensi, et Taurinensi stereotypa. — 2) Cfr. infra, pag. 100. et 101.

dicti *Moniti* expressam mentionem facit, dicens: « *ut in principio hu-* » *jus Moniti praemisi.* »[1] - Nec isti fictitii Bassanenses, ad fraudulentas mutilationes tegendas, *paragraphorum* etiam *numeros* a S. Alphonso appositos, et saepius in progressu Operis citatos, suppresserunt; nam S. A. istos numeros nunquam apposuerat, nequidem primitus in 6. editione de anno 1767.[2]

3. Subjungit P. Ballerini, *hanc textus fraudulentam mutilationem patere ex triplici recentiori editione, Ratisbonensi* scilicet, *Belgica et Taurinensi.* At vero, ex hisce editionibus oppositum potius constat. - P. Heilig, cujus cura anno 1845. prodiit editio *Mechliniensis,* post primam propositionem numeri *53.*, hanc adnotationem adjecit: « *1° Quod in hoc* » *numero sequitur, sicuti numeri* » *sequentes 54, 55, 56 et 57., ex edi-* » *tione sexta Romana ann. 1767.* » *ad verbum excerpti et hic inter-* » *positi sunt,* cum brevissime ac val- » de logice omnes facies probabili- » smi, seu gradus probabilitatis si- » mul exhibentes, mentem Auctoris » de suo Systemate clarius ostendere » viderentur. *2° Cum S. Alphonsus* » *de Ligorio suum Tractatum de* » *conscientia aliquoties quoad for-* » *mam immutavit, factum est, ut nu-* » *meri 36, nimirum numeri omnes* » *ab hoc n. 53. exclusive usque ad* » *n. 90.* quocum inchoatur tr. 2. de » Legibus, *penitus defecerint. Opti-* » *mum itaque esse duximus, nume-* » *ros omissos claritatis causa pro* » *viribus restituere.* » - Nihil ergo de fraudulenta aliqua mutilatione occurrit, sed ideo consultum duxit editor Mechliniensis numeros 54, 55, 56 et 57. ex sexta editione ad verbum excerpere, quia ipsi visum est, istos numeros ad dilucidandam mentem S. Alphonsi de suo systemate conferre posse. - Ipsum deinde anno 1846. in editione *Ratisbonensi*, secutus est P. Haringer, qui in adnotatione ad cit. num. 53. dicit: « Novissimus edi- » tor P. Heilig optime meritus est, » quod ab inde usque n. 58. textum » ex editione sexta Romana restituit, » et usque ad n. 90. omissos nume- » ros arabicos apposuit. Quem liben- » tissime secuti sumus. » - Demum in editione stereotypa *Taurinensi*, quae, cura quorumdam Patrum Societatis Jesu, anno 1846-47. prodiit, integra legitur adnotatio editionis Mechliniensis.

4. Itaque ex documentis supra allatis luce clarius patet, instar fabulae habendam esse fraudulentam textus mutilationem. *Ipse ergo S. Alphonsus,* loco citato praefatam explicationem, brevitatis causa, omisit; eamdem vero non suppressit, sed tantum *alio loco posuit:*[3] idem namque quoad substantiam dicit, tum in *Monito* septimae editioni adjecto, tum in *Systemate* quod in octava et nona editione legitur. - Caeterum hypothesis, quosdam Bassanenses fraudulenter textum mutilasse, non tantum ab omni verisimili abhorret, sed prorsus absona est. Ex illa enim sequeretur, S. Sedem adulteratam Theologiae moralis editionem, et doctrinam tanquam S. Alphonsi doctrinam approbasse, quae, teste cl. Ballerinio, toto coelo differt ab illa, quam S. Doctor tenuit, propugnavit et pro moraliter certa habuit: cum in Causa Beatificationis, in qua Systema morale S. Alphonsi ad severiorem trutinam revocatum fuit, nec Revisores, nec Promotor Fidei, nec Defensor causae fraudulentam istam mutilationem adverterint. Quis autem istud asserere audeat?

Articulus 2.

Contra falsam interpretationem cl. Ballerinii, ostenditur quonam sensu S. A. dicat Opinionem certe probabiliorem aequipollere sententiae moraliter certae.

Supposita igitur fabula de Bassanensibus, qui textum Editionis a S. Sede approbatae fraudulenter mu-

1) Vide supra, pag. 68. et seq., punct. II. III. IV. — 2) Cfr. pag. 60. n. 2. — 3) Vid. pag. 68. num. 2.

tilaverunt, cl. Professor ex explicatione ab iisdem intercisa, cui alios adhuc textus addit, demonstrare conatur, S. Doctorem sub *Opinione certe probabiliore* intellexisse *Sententiam moraliter certam*, et ideo communem Probabilismum nequaquam reprobasse. - En ipsius verba:

« Sensa itaque sua S. Alphonsus, » ut in memoratis editionibus legitur, sic explicuerat (Dissert. de usu » moderato opin. prob. n. 56.): « *Dixi* » CERTE *probabilior; quia dum opinio pro lege est certe et sine ulla* » *haesitatione probabilior, tunc opinio illa non potest esse nisi notabiliter probabilior.* »[1] Ex mente » igitur S. Alphonsi, sensus thesis est: » non licere usum opinionis pro libertate, quando opposita pro lege » et *certe* et *sine ulla haesitatione*, » atque adeo *notabiliter* est probabilior: seu, ut idem cum Eusebio » Amort loqui mavult (cit. Dissert. » n. 70.), quando opinio pro lege est » *evidenter et notabiliter probabilior.*[2] Quem quidem sensum diserte » et integre alias aperuerat, cum in » editione anni 1773. sic thesim eandem proposuit (Dissert. de usu mod. » op. prob. n. 2.): « *Dico igitur, non* » *licere sequi opinionem minus pro-* » *babilem, cum opinio, quae stat pro* » *lege, est notabiliter et certe pro-* » *babilior.* »[3]

» Porro ex ejusdem S. Alphonsi » mente, ejusmodi probabilior opinio » jam *sententiae moraliter certae* ae- » quipollet. Sic enim ipse prosequitur » paragrapho illa (in edit. Ratisb., et » stereotyp. Belg. et Taurin. n. 56.) » a Bassanensibus, ut diximus, inter- » cisa: « *Tunc enim opinio tutior* » *non est amplius dubia (intelligen-* » *do de dubio stricte sumpto), sed* » *est moraliter aut quasi moraliter* » *certa, cum pro se fundamentum* » *certum habeat, ipsam esse ve-* » *ram.* »[4] Quod iisdem prope verbis » legere est in editione anni 1773. » (Dissert. de usu mod. op. prob. n. 2.): « *Tunc enim opinio tutior non est* » *jam dubia..., sed est moraliter aut* » *quasi moraliter certa.* »[5] Et huc

1) Sed eadem haec sensa, S. Doctor non tantum in omissa explicatione, quae in praefatis tribus editionibus legitur, exposuit. Similia namque habet paulo inferius in eadem 9. editione Bassanensi, pag 15. (in cit. recentior. editionibus, n. 67. in fine) ubi scribit: « *Cum opinio* » *tutior est certe probabilior, eo casu* (ut in principio hujus Moniti praemisi), *quamvis* » *lex omnino certa non sit*, tamen propter illam majorem probabilitatem, opinio pro lege » videtur *moraliter verior*, et consequenter etiam lex moraliter sive sufficienter promulgata; » et ideo *lex nequit dici tunc omnino dubia, dubio stricto;* remanet tantum eo casu » *aliquod dubium latum* quod non permittit ab opinione tutiore discedere. » — Unde stulte egissent fictitii isti Bassanenses, textum fraudulenter mutilare intendentes, et explicationem praecidentes, quae in substantia paulo post denuo occurrit.

2) S. Alphonsus non mavult cum Eusebio Amort loqui. Ex supra dictis constat, Amort fuisse acerrimum simplicis Probabilismi adversarium. Ipsum S. Doctor solummodo citat (Systema mor., edit. 9. pag. 18., in recent. edit. n. 70.), quatenus Amort in concursu duarum opinionum *aequaliter* probabilium, usum minus tutae admittit, et praesertim, quia ejus Theologia Romae revisa fuit; sed ejus demonstrationem non admittit (Cfr. supra, pag. 77. et seqq.).

3) Nulla existit hujusmodi Dissertatio, anno *1773.* publicata. Quae allegatur a cl. Professore, non est nisi Versio latina Dissertationis, italico sermone jam *anno 1762.* evulgatae, quae in nulla Theologiae moralis editione reperitur (Cfr. supra, pag. 47. art. 1. et pag. 49. not. 4.). — Post citata autem verba, S. A. sequentem adjicit explicationem: « *Tunc enim* » *opinio tutior non est jam dubia (intelligendo de dubio stricte sumpto, ut dicemus* » *in altera quaestione) sed est moraliter aut quasi moraliter certa, cum pro se fun-* » *damentum certum habeat, ipsam esse veram.* » — Ex quibus patet, eamdem omnino thesim a S. A. propositam fuisse, tum anno 1762., tum anno 1785. in postrema Theologiae moralis editione.

4) Sed hic in parenthesi cl. Professor suppressit verba: « *ut in altera quaestione dice-* » *mus* ». Quae verba non inutiliter adjecit S. Alphonsus: in hac *altera* enim quaestione docet, opinionem pro lege tunc tantum dici posse *stricte dubiam*, cum opposita pro libertate est *aeque vel fere aeque* probabilis. — Insuper propositionem detruncavit; sequitur enim immediate et in eodem contextu: « *saltem nequit dici amplius stricte dubia*, cum pro se » certum habeat fundamentum, quod ipsa sit vera. »

5) In hac Versione latina Dissertationis de anno 1762. (*non 1773.*, cfr. not. 3.) cl. Balle-

» sane faciunt etiam ea, quae in opere: *Homo apostolicus* ita scribit (Tract. de consc. n. 29. edit. Taurin. an. 1829.): « *Ut dicatur vere probabilior, requiritur, ut ajunt Gonzalez et Patuzzi cum aliis antiprobabilistis, ut opinio sit manifeste verisimilior operanti cum excessu notorio, etc.* » Atqui nemini latet, Gonzalez ad hoc postulare, ut ejusmodi judicium et *firmum* et *non fluctuans* et *absque prudenti formidine de opposito* esse debeat; [1] et, ut ex antiprobabilistis a S. Alphonso generatim allegatis vel unum memoremus, Antoine (De consc. cap. 4. q. 4. resp. 2.) judicium exigit *moraliter certum*, adeo ut *excludat dubitationem et formidinem rationabilem errandi*. [2]

» At vero quando opinio, quae pro lege militat, tanta rationum firmitate polleat, ut pro *moraliter certa* queat haberi, omnemque oppositi prudentem formidinem excludat, manifestissimum est, adversam opinionem, quae pro libertate facit, nulla solida probabilitate posse fulciri. Quod quidem ipsissimum consectarium Beatus quoque Alphonsus ex praemissa illa probabilioris opinionis notione sic deducit, disertis verbis (Dissert. de mod. usu op. prob. n. 2., edit. an. 1773. [3]): « *Unde fit, quod opinio minus tuta remanet tenuiter aut saltem dubie probabilis.* » – Quod iterum docet in illa postremae editionis paragrapho a Bassanensibus detruncata (Syst. mor. n. 56., edit. Ratisb. ac stereo-typ. Belg. et Taurin.): « *Unde fit* (inquit) *quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat aut tenuiter aut saltem dubie probabilis.* » [4] Idipsum cernere est in Opere, cui titulus: *Homo apostolicus* (Tract. I. cap. 3. n. 31.): « *Quando* (ait) *opinio pro lege est* CERTE *probabilior, tunc lex non est amplius dubia....., sed est moraliter certa; ubi e contrario, opinio minus probabilis, quae favet libertati, tale habet fundamentum....., ut remaneat tenuiter vel saltem dubie probabilis.* » [5]

rinius iterum post verba: « *non est jam dubia* », omisit essentialem parenthesim: « *(intelligendo de dubio stricte sumpto, ut dicemus in altera quaestione).* »

1) Hic in subjecta adnotatione, cl. Professor ait: « Tyrsus Gonzalez, ut ex ipso opusculi sui titulo patet, probandum sibi assumit, *ut quis licite possit sequi opinionem probabilem faventem libertati adversus legem, omnino necessarium esse et sufficere, quod... opinio illa ipsi appareat... vel unice verisimilis, vel verisimilior quam opposita,... ac idcirco ab ipso judicetur vera judicio absoluto, firmo, et non fluctuante.* »

2) Ad rectam S. Doctoris intelligentiam, iterum textus integritas restituenda est. Loco cit. S. Alphonsus ait: « *Probabilior* (opinio) est, quae innititur fundamento graviori; sed ut dicatur *vere probabilior*, requiritur, prout ajunt Gonzalez et Patutius cum aliis Antiprobabilistis communiter, ut opinio sit manifeste verisimilior operanti, *cum excessu notorio; nam si excessus, sive praeponderantia sit tenuis et dubia, tunc opinio illa reputatur moraliter loquendo aeque probabilis, quam opposita, quia parum pro nihilo reputatur.* » — Ex hac autem definitione, cl. Professor nihil inferre potest ad thesim suam firmandam, prout ex infra dicendis patebit. Caeterum, S. Alphonsus in editione tertia Bassanensi de anno 1770., a S. Sede approbata, hunc locum omisit. Quod et cl. Ballerinium non latuit; expresse enim citat editionem Taurinensem anni 1829., quae juxta primam S. Alphonsi editionem excusa est. In pluribus aliis Dissertationibus et Apologiis (cfr. supra, pag. 49. n. 3. in fine; pag. 50. n. 1; pag. 57. n. 3.; pag. 61. n. 3.), nec non in Morali Systemate, S. Doctor simpliciter dicit: « *Sicut omnes et Probabilistae et Antiprobabilistae conveniunt.* »

3) Rectius: *Dissert. de anno 1762.* (cfr. supra, pag. 100. not. 3.).

4) Utramque autem propositionem citatam P. Ballerini detruncavit; omisit enim essentialia verba: « *respectu tutioris* » quae in utraque propositione, post verba: « *aut saltem dubie probabilis* » immediate sequuntur (Vid. supra, pag. 50. n. 2., et pag. 61. ad II.).

5) Sed iterum cl. Professor detruncavit hunc textum, qui ex integro sonat: « Quando opinio pro lege est *certe* probabilior, tunc lex non est amplius *dubio stricto* dubia, *uti accidit (quemadmodum postea explicamus) cum opiniones tam pro lege, quam pro libertate sunt aeque probabiles*; sed est moraliter certa, *quum habet pro se fundamentum certum, quod vera sit*; ubi e contrario, opinio minus probabilis, quae favet libertati, tale habet fundamentum, *ut vera non sit*, ut remaneat *tenuiter*, sive *saltem dubie* pro-

Ex hisce textibus (quorum nec unus integrum ac genuinum S. Alphonsi sensum exhibet), cl. Ballerinius, quasi re bene gesta, sequentia deducit: « Quae cum ita sint, quis » enimvero contendat, S. Alphonsum, » dum haec statueret, explodere vo» luisse sententiam, quam catholicae » Scholae docebant, quam ipse ope» rosius propugnaverat? Haec nimi» rum pro certo habet, opinionem » libertati faventem, utut minus pro» babilem, solido tamen fundamento » sic inniti, ut etiam prae probabi» liore opposita, vere et solide pro» babilis permaneat. Neque alio sensu » illam ipse S. Alphonsus, ut vidi» mus, proposuerat, inquiens: « *Be» nigniorem et communissimam sen» tentiam probandam aggredimur, » nempe licitum esse uti opinione » probabili, etiam in concursu pro» babilioris pro lege, semper ac illa » certum et grave habeat fundamen» tum.* » Contra vero sententia, quam » postea refellit, adstruit, opinionem » libertati faventem omni solida pro» babilitate destitui. – Manifestum est » igitur, doctrinam benignam, quam » S. Alphonsus ceu communissimam » prius defenderat, toto coelo ab ea » differre, quam impugnandam poste» rius assumpsit... »

Profecto, quis, inspectis hisce textibus singulari cura et industria compositis, ambabus manibus cl. Ballerinio non subscriberet! Paulisper tamen videamus, utrum cl. Scriptori palma deferenda sit.

I. Interpretatio igitur cl. Professoris haec est: S. Alphonsus non vocat aliquam opinionem *certe* aut *notabiliter* probabiliorem, *nisi quando ea moraliter certa est;* intellige: *in se spectata, et in stricto sensu;* in illo nempe sensu, quem determinat Gonzalez, definiens hujusmodi opinionem: «*judicium firmum et non fluctuans, et absque prudenti formidine de opposito;*» et Antoine: «*judicium moraliter certum, adeo ut excludat dubitationem et formidinem rationabilem errandi.*»[1]

Falsam esse hanc interpretationem aperte jam constat, tum ex adnotatis textuum mutilationibus, tum ex iis, quae superius in primo et secundo Capite abunde retulimus, ad exponendum et demonstrandum genuinum S. Doctoris Systema. – Cum autem hic agatur de praecipuo controversiae puncto, quod est quasi cardo totius quaestionis; ne ulla aequivocationis aut cavillationis ansa remaneat, illud in aprico ponere juvabit.

1. Si vera esset cl. Professoris interpretatio, *S. Doctor graviter contra Logicam peccasset.* Etenim *Opinio*, sive certe aut dubie, sive leviter aut notabiliter probabilior, et *Sententia moraliter certa*, sunt contradictoria; quia alterius notio alteram essentialiter excludit. Opinio probabilior tantum nunquam est moraliter certa; et moraliter certa nunquam est probabilior tantum; et ideo altera alteri non potest *per se* aequipollere. – Hinc una dicitur *Opinio*, altera proprie vocatur *Sententia:* ad denotandam essentialem differentiam, quae inter utramque intercedit.

2. Insuper, si admittendus esset sensus a cl. Ballerinio intentus, *S. Doctor aperte seipsum ut Laxistam condemnasset.* Si enim nomine *Opinionis certe probabilioris* veniret *Sententia moraliter certa*, doctrina S. Alphonsi haec esset: *Opinio tutior non obligat, nisi sit certe probabilior, id est, nisi sit moraliter certa.* Cum autem opinio moraliter certa sibi oppositam non habeat nisi opinionem omnino *improbabilem:* uti constat, tum ex definitione a S. Al-

» babilis *prae opinione tutiore; ideoque non est prudentia, sed imprudentia eam velle* » *sequi.* » — Immediate autem sequitur: « Quum enim intellectui *certe* appareat, quod ve» ritas *stet magis* pro lege quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et sine culpa » partem minus tutam sequi... » *(Cfr. pag. 64. ad n. 31.).* — 1) Vid. pag. 101. in princ.

phonso tradita,[1] tum ex illa a cl. Professore relata, quae requirit pro ipsa judicium firmum, absque prudenti formidine de opposito...;[2] haec rigorose sequitur Propositio cum praecedenti convertenda: *Omnis opinio minus tuta teneri potest, nisi sit sententiae moraliter certae adversa; seu, nisi sit omnino improbabilis.* Ergo opiniones *dubie* imo et *tenuiter* probabiles permittuntur, eo quod non sint omnino improbabiles. – Sed quis ignorat, hoc *damnatum* esse, tum a S. Alphonso, tum ab ipsa Ecclesia? Hoc sane dicere non intendit cl. Professor; attamen stricte et rigorose sequitur ex doctrina quam S. Alphonso tribuit. Dum itaque nimis probare intendit, nihil probavit.

3. Demum, *S. Doctor incredibilis absurditatis arguendus esset.* Etenim in *Apologia* de anno 1769., nec non in opere: *Homo apostolicus* sententiam allegat: « *quod possit quis* » *licite sequi opinionem etiam minus probabilem pro libertate, licet* » *opinio pro lege sit certe probabilior.* » Et addit: « *Hanc sententiam* » *elapsi saeculi Auctores* QUASI COMMUNITER *tenuere; sed nos dicimus,* » *eam esse* LAXAM ET LICITE AMPLECTI NON POSSE. »[3] – Si itaque S. A. sub *opinione certe probabiliore* pro lege, intellexisset *sententiam moraliter certam,* de mentis suae sanitate conclamatum esset. Nemo quippe, absque ineptiae et imbecillitatis nota, contendere posset, Auctores saeculi 17. quasi communiter istam sententiam proposuisse et propugnasse. – Quid autem censendum esset de S. Alphonso, si ipsemet (quemadmodum cl. Professor affirmat) per viginti et amplius annos, ineptam atque « *in-* » *auditam* thesim *contra hostes qui* » *nuspiam extabant* » acerrime propugnasset: « *non licere usum opi-* » *nionis minus probabilis, ubi pro* » *lege stet opposita certe ac longe* » *probabilior,* » id est *moraliter certa:* siquidem contrariam sententiam « *nemo profecto sanae mentis do-* » *cuit, aut docere potuit?* » (Cfr. infra, Art. 5.)

II. At vero S. Doctor nec contra Logicam peccavit, nec seipsum damnavit, nec absurditatis arguendus est; sed P. Ballerini confundit judicium, quod quis de aliqua opinione fert *pro praxi et ex principiis reflexis,* cum judicio quod de hac opinione *in se spectata* ferendum est. – Genuinus itaque S. Alphonsi sensus hic est:

1. Quemadmodum *libertas,* ut possit agere, debet esse moraliter certa de honestate suae actionis: ita et *lex,* ut liget libertatem, debet esse moraliter certa. Sed duplex est *Certitudo:* una *directa,* quae habetur ex demonstratione veritatis alicujus sententiae; altera *indirecta,* quae, stante dubio vel incertitudine plus minusve majori alicujus opinionis, acquiritur ex alio fonte, seu ex principiis concomitantibus. Sufficit autem haec secunda certitudo, cum prima haberi nequeat, tum ad ligandam, tum ad solvendam libertatem, prout vel lex vel libertas possidet.[4]

2. Porro, quando in concursu opinionum, pro lege inducenda stat *opinio certe probabilior,* haec opinio, quamvis *in se* et *speculative* non sit moraliter certa, nec excludat per se omnem formidinem de opposito: *pro praxi* tamen instar moraliter certae habenda est. – Et hoc quidem duplici ex ratione. *Prima ratio* est, quia, cum opinio certe probabilior non oppugnetur nisi ab opinione certe minus probabili: tunc, eo ipso quod sit certe praeponderans, fundamentum alterius aut omnino elidit, aut adeo extenuat, ut haec, *relate ad illam,* tenuiter aut saltem dubie probabilis remaneat. Unde opinio certe probabilior sola servat suum inconcussum fundamentum, seu, ipsa sola certum habet fundamentum veritatis, quod altera non amplius habet. – *Secunda*

1) Cfr. supra, pag. 4. art. 1. n. I. — 2) Vid. pag. 102. ad I. — 3) Cfr. pag. 33. art. 2. — 4) Vid. pag. 16.

ratio est, quia, in concursu opinionum, opinio certe probabilior est illa, quae *propius ad veritatem accedit.* Porro, stante hujusmodi concursu, certe valet et applicari debet illud alterum principium concomitans, de quo nemo sanae mentis dubitat: In dubiis, debemus veritatem inquirere et sequi, in quantum possumus. – Licet ergo Opinio certe seu notabiliter probabilior per se non habeat certitudinem moralem, ipsam tamen acquirit *ex fonte alieno,* id est, ex inconcussis principiis concomitantibus.

3. Verum S. Alphonsus non solum generatim docet, omnino tenendam esse opinionem certe praeponderantem, seu certe probabiliorem; sed insuper clare indicat, *quandonam opinio aliqua censenda sit certe probabilior.* – Duplex namque distingui potest gradus certae praeponderantiae: vel praeponderantia talis est, quae reddat oppositam opinionem *dubie* probabilem; vel ejusmodi est, ut altera opinio, relate ad illam, evadat non solum dubie, sed *tenuiter* probabilis. Hinc quaeri poterat: Quandonam opinio *certe* probabilior erit *sufficienter* praeponderans, *ut omnino tenenda sit?* An in primo casu, cum opposita redditur dubie probabilis; an tantum in secundo, quo altera efficitur tenuiter probabilis? En responsum S. Doctoris: *Requiritur et sufficit, ut praeponderantia unius opinionis alteram reddat* DUBIE *probabilem.*[1] – Sed insuper quaeri potest, quandonam hoc obtineat? Et S. Alphonsus iterum respondet: *Requiri et sufficere, ut opinio praeponderans sit* UNICO GRADU *certe probabilior.* Ait enim:[2] « Si opinio tutior » apparet *certe* probabilior, tenemur » eam amplecti; advertendum quod » hoc procedit, *etiamsi opinio illa* » *tutior* NON SIT MAGNO EXCESSU *probabilior; sufficit enim ipsam esse* » UNO TANTUM GRADU *probabiliorem,* » *ut eam teneamur sequi.* Caeterum, » in praxi loquendo, opinio tutior » difficulter apparere poterit *certe* » probabilior, nisi adsit in probabilitate aliquis *notabilis* excessus. » Et alibi subjungit:[3] « *Basta che la* » *sentenza sia più probabile di* UN » GRADO; ma intendiamoci bene: que» sto grado ha da essere tale, che » mi faccia certo, che la sentenza » sia più probabile, e che mi faccia » vedere moralmente, o sia sufficien» temente promulgata la legge. »

4. Concludimus. Ex mente S. Doctoris, *stante opinione aliqua certe praeponderanti,* etiamsi unico tantum gradu, *altera opinio evadit saltem dubie probabilis.* Hinc omnino tenenda est opinio certe praeponderans: quia tunc intellectus firmiter et absque ulla haesitatione judicat, solam opinionem certe probabiliorem inniti certo fundamento veritatis; et quamvis operans non habeat certitudinem directam, pro praxi tamen, ex principiis concomitantibus, requisitam et sufficientem *habet certitudinem moralem indirectam* de existentia aut cessatione legis, et consequenter de honestate suae actionis aut omissionis: quae certitudo deest operanti juxta opinionem benignam certe probabiliori oppositam, dum eligit id quod verisimilius et probabilius est malum.

ARTICULUS 3.

Perperam cl. Ballerinius Auctores quosdam arguit gravissimae hallucinationis, quoad doctrinam de Opinione certe probabiliori a S. A. traditam.

Ex ore cl. Professoris supra jam audivimus,[4] illos Auctores (videlicet Scavini, Neyraguet, Gousset, et Anonymum quemdam Gallum[5]) qui tenent, communem Probabilismum a S. Alphonso reprobari, idcirco errasse, quia non adverterunt, quosdam Bassanenses textum *Moralis Systematis* in nona editione a S. Sede approbata, fraudulenter mutilasse. Hic aliam gravissimae hujus halluci-

1) Vid. pag. 5. ad III.; pag. 12. ad V. etc.— 2) Cfr. supra, pag. 69, n. 2. in fine.— 3) Pag. 67. num. 5. — 4) Pag. 97. art. 1. — 5) Vide supra, pag. 2.

nationis rationem allegat, scilicet, quia isti Auctores minus caute ad quamlibet majorem probabilitatem ea transtulerunt, quae S. Doctor de majori quodam dumtaxat et insigniori probabilitatis excessu statuerat. – Postquam enim probare contenderat, opinionem certe probabiliorem, ex mente S. Alphonsi, aliud non significare nisi Sententiam moraliter certam, cl. BALLERINIUS pag. 14. sic prosequitur:

« Ergo per HALLUCINATIONEM dum» taxat, eamque GRAVISSIMAM S. Al» phonso affingitur, vel quod com» munem Probabilistarum, uti ajunt, » sententiam postea damnaverit, vel » quod a pristina sua sententia ipse » aliquando recesserit. – Inde autem » haec hallucinatio videtur profecta, » quod nonnulli minus caute ad quam» libet majorem probabilitatem ea » transtulerint, quae statuerat S. Al» phonsus de majori quodam dumta» xat et insigniori probabilitatis ex» cessu, nempe quod oppositae opi» nioni probabilitatem demat. – Atqui » a mente S. Alphonsi id prorsus alie» num est, quippe qui nunquam sen» serit aut docuerit, generatim soli» dam cujuspiam opinionis probabi» litatem, licet minorem, ex majori » oppositae interire: « *Falsum est* » (inquit S. Alphonsus, Dissert. scho» lastico-moralis... n. 13. edit. an. » 1755.), *majorem probabilitatem* » *elidere minorem, nisi quando mi*» *nor illa probabilitas ex eodem* » *principio hauriatur, vel nisi opi*» *nio probabilior habeat pro se tam* » *convincens argumentum, ut con*» *traria vere improbabilis, vel non* » *amplius certo et graviter proba*» *bilis remaneat. Secus tamen di*» *cendum, si excessus non est no*» *tabilis, et probabilitas opposita,* » *ex diversis principiis, ut fere sem*» *per accidit in opinionum concur*» *su, vim accipiat; tunc enim opinio* » *minus probabilis gravi sua proba*» *bilitate minime destituitur.* »

» Idque confirmat definitio *proba*» *bilioris* opinionis, quam et in ipsa » postrema editione tradit (Tract. de » consc. n. 40.): « *Probabilior est,* in» quit, *quae graviori nititur fun*» *damento, sed etiam cum prudenti* » *formidine oppositi, ita ut contra*» *ria etiam probabilis censeatur.* » » Quod autem in istiusmodi defini» tione S. Alphonsus asseruit, centies » facto ipso per totum opus confir» mat. Nihil enim tibi frequentius » occurret, quam ut, asserta majore » alicujus opinionis probabilitate, al» terius quoque aut etiam duarum » aliarum opinionum probabilitatem » astruat aut defendat. – Quum igitur » S. Alphonsus generatim solidam » probabilitatem non neget opinioni, » cui opponatur probabilior, palam » est, thesim, quae objicitur, de solo » illo probabilitatis excessu intelli» gendam esse, qui opinionem seu » potius SENTENTIAM MORALITER CER» TAM efficit. »

I. Quid praelaudati Auctores *gravissime hallucinantes* de praesenti quaestione dixerint, primum audiamus.

1. Petrus SCAVINI[1] quaerit: « *An liceat sequi opinionem minus tutam et minus probabilem, in concursu tutioris et simul etiam certe probabilioris?* » Et respondet: « *Negative.* Prob. 1°. *Scripturis,* ubi legitur: *Ante omnia opera tua verbum verax praecedat te, et ante omnem actum consilium stabile.*[2] Ergo ad bene agendum, necessarium est determinatum judicium intellectus, quo prudenter quis putet, se licite agere. Atqui tale judicium habere nequit, qui eligit opinionem minus tutam et minus probabilem, in concursu tutioris et simul etiam certe probabilioris; cum, ex hypothesi, momenta quae stant pro lege superent momenta quae stant pro hominis libertate. – 2°. *Auctoritate Clementis III.,* qui eam sententiam tenendam declarat,

1) Tr. 1. disp. 2. c. 2. n. 97. — 2) Eccl. 37, 20.

quae meliori et subtiliori nititur ratione;[1] porro, ubi major est probabilitas, ibi est melior et subtilior ratio. – 3°. *Ratione:* ad licite operandum, debemus veritatem inquirere et sequi; ac proinde, ubi veritas clare nequeat inveniri, tenemur saltem amplecti opinionem illam, quae propius ad veritatem accedit; atqui talis est opinio certe probabilior. Unde vulgare illud effatum: *Id sequimur in obscuris, quod est verosimilius*: sane vir prudens praefert momenta graviora levioribus; et hoc evenit in nostro casu. Denique, quando opinio, quae stat pro lege, est *certe probabilior,* tunc mens nostra ex quadam vi suae naturae inclinari se sentit ad eandem amplectendam. Quare contraria opinio, licet adhuc in Scholis defendi possit, cum nullibi sit proscripta, a nobis tamen illa probari nequit. – Diximus: *certe probabilior,* id est, sine ulla haesitatione, ideoque solide et notabiliter; nam parvus excessus ac tenuis praeponderantia in moralibus non ita facile percipi potest, ex D. Thoma... »

2. Neyraguet,[2] ipsis S. Alphonsi verbis de more utens, ait: « Si opinio, quae stat pro lege, videatur *certe* probabilior, ipsam omnino sectari tenemur; nec possumus tunc oppositam, quae stat pro libertate, amplecti. Ratio, quia ad licite operandum, debemus in rebus dubiis veritatem inquirere et sequi: at ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam, quae propius ad veritatem accedit, qualis est opinio probabilior. »

3. *Card.* Gousset[3] scribit: « Il n'est pas permis de suivre une opinion faiblement probable, qui est pour la liberté, contre celle qui est certainement ou notablement plus probable. Innocent XI. a condamné cette proposition: *Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Quand l'opinion qui est pour la loi, est *certainement* et par là même notablement plus probable que l'opinion qui est pour la liberté, celle-ci n'est que *faiblement* et *douteusement* probable, et ne peut par conséquent être suivie sans qu'il y ait danger de transgresser la loi de Dieu. » – Et paulo inferius[4] dicit: « De même, quand les deux opinions contradictoires sont *également* ou *à peu près également* probables, on peut, *suivant saint Alphonse,* suivre l'opinion la moins sûre... »

4. Demum *Anonymus Gallus*[5] haec pauca tantum habet generalia: « Alii (Probabilistae) arbitrantur licitum esse in praxi, quando adest conflictus opinionum, sequi minus tutam et minus probabilem, modo sit vere probabilis; alii autem existimant, tunc tantummodo licere sequi opinionem minus tutam, quando est *aeque* probabilis; duplex proinde est species Probabilismi, alter benignior, alter qui dicitur rigidus; *huic adhaesit B. Liguori.* Exponemus praecipua argumenta, quibus hi Theologi propugnant systema Probabilismi in se considerati, abstrahendo a disputationibus quas inter se movent... »

5. Quomodo igitur praefati Auctores (alios namque cl. Ballerinius non recenset) gravissime hallucinati fuerint, profecto non videmus. Anonymus enim Gallus vix quidquam habet ad rem nostram faciens; ex aliorum autem textibus patet, ipsos nihil *transtulisse,* sed S. Alphonsi doctrinam simpliciter ac fideliter retulisse. Id enim quod S. Doctor de sola opinione *certe* probabiliore statuerat, ipsi non ad *quamlibet* majorem probabilitatem, sed ad eamdem omnino opinionem *certe* probabiliorem, et ipsissimis quidem S. Alphonsi verbis utentes, applicuerunt.[6]

1) C. *Capellanus,* de feriis. — 2) Compendium... Morale Systema. — 3) T. I. De la conscience, n. 91. — 4) Ibid. n. 98. — 5) *Theologiae cursus completus* a Migne editus, Tom. XI. Appendix de Probabilismo, n. 9. — 6) Cfr. dicta, cap. I. *§.* 1. art. 3., et cap. II. *§.* 2.

II. Cum autem cl. Ballerinius gravissimam hallucinationem aliis immerito exprobret, quaerere nobis liceat, an non ipsemet potius, dum haec scribebat, hujusmodi infirmitate laborarit.

Etenim cl. Professoris assertio haec est: « *S. Alphonsus nunquam* » *sensit aut docuit, generatim so-* » *lidam cujuspiam opinionis proba-* » *bilitatem licet minorem, ex ma-* » *jori oppositae interire.* » Et in ejusdem confirmationem, ipse allegat textum Dissertationis de anno 1755., ubi S. Doctor ait: « *Falsum est, ma-* » *jorem probabilitatem elidere mi-* » *norem,* etc. » – At vero non satis mirari possumus cl. Scriptorem, qui aequo et inturbato animo textum affert, quo assertio sua, S. Alphonsum communem Probabilismum nunquam reprobasse, non tantum non probatur, sed potius praeclare confutatur. Claris quippe verbis in hoc textu (quem jam supra, pag. 43. n. 1. exposuimus), S. Alphonsus docet, generatim (i. e. quoties probabilitates « ex *diversis* principiis vim ac- » cipiunt, *ut fere semper accidit in* » *opinionum concursu* ») minorem probabilitatem per majorem utique elidi, praeterquam « *si excessus non* » *sit notabilis,* » et ideo non licere amplecti opinionem notabiliter minus probabilem. Haec autem doctrina ex diametro opposita est sententiae, quam Probabilistae communiter tenent, videlicet, licere sequi opinionem minus tutam, sed vere et solide probabilem, etiamsi (ut supponunt) tutior sit notabiliter probabilior. Quae doctrina huic systemati adeo propria est, ut qui eam non admitteret, non amplius communem Probabilismum, sed jam Aequiprobabilismum profiteretur. [1]

III. Nihil igitur ad rem faciunt, quae cl. Professor refert de definitione Opinionis *probabilioris* a S. Alphonso tradita. Non enim *quaelibet* probabilior opinio elidit probabilem sibi oppositam; sed illa sola, quae est *certe* et ideo notabiliter probabilior: prout passim jam demonstravimus. – Unde nihil mirum, si *centies* occurrat in Opere morali, « *ut asserta majore alicujus opinionis probabilitate,* » S. Doctor « *alterius* » *quoque, aut etiam duarum alia-* » *rum opinionum probabilitatem* » *astruat aut defendat.* » Quoties enim, stabilita aliqua opinione probabiliore, *ipsemet* S. Alphonsus aliam vel alias opiniones nihilominus judicat vere, aut satis, aut sufficienter probabiles (secus generatim dicendum, si, nullo judicio dato de istarum probabilitate, mere refert, easdem ab Auctoribus probabiles haberi): tunc S. Doctor opinionem probabiliorem judicat non certe, sed *parum* tantum probabiliorem. [2]

IV. Ex praemissis demum patet, quam inconsiderate a nonnullis dictum fuerit, *S. Doctorem* IN SUA THEOLOGIA MORALI *uti verum Probabilistam se gerere.*

1. Praeterquam enim quod hujusmodi assertio a veritate prorsus aliena est, praesumi deberet, eum adeo imbecillis mentis fuisse, ut regulae, quas in *Systemate* pro delectu opinionum moralium statuit, et velut moraliter certas propugnat, in singulorum casuum solutione memoria ipsi exciderint. Si quis vero assereret, S. Alphonsum *consulto istas regulas neglexisse,* ex hac assertione necessario sequeretur, quod *contra conscientiam* egerit et mentitus fuerit, cum solemniter protestaretur: « *Semper timor mihi fuit, ne Deus* » *aeque rationem a me exigeret, si* » *opiniones laxas ut probabiles ap-* » *probassem, quam si probabiles ut* » *laxas reprobassem.* » [3]

2. In Causa Doctoratus S. Alphonsi, Promotor Fidei, inter alias difficultates pro officio objectas, etiam praefatam assertionem commemoravit, dicens: « Scio passim affirmari,

1) Vid. cap. I. §. 2. art. 1. — 2) Hac de re plura dicemus in tertia Appendice praesenti Operi adjicienda. — 3) Theol. mor. lib. 3. tr. 5. n. 547.

Alphonsum, licet in suo Systemate a Probabilistis alienum, *in solutione tamen casuum,* uti verum *Probabilistam* sese adhuc gerere. » - Scitissime autem reposuit cl. Defensor (Responsa, §. 240. pag. 112.), istud inter commenta rejiciendum esse ; et advertit: « Si cum hisce verbis conferas id quod saepe a Sacrorum Antistitibus dicitur in Litteris supplicibus: *Confessarios passim in animabus regendis, uti doctrinis ab Alphonso traditis;* et illud quod a S. Poenitentiaria responsum fuit: *eos tuto posse illis doctrinis adhaerere, quin rationum momenta perpendant:* si, inquam, haec tria simul colligas et componas, nostine quod logicum consectarium exsurgit? Communiter in Ecclesia Dei moderatores conscientiarum, conniventibus oculis, sub auctoritate et tutela Sedis Apostolicae, fidelium animas ducere *per eas semitas, quas praemonstravit vir absurdissimus: in cujus doctrinis, principia et illationes sibi minime cohaereant...*» - (Cfr. tertiam Appendicem in fine Operis).

Articulus 4.

Ad thesim suam firmandam, cl. Ballerinius nullum deducere potest argumentum ex editionibus Theologiae mor., de ann. 1757. et 1763., ubi S. Doctor declarat se abstinere a controversia Probabilismi.

Pergit P. Ballerini pag. 15. dicens: « Illud unum inquirendum hic » superesset, cur ergo S. Alphonsus, » qui causam opinionis minus pro» babilis in concursu probabilioris » pro lege stantis, tam studiose et » luculenter in prioribus suis elucu» brationibus propugnaverat, in po» stremis tamen disputationem suam » quaestionis hujus inter duas opi» niones fere aeque probabiles limi» tibus circumscripserit.

» De quo cum multa dici pos» sint, temporis tamen angustiae » me cogunt, ut brevissimo responso » utar, quod S. Alphonsus suis ipse » verbis suppeditat in posterioribus » an. 1757. et 1763. editionibus, » quodque in rem praesentem facit » maxime; videlicet *perstare se* qui» dem in pristina sententia de con» cursu minus probabilis opinionis » cum probabiliori pro lege : malle » se tamen tunc ejusmodi contro» versia *abstinere,* lectoremque eam » noscendi cupidum ad Doctores re» mittere. Sic ille (De usu mod. op. » prob. n. I. edit. ann. 1757. et 1763): « *Probabilistae putarunt, licitum* » *esse usum opinionis solide proba*» *bilis in concursu aeque probabilis* » *ac etiam probabilioris*[1]*... De hac* » *autem ultima sententia, quod li*» *ceat sequi opinionem minus pro*» *babilem, relicta probabiliori, jam* » *diximus, quod cum haec quaestio* » *undique ab Auctoribus agitetur,* » *apud ipsos observari potest.* »[2] - » Se nihilominus ab illorum senten» tia non recedere, qui hoc quoque » licitum affirmabant, sic in Prae» fatione totius Operis ad lectorem di» serte fatetur (in edit. ann. 1757.) : « *Non autem hic mens mihi est lo-*

1) Vid. supra, pag. 12. ad IV.

2) In subjecta adnotatione, cl. Ballerinius haec addit: « In utraque editione ann. 1757. et 1763. n. 3. (S. Alphonsus) de his Doctoribus sic loquitur: « *Admittunt usum opinionis* » *probabilis in concursu probabilioris, et asserunt, hanc benignam sententiam esse com*» *munem, ut dicunt Suarez, Castropalaus, Medina, Sporer, Pelbartus, Bonacina, Mon*» *tesinus cum Card. Sfondrato, Card. de Lugo, Card. Toleto, et Abelly, qui citat pro* » *hac sententia Isambertum, Du-Vallium, Gammachaeum (Doctores sorbonicos), cum* » *Christiano Lupo, qui defendit, hanc sententiam tenuisse etiam majores nostros, cum* » *Summis Pontificibus, et Ecclesiam catholicam semper eam permisisse.* »

Sed cl. Professor advertere potuisset, praefatos Auctores a S. Doctore non allegari, quasi cum ipsis plane sentiret in defendendo communi Probabilismo; ipsos namque loco citato *indistincte* adducit *contra Tutioristas mites seu rigidos Probabilioristas:* in quantum scilicet omnes isti Auctores generatim conveniunt (una cum moderatis Probabilioristis) in reji-

» *quendi de quaestione illa, an li-*
» *ceat sequi opinionem minus pro-*
» *babilem in concursu probabilioris:*
» *quae quidem quaestio per duo*
» *fere saecula, et praecipue nostra*
» *aetate labores tot sapientum ex-*
» *hausit; quorum ii, qui acriore*
» *calamo scripserunt* (manifeste haec
» eos spectant, qui S. Alphonsum hac
» eadem de causa acerbius exagita-
» verant) *minus, meo judicio, veri-*
» *tatis detegendae finem, quem in-*
» *tendebant, sunt assecuti... Prae-*
» *scindo igitur ab hac quaestione;*
» *sed tantum dico* (et haec probe
» notentur), *me ignorare, quomodo*
» *possint rejici, ut improbabiles,*
» *opiniones illae, quae aliquo gravi*
» *non carent fundamento verisimi-*
» *litudinis vel auctoritatis, et con-*
» *tra oppositis sententiis nulla as-*
» *sistit infallibilis auctoritas aut*
» *evidens ratio, quae de veritate*
» *convincere possit:* » quasi nempe
» diceret, suo quidem judicio sem-
» per teneri et deduci in praxim
» posse opinionem gravi fundamento
» innixam, ubi pro opposita nulla
» adest ratio, quae moralem certi-
» tudinem inducat.

» Beatus Alphonsus igitur, *in po-*
» *stremis editionibus*, omittit qui-
» dem quaestionem de concursu opi-
» nionis minus probabilis cum pro-
» babiliori, at omittit *praescinden-*
» *do*, ut ait, *non autem recedendo*
» ab iis, quae docuerat; quin et ad-
» versariorum acerbis diatribis nihil
» se commotum, et pristinae senten-
» tiae dimittendae nullam hactenus
» sibi allatam idoneam rationem di-
» serte profitetur. Nullum igitur
» immutatae sententiae ex ea omis-
» sione prodit argumentum. »

Verum, ex textibus S. Alphonsi modo allegatis, cl. Ballerinius nullum prorsus solidum argumentum eruere potest, ad thesim suam firmandam.

1. Etenim S. Alphonsus, non solum in *postremis* [1] (ut ait cl. Professor) Theologiae moralis editionibus, anno 1757. aut 1763. evulgatis, dicere incepit, *se praescindere* a quaestione, utrum scilicet liceat sequi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris; sed eadem jam dixerat in *priori* Opere morali, anno 1748. edito, videlicet in Theologia morali inscripta: *R. P. Alphonsi de Ligorio Adnotationes in Busembaum.* Ibidem namque (Lib. I. Tr. de consc. pag. 8.) scribit: « *Quae-*
» *stio celebris est, utrum liceat sequi*
» *opinionem probabilem, relicta pro-*
» *babiliori? Sed quia abunde, et un-*
» *dique haec quaestio ab Auctori-*
» *bus agitata legitur, ipsos passim*
» *observare potes. Lege praesertim*

cienda sententia, quae nonnisi usum opinionis *probabilissimae* admittit: quod ex toto contextu evidenter patet. — Etenim in allegata Dissertatione duplicis editionis Theol. mor., *n.* 2. S. Alphonsus ait: « Prima sententia *Tutioristarum mitium* tenet, *illicitum esse uti*
» *opinione etiam probabiliori pro libertate*, semper ac opposita pro lege habeat pro se
» grave motivum, quamvis minus probabile; et *tantum admittunt usum opinionis Pro-*
» *babilissimae*, cujus opposita sit improbabilis, vel tantum tenuiter probabilis, careatque
» ullo solido fundamento, quod vera esse possit. » Quid autem de hac sententia dicendum sit, S. Doctor explicat in seq. *n.* 3. a cl. Professore allegato: « *Haec autem prima sententia*
» *universe rejicitur a Doctoribus, non solum Probabilistis*, qui admittunt usum opinionis
» probabilis, in concursu probabilioris, et asserunt hanc benignam sententiam esse commu-
» nem, ut dicunt Suarez... eam permisisse. Non solum, dico, praefata sententia Tutiorista-
» rum ab his confutatur, *sed etiam a Probabilioristis*, qui admittunt usum opinionis pro-
» babilis, modo appareat verisimilior, seu firmiori fundamento munita. » — Dein, *n.* 4. propriam suam sententiam sic enuntiat: « *Secunda igitur sententia nostra et communis tenet*
» *licere usum opinionis* ABSOLUTE PROBABILIS, AUT SALTEM PROBABILIORIS, *etsi contraria*
» *pro lege sit probabilis* »: quam infra examinabimus, pag. 110. n. 4.— (Cfr. etiam superius exposita, pag. 44. n. 5.).

1) Haud recte cl. Professor loquitur de *postremis* Theologiae mor. editionibus: siquidem post duas allegatas (quae Aequiprobabilismum nonnisi *implicite* exhibent), aliae *quatuor* prodierunt, videlicet annis 1767. 1773. 1779. et 1785., in quibus S. Doctor Systema Aequiprobabilismi *explicite* et majori semper claritate exposuit.

» *recentes libros qui nunc temporis* » *hinc inde prodierunt, sat fuse et* » *docte hanc materiam discutientes.* » *Aliae vero urgent quaestiones,* » *quae indigent majori examine;* » *et has ego diligentius pertractare* » *operae pretium existimavi...* »

2. Dissertatio de usu moderato opinionis probabilis, in editione quinta Theologiae moralis de anno 1763., Tractatui de conscientia a n. 44. usque ad n. 74. inserta, eadem est, quae in editione quarta et tertia de an. 1760. et 1757., imo quae, quoad substantiam, in secunda de an. 1753. legitur. Nam *Prooemium* ad literam consonat, et solummodo argumenta in posterioribus editionibus fusius exponuntur.

3. In hoc *Prooemio,* omnibus praefatis editionibus communi, S. Doctor *n. 44. I.* varia recenset Systemata, [1] ac de Probabilistis loquens, ait: « Alii demum, *Probabilistae* vocati, » putarunt licitum esse usum opi- » nionis solide probabilis in concur- » su opinionis aeque probabilis, ac » etiam probabilioris... *De hac au-* » *tem ultima sententia Probabili-* » *starum, quod liceat sequi opinio-* » *nem minus probabilem, relicta* » *probabiliori, jam diximus,* [2] *quod* » *cum haec quaestio undique ab au-* » *ctoribus agitetur, apud ipsos ob-* » *servari potest. Hic tantum operae* » *pretium puto agere de quaestione,* » *utrum licitus sit usus opinionis* » *probabilis, omissa tutiori, saltem* » *si opinio libertati favens firmiori* » *fundamento nitatur.* » - Dein, confutatis Tutioristis mitibus, sic concludit: « *47. IV. Secunda igitur* » *sententia nostra et communis te-* » *net, licere usum opinionis abso-* » *lute probabilis, aut saltem proba-* » *bilioris, etsi contraria pro lege* » *sit probabilis.* »

4. Si verba: *sententia nostra* intelliguntur, ut sonant, id est velut sententia, cui S. A. *exclusive* adhaeret, ex hac propositione non tantum non sequitur (quod P. Ballerini affirmat), S. Alphonsum primitus *communem et simplicem Probabilismum* tenuisse et propugnasse, sed potius ex diametro oppositum: videlicet, ipsum primitus, imo usque ad annum 1763., *Probabiliorismum moderatum* tenuisse et propugnasse, et nonnisi postmodum ad mitiorem Aequiprobabilismum transiisse. - Verumtamen S. Alphonsus *primitus* nec Probabiliorismum, nec Probabilismum communem professus est, sed illam Probabilismi speciem, quae usum opinionis *minus probabilis* in favorem libertatis admittit, *si excessus non est notabilis;* secus vero, si pro lege stat argumentum *adeo convincens,* ut altera opinio, relate ad ipsam, *grave et certum fundamentum non habeat,* et ideo ejus probabilitas aut elidatur, aut saltem extenuetur. Quae Probabilismi species *implicite* jam *Aequiprobabilismum* involvit, quemadmodum ex praemissis expositionibus patet. [3]

5. Nec ullo modo obstant verba illa: *sententia nostra.* Etenim S. A. in hac Dissertatione alium scopum sibi non proposuit, praeterquam *Tutioristas* confutare, et contra ipsos demonstrare, utcumque de usu opinionis probabilis acriter disputetur, id *saltem* certum atque exploratum esse, et nullatenus in dubium vocari posse (in quo tam Probabilistae quam Probabilioristae moderati conveniunt): scilicet, *licere usum opinionis simpliciter probabilioris in favorem libertatis.* - Ne autem propositio, quam *nostram* sententiam dicit, male intelligatur, et ne quis credat, quod *Probabiliorismo* adhaereat, in Praefatione mentem suam claris verbis explicat: « Non autem » hic mens mihi est loquendi de » quaestione illa... an liceat sequi » opinionem minus probabilem in » concursu probabilioris. Quaestio » quidem, quae per duo fere saecula, » et praecipue nostra aetate labores

1) Cfr. supra, pag. 8. art. 2. — 2) Scilicet in Praefatione. — 3) Vid. pag. 40. cap. II. §. 1.

» tot sapientum exhausit, quorum » ii, qui acriore calamo scripserunt, » minus (meo judicio) veritatis de- » tegendae finem, quem intendebant, » sunt assecuti; nam si ipsi mode- » ratius se continuissent, aliis se red- » didissent gratiores, et magis chri- » stianae reipublicae, ut veritas pa- » tefieret, profuissent. Praescindo » igitur ab hac quaestione: sed tan- » tum dico, me ignorare, quomodo » possint rejici ut improbabiles opi- » niones illae, quae aliquo gravi non » carent fundamento verisimilitudi- » nis vel auctoritatis, et contra op- » positis sententiis nulla assistit in- » fallibilis auctoritas aut evidens » ratio, quae de veritate convincere » possit. » [1]

6. Utique ergo sententia S. Alphonsi non fuit, *omnem opinionem probabilem gravi fundamento innixam* in favorem libertatis, ut *improbabilem* esse rejiciendam, etiamsi oppositae non assistat evidens ratio, quae de veritate convincere possit. Secus enim etiam usum *aeque probabilis*, quem licere pro moraliter certo habuit, rejecisset; et negasset, quae in Dissertatione de anno 1755. affirmaverat. - Sed ideo communi et simplici Probabilismo non assensit; alias enim similiter negasset, quae in eadem Dissertatione affirmaverat, scilicet, non licere usum opinionis probabilis pro libertate, *si excessus notabilis est*, et opinio probabilior legi favens argumentum tam convincens pro se habet, ut fundamentum alterius non amplius certum et grave dici possit.[2]

7. Quamvis autem hanc suam sententiam ibidem breviter quidem, sed disertis verbis explicaverat, consulto tamen et praemeditate ab ea fusius exponenda et probanda abstinuit. Et quidem eam ob rationem, quia modum, quo haec doctrina in *Systema* ex omni parte absolutum redigeretur, nondum ad liquidum perduxerat, et firmam tutamque nondum invenerat *normam*, quae amoris proprii hallucinationes praecaveret, simulque conscientiae tranquillitati consuleret. - Quam demum normam inventam, et in Systema redactam evulgavit in Dissertatione de anno *1762.*, et in aliis posterioribus: [3] quemadmodum ipse testatur in Opusculo inscripto: *Dichiarazione del Sistema*, n. 49: « *Io su questa ma-* » *teria, per lo spazio di trent'anni* » *in circa, ho letti innumerabili* » *Autori, così rigidi come benigni,* » *e continuamente fra questo tempo* » *ho cercato lume a Dio,* PER FIS- » SARE IL SISTEMA *ch' io dovea te-* » *nere per non errare. Finalmente,* » *come ho dichiarato a principio* » *di questa operetta,* HO FISSATO IL » MIO SISTEMA. » [4]

8. Id solum quaeri potest, cur *Dissertatio* et *Praefatio* superius allegatae, adhuc in *quinta* Theologiae moralis editione de anno 1763. appareant, postquam S. Alphonsus anno 1762. formaliter et ex professo a consilio suo discesserat, praescindendi scilicet a quaestione, an liceat sequi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris? - Ratio in aperto est. Opusculum cui tit. « *Breve Dissertazione...* » in lucem prodiit post medium annum 1762. [5] Impressio autem quintae editionis Theol. mor. (quae anno 1763. tribus tomis in-folio evulgata fuit) sine dubio jam anno 1762. incepta erat, ita ut tunc temporis jam prelo commissa fuerit Dissertatio moralis quae legitur in primo tomo pag. 8. Hoc eo verisimilius apparet, quia in sequenti editione sexta, anno 1767. evulgata (sicut et in 7^a. de anno 1773.) non amplius illa *Dissertatio*, sed alia nova Tractatui de Conscientia inserta legitur. [6] Nec amplius S. A. in *Praefatione* dicit, se ab illa quaestione preescindere; sed potius disertis verbis declarat, se usum opi-

1) Haec verba jam leguntur in 2. editione de anno 1753, et habentur etiam in 3. 4. et 5. de annis 1757. 1760. 1763. — 2) Cfr. pag. 42. ad IV. — 3) Vid. pag. 47. et seqq. — 4) Pag. 71. — 5) Cfr. Tannoia, lib. 3. c. 21. — 6) Vid. supra, pag. 60. art. 2.

nionis probabilis in concursu certe probabilioris non admittere. Ibidem enim desunt verba : « *Praescindo* » *igitur ab hac quaestione;* » et pro iisdem legitur: « *Opinionem minus* » *probabilem in concursu probabi-* » *lioris (modo haec sit certo pro-* » *babilior) sequi nec audeo, nec pos-* » *sum.* » Demum in Praefatione *octavae* et *nonae* editionis, S. A. integrum hunc locum: « *Non autem hic* » *mens...* » (vid. supra, n. 5.) penitus omisit. – Editio quinta sine dubio jam anno 1762. prelo commissa fuit, et S. Doctor consultius duxit, eam immutatam relinquere, ac systematis sui expositionem in proximam editionem reservare.

Articulus 5.

Falsa et S. Alphonso injuriosa est assertio, Ipsum contra hostes qui nuspiam extabant, inauditam protulisse thesim, eo solo fine ut laxitatis notam declinaret.

Pag. 17. P. Ballerini prosequitur dicens: « Caeterum haud aegre » intelligitur, cur eam controversiae » partem praetermittendam, lecto- » resque amandandos ad Auctores, » qui eam pertractent, S. Alphonsus » censuerit. Quis enim innumeras » tricas ignorat, quibus facilem pan- » dit aditum ea quaestio, praesertim » si in litigiosos forte, ac multo » magis si in adversarios incidas, » aequitatis temperantiaeque exper- » tes? *Quis nesciat, quot etiam ca-* » *lumniis ansam eadem disputatio* » *praebuerit? Neque sane alia de* » *causa, quam ut ejusmodi calu-* » *mniis iret obviam, inauditam il-* » *lam thesim S. Alphonsus protu-* » *lit :* « non licere usum opinionis » minus probabilis, ubi pro lege stet » opposita certe ac longe probabi- » lior » : *quam quidem controver-* » *siam, quemadmodum eam expli-* » *cari ab ipso jam vidimus, de tam* » *insigni videlicet probabilitatis* » *excessu, qui partem alteram mo-* » *raliter certam efficiat, alteri so-* » *lidam omnem probabilitatem adi-* » *mat, nisi temporum adjuncta, in* » *quae Beatus Vir incidit, perspe-* » *cta nobis essent, mirari satis nun-* » *quam possemus.* Quorsum enim » ejusmodi thesis proponebatur ? *Ne-* » *mo* profecto *sanae mentis,* ut cum » Dominico Viva loquar (ad prop. III. » Innoc. XI. n. 7.), docuit aut doce- » re potuit, homines prudenter ac » licite operari, si opinione *nulla-* » *tenus probabili* nitantur, cujus- » modi nihilominus adversarios, uti » diximus, haec S. Alphonsi thesis » impugnat. *Verum sin minus ex-* » *pugnandi hostes, qui nuspiam* » *extabant, at certe S. Alphonso* » *declinanda invidia fuit, et os il-* » *lis, si fieri posset, obstruendum,* » qui communi sententiae, objecto » illo laxitatis monstro ceu legitimo » ejusdem consectario, calumniaban- » tur, non secus ac superiori saeculo » eadem calumnia ipsi doctrinae im- » pacta jam fuerat. »

1. Ex ipso Patris Ballerini ore hic audire licet, thesim, quam a S. Alphonso propositam et propugnatam dicit, *inauditam* et talem esse, quam *nemo sanae mentis* docuit aut docere potuit. Aufert quidem notam imbecillitatis; at (inconsulto sane) pejorem S. Doctori appingit. Plena igitur advertentia, et deliberate Vir sanctus ineptam hanc thesim proposuit et propugnavit, *ut calumniis obviam iret,* hostium *invidiam declinaret,* et ipsis *os, si fieri posset, obstrueret!* Adversarios sibi finxit, *qui nuspiam exstabant* nec exstare potuerunt : aera verberans eos impugnavit, indignam et impiam comoediam agere non veritus est, ut hostes suos deciperet, simulque necessario omnes suae Theologiae moralis lectores ad credendum induceret, se simplicem reprobare Probabilismum, cui tamen toto animo adhaesit, et cujus placita pro moraliter certis et unice veris habuit ! Quis tulerit hujusmodi assertiones de Viro prolatas, qui Sanctorum albo

adscriptus est, et cujus memoriam universa Ecclesia celebrat?

2. Non opus est, ut iterum atque iterum textus allegemus, in quibus S. Alphonsus protestatur, se in elucubranda Theologia morali *solam Dei gloriam et salutem animarum* prae oculis habuisse, et semper rationem de suis doctrinis Deo reddendam timuisse. Quod speciatim quaestionem de Probabilismo attinet, in textibus superius allatis, S. Doctorem non semel audivimus declarantem, se, per triginta et amplius annos, nulli studio et labori hac in re pepercisse; se nonnisi post diuturnas preces coram Deo fusas, ne in gravissima hac materia erraret, Systema suum constituisse, illudque contra objectiones Auctorum tam benignioris quam severioris sententiae strenue vindicasse. Ipsum denique solemniter profitentem audivimus: « *Io non sono Probabilista, nè se-* » *guito il Probabilismo, anzi lo ri-* » *provo.* » [1] – Si ergo S. Alphonsus, juxta hypothesim Patris Ballerini, nihilominus in corde suo simplici Probabilismo, veluti doctrinae moraliter certae, adhaesisset, et nunquam intus ab ea recessisset: necessario concludendum esset, *quod omnes istas protestationes simulaverit,* et istius partis, quam pro veritate stare persuasum habuit, dissimulator et proditor exstiterit, ut hostium invidiam declinaret et os ipsis obstrueret. Simulata esset etiam protestatio, qua epistolam concludit ad Clementem XIII., cui dicavit Dissertationem moralem, in qua ex professo licitum usum nonnisi opinionis *aeque vel fere aeque* probabilis propugnat: « *Io mi pro-* » *testo che in tutto quello che ho* » *scritto in questa materia, altro* » *non ho preteso, nè pretendo, che* » *si scovra la verità di questa gran* » *controversia, dalla quale dipende* » *la buona o mala direzione delle* » *coscienze di tutti i fedeli.* » [2]

3. Supervacuum esset alia documenta afferre; nihilominus non possumus, quin unum adhuc argumentum adjiciamus. – Posito (quod impossibile est), S. Alphonsum aliter in corde suo sensisse, et contrarium publice praedicasse, certum tamen est, quod *coram Alumnis suae Congregationis* vera et genuina sensa sua non celasset. At vero in Literis ad ipsos datis, eamdem plane, quam in Operibus publice propositis doctrinam tradit: prout ex duplici superius relata Epistola (pag. 62. et 65.) evidenter patet. – Nec obstant verba: « *Autori nostri Probabilisti* », quibus in priori de 25. Maji 1767. utitur: siquidem isti (quos passim *nostros Auctores* vocat) ii sunt, qui usum opinionis probabilis in concursu opinionis notabiliter probabilioris pro lege non admiserunt, quamvis non docuerint, opinionem *certe* probabiliorem semper *notabiliter* probabiliorem esse. Prae caeteris autem in iisdem Literis, notanda sunt illa verba: « *Così* » *avrei anche scrupolo di permet-* » *tere e far confessare, chi de' no-* » *stri volesse seguire l'opinione co-* » *nosciuta per certamente meno pro-* » *babile.* » Ex quibus verbis clare patent sensa S. Alphonsi circa quaestionem, quodnam Systema in delectu opinionum probabilium tenendum sit: videlicet, hanc quaestionem ejusmodi esse, quae salutem animarum proxime attinet et conscientiam graviter afficit, ideoque Systema simplicis Probabilismi tuta conscientia in praxim deduci non posse. [3]

4. Cl. Ballerinius fidenter asserit,

1) Cfr. supra, pag. 11. n. 6.; pag. 51. punct. II. in fine; pag. 55. n. 4. et 5.; pag. 57. in fine; pag. 59. n. 3. et 4.; pag. 65. punct. III. in fine; pag. 70. punct. III. n. 1.; pag. 71. ad n. *49.* et *50.* — 2) Pag. 58. punct. V. in fine.

3) Cum autem de hisce Literis sermo sit, et forte quis aliam nobis Epistolam objicere posset, in qua S. Alphonsus Alumnis suae Congregationis dicere permisit, se et omnes Congregatos *Probabilioristas* esse: hujus facti explicationem praetermittendam non esse cense-

S. Alphonsum protulisse thesim *inauditam, quam nemo sanae mentis docuit aut docere potuit,* scilicet, non licere usum opinionis *minus probabilis,* ubi pro lege stet opposita *certe ac longe probabilior.* - At vero S. Doctor (ut superius jam vidimus) expressis verbis declarat: « Prima sen» tentia est, *ut possit quis licite se*» *qui opinionem etiam minus pro*» *babilem* pro libertate, licet opinio » pro lege sit *certe probabilior.* HANC » SENTENTIAM ELAPSI SAECULI AUCTO» RES QUASI COMMUNITER TENUERE; » sed nos dicimus eam esse *laxam,* » et licite amplecti non posse. » [1] *Inaudita* ne ergo dici potest sententia, quam tenuerunt Auctores quasi communiter? - Ad Systema autem morale ipsius cl. Professoris quod attinet, quaeri posset, quomodo ab ista inaudita thesi discedat? Nonne ipse admittit, nullam dari obligationem sequendi opinionem *etiam*

mus. — Agrigenti in Sicilia, Mansionarius quidam Cathedralis et Lector Scripturae S. in Seminario episcopali, nomine Canella, doctrinas jansenisticas tunc temporis sparsit, et eo progressus est, ut Bullam *Unigenitus* impiam diceret, et Sedem Apostolicam in errorem incidisse assereret. Cum Episcopus id comperisset, ipsum a Seminario ablegavit et a confessionibus excipiendis suspendit. Canella autem plagam, qua perculsus fuit, Patribus SS. Redemptoris in Agrigentino Collegio degentibus attribuens, ipsos ex civitate et ex tota Sicilia expellere sibi proposuit. Hunc in finem (quemadmodum refert P. Tannoia, in vita S. Alphonsi, lib. 3. cap. 43.), eosdem apud supremum Consilium regium, atque in primis apud Deodatum Targianni, Monarchiae siculae consultorem, praeter alias calumnias, aperti Laxismi insimulavit. Praefatus Targianni, licet in controversiis theologicis de Probabilismo plane peregrinus, calumniis aures non denegavit, imo primitus Canellae patrocinium suscepit.

In hisce ergo rerum adjunctis, S. Alphonsus die 5. Augusti 1772. Rectori Collegii Agrigentini scripsit: « Ieri sera ricevei tre pieghi di V. R. — A Targianni affatto non gli scri» verò; costui è uno di quelli..... che parlano contro la probabile, ma non l'intendono, che » viene a dire nè probabile, nè probabiliore, nè probabilissima. Seguitate a dire, che io, e » tutti siamo *Probabilioristi*, e questa è la verità, *mentre io dico che la probabile non* » *può seguitarsi come probabile*, giacchè per operar bene, vi bisogna la certezza morale; » onde la sola probabilità non dà bastante fondamento di operar bene; ciò, sebbene io non » l'ho scritto con queste parole, nondimeno l'ho spiegato in altri termini, avendo detto più » volte, che per operare rettamente vi bisogna la certezza morale, ed avendo riprovata come » *falsissima* la massima de' Probabilisti: *Qui probabiliter agit, prudenter agit....* » (cfr. supra, pag. 67. ad II.).

Plane haec consonant iis, quae S. Doctor paulo post scripsit in Apologia, anno 1774. evulgata: « *Ond' io sempre ho stimato falso quel principio adottato da' Probabilisti:* Qui » probabiliter agit, prudenter agit; *mentre chi opera senza la moral certezza dell' onestà* » *della sua azione, non prudentemente, ma imprudentemente opera.* E pertanto dico, che » non solo *è illecito operare secondo l'opinione meno probabile*, che sta per la libertà, » ma *neppure* (parlando per sè) *secondo l'opinione più probabile, quando l'altra che sta* » *per la legge, anche è probabile*, benchè meno probabile; perchè allora neppure si ha la » certezza morale necessaria a deporre adeguatamente il dubbio; stante che quell' opinione » meno probabile per la legge anche può esser vera. *Sicchè io non sono nè Probabilista, nè* » *Equiprobabilista, in modo ch' io dica, essere* PER SÈ *lecito il seguire l'opinione equi*» *probabile* » (vid. pag. 70. punct. III. n. 3.).

Si autem S. Doctor in praefata Epistola non adjunxit, quae in hac Apologia immediate subsequuntur: scilicet tum thesim, licere usum opinionis *aequiprobabilis* ex certo principio reflexo, quod lex stricte dubia non sit sufficienter promulgata, tum Systematis sui expositionem *(cfr. loc. cit. n. 4.):* merito et prudenter eam praetermisit. Nam oleum et operam perdidisset in convincendis ejusmodi hominibus, qui duas tantum tesseras noverant: *Probabilismum* et *Probabiliorismum: Probabilistas*, qui docentes, quamcumque probabilitatem ad prudenter et licite agendum sufficere, opiniones laxas, Evangelio contrarias et rei publicae perniciosas defenderunt; et *Probabilioristas*, eorum adversarios. — Si igitur S. Alphonsus ipsis demonstrare voluisset, Congregationem suam non Probabilismo, sed *Aequiprobabilismo* adhaerere, pro certo et explorato habuissent, eam nonnisi mutato nomine, easdem opiniones laxas et perniciosas tueri. Unde recte et prudenter Patres Collegii Agrigentini, S. A. approbante, istorum hominum captui et nomenclaturae, quam solam noverant, sese accommodarunt, et eo, quod non essent Probabilistae, Probabilioristas se esse dixerunt. Neminem autem hac accommodatione in errorem induxerunt: omnibus quippe Theologis, et judicii de Probabilismo ferendi capacibus satis innotuit, quidnam proprie S. A. in Operibus suis theologicis doceat, et quod quidem simplicem Probabilismum cum Probabilioristis reprobet, at idcirco non ex omni parte ipsis assentiat, sed mediam viam inter utrumque systema teneat.

1) Vid. pag. 64. *n. 31.*

certe probabiliorem pro lege, modo opposita pro libertate *vere et solide* probabilis sit? Ast S. Alphonsus invicte probat, opinionem pro libertate (licet, *in se spectatam, vere et solide* probabilem) in concursu cum certe probabiliori pro lege, vera et solida probabilitate destitui; ita ut *relate ad certe probabiliorem*, necessario evadat *notabiliter minus probabilis*, ac proinde licite teneri non possit. [1]

5. Ex dictis jam sat clare patet, inane et falsum esse, *inauditam* istam thesim a S. Alphonso propositam fuisse, *eo solo fine, ut adversariorum invidiam et calumnias declinaret.* Etenim, ex sententia S. Doctoris, opinionem pro libertate tunc tantum sequi licet, cum adest *dubium strictum* (non latum) de existentia legis; hujusmodi vero dubium strictum haberi nequit, nisi in concursu opinionum quae judicantur *aeque vel fere aeque probabiles,* minime vero eo casu, quo opinio pro lege est *certe probabilior.* [2] – Sed jam ipsemet S. Doctor verum declaravit motivum, curnam docuerit non licere sequi opinionem minus probabilem in concursu certe probabilioris: « So bene, che niun » Probabilista *di dottrina soda* dà » per lecito l'uso della tenuamente » o dubbiamente probabile. *Ma perchè* MOLTI PROBABILISTI *indistintamente dicono, potersi seguire la meno probabile, quando v'è qualche appoggio di ragione o di autorità: perciò ho voluto distinguere col dire, che non può seguirsi l'opinione* MEN TUTA, *quando è molta ed è* CERTA *la preponderanza per la più tuta...: perchè allora l'opinione men tuta non può dirsi certamente probabile, nè la legge in tal caso può dirsi dubbia con* DUBBIO STRETTO... » (Cf. integrum textum, pag. 53. punct. IV. n. 1.).

ARTICULUS 6.

Falsum est, S. Alphonsum, dum opinionem aeque probabilem defendebat, eo ipso etiam propugnasse licitum usum opinionis probabilis in concursu certe probabilioris.

Concludit demum P. BALLERINI, pag. 18. dicens: « Nihil ergo mirum » videri debet, si ab hac controversiae parte in posterioribus editionibus [3] abstinendum prudenti consilio S. Alphonsus duxerit; eo vel magis quod *cum nervis omnibus contendebat, propugnabatque, licitum esse usum opinionis probabilis cum aeque probabili pro lege concurrentis, probe perspiceret, se satis superque omissam quoque partem tueri. Data enim alicujus opinionis minori quidem, vera tamen ac solida probabilitate,* atque adeo data ratione vere gravi, qua negari possit, aliquam legem existere, *eo ipso jam valet conclusio, quod ejusmodi lex cum dubia sit, vi obligandi destituatur.* »

1. Sed prorsus falsa sunt, quae cl. Professor incredibili confidentia hic asserit. S. Alphonsus ab anno 1762., in omnibus Apologiis et Dissertationibus, tam separatim evulgatis, quam Theologiae morali insertis, non tantum docet, uti licere opinione æqualiter vel saltem quasi aequaliter probabili in favorem libertatis; sed etiam strenue contendit, *uti non licere opinione probabili, si haec non saltem quasi aequaliter probabilis, et excessus oppositae notabilis est; et ideo non licere sequi opinionem libertati faventem, si quis alteram* VEL UNO GRADU *probabiliorem esse certo agnovit, quia in hoc casu opinio pro lege notabiliter probabilior est.* Et ne ullum effugium P. Ballerinio pateat, laborem non detrectavimus, et istas Apologias et Dissertationes in Cap. II. §. 2. pag. 47. et seqq. verbotenus allegavimus.

1) Cfr. pag. 31. §. 2. art. 1., et pag. 46. integrum §. 2. — 2) Pag. 17. et alibi passim. — 3) Ad hanc assertionem jam supra responsum dedimus, pag. 108. art. 4.

2. Textus illi, magna saltem ex parte, cl. Professorem in Operibus moralibus S. Doctoris tantopere versatum, sane non latebant. Unde profecto non intelligimus, quomodo affirmare audeat, S. Alphonsum, dum nervis omnibus usum opinionis aeque probabilis propugnaret, probe perspexisse, se satis superque omissam quoque partem tueri, quippe quod etiam pro hac parte omissa valeat eadem conclusio, legem dubiam vi obligandi destitui. At S. A. hanc rationem, ceu objectionem ab adversario sibi oppositam, disertissimis verbis confutat, tum in *Monito* septimae Theologiae moralis editioni adjecto, tum in *Morali Systemate* editionibus octavae et nonae inserto. – Hunc textum, licet jam supra citatum, denuo audire non pigeat: « Dixi sub initio, quod ubi opinio » pro lege videtur *certe* probabilior, » eam sequi tenemur; secus vero si est » *aeque* probabilis, ac opinio pro libertate. Auctor vero Ephemeridum » gallicarum mihi objecit, *quod haec* » *secunda propositio probat nimis;* » nam si non teneremur sequi opinionem pro lege, quando opinio » pro libertate est *aeque probabilis,* » *quia tunc lex est dubia: nec etiam* » *teneremur sequi opinionem pro* » *lege, quando opinio pro libertate* » *esset minus probabilis, quia etiam* » *opinio minus probabilis efficit,* » *quod lex sit dubia et non suffi-* » *cienter promulgata.* – Sed respon- » deo, quod, *cum opinio tutior est* » *certe probabilior,* eo casu (ut in » principio hujus *Moniti* praemisi) » *quamvis lex omnino certa non* » *sit,* tamen propter illam majorem » probabilitatem, *opinio pro lege* » *videtur moraliter verior, et con-* » *sequenter etiam lex moraliter sive* » *sufficienter promulgata;* et ideo » *lex nequit dici tunc omnino du-* » *bia dubio stricto;* remanet tantum » eo casu *aliquod dubium latum,* » *quod non permittit ab opinione* » *tutiore discedere.* Cum autem opi- » nio, quae stat pro libertate, est » *aeque probabilis,* tunc adest *du-* » *bium strictum de existentia legis*; » ac propterea, sicut probavimus, » non adest tunc obligatio sequendi » opinionem tutiorem, nec servandi » legem, de qua plene dubitatur, an » existat vel non existat. »[1]

3. Idem S. A. in explicatione dixit, quam P. Ballerini a Bassanensibus fraudulenter avulsam contendit.[2] Idem jam dixerat, tum in Dissertatione de anno 1773. (i. e. in versione latina Dissertationis anno 1762. evulgatae), quam cl. Professor pro sua sententia allegat;[3] tum in opere: *Homo apostolicus,* similiter à P. Ballerini allegato.[4] – Gravissimis ergo et luculentissimis argumentis S. Doctor restrictionem axiomatis: *Lex dubia non obligat,* ad dubia *stricta,* ac proinde ad opinionem *aeque vel fere aeque* probabilem, vindicat, atque invicte probat. Et ideo non intelligimus quo pacto cl. Professor affirmare potuerit, « *S. Alph. probe* » *perspexisse, se satis superque omis-* » *sam quoque partem tueri.* »

4. Haec omnia fusius exposita et discussa concludamus perspicuis et

1) Cfr. supra, pag. 68. n. 2. – In *Monito II.* quod S. Alphonsus, in 7. edit. Theologiae mor. de anno 1773., Dissertationi morali adjecit (vid. Tom. I. pag. 22., et recentiores edit. n. 87. et seqq.), haec etiam leguntur: « Pluries ego in meis Operibus eruditos rogavi, ut si » quid contra mea scripta haberent, mihi patefacerent, ut cognito errore, a mea discederem » sententia. Nemo tamen usque adhuc fuit, qui id mihi praestitit, praeter ephemeridum » gallicarum scriptorem, qui mihi tantum objecit, quod *ego opinionem aeque probabilem* » *admittendo,* eo quod in hujusmodi casu lex est dubia, *etiam minus probabilem admit-* » *tere deberem, quia tunc lex etiam est dubia.* – Sed huic oppositioni jam in libro meo » praevi, statuens, quod ubi adest *probabilior* opinio pro lege, tunc lex est moraliter pro- » mulgata, ideoque obligat, non obstante illo *dubio lato* pro opinione benigniori: ubi enim » veritatem certam non invenimus, illam sequi debemus opinionem, quae magis veritati se » appropinquat; contra vero, ubi opiniones sunt *aeque* probabiles, lex est vere dubia *dubio* » *stricto*, ita ut nullo modo tunc lex dici possit sufficienter promulgata. »

2) Vid. pag. 99. art. 2., et pag. 61. ad II. — 3) Pag. 50. n. 2. — 4) Pag. 64. ad *n. 31.*

omne ambiguum arcentibus verbis S. Alphonsi: « *Noi (siccome abbiam* » *più volte detto di sopra) non di-* » *fendiamo la* PROBABILE *in concorso* » *della* PROBABILIORE ; *ma diciamo* » *esser lecito seguir* L'EGUALMENTE » *probabile in concorso della più* » *sicura...* » [1]

EX PRAEMISSIS ITAQUE

CONCLUDIMUS:

1. Quod *Bassanensis editor* textum moralis Dissertationis in postrema editione, a S. Sede approbata, *fraudulenter mutilaverit:* falsa est assertio, cui nullum plane, ne levissimum quidem fundamentum suffragatur. – (pag. 97. art. 1.).

2. Quod *nonnulli scriptores*, ut Scavini, Neyraguet, Gousset, etc. ex *gravissima hallucinatione* perperam S. Doctorem interpretati fuerint, et ad quamlibet probabilitatem majorem transtulerint ea, quae S. Alphonsus de sententia certe probabiliore statuerat: ex allegatis istorum Auctorum textibus omnino falsum demonstratur. – (pag. 104. art. 3.).

3. Quod S. Doctor sub *Opinione certe probabiliori* intellexerit *Sententiam moraliter certam in se spectatam*, et strenue impugnaverit thesim, *licere usum opinionis pro libertate, si opposita pro lege est moraliter certa:* assertio non tantum falsa, sed simul S. Alphonso injuriosa est; cum ipse P. Ballerini fateatur, neminem *sanae mentis* istam thesim docuisse, aut docere potuisse. – (pag. 99. art. 2.).

4. Quod autem S. A. consulto *adversarios* impugnandos sibi finxerit, *qui nuspiam exstabant,* ut *hostibus os obstrueret*, et ipsos, simulque omnes suae Theologiae moralis lectores ad credendum induceret, *quod simplicem Probabilismum reprobet:* similiter assertio non tantum falsa est et absurda, sed etiam S. Alphonso summopere injuriosa. – (pag. 112. art. 5.).

5. Quod tandem S. Doctor, dum in *postremis* editionibus a defendendo communi Probabilismo *praescidit*, et thesim suam ad licitum usum opinionis probabilis in concursu *aeque* probabilis limitavit, *eo ipso satis superque omissam quoque partem tuitus fuerit:* assertio est plane rejicienda, quippe quae cum integra S. Alphonsi doctrina superius exposita aperte pugnat. – (pag. 108. art. 4. et pag. 115. art. 6.).

§. 2.

Confutantur quaedam assertiones cl. Ballerinii, in suis ADNOTATIONIBUS *ad Compendium Patris Gury.*

Hucusque examini subjecimus *Dissertationem* a cl. Professore evulgatam, in qua, ut probavimus, frustra conatur morale Systema S. Alphonsi ad communem Probabilismum reducere. Quisquis superius exposita attente perlegerit, pro certo habebit (ni nos fallit animus), thesim cl. Ballerinii « *plane a veritate alienam* » esse. Ne quis tamen lector dubius haereat in aliquibus S. Doctoris textibus a cl. Scriptore in suis Adnotationibus ad Compendium P. Gury hac de re objectis, eosdem paulisper examinare juvabit.

P. Gury, Tom. I. de Consc. n. 80. quaerit: « *Si dubites, utrum alicui obligationi jam satisfeceris, tenerisne adhuc satisfacere?* » Et in duplici editione Romana respondet: « *1°. Affirm.* prorsus, quoties agitur de dubio proprie dicto, seu de dubio *negativo*, aut de dubio *practico.... 2°.* Si autem agatur de dubio *positivo,* seu de vera et solida probabilitate, controversum fuit. Affirmant

1) Pag. 59. n. 4.

cum quibusdam aliis Concina, Collet et Antoine... *Communissima tamen, et prorsus rationi consona sententia est, eum, qui probabiliter alicui obligationi satisfecit, ad nihil ulterius teneri...* »[1]

Ad hunc textum, cl. Ballerinius sequentia adnotat: « Quidam putant, » S. Alphonsum in oppositam opinionem cum Antoine et Concina devenisse, quia Lib. 1. n. 29. » cum iisdem censet, *eum qui probabiliter judicat, se jam voto satisfecisse, teneri adhuc ad votum implendum*, licet ipse prius probabilem dixisset sententiam negantem.

» Sed reipsa falsum est, S. Alphonsum recessisse a communi doctrina. Hoc patet evidenter ex hisce, » quae habet eodem Lib. 1. n. 99. in » fine: *Quid in dubio, an legem impleveris? In dubio negativo teneris implere; secus in positivo.* » Et rursus Lib. 3. n. 290.: *In dubio de consuetudine* (scil. derogante legibus), *possidet praeceptum; unde petenda est dispensatio: secus si probabile sit, adesse consuetudinem.* Et rursus Lib. 3. n. 112. » q. III. §. *Secunda sententia*, scribit: *Hic non versamur in dubio, sed in opinione probabili... Quando autem probabile est, quod.... lex abolita sit, tunc cessat praesumptio pro lege, et possidet libertas.*

» Ergo S. Alphonsus suam opinionem utique mutavit quoad quaestionem specialem, *de voto*, non » vero quoad generale principium. » Et quidem illa quoad votum resolutio videtur accipienda de eo, qui » incertus sit, an aliquid ad votum implendum praestiterit, nec ne; » non autem de eo, qui aliquid fecerit, et incertus sit solum, an » illud ad implendam promissionem sufficiat. Nam alioqui centies, imo » et millies S. Alphonsus inculcat, » tutissimum in conscientia eum esse, qui quoad obligationes probabile judicium sequatur, cum totum » ejus Opus morale huic innitatur » principio. »

Ut hisce allegatis et objectis satisfiat, primum ad asserta cl. Professoris respondebimus, dein exponemus citatos S. Doctoris textus.

Articulus 1.

Perpenduntur assertiones cl. Ballerinii.

I. Immerito prorsus cl. Professor affirmat, S. Alphonsum millies inculcare, « *tutissimum in conscientia eum esse, qui quoad obligationes probabile judicium sequatur* »; et pariter falsum est, « *totum ejus Opus morale huic innitī principio.* »

1. Etenim contrarium jam clare patet ex integra nostra confutatione, et maxime ex Systematis S. Alphonsi expositione (cfr. supra, pag. 13. art. 3.). Aliquo tempore quidem S. Doctor, quoad *Cessationem* legis, Probabilistarum opinionem tenuit, « *ductus magis a probabilitate extrinseca, quam intrinseca; sed, re melius perpensa* », sententiam mutavit: quod evidenter constat ex pluribus superius adductis textibus, tum in sexta editione, tum in se-

1) De sententia *affirmante*, quam hic quibusdam tantum Auctoribus tribuit, *P. Gury* in prioribus Compendii editionibus (saltem usque ad septimam inclusive) dixerat: « *Ita S. Liguorius*, lib. 1. n. 27. 28., *et alii multo communius* »; et addiderat: « *In praxi priorem sententiam enixe commendandam, imo plerumque certo tenendam esse existimo.* » — Vix itaque intelligimus, quomodo posterius communissima effecta fuerit sententia negans. Quidquid sit de antiquioribus, advertere sufficiat, saltem post S. Alphonsum, *communius* teneri sententiam *affirmantem*. Qua de re videsis inter alios, *Galani*, de consc. n. 16. deduco 4°.; *Punzuti*, de consc. n. 20.; *Neyraguet*, de consc. cap. 3. infertur 2°.; *Gousset*, de la conscience, n. 87.; *Scavini*, tom. 2. n. 63.; *Albrand*, in nova edit. Theol. universae Thomae ex Charmes, de consc. cap. 5. art. 3. quaer. 2. 4°.; *Grassi*, de lege, cap. 2. quaer. 4.; *Müller*, de consc. §. 84. reg. 1.; *P. Marianum a Novara*, in recent. edit. (Bruxellis 1872.) Compendii Thomae ex Charmes, de consc. cap. 4. quaest. 5. pag. 366. etc.

cundo elencho Quaestionum reformatis (cfr. supra, pag. 19.).

2. Confutatur etiam falsa assertio cl. Professoris ex discussis in Causa Beatificationis S. Alphonsi, anno 1806. Ad severiorem namque trutinam revocatum fuit ejusdem Systema morale; atque, inter alias objectiones, Promotor Fidei Sanctum nostrum arguebat imprudentiae, « *praesertim ob nonnullas regulas in morum doctrina ab eo traditas, quarum ductu fraenum humanae libertatis non parum fortasse laxari arbitrati sunt.* »- Istas animadversiones egregie diluit Defensor Causae, probando Aequiprobabilismum S. Alphonsi inniti duplici inconcusso principio: *Lex dubia non obligat*, et: *In dubiis, melior est conditio possidentis.* Quibus expositis, haec ad rem nostram spectantia addebat: « His principiis tam impartialiter Ligorius utitur pro utraque opinione, ut *in eventu, quo opinio quae stat pro libertate sit probabilis vel dubia, ipse doceat standum esse pro Lege, juxta juris axioma, quod in dubiis melior est conditio possidentis;* quia tunc possessio quae stat pro Lege tollit aequalitatem. » Et quibusdam exemplis, speciminis loco adductis, hanc generalem deducebat conclusionem: « *Uno verbo: toties id docuit* (sc. standum esse pro lege), *quoties se occasio obtulit disserendi de eventu, quo opinio, quae stat pro Lege, habeat pro se possessionem* » (cfr. supra, pag. 86.).

II. Affirmat insuper cl. Ballerinius: « *S. Alphonsus suam opinio-* » *nem utique mutavit quoad quae-* » *stionem specialem, de Voto, non* » *vero quoad generale principium.* » Verum nec ista assertio veritati consonat.

1. Quinque praecipuae reperiuntur Quaestiones, in quibus S. Doctor, re melius perpensa sese reformavit. Sunt autem: 1°. De *voto* probabiliter tantum impleto; 2°. De *sacramentali poenitentia*, cui quis probabiliter satisfecit; 3°. De *peccato* certe commisso, quod quis dubie aut probabiliter tantum confessus est; 4°. De *Officio divino* probabiliter recitato; 5°. De *matrimonio* probabiliter soluto per mortem probabilem conjugis. - Quatuor priores retractationes leguntur, tam in posterioribus Elenchis quaestionum reformatarum, sextae et octavae Theologiae moralis editioni adjectis, [1] quam in textu Operis moralis [2] (excepta tantum quaestione de Officio divino, quae tamen expresse reformata habetur in *Hom. Apost.* [3]). Quinta [4] autem aperte constat ex immutatione textus a S. Doctore facta in editione sexta, quae (sicut et aliae posteriores) non concordat cum editione quinta, et ubi expresse remittit ad novum Tractatum de conscientia, « *quem* (inquit) *ipse condidi.* »

2. Nec objici potest, S. Doctorem in aliquibus tantum quaestionibus *particularibus* sese reformasse, quin mutetur aut attingatur quaestio generalis. Ipse namque aperte declarat, sese in praefatis quaestionibus reformasse propter evidentiam *rationis intrinsecae*, cum prius fuerit « *magis ductus a probabilitate ex-* » *trinseca* » (lib. I. n. 29.). Quae ratio est *omnino generalis*, sequens rigorose ex principiis quae S. Doctor posuit in capite sui Systematis, dum proprium Tractatum de Conscientia in sexta editione condidit: ratio nimirum, quod *melior sit conditio possidentis.* Unde, « *sicut certum est vo-* » *tum* (certa lex), *ita pariter certa* » *ejus impletio etiam esse debet.* » [5]

3. Item dici nequit, prout aliqui autumarunt, quod agatur tantum de lege, cujus obligatio immediate a Deo procedit. Siquidem exempla a S. Doctore adducta, sunt tum de lege *naturali*, ut votum; tum de lege *divina positiva*, ut confessio et poenitentia sacramentalis, atque impedimentum ligaminis; tum de lege

1) Cfr. secundum Elenchum, quaest. 1. 15. 16. 18. — 2) Lib. I. n. 29. lib. VI. n. 477. — 3) Tract. I. n. 17. versus fin. — 4) Theol. mor. lib. 6. n. 906. — 5) *Homo Apost.* tr. I. n. 17

ecclesiastica, ut recitatio Officii divini. - Ergo quaestio est *de cessatione legis in genere.*

4. Porro, ex argumentatione S. Alphonsi, firmissime constat, illam Aequiprobabilismi regulam: *Lex, ut obligationem inducat, debet esse certa moraliter, aut saltem certe probabilior,* [1] etiam convertendam esse contra libertatem, quando lex jam possidet. Hinc dicendum: *Quemadmodum lex dubia non obligat, ita libertas dubia non liberat;* sicut lex incerta (ut est opinio probabilis) certam inducere nequit obligationem, quia possidet libertas: sic libertas incerte soluta (ut in satisfactione aut derogatione tantum probabili) non potest certam inducere deobligationem, quia possidet lex. - Hisce concordat illud alterum principium: *In dubio, factum non praesumitur, sed probatur.* Onus enim probandi incumbit ei qui non possidet, contra illum qui possidet. Legis autem derogatio, abrogatio, dispensatio, et impletio seu satisfactio, sunt *facta,* quae plane demonstrari debent. Ergo. [2]

Articulus 2.

Explicantur textus S. Alphonsi, a cl. Ballerinio pro thesi sua allegati.

Cl. Professor, ut vidimus, tres affert textus, in quibus S. Doctor videtur sententiam contrariam tenuisse, nempe quod, ad tollendam legis obligationem, sufficiat satisfactio aut cessatio probabilis. Non diffitemur, aliquam inesse difficultatem istos textus cum aliis supra adductis (pag. 19. et seqq.) conciliandi; quam tamen solvi posse existimamus.

Praemittimus generalem advertentiam, quod ista conciliatio fieri nec possit, nec debeat, *in detrimentum Principiorum,* quae supra posuimus. Nam ultimi textus S. Alphonsi et ultimae quaestiones reformatae certo nobis exhibent ultimam S. Doctoris sententiam, ad quam proinde necessario reducendae sunt solutiones anteriores, cujusmodi sunt (uti constat ex collatione editionum) quaestiones modo perpendendae; et si qua daretur conciliandi impossibilitas, opinio prior ad normam posterioris reformanda esset. - Quibus praemissis, singulas objectas solutiones inspiciamus.

I. Primus S. Alphonsi textus a cl. Ballerinio ex Lib. I. n. 99. citatus, sic sonat: « *Quid in dubio, an legem* » *impleveris? In dubio negativo te-* » *neris implere;* SECUS IN POSITIVO. » *Cardenas et Illsung cum Croix,* » *lib. 1. n. 600.* »

Prae caeteris adverti posset, ex brevi hoc textu certo non constare de sententia ipsius S. Doctoris, quippe quod trium Auctorum opinionem simpliciter referat. Sed missa hac advertentia, videamus sensum propositionis: « *secus in* (dubio) *positivo.* » - Iste sensus totus pendet *a natura et definitione dubii positivi.* Cl. Professor censet quidem omne dubium *positivum* esse dubium *strictum,* a statu opinionis pro alterutra parte distinctum. Advertit enim: [3] « *non* » *accurate quosdam recentiores con-* » *fundere* dubium positivum *cum* » *statu* opinantis *pro alterutra parte.* » *Nam* dubium *excludit assensum;* » opinio *vero aliquem assensum ha-* » *bet.* »- At vero ex definitione S. Doctoris (quae sola hic attendenda est, ad genuinum ipsiusmet sensum eruendum) praefata propositio significat: *Secus, quando stat pro impletione legis* UNICA *probabilitas gravis;* siquidem hujusmodi probabilitas etiam comprehenditur in dubio positivo. Ait enim S. Alphonsus, Lib. I. n. 20.: « *Dubium positivum est, quando* » *pro utraque parte* » (en aequiprobabilitas, et dubium strictum, de quo praefata verba: *secus in positivo* intelligi nequeunt; quia tale dubium essentialiter non differt a negativo, uti supra probavimus, pag. 35.), « *vel* » *saltem pro una* » (en probabilitas

1) Vid. supra, pag. 17. *Dicitur* 2°. — 2) Vid. supra, textum S. A. pag. 13. n. 2. — 3) Cfr. Tom. 1. edit. 2. pag. 38. not. (*a*).

ab alia non impugnata, cui *quaedam moralis certitudo* assistit) « *ad* » *est grave motivum, sufficiens ad* » *formandam conscientiam proba-* » *bilem, licet cum formidine de op-* » *posito.* » – Accedunt (uti diximus, Cap. I. §. 1. art. 3.) principia reflexa, quae cum ista probabilitate non impugnata dant omnimodam conscientiae securitatem.

Haec itaque solutio S. Alphonsi non pugnat cum quaestione a se reformata, uti contendit cl. Ballerinius; imo eidem recte consonat (ut patet ex dictis pag. 18. *Demum 4°,* et pag. 22. *Talis autem*).

II. Lib. III. n. 290. in fine, S. Doctor scribit: « *Bene autem advertit* » *Mazzotta, de 3. praec. cap. 2.,* » *quod in dubio de consuetudine* » (addit cl. Professor: *scil. derogante legibus*) « *possidet praeceptum; unde* » *petenda est dispensatio:* SECUS SI » PROBABILE SIT, ADESSE CONSUETU- » DINEM. » – Verum, ex his verbis nihil concludi potest contra regulam nostram circa cessationem legis.

1. Ante omnia advertimus, in citato textu *non agi de consuetudine derogante legibus in genere,* uti asserit P. Ballerini. Nam in Tractatu de Legibus, ubi S. Alphonsus ex professo de Consuetudine tractat, ipse ne verbum quidem habet de quaestione generali: An consuetudo probabilis derogare possit legibus. – In praefato vero textu, S. Doctor agit de consuetudine *circa tertium praeceptum,* dum quaestionem movet: « *Quinam laborantes excusentur ex Consuetudine?* » Porro hac in re, usus fidelium specialem habet vim ad determinandum legis objectum; praesertim quando cum ipsa consuetudine *concurrit alia ratio excusans,* ut necessitas quaedam aut magna utilitas. – Et revera, *Mazzotta* loco citato sermonem proprie non instituit de consuetudine, sed de necessitate. Ait enim: « Primo excusat *necessitas* sive propria, sive aliena, tam spiritualis quam temporalis: quia Ecclesia non obligat cum tanto onere; nec requiritur, quod necessitas sit maxima, quamvis non debeat esse modica. Hinc permittuntur opera servilia... sexto, qui ad publicam laetitiam in adventu Principis, aut ex causa victoriae, aut nuptiarum, struunt theatra, arcus triumphales, libreas, etc., dummodo non potuerint praevenire: hoc enim fert ipsa etiam consuetudo: quod, si quando dubium est de necessitate; aut de consuetudine approbata, petenda est dispensatio, ut notat Sanchez, quia stat in possessione praeceptum; *secus vero, si probabile sit, dari sufficientem necessitatem, aut consuetudinem approbatam,* et scandalum declinetur...» Notandum, Mazzottam, ubi de sola consuetudine loquitur, non dicere quod *probabilis* consuetudo sufficiat; sed requirit, ut consuetudo sit *approbata.*

2. Attamen non negamus fieri posse, ut consuetudo *probabilis* sufficiat ad derogandum legibus in genere: *modo talis sit probabilitas, quae fundet moralem certitudinem,* uti supra monuimus.[1] Et hoc verum est, quando jam constat de existentia consuetudinis, et dubitatur tantum *de valore facti,* scilicet, an haec consuetudo certe existens omnes habeat conditiones ad legitimam consuetudinem requisitas; quia tunc suffragium probabile Doctorum, aut etiam unius eximii Doctoris, bene haberi potest uti signum sufficiens consensus Ecclesiae, nolentis ut innumerae pereant animae, ex consuetudine leges suas transgredientes. – Et in hoc sensu intelligendus est S. Alphonsus, dum cit. Lib. III. n. 290. scribit: « *Sufficit enim, ut di-* » *cunt Salmanticenses* (de leg. cap. 6. » n. 18.) *cum Salas, Granado, etc.,* » *dictum unius Doctoris eximii, et-* » *iam moderni, qui consuetudinem* » *asserat.* » Et revera Salmanticen-

1) Pag. 22., dicitur 3°.

ses loco cit. sic loquuntur: « (Notandum) sufficere dictum unius *eximii* Doctoris, asserentis tempus ad consuetudinem requisitum praeteriisse, ut per eam lex abrogata censeatur, etiamsi plures alii oppositum sentiant; ideoque in foro conscientiae illi acquiescere potest unusquisque, ut absque peccato juxta consuetudinem operetur, quia auctoritas unius praeexcellentis Doctoris rem facit probabilem, quando non constat de opposito. *Ergo si testetur* OMNIA ADESSE PRO CONSUETUDINE REQUISITA, *illi credendum est, dum clare non probatur oppositum...* »

III. Tertium S. Alphonsi textum cl. Ballerinius sic allegat: « Et rursus Lib. III. n. 112. q. III. §. *Secunda sententia,* scribit: *Hic non versamur in dubio, sed in opinione probabili... Quando autem probabile est, quod... lex abolita sit, tunc cessat praesumptio pro lege, et possidet libertas.* »

1. Ad genuinam S. Doctoris intelligentiam, opus est ejusdem verba uberius referre. Ibidem S. Alphonsus proponit quaestionem particularem, videlicet: « *An Beneficiarius simoniacus incurrat ipso facto... inhabilitatem ad alia beneficia obtinenda?* » et duas refert sententias: « Prima sententia tenet incurri.... » Secunda vero sententia communior » et probabilior... negat incurri praedictam inhabilitatem ante sententiam judicis condemnatoriam... Nec » huic obstat sententia, quam secuti » sumus Lib. I. n. 97., scilicet, quod » in dubio an lex recepta sit, lex bene » obligat. Nam hic non versamur in » dubio, sed in opinione probabili, » cum *valde probabile* sit ex auctoritate DD. ut supra, hanc legem non » fuisse receptam. In dubio enim praesumptio stat pro lege, cum delictum, » in non recipiendo legem justam, » non praesumatur. Quando autem » probabile est, quod obligatio legis » nunquam inceperit (vel quod lex » abolita sit), tunc cessat praesumptio pro lege, et possidet libertas, » ut docent Sanchez, Laymann et » Palaus cum Salmanticensibus... »

2. Ex hisce S. Alphonsi verbis patet, ipsum contra legem non admittere simplicem aut qualemcumque probabilitatem, sed opinionem *valde probabilem,* cui favet tum ratio intrinseca valde urgens, tum communior Doctorum interpretatio. Unde S. Doctor, eamdem quaestionem in *Hom. Apost.* Tr. 4. n. 52. perpendens, *absolute* dicit: « Et quamvis » Simonia sit completa, *illae duae* » *poenae privationis et inhabilitatis non incurruntur,* nisi post » sententiam condemnatoriam, ut » *communissime* Bonacina, Castropalaus, Sanchez, Laymann, Filliuccius, etc. Nec obstat Bulla » Pii V., quia (ut dicunt praefati DD.) » illa intelligitur valere pro foro » externo, cum ibi dicatur: *Quicumque convictus fuerit;* saltem in eo » sensu recepta est. » — Quod autem hujusmodi ratio excusans sufficiat ad tollendam obligationem legis, praesertim poenalis (sicut in praesenti quaestione), nullus sane negabit.

IV. Confirmatur haec nostra interpretatio ex doctrina generali S. Alphonsi circa relativum aut absolutum valorem opinionum; quae doctrina sic exprimi potest: *1°. Ubi datur* UNICA *probabilitas, cui non contradicitur, haec ordinarie sufficit in re morali, tum ad introducendam, tum ad abolendam legem:* quia, eo ipso quod ei non contradicatur, *ista probabilitas non fundat dubium proprie dictum, sed potius certitudinem moralem,* sive contra libertatem, sive contra legem possidentem, pro diversitate casus. [1] — *2°. Ubi vero dantur duae opiniones contradictoriae,* istae vel sunt *aequalis aut quasi aequalis* valoris, ita ut una alteram elidere non valeat;

1) Cfr. supra, pag. 18. *Demum 4°.*

vel sunt *disparis* ponderis, ita ut una sit altera certe probabilior, certe validior. In priori casu habetur dubium strictum, propter aequilibrium rationum, et ideo naturaliter valent eaedem regulae, ac in dubio negativo, seu proprie dicto. [1] In secundo autem casu, probabilitas quae est evidenter majoris ponderis, evincit partem possidentem, sive libertatem, sive legem; quemadmodum in pari causa ipsam evincit probabilitas unice gravis.

V. Ex dictis resolvi poterunt etiam quaedam aliae difficultates, quae ex variis Libris theologiae moralis S. Alphonsi afferri possent, v. gr. ex *Lib. I. n. 195. et 199.*, item ex *Lib. IV. n. 150.* - In his enim textibus (uti patet ex contextu) agitur de gravi probabilitate, cui nihil serio contradicit; vel etiam de probabilitate (ut in primo textu) quae versatur, non circa facti existentiam aut substantiam, sed circa ejusdem valorem aut conditionem. Unde mirum non est, si S. Doctor praefatos textus, qui sunt priorum editionum, non reformaverit, quamvis suam ultimam sententiam minus exacte et minus explicite referant.

SUMMARIUM ET CONCLUSIO

TOTIUS SYSTEMATIS S. ALPHONSI.

I. - Terminata hac nostra refutatione, ac demonstrata falsitate thesis a cl. Ballerinio propugnatae, praecipua Dissertationis capita summatim commemorare juvat.

1. Verum et genuinum Systema morale S. Alphonsi, nec est *Probabiliorismus,* qui, in concursu opinionum, exigit probabilitatem majorem pro libertate; nec est *communis Probabilismus,* qui dicit, teneri posse opinionem graviter et solide probabilem, relicta certe aut notabiliter probabiliore. Sed est AEQUIPROBABILISMUS satis large intellectus, cujus summa haec est: In dubiis *meri juris,* standum est *pro ea parte quae possidet* (libertate, aut lege), quoties hinc inde datur probabilitas *aequaliter aut fere aequaliter* gravis, seu quoties, propter moralem aequalitatem rationum, subsistit dubium *strictum.* Pro parte autem *non possidente,* (lege, aut libertate) tunc tantum concludendum est, quando ipsi favet probabilitas contradictoria certe seu evidenter, etsi unico gradu, praeponderans - (pag. 17. 18. 23.).

2. Jure optimo S. Alphonsus affirmat probatque, *communem Probabilismum* esse sententiam laxam (pag. 33. art. 2.). - *Aequiprobabilismus* autem a S. Doctore traditus, nedum Theologum ad laxitatem inducat aut in angustum ponat, regulam ipsi exhibet rectissimam, prudentissimam, facillimam et probatissimam [2] (pag. 23. art. 4.).

3. Ex *historica demonstratione* firmissime constat, S. Doctorem nunquam simplici et communi Probabilismo adhaesisse, sed *Aequiprobabilismum* jam ab initio *implicite* docuisse (pag. 40. §. 1.); illumque ab anno 1762. *explicite* tenuisse, perfecisse, et ad mortem usque contra adversarios utriusque partis constanter et invicte propugnasse (pag. 46. §. 2.).

1) Vid. pag. 36.

2) Hinc cum Defensore in Causa Beatificationis Alphonsi concludere nobis liceat: « Quod » si *sapiens Ligorii Systema* privatis quibusdam Scriptoribus non placuit, *placuit tamen* » *aliis multitudine infinitis, ac doctrina praestantissimis, qui Ipsum de hac quaestione* » OMNE TULISSE PUNCTUM *existimarunt; propterea que per totam Italiam, Hispaniam, Ger-* » *maniam, aliasque Orbis partes, ejus Theologiam moralem summo plausu excepere* » (Vix. pag. 86. in fine).

4. *S. Alphonsum esse hujus Systematis proprium Auctorem,* aperte probant, tum factorum simplex inspectio, tum (perpaucis exceptis, qui cum cl. Ballerinio sentiunt) praeclara Scriptorum testimonia (pag. 74. cap. III.).

II. - Pro coronide tandem P. Ballerini studio Theologiae moralis vacantes alloquitur, atque emolumenta exponit, quae ipsis ex sua Dissertatione praesto sunt:

« Et haec quidem omnia unice ad » solvendam quaestionem criticam » de Beati Alphonsi mente dicta ve» lim. E quibus tamen duplex vo» bis, qui Theologiae morali operam » navatis, emolumentum praesto est; » alterum *theoreticum,* ut noveritis, » morale Systema, quod *Aequipro*» *babilismi* seu *moderati Probabi*» *lismi* dici solet, quatenus cum ano» nymo illo Gallo accipitur ceu re» pugnans benigniori sententiae, aliis » quibusvis, *non* vero *Beatissimo* » *Alphonso quasi Auctori tribuen*» *dum esse;* illam autem *benignio*» *rem sententiam, a qua,* uti osten» dimus, *nunquam recessit,* neque » cum alia *laxa,* quam postremis » elucubrationibus impugnavit, *ne*» *que cum moderato illo Probabi*» *lismo, qui levem aliquem in alter*» *utra opinione probabilitatis ex*» *cessum patiatur, confundi ulla*» *tenus posse:* alterum *practicum,* » ut ab omni laxitatis suspicione, et » quidem *Sedis Apostolicae judicio,* » et vos et eos omnes immunes pu» tetis, qui cum genuinas alias S. Al» phonsi doctrinas, tum etiam *beni*» *gnam communissimamque vete*» *rum sententiam de probabilis usu* » *opinionis et retinere et in praxim* » *deducere,* nihil aliter sentientibus » de existimatione detrahendo, vo» luerint.

» Caeterum, ut orationi meae satis » jam prolixae finem tandem impo» nam, ex hucusque disputatis alius » quoque fructus colligi posse vide» tur ab iis potissimum, qui in re mo» rali aliorum sese auctoritate regi » malunt, quam rationum momentis » ac vi: nulli nimirum in ea re di» ligentiae parci oportere, *ut genui*» *nae Doctorum sententiae exqui*» *rantur;* ne si secus contingat, er» ror eo *perniciosior* invalescat, quo » amplior est dignitas nominis, quo » temere obtunditur. »

Verum, ex supra discussis, huic allocutioni alia prorsus diversa substituenda est, et dicendum: Duplex vobis, qui Theologiae morali operam navatis, emolumentum ex nostra refutatione Dissertationis cl. P. Antonii Ballerini praesto est. - Alterum *theoreticum,* ut noveritis, et, si forte in errorem inducti fueritis, pro certo et comperto habeatis: 1°. *S. Alphonsum auctorem esse Systematis Aequiprobabilismi;* - 2°. Ex mente ejusdem Sancti fieri non posse, quod in concursu *certe et notabiliter probabilioris* pro lege, opinio libertati favens remaneat *vere et solide probabilis;* sed ipsam necessario evadere *notabiliter minus probabilem;* - 3°. *Communem et simplicem Probabilismum,* juxta quem sequi licet opinionem libertati faventem, etiamsi contraria pro lege sit *certe probabilior,* a S. Alphonso reprobatum fuisse ceu sententiam *laxam,* quae licite teneri et in praxim deduci nequit.

Alterum *practicum,* ut noveritis ac pro certo et comperto habeatis, *solum Systema Aequiprobabilismi,* cujus auctor S. Alphonsus est, *Sedis Apostolicae judicio approbatum esse;* et ideo omnes, qui in re morali, auctoritate regi malunt, quam rationum momentis ac vi, tuta conscientia hoc Systema amplecti et in praxim deducere posse, *etiamsi rationum momenta non expenderint.* - Idcirco Sedes Apostolica *communem et simplicem Probabilismum* non reprobavit, et hac ratione cuique liberum est ipsum sectari; verumtamen *a rationibus examinandis et ponderandis* liber et exemptus non existet, quemadmodum alter, qui

auctoritate S. Alphonsi et approbatione S. Sedis innititur. – Insuper, communis Probabilismi sectator, *ut prudenter agat*, ex sanis et inconcussis principiis *certum dictamen sibi formare debet*, licitum esse systema, quod S. Doctor, post diuturnum ac diligentissimum examen, illicitum et laxum judicavit: eo magis, quia istud S. Alphonsi judicium, sicut et alia ipsius doctrinae capita, a Sede Apostolica *nulla censura dignum*, et ideo *sanum tutumque* declaratum fuit.

Quae cum ita se habeant, facile quisque prudens sibi formare poterit judicium: utrum *perniciosus error*, de quo loquitur cl. Professor, ex nostra, an potius ex sua parte subsistat.

Hanc itaque Dissertationem concludimus verbis memoratu dignis ipsius cl. Ballerinii, jam superius in exordio relatis:

« *Nemo sane diffitebitur*, INSIGNI » BENIGNISSIMI DEI BENEFICIO *adscribendum esse, quod in miserrima illa opinionum invicem pugnantium colluvie, quae a duobus retro saeculis Scholas Theologiae moralis foedis agitare coepit dissidiis, quaeque diris etiam premebat angustiis eos plurimos, qui* CERTA *quapiam* TUTAQUE NORMA *indigent ad animarum regimen, et ad sua cuique fidelium praescribenda officia, datum sit aliquando ad manus habere Beatissimi* ALPHONSI DE LIGORIO *Scripta; quae non modo ab* EXIMIIS AUCTORIS DOTIBUS, *sed, quod longe majoris momenti est, ab* APOSTOLICAE SEDIS *judicio tam* SINGULAREM COMMENDATIONEM *mutuata sunt.* »

PARS SECUNDA

DE ACTIBUS HUMANIS, PECCATIS ET VIRTUTIBUS

QUAESTIO I.

An et quomodo teneatur homo omnes actus suos ad Deum referre.

(S. Alph. Lib. V. n. XLIV. — P. Ball. Tom. I. n. 31. q. 4.)

I. – S. Alphonsus, Lib. V. Tract. de actibus humanis, n. XLIV. cum S. Thoma et Thomistis, Bellarmino, Suarez, Valentia, et pluribus aliis gravibus DD. docet, *non dari actus indifferentes in individuo*. Et citato textu S. Thomae, hanc sententiam sic probat: « Praeterea non potest contingere, quod aliquis actus singularis, ex deliberata voluntate procedens, fiat sine circumstantiis: aut igitur illae circumstantiae sunt rectae rationi consentaneae, ita nimirum, ut actus fiat, quando, ubi, quomodo, et propter quod deceat fieri, et sic est bonus; aut non sunt consentaneae rectae rationi, saltem omnes, sed aliqua deficit, et sic est malus: nullus igitur actus in individuo, et secundum omnes circumstantias consideratus, potest esse indifferens. »

Ex hac autem doctrina, S. Doctor sequentem deducit conclusionem: « Ad haec homo tenetur omnes actus suos ad Deum referre, quando agit cum deliberatione et propter aliquem finem. Inquit enim Apostolus I. Cor. 10. 31: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Si ergo ad Deum refert, saltem per intentionem *virtualem*, actus erit bonus; si non refert, erit malus: nullus igitur indifferens. – Scio adversarios dicere, in verbis Apostoli contineri consilium, non praeceptum: sed falso; Patres enim agnoverunt *praeceptum*, non consilium. Ita Augustinus, Coelestinus I, Maximus, S. Thomas, quos legere est apud Continuatorem Tournelii, [1] ad quem mitto, qui fusius hanc quaestionem pertractatam, cum adversariorum objectionibus et responsis, studiose quaerit. – *Hinc pro praxi colligimus: oportet saepius in die, saltem mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos,* ut sic adimpleatur praeceptum Apostoli, *saltem intentione virtuali* omnia faciendi in gloriam Dei. Hoc modo, omnis actus etiam indifferens in specie, fit bonus et virtuosus in individuo. *Non requiritur quippe actualis re-*

1) S. Alphonsus, dum in solvendis quaestionibus, plurimorum Auctorum sententias allegat et perpendit, eorumdem Opera, mira semper cum diligentia citat et indicat. Cum vero S. Doctoris Theologia moralis in omnium manibus habeatur, ab innumeris hujusmodi citatis referendis, brevitatis et claritatis causa, generatim abstinemus.

» *latio omnium, sive verborum, sive* » *operum, in bonum honestum; quod* » *esset importabile pondus, et res* » *sexcentis implexa scrupulis, sed* » *sufficit virtualis,* ut diximus: unde » quamvis aliquis accedens ad men- » sam, non cogitat de conservatione » vitae, sed solum de cibi delecta- » tione, ut ait *Gonet,* non propterea » peccat, quia talem delectationem, » saltem virtualiter, vult propter » conservationem vitae, sicque non » inordinate illam appetit... »

II. – *P. Gury,*[1] Tom. I. num. 31. pag. 32.[2] quaerit: « An omnes actiones nostrae ad Deum referri debeant, juxta verba Apostoli 1. Cor. 10. 31: *Omnia in gloriam Dei facite?* » – et respondet:

« Circa obligationem quae ex allato textu eruatur, referendi actiones in Deum, posthabitis quorundam recentiorum opinionibus obscuris saepius implexisque, praeferenda prorsus est communis veterum doctrina, quae hisce capitibus continetur. »

« Ac primo quidem Pauli verba ex communi DD. ad virtutem caritatis spectant, et, non secus ac praeceptum caritatis, accipi possunt sensu tum negativo, tum affirmativo. – Si sensu *negativo* accipiantur, significant: *Nihil contra Deum faciatis;* et sic, ex omnium sententia, imo et ex ipsa rei natura, praeceptum continent, scilicet non peccandi. Hoc tamen praeceptum peccato speciem non tribuit, quia peccata speciem suam non a generali virtute seu lege, sed a specialibus praeceptis, v. gr. non occidendi, non blasphemandi, speciem desumunt. »

« Si vero Pauli verba sensu *affirmativo* intelligantur, nonnihil dissentiunt inter se Doctores, et neque eodem modo illa explicant, neque eandem vim iis attribuunt. – Quidam enim cum *S. Bonaventura* censuerunt, Paulum per ea verba insinuare, ut singulae actiones, vel saltem singulae actionum sibi subordinatarum series, *actu* seu *relatione actuali* in Deum referantur. Verumtamen simul contendebant, Paulum ibi non praeceptum aliquod tradidisse, sed merum consilium. Vid. S. Bonavent. 2. dist. 41. art. 1. q. 3. ad 1. et ad 6. – Alii vero communius cum *S. Thoma* docent, verbis Apostoli reipsa praeceptum contineri. Verum ne ad absurda exinde quis abripiatur, plane opus est integram de hac re doctrinam S. Thomae retinere. »

« Itaque *S. Thomas,* facta distinctione inter relationem *actualem,* qua nempe opus *actu* in Deum dirigitur, et *virtualem,* quando scilicet virtus primae ordinationis seu relationis manet in omnibus actionibus sequentibus, statuit: 1°. Relationem *actualem,* qua singulae actiones, etiam distributive sumptae, in Deum *actu* ordinantur, non esse de praecepto, sed de consilio. 2°. De praecepto esse *virtualem* omnium operum relationem. Ad hanc autem duo requiri et sufficere: primum quidem ex parte *operis,* ut sit in Deum referibile, nempe ut sit moraliter honestum, seu nulla mortalis aut venialis peccati labe infectum. Alterum ex parte *agentis,* ut aliquando eliciat actum caritatis, quo se et sua omnia in Deum tanquam ultimum finem ordinet. 3°. Quoad *tempus* eliciendi hunc caritatis actum, quo se suaque omnia homo in Deum ordinet, nihil specialiter praecipi praeter id, quod de praecepto actum caritatis aliquando eliciendi tradi communiter in scholis censuerit, ubi de praecepto caritatis agitur. »

III. – Ad quem textum, et quidem ad verba: « *Verum ne ad absurda exinde quis abripiatur,* » cl. P. Ballerini sequentem apponit adnotatio-

1) *Compendium Theologiae moralis, auctore P. Joanne Petro Gury, S. J., Editio decima septima.... Antonii Ballerinii, ejusdem Societatis, in Collegio Romano Professoris, adnotationibus locupletata. Romae typis Civilitatis catholicae, 1866.*

2) In edit. altera Romana, an. 1869, pag. 25.

nem: « Insignis fuit fraus Jansenistarum, ut praeceptiva esse Pauli verba contenderent, haec allegando ex S. Thoma (Lect. 3. in Coloss. cap. 3.): *Quidam dicunt, quod hoc est consilium; sed hoc non est verum:* Paulinam vero sententiam non cum S. Thoma explicarent, sed cum S. Bonaventura, ubi ait (2. Dist. 41. art. 1. q. 3. ad 1.): *Admonet Apostolus..., quod quodlibet opus nostrum referamus in Deum: et de quolibet divisim possumus facere.* Exinde autem concludebant, peccari toties quoties opus aliquod *actu* non referatur in Deum. Et cum referre opera in Deum ad caritatem spectet, praeter alia hoc quoque inferebant, infideles et peccatores, utpote qui caritatem non habent, in omni opere peccare.

» Caeterum non pauci e recentioribus, quamvis a damnato hoc errore abhorreant, dum tamen et ipsi disparatas S. Thomae et S. Bonaventurae interpretationes Paulini textus in unum quid permiscent, in aliud incidunt incommodum. Etenim hinc quidem verba Pauli cum S. Thoma ad praeceptum revocant; inde vero praecepti hujus rationem in eo collocant, quod S. Bonaventura mere *ad rationem meriti* requirebat, nimirum ut actiones singulae aut saltem singulae actionum series in Deum *actu* referantur; et sic, dum actualem istam omnium operum relationem statuunt obligatoriam, rem eo adducunt, ut vix inveniri quispiam possit, qui, ob omissam hanc operum relationem in Deum, multiplici se reatu quotidie et passim non inquinet.[1] – Cui quidem incommodo neque satis medentur, obligationem illam ita restringendo, ut sufficiat quotidie, saltem mane, opera in Deum retulisse. Nam 1°. id non efficit, ut singulae aut actiones aut actionum sibi subordinatarum series, juxta mentem S. Bonaventurae, ad Deum *actu* referantur, atque adeo multiplex omissionum reatus absit; 2° cum *actualis ista relatio non distinguatur ab actu perfectae caritatis,* jam obligationem huc usque in scholis inauditam inferunt, actum nempe caritatis saepius in die aut saltem semel mane quotidie eliciendi. Et ex his satis liquet, nullam vitandi haec incommoda rationem suppetere, nisi aut negemus cum S. Bonaventura, in verbis Pauli positivum praeceptum contineri, aut siquidem melius cum S. Thoma contendimus, in iis praeceptum edici, etiam praecepti explicationem, prouti in textu Auctoris exponitur, ab eodem S. Doctore sumamus.

» Exinde *discreta interpretatione indigent* quaedam *S. Alphonsi* verba, quae sane ob nimiam brevitatem, qua plura simul voluit attingere, *valde obscura* evadunt: *Oportet* (inquit Lib. 5. de Act. hum. n. XLIV.) *saepius in die, saltem mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos, ut sic adimpleatur praeceptum Apostoli, saltem intentione virtuali, omnia facienda in gloriam Dei;* lectoremque remittit ad *Collet,* de Actib. hum. cap. 6. art. 1. sect. II. At enim si haec ita velles intelligere, ut omnia totius diei opera in Deum relata censeantur, virtute *actualis* intentionis, quae mane eliciatur, profecto in his haberes obligationem eliciendi quotidie caritatis actum, et quidem saepius in die, aut saltem mane. Atqui id apertissime repugnat doctrinae ejusdem S. Alphonsi, qui *(Lib. 2. n. 8., et Hom. Ap. tr. 4. n. 13.)* cum Carde-na opinatur, ad summum *semel in mense* ad eliciendum actum caritatis nos teneri; de qua opinione inferius n. 218. dicetur. Praeterea, nonne inde facile concluderetur, *peccatores et infideles,* eo quod operibus eorum haec caritatis re-

1) In altera edit. pag. 26. additur: « uti reipsa, et sane cohaerenter, conclusit *Gazzaniga* (de Actib. hum. diss. 2. cap. 4. n. 87.). »

» latio desit, in omnibus peccare? - » Dicendum igitur, eo loci S. Alphonsum simul congessisse et quae ad » *praeceptum*, et quae ad *consilium* » pertinent; quod etiam inde patet, » quod eodem loco, de requisitis tum » ad *honestatem*, tum ad *meritum* » operum confuse disserat, nec distinguat, quando *actualis*, quando *virtualis* relatio requiratur aut sufficiat; maxime vero cum in Tractatus praeambulo protestetur, se » a S. Thomae doctrina nolle recedere. *Hinc est* (inquit), *quod non recedendum puto a sana doctrina Angelici Doctoris, ubi haberi potest; ipso enim duce, in rebus theologicis inoffenso pede ambulatur.*»

IV. - Verum ista cl. Ballerinii asserta haud solidum habent veritatis fundamentum. Etenim 1. Auctores qui docent *obligationem quotidie*, saltem mane, actus nostros in Deum referendi, minime confundendi sunt cum illis qui *actualem omnium actionum* relationem exigunt. 2. Ex eo quod plures Auctores stent pro obligatione quotidianae relationis, nullatenus sequitur, ab ipsis necessario inferri « inauditam obligatio» nem saepius in die, aut saltem ma» ne, eliciendi *actum perfectae cha» ritatis.* » 3. Doctrina *S. Alphonsi* omnino sana est, imo et sapientissima, nec ulla discreta interpretatione indiget. - Breviter itaque tria haec puncta examinabimus.

Articulus 1.

Doctores qui stant pro obligatione quotidianae actuum relationis, iis minime accensendi sunt qui actualem omnium actionum relationem exigunt.

1. Cl. P. Ballerini auctores *actualem* omnium actionum relationem exigentes immerito confundit cum illis, qui tenent, *quotidianam*, mane saltem, necessariam esse, quemadmodum *Lacroix*[1] et *Collet.*[2] Quippe qui omnino cum *S. Thoma* affirmant et propugnant, actualem relationem non requiri, sed *virtualem* sufficere; quotidianam autem eatenus tantum requirunt, quatenus longiore temporis intervallo, variisque distractionibus et occupationibus interpositis, relatio virtutem suam amittat atque evanescat, et virtualis amplius dici nequeat. - Et certum est, S. Thomam *habitualem* non admittere, et ex ejus mente relationem operum nostrorum ad ultimum finem saepissime renovandam esse.

2. Sic *Cardinalis Gotti*,[3] fidelis Angelici interpres, dicit: « Neque videatur asperum, naturam fragilem, et ad bonum delectabile propensam, in omni deliberato actu suo teneri ad finem honestum et ad Deum respicere. Nam, ut saepe diximus, homo, dum est in via, non tenetur omnes actus suos deliberatos in finem honestum et Deum actu referre; sed *sat est ut virtualiter referat*, id est *ex vi intentionis praecedentis:* quae, si non fuerit abrupta, in omnibus actibus subsequentibus moraliter et virtualiter perseverat, quamvis operans de Deo aut bono honesto, actu, dum operatur, non cogitet. Sunt enim actus humani talis naturae, ut semel directi in Deum, jam de se, quasi sagitta in scopum, vel lapis in centrum, in eum tendant, nisi detineantur: et veluti rota est voluntas humana, quae semel ictu movente pulsata, otiante etiam manu, quae illi motum impressit, cursum suum absolvit. *Verum, ne tandem deficiat etiam virtute, actualem illam directionem saepius renovandam esse, monet S. Bonaventura,*[4] *Bellarminus;*[5] quibus subscribit *Estius,*[6] dicens: Quo magis autem hujusmodi intentio virtute maneat in actionibus nostris quotidianis, frequenter actu renovanda est. »

3. Gotti *S. Bonaventuram* ea tan-

1) Lib. 5. n. 208-210. et 307. — 2) De Act. hum. c. 6. sect. 2. concl. 1. — 3) De Act. hum. q. 3. dub. 6. n. 69. — 4) In 2. sent. dist. 41. art. 1. — 5) Lib. 5. de justif. c. 15. — 6) In I. ad Cor. cap. 10.

tum ratione allegat, quatenus S. Doctor, quamvis de *merito* et non de obligatione loquatur, ad meritum requirit, ut intentio renovetur, quoties novum opus incipitur. - Dicit enim l. c.: « Unde si aliquis intendit dare pro Deo centum marcas, et incipit dare, et cogitat de Deo in prima marca, et in aliis non cogitat: nihilominus omnes donationes illae sunt ei meritoriae et fructuosae. Si autem *opus alterius generis* inciperet, oportet quod intentio renovaretur ad hoc, ut opus esset merito. »

4. Pergit deinde clarissimus Cardinalis: « *70.* Quaeres tamen, an sufficiat ad impletionem praecepti omnia referendi in Deum, *habitualis ordinatio;* cum S. Thomas [1] hoc asserat? »

« *71.* Respondeo *negative.* Neque oppositum docuit D. Thomas, ut diximus supra: [2] ubi ostendimus, hominem deliberate operantem debere semper agere propter ultimum finem, vel actu, vel virtute. Quod vero S. Doctor citato loco dicit, dum exponens dictum Apostoli 1. Cor. 10.: *Omnia in gloriam Dei facite,* ait: « Hoc praeceptum est affirmativum, unde non obligat ad semper. Et sic non facit contra hoc praeceptum quicumque non actu refert in gloriam Dei omne, quod facit. Sufficit ergo, quod aliquis *habitualiter* referat se et omnia sua in Deum, ad hoc, quod non semper mortaliter peccet; cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter: » - solum evincit, *habitualem ordinationem* actus ad Deum *sufficere ad non peccandum mortaliter,* non vero ad non peccandum venialiter. Ibi enim agebat de distinctione peccati venialis a mortali; et dicit, peccatum veniale non tollere habitualem ordinationem ad Deum, cum non tollat charitatem: et justum peccantem venialiter non agere contra praeceptum Apostoli, quia omnia ad gloriam Dei facit habitu, esto non actu. - Unde concludit: « *Veniale* autem peccatum *non excludit habitualem ordinationem* actus humani in gloriam Dei, sed solum actualem; quia non excludit charitatem, quae habitualiter ordinat in Deum. Unde non sequitur, quod ille, qui peccat venialiter, peccet mortaliter. » Monitum tamen volo Candidatum meum, apud S. Thomam ly *habitualiter* aliquando idem significare, ac *virtualiter.* Nam [3] dicit, intentionem habitualem ministri sufficere ad Sacramentum: ubi certe intelligit intentionem virtualem, quod patet ex modo explicandi eam; ait enim: « Puta, cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur Sacramentum: » - quae certe est intentio *virtualis* eo modo, quo nos explicamus. »

Articulus 2.

Doctores obligationem quotidianae actuum relationis defendentes, nullatenus affirmant, quotidie actum charitatis esse eliciendum.

Subjungit P. Ballerini: « *Cum* » *actualis ista relatio non distin-* » *guatur ab actu perfectae charita-* » *tis,* jam obligationem hucusque in » scholis inauditam inferunt, actum » nempe *charitatis* saepius in die, » aut saltem mane, *quotidie* elicien- » di. » - Sed haec assertio admitti nequit.

1. Etenim, nec illi Auctores, qui *quotidianam* relationem necessariam existimant, nec alius quispiam, qui doctrinam S. Thomae sequitur, affirmat, opera nostra unquam *ex motivo perfectae charitatis* ad Deum esse referenda, nisi obligatio hujusmodi actum eliciendi urgeat.

2. Doctrinam D. Thomae breviter exponit *Concina:* [4] « Ut multa in pauca contraham, ad quaedam principia

1) 1. 2. q. 88. art. 1. ad 2. — 2) Quaest. de ult. fine, dub. 2. §. 1. n. 3. et 4. et sequentibus. — 3) 3. P. q. 64. art. 8. ad 3. — 4) De charit. c. 13. §. 5. n. 13.

revocabo, quae fusius ex *Angelico* transcripta sunt. »

« Primum. Liberum arbitrium, quod in statu naturae integrae potens erat, quodcunque bonum morale ordinis naturalis operari, peccato originali vulneratum *infirmum* evasit, non tamen *mortuum*. Non ergo omne bonum morale, quia infirmum; sed aliquod, quia vivum, morale bonum edere poterit. Vivum quippe in genere moris, nedum in linea physica, liberum hominis arbitrium remansit. In hoc ergo moris genere, edere bonum quodpiam valet. »

« Secundum. Hoc bonum morale in actu ex officio honesto, et ob illius honestatem ab operante edito, situm est. Non requiritur, ut actus iste re vel virtute ab homine in Deum ultimum finem semper referatur; sed satis est, quod *finis proximus*, in quem immediate actus tendit, sit (inquit Angelicus in textibus allatis) *ordinabilis* in finem ultimum. »

« Tertium. *Praeceptum charitatis* jubet omnia nostra referre in Deum. Mandatum hoc affirmativum est; idcirco *non obligat pro semper*, ut jam supra ostendimus, et toties repetit Angelicus, sed *definito tempore*. Verum quidem est, quod mandatum istud, utpote primum maximumque *frequenter obligat;* atque adeo Angelicus tam frequenter illud mentibus ingerit et inculcat, ut videatur docere nos ad perennem continuamque omnium nostrorum actuum oblationem Deo litandam adstringi; sed simul data occasione declarat obligationem hanc *determinato tempori* illigatam esse. Et quia adversarii hoc Angelici principio enormiter abutuntur, ut imperitis imponant; revocandum in memoriam est, iterumque oculis subjiciendum splendidissimum Aquinatis testimonium, quo obligatio omnia referendi in Deum asseritur, et *non urgere pro semper* declaratur. »

3. Eodem modo hanc doctrinam explicat *Antoine, S. J.*:[1] « Porro omnes actiones nostras generatim ad Deum *ex affectu charitatis* referre tenemur *tunc tantum, cum urget praeceptum* amandi Deum, propter se, ut finem ultimum rerum omnium. Nam *praeceptum charitatis non obligat ad referendum omnes actiones* et omnia in Deum, nisi obligando ad amandum Deum propter se, ut finem ultimum rerum omnium. Quare *non tenemur omnes omnino actiones singillatim elicere ex motivo seu affectu charitatis;* alioqui omnia opera infidelium, imo et fidelium in statu peccati manentium, essent peccata; quod est error ab Ecclesia damnatus: item actus, quo quis detestatur peccatum praecise ob metum poenalem, esset malus, quod repugnat cum Concilio Tridentino... Tamen, dum non referimus ex affectu charitatis actiones nostras ad Deum, tunc tenemur eas ad ejus gloriam referre *virtualiter*, seu implicite, et ex intentione, seu natura operis (ut ajunt), agendo scilicet ex motivo alicujus virtutis et honestatis. »

Quam propositionem probat ex 1. Cor. 10.: « *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite,* » ex S. Thoma et SS. Patribus; et demum addit: « *3.* Quia debemus Deo omnes actiones nostras ex titulo creatoris ac redemptoris, et vi supremi ejus dominii, ex quo omnes actus nostri magis debentur Deo, quam cuivis domino temporali opera servi. Ergo omnes actus nostri debent *ad Dei obsequium* referri, saltem ex natura operis. — *4.* Quia (ut alias probatum est) semper tenemur agere *propter finem honestum*, ideoque *ex motivo alicujus virtutis*. At omnis honestas et actus virtutis ex natura sua refertur et ordinatur ad Deum tanquam ad regulam, fontem ac finem omnis honestatis, et *ex se tendit ad Dei gloriam*, cum sit conformis ejus voluntati eique placeat. »

1) De charit. art. 1. q. 4.

4. Si ergo quis opus in specie sua indifferens ponit, et *finem honestum* sibi proponit, v. g. cibum sumendo, conservationem vitae secundum communem ordinem, seu ut S. Thomas ait, cibum sumit secundum quod convenit sustentationi naturae, et bonae habitudini hominis et conversationi eorum, cum quibus vivit; *implicite* hoc opus jam *ad Dei gloriam* refert. Si vero de sola delectatione cibi cogitat, peccat, nisi actum praemiserit, quo omnia opera sua implicite saltem ad Deum retulerat, et qui in virtute sua adhuc perseverat.

5. Hanc doctrinam etiam *Lacroix* et *Collet* profitentur. Uterque expressis verbis declarat, *non requiri,* ut actus, quo opera nostra ad Deum, seu *ad Dei gloriam* referimus, *actus perfectae charitatis* sit, nisi urgeat praeceptum charitatis; nec requiri, ut praecesserit talis actus, qui virtualiter in singulis operibus perseveret; sed *sufficere actum implicitum,* scilicet intentionem omnia opera ad honestum finem referendi, seu, ut Collet dicit, propositum bene operandi. – In quantum vero existimant, actum hujusmodi intentionis vel propositi *quotidie* renovandum esse, id eam ob rationem exigunt, quod secus actus virtutem suam amittat et non amplius in singula opera influat, ut jam supra explicavimus.

6. Idem sentit *Voit, S. J.:* [1] « Quaeritur: An intentio mane facta faciat, ut opera diurna sint opera charitatis et meritoria? – Respondetur: Si intentio illa per contrariam intentionem, v. g. per vanam gloriam vel per peccatum grave non corrumpatur, tum censetur adhuc influere *in opera totius diei,* etiamsi quis reflexe non cogitet in singulis actionibus de motivo *charitatis.* Signum autem, quod intentio duret, saltem aliquod est, si operans interrogatus, cur hoc vel illud agat, cum veritate respondere possit, se ad Dei beneplacitum, gloriam et honorem operari. »

Articulus 3.

Perpenditur sapientissima doctrina S. Alphonsi.

1. Textum S. Doctoris nostri supra in extenso allegavimus; et duo inde tanta evidentia patent, ut nec uberiore explicatione, nec « *discreta interpretatione* » indigeant: videlicet, ex sententia S. Alphonsi, nec relationem *actualem,* nec relationem *ex motivo perfectae charitatis* requiri, sed sufficere *virtualem* et *implicitam.* – Unica igitur quaestio ea est: An *quotidianam renovationem necessariam* censeat; utrumve eam solummodo *commendet?* Respondemus: *affirmative ad secundam partem.*

2. Breviter dicit: « Si ergo ad » Deum refert saltem per intentio» nem virtualem, actus erit bonus; si » non refert, erit malus. » – *Quando* autem, vel *quoties* haec relatio renovanda sit, S. Doctor non inquirit; sed statim ad praxim deflectens, quid *in praxi* observandum sit explicat, ut praeceptum Apostoli tutiore, meliore et salubriore modo adimpleatur. Dicit: *oportet;* at, quamvis haec vox aliquando ad necessitatem exprimendam adhibeatur, saepissime tamen: *decet, expedit, consultum est* significat, in quo sensu tam veteres Classici (ut in quolibet Vocabulario videre est), quam S. Scriptura et moderni Auctores hac voce utuntur.

3. Manifeste id patet ex conclusione: « Unde, quamvis aliquis ac» cedens ad mensam, non cogitat de » conservatione vitae, sed solum de » cibi delectatione, ut ait *Gonet,* non » propterea peccat, quia talem de» lectationem saltem virtualiter vult » propter conservationem vitae. » – Simpliciter hic dicit: *virtualiter,* nihil addens de quotidiana renovatione; et Gonetum citat, qui similiter nihil de hujusmodi renovatione habet. Iste namque [2] ait: « Ergo, licet homo non teneatur semper agere

1) De charit. n. 403. — 2) T. 3. disp. 5. art. 3. n. 21.

ex deliberatione rationis, tenetur tamen omnem actionem, quam cum consilio et deliberatione rationis elicit, in finem honestum, virtualiter saltem ordinare. Dixi: *virtualiter saltem;* quia ad honestatem et bonitatem moralem actus humani, non sufficit relatio habitualis in finem honestum, neque requiritur semper formalis; sed sufficit virtualis, quae habetur ex vi praecedentis intentionis faciendi omnia virtuose et in ordine ad bonum honestum aut propter Deum, quamdiu manet in aliquo suo effectu. » - *Gonetum* ergo hic allegat S. A., non autem *Colletum,* ut minus recte insinuat P. Ballerini. Ad hunc S. Doctor lectorem remittit solummodo quoad propositionem generalem, verbis Apostoli praeceptum contineri, non autem merum consilium.

4. Nec verum est, quod S. A. de requisitis tum ad *honestatem*, tum ad *meritum* operum *confuse* disserat. - Disserit de *honestate,* quia quaestio de honestate operum, secundum S. Thomam, individue connexa est cum altera de operibus nostris ad Deum referendis; quippe quod relatio ad honestum finem sufficit ad implendum praeceptum Apostoli.

5. Nec verum est, quod S. Doctor alias sibi contradiceret, quia (Lib. 2. n. 8.) opinatur, nos ad summum *semel in mense* ad actum charitatis eliciendum teneri; quod duplici ratione falsum est. - Etiamsi S. Doctor adhaereret sententiae, actus nostros quotidie, saltem mane, ad Deum necessario esse referendos, nequaquam sibi contradiceret: 1°. Quia inde non sequitur, actus referendos esse *ex motivo perfectae charitatis;* ut jam supra exposuimus. 2°. Quia S. Alphonsus Lib. 2. n. 8. non docet, nos absolute *teneri* ad actum charitatis eliciendum *semel in mense;* prout in Quaestione III. explicabimus.

6. Nec verum est, quod ex sententia S. Alphonsi « *facile concluderetur, peccatores et infideles in omnibus peccare.* » - Cum eaedem propositiones a S. Pio V. damnatae sint, et ab omnibus auctoribus catholicis, illis etiam, qui praedictam sententiam tenent, rejiciantur et refellantur; nemo facile oppositum concludere potest. Porro, si facilis esset ista conclusio, idem dicendum esset de quocumque termino: sive quotidie, sive saepius, sive aliquoties relatio operum nostrorum requiratur; quia omissio cujuscumque termini omnes actiones peccaminosas redderet.

7. Ex praemissis igitur clare patet, doctrinam S. Alphonsi « *discreta interpretatione* » nullatenus indigere. - Caeterum, si minus discreta esset, idem indiscretus loquendi modus multis aliis Auctoribus exprobrari posset. Sufficiat unum ex recentioribus allegare Theologum, omnibus aeque notum ac probatum, cl. P. Perrone S. J., qui in Opere: *Praelectiones theologicae de virtutibus fidei, spei et charitatis* [1] sic scribit: « Optima demum ratio praeceptum Dei dilectionis adimplendi est, ut *quotidie mane, actiones omnes in Dei gloriam referantur,* eo vel ipso quod, vi ejusdem praecepti, teneamur omnes actiones nostras deliberatas in Deum referre. »

SIT IGITUR QUAESTIONIS

CONCLUSIO:

Omnino sana et discreta, imo summopere commendanda est methodus practica, quam inculcat S. Alphonsus, saepius in die, saltem mane, generaliter actus nostros Deo offerendi. Sic enim *perfectiore et salubriore modo* adimplebitur praeceptum, quo tenemur omnes actus nostros deliberatos, intentione saltem *virtuali,* in Deum referre.

1) Cf. cit. Op. edit. 2. Taurin. 1867. part. 3. c. 5. n. 258.

QUAESTIO II.

An liceat delectari de opere malo, ob bonum effectum inde secutum, vel de malo proximi, ob bonum finem.

(S. Alph. Lib. V. n. 20. 21. — P. Ball. Tom. I. n. 172. 173.)

I. - Duplicem hanc quaestionem S. Alphonsus, Lib. V. n. 20. et 21. sic exponit et solvit:

« *20.* Quaeritur 1. *An liceat delectari de opere malo, ob bonum effectum inde secutum?* Distingue: » Si opus fuerit *formaliter malum*, » nempe quia *cum peccato* patratum » fuit, peccat qui de illo delectatur, » etiamsi delectetur de opere malo, » non ut peccato, sed ut causa effe- » ctus secuti. Ita omnino tenendum » cum Soto, Tapia, Roncaglia et » Salmanticensibus, contra Vasque- » zium, Lessium, Palaum, Bona- » cinam.

» Si vero opus malum patratum » fuit *sine peccato*, sentiunt Lessius » et Vasquez, quibus adhaeret Bu- » sembaum, *licitum esse de illo de- » lectari*, non per se, sed *ut causa » boni effectus. - Sed verius tenen- » dum est oppositum* cum Sanchez, » Continuatore Tournelii cum Azo- » rio; Croix, Roncaglia et Salman- » ticensibus. Ratio, quia licet actio » non fuerit peccaminosa, fuit tamen » *objective mala;* et hoc, ut recte » notant Salmanticenses, Roncaglia » et Croix, in dubium non videtur » amplius revocandum, post prop. 15. » damnatam ab Innocentio XI., quae » dicebat: *Licitum est filio, gaude- » re de parricidio parentis a se in » ebrietate perpetrato, propter in- » gentes divitias inde ex haeredi- » tate consecutas.* - Nec obstat do- » ctrina S. Thomae, ubi S. Doctor » dicit: *Si autem placeat* (id est no- » cturna pollutio, de qua loquitur) » *ut naturae exoneratio vel alleva- » tio, peccatum non creditur.* Et » eum sequuntur Navarrus, Lessius, » Sa, Sanchez et ipsi Salmanticenses » cum communi. Nam recte dicunt » Sanchez, Salmanticenses et Ronca- » glia, intelligendum esse S. Tho- » mam loqui de pollutione *pure na- » turali*, quae naturaliter provenit » a natura se exonerante; et ideo, » cum illa *non sit objective mala*, » licet sibi complacere, non quidem » de delectatione ex ea causata, sed » de exoneratione ob illam obtenta. - » E contrario non licebit delectari » *de opere objective malo*, nimirum » de pollutione nocturna quae eve- » nerit ex tactu, seu ex turpi so- » mnio; quia tunc fuisset haec *obje- » ctive mala*. Secus, ajunt Salmanti- » censes, si venerit ex moderato » cibo aut ex studio utili, etc.; quia » tunc pollutio etiam esset natura- » lis, et liceret de ea habita dele- » ctari, modo absit commotio spi- » rituum. Sed hoc mihi non placet.

» In quocunque casu tamen licet, » per se loquendo, cuique delectari, » non de causa, sed *de effectu secuto*, » nempe de exoneratione causata a » pollutione etiam voluntaria; vel » de consecutione haereditatis ob » homicidium, modo causa deteste- » tur. Dixi: *per se loquendo;* nam » hujusmodi delectationes *aliquando » non carent periculo*, ut recte di- » cunt Roncaglia, Salmanticenses.

» *21.* Quaeritur 2. *An liceat de- » lectari de malo proximi ob bonum » finem?* - Praenotandae hic sunt » duae Propositiones damnatae ab » eodem Innocentio XI. Propositio 13. » dicebat: *Si cum debita modera- » tione facias, potes absque peccato » mortali de vita alicujus tristari, » et de illius morte naturali gau-*

» *dere, illam inefficaci affectu pe-*
» *tere et desiderare; non quidem*
» *ex displicentia personae, sed ob*
» *aliquod temporale emolumentum.*
» Propositio 14. *Licitum est abso-*
» *luto desiderio cupere mortem pa-*
» *tris, non quidem ut malum pa-*
» *tris, sed ut bonum cupientis; quia*
» *nimirum ei obventura est pinguis*
» *haereditas.* Hae propositiones ju-
» ste quidem proscriptae fuerunt,
» quia, secundum charitatis ordi-
» nem, vitam proximi cuicumque
» nostro temporali emolumento prae-
» ferre tenemur. Non damnandus
» tamen qui gaudet *de effectu secuto,*
» scilicet de haereditate obtenta ex
» morte alterius, si non gaudet de
» causa, hoc est de morte: licet ma-
» teria sit *periculosa,* ut mox supra
» diximus cum Salmanticensibus et
» Roncaglia.

» Licitum est autem gaudere *de*
» *malo proximi, ob majus bonum*
» *illius,* vel innocentis, nempe si
» delector de proximi infirmitate,
» et etiam de morte, ut sic desistat
» a peccatis, a scandalis, etc., ut
» bene ajunt Continuator Tournelii,
» Roncaglia cum Bonacina, Reginal-
» do; Salmanticenses cum Navarro,
» Bonacina, Toleto, etc. Idque ex-
» presse docet S. Thomas... Hoc ta-
» men semper intelligendum, *servato*
» *ordine charitatis;* nempe quando
» malum quod evitatur, praeponde-
» rat vel coaequat malum proximo
» optatum... »

II. - Circa hujusmodi delectatio-nem, triplex adnotatio cl. Ballerinii perpendenda est.

1. - T. I. n. 172. pag. 165. [1] *P. Gury* quaerit: « *An liceat delectari de omissione inculpabili alicujus praecepti, ex oblivione relicti?* » Et re-spondet: « Negative, si gaudium re-feratur ad omissionem, prout est objective mala. Affirmative vero, si tantum ad voluptatem vel commo-dum secundum se honestum refera-tur. *Suarez,* de pecc. disp. 5. sect. 7. n. 15. *Lugo,* de poenit. disp. 16. n. 389. etc., contra alios, qui absque distinctione negant. »

Ad hunc textum, P. Ballerini sequentia adnotat: « Suarez et Lugo » ab A. hic allegati, tum alii com-» muniter hoc tradunt, non solum » de *omissione operis praecepti,* sed » generatim de quovis actu, secun-» dum se malo, quem tamen quis sine » culpa, ex inadvertentia scilicet, » vel ignorantia, aut in amentia, » somno, ebrietate praestiterit, nem-» pe *licitum non esse gaudere de* » *actu praeterito, secundum se, et* » *propter ejus voluptatem; licitum* » *tamen esse gaudere de bono effe-*» *ctu inde sequuto, atque adeo de* » *illo actu tantum ut causa fuit* » *talis effectus,* ut ait Suarez.

» Ubi sedulo adverte illa verba: » *Secundum se, et propter ejus vo-*» *luptatem:* his enim ratio excludi-» tur, ob quam *S. Alphonsus* (Lib. 5. » n. 20.), cum Sanchez et aliis non-» nullis, ab hac doctrina discedere » videtur. Scite enim advertit San-» chez (in Decal. lib. 1. cap. 2. n. 16.) » praedictas causas (quae ad defe-» ctum liberi consensus reducuntur) » excusare quidem opus exterius a » culpa, non item licitam efficere » *delectationem operi malo insitam,* » quae dein libere capiatur. - Atque » hinc solutio quaestionis, an liceat » gaudere de pollutione in somnis, » vel etiam eam desiderare. Ut enim » docet S. Thomas (in 4. Dist. 9. q. 1. » art. 4. q. 1. ad 5.) peccatum erit, *si* » *pollutio propter delectationem pla-*» *ceat;* secus vero, *si placeat ut* » *naturae exoneratio vel allevatio.* » Qua de re vide eumdem S. Tho-» mam (2. 2. q. 154. art. 5.), ubi » *(contra ac habeat S. Alph. l. c.)* » ad naturalem pollutionis causam » revocat turpe somnium, ad quod » reduci possunt et tactus seu mo-» tus, idem somnium consequentes. » *Cum enim* (inquit) *humor semi-*

1) In altera edit. p. 128.

» *nalis abundat in corpore, vel cum* » *facta est humoris resolutio..., so-* » *mniat dormiens ea, quae perti-* » *nent ad expulsionem hujusmodi* » *humoris abundantis aut resoluti;* » *sicut etiam contingit, quando na-* » *tura gravatur ex aliqua alia su-* » *perfluitate; ita quod quandoque* » *formantur in imaginatione phan-* » *tasmata pertinentia ad emissio-* » *nem talium superfluitatum.* »

2. – Porro, n. 173. ad 4. pag. 167.[1] *P. Gury* dicit: « Non licet delectari *de re ipsa mala* in se spectata, quia objectum delectationis est semper malum. Licet tamen delectari *ob bonum effectum*, qui inde provenit, dummodo ordo charitatis non violetur. Hinc damnata est sequens propositio sub n. 15. ab Innocentio XI.: « Licitum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas. »

Quocirca P. BALLERINI adnotat: « *Salmanticenses* (Tr. 20. c. 13. n. 47.) » *quos sequutus est S. Alphonsus* » (Lib. 5. n. 20.) *dissensionem hic* » *inter Doctores confingunt, et Va-* » *squesium, Lessium, Palaum, etc.* » *incusant, quasi licere doceant,* » *ob effectum bonum* de peccato for- » maliter tali *delectari, ac proinde* » *licite* affectum ob bonum finem in » rem intrinsece malam terminari. » *Sed perperam haec confinguntur,* » *cum nulla dissensio, nisi forte ver-* » *botenus, habeatur. – Lessius, cui* » *et alii consonant, audiatur* (De » Justitia et Jure, lib. 4. c. 3. n. 105.): » Cum quis dicitur gaudere de opere » malo, quatenus illud est causa » boni, dupliciter potest intelligi. » Primo, quod ob bonum effectum » gaudeat, illud opus esse vel fuisse, » vel a se factum esse; et hoc omni- » no est illicitum, si illud opus erat in- » trinsece peccatum: quia hoc est ap- » probare peccatum, et illius habere » complacentiam propter bonum fi- » nem... Sicut enim effectus ille vel » respectus ad illum effectum non » potest efficere, ut illud opus, quod » est intrinsece peccatum, sit lici- » tum aut bonum; ita neque ut sit » dignum gaudio et complacentia... » Secundo potest intelligi, quod gau- » deat, illud opus pravum talem ef- » fectum bonum habuisse, vel habe- » re; et sic licet gaudere de opere » malo. Non enim gaudemus, illud » opus malum factum esse; sed sup- » posito quod factum sit, gaudemus, » quod boni effectus causam dederit. » Vere enim gaudio dignum est, » quod divina bonitate etiam ex pes- » simis operibus maxima bona pro- » veniant. Sed hoc est potius gau- » dere de effectu, quam de opere, » etsi etiam gaudeamus de causa- » tione boni, quae tali operi com- » petit. »

3. – Et denique n. 173. ad 5. p. 168.[2] *P. Gury* advertit: « *Caute* agere debet Confessarius cum his, qui gaudent *de emolumento sibi proveniente* ex peccato suo vel alieno, vel ex damno aut morte alterius; subinde enim hujusmodi delectationes, non ex emolumento solo, sed ex gaudio de ipso peccato aut malo proximi oriuntur. »

Quocirca iterum P. BALLERINI adnotat: « Confessarii vigilantia op- » portuna est propter duo; nimirum » 1°. ne boni effectus desiderium vel » gaudium (nam quae de gaudio hic » dicuntur, ex communi DD. senten- » tia fere de desiderio valent, aut » etiam de delectatione) transeat in » gaudium, aut desiderium, aut ap- » probationem *peccati in se specta-* » *ti*, e quo causatur ille effectus; » praesertim si quis e peccato suo » lucrum magni momenti retulerit: » in quo casu, gaudium et delectatio » de acquisita ingenti felicitate ae- » gre sane abstrahetur a malae cau- » sae delectatione. 2°. Ne unquam » (nempe etiamsi quaevis culpa cu- » jusvis absit, aut saltem absit culpae » delectatio) *ordo violetur charita-*

1) In altera edit. pag. 129. — 2) Ibid. pag. 130.

» *tis,* quae sane postulat, ut bonum, » quod intendimus, rationabiliter sit » praeferendum bono, quo alium » privari aut optamus, aut gaude- » mus. Hinc damnatio propositionis » n. praec. memoratae: neque enim » ordo charitatis permittit, ut spem » haereditatis filius morti patris » praeferat... »

III. - Ut hisce cl. Professoris adnotationibus satisfiat, 1. Doctrinam *S. Alphonsi* exponemus; 2. Sententias *Auctorum,* quos P. Ballerini ex adverso citat, examinabimus; 3. Demum inquiremus, an *Salmanticenses,* et cum ipsis S. Alphonsus, dissensionem inter DD. confingant, quae revera non existat.

Articulus 1.

Perpenditur S. Alphonsi doctrina.

1. Licere delectari de *effectu* operis mali *sine peccato* patrati, et de honesta utilitate inde proveniente, citra controversiam est; id in quocunque casu licere, S. A. expressis verbis declarat - Verum aliqui Doctores affirmarunt, licere etiam delectari de *ipso opere*, non quidem secundum se, sed quatenus est *causa boni effectus.* Et hanc sententiam S. Doctor noster rejicit, ea ratione ductus, quod non liceat de actu, quamvis non peccaminoso, attamen *objective malo* delectari; et quidem rectissime. Etenim si quis de solo effectu delectatur, solum effectum prae oculis habet, qui unicum delectationis objectum constituit. Si quis autem *de ipsa re,* quatenus est causa boni effectus, delectatur, *ipsam rem* prae oculis habet; ideo objectum suae delectationis non tantum effectus est, sed etiam res ipsa; et consequenter revera *de re objective mala* delectatur. Quam consequentiam minime declinat distinctio adhibita: *non secundum se:* quippe quae effi-cere nequit, ut res non sit objective mala.

2. Insuper aliam adhuc rationem positivam et gravissimam affert S. Doctor, scilicet quod haec sententia non videtur in dubium revocanda post *propositionem 15.* ab Innocentio XI. damnatam. - Eandem rationem afferunt *Salmanticenses:*[1] « Haec nostra sententia videtur expresse definita ab Innocentio XI. in prohibitione propositionis 15. » Similiter *Roncaglia:*[2] « Ratio est: quia licet illa actio non fuerit peccaminosa operanti, quia e. g. commissa fuit inadvertenter, nihilominus est in se objective mala...; libere ergo de eadem delectari non licet; quia delectarer de eo, quod in se objective malum est. Hinc puto, Innocentium XI. sub n. 15. hanc damnasse propositionem: Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas. » - Et revera non videmus, quomodo opposita sententia conciliari possit cum hac damnatione; cum in propositione allata claris verbis dicatur, licere filio gaudere de parricidio propter ingentes divitias consecutas; *ergo non secundum se,* sed quatenus hunc effectum habuit.

3. *P. Ballerini* contendit, hanc propositionem ideo damnatam esse, quia « *ordo charitatis non permit-* » *tit, ut spem haereditatis filius* » *morti patris praeferat.* » - Sed haec interpretatio sustineri nequit. Hunc errorem S. Sedes jam damnaverat in propositione 14. praecedente: « *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.* » Unde praesumere non licet, Apostolicam Sedem eundem errorem *ordini charitatis* adversantem denuo prorsus inutiliter damnare intendisse. - Nec dicendum, quod propositio praece-

1) Tr. 20. punct. 5. n. 50. — 2) Tr. 2. c. 3. q. 5.

dens (13) de desiderio loquatur, subsequens vero de gaudio. Ubi enim *de ordine charitatis* agitur, ex communi Doctorum sententia, quemadmodum ipse cl. Ballerinius observat, eadem currit ratio pro *desiderio* et pro *gaudio*, ac etiam pro *delectatione*. Quamvis namque desiderium tempus futurum respiciat, gaudium vero praeteritum; nihilominus conveniunt *in complacentia de malo proximi;* delectatio morosa autem nihil aliud est, quam actus complacentiae. At *de malo proximi* nunquam nobis complacere licet, nisi idem malum implicet majus et praeponderans bonum proximi, aut bonum commune interveniat, cui bonum privatum postponendum est.

4. Porro, quod rei caput est, propositio 13. simpliciter de *morte* patris loquitur, subsequens autem de *occisione* patris a filio in ebrietate perpetrata; et ideo in hac circumstantia differentia inter utramque propositionem et ratio reponenda est, cur S. Sedes posteriorem specialiter damnavit. Secus enim inutiliter et inepte eam apposuisset; quia, etiam seclusa hac circumstantia, filius haereditatis acquisitionem morti patris praeferret, et ordinem charitatis violaret.

5. Etiamsi autem sententia opposita speculative satis probabilis esset, *practice* probabilem eam dicere non liceret. S. A. cum aliis DD. recte monet, delectationem *de mero effectu*, quantumvis per se loquendo licitam, aliquando *periculo* non carere. Quanto magis igitur id dicendum est, si quis *de ipsa re objective mala*, quatenus causa boni effectus est, delectatur; quod et hujus sententiae defensores non diffitentur? – Ipse P. Ballerini advertit: « *Si quis » e peccato suo lucrum magni momenti retulerit; in eo casu, gaudium et delectatio de acquisita » ingenti felicitate aegre sane abstrahetur a malae causae delectatione.* » Si *aegre*, periculo proximo mortaliter peccandi sane se injiciet; ideoque jam hac sola ratione ipsi non licet gaudere de re objective mala, quatenus est causa boni effectus. Nec ulla necessitas vel causa rationabilis cogitari potest, qua excusaretur ab obligatione evitandi *periculum proximum* graviter peccandi. Nec ad hoc periculum constituendum, necessario lucrum magni momenti aut ingens felicitas requiritur. Etiam de modico lucro summopere quis gaudere potest, immo magis quam alii de ingentibus divitiis.

Articulus 2.

Examini subjiciuntur sententiae Auctorum, quos cl. Ballerinius S. Alphonso opponit.

1. *Sanchez, S. J.*,[1] scribit: « Tertia difficultas. *Qualis culpa sit, delectari de actibus ex se mortalibus, at a culpa, ratione somni, ebrietatis, amentiae, aut ignorantiae excusatis.* Ut si quis delectetur de fornicatione habita in somno, aut ignoranter putans mulierem esse suam: aut de esu carnium, jejuniive fractione, per ignorantiam aut oblivionem sibi contingentibus? Quibusdam placet, id *licere ob bonum finem*, ut, propter utilitatem ex homicidio aut fornicatione subsequutam, non tamen secundum se, quatenus haec sunt proximi mala. » – Expositis rationibus pro hac sententia, pergit: « Aliis placet, delectationem illam esse mortalem, captam de rebus *jure naturali* vetitis, ut de homicidio, fornicatione, perjurio; secus, si de prohibitis *solo jure humano* capiatur. »

Et rationibus similiter expositis, Sanchez loco cit. *n. 16.* concludit: « At *multo probabilius reputo, in utroque casu esse culpam mortalem* (quod intellige, nisi circa res solo jure humano prohibitas praecepto ne-

1) In Decal. lib. 1. c. 2. n. 15.

gativo, sit delectatio de actu materiali, et quoad ejus substantiam, praecisa prohibitione; quo casu diximus n. 10. non esse mortale delectari, etiam quando fractio praecepti est mortalis, nedum quando ob ignorantiam peccato liberatur.) – Hujus sententiae aperte videntur *Paludanus,* [1] *Adrianus,* [2] *Soto,* [3] *Azorius.* [4] Tradunt enim hanc regulam generalem, quoties causa excusans a culpa mortali factum exterius, nempe defectus consensus, non concurrit in ipsa delectatione, licet factum a culpa liberum sit; non tamen erit libera delectatio. Unde ea regula n. 8. tradita, talis est delectatio, quale ejus objectum, dicunt intelligi, quando eadem causa objectum malitia liberans, invenitur in delectatione. Cujus ratio est, quia id factum erat de se mortale, solaque ignorantia aut rationis defectu liberum a culpa. Cum ergo delectatio illa simili excusanti causa vacet, ac prorsus voluntaria sit, *et circa objectum de se mortale,* mortalis erit. Quae ratio aeque procedit in prohibitis, sive jure naturali, sive humano. Quare non est eadem ratio de delectatione in praecepti transgressione excusata a culpa ob justam causam: ea enim culpa vacat, etsi sit de objecto jure naturali prohibito. Ut licet delectari de furto ratione extremae necessitatis excusato, de homicidio ratione defensionis facto. Quia eadem libertas ac voluntas est in objecto ac in delectatione, et in utrisque eadem causa a culpa excusans. »

P. Ballerini hoc testimonium in suum sensum detorquere conatur, dicens: « Scite enim advertit *Sanchez,* praedictas causas (quae ad » defectum liberi consensus reducun» tur), excusare quidem opus ex» terius a culpa, non item licitam » efficere *delectationem operi malo* » *insitam,* quae dein libere capia» tur. » – Verum haec verba frustra quaeres in textu modo allato. Quae Sanchez ibidem dicit, omnes Auctores dicunt eamdem sententiam propugnantes, scilicet factum, quamvis propter ignorantiam aut rationis defectum a culpa liberum, *in se mortale* fuisse; at delectationem, quae *voluntarie circa objectum mortale* versatur, graviter illicitam esse, nec licitam fieri ob bonum finem, quatenus opus in se malum, bonum effectum habuit; quemadmodum affirmant adversarii, quos Sanchez impugnat. Nemo autem unquam affirmare ausus est, licitam esse *delectationem operi malo insitam.*

2. Ad *Suarezium, S. J.,* quod attinet, ipse [5] ait: « Quinto sequitur, non esse licitum delectari de actu praeterito, qui *per se malus* est, licet ex ignorantia invincibili, vel alia ratione fuerit commissus sine culpa: patet ex dictis. Sed est advertenda differentia inter istam delectationem, et praecedentem; nam quando actus praeteritus est *per se honestus,* licet postea consentire in illum, quamvis non semper liceat delectationem novam ejusdem rationis capere: tamen quando actus per se est malus, et aliunde excusatur, postea neque consentire in illum licet, neque velle illum. Ita Paludanus, et Adrianus et Soto. Et ratio est, quia ille actus, per se est pravum objectum; et ideo nunquam licet illum velle. »

Et *n. 15.* subjungit: « Addendum est tamen primo, actum praeteritum non fieri malum propter consensum habitum, quia nunquam ille actus procedit a mala notitia, sed solum se habet per modum objecti: solus ergo motus interioris consensus peccatum est. Secundo addendum est, quamvis non liceat gaudere de actu praeterito, secundum se et propter ejus voluptatem, licitum tamen esse, gaudere *de bono effectu* inde secuto, atque adeo de illo actu tantum, ut fuit causa talis effectus... Ratio est, quia *ille effectus potest esse, secun-*

1) 4. dist. 9. q. 3. art. 1. n. 7. — 2) Quodlib. 10. art. 2. prop. 3. litt. *m.* et *n.* — 3) 4. dist. 12 q. 1. art. 7. — 4) T. 1. Inst. mor. lib. 4. c. 6. q. 9. — 5) De peccat. disp. 5. sect. 7. n. 14.

dum se, honeste amabilis: ergo id quod est causa ejus, ut sic, potest honeste amari; si aliunde non sit turpitudo, ut in proposito nulla esse videtur, quia neque amatur talis actus per se, neque delectatio ejus, neque praeterea in re ipsa male vel inhoneste fit. »

Ait Suarez: « *Effectus* potest esse secundum se honeste amabilis: ergo id, quod est *causa* ejus, ut sic, potest honeste amari. » – Sed haec conclusio nequaquam admittenda est; nam *causa*, etiam ut sic, i. e. ut bonum effectum producens, *objective mala* est, et talis manet, quamvis non secundum se, sed ut causa spectata; ergo non licet de ea gaudere.

Addit Suarez, quod « in proposito nulla turpitudo esse videtur, quia neque amatur talis actus per se, neque ejus delectatio. » – At de actu objective malo delectari non licet. Quorsumcunque ergo haec quaestio vertatur, eadem semper difficultas recurrit, delectationem de opere objective malo esse illicitam, quae subtilissimis distinctionibus non declinatur. Unde nihil superest, nisi simpliciter et sine ambagibus fateri, *de solo effectu* gaudere et delectari licere, *prorsus praescindendo ab ejus causa.*

3. *Lugo, S. J.,*[1] de hac quaestione sequentia habet:

« *388.* Infero septimo, posse etiam esse delectationem licitam circa objectum, non solum jure positivo, sed etiam *jure naturali* prohibitum, *si praescindi possit ab omni malitia objectiva,* et aliunde delectatio secundum se non afferret oppositionem cum virtute. Sic potest aliquis etiam in die Veneris delectari de esu carnis, ponendo vel die Dominica, vel etiam die Veneris, ablata prohibitione. Sic etiam delectari potest de acceptione rei alienae, accedente licentia domini, vel dispensatione Dei. – De neutris autem objectis delectari potest *non exclusa malitia:* differentia tamen esse potest, quod in prohibitis *jure positivo* facilius potest excludi malitia, quam in prohibitis jure naturae. Horum enim aliqua non poterunt excludi a malitia, quale est agere contra conscientiam. Nam quantumcunque dicas: Si liceret agere contra conscientiam, ego operarer contra illam; semper videtur retineri malitia ex parte objecti; sicut si diceres: Si liceret peccare vel operari malum, ego illud facerem. Simile etiam videtur si dicas: Si liceret et possem destruere Deum, illum destruerem; nam hic actus semper retinere videtur malitiam ex parte objecti, cum adhuc maneat Deus infinite amabilis. – Ceterum quidquid de hoc sit, nunc solum dicimus, *quando objectum potest perfecte praescindi ab omni malitia,* posse nos de illo delectari, licet sit de jure naturali prohibitum. Unde peccat etiam qui ex odio dicit: Si non esset peccatum, ego occiderem hunc hominem, ut malum illi inferrem: quia semper relinquit ex parte objecti malitiam, cum relinquat malum proximi, quod nullo modo est amabile propter se, sed odibile. »

« *389.* Infero octavo, de objectis etiam jure naturae prohibitis, a quibus per inadvertentiam secluditur malitia, posse nos aliquando gaudere, quando *sine advertentia* posita sunt. Sic possumus gaudere de mendacio absque advertentia prolato. Item de pollutione in somno habita, propter finem sanitatis. – Ratio est, quia mendacium absque advertentia prolatum non affert secum intrinsecam odibilitatem et malitiam; sicut mendacium scienter prolatum, quod si liceret, tolleretur fides in humano commercio. Unde de mendacio sine advertentia prolato possum gaudere, quia illud non affert *magnum* malum. Ita possum gaudere de mendacio prolato cum advertentia quidem ad falsitatem, sed sine advertentia ad culpam et malitiam: quia neque

1) De poenit. disp. 16.

illud semel prolatum affert *magnum* malum; neque propter illud malum prohibetur, sed propter malum, quod afferret, si liceret, quia tunc passim proferretur. Idem est de pollutione; potes enim ad finem sanitatis gaudere de illa in somno habita, imo et de illa procurata absque culpa propter ignorantiam invincibilem; quia neque sic posita affert *magnum* damnum proli, nec propter illud prohibetur, sed propter damnum quod afferret, si licita esset, quia tunc passim poneretur. Non tamen licet delectari de pollutione in somno habita propter voluptatem, quam attulit; quia jam tunc ipsamet delectatio secundum se opponeretur castitati propter malum, quod secum affert, ut supra explicuimus. »

Secundum hanc distinctionem attendendum esset, *utrum actus objective malus magnum* an *exiguum* afferat *damnum;* et *ratio,* cur idem actus prohibetur, consideranda esset. Sed haec distinctio et regula inde deducenda, pace tanti Doctoris, arbitraria est, vaga, aequivoca, et nulli principio stabili innititur. Unde mirum non est, quod nemini placuerit. Nullum enim Auctorem novimus, qui eam sit secutus. Certum vero est, clarissimum Cardinalem non ex omni parte sententiae affirmativae assentiri, et non indistincte, sed tantum *aliquando* gaudium de actu objective malo permittere.

4. Interpellat insuper P. Ballerini auctoritatem *S. Thomae* dicentis: « *Si autem placeat* (pollutio) *ut naturae exoneratio vel allevatio, peccatum non creditur.* » Sed huic objectioni jam provisum est a S. Alphonso. Angelicus, ut recte dicunt Salmanticenses, Roncaglia, Antoine, Billuart aliique, loquitur de pollutione *pure naturali,* quae naturaliter provenit a natura se exonerante: de qua ideo, cum non sit objective mala, sibi complacere licet, non quidem de delectatione, sed de exoneratione obtenta.[1] « Pollutio via naturali proveniens, dicit Sanchez l. c. n. 17., nullatenus est actus hominis, nec ejus voluntati subjectus, sed actus quidam et evacuatio naturalis sicut sudor. »

5. Alium adhuc textum *D. Thomae* adfert P. Ballerini, quem S. Alphonso contrarium esse dicit, quatenus hic tenet, *non licere delectari de pollutione nocturna, quae evenerit ex tactu seu ex turpi somnio.* — Sed valde admiramur cl. Professorem textum afferentem, quo seipsum egregie confutat. Ipse namque fatetur, non licere gaudere *de re objective mala,* qualis *turpis imaginatio* est, sed tantum quatenus est causa boni effectus. Si autem, secundum Angelicum, somnia ad expulsionem pertinentia ex abundantia vel resolutione humoris seminalis proveniunt, hujusmodi *somnium* causa non est pollutionis et allevationis obtentae. Pollutio sequeretur etiam sine somnio praecedente; quando enim humor seminalis abundat aut resolvitur, natura se exonerat, quin necesse sit ut semper phantasmata ad expulsionem pertinentia praecedant. Unde si dicitur, pollutionem ex turpi somnio evenisse, id intelligendum est de causa accidentali et intermedia, quae ad abundantiam vel resolutionem humoris seminalis, utpote ad causam veram et ultimam, reducenda est.

1) Alii vero, ut *Sylvius, Wigandt, Henno,* tenent, S. Thomam eo sensu interpretandum esse, quod *nullo modo de ipsa pollutione,* sed tantum *de bono effectu* gaudere liceat. — *Concina* (in Decal. lib. 8. diss. 2. n. 61.) de altera interpretatione dicit, eam non esse adeo luculentam, ut hanc legitimam modo memoratam, rejicere cogamur: « His paucis verbis, quae facessere negotium possent, tota clauditur ejus auctoritas: *Si autem placeat ut naturae exoneratio vel allevatio, peccatum non creditur.* Ait Angelicus: *Si placeat pollutio ut:* id est, sub hac ratione exonerandi naturam, *non creditur esse peccatum.* Ratio autem reduplicativa, ut Scholastici docent, ea est, quae primum objecto dat speciem, et in quam actio primo tendit. »

Ergo etiam juxta sententiam, quam tenet P. Ballerini, non licet gaudere *de turpi somnio* ad expulsionem pertinente, sed tantum *de pollutione naturali* allevationem producente. Quod et S. Doctor noster concedit; et solummodo ipsi non placet sententia Salmanticensium, licere etiam gaudere de pollutione proveniente ex cibo moderato, aut studio utili, etc. Et merito non placet; nam *mere* naturalis dici nequit pollutio, quae non ex mere naturali, sed ex voluntaria causa, licet ab omni culpa immuni, provenit, et alias non obtigisset.

6. Addit demum cl. Professor, « *ad* » *turpe somnium reduci posse tactus* » *seu motus idem somnium conse-* » *quentes.* » Si tactus seu motus, ut supponit, *connexi* sunt cum somnio ad expulsionem pertinente et cum illusione, quam dormiens patitur, utique ad idem somnium reduci possunt, imo debent; et ideo idem dicendum est, scilicet abundantiam aut resolutionem humoris seminalis veram et ultimam pollutionis et allevationis causam esse; et consequenter etiam, juxta sententiam, quam tenet P. Ballerini, de ipsis gaudere non licet. Si vero tactus seu motus cum isto somnio *non cohaerent,* S. Thomas interpellari nequit, quippe qui de solis somniis ex praedicta abundantia provenientibus loquitur.

Articulus 3.

Utrum revera S. Alphonsus, cum Salmanticensibus, dissensionem inter Doctores confingat.

Affirmat cl. Professor: « *Salman-* » *ticenses* (Tr. 20. cap. 13. n. 47.) quos » secutus est *S. Alphonsus* (Lib. 5. » n. 20.), dissensionem hic inter Do- » ctores confingunt, et *Vasquesium,* » *Lessium, Palaum, etc.* incusant, » quasi licere doceant, ob bonum ef- » fectum *de peccato formaliter tali* » delectari, ac proinde licite *affectum* » *ob bonum finem in rem intrinsece* » *malam terminari.* Sed perperam » haec confinguntur, cum nulla dis- » sensio, nisi forte verbo tenus, ha- » beatur... »

I. Loco cit. S. Doctor ait: « Si opus » fuerit *formaliter malum*, nempe » quia *cum peccato*, patratum fuit, » peccat qui de illo delectatur, et- » iamsi delectetur de opere malo, non » ut peccato, sed ut *causa effectus* » *secuti.* Ita omnino tenendum... » Pro opposita vero sententia, ex Salmanticentibus citat *Vasquez, Lessium* et *Palaum,* quibus ipse addit *Bonacinam.* – Videamus itaque utri fides adhibenda sit.

1. *Vasquez, S. J.,* [1] docet peccatum *mortale non esse, desiderare opus formaliter malum voluntate efficaci,* i. e. ut desideratum executioni mandetur, praeterquam si actus desiderii *ex se notabilem oppositionem* haberet ad aliquam virtutem. Et quidem ea ratione, quia voluntas efficax malitiam accipit ex opere exteriori, quod habet pro objecto, unde *cum proponatur sub conditione honesta, non erit peccatum mortale.* Sic possumus desiderare, ut quispiam occidatur, si proponitur sub conditione honesta, puta quia inimicus et perturbator reipublicae est; vel ut cujusdam pecuniam fures auferant, ut in posterum liberalior sit erga pauperes. Secus vero, si quis desideraret ut alius occidatur, quia ejus inimicus est, vel delectaretur de homicidio perpetrato ex personae displicentia, quia in delectatione vindictam sumeret de inimico. In quo casu sine dubio mortaliter peccaret, sed non peccato homicidii, sed peccato odii. Et hanc doctrinam approbat et suam facit Gregorius Sayrus.[2]

2. *Bonacina* [3] haec habet: « 5. *Delectatio* de re turpi et mala, *est mala juxta motivum* ipsius delectationis, seu juxta rationem formalem, ratione cujus delectatio fertur in obje-

1) 1. 2. q. 74. art. 8. disp. 111. — 2) In *Clave regia Sacerdotum*, lib. 8. c. 7. n. 28. et 29. — 3) De matrim. q. 4. p. 8.

ctum. Ratio est, quia delectatio, cum sit actus inefficax, totam suam bonitatem et malitiam sumit a motivo; si ergo motivum est malum, mala est delectatio: sicut etiam est *bona, si bonum est motivum;* et est venialis, si motivum est otiosum. Ita multi DD. apud Clavem Regiam [1] contra Sanchez [2] et Azor. [3] absolute arbitrantes, delectationem de opere mortali esse mortalem. - *6.* Hinc sequitur primo, delectationem de aliquo actu carnali, ut de fornicatione, tactibus, vel osculis esse peccatum mortale, si delectatio ex affectu carnali capiatur ab eo, qui non est conjugatus. - *7.* Secundo, eum excusari a peccato mortali, qui delectatur et ridet de subtili aliquo modo et dexteritate, quam quis ingeniose adhibuit in furando, in parandis insidiis, in gerendo bello, licet injusto: modo hujusmodi delectatio non capiatur ex malo motivo. - *8.* Tertio excusari eos, qui ob bonum finem delectantur de homicidio alias secuto, licet injusto, vel de furto, quatenus est utile ad sublevandam miseriam innocentis, vel de fractione jejunii ob bonum finem. Ita Vasquez, [4] Lessius, [5] et alii contra Sanchez loc. cit. n. 16. et alios. Similiter *excusatur, qui pollutionem desiderat ob bonum finem,* modo eam non procuret, et desiderium non sit ita intensum, ut possit esse causa pollutionis. Ita Vasquez et alii. »

3. *Palaus, S. J.,* [6] scribit: « Quod dictum est de pollutione ob hujusmodi finem, dicendum est de homicidio, fornicatione et aliis peccatis, *licitam esse,* inquam, *delectationem* non illorum praecise, sed *quatenus causae sunt alicujus boni effectus.* »

4. *Lessius, S. J.,* non admittit sententiam Vasquezii et Bonacinae, licere de opere formaliter malo gaudere *ex bono motivo;* quia gaudens, hujusmodi opus factum esse, peccatum approbaret, quod omnino illicitum est. Admittit autem cum Palao, licitum esse gaudere de opere formaliter malo, *quatenus est causa boni effectus;* et solummodo distinctius declarat, objectum *primarium et principale* gaudii bonum effectum esse debere; ut patet ex textu, quem P. Ballerini adfert.

Dicit: « *et sic licet gaudere de opere malo.* » Ergo non tantum de bono effectu, sed etiam de opere malo gaudere licet. Porro inquit: « *Sed hoc est potius gaudere de effectu, quam de opere, etsi etiam gaudeamus de causatione boni, quae tali operi competit.* » Ergo non tantum de effectu, sed etiam *de opere,* quatenus hunc effectum causavit, gaudere licet. - Nec obstat quod praemittit, hoc esse potius de effectu gaudere; nam haec propositio alium sanum non fundit sensum, quam: *Sed hoc est primarie et principaliter de effectu gaudere.* Secus enim Lessius indissolubili contradictioni sese implicaret, atque unum idemque negaret et affirmaret in eodem contextu. Et re quidem vera; qui de solo effectu gaudet, ab ejus causa prorsus abstrahit; qui autem de effectu et simul de causatione gaudet, quae malo operi competit, necessario simul de opere gaudet, quatenus hujus effectus causa est; quamvis *potius* seu magis de effectu.

II. Recte igitur S. Alphonsus *Palao* et *Lessio* sententiam tribuit: *Licere delectari de opere malo, non ut peccato, sed ut causa effectus secuti.* - *Vasquez* autem et *Bonacina,* ut vidimus, ulterius adhuc progressi sunt. Et ideo dissensio Doctorum circa hanc quaestionem in veritate existit, et nequaquam a S. Alphonso et Salmanticensibus confingitur.

EX DICTIS ITAQUE CONCLUDIMUS:

1. Docet S. Alphonsus, non licere delectari *de ipso opere malo,* patrato sive *cum,* sive *absque* peccato; etiamsi quis delectaretur de tali opere, non in se, sed *ut causa boni effectus.*

1) Lib. 8. c. 7. — 2) In Summ. lib. 1. c. 2. n. 8. — 3) 1. P. lib. 4. c. 6. q. 2. — 4) Disp. 215. c. 2. et 3. — 5) Lib. 4. c. 3. n. 106. — 6) Tr. 2. disp. 2. p. 10. §. 3. n. 11.

Ratio, quia, licet actio non fuerit peccaminosa, fuit tamen *objective mala;* si quis ergo delectatur, non de solo effectu, sed de ipsa re mala, quatenus est causa boni effectus, *directum objectum* suae delectationis est *res objective mala.* - Hinc, ex sententia S. Doctoris, non licet delectari nisi *de solo bono effectu in se spectato,* prorsus praescindendo ab ejus causa mala. Prudenter etiam advertit, et istam delectationem aliquando non carere periculo.

2. Perpauci sane reperientur, qui quaestione hac rite, et ex omni parte examinata atque perpensa, non praetulerint *doctrinam S. Alphonsi, rationi tam intrinsecae quam extrinsecae evidenti, nec non regulae practicae inconcussae innixam.* Imo perpauci, qui post condemnationem propositionis 15. ab Innocentio XI. profligatae, et habita periculi ratione, oppositam sententiam non rejecerint, *ut improbabilem.*

3. Ex dictis demum patet, dissensionem inter Doctores revera existere, eamque a S. Doctore cum Salmanticensibus nullatenus confingi.

QUAESTIO III.

Quandonam urgeat praeceptum Charitatis.

(S. Alph. Lib. II. n. 8. 23. — P. Ball. Tom. I. n. 218. q. 2. 219.)

In praesenti Quaestione duo examinanda veniunt: 1. Quoties teneamur *in vita* elicere actus charitatis. 2. An urgeat praeceptum charitatis *in articulo mortis.*

Articulus 1.

Quoties teneamur in vita elicere actus Charitatis.

Ante omnia, ipsum S. Alphonsum audiamus. Lib. II. n. 8. scribit: « Quod » autem pertinet ad actus erga praeceptum charitatis, jam adnotavimus » supra, damnatam fuisse propositionem: *Ne singulis quidem rigorose quinquenniis* hoc praeceptum » obligare per se. Palaus apud Croix » dicit, esse peccatum grave differre » actum charitatis per triennium. » Alii, ut Hurtadus, Illsung, Mendo, etc. apud Croix dicunt, requiri » elici actum charitatis erga Deum, » saltem semel in anno: et hanc sequuntur Salmanticenses cum Trullencho, Tapia, Lastra. Alii vero, ut » Gabriel, Almainus, Tabiena apud » Croix, ajunt, hoc praeceptum obligare quolibet die festivo. - *Cardenas tandem (cui adhaeret Croix) censet, non excusari a mortali, qui per mensem actum charitatis differt: hancque sententiam omnino ego suadendam puto,* cum difficulter possit homo diu mandata divina servare, nisi dilectionem erga Deum frequenter foveat, quae nonnisi per actus charitatis fovetur et nutritur. Notat autem idem Cardenas, quod sufficit elicere actus amoris, *etiamsi eliciantur in ordine ad implenda alia praecepta, vel ad aliam virtutem exercendam,* puta ad se confitendum, ad vincendam tentationem. Insuper dicit Croix, esse veros actus amoris, quibus bene satisfit huic praecepto, *omnia opera meritoria exercitata ad finem placendi Deo,* ut eleemosynam, jejunium, et similia: talis autem rectus finis, dicit, quod praesumitur in eis qui jam sciunt sic placere Deo, modo non operentur ex fine pravo. Addit etiam Croix, satisfieri adhuc *orando,* signanter cum oratione dominicali, ubi dicitur: *Sanctificetur* etc., *Adveniat* etc., *Fiat voluntas tua* etc... »

Hanc eamdem quaestionem pertra-

ctans, *P. Gury*, T. I. n. 218. pag. 200.[1] dicit: « S. Ligorio arridet sententia eorum, qui actum charitatis semel in mense requirunt. (Hom. apost. n. 13.). *Sed hujus opinionis nullum est solidum fundamentum.* »

Et P. Ballerini, in adjecta adnotatione subjungit: « *Pro ejusmodi* » *opinione non allegantur nisi Cardenas et Croix.* (Vid. S. Alphons. » Lib. 2. n. 8.). *At Croix* (Lib. 2. » n. 141.), *mere ista habet:* Cum in » tanta sententiarum varietate nesciamus, quando et quoties diligendus sit Deus, arripiamus tutiora. » *Quae sane non possunt ita intelligi, quasi Croix, ex defectu rationum, ad asserendam ullam obligationem, absurdissime et contra prima principia concludat necessitatem obligationes strictiores sine ulla ratione imponendi. - Cardenas vero* (Cris. 2. disp. 6. n. 18.) » *ita disserit:* Valde occultum et » incertum est determinare tempus, » in quo instat hoc praeceptum; solum enim dicimus violari praeceptum, cum multo tempore differtur dilectio Dei, judicio prudentis; » et mensis integer videtur mihi multum tempus, ob summam hujus » praecepti dignitatem. *Quae plane* » *sunt miserrima. Nam mitto, quod* » *cum nemo antea hunc terminum* » *fixerit, jam Cardenas se unum* » *demum prudentem venditet. Sed* » *magis mira est ratio, quam petit* » *scilicet a summa praecepti praestantia.* [2] *Profecto, si quo praestantius est praeceptum, eo potior* » *esse debeat obligatio frequentandi* » *actus, cum praestantius sit praeceptum sumendi Eucharistiam,* » *quam abstinendi a carnibus, concludendum foret, ad sumendam* » *Eucharistiam, plus quam bis, hebdomadis singulis nos teneri!* »

Acriter, ut patet, cl. Professor in consodales suos, Cardenam et Croix, a S. Alphonso allegatos, invehit. Itaque singulas perpendemus exprobrationes, et deinde ipsam S. Doctoris nostri sententiam exponemus, atque aliorum quorumdam Doctorum auctoritate confirmabimus.

I. *Croix,*[3] quaestionem proponens, quandonam et quoties praeceptum charitatis obliget, dicit, alios nimis arctare, alios nimis laxare; et varias Auctorum opiniones affert. – Sic aliqui dicunt, obligare quotidie, imo omni quasi hora; alii, omnibus Dominicis et Festis; alii, quando beneficium a Deo accipimus. Ultimo loco sententiam allegat, obligationem esse semel saltem quolibet anno, quam tenent Lastra, Tapia, Ledesma, Trullenchus, Mendo, Salmanticenses, Illsung etc., et demum sententiam Cardenae, cui assentit. – Manifeste ergo, dum dicit: « *Arripiamus tutiora,* » nihil aliud dicere intendit, quam: *Arripiamus, in tanta sententiarum varietate, mediam viam.* Etenim tres sententiae supra relatae tutiores sunt, et nihilominus eas refutat et rejicit.

Porro *Croix* nequaquam hanc sententiam amplectitur « *ex defectu ra-* » *tionum ad asserendam ullam obli-* » *gationem* »; sed rationes pro ea militantes fuse explicat: « Ratio est, quia Deus praecipit dilectionem sui in operibus, quae frequenter solemus agere; postquam enim Deut. 6. dixisset: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde,* subdit: *eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens:* ergo Deus vult continuationem et frequentiam illius dilectionis. – Deinde homo graviter obligatur ad observanda reliqua Dei mandata; sed moraliter impossibile est ea omnia observare, nisi quis *frequenter* eli-

1) In altera edit. pag. 154. — 2) Pro verbis: « *Quae plane sunt....* », in altera edit. legitur: « *Quae plane nullius sunt roboris.* Mitto enim, quod nemo antea hunc terminum » fixerit: *at prorsus imbellis,* ut patet, *est ratio,* quam petit a summa praecepti praestantia. » Profecto...» — 3) Lib. 2. n. 132.

ciat actum dilectionis Dei, ut experientia probat: qui enim vix semel per annum quaerunt placere Deo, diu non persistent sine mortali, nec unquam aggredientur media ardua et naturae contraria, quae saepe necessaria sunt ad vitanda peccata; *ergo est obligatio gravis frequenter diligendi Deum, maxime cum reliqua omnia praecepta ultimate ordinentur ad charitatem*, quae est finis et perfectio legis. Itaque cum *in tanta sententiarum varietate* nesciamus, quando et quoties sit diligendus Deus, *arripiamus tutiora*: tum, ut sic assuescamus dilectioni Dei, tum ut certo satisfiat praecepto, tum etiam, quia actus dilectionis est *omnium praestantissimus* et supra omnes alios meritorius. »

II. Judice cl. Professore, « *plane miserrima,* » seu « *plane nullius roboris,* » et « *prorsus imbellis* » est ratio adducta, videlicet, actus charitatis frequenter esse exercendos propter *dignitatem hujus praecepti,* et *praestantiam actuum charitatis.*

1. Ast Cardenas et Lacroix de virtutibus *theologicis* tractant et de actibus *internis* loquuntur. Cumque charitas, testante Apostolo, major sit, et ipse Dominus [1] testetur: « *Hoc est maximum et primum mandatum* », optimo jure inferunt, actus charitatis frequentius ceteris esse eliciendos. - In quantum autem P. Ballerini concludit, quod « *ad sumendam Eucharistiam plus quam bis, singulis hebdomadis, teneremur* »; hanc suam conclusionem potius, quam Cardenae et Lacroix, miserrimam dices, imo plane ineptam.

2. Porro eadem ratione, quam « *miserrimam* » et « *prorsus imbellem* » dicere audet, permulti DD. utuntur. - *Suarez* [2] *ex dignitate tanti praecepti* probat, actum charitatis saepius esse eliciendum. Similiter *Mastrius, Reginaldus* et *Trullenchus;* quia actus charitatis nobilissimi et excellentissimi sunt; *Reiffenstuel,* ex magnitudine hujus praecepti; *Elbel,* quia magnum praeceptum est; *Gotti* et *Concina,* quia primum maximumque est, etc.

III. Increpat P. Ballerini *Cardenam* et arrogantiae arguit, dicens: « *Nam* » *mitto, quod, cum nemo antea hunc* » *terminum fixerit, jam Cardenas* » *se unum demum prudentem ven-* » *ditet.* »

1. Sed oblitus est cl. Professor, multos graves DD. longe arctiores terminos fixisse, et signanter docuisse, praeceptum charitatis *quolibet die festo* obligare. [3] Ideo arrogantia *Cardenae* in eo consistit, quod hanc et alias sententias rigidiores *mitigare,* et ad *unius mensis* terminum reducere ausus est!

2. Ceterum inter recentiores, hanc sententiam non infundatam esse, testatur *Thomas Ex Charmes,* [4] dicens: « Obligat (praeceptum charitatis)... saepissime in decursu vitae...; quoties autem intra annum *per se* obliget, non potest facile determinari. Non tamen infundata est opinio Scoti asserentis, obligare *singulis Dominicis ac festis diebus;* quia hi dies non sanctificantur, nisi Deum colendo: *quis vero est cultus ejus,* ait Augustinus lib. 12. de Trin. c. 14., *nisi amor ejus?* »

3. Imo *Amort* [5] omnino eam amplectitur, saltem quoad obligationem sub veniali: « Datur obligatio, saltem sub peccato veniali, eliciendi actum

1) Matth. 22. 38. — 2) De charit. disp. 5. sect. 3. n. 1.

3) Extat alia adhuc sententia, quam Cardenas et Lacroix referre omiserunt, videlicet praeceptum charitatis omni tempore obligare, quo divina bonitas sufficienter proponitur tamquam amanda nec aliud impedimentum adest, quam inordinatus affectus actualis vel habitualis erga creaturas (V. *Herincx*, disp. 11. de Charitate n. 55.). Quam probabilem censet *Pontius;* et satis probari posse nobis quoque videtur, licet Herincx oppositum sentiat. Attamen in fine, de hac sententia et de obligatione singulis diebus festis loquens, addit: « Quamvis consultissimum et securissimum sit exsequi, quod rigidiores sententiae necessarium volunt. »

4) De virt. theol., diss. 3. de charit. c. 3. q. 1. art. 1. concl. 3. — 5) Tr. 4. *s.* 5. n. 8.

*

dilectionis erga Deum *singulis diebus Dominicis et Festis.* » Quam propositionem fusius multisque argumentis probat; quorum ultimum est:

« Probatur *8.* SS. D. N. *Benedictus XIV.* in Bulla: *Etsi minime,* non obscure insinuat, dari obligationem singulis Dominicis et Festis eliciendi actum dilectionis; reprobat enim eorum sententiam, qui docent, singulis annis tantum aliquoties esse eliciendum actum amoris, et praecipit, ut ubique locorum diebus Dominicis et Festis populo post Missam praelegantur actus fidei, spei et charitatis. Sic habet: « Quia christianam religionem profitenti *maxime necessaria est consuetudo, et exercitatio saepius eliciendi dictos actus* (fidei, spei et charitatis); idcirco, ne illorum usus circumscribatur angustis finibus et exiguo numero a quibusdam, singulis annis praefinito; Episcopus, suae non minus quam alienae salutis studiosus, provide statuat, ut in parochiis tum Urbis, tum Dioecesis, Rectores animarum post Missam *festo die* celebratam, statim ante aram provoluti, clara et intelligibili voce dictos virtutum actus eliciant, et praeire satagant populo, verba ab ipsis prolata devote reddituro. Hoc enim pacto, fideles sensim illos memoriae mandabunt; et assuescent, nedum festis, sed aliis etiam diebus, in hac pia exercitatione versari. Datum Romae, 7. Februarii 1742. »

4. *Henno:* [1] « Ultra obligationem indirectam Dei diligendi, ubi urget justificatio, saltem extra-sacramentalis, aut tentatio non aliter vincenda, aut periculum non aliter vitandum: tenemur Deum amare in principio morali usus rationis, in fine vitae, et *ad minimum in praecipuis anni solemnitatibus, aut circiter.* »

5. *Billuart:* [2] « *Longe ergo probabilius, et moderatius* sentiunt, qui vel assignant *dies dominicos et festos,* in quibus, cum fideles colunt Deum ut omnium rerum principium, inde incitantur etiam ad eum amandum; vel qui *semel aut bis in septimana* actum dilectionis requirunt. »

6. *Concina:* [3] « *Singulisne diebus festis* urget hoc amoris mandatum? Respondeo. Affirmat Scotus etc....; et sane mihi valde probabilis est sententia isthaec; imo, si continuitatem moralem amoris considero, quam Deus nobis praecipere dixi, ob vim et robur verborum quibus conceptum est illius mandatum, quasi dicerem probabiliorem mihi esse.... qua benigniore, unaque verisimiliore explicatione interpretari valemus praeceptum tanto studio inculcatum, quam si dixerimus, *semel singulis hebdomadibus* implendum esse? »

7. *Collet:* [4] « Ex iis colligere est cum Grandino, in hisce materiis ceteroqui laxiore, *ne unam quidem hebdomadam* (sponte dicam, *ne unum quidem diem*) sine actu charitatis praetermittendam esse; ut, si forte saepius nos amare contingat, quam tenemur sub peccato, tantum saltem amemus, quantum tenemur. »

IV. Hisce praemissis, breviter tribus momentis doctrinam S. Alphonsi absolvere licet. 1°. Sententiam *Cardenae* et *Lacroix,* S. Doctor non absolute tenendam dicit, sed eam *omnino suadendam* esse censet. 2°. Largissime admittit, satisfieri actibus *concomitantibus et effectivis,* licet non affectivis, ut dicit Lacroix. 3°. *Ratio,* quam adfert, solida, imo *solidissima* est. Quis enim inficias ibit, difficulter mandata divina servaturum esse illum, qui *per integrum mensem* nullum hujusmodi actum exercet, et de Deo diligendo non cogitat?

V. Eamdem rationem permulti alii DD. afferunt.

1. *Cardinalis Gotti:* [5] « Impossibile est, quod homo diu vivat, quin aliquem totius vitae suae ultimum finem sibi constituat, et ad eum ten-

1) De charit. q. 7. concl. 4. — 2) De charit. diss. 4. art. 7. *s.* 2. — 3) Lib. 1. diss. 4. c. 9. n. 10. — 4) De charit. c. 1. art. 3. sect. 3. — 5) Tr. 12. q. 3. *s.* 4. n. 24.

dat; ergo si homines, etiam justi, ab actibus charitatis in Deum diu temperent, alium a Deo ultimum finem suae vitae constituent, ac sese terrenarum rerum amoribus mortaliter implicabunt: qui tandem ita augebunt concupiscentiae aestuantis impetum, ut, validior factus, charitatem habitualem opprimat, impediatque, ne anima piis affectibus ad Deum conscendat. Cum ergo ista mala homo impedire teneatur, *tenetur frequenter* per amorem in Deum sese erigere, et contrarios terrenorum amores praefocare. »

2. *Concina:* [1] « Calor amoris divini in voluntate justi ardens paulatim tepescit..., et penitus frigescit, nisi opportuno alimento instauretur, nisi *frequenti* actuum aestu inflammetur.

3. *Reuter, S. J.:* [2] « Per accidens tenemur *non diu* differre actum charitatis, *quia alia praecepta sine ea diu servari non possunt omnia;* attamen sic eliciendo dilectionis actum, etiam satisfit praecepto per se obliganti. »

4. Alios DD. citare supersedemus. Unum tantum ex recentioribus Auctoribus allegare juvat, cl. *P. Perrone,* qui [3] eamdem quaestionem egregie sic exponit: « Illud potest generatim affirmari, praeceptum istud saepius in vita obligare, et hoc aliquando per se, aliquando vero per accidens, seu ratione alterius, ut insinuatum cernimus Deut. VI, ubi praeceptum de Dei dilectione illis verbis imponitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc.; nam illico subditur: *Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis haec filiis tuis, et meditaberis in eis, sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos,* etc. – Jam vero quorsum haec omnia, si aut nunquam, aut fere nunquam, ex praecepto elici deberet dilectionis actus? Accedit, quod charitas, uti ostendimus, sit vera cum Deo amicitia; porro amici nomine indignus foret, qui non satageret frequenter cum amico conversari; ut praeteream, *neminem posse, spectata humanae corruptae naturae fragilitate, diu in gratia permanere, quin identidem enitatur prosequi ultimum finem suum,* qui in praesenti quidem vita in conjunctione cum Deo consistit, in patria vero in ipsa Dei visione et fruitione. »

Et variis DD. sententiis expositis, cl. Auctor tandem sic concludit (loc. cit. n. 255.): « Ideoque extra dubium est, teneri christianum hominem saepius in vita elicere Dei dilectionis actum, et generatim non sufficere, si singulis quinquenniis in illum quis erumpat, ut ex proscripta, quam attulimus, thesi certo constat; *imo dicerem, nec* semel in anno, aut *semel in mense, elicito charitatis actu, tanto praecepto satisfieri, ob allata rationum momenta, etiam per se spectato;* licet omni cum praecisione statuere instans, quo elapso, quis violati praecepti reus incusandus sit, si non elicuerit dilectionis actum, valde difficile, sin minus impossibile foret; prout contingere consuevit, quoties de praecepto affirmativo agitur, quod quidem semper, aut si lubet, saepissime, non tamen *pro semper* obligat. »

Articulus 2.

An urgeat praeceptum Charitatis in articulo mortis.

Lib. II. n. 23., S. Alphonsus refert textum *Busembaumii,* qui tempora, quibus praeceptum charitatis obligat, enumerans, concludit: « Quibus aliqui addunt *articulum mortis absolute,* eo quod tunc securissima via eligenda sit. Vide Laymann, Bonacina, Hurtado. » – Ad quae verba, ipse S. Doctor addit: « *Et probabi-*

1) Compend. lib. 3. diss. 2. cap. 4. n. 12. — 2) P. 2. tr. 1. n. 89. — 3) *Praelect. theol.* de virt. theol. part. 3. c. 5. n. 253. et seqq.

» *lissimum est, ut Sporer et Mar-* » *chantius, et Tournely cum Antoi-* » *ne et communi.* »

P. Gury, similiter de praecepto charitatis loquens, T. I. n. 219. pag. 201. [1] ait: « Fideles... non debent esse anxii de hac obligatione, si vitae christianae studeant, et voluntatem gravia peccata vitandi retineant. Suadendum tamen est fidelibus, ut saepe explicitos Caritatis actus eliciant in vita, ad majorem cum Deo conjunctionem, atque ut animus paratior sit ad similes actus in morte facile eliciendos. »

Ad hunc textum, P. Ballerini sequentem adnotationem subnectit: « Opportunissime moribundi ad actus » charitatis eliciendos, iterandosque » excitantur; immo non desunt, qui » gravem hujus actus eliciendi obli- » gationem tunc urgere autument. Ve- » rum videtur distinguendum. Nam » si sermo sit de iis, quibus aliud » medium justificationis nullum sup- » petit, verissime id affirmatur; se- » cus vero, si hujusmodi absit neces- » sitas; *neque enim ulla solida ratio* » *apparet sive intrinseca, sive ex-* » *trinseca*, cur opinionem de hac » obligatione quidam (Vid. *S. Alph.* » lib. 2. n. 23.) *communem* aut *pro-* » *babilissimam* dixerint.»-Videamus, quo jure ista proferantur.

I. Sententiam affirmativam S. Doctor *probabilissimam* censet; at immerito, si fidem adhibeamus cl. Professori, cui « *nulla solida ratio intrinseca apparet.* » - Verumtamen longa disputatione opus non est; ex textibus Auctorum infra adducendis cuique prudenti apparebunt non modo solidae, sed gravissimae rationes intrinsecae pro eadem sententia militantes.

II. Affirmat insuper P. Ballerini, nullam solidam apparere rationem *extrinsecam*, pro sententia quam S. Alphonsus *communem* dicit. - Sententiam quidem *negativam* tenent Azorius, Sanchez, Baldellus, et si forte quis alius est. At vero sententiam *affirmativam* S. Doctor merito *communem* dicit. Etenim

1. Ipsam tenent plures DD. a Busembaum et S. Alphonso allegati, nimirum *Laymann, Bonacina, Hurtadus, Sporer, Marchantius, Tournely et Antoine.*

2. Eamdem propugnat *Suarez:* [2] « Dico igitur primo, propter occurrentem extrinsecam necessitatem, duobus modis obligari potest homo ad eliciendum actum amoris Dei super omnia; primo, si necesse sit contritionem habere, ut *in articulo mortis:* praecipue si quis haberet conscientiam peccati mortalis, et *credo obligare etiam, si sit copia Confessoris, propter gravissimum negotium et periculum salutis aeternae,* in quo excludendum est omne dubium, quoad fieri potest; ut in materia de poenitentia dicitur. »

3. Eamdem sententiam tenent *Toletus, Valentia* et *Coninchius*, et probabiliorem censent *Filliuccius, Trullenchus* et *Salmanticenses.* Inter recentiores absolute eamdem tenent *Mastrius, Holzmann, Wigandt, Gotti, Flavianus Ricci, Ferraris, Ex-Charmes, Elbel, Amort, Babenstuber.*

4. Porro *Illsung, S. J.,* [3] dicit: « De altero tempore, quo instat proxime finis vitae, *adhuc facilius probatur necessitas amoris.* Tunc enim homo cognoscit se maxime periclitari de sua salute, propter graviores tentationes et insidias diaboli, et propter praeteritam peccandi consuetudinem, ac propter probabilem mortis propinquitatem, qua omnis procurandae salutis ac poenitentiae occasio et tempus finitur. Ideo tunc homo maxime tenetur assecurare suam salutem, adeoque uti mediis magis idoneis ac certis, qualia sunt susceptio S. Eucharistiae, Confessio, perfecta Contritio, non quod haec necessaria sit ad valorem Sacramenti, sola cum attritione sus-

1) In altera edit. pag. 155. — 2) De charit. disp. 5. sect. 3. n. 3. — 3) De charit. art. 3. n. 72.

cepti, certum reddendum, ut suo loco dicemus; sed ut alii possibiles defectus, potentes Sacramentum reddere invalidum, si forte talis inadvertenter vel occulte intervenisset, suppleantur per contritionem. »

5. Similiter *Reuter, S. J.:*[1] « Per se obligat in articulo et periculo proximo mortis; cum enim tunc homo judicetur reversurus ad Deum suum, a quo creatus est, ut aeterno amore cum illo conjungatur; aequum est, ut per amorem perfectum ad illum se referat, cui aeterno amore in coelo conjungi desiderat. Accedit, quod homo incertus sit, an sit rite baptizatus, rite absolutus; *ergo tenetur medium facile et securissimum adhibere.* »

6. Docet *Billuart:*[2] « Obligat per se in fine vitae; quia, cum tunc spiritus revertatur ad Deum, qui creavit illum, et diabolus maxime illi insidietur, *gravissimae negligentiae et contemptus* accusaretur homo, si non se converteret per amorem ad Deum, cui sperat amore aeterno conjungi in beatitudine. »

7. Idem sentit *Cardenas, S. J.:*[3] « Inquires, an moribundus, licet propter valorem Sacramenti non teneatur ad contritionem charitate perfectam, saltem ad illam teneatur ex alio titulo? Et quidem *graviter teneri moribundum ad eliciendum actum charitatis, apud me certum est.* Nam ex decreto novissimo Alexandri VII., cujus tenorem proposui disp. 9. cap. 20. constat esse improbabile, quod homo non teneatur in tota vita elicere actum charitatis. Quod si aliquando urget *grave praeceptum* eliciendi actum charitatis, maxime in periculo vel articulo mortis; cum id sit tempus omnium opportunissimum eliciendi actum charitatis. »

Deinde *Cardenas* quaestionem examinat, an homo ad hunc actum eo titulo, ut salutem suam aeternam securiorem reddat, teneatur; et rationibus ex utraque parte allegatis, concludit: « *34.* Adhuc tamen *mihi indubium est, moribundum teneri ad actum charitatis,* non solum ex praecepto charitatis, sed etiam *ex praecepto reddendi securam salutem suam, quantum possit.* Quia firmius quis potest judicare de securitate valoris actus a se eliciti, quam de securitate valoris Baptismi, Ordinationis et jurisdictionis Sacerdotis absolventis: ergo post absolutionem susceptam, adhuc restat medium securius, nempe actus charitatis, quo quis tutiorem reddat suam salutem aeternam. » – Et demum addit: « *36. Nec in hoc aliquod novum ponimus, cum omnes admittant, ex praecepto charitatis teneri moribundum ad eum actum;* et nos solum superaddamus novum titulum ejus obligationis, nempe majoris securitatis salutis aeternae. »

SIT IGITUR TOTIUS QUAESTIONIS CONCLUSIO.

1. Sententia, quam S. Alphonsus *omnino suadendam* putat, videlicet, *non excusari a mortali, qui per mensem actum charitatis differt,* nec solidissimis argumentis, nec gravibus auctoritatibus caret, et discreta est atque sapientissima. Nec videmus, quibusnam rationibus negari possit, omnino suadendum esse, id quod S. Doctor omnino suadendum putat.

2. Sententiae, quae affirmat, *urgere praeceptum charitatis in articulo mortis,* solida, imo gravissima suffragatur Auctoritas *extrinseca;* ita ut S. Alphonsus ipsam merito *communem* dixerit, et jure optimo *communissimam* vocare potuisset. Accedit etiam *propria auctoritas S. Doctoris,* cujus debitam rationem habere P. Ballerini oblitus est. – Utrum demum *Rationes,* quas afferunt ejusdem sententiae defensores, minus solidae, an potius graves, imo et *gravissimae* dicendae sint, cujusvis prudentis judicio remittimus.

1) De charit. n. 88. — 2) De charit. diss. 4. art. 7, *s.* 2. — 3) Tr. 6. disp. 49. n. 29.

QUAESTIO IV.

An, in communibus pauperum necessitatibus, sit obligatio gravis dandi Eleemosynam ex superfluis statui.

(S. Alph. Lib. II. n. 32. — P. Ball. Tom. I. n. 228. q. 1. 3.)

Contra doctrinam S. Alphonsi de erogandis eleemosynis, P. Ballerini tria objicit: 1. Sententia, quae stat pro *obligatione gravi,* et quam tenet S. A., est *paucorum contra communem;* 2. S. Doctor nihilominus non rejicit sententiam plurium DD., qui dicunt, *non facile absolutionem esse negandam divitibus,* qui pauperibus in communi necessitate constitutis, nullam eleemosynam dare velint; 3. S. Alphonsus, loquendo de *quantitate* eleemosynae faciendae, tradit *regulam absurdam* cum pluribus Auctoribus a se allegatis. – Singula igitur haec asserta examini subjiciemus.

Articulus 1.

Merito S. A. communiorem vocat sententiam, quae stat pro obligatione gravi.

Lib. II. n. 32. S. Alphonsus quaerit: « An in *communibus* pauperum » necessitatibus, sit obligatio *gravis* » dandi eleemosynam *ex superfluis* » *statui?* » – Cui quaestioni respondet, dicendo: « Prima sententia negat; et » hanc tenet S. Antoninus...; item » Laymann cum Alensi, Majore et » Gabriele; Diana cum Turriano, Ab» bate, Fernandez, Victorellio, Vas» quez et Medina; item Sotus et Syl» vester apud Croix; item Covarru» vias, p. Navarrus et Malderus apud » Bonacinam, qui probabilem putat » cum Cardenas apud Croix. Ratio, » quia communiter obligatio eleemo» synae non oritur ex superfluitate » bonorum, sed ex urgenti proximi » necessitate; alias non liceret divi» tibus de superfluis donationes aliis » elargiri; saltem (ut ait Laymann) » cum pauperum communis miseria » soleat esse levis et tolerabilis, non » videtur culpa gravis auxilium eis » denegare.

» *Secunda vero sententia communior, cui adhaereo, affirmat;* et » hanc tenent Palaus, Holzmann, » Viva, Cont. Tournelii; Sanchez cum » Aragonio, Ledesma, Bannez, Abu» lensi *etc.;* Salmanticenses cum Ca» jetano, Tapia et Prado *ex D. Tho» ma,* qui ait: *Sic ergo dare eleemo» synam de superfluo est in praece» pto, et dare eleemosynam ei qui » est in extrema necessitate.* – Pro» batur 1. ex Luca 11. 41: *Quod su» perest, date eleemosynam: et ecce » omnia munda sunt vobis.* Proba» tur 2. ratione; tum quia divisio » rerum, communi gentium consensu » facta, nequit esse in praejudicium » pauperum; tum quia, si divites ab» solutam non haberent obligationem » subveniendi communiter mendicis, » possent isti ab omnibus in sua ne» cessitate derelinqui. – Et hic notan» dum id quod dicit Navarrus cum Ca» jetano, scilicet pertinere *ad decen» tem statum* conservandum omnia » quae requiruntur, non solum ad » filios et famulos et hospites susten» tandos, sed etiam ad honestas do» nationes, convivia, et moderatas » magnificentias exhibendas; et sic » respondetur rationi primae senten» tiae. Additque Navarrus cum eodem » Cajetano et Sylvestro ex D. Tho» ma, quod necessarium ad decentiam » status non consistit in individuo, » sed habet latitudinem, et eo ma» jorem quo status est major. »

Tom. I. n. 228. pag. 219.[1] *P. Gury* quaestionem pertractat: « An sub gravi obliget praeceptum eleemosynae? » ac de necessitate communi loquens, dicit: « Praeceptum eleemosynae est in se *grave*, et praecipue respicit *necessitatem communem*, cum casus necessitatis gravis raro eveniant. *Ita communiter* cum S. Lig. n. 32. contra Busemb. et plures alios. »

Ad quem textum sequentia adnotat P. Ballerini: « *S. Ligorius*, » lib. 2. n. 32., ut patet, opinioni, » quae stat pro *gravi* obligatione, ad- » haeret quasi *communiori*. At enim, » cum tredecim auctores pro ea al- » leget; contra vero pro opposita, » quae vel *nullam* vel *levem* dum- » taxat in hoc obligationem admittit, » ipse enumerat septemdecim, quibus » et alii addi facile possent. Insuper » autem cum ex tredecim illis, quos » pro se citat, decem habeas, Pa- » laum nempe (Tr. 6. disp. 2. punct. 2. » n. 15.), Salmanticenses (Tr. 21. » cap. 7. n. 17.), atque octo alios ab » his adductos, qui pro aliqua obli- » gatione utique pugnant, sed hanc » *gravem* esse dicendam nusquam » tradunt; exinde concludere est, » hanc opinionem non communem es- » se, sed *quorumdam paucorum con- » tra communem*. »

Cujus autem ponderis sit haec animadversio, videamus.

I. Cum S. Doctor sane non ignoraverit, numerum 13 inferiorem esse numero 17, jam a priori praesumendum est, ipsum, more solito, non omnes Auctores, sed *aliquos* tantum citare intendisse. De quo hic plane dubitari non potest, *quia addit:* ETC.; ac in eodem numero, ubi de quantitate agit, alios adhuc citat: *Roncagliam* nimirum, *Mazzottam, Petrum de Lorca* et *Tamburinium*.

II. Porro P. Ballerini in suo calculo arithmetico omisit *D. Thomam*, quem S. A. non tantum citat, sed cujus etiam textum probantem refert: « *Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est de praecepto*, et dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate. »[2]

1. Aliqui hunc locum interpretati sunt, quasi Angelicus doceret, non esse de praecepto, dare de superfluo, nisi in casu extremae necessitatis. Quos refutat *Cajetanus*,[3] inquiens: « Accersito autem quemcumque Grammaticum optimum, et proponas illi quid intelligendum sit ex istis verbis: Praeceptum est, ut fiat hoc, et fiat illud; Respondebit certe, quod duo praecipiuntur, et quod scilicet hoc fiat, et quod illud fiat. Quum autem verba S. Thomae talia sint, quare non est talis sumendus sensus? Dixit enim: *In praecepto est dare eleemosynam de superfluo, et dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate*. Duo ergo grammaticaliter intelligendo praecipit, cum dicit et quod detur eleemosyna de superfluo, et quod detur eleemosyna patienti extremam necessitatem. »

2. Sunt alia etiam loca. Docet enim Angelicus:[4] « Dare eleemosynam *de superfluo*, cadit in praecepto; similiter dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate. » – Porro artic. 5. supra citato: « Ad secundum dicendum, quod bona temporalia, quae homini divinitus conferuntur, ejus quidem sunt, quantum ad proprietatem; sed quantum *ad usum* non solum debent esse ejus, sed etiam aliorum, qui ex eis sustentari possunt *ex eo, quod ei superfluit*. » – Ac ubi sententiam S. Basilii explicat D. Thomas,[5] inquit: « *Basilius* loquitur in illo casu, in quo aliquis tenetur ex debito legali bona sua pauperibus erogare, vel propter periculum necessitatis, vel etiam *propter superfluitatem habitorum*. » – Et alibi:[6] « Res, quas aliqui *superabundanter* habent, *ex naturali jure* de-

1) In altera edit. pag. 169. — 2) 2. 2. q. 32. art. 5. — 3) Opusc. T. 2. tr. 11. c. 11. — 4) In 4. dist. 15. q. 11. art. 1. quaestiuncula 4. — 5) 2. 2. q. 118. art. 4. ad 2. — 6) 2. 2. q. 66. art. 7.

bentur pauperum sustentationi. »– Insuper:[1] « Tertiae vero decimae, quas cum pauperibus comedere debeant, in nova lege augentur, per hoc, quod Dominus non solum decimam partem, sed etiam *omnia superflua* pauperibus jubet exhiberi secundum illud Luc. 11. *Quod superest, date eleemosynam.* »– Denique:[2] « Supposito enim, quod aliquis habeat *de superfluo* et respectu individui et respectu personae, quod tenetur pauperibus erogare; aut videt in paupere petente evidentia signa extremae necessitatis, aut non. Si videt, certum est quod tenetur dare, et peccat non dando. In hoc enim casu loquitur Ambrosius: *Pasce fame morientem: si non paveris, occidisti.* Si vero non appareant, tunc non tenetur dare pauperi petenti: quia quamvis teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen omnibus dare, nec huic dare, sed *tenetur distribuere secundum quod sibi visum fuerit opportunum;* nec tenetur inquirere, quia hoc esset nimis grave, quod de omnibus pauperibus inquireret. »

III. Hanc doctrinam *communiter* tradunt Theologi Scholae Thomisticae; et inter recentiores egregie propugnant atque vindicant *Gonet, Gotti, Concina* et *Billuart.*

IV. Cum autem cl. Professor asserere audeat, sententiam quam tenet S. A., esse « *quorumdam paucorum contra communem,* » plures adhuc DD. allegare juvat.

1. *Suarez, S. J.,*[3] scribit: « Dico tertio: Qui simpliciter habet *superfluum,* tenetur *sub mortali* facere eleemosynam, etiam in *communibus* necessitatibus generis humani; non dico teneri in singulis actibus, neque teneri ad dandum omnia, sed *absolute teneri,* quod hac negatione bene explicatur: si habeat propositum formale, vel virtuale nunquam dandi eleemosynam, nisi in gravibus necessitatibus, illud est peccatum mortale ex se, nisi fortasse faciat id, quia certus est, graves necessitates occurrere. – *Conclusio est communis,* quae praeter adducta pro secunda sententia in n. 2., confirmatur. Nam ex prima conclusione certum est, divitem ita se habentem, male agere contra misericordiam et charitatem; sed materia talis inordinationis est gravis: ergo laesio misericordiae est in materia gravi: ergo peccatum mortale. Minorem probo; quia quamvis necessitates proximorum videantur leves, tamen aggregatum omnium illarum, comparatum ad genus humanum, vel ad rempublicam, est valde gravis materia: ergo contemnere in genere humano totum illud aggregatum miseriae, est laesio charitatis et misericordiae in materia gravi: sicut velle furari centum aureos a multis hominibus, ab unoquoque assem, est peccatum mortale; quia, licet respectu uniuscujusque sit materia levis, totum tamen est grave. »

2. *Mastrius*[4] dicit: « Quamvis igitur *conveniant Doctores in majori parte,* ut Bonacina refert,[5] quando indigens est in aliqua ex praedictis necessitatibus (sc. extrema, gravi et communi) teneri quemlibet illi succurrere, si habeat *superflua,* quae neque ad vitam, neque *ad decentiam status* sunt necessaria, hoc enim videtur expresse deduci ex illo Luc. 11. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis;* ubi Christus praecipit Pharisaeis, quod ex superfluis dent eleemosynam, si a peccatis mundari velint; et hoc etiam *ratio* dictat, quia qui eleemosynam dare recusat ex superfluis, tam vitae quam statui personae, ostendit se erga proximos charitatem, et misericordiam non habere, ut ait Apostolus l. c.; ergo charitas et misericordia obligat in tali casu. Quamvis, inquam, Doctores in hoc majori ex parte conveniant,

1) 2. 2. q. 87. art. 1. ad 4. — 2) Quodlib. 8. q. 16. art. 12. — 3) De virt. disp. 7. sect. 3. n. 7. — 4) Disp. 10. q. 3. art. 2, n. 58. — 5) Disp. 3. n. 4. punct. 6.

dissensio tamen est, de quibus bonis sit obligatio subveniendi extreme indigenti, an ex superfluis vel necessariis statui personae; certum enim est, eleemosynam fieri non debere de necessariis ad propriam vitam, vel suorum: id enim esset sibi vel suis vitam adimere. »

3. *Sporer* [1] autem inquit: « *Probabilissimum* est, habentes bona *simpliciter superflua* naturae et *status*, etiam *sub mortali teneri quandoque* facere eleemosynam pauperibus, *communem* tantum necessitatem patientibus. Ita *communissime* DD., praesertim antiquiorum: *S. Thomas,* [2] *Navarrus,* [3] *Richardus, Sotus, Bannez, Covarruvias, Valentia, Arragonius, Azorius, Filliuccius,* aliisque relatis, *Bellarminus,* [4] *Tannerus,* [5] *Laymann.* [6] (Etsi contrarium sentiant plerique moderni, ut videbitur.) *Est haec sententia, uti longe communior, ita sine dubio tutior, S. Scripturae et SS. PP. conformior,* et ideo paulo latius confirmanda in gratiam mendicantium. »

4. *Croix* [7] quidem dicit, hanc obligationem a viris gravissimis negari, attamen testatur, quod « *Societatis* (Jesu) *Auctores communiter* doceant, divites teneri in communi necessitate dare eleemosynas ex superfluis; uti ostendit Pollenter super propositiones ab Innocentio XI. damnatas, a n. 402. »

5. *Reuter, S. J.,* [8] ita scribit: « Est quoque *gravis obligatio* faciendi eleemosynam de superfluis vitae et statui, etiam in communi pauperum necessitate. Ratio est... » Et concludit, contrariam sententiam repugnare « *communi receptae Theologorum et Patrum sententiae,* praeceptoque charitatis. »

6. *Voit, S. J.,* [9] vero haec habet: « Etiam in *communi* necessitate constitutis est *gravis obligatio* dandi eleemosynam ex bonis naturae et *statui superfluis*, non tamen dandi determinate huic vel illi pauperi. Ita *Babenstuber* [10] cum communi. »

7. Audiamus *Elbel* [11] qui docet: « Pauperibus in *communi* dumtaxat necessitate constitutis tenetur succurrere, quisquis habet bona nedum naturae, sed etiam *statui suo superflua.* Ita *communissime* DD. post S. Thomam. - *279.* Quocirca tamen bene advertendum est, posse procul dubio saepe saepius intervenire *causas rationabiles,* hic et nunc excusantes ab omni, vel certe a gravi peccato illos, qui renuunt dare, vel non dant eleemosynam; nam in primis, ab omni culpa eximendus est, qui huic vel illi pauperi non succurrit, eo quod ignoret illius indigentiam. Nec non 2. ille qui rationabili motivo ductus, huic vel illi pauperi triviali nihil dat; vel quia scit, dari alios magis egentes, vel qui nimis importune, vel etiam loco aut tempore magis opportuno postulavit. Vel 3. qui scit, dari alios, qui hujus vel illius necessitati succurrere velint, vel omnino debeant. »

« At contra hoc inquies: Si talis praesumptio excuset a gravi peccato, plane cogimur fateri, quod *nemo prorsus teneatur* dare eleemosynam pauperibus, communi dumtaxat necessitate laborantibus; nam quivis poterit prudenter praesumere dari adhuc alios, qui aut velint, aut etiam debeant succurrere indigentiae hujus vel illius. - *280.* R. *Negando illatum;* nam si nulla esset obligatio dandi eleemosynam, procul dubio paucissimi darent: at, hoc ipso non possit quivis prudenter supponere, dari alios qui velint aut debeant pauperibus succurrere, ut de se liquet: ergo ex hoc argumento potius inferendum videtur, quod divites et mediis abundantes teneantur succurrere pauperibus congrua eleemosyna. »

1) In Decal. tr. 3. c. 6. n. 60. — 2) 2. 2. q. 32. art. 5. — 3) Cap. 24. n. 5. — 4) Lib. 3. de bonis operib. c. 7. — 5) Tom. 3. disp. 2. q. 5. dub. 2. — 6) Lib. 2. tr. 3. c. 7. n. 5. — 7) Lib. 2. n. 202. — 8) Part. 2. n. 111. — 9) De charit. n. 710. — 10) L. c. n. 19. — 11) Conf. 9. n. 278.

8. Similiter *communissimam* dicit hanc sententiam *Ex-Charmes;*[1] et *Concina*[2] *triginta sex DD.* citat, et concludit eamdem sententiam non modo *communem,* sed etiam *veram* esse.

V. Asserit autem P. Ballerini : « *Ex tredecim illis* (auctoribus), quos » (S. A.) *pro se citat, decem habes,* » *Palaum nempe, Salmanticenses* » *atque octo alios ab his adductos,* » *qui pro aliqua obligatione utique* » *pugnant, sed hanc gravem esse di-* » *cendam, nusquam tradunt.* » – At vero, ut prae ceteris notandum est, nequaquam inde concludere liceret, ipsos obligationem hanc *levem dumtaxat* dicendam esse intendisse; apud omnes enim in confesso est, quando asseritur aliqua obligatio, et non dicitur expresse an gravis sit vel levis, eam intelligendam esse pro subjecta materia. Ergo in casu, cum praeceptum eleemosynae obliget ex charitate, et charitas obliget sub gravi, sane obligatio *gravis* ex genere suo intelligenda est. – Sed nequidem verum est, quod Auctores isti obligationem gravem dicendam esse nusquam tradant. Contrarium certo constat ex argumentis ab iisdem allatis, v. gr. ex verbis Christi in ultimo judicio, etc. Sic

1. *Palaus, S. J.,*[3] dicit: « Esse de eleemosyna *praeceptum* tam divinum quam naturale, nulli Catholico potest esse dubium. » Et addit: « Pro omnibus testimoniis, quae adduci possunt, sufficiat locus Matth. 25. ubi Christus Dominus testatur, in extremo judicio sententiam damnationis vel salutis pronuntiaturum, juxta illius studium vel negligentiam. » – Et *n. 15.* defendens obligationem, in *communi* pauperum necessitate eleemosynas faciendi ex bonis *superfluis,* dicit: « Ratio est, quia dives habens sic superflua et eleemosynam omittens longo tempore pluribus egenis expostulantibus, *reipublicae grave detrimentum* infert; cum totum onus alendi pauperes in ipsam transferat, neque illi subsidium praestet, cum possit. Neque obstat, *omissionem cujuslibet eleemosynae non esse peccatum mortale, imo nec veniale,* quando *voluntatem* habeas aliis succurrendi, et de facto aliis succurris: *Secus vero, si illa voluntate cares et nemini intendis succurrere.* Quia in priori casu jam aliquo modo levas onus reipublicae, eique subsidium praestas; at in secundo rempublicam gravas, et te inhumanum et durum ostendis, et aliis impietatis exemplum praebes. »

2. *Salmanticenses*[4] generatim quaestionem: « Quando obliget praeceptum elargiendi eleemosynam? » proponentes, in exordio dicunt: « Supponit quaestio proposita, dari praeceptum de eleemosyna elargienda, et merito, cum passim constet ex sacra Pagina. » Citatis deinde aliquibus textibus, speciatim Matth. 25. 41., pergunt: « Ex quibus clarissime constat, dari praeceptum de eleemosyna, cujus transgressio est *ex genere suo peccatum mortale,* poenis aeternis expiandum, ab eis, qui cum illo decedunt. His consonant *SS. Patres,* quos refert *Valentia,*[5] et est expressum in *D. Thoma.* »[6] – Cui omnino adhaerent; et jam in Prooemio praemiserunt: « Doctoris Angelici ordinem, sicut et doctrinam per omnia sequentes. » Idcirco *n. 17.* exposita obligatione, in communibus pauperum necessitatibus ex superfluis eleemosynas erogandi, addunt: « Ita D. Thomas, q. 38. citata, art. 7., et ibi *Cajetanus,* et *Bannez, Ledesma, Tapia* dicens, nostras rationes sibi videri morales demonstrationes, *Palaus, Bonacina, Prado, Sanchez* (in Consiliis), et *alii plurimi* apud ipsum, et *Prado.*

3. *Cajetanus,* a Gonet[7] allegatus, dicit: « Quia violatio legalis debiti

1) De charit. c. 4. q. 2. — 2) Lib. 1. diss. 6. c. 13. n. 6. — 3) De charit. disp. 2. p. 1. n. 2. — 4) Tr. 21. c. 7. p. 1. n. 3. — 5) 2. 2. q. 9. p. 2. — 6) 2. 2. q. 32. art. 5. — 7) T. 3. diss. de consc. prob. art. 3. §. 4. n. 14.

in divitiis *justitiam* violat, non liberalitatem; injustitia autem *ex suo genere est peccatum mortale,* utpote contra bonum proximi: ideo dives non dispensans *superflua*, sed cumulans ad emendum sibi dominium, ex sola ascendendi libidine, non solum illicite agit, propter libidinem dominandi et inordinatum amorem pecuniae, sed *mortaliter* peccat contra proximorum indigentiam, occupando *superflua*, quae pauperibus debentur, ex hoc ipso quod superflua sunt. »

4. *Bannez, Petrus de Ledesma, Petrus de Tapia et Martinez de Prado,* omnes ex familia S. Dominici, alioquin doctrinam D. Thomae profitentur, et de mente Angelici hac ratione nullum est dubium. - Etenim *D. Thomas* [1] docet: « Ad tertium dicendum, quod est aliquod tempus dari, in quo *mortaliter* peccat, si eleemosynam dare omittat. Ex parte quidem *recipientis,* cum apparet evidens et urgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subveniat. Ex parte vero *dantis,* cum habet *superflua*, quae secundum *statum* praesentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter aestimari potest. Nec oportet, quod consideret ad omnes casus, qui possunt contingere in futurum. Hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet. [2] Sed debent dijudicari superfluum et necessarium, secundum ea quae probabiliter et ut in pluribus occurrunt. »

5. *Martinez de Prado,* [3] exposita sententia negativa, *n. 3.* dicit: « *Communis* tamen non solum Thomistarum, sed et Theologorum, sententia docet, in *communibus* pauperum necessitatibus teneri divites de *superfluo* naturae et *status* dare eleemosynam. Haec est D. Thomae. » - Caetera loca, in quibus Angelicus de hac quaestione tractat, adducit, et pergit: « Suum magistrum sic interpretantur et sequuntur *Paludanus*, latius *Cajetanus*, *Sylvester,* [4] *Armilla*, *Bannez* cum *Victoria, Soto, Cano,* et *Soto* major; quos etiam refert et sequitur *Petrus de Ledesma,* dicens, ita tenere omnes S. Thomae discipulos. » - Et *n. 4.* addit, quod etiam alii Theologi communiter ita docent, ut *Adrianus*, *Richardus*, *Abulensis*, *Matthias Navarrus*, *Aragon* et *Valentia*, *Corduba*, *Villalobos*, dicens Theologorum communem, *Bonacina* citans *Bellarminum*, *Becanum*, *Reginaldum*, *Lorcam*, *Laymann*, *Filliuccium* et *Turrianum; Suarez*, *Castropalaus*, *Sanchez*, *Trullenchus.* - Demum hanc sententiam n. *5-8.* probat ex S. Scriptura et SS. Patribus; ex ordine charitatis; quia hoc praeceptum negligentes inordinate divitiis utuntur; ac denique, quia contra jus naturae est, superfluorum usum indigentibus non communicare.

6. *Sanchez, S. J.,* [5] sententiam illorum exponit, qui obligationem eleemosynas erogandi, ad gravem proximi necessitatem restringunt, pro qua novem DD. allegat. Et l. c. n. 37. dicit: « *Secunda sententia probabilior docet, teneri in necessitatibus communibus.* » Pro qua sententia *viginti* DD. citat. - Quod autem de obligatione *sub mortali* loquatur, ex eo colligendum est, quia *n. 41.* ad rationem contrariam, quam primae sententiae patroni afferunt, videlicet, quod secus multi divites damnarentur, respondet, non facile divites esse condemnandos, quippe quod difficile sit judicare, quis, cui et quantum teneatur dare.

1) 2. 2. q. 32. art. 5. — 2) Matth. 6. 34. — 3) Cap. 13. q. 6. — 4) V. *Eleemosyna.* — 5) Cons. mor. lib. 1. c. 5. dub. 5. n. 36.

Articulus 2.

Perpenduntur Auctoritates Laymanni et Dianae, a cl. Ballerinio pro sua sententia negativa allegatae.

Cl. Professor, ut vidimus, primam adnotationis partem concludit, dicendo: « *hanc opinionem* » (scilicet, in communibus pauperum necessitatibus esse *gravem* obligationem dandi eleemosynam) « *non commu-* » *nem esse, sed quorundam pauco-* » *rum contra communem.* » — Dein, pag. 220.[1] sic prosequitur : « *Eæin-* » *de idem S. Ligorius* (l. c.) *non* » *rejicit sententiam Laymann, sci-* » *licet, quod confessarius diviti,* » *qui nullam eleemosynam dare ve-* » *lit in communibus necessitatibus,* » non facile absolutionem negare de- » bet, cum de hac obligatione, qualis » sit, Doctores non consentiant. *Et* » *Sanchez, qui alioqui* (Consil. lib. 1. » cap. 5. dub. 5. n. 37.) *pro gravi stat* » *obligatione, demum* (ibid. n. 41.) » *concludit, non facile damnandos,* » *haec ex Metina referens:* Quia est » nimis difficile judicare, quis, cui » et quantum sub mortali teneamur » dare; quia incertum est, per quid » necessaria a superfluis distingui » possint; et quae et quanta neces- » sitas in paupere requiratur; quan- » tum etiam unicuique, ad naturam » et statum sit necessarium; et an » vera sit, an simulata pauperis ne- » cessitas; et an sint alii divites, » qui velint illis succurrere; multa- » que alia incerta sunt, ob quorum » ignorantiam non sunt facile da- » mnandi. *Conf. Diana* (Tom. 4. » tr. 7. res. 8.), *ubi in gratiam con-* » *fessarii, qui in excipiendis con-* » *fessionibus divitum, magnis pre-* » *mebatur angustiis, plura egregie* » *adnotat.* »

Sed audiamus S. Alphonsum. In citato num. 32., exposita duplici sententia, subjungit : « Dicunt autem » probabiliter Viva, Mazzotta, Ron- » caglia, Salmanticenses cum Lorca, » et Tamburini cum aliis, *non esse* » *obligationem omne superfluum hu-* » *jusmodi pauperibus elargiri;* hoc » enim praeceptum non obligat sin- » gulos in solidum, sed *communiter* » *omnes divites,* ex quibus, si sin- » guli aliquid largiantur, satis sub- » venitur his communibus necessita- » tibus. Unde sic scribit Sylvius : » *Tenetur dives dare, nec omnibus* » *pauperibus occurrentibus, nec to-* » *tum superfluum; sed non ita mo-* » *dicum pro quantitate suae sub-* » *stantiae, ut si alii divites sic fa-* » *cerent, pauperibus deesset subsi-* » *dium.* Huic consentit Sanchez cum » Ledesma, dicens, quod habens su- » perflua statui, non tenetur omnia » pauperibus erogare, sed aliquando » et modo morali, ita ut satisfaciat » suae obligationi dives, qui habet » curam pauperum, aliquando illis » subveniendo; unde concludit, il- » lum peccare mortaliter, qui sta- » tuit, nullam dare eleemosynam in » communibus necessitatibus, vel qui » in hoc est notabiliter negligens. » *Idem etiam sentit Laymann, ubi,* » *licet hanc obligationem dicat non* » *esse sub gravi, addit tamen in* » *malo statu versari divitem, qui* » *omnes mendicos a se inhumaniter* » *repelleret. Verum subdit, quod* » *confessarius non facile tali diviti* » *absolutionem negare debet, cum* » *de hac obligatione, qualis sit, Do-* » *ctores non consentiant.* »

Ad assertiones P. Ballerinii sequentia igitur respondemus.

I. *Laymann, S. J.,*[2] dicit, divitem, qui nulla causa rationabili excusante, omnes pauperes inhumaniter repelleret, utpote Dei et proximi charitate exutum, in malo statu versari; et addit : « Quamvis Confessarius absolutionem a peccatis diviti *non facile* negare debeat, quod communes pauperum miserias, per eleemosynam sublevare monitus, re-

1) In altera edit. pag. 169. — 2) Lib. 2. tr. 3. c. 6. n. 5.

cuset: tum, quia de obligatione hac, an et qualis sit, Doctores non consentiunt; tum quia moraliter vix accidit, divitem nullam, saltem in speciem, causam afferre posse cur eleemosynas dare non soleat. »

Hanc sententiam S. A. simpliciter, nec approbando, nec reprobando adfert. Ceterum minime dubitamus, quin S. Doctor convenerit, *non facile* absolutionem esse denegandam divitibus, ea de causa, quod quasi semper rationes excusantes proferant, quas in praxi Confessarius *non facile* ut inanes, aut omni fundamento destitutas, rejicere poterit. Et vix quis reperietur, qui insisteret, se nullas prorsus eleemosynas, nec in praesenti, nec in futurum erogaturum esse. Communiter divites solummodo se excusant, quod in praesenti, propter causas gravissimas, parcas eleemosynas dispensare cogantur. – Aliud autem est, divites *ab omni obligatione* communes eleemosynas erogandi, liberos et solutos declarare, aut, quod in praxi fere idem est, sub veniali tantum obligari dicere: et aliud dicere, absolutionem *non facile* ipsis esse denegandam.

II. Tum lectorem delegat P. Ballerini ad *Antoninum Diana*, quia iste « in gratiam confessarii, qui in » excipiendis confessionibus divitum » magnis premebatur angustiis, plu» ra *egregie* adnotat.»

1. *Egregie* dicit cl. Professor; verum aliter de hisce scrupulorum remediis sentit *Concina*,[1] dicens: « Pater Antoninus Diana, ut divites, quibus Evangelia et Patres omnes pericula gravissima aeternum pereundi minantur, demulceat, et ab ejusmodi periculis terroribusque liberet, nonnulla sese excogitasse gloriatur. Quocirca titulum illum sibi comparavit: *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi:* quin non sibi modo elogium istud acquisivit, sed Confessariis omnibus; quos, ut scrupulis, quibus in divitum confessionibus excipiendis ob eleemosynarum omissionem torquentur, subducat, atque tranquillos hilaresque reddat, quinque illis monita seu documenta porrigit, quae vocat *plausibilia* et laetitiae plena. »[2]

Attamen addit idem *Concina*, n. 3: « Nec est, quod opponas, me Dianae aliorumque Casuistarum personas carpere. Absit, ut tale de me feras judicium. Libros et opiniones ab Ecclesia damnatas, et quae easdem necessario consequuntur, unice carpo et execror; personas vero officio et obsequio colo, easque quoad fieri potest, excuso, *quod ante damnatas theses scripserint*, et quod ea docuerint, quae sibi probabilia videbantur. » – In quo utique Concinae subscribendum est, quatenus attenditur propositio 12. ab Innocentio XI. damnata: « *Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* »

2. Sufficiat, quartum remedium *Dianae* allegare:[3] « Quarto notandum est, quod bona, quae conservantur ad acquirendum majorem statum pro se et suis consanguineis, non dicuntur superflua status: ascensus enim ad superiorem statum, ad

1) Lib. 1. in Dec. diss. 6. c. 11. n. 1.

2) Alius adhuc eximii Doctoris, rigidioribus opinionibus minime addicti, judicium adducere lubet. *Trullenchus*, lib. 1. cap. 5. dub. 8. n. 16. dicit: « Nota tamen, *Dianam* cum aliquibus tenere absolute: divitem non peccare venialiter, non facientem eleemosynam ex superfluis in communibus necessitatibus, et in gravibus necessitatibus non peccare mortaliter. Nec teneri divites cum diminutione et detrimento proprii status subvenire proximo in extrema necessitate constituto. Et in fine concludit, divites non esse facile condemnandos circa praeceptum eleemosynae: proinde facile, inquit, confessarii scrupulos deponere possunt, licet consulere debeant divitibus, ut eleemosynam pauperibus abunde erogent: *non tamen mihi placet haec sententia*, utpote favens maxime divitibus et derogans pauperibus, et claudens viscera misericordiae. » — 3) Pars 2. tr. 16. res. 26.

necessitatem et convenientiam status revocandus est; ita ut ea non censeantur superflua, quae, licet excedant mensuram status praesentis, conducere tamen possunt et reservantur, ut altiorem statum acquirat, et acquisitum conservet. Ita *Vasquez:* et ideo asserit, quod in saecularibus, etiam in Regibus, vix inveniuntur superflua status. »

Et *Tract. 15. res. 32.* Diana ex professo quaestionem pertractat: « *An in communibus pauperum necessitatibus, sit obligatio faciendi eleemosynas, ex bonis omnino superfluis?* » Et pluribus argumentis, at parum ad rem facientibus, pro sententia negativa adductis, concludit: « Ex his omnibus respondeo ad propositam quaestionem, negative: et licet opinio affirmativa esset vera, tamen in praxi nunquam, aut rarius eveniet. Nam, ut ait *Vasquez,* [1] laici possunt de bonis patrimonialibus servare, ad statum suum vel consanguineorum mutandum; et tunc illud non dicitur superfluum. Unde vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Haec *Vasquez*, quae quidem confessariis divitum, multum plausibilia erunt. »

3. Gonet, Filguera, Montaltius, et alii contenderunt, *Vasquezium* id ipsum docuisse, quod Innocentius XI. damnavit in prop. 12. quae sonat: « *Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui; et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* » - *Viva, S. J.,* [2] clarissimum Doctorem ab hac nota vindicat; attamen subjungens: « Haec dicta sint, ad vindicandum tantum virum a personae calumnia. » Nullatenus autem concedit, praedictam propositionem Vasquezii, sicuti jacet, sustineri posse.

Dicit namque *Viva,* n. 4. de secunda damnatae propositionis parte: « Altera pars, quod *vix aliquis teneatur ad eleemosynam, quando tenetur ex superfluis statui,* intelligendo de statu *praesenti*, prout communiter usurpatur, est pariter manifeste falsa. Cum enim plurimi abundent divitiis, atque adeo habeant statui praesenti superflua; plurimi sunt, qui ad eleemosynam tenentur, quando tenentur de superfluis statui praesenti, videlicet in gravi proximi necessitate, ut docent communiter, et non raro in necessitatibus *communibus* proximi, *ut docent communius* apud Diana. [3] Et utrumque ostenditur, tum ex praecepto proximum diligendi, cui satisfacere non possumus, si nolumus illi graviter indigenti subvenire, cum levissimo nostro incommodo, videlicet erogando illi superflua statui; aut si nunquam vellemus quidquam de superfluis erogare, in communibus pauperum necessitatibus ostiatim mendicantium; tum ex Scripturis quae passim graviter nobis misericordiae actus praecipiunt; Lucae 11: *Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis;* I. ad Timoth. 6. dicitur: *Divitibus hujus saeculi praecipe, facile tribuere.* Divites profecto dicuntur, qui superflua statui praesenti habent; his autem praecipitur non solum, quod de superfluis aliquid pauperibus tribuant, sed etiam quod *facile* tribuant. Quomodo autem diceretur quis facile tribuere, si nec in gravi proximi necessitate, illi de superfluis subveniret, nec vellet aliquid in *communibus* pauperum necessitatibus erogare? »

Demum, *n. 10.* Viva subjungit: « Censeo etiam, ex proscripta thesi hujusmodi *gravem* obligationem inferri. Cum enim ex ejus proscriptione descendat, nos ad eleemosynam teneri, quando ad illam tenemur tantum ex superfluo statui, atque adeo seclusa extrema, aut gravi proximi necessitate, cum etiam materia hujus obligationis de se sit gravis, dicendum, ex proscripta thesi descen-

1) Opusc. de eleemos. c. 4. dub. 4. n. 14. — 2) In cit. prop. n. 3. — 3) P. 5. tr. 8. res. 17.

dere, quod ad id obligemur sub gravi.»

4. Similiter *Reuter, S. J.*,[1] ait: «Haec assertio merito proscripta est; nam imo certum est, loquendo de superfluo statui praesenti, ut communiter accipitur, pluribus non tantum Ecclesiasticis, sed etiam saecularibus, praesertim Principibus et Regibus, esse superflua ad decenter et suo statui convenienter vivendum. 2°. Est obligatio non solum in gravi et extrema necessitate, sed etiam in *communi, ex praesenti statui superfluis* dandi aliquando eleemosynam; ita ut, si quis animo sic esset constitutus, ut nullam ex iis dare eleemosynam vellet, graviter peccaret. Jam vero, si vix inveniretur in saecularibus, cui statui essent superflua; vix aliquis teneretur ad eleemosynam in necessitate communi pauperum: id quod repugnat communi receptae Theologorum et PP. sententiae, praeceptoque charitatis.»

III. Assertionibus Patris Ballerinii refutatis, ad hujus materiae complementum attingendam esse censemus objectionem, quam aliqui doctrinae *S. Thomae* opponunt.[2] - Negant quippe, *superfluitatem* bonorum esse sufficientem radicem et quasi rationem formalem, unde obligatio eleemosynas erogandi oriatur, quia absurdum inde sequeretur, ut apud Cardenam dicit *Arauxo:* «Nam si sola superfluitas esset sufficiens ratio hujus obligationis, etiam cessante omni necessitate proximi, perseveraret obligatio. Quod autem genus eleemosynae esset, dare non indigenti?»

Sed facilis est responsio. Si quis *laicus* in loco habitat, in cujus circuitu pauperes communi necessitate laborantes non reperiuntur, nec unquam mendicantes apparent, *certissime ad nihil tenetur*, et de superfluis suis pro libitu disponere potest. Nec S. Thomas, nec alius quispiam docet, saeculares in pauperes inquirere et peregre proficisci teneri, ut quos inveniant, quibus superflua sua dispensent. Ceterum casus propositus *raro obtinget*, juxta id quod legimus in Evangelio:[3] «*Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis.*» - In quantum vero praedicti Auctores insuper contendunt, superfluitatem eo solo casu sufficientem rationem esse, quo proximus gravi necessitate laborat, tum doctrinae S. Thomae, tum communi DD. sententiae contradicunt.

Articulus 3.

S. A. circa quantitatem eleemosynae erogandae, nullatenus absurdam regulam proponit.

S. Alphonsus, lib. II. n. 32., ut jam vidimus, quaestionem proponit: «An in communibus pauperum necessitatibus, sit obligatio gravis dandi eleemosynam *ex superfluis statui?*» in quo sensu omnes DD. eam intellexerunt, nec rationabiliter aliter intelligere potuissent. - Exponit primo sententiam negativam et affirmativam, et hanc sequendam esse probat. Deinde subjungit: «Et hic notandum id, quod dicit Navarrus cum Cajetano, sci-licet pertinere *ad decentem statum conservandum*, omnia quae requiruntur, non solum ad filios et famulos et hospites sustentandos, sed etiam ad honestas donationes, convivia et moderatas magnificentias exhibendas: et sic respondetur rationi primae sententiae; additque Navarrus cum eodem Cajetano et Sylvestro, ex D. Thoma, quod necessarium *ad decentiam status* non consistit in individuo, sed habet *latitudinem, et eo majorem quo status est major.*

Dicunt autem probabiliter *Viva, Mazzotta, Roncaglia*, Salmanti-

1) T. 1. Anal. n. 88. — 2) Vid. *Cardenas*, Crisis 2. diss. 8. c. 2., et *Croix*, lib. 2. n. 203., — 3) Joan. 12. 8.

» censes cum Lorca, et *Tamburini* » cum aliis, non esse obligationem » *omne superfluum hujusmodi* pau- » peribus elargiri; hoc enim praece- » ptum non obligat singulos in soli- » dum, sed communiter omnes divi- » tes, ex quibus, si singuli aliquid » largiantur, satis subvenitur his » communibus necessitatibus. »

Dein S. Doctor exponit sententias Sylvii, Sanchezii et Laymanni, jam supra in art. 2. relatas, et sic pergit: « Caeterum, *Viva, Tamburini, Maz- » zotta et Roncaglia cum commu- » niori,* loco citato censent, satis- » facere probabiliter divites ero- » gando in pauperes communes *quin- » quagesimam partem suorum red- » dituum,* sive duos aureos ex cen- » tum, *sed non in eadem propor- » tione, si divitiae multum exce- » dant.* – Ecclesiastici vero tenentur » erogare de redditibus beneficiorum, » quidquid superest eorum susten- » tationi; sufficit tamen Episcopis, » dare pauperibus quartam partem, » aliis vero beneficiatis simplicibus » quintam vel sextam, ut dicunt Viva » et Roncaglia. Modo alia applicent » in alios pios usus. Sed melius, vide » dicenda *lib. 3. n. 491. qu. 1.* »[1]

P. Gury, T. I. cit. n. 228, pag. 220.[2] similiter quaerit: « Quaenam quantitas bonorum sit pauperibus danda? » Et respondet: « .... In necessitate *communi,* quantitas determinata assignari nequit. *Probabilius* tamen sufficere videtur erogare *quinquagesimam partem eorum, quae statui supersunt. Ita communius. S. Lig. n. 32. et in Hom. apost. n. 19.* »

Ad haec autem verba, P. Ballerini sequentia adnotat: « Quidam, » uti *Roncaglia, Mazzotta,* etc. apud » *S. Alphonsum* (Lib. 2. n. 32.) hanc » mensuram sic exprimunt, quasi » pauperibus eroganda sit *pars quin- » quagesima annuorum reddituum;* » quae regula, dum non distinguit » superflua a non superfluis, *plane » sonat quid absurdum...* » – Ergo plane absurdum quid sonat regula a S. Alphonso relata! Sed videamus, an revera haec injuriosa absurditatis nota S. Doctori objici possit.

1. In textu supra citato, S. A. ait: « Dicunt autem probabiliter Viva, » *Mazzotta, Roncaglia,* Salmanti- » censes cum Lorca, et Tamburini » cum aliis, non esse obligationem » *omne superfluum hujusmodi* pau- » peribus elargiri. » Paucis autem propositionibus interpositis, de iisdem Auctoribus modo citatis dicit: « Ceterum Viva, Tamburini, *Maz- » zotta, Roncaglia* cum communiori, » *loco citato* censent, satisfacere pro- » babiliter divites, erogando in pau- » peres communes *quinquagesimam » partem suorum reddituum.* » – Quis ergo lector sano judicio praeditus dubitare posset, verba: « *omne superfluum hujusmodi* » in propositione praecedenti expressa, referenda esse ad propositionem mox subsequentem? Praesertim cum S. Doctor addat: « *loco citato* », et quaestio, de qua hic tractat, ea sit: « An in com- » munibus pauperum necessitatibus » sit obligatio gravis dandi eleemo- » synam *ex superfluis statui.* »

2. Sed et ipse cl. Professor, post assertam absurditatis notam, fatetur: « *Et mens DD. patet perspicue* » ex comparatione laicorum cum cle- » ricis, dum hos obligant ad erogan- » dum totum superfluum ex fructi- » bus beneficialibus, laicos vero ad » aliquam tantum portionem. » – At, si mens DD. perspicue patet, ad quid tempus et operam terit in explicanda re, explicatione non indigente? Et quo jure asserere licet, eamdem regulam, quam perspicue tradunt, ita ut de ejus sensu dubitari nequeat, plane quid absurdum sonare?

3. Advertit adhuc P. Ballerini:

1) Loco citato, S. Doctor ait: « Si adsint pauperes, in *gravi* necessitate temporali vel » spirituali constituti, tunc non potest *Clericus* superflua in alios usus pios expendere. » Et advertit: « Pastores, ut Episcopi et Parochi, teneri insuper inquirere hujusmodi pauperes. »

2) In altera edit. pag. 170.

« *Clarius S. Alphonsus* (Hom. Apost. » tr. 4. n. 19.) *sic habet:* Non tamen » adest obligatio praestandi totum » superfluum, sed sufficit, si detur » quinquagesima pars annuorum pro- » ventuum, *qui supersunt...*, et si » reditus sunt pinguiores..., minus » quinquagesima parte. » – Sed, prout vidimus, jam satis clara sunt quae S. Doctor in Theologia morali dicit; et in altero Opere dicta, ea sola ratione clariora sunt, quia breviora.

Ut autem omnibus satisfiat, opportunum censemus integrum textum cit. Operis: *Homo Apostolicus* adjicere. Scribit itaque S. Doctor, Tr. IV. n. *18.*: « Ut videamus, quando ur- » geat obligatio eleemosynae, opor- » tet 1° distinguere necessitatem ex- » tremam a gravi et communi. *Ex- » trema* est, cum proximus est in » periculo vitae. *Gravis* est, cum im- » minet periculum gravis mali, ut » infamiae, dedecoris, aut a proprio » statu juste acquisito decidendi. » *Communis* denique est illa quam » patiuntur mendici. Oportet 2° dis- » tinguere bona *superflua vitae* a » bonis *superfluis statui*. – *19.* In » *gravi* necessitate proximi, tene- » mur ei subvenire ex bonis *super- » fluis statui;* sed in *extrema* etiam » ex bonis *superfluis vitae;* imo in » extrema possumus succurrere pau- » peri etiam de bonis alienis, cum » nostris caremus. In *communi* au- » tem, dicimus cum S. Thoma, Tour- » nely, Sanchez, etc. (contra alios), » *divites teneri sub gravi* mendicis » eleemosynas dare *de superfluis sta- » tui*, stante praecepto Evangelii: » *Quod superest, date eleemosynam.*[1] » Non tamen adest obligatio prae- » standi totum superfluum, sed suf- » ficit si detur *quinquagesima pars » annuorum proventuum, qui super- » sunt,* seu duo in centena, ut pro- » babiliter dicunt multi DD.; ita *Ron- » caglia, Viva, Tamburini, Maz- » zotta, etc.;* et *si redditus sunt pin- » guiores, admittunt minus quin- » quagesima parte.* Imo Laymann » permittit diviti, quod pauperibus » hujusmodi elargiendum esset, pos- » se totum in aliquem pium usum » impendi. Hoc tamen non potest » intelligi de *beneficiatis;* isti enim » tenentur *totum superfluum* pau- » peribus, aut piis locis distribuere, » ut dicetur Tr. X. n. 7. »

Caeterum jam P. Gury lectorem ad eumdem textum delegavit. Nulla ergo ratio patet, cur cl. Professor praefatam adnotationem supervacuam, ne dicamus injuriosam, adjecerit.

4. *Prudens autem et admodum discreta est haec mensura,* quam S. Doctor noster approbat. *Laicis* enim longe amplior dispositio de superfluis est concedenda, quam Ecclesiasticis, quippe quod *ad altiorem statum* aspirare et futuris indigentiis providere illis liceat. Ut docet *Viva* l. c.: « Censeo etiam ex proscripta thesi hujusmodi *gravem* obligationem (sc. subveniendi pauperibus in communi necessitate ex superfluis) inferri. Cum enim ex ejus proscriptione descendat, nos ad eleemosynam teneri, quando ad illam tenemur tantum ex superfluo statui, atque adeo seclusa extrema aut gravi proximi necessitate, cum etiam materia hujus obligationis de se sit gravis; dicendum, ex proscripta thesi descendere, quod ad id obligemur sub gravi. In hoc tamen *laici* ab ecclesiasticis differunt, quod isti, qui quicquid superest congruae sustentationi, debent in pios usus erogare, videntur crebrius ad id obligandi; secus illi, qui possunt de superfluo statui plurimum servare ad altiorem statum acquirendum. »

5. *Concina*[2] quoad quantitatem dicit: « *Quantitas* eleemosynae quae distribui debet, definienda foret; sed hic aqua haeret. Omnia superflua distribuenda Christus jubet, et Patres clamant. Sed haec superflua, cum nullo certo concludantur orbe,

1) Luc. 11. 41. — 2) Lib. 1. diss. 6. c. 14. n. 6.

*

non subjacent certae et praecisae mensurae. Theologorum aliqui assignant decimam reddituum undique, sive ex industria et labore, sive ex latifundiis obvenientium partem. Alii arctiorem, alii ampliorem praescribunt mensuram. Nulla hac de re definiri certa regula potest. » – Et *S. Thomam de Villanova* citat, qui haec habet: « Da igitur omne quod superest. Sed dices: Si quidem filii non accrescerent, non ego quoque haereditatem et patrimonium meum augerem; sed accedentibus filiis, patrimonium quoque augere necesse est. Bene sit ita: computa haec omnia: da quod superest. Dices: Libenter accepto: si omnia computo, multa desunt. Vere ita est: cupiditati tuae deficiunt multa, et deessent etiam, si totum orbem solus sine socio possideres. Nolo ergo ad ratiocinium te adducere. Fac, sicut filio suo consuluit Tobias, IV. *Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Non improbo, si certam portionem pecuniae, ad arbitrium boni viri, juxta tuos redditus quotannis pauperibus erogandam signaveris. »

SIT ERGO HAEC NOSTRA CONCLUSIO:

1. *Doctrina S. Alphonsi:* existere *gravem* obligationem elargiendi ex *superfluis statui,* pauperibus in *communi* necessitate constitutis, *S. Litteris, SS. Patrum testimoniis, Doctoris Angelici auctoritate ac communi DD. suffragio, nec non gravissimis rationibus intrinsecis innixa, saltem probabilissima est,* si eam *moraliter certam* dicere nolles. – Hinc vix intelligi potest affirmatio cl. Ballerinii, « *paucorum contra communem* » esse sententiam, pro qua Sanchez citat 20 Auctores; quam, juxta Salmanticenses, praeter 9 nominatim adductos, tenent « *et alii plurimi;* quae, testante Gonet et Prado, est *communis Thomistarum,* ac testante Pollenter, *communis Auctorum Soc. Jesu;* quam Suarez et Voit dicunt *absolute communem;* quae demum, testibus Prado et Reuter, *communis est Theologorum et SS. Patrum.*

2. Opposita autem, *negans omnem obligationem,* innumeris illis S. Scripturae textibus, in quibus sine ulla pauperum distinctione, eleemosynae elargiendae non tantum commendantur, sed disertis verbis praecipiuntur, conciliari nequit.

3. Quoad alteram vero sententiam, quae *gravem* obligationem *negat:* ab omni veri similitudine abhorret, *praecepto* toties repetito et inculcato, levem tantummodo obligationem nobis imponi. – Repugnat haec sententia etiam *communi sensui,* qui gravem obligationem pauperibus saltem aliquo modo subveniendi, nequaquam ad gravem necessitatem, alioquin raro occurrentem, restringit, sed divites hac ratione tenaces et inhumanos damnat. Quemadmodum optime advertit *Herincx:* [1] « Tales homines sunt piis exosi, et vulgo tamquam crudeles, inhumani et immisericordes audiunt, malumque exemplum ac scandalum praebent. » – Misericordiam erga pauperes inter illas christiani nominis tesseras numerandam esse, quibus abdicare generatim sine gravi culpa nemini licet, testatur Apostolus, [2] qui inter primaria ethnicorum vitia recenset, quod « *sine affectione* » et « *sine misericordia* » sint. Unde *Leonardus Jansen,* [3] de eleemosyna disserens, hisce verbis concludit: « Nomen hominis christiani non meretur, quem tanta divinae pietatis monita ad continuam, intimam et munificam commiserationem erga pauperes et afflictos non commovent; certo talis mihi videtur infideli deterior. »

4. Tandem quoad *quantitatem*

1) De charit. q. 3. n. 52. — 2) Rom. 1. 31. — 3) T. 1. c. 17.

erogandae eleemosynae *ex superfluis statui* pauperibus in *communi* necessitate constitutis, S. Doctor censet, sufficere, si detur *quinquagesima pars annuorum proventuum, qui supersunt, et si redditus sunt pinguiores, adhuc minus quinquagesima parte.* Quae regula, ab omni rigorismo aliena, omnino discreta et prudentissima dicenda est.

QUAESTIO V.

An famulus, ratione famulatus, possit comitari herum ad lupanar, vel sternere equum.

(S. Alph. Lib. II. n. 64. — P. Ball. Tom. I. n. 251.)

Ad propositam quaestionem, Lib. II. n. 64. sic respondet S. ALPHONSUS: « Affirmat Busembaum hic, cum Navarro, Manuele, etc. apud Sanchez. » At *probabilius* non sufficit ad id » sola ratio famulatus, etiam si sine » famuli ope herus adiret: *saltem* » *requiritur metus gravis damni.* » Ita Sanchez, Viva, Salmanticenses; » qui recte advertunt, id numquam » licere, si herus ex comitatu animosior reddatur. – *An autem liceat* » *famulo deducere concubinam in* » *domum heri?* Dicit Sanchez cum » Navarro et Manuele, quod si inter » dominum et concubinam jam conventum erat, tunc famulus sola ratione famulatus excusatur, quando » dominus etiam sine famulo aeque » peccatum committeret (alias non » excusatur nisi ex metu gravis damni, ut Sanchez). Et idem ait de » famulo deferente concubinam curru vel sella. Sed merito id non » admittunt Cardenas et Milante, et » p. Concina. Idque tanto magis non » admittendum *de famulo vocante* » *concubinam ad domum heri;* contra Azorium. Et idem dico *de aurigis et nautis vehentibus meretricem ad amasium,* qui tantum » excusari possunt ob metum gravis » damni; vide n. 75. »

P. Gury Tom. I. n. 251. pag. 247.[1] quaerit: « *An possit famulus, ratione famulatus, sternere equum domini ad peccandum profecturi, vel eum comitari?* » – et respondet: « Non videtur quidem illicitum, si famulus tantum equum sternat, quia in hoc non videtur magis peccato domini cooperari, quam aperiendo ostium meretrici. Sed ei non permittendum foret comitari herum ad locum ubi peccatum est patrandum, sine ratione gravis damni subeundi, quia propior est cooperatio. *S. Lig. n. 64. et in Retract. n. 10.* »

Ad quem textum, P. BALLERINI duplicem adjicit adnotationem. – Ad verba: « *quam aperiendo ostium meretrici* », adnotat: « Sternere equum » domino perinde habere se ad pec- » catum ejus videtur, ac ipsi domo » egressuro calceamenta aut pileum » porrigere. »

Et ad citationem S. Alphonsi a P. Gury factam, advertit: « *S. Al-* » *phonsus id non absolute, sed so-* » *lum tamquam probabilius affir-* » *mat, inquiens:* Probabilius non » sufficit ad id sola ratio famulatus, » etiam si sine famuli ope herus » adiret; saltem requiritur metus » gravis. [2] Ita Sanchez, Dec. lib. I. » cap. 7. n. 22., Viva in prop. 51. » Innoc. XI. n. 5., Salmant. tract. 21. » cap. 8. n. 72. – *Caeterum nec San-* » *chez, nec Salmanticenses habent* » *reipsa doctrinam, quam eorum* » *nomine hic tradit S. Alphonsus;* » *sed supponunt, heri peccatum,* » *famulo non comitante, fuisse vi-* » *tandum. Ita Sanchez (l. c.):* De-

1) In altera edit. pag. 189. — 2) Rectius ex S. A. legendum: « metus gravis *damni.* »

» ducitur, posse famulos sternere » equum, herum comitari et expecta- » re (quando non custodiae causa, ut » num. seq. dicemus), quamvis no- » rint, ipsum ad fornicandum adire. » Quia ministeria haec ex se sunt » indifferentia, nec exhibentur a fa- » mulis, ut pravae intentioni domini » conniveant, sed urgente necessita- » te obsequendi hero rem indifferen- » tem praecipienti. Sic Angles, Na- » varrus, Manuel... At communem » obsequii rationem famulos non ex- » cusare censeo, quando herus ille » peccatum vitaret, famulo non ster- » nente equum aut non comitante. » Tunc enim amplior causa deside- » raretur, qualis esset non posse com- » mode id obsequium domino dene- » gari et fore molestum ac noxium » famulo ob id dominum deserere. – » *Salmanticenses vero (l. c.):* « Lici- » tum est famulis... dominum ad con- » cubinae domum comitari, quando » etiam famulo non comite, herus » adiret, nec ex eo animosior red- » datur; quia tunc est merus comi- » tatus. At vero si herus famulum » comitem adhiberet, ut securius et » liberius peccaret,... esset omnino » illicitum; quia tunc jam influeret » proxime in peccatum. Vid. San- » chez et Diana...» – *Nec ratio ergo,* » *nec auctoritas A. doctrinae suf-* » *fragatur; nam et Viva, a S. Al-* » *phonso allegatus, fallaci tantum-* » *modo Sanchezii citationi inniti-* » *tur.* »

Sed videamus, an revera et *auctoritas* et *ratio* praesenti huic doctrinae desint. Antequam autem ad casus particulares, hic et in Quaestionibus 6. 7. et 8. propositos descendamus, opportunum censemus definitiones et regulas generales praemittere, quas S. Doctor noster in hac materia tradit.

Articulus 1.

Exponitur S. A. doctrina de cooperatione formali et materiali.

1. Lib. II. n. 59. S. Doctor sequentem *Busembaumii* textum allegat: « Cooperari tantum materialiter, subministrando tantum materiam et facultatem peccandi, vel exhibendo objectum, licet, si sequentes conditiones adsint: I. Si tuum opus vel cooperatio sit secundum se bona, vel saltem indifferens. II. Si bona intentione et rationabili ex causa fiat, et non uti juves alterum peccare. III. Si alterius peccatum impedire nequeas, aut saltem non tenearis propter causam rationabilem. Circa quam notant Sanchez et Laymann, etsi ejus gravitas certa regula definiri nequeat, sed prudentis judicio metienda sit; tanto tamen graviorem requiri: 1. quanto gravius est peccatum, cujus occasio datur; 2. quanto probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum, aut quanto certior est effectus peccati; 3. quanto propinquius tua cooperatio peccatum attingit; 4. quanto minus juris habeas ad tale opus; 5. denique, quanto magis peccatum cum justitia pugnat, idque propter damnum tertii. Laymann.»

2. Ad hunc textum S. Doctor addit: « S. Antoninus, Gabriel, Syl- » vester etc. apud Sanchez videntur » sentire, nullo casu licitum esse » cooperari ad peccatum alterius; at » hoc communiter DD. permittunt, » si *debitae conditiones* adsint. Vide » Tamburini. Et Sanchez censet, Au- » ctores citatos locutos fuisse casu, » quo absit justa causa excusans, vel » quando cooperatio sit intrinsece » mala. Semper autem est *intrinsece* » *mala* illa actio, quae *ex se* deter- » minata est ad peccatum: uti esset, » quaerere domino concubinam, idola » fabricare, et quid simile. Secus si » actio potest fieri *sine peccato;* pu- » ta ministrare mensae, aperire ja- » nuam, etc. Hinc ad licite coope- » randum peccato alterius, vide con- » ditiones requisitas apud Busemb. » ut mox supra. »

3. Sequuntur dein casus particulares, quos *Busembaum* resolvit, et quidem: « *63.* Excusantur a peccato famuli, si *ratione sui famu-*

latus praestent quaedam obsequia, quae sine gravi suo incommodo negare non possint; ut v. gr. vestiant dominum, *sternant equum, comitentur ad lupanar, meretrici deferant munera*, eidem venienti aperiant ostium: quia haec tantum remote se ad peccatum habent, et sine iis peccatum fieret. Unde tamen non sequitur, alteri cuivis licere ea praestare. Bonacina, Azorius, Laymann, Sanchez. »

4. Antequam de ista sententia Busembaumii judicium proferat, S. Alphonsus doctrinam suam *de cooperatione* sic exponit: « Ad distinguendum autem, quando cooperatio sit *materialis* et quando *formalis*, alii dicunt, ut Cardenas et M. Milante, quod cooperatio tunc est materialis, quando ipsa per accidens et remote conducit ad peccatum alterius; tunc autem formalis, quando per se, vel ob aliquam circumstantiam adjunctam, proxime conducit ad executionem peccati, licet per se esset indifferens. – Sed melius cum aliis dicendum, illam esse *formalem*, quae concurrit ad malam voluntatem alterius, et nequit esse sine peccato; *materialem* vero illam, quae concurrit tantum ad malam actionem alterius, praeter intentionem cooperantis. *Haec autem est licita, quando per se actio est bona vel indifferens, et quando adest justa causa et proportionata ad gravitatem peccati alterius, et ad proximitatem concursus qui praestatur ad peccati executionem.* Ratio, quia cum tu praestas actionem indifferentem sine pravâ intentione, si alter illa abuti voluerit ad suum peccatum exequendum, non teneris nisi ex charitate illud impedire; et quia charitas non obligat cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum justa causa, non peccas: tunc enim peccatum illius non provenit *ex cooperatione tua*, sed *ex malitia ipsius* qui tua actione abutitur. Nec valet dicere, quod tua actio, etsi indifferens, conjuncta tamen cum circumstantia pravae intentionis alterius, evadit mala; nam revera actio tua non est per se conjuncta cum mala voluntate illius, sed *ille conjungit suam malam voluntatem cum actione tua;* unde tua actio non erit tunc causa per se influens in peccatum, sed tantum *occasio* qua ille abutitur ad peccandum. »

5. Non tantum *Cardenas* et *Milante*, sed et *permulti alii* cooperationem *formalem* esse dicunt, quando actio cooperantis per se, vel ob aliam circumstantiam adjunctam proxime conducit *ad executionem peccati*. – At vero nulla ratio apparet, cur actio ex hypothesi indifferens in actionem in se malam et nunquam licitam convertatur, quando haec actio proxime ad executionem peccati conducit; secus autem, si remote concurrit. Supposito enim similiter ex hypothesi, quod cooperans nullo modo ipsum peccatum intendat, discrimen inter materialem et formalem cooperationem a momentis mere extrinsecis penderet, quorum distinctio insuper latissime patet. Utique attendendum est, utrum actio cooperantis propius an remotius ad executionem peccati conducat; sed solummodo quando haec actio non omnino illicita est, eum in finem, ut causa gravior leviorve assignetur, qua cooperans a peccato excusetur.

6. Ideo melius alii dixerunt, illam cooperationem omnino illicitam esse, quae in peccatum alterius influit. – Verum in hac regula, uberior explicatio desiderabatur: *quaenam proprie actiones cooperantes in ipsum peccatum influunt*. Hanc explicationem primus dedit S. Doctor noster, qui claram, solidam et inconcussam regulam hac de re statuit. *Formaliter* cooperatur, qui actione sua, sive proxime, sive remote ad executionem conducente, *in pravam voluntatem alterius* influit, ejusque malitiam auget. *Materialiter* cooperatur, qui actione sua, sive proxime,

sive remote ad executionem conducente, pravam dispositionem ad peccatum parati *in statu quo* relinquit; licet nonnunquam, si actio proxime concurrit, gravissima causa requiratur. – Et juxta hanc regulam S. Alphonsus singulos casus particulares constanter solvit.

Hisce praemissis, ad quaestionem modo perpendendam accedamus.

Articulus 2.

Doctrinae S. Alphonsi graves suffragantur Auctoritates.

I. Contendit P. Ballerini, nullam auctoritatem doctrinae S. A. suffragari, et primo quidem, quia « *nec » Sanchez, nec Salmanticenses ha- » bent reipsa doctrinam, quam eo- » rum nomine hic tradit S. Al- » phonsus.* »

1. Attendendum est prae ceteris, propositionem, quam sustinet Busembaum cum aliis, duplici ratione a S. Alphonso rejici: 1° quia dicunt, *nullam aliam causam excusantem, praeter famulatum,* requiri, ut quis licite herum suum ad lupanar comitari, et hunc in finem equum sternere possit, etiamsi herus sine famuli ope adiret; 2° quia nequidem illum comitatum excipiunt, quo herus *animosior* redditur. – Idcirco

2. *Sanchez, S. J.,* loc. cit. non quidem ex integro, attamen ex parte praefatis auctoribus contradicit et S. Alphonso consentit, dicendo: *communem obsequii rationem famulos non excusare,* quando secus herus peccatum vitaret; et tunc ampliorem causam desiderari, qualis esset « *fore molestum ac noxium famulo, ob id dominum deserere.* »

3. Similiter *Salmanticenses* ex parte contradicunt, et S. Alphonso consentiunt, in quantum, si comitatus herum *animosiorem* reddit, non tantum rationem famulatus non admittunt, sed comitatum omnino illicitum declarant, dicendo: « At vero, si herus famulum comitem adhiberet, *ut securius et liberius peccaret et ab invadentibus se defenderet,* esset omnino illicitum: quia jam tunc influeret proxime in peccatum domini. »

4. Sed etiam *Sanchez* comitatum, quo herus *animosior* redditur, non admittit, aut saltem urgentissimam exigit necessitatem. Dicit enim *n. 23:* « Major autem difficultas est, quando custodiae causa famuli herum comitarentur, aut eum peccantem expectarent.... Qua in re, sic distinguendum censeo. Si eum comitentur, ut rivales illius mulieris famuli invadant, cum eis pugnaturi, nulla ratione licet, quod sit intrinsece malum. Si autem, ut a rivalibus aggredientibus herum tueantur, vel ut admoneant herum adveniente aliquo, qui ipsum offendere possit, ut sic incolumis evadat, adhuc rarissime erit licitum, et *urgentissima necessitate* concurrenti. » – Idem dicit de famulo, herum ad duellum comitante; et addit rationem: « Quia sic comitantes, eo ipso animosiorem illum reddunt. »

5. Et *Castropalaus, S. J.,* [1] de hac *urgentissima necessitate* dicit: « Non explicat autem Thomas Sanchez, quae haec sit; existimarem tamen debere esse, *si timeres non obediendo gravem jacturam in bonis fortunae, honoris vel corporis:* levior enim causa non videtur sufficiens. »

II. Dicit insuper cl. Professor: «*Et » Viva, a S. Alphonso allegatus, » fallaci tantummodo Sanchezii ci- » tationi innititur.* »

At Viva non tantum fallaci Sanchezii citationi non innititur; sed potius causam excusantem, quam Sanchez admittit quando herus secus peccatum vitaret, non approbat, et *graviorem* exigit. – In prop. 51. Inn. XI. n. V. dicit: « Ex quibus omnibus facile discerni potest, num solidam an tenuem habeant probabilitatem plu-

1) De char. tr. 6. disp. 6. p. 11. n. 6.

rimae opiniones, quae passim hac in re circumferuntur, praesertim apud Diana et Tamburinum. Exempli gratia, Merolla et Diana a culpa excusant aurigas, qui concubinam deferunt ad peccandum, ne lucrum amittant, aut ne domo a domino expellantur. Quod tamen ex dictis videtur omnino negandum cum Sanchez ;[1] *gravior enim causa requiritur* ad praebendum hujusmodi physicum concursum volenti peccare. Immo censeo, hujusmodi causam famulo ipsi non sufficere, *ad mere materialiter comitandum herum* ad lupanar, *ut docet Navarrus*[2] *contra Sanchez* l. c. n. 12.»

III. Idem autem multi alii graves DD. sentiunt. Et quidem

1. *Bonacina,*[3] qui scribit: « Quaeres, utrum excusari possint famuli comitantes herum euntem ad meretricandum. Respondeo, excusari posse, quando non possunt ab hujusmodi comitatu desistere *absque gravi damno.* » Idemque dicit alibi.[4]

2. Similiter *Trullenchus:*[5] «Quarto excusari potest famulus concomitans herum, dum ad meretrices accedit, si ab hujusmodi comitatu desistere nequit *absque gravi detrimento.* »

3. *Bassaeus:*[6] « Item excusantur famuli comitantes herum, dum ad meretrices accedit, si ab hujusmodi comitatu desistere nequeant *absque gravi detrimento.* »

4. *Reuter, S. J.:*[7] « Non licet aurigae concubinam deferre ad peccandum, ne lucrum amittat, vel ne domo expellatur: *gravior* enim *causa* requiritur ad praebendum physicum concursum volenti peccare. Ita Sanchez[8] contra Dianam et Tamburinum. Imo non videtur Navarro, contra Sanchez, haec causa sufficere famulo, ut comitetur dominum ad lupanar, multo minus ad comitandam concubinam ad domum heri. »

5. *Wigandt*[9] inter plures casus, quos ponit, de famulis meretricum dicit, quod ipsas ad peccandum euntes licite comitari possunt. At subjungit: « Ante dicta omnia *non justificantur per communem rationem famulitii,* nec licent cuivis alteri; sed (praeter 4. conditionem) requiritur, ut alias famulo *grave damnum* immineat, v. g. quod sit expellendus, debita mercede privandus, et inde penuriam passurus, ad mendicandum necessitatus. *Et certum est,* quod tales famuli ac famulae *sub mortali pro possibili teneantur inquirere alios dominos honestiores,* quibus serviendo se sustentent. »

6. *Roncaglia:*[10] « Ex hoc etiam, quod *ad vitandum grave incommodum* licitum sit, praestare actiones indifferentes, sequitur licitum esse famulis, cibos concubinae condire, ministrare mensae, ipsam ornatu decenti ornare, ad ipsam deferre litteras nil turpe continentes, sed tantum signa urbanitatis, et alia hujusmodi praestare indifferentia bono vel malo usui. Cum enim ex se nullum peccatum contineant, non tenetur quis ab eis desistere, si ex hoc grave deberet incommodum subire. – Addendum, posse famulos *ad vitandum grave incommodum* etiam concubinae lectum sternere, facem praeferre, imo et ipsam ad heri domum comitari; quia hae actiones de se sunt indifferentes, et remote conducunt ad peccandum. Dum tamen dixi, licere comitari concubinam, id intelligendum volo, quando etiam famulo

1) Lib. 1. c. 7. n. 25.

2) *Sanchez* dicit: « Dum Navarrus (lib. 5. cons. de poen. cons. 4. n. 4.) ait, famulos mortaliter peccare comitantes herum ad fornicandum euntem, quando, ipsis non comitantibus, herus minime adiret, intelligendus est, quando commode et absque proprio alicujus momenti detrimento possunt id obsequium denegare. » — At vero, cum *Navarrus* absolute loquatur et nullam causam excusantem adjiciat, potius intelligendus est, quod comitatum in hoc casu *omnino illicitum,* aut saltem nonnisi ob *gravissimas* causas licitum censeat.

3) De matrim. q. 4. p. 14. n. 6. — 4) De peccat. q. 4. p. 2. s. unic. n. 26. — 5) Lib. 1. c. 6. dub. 5. n. 19. — 6) V. *Scandalum*, n. 10. s. 1. — 7) T. 1. *Analysis*, n. 94. — 8) Lib. 1. c. 7. n. 25. — 9) Tr. 7. Exam. 7. q. 34. — 10) Tr. 6. c. 6. reg. 2.

non comitante, domum heri adiret; nam si iret, quia famulum comitem haberet, alias non itura, non esset indifferens famulatus, sed influeret proxime in peccatum heri; ipse enim ad eum deferret occasionem peccandi. »

7. *Thomas Ex-Charmes* [1] ait: « Licitum est, *ex gravi et justa causa* rem aut operam ex se licitam aut indifferentem, nec spectatis circumstantiis ad peccatum proxime ordinatam, praebere ea abusuro... Resolves. Excusantur a peccato famuli, qui, ratione famulatus sui, in gratiam domini ad lupanar euntis equum sternunt, vestiunt, etc., *ne domo expellantur:* quia hae actiones per se sunt licitae, nec nisi remote tantum se habent ad peccatum, et gravis urget causa excusans. »

8. *Amort* [2] absolute negat, id licere, et quaestionem ponit: « An filii et famuli possint suis parentibus aut dominis ministrare ad actiones peccaminosas vel dispositivas ad peccatum? » – Distinctionem communem inter proxime et remote dispositivas adfert, nec non et casus particulares, quos Auctores communiter proponunt; ac demum ait: « Verum dicendum, quod *numquam* liceat ministrare ad actiones ex sua *natura morali manifeste* tendentes ad peccatum, sive disponant proxime sive remote ad peccatum. Actiones ex sua *natura morali* tendentes *manifeste* ad peccatum voco, quae, consideratis omnibus circumstantiis notoriis, evidenter non ordinantur ad alium finem, quam ad peccatum. Hinc si evidens sit, accubitum concubinae ad mensam, vel *praeparationem equi* a domino solum ordinari ad peccatum, non licet in hoc ei deservire; quia hoc repugnat honestati religionis, et statui amicorum Dei. »

9. Similiter absolute negat *Leonardus Jansen,* [3] Abbas Ord. Praemonstr., qui haec habet: « Sanchez, Laymann, Tamburini, Sporer, excusant famulam: idem est de famulo: quae ex officio famulatus scienter subservit dominae fornicaturae, eam ornando, vestiendo, ad amasium comitando, cibos coquendo, lectum sternendo, januam aperiendo, etc. Rationem dant; quia haec tantum remote concurrunt ad peccatum. Sed si haec omnia simul sumpta scienter facta remote concurrant, cur non dicetur licite concurrere famulus scalas apportans, januam aperiens, humeros hero ad stuprandam virginem ascendenti submittens? *Quod tamen licere damnatum est;* et *certe non video,* quomodo servus per humeros deducens herum ad fenestram proximius concurrat ad peccatum, quam famula januam aperiens, lectum sternens, ducens pellicem ad amasium, etc. »

10. *Concina* [4] vero dicit: « Si fornicatores extra domum propriam concubinam alant, nullumque in istorum familia sit continuum scandalum, possunt famuli istis inservire in iis omnibus, quae ad rem meretriciam minime pertinent; sed quae communia et indifferentia obsequia dominis ceteris praestari solita spectant. *Nequeunt tamen famuli isti herum ad domum meretricis vehere,* aut meretricem in ejusdem domum ducere; nihil denique conferre in id, *quod proxime influit in concubinatum.* »

11. Quod autem illum comitatum attinet, quo dominus *animosior* redditur, omnes recentiores Auctores conveniunt, hujusmodi comitatum *numquam licere,* illi etiam Auctores, qui indulgentiores sunt in hac materia, ut *Tamburini, Sporer, Felix Potestas* et *Elbel.*

Haec de *auctoritatibus.* Cum autem P. Ballerini contendat, nec *rationem* doctrinae S. Alphonsi suffragari, ulterius inquirendum est, an haec doctrina revera irrationabilis sit.

1) De charit. c. 5. q. 4. art. 3. concl. 3. — 2) Tr. 3. sect. 1. §. 9. n. 18. — 3) Theol mor. universa (edit. 2. Coloniae 1738.), T. 1. c. 20. n. 12. — 4) Lib. 1. diss. 3. c. 12. n. 18.

ARTICULUS 3.

Doctrina S. A. solidissimis nititur rationibus.

I. Cooperatio, qua famulus herum suum ad lupanar comitatur, et in hunc finem equum sternit, materialis quidem est, sed non talis, quae *remotissime* ad peccati executionem conducit. Ex altera parte, inter omnes causas excusantes, *ratio famulatus* levissima sane est, si famulus opem suam *commode* declinare potest, quin grave aliquod detrimentum ipsi timendum sit. – Merito igitur S. Doctor *solam famulatus rationem* non satis proportionatam judicat, etiamsi sine famuli ope herus adiret; et huic judicio respondet omnino *sensus communis*. Quilibet enim, dummodo non ipse vitiis deditus sit, aut conscientiam obtusam habeat, de hujusmodi comitatu inquietus erit, et saltem haesitabit, an non herum suum deserere teneatur. Ita etiam alii communiter judicabunt; et nec solam famulatus rationem sufficientem, nec famulum ultro indigna haec et periculosa ministeria praestantem, omni culpa expertem existimabunt. Si autem alias *grave damnum* timeret, ipse S. A. illum excusat.

II. *P. Ballerini* dicit: « *Sternere* » *equum domino perinde habere se* » *ad peccatum ejus videtur, ac ipsi* » *domo egressuro calceamenta aut* » *pileum porrigere.* » – Sed difficile sibi adstipulantem inveniet. Quis enim serio dicet aut credet, sternere equum, ut dominus ad lupanar se conferat, non *propius* conducere ad peccati executionem, quam pileum egressuro porrigere? Si vero *propius* conducit, *gravior* requiritur causa.

III. *P. Gury* autem dicit: « *Non videtur quidem illicitum, si famulus tantum equum sternat, quia in hoc non videtur magis peccato domini cooperari, quam aperiendo ostium meretrici.* » – Videtur ergo censere, ad licite ostium meretrici aperiendum *sufficere rationem famulatus.*

1. Sed ab hac sententia longissime distant illi Auctores, qui scripserunt post propositionem 51. damnatam ab Innocentio XI.: « *Famulus, qui submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* »

2. Sic *Elbel* [1] absolute, nullam causam excusantem admittens, dicit, *graviter* peccare famulum: « Qui hero suo fornicaturo *januam meretricis aperit*, vel eum in eandem domum comitatur eo fine, ut dominus, custodia vel auxilio famuli stipatus, liberius indulgere possit veneri. »

3. Similiter *Felix Potestas*: [2] « Peccat famulus, si domino accedenti ad fornicandum *januam meretricis aperiat*, aut *quid simile* praestet; quia est actio proxime ordinata ad peccatum, hic et nunc alium usum non habens, nisi malum; debet tamen famulo id certe constare, non sub dubio. »

4. Item *Leonardus Jansen*, ut ex textu supra allato patet.

5. *Cardenas, S. J.*, [3] praedictam propositionem damnatam examinat, et *n. 3.* dicit: « Ad rectam intelligentiam propositionis damnatae, notandae sunt circumstantiae, sub quarum concursu damnatur propositio. Prima circumstantia est illa, quae significatur illo termino *scienter*; nam si famulus, qui januam aperit foeminae ingressurae, solum dubitat an ea ingrediatur ad turpem congressum, non debet praesumere ingressum ejus esse in pravum finem. »

1) Conf. 12. n. 385. — 2) Exam. eccl. T. 1. n. 365. — 3) Crisis 2. diss. 81.

Deinde *n. 4.* dubium inquirit, an licitum sit famulo, actiones in ista propositione damnata commemoratas exercere, si *detrimentum gravissimum,* scilicet mortem aut mutilationem timeat; et concludit *n. 5.*: « Et quidem ego non audeo hoc dubium meo judicio decidere; censeo enim consulendam esse Romanam Cathedram. Et interim, dum consulitur, illud mihi erit dubium practicum, in quo *tutior pars* eligenda est. »

6. *Lacroix, S. J.,* [1] scribit, *limitandam* esse doctrinam *Busembaumii,* licere famulo ratione famulatus aperire meretrici ostium. Quamvis enim haec doctrina non contineat propositionem damnatam, tamen ipsi favet.

7. In genere autem, inter Auctores, qui post propositionem damnatam scripserunt, vix reperietur, qui assereret, licere famulo aperire ostium meretrici sola ratione famulatus. – Si ergo, ut arbitratur *P. Gury,* famulus equum sternens domino ad peccandum profecturo, cooperatur eodem modo, quo ostium meretrici aperiens, certum est, *rationem famulatus* non sufficere, sed *graviorem causam* requiri, ut famulus excusari possit.

IV. Si demum casus propositus de famulo herum ad lupanar comitante, et in hunc finem equum sternente, *practice* consideratur, etiam *accessoria* consideranda sunt.

1. Vix enim fieri potest, ut famulus hujusmodi domino lupanaria frequentanti inserviens, *scandalum* non patiatur, et *gravissimis* saltem *tentationibus* non exponatur; quamvis servitia, quae praestat, materialiter tantum et non proxime ad executionem turpitudinis conducant. Unde etiam hoc respectu, mera famulatus ratio non satis ipsum excusat, nisi *metus gravis detrimenti* accedat.

2. *Concina* [2] tenet fuseque propugnat, *nullo modo licitum esse, famulari meretrici;* et haec sententia nimii rigoris non est arguenda. Etenim, secundum communiter contingentia moraliter impossibile est, quod meretrici inservientes, et continue turpissima exempla et incitamenta prae oculis habentes, diutius *in statu gratiae* perseverent, juxta effatum Spiritus Sancti: [3] « *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: et qui communicaverit superbo, induet superbiam.* »

3. Idem dicit *Concina* de famulis et ancillis concubinarii, qui pellicem alit in propria domo, et n. 18. subjungit: « Contra, licet aliquis concubinam extra domum habeat, sitque in statu peccati; familia tamen ejus honesta esse potest, scandalis vacua, honestamque professionem exercere valet. Quare famuli, in his quae ad familiae ministeria et civilis professionis exercitia spectant, servitium praestare licite possunt. Quamquam tamen haec vera absolute esse existimem, *in praxi* tamen consulendi sunt ejusmodi famuli, ut alium dominum quaerant; immo *cogendi sunt,* si ex circumstantiis colligitur, eos dominorum moribus inquinari. Oppido difficile est, ut boni sint famuli, si heri scelesti fuerint: id nihilominus quandoque accidit. Ideo *circumstantiae* spectandae sunt; sed *communiter loquendo,* noli commorari in medio malorum, immo illorum contubernium pro viribus fuge. »

SIT ERGO CONCLUSIO NOSTRA:

1. S. Alphonsus, quaestionem perpendens: An famulus possit comitari herum ad lupanar, vel hunc in finem sternere equum, – docet, probabilius ad hoc non sufficere solam *famulatus* rationem; sed insuper requirit *metum gravis damni.*

2. Haec porro doctrina, quidquid opponat cl. Ballerinius, non solum *gravibus* innititur *Auctoritatibus,* verum et *solidissimis rationibus* sustentatur; ac proinde recta et sapientissima est, atque *in praxi* omnino tenenda.

1) Lib. 2. n. 254. — 2) L. c. n. 17. — 3) Eccli. 13. 1.

QUAESTIO VI.

An liceat famulo deferre munera meretrici, ratione famulatus.

(S. Alph. Lib. II. n. 65. — P. Ball. Tom. I. n. 251. q. 4.)

S. Alphonsus, Lib. II. n. 65., respondet: « Affirmant, loquendo tantum de *esculentis et aliis munusculis*, Busembaum et Sanchez, Sporer, et Palaus cum Navarro et Azorio. – Sed *verius P. Concina putat, hoc esse intrinsece malum, quia revera munera per se turpem amorem fovent.* »

Tom. I. n. 251. pag. 248.[1] *P. Gury* quaerit: « An liceat famulo *dona* meretrici deferre? » et respondet: « *Neg.* saltem sine causa valde gravi, quia est cooperatio proxima, cum haec munera apta sint ad libidinem fovendam. *Ita communiter.* – Imo hoc intrinsece malum reputat *S. Lig. n. 65.*, quia per se turpem amorem fovent. Sed probabilius contradicit *Viva* cum *aliis.* »

Ad quem textum, P. Ballerini adnotat: « *Sporer contra excusat hos famulos (de V. Praecepto, cap. 1. n. 99.), quia (inquit)* ex una parte illi ex officio et conditione sua tenentur dominis servire et obsequi; ex altera vero parte, cooperatio ad peccatum mere materialis est, et tantum remota. *Neque verum id est, quod A.* (i. e. P. Gury) *innuit, oppositam sententiam communiter doceri. Nam S. Alphonsus pro ea neminem allegat praeter Concinam, cujus ratio ab omnibus rejicitur.* »

Verum in brevi hac adnotatione non pauca corrigenda sunt.

I. Nec Auctores a S. A. citati, nec alii *de donis in genere*, quemadmodum P. Gury, sed de *munusculis et esculentis* loquuntur; et nullum novimus, qui excipiendus esset.

II. Nec isti Auctores rationem allatam a *P. Concina* (qui ceteroquin, ut neminem latet, ipsis posterior fuit), nec alii eam rejiciunt; quin potius plures expressis verbis concedunt, hujusmodi munusculis *turpem amorem foveri;* sed solummodo contendunt, quod ejusmodi munuscula deferre non proxime, sed *remote* tantum ad peccatum se habeat. – Sic

1. *Sanchez, S. J.:*[2] « Nono deducitur, licere famulis, jussu heri, portare aliqua *munuscula* aut *esculenta* ad concubinam, cum haec sint indifferentia; et licet causa desideretur propter intentionem heri eis *ad turpem amorem fovendum* abutentis: cum tamen non proxime, sed *remote* se ad peccatum habeant, existimo communem famulatus rationem sufficere ad haec excusanda. »

2. Et *Tamburini, S. J.:*[3] « Quaesitum semel fuit: An si amicus meus velit, ut ego feram *munuscula et similia, turpis scilicet amoris incitamenta,* quae ipse mittit ad suam concubinam, possim ego sine peccato deferre? – Resp. fuit *absolute negativa;* quia ex una parte, haec actio, licet alias indifferens, est conjuncta cum peccato amici ejusque concubinae; et ex alia parte, non adest causa excusans ducta ex famulatu, vel ex alio detrimento, ut supponimus: nec enim, si adest quidam modicus rubor, videtur esse regulariter tanti momenti, ut satis excuset. Fateor tamen, si tibi ma-

1) In altera edit. pag. 189. — 2) In Decal. lib. 1. c. 7. n. 29. — 3) In Decal. lib. 5. c. 1. §. 4. n. 20.

gni sit ejusmodi amicitia, ac vere timeres eam amittere; excusari te posse: quia tunc *notabilis nocumenti* justus metus accedit. »

Videntur ergo supponere Sanchez et Tamburini, muneribus *exigui* momenti turpem amorem vehementius saltem non excitari. – Quod autem *Sanchez* addit, hujusmodi munuscula deferre non proxime, sed *remote* tantum ad peccatum se habere, inde venit, quia nemo, ante S. Alphonsum, veram rectamque *cooperationis formalis* definitionem clare et distincte exhibuerat. [1]

3. *Sporer* non de munusculis deferendis loquitur, sed loco cit. *n.* 99. permultas enumerat cooperationes, quas omnes ratione famulatus excusat, in fine addens: *et ita similibus sexcentis;* ac demum dicit: « Ratio omnium est; quia ex una parte, illi ex officio, et conditione sua tenentur dominis servire et obsequi; ex altera vero parte, cooperatio ad peccatum mere materialis est, et tantum remota. » – Sed de hisce duobus momentis praecise quaestio est in casu proposito: an famulus scilicet obedire *teneatur,* et an haec cooperatio *mere materialis* sit.

4. S. Alphonsus solum *Concinam* allegat; potuisset autem et *Eusebium Amort* [2] citare, qui, quamvis speciatim de munusculis ferendis non loquatur, in genere docet, « quod nunquam liceat ministrare ad actiones ex sua natura morali manifeste tendentes ad peccatum, sive disponant proxime sive remote ad peccatum. » – Nec non *Cardenam,* qui [3] inquirit, quaenam sint illae actiones, quae comprehenduntur sub terminis: « *aut quid simile cooperando* » in propositione 51. ab Innocentio XI. damnata; [4] et respondet: « eas esse, quae *adjuvant de facto ad exequendam luxuriam,* quamvis abstractae ab illis circumstantiis, sint indifferentes. »

III. Plures autem DD. saltem meram rationem famulatus non admittunt, sed *graviorem* requirunt.

1. *Rebellus, S. J.,* [5] ait: « Hinc etiam aliqui recentiores asserunt, licitum esse famulo graviter alioquin vapulaturo, vel privando sustentatione ad studium necessaria, vel debita mercede. Si jubeatur deferre *munusculum* vel nuntium concubinae domini sui, ut tali die domum ipsius veniat, cum non teneatur cum tanto detrimento cessare ab opere de se indifferente, quod non ad turpem finem ipsius domini, sed *ad suam redimendam vexationem* ordinat, *quamvis consulendum ei sit, ut potius omnia incommoda et supplicia pro Deo patiatur,* saltem quando ea ratione peccatum impeditum iri sibi persuaderet. »

2. *Viva, S. J.:* [6] « Praeterea nec subscribo sententiae Sanchezii l. c. n. 29. putantis, quod sola ratio famulatus sufficiat, ut licite possit famulus jussu heri deferre concubinae *munuscula aut esculenta;* cum enim *haec munuscula foveant ignem tartareum, major causa videtur requiri* ad reddendas licitas hujusmodi actiones. »

3. *Reuter, S. J.:* [7] « Nec licet famulo, praecise ratione famulatus, jussu domini deferre *munuscula amatoria, vel esculenta* ad concubinam. »

IV. Ceterum non negamus, doctrinam *S. Alphonsi,* munuscula deferre actionem *intrinsece malam* et ideo nunquam licitam esse, *communi DD. sententiae adversari.* – At cl. Professor inde concludat, S. Doctorem numerum auctorum non curare, si pro sua sententia rationem omnino convincentem habet. Simulque sibi persuadeat, falsam ineptamque illam esse suppositionem, quam toties ipse repetit, S. Alphonsum *solis auctoritatibus* commoveri, et ideo, si auctores citati non omnino

1) Cfr. supra, pag. 167. n. 6. — 2) Vid. pag. 170. n. 8. — 3) 2. Crisis, diss. 31. n. 20. — 4) Textum hujus proposit. vid. pag. 171. n. 1. — 5) Lib. 2. q. 14. n. 53. — 6) In prop. 51. Innoc. XI. n. 5. — 7) T. 1. *Analysis,* n. 94.

conveniunt, de sua sententia conclamatum esse.

V. *Ratio* vero, qua hic utitur S. Doctor, *omnino convincens* dicenda est.

1. Fovent enim munera *honestam* dilectionem, v. g. inter conjuges, inter parentes et liberos, inter praepositos et subjectos : quanto magis ergo, spectata humana fragilitate, *turpem* amorem? Nec sola munera majoris momenti fovent et incitant, sed etiam *munuscula,* imo nonnunquam magis quam illa, quia pro momento magis sensibus blandiuntur.-Si quis Theologus de hoc dubio honestos laicos consuleret, admirationem excitaret, quod de re nimis plana dubitet. Si autem tam munera quam munuscula sunt nutrimen et *incitamenta turpis amoris,* ipsa *deferre* actio est, quae in pravam voluntatem peccantis influit, ejusque malitiam auget. Atqui talis actio *intrinsece mala* et *cooperatio formalis est:* ergo munera et munuscula deferre numquam licet.

2. Hac de re egregie disserit *Leonardus Jansen,* [1] dum scribit: « Nec videtur licitum *ferre munera ad malum finem, ex quacumque etiam causa;* quia hoc est sollicitare, et per consequens proxime operari ad peccatum; neque poterit virgo talia munera libere acceptare, quamvis etiam protestaretur, se nolle consentire in peccatum, tamen acceptando munera illud reipsa fovet, datque spem explendi aliquando desiderii. Dixi *libere;* nam si puella, metu mortis v. g. cogeretur acceptare talia dona, sciret offerens, se nunquam habiturum spem cum ea peccandi ; ideoque ipsa non censebitur fovere peccatum. Oppositum est *de portante munera* aut litteras *ad turpem finem;* nam, quamvis portans id faciat ex metu gravissimi mali, tamen ipsa portatio manet *externa sollicitatio,* ideoque *directa cooperatio* ad peccatum, quod est *intrinsece malum.* »

SIT IGITUR HAEC NOSTRA CONCLUSIO:

Doctrina S. Alphonsi, utut communi DD. sententiae contraria, rationi invictae innititur, cujus thesim nemo negare potest, et cujus hypothesis, scilicet etiam munusculis turpem amorem foveri, ab ipsis adversariis conceditur; et ideo *haec doctrina non tantum non reprobanda est, sed potius omnino amplectenda.*

QUAESTIO VII.

An liceat famulo, ob metum gravem, scribere vel deferre litteras amatorias concubinae domini.

(S. Alph. Lib. II. n. 67. — P. Ball. Tom. I. n. 251. q. 5.)

Ante omnia S. ALPHONSI sententiam audiamus. Lib. II. n. 67., ad propositam quaestionem sic respondet: « Quicquid alii dicant, puto cum » Salmanticensibus, Sanchezio, Viva, » Laymann, Bonacina, Tamburino, » etc. cum Croix, haec *nunquam li-* » *cere, quia formaliter concurrunt* » *ad peccatum heri, fovendo turpem* » *ejus amorem.* Et hoc censeo dicen- » dum, cum Sanchezio et Salmanti- » censibus (contra Palaum et Rebel- » lum, apud Tamburini), etiam in » dubio, an litterae contineant ama- » toria; quia, *cum constet de turpi* » *amore, moraliter creditur turpia* » *continere.* Si vero contineant sola » signa urbanitatis, etiam requiritur

(1) Theol. mor. universa, T. 1. c. 20. n. 6.

» ad excusandum famulum causa ju-
» sta, ultra obsequium famulatus, ut
» dicunt Salmanticenses, Sanchez et
» Tamburini. »

P. Gury, T. I. n. 251. pag. 248. [1] eamdem ponit quaestionem: « An liceat famulo litteras amatorias concubinae domini sui deferre? » – et respondet: « Negative, nisi adsit ratio valde gravis. Imo, juxta S. *Lig.* n. 67., nunquam licet, etiam posita gravissima causa, quia hoc, ait, intrinsece malum est. »

Ad haec autem verba, P. Ballerini sequentem apponit notam: « *Quod subinde alias, etiam nunc*
» *S. Alphonso contigit, ut falla-*
» *cibus abduceretur allegationibus,*
» *quas apud Salmanticenses et Do-*
» *minicum Viva reperit. Neque enim*
» *vel unus e doctoribus, quos Sal-*
» *manticenses et Viva promunt, re-*
» *ipsa doctrinam iis limitibus cir-*
» *cumscriptam tradunt. Sic v. gr.,*
» *Sanchez, quem hi omnes allegant,*
» *post multa concludit* (Dec. lib. I.
» cap. 7. n. 26.): « Quare tunc hi
» famuli censentur et vere sunt le-
» nones, quando pravam heri inten-
» tionem juvantes, haec ministeria
» exhibent, ut communiter evenit;
» secus, quando bona intentione, ac
» proprii damni notabilis vitandi ne-
» cessitate coacti. »

I. Habemus ergo iterum S. Alphonsum fallacibus allegationibus misere abductum; sed dices potius: misere traductum a P. Ballerini, qui fallacibus assertionibus lectorem in errorem abducit. Omnes namque DD. quos S. A. pro hac sententia citat, nimirum *Sanchez,* etiam a Salmanticensibus et Dominico Viva allegatus, *Bonacina* et *Laymann* a Salmanticensibus allegati, *Tamburini* et *Lacroix,* idipsum ad amussim docent quod eisdem tribuitur. – Et re quidem vera,

1. *Sanchez, S. J.,* loco cit. dicit: « *Si* (litterae) *contineant verba aut signa turpia aut amatoria,* credo cum prima sententia *id nulla ratione licere:* quod hujusmodi verba sint *intrinsece mala,* nisi inter conjugatos aut sponsos de futuro. Quod si famulo *non constet,* quid scripta contineant, *non licebit deferre, quando de turpi amore est certus,* aut personae sunt *valde suspectae:* quia communiter scripta haec continent plurima turpia et amatoria: et ita ex communiter accidentibus potest id praesumere. Secus, quando non est ratio amoris turpis suspicandi, quod personae suspectae non sint. Haec autem omnia, ut iis, qui famuli non sunt, liceant, graviores adhuc causae desiderantur. – Et quae diximus de scripta haec deferentibus, *dicenda quoque sunt de famulis, jussu domini ea scribentibus.* Quia idem cooperandi modus in utroque ministerio invenitur, quare in eisdem casibus est *licitus aut illicitus.* Quare tunc hi famuli censentur, et vere sunt lenones, quando pravam heri intentionem juvantes, haec ministeria exhibent, ut communiter evenit. Secus, quando bona intentione, ac proprii damni notabilis vitandi necessitate coacti. »

Claris ergo et disertis verbis, de quibus ambigi nequit, *Sanchez* pronuntiat, nulla ratione licere famulo litteras deferre, si certus est, quod turpia vel amatoria contineant, aut ex communiter accidentibus id praesumere potest. In fine autem, regulas modo pronuntiatas nequaquam retractat, sed tantum observat, pro veris lenonibus illos famulos esse habendos, qui pravam intentionem heri juvant; secus vero, si bona intentione, propter notabilis damni vitandi necessitatem, praedicta ministeria exhibent: quamvis secundum praemissa, nihilominus hisce ministeriis peccent, non quidem lenocinio, at actione in se mala et nulla ratione licita. Ideo autem Sanchez hanc observationem adjecit, quia

1) In altera edit. pag. 190.

plures Auctores istos famulos indistincte lenones vocant: quod verum non est, nisi pravae heri intentioni assentiant, quamvis id communiter contingat. – Recte igitur Sanchez tum a S. A., tum a Salmanticensibus, Viva et ceteris pro hac sententia allegatur; et P. Ballerini, reticendo verba, quae textum a se citatum immediate praecedunt, Sanchezio sensum ipsi prorsus alienum supposuit.

2. *Bonacina*, [1] postquam casus quosdam tetigit, quibus famuli ministeria indifferentia praestant, sequentia subjungit: « Verum tamen est, famulum non posse deferre litteras, vel scripta, quibus expresse petitur concubina ad copulam; hoc enim est intrinsece malum, conjunctum cum cooperatione ad actum turpem. Addo, famulum, *quando dubitat quid in litteris contineatur*, posse rationabiliter praesumere aliquid turpe contineri, *quando sibi notus est turpis amor* inter herum et amasiam; consequenter *in eo casu non posse deferre litteras.* » – Memorata verba nullo indigent commentario.

3. *Laymann, S. J.*, [2] dicit: « At vero... ut famulus... litteras ad turpia concitantes ab hero ad mulierem deferat, permittendum non videtur: *cum haec vix fieri posse videantur, sine aliqua inductione mulieris ad peccatum*, ideoque speciem quamdam lenocinii contineant; sicut recte docet *Angles* in tractatu de Jejunio quaest. 7. in fine. »

4. *Tamburini, S. J.*, [3] scribit: « Dixi: solius urbanitatis; nam si contineant *turpia et amatoria*, vel directe ad peccatum provocantia, ut item si contineant claram provocationem ad duellum, nulla erit excusatio; nam haec sunt *intrinsece mala:* ex Sanchez, num. 26.; quamvis Castropalaus [4] haec licere ex aliqua urgentissima causa, dubitative doceat. »

5. *Croix, S. J.*, [5] dicit: « Peccat famulus, qui scribit, vel ad alterum defert litteras aut nuntia directe tendentia ad peccatum, v. g. ad fornicationem vel duellum; ita Sanchez, Bonacina, Rebellus. Rationem dant, quia haec nuntia et hae litterae sunt *intrinsece malae;* de veritate hujus rationis dubitat Castropalaus: [6] si enim absit animus et finis malus, videntur indifferentia respectu scribentis vel deferentis; *non licebit tamen scribere vel deferre, quia per se et proxime habent se ad peccatum:* unde audiendus non est Merolla apud Dianam, [7] qui excusat scribentem ex gravi causa. » – Nec objicere potest cl. Professor, quod Lacroix saltem sententiam suam limitet, dicens: « litteras, aut nuntia *directe* tendentia ad peccatum, v. gr. fornicationem... » Omnes namque litterae *amatoriae*, ad concubinam scriptae, nunquam non directe ad peccatum tendunt; ubi enim de concubina sermo est, eo ipso amor honestus excluditur.

6. *Viva, S. J.*, [8] ait: « Similiter excusant nonnulli, apud Dianam, loc. cit. resol. 46., famulum, si deferat concubinae litteras, in quibus ad peccatum provocatur, quando aliter mortem illi dominus minatur. Sed *non videtur excusandus*, ut docent Sanchez loc. cit. num. 26., *Rebellus* et alii; quia hujusmodi actio videtur *intrinsece mala*, non secus ac si internuntius invitaret concubinam ad peccandum cum hero. »

7. *Rebellus, S. J.*, modo allegatus dicit: [9] « Nulla autem ex causa, etiam vitandae mortis, fas erit illam rogare vel petere, ut tali turpitudini cum domino consentiat, cum id sit intrinsece malum; imo nec ad eam deferre epistolam, qua talis turpitudo peti *verisimilius putatur:* in quo sensu intelligendus videtur *Ledesmius*, ubi supra; quando tamen *dubium aequale esset*, an turpitudi-

1) De matrim. q. 4. punct. 14. n. 6. — 2) Lib. 2. tr. 3. c. 13. n. 5. — 3) In dec. lib. 4. c. 1. § 4. n. 18. — 4) T. 1. tr. 6. d. 6. p. 11. n. 7. — 5) Lib. 2. n. 273. — 6) Loco cit. — 7) P. 3. tr. 6. res. 1. — 8) In prop. 51. Innoc. XI. n. 5. — 9) Lib. 2. q. 14. n. 53.

nem contineret vel injustitiam, absque peccato posset famulus obedire, eamque deferre.» – Et ideo S. A., ubi de dubio agit, an litterae amatoria contineant, recte Rebellum allegat pro sententia sibi opposita.

8. *Salmanticenses* Tr. 21. cap. 8., quaestionem proponentes: « *An famulis liceat litteras amatorias scribere vel deferre?* »; primo sententiam *affirmativam* exponunt: « *69.* Ad quam Merolla, [1] et Sà [2] affirmant, id licitum esse; quibus adhaeret, licet cum trepidatione et sub dubio, Palaus, [3] et probabilem reputat Hurtado. [4] Et moventur: quia litteras amatorias deferre et scribere, non est intrinsece malum, sed indifferens, quando non adest pravus finis; ergo aliquando, et consequenter famulis licet eas deferre. Probatur antecedens ex doctrina Thomae Sanchez, [5] quia verba vel scripturae sunt signa conceptus interni: ergo in tantum erunt prava, in quantum significant conceptus internos pravos. Tunc sic: sed talia verba aut litterae non significant pravos conceptus, vel amanuensis vel litteras deferentis, sed domini praecise jubentis ea deferre aut scribere, ut supponimus; ergo prout ab illis vel scribuntur, vel deferuntur, intrinsece mala non sunt; et ita aliquando eas aut describere, aut deferre licebit. Deinde: « Haec turpia, ait Palaus, scribi possunt sicuti scribunt Doctores ad ponderandam malitiam illorum, qui ea ex malo fine proferunt; possunt scribi et dici, non tanquam ex proprio marte, sed alieno; non serio, sed irrisorie; possunt similiter deferri ad concubinam, non ut moveatur ad coitum, sed ut illa comburat et irrideat: » – ergo haec actio scribendi aut deferendi litteras amatorias illicita non est. »

Quibus expositis, Salmanticenses sententiam *negativam* sic probant: « *70.* Sed nihilominus dicendum est, has actiones scribendi aut deferendi litteras amatorias *esse omnino illicitas.* Et ratio est: quia talia verba, dicta per internuntium, sunt ex se provocativa et intrinsece mala: ergo multo magis scripta, cum diu durent provocando: ergo illicitum est eas scribere et deferre. Confirmatur primo: Nam vocare verbis expressis ad fornicandum, intrinsece malum est: ergo etiam intrinsece malum erit vocare, media delatione litterarum. »

Additis deinde aliis rationibus confirmantibus, concludunt: « *71.* Per quae patet ad *rationes contrarias, quae indignae sunt, ut a piis Doctoribus proferantur et scribantur.* Licet enim litterae illae et verba non explicent conceptus scribentis aut deferentis, sunt tamen *instrumenta immediata,* quibus concubina ad inhonestos et illicitos actus inducitur; unde non sunt praecise illicita talia verba aut litterae, quatenus conceptus depravatos domini explicant, sed etiam in quantum ad malum alliciunt, quod faciunt medio famulatu deferentis aut scribentis. – Quare, sicut peccat dominus, suum depravatum animum per ea manifestans; sic et servi, ea aut deferendo, aut scribendo, ut concubina ad malum cum domino cooperandum alliciatur. Nec fingere potest servus praecisionem illam, quam *Palaus* scribit; cum litteras illas aut scribere, aut deferre, dum depravatum domini animum cognoscit, sit intrinsece malum, ut diximus num. antecedenti, et ideo nequit a malitia denudari. Et quid magis a ratione exulat, quam asserere, haec verba aut litteras ad concubinam, non serio, sed irrisorie scribi et mitti, ut ea comburat; et non potius, ut lasciviae igne comburatur, cum ex se valde provocativa sint, proximoque spiritualem ruinam inferant? – Unde nostram resolutionem tenent *Sanchez,* [6] *Petrus de Ledesma,* [7] *Bona-*

1) T. 1. disp. 2. c. 4. concl. 5. n. 287. — 2) Verb. *Peccatum,* n. 9. edit. Compluten. — 3) Tr. 6. disp. 6. punct. 11. n. 7. — 4) 2. 2. disp. 173. sect. 30. *§.* 399. — 5) Lib. 9. de matrim. dub. 46. n. 34. — 6) Lib. 1. c. 7. n. 26. — 7) Tom. 2. tr. 27. c. 9. concl. 6. diffic. 4.

cina,[1] *Laymann,*[2] *Machado,*[3] *Diana*[4] et *Coordinatus*[5] et alii, qui omnes extendunt doctrinam ad casum, in quo dominus minaretur mortem famulo; quia, cum praedictae actiones sint intrinsece malae, nunquam licitae esse possunt. »

9. Abstinemus a pluribus Auctoribus allegandis; nam haec sententia citra omne dubium communis, imo *communissima* est inter Auctores recentiores, qui post propositiones damnatas scripserunt, saltem quando famulus *scienter* litteras amatorias defert. – *Mazzotta, S. J.,*[6] de propositione 51. disserens, ait: « Illud hic *videtur certum, ne metu quidem mortis,* posse quempiam deferre *scienter* nuntia aut scripta turpia, vel illa scribere; similiter, quaerere alteri feminam cum qua peccet, vel ab ipsa hoc petere, eamve inducere ut ejus domum adeat; quod est proprie lenonum; *est enim intrinsece malum.* Sanchez, n. 30. – Dixi: *scienter;* si enim *prudenter* tantum *suspiceris,* quod scripta turpe aliquod contineant, non sufficit quidem ratio famulatus, sed *major causa* requiritur, quamvis minor morte. »

II. Duos tamen adhuc Auctores, *indulgentiores* in hac materia, allegare placet, *Dianam* scilicet et *Sporer,* quorum unus ante, alter post damnatas propositiones scripsit.

1. *Diana*[7] dubium proponit: « Quis minabatur mortem famulo, si non deferret litteras dominae, in quibus ad peccatum provocabatur; quaesivit, an si hoc faceret, peccaret mortaliter? » et respondet: « Hic casus in facti contingentia torsit multorum ingenia; quia consulens multos Theologos interrogavit; et *negative* respondendum videtur, *quia verba sunt intrinsece mala, et deferre tales litteras idem est, ac si deferret internuntium de rebus turpibus;* ergo, etc. Et ita hanc sententiam docent Sanchez[8] et Rebellus,[9] Molfesius[10] et alii. *Et ita ego tunc etiam consului.* »

« Verum aliqui contrariam sententiam putant probabilem; nam videtur dispar ratio de *internuntio* et de *litteris.* Nam famulus, qui internuncium de rebus turpibus defert concubinae heri, directe ac proxime censetur peccato heri cooperari, tanquam instrumentum, quo mediante, herus inducit mulierem illam ad peccandum secum; ideo est omnino intrinsece malum, ac proinde in nullo eventu licitum. At vero deferre tantum litteras ita materialiter, non videtur directa cooperatio ad peccatum, tamquam proximum instrumentum, sed magis remote se habet; et ideo videtur saltem in aliquo casu extremae necessitatis, ut ad evadendam mortem sibi comminatam, licite posse famulos ejusmodi litteras deferre. Et ita hanc sententiam olim docuit Emmanuel Sà.[11] – *Sed tu ne recedas a prima opinione;* et idem tene de famulis *scribentibus* tantum hujusmodi litteras, quamvis non deferentibus; quia *idem cooperandi modus* in utroque ministerio invenitur, licet aliqui hoc etiam negent... *Verum a sententia contraria non est recedendum.* »

Et in *Summa,* doctrinam, quam in suis *Resolutionibus moralibus* tradiderat, brevi sic comprehendit:[12] « Item (sed sub dubitatione) licitum esse inquit *Palaus,* litteras scribere, et deferre ad concubinam, verba turpia continentes, ad evitandum aliquod grave damnum, quia hoc utrumque non est intrinsece malum, si absit a scribente et deferente malus finis: possunt enim talia verba scribi ad ponderandam illorum malitiam, sicut a Doctoribus scribi solent; item

1) De matrim. q. 4. punct. 14. n. 6. — 2) Lib. 1. tr. 3. c. 13. — 3) T. 2. lib. 6. p. 7. tr. 11. n. 6. — 4) P. 5. tr. 7. res. 17. et P. 7. tr. 7. res. 52. — 5) Tom. 7. tr. 5. res. 44. et 45. — 6) In Dec. disp. 2. q. 1. c. 3. *s.* 4. — 7) P. 3. tr. 6. res. 46. — 8) *Summa,* tom. 1. lib. 1. c. 7. n. 26. — 9) P. 1. lib. 1. q. 14. sect. 7. n. 53. — 10) *Summa,* tom. 1. tr. 8. c. 10. n. 60. — 11) Verbo *Peccatum,* n. 9. — 12) Verbo *Peccato cooperari,* n. 5.

non ex proprio marte, sed alieno, non serio, sed irrisorie; et eodem pacto deferri, ad ponderandam malitiam, et ut irrideantur, vel comburantur. - Sed contrarium tenet *Sanchez,* sup. num. 26., existimans talia verba esse *intrinsece mala,* (p. 5. tr. 7. res. 27.). *Et ita omnino tenendum est* (p. 3. tr. 5. res. 36. §. Ex dictis...). »

2. *Sporer,* [1] post allegatam propositionem 51. subjungit: « Et hinc concubinam vel amasiam conducere, aut litteras turpiter amatorias *scienter deferre* (sicut et litteras continentes expressam provocationem ad duellum), nunquam potest esse licitum: cum haec videantur *intrinsece mala,* et species lenocinii, ut habet communis DD. cum Sanchez. Excusat tamen omnis ignorantia: cum famuli vel ancillae non sit inquirere intentiones et consilia dominae vel domini sui. - Quodsi autem famulus *certus sit de turpi amore* domini erga talem feminam, ignoret autem quid in litteris contineatur, adhuc *non licere deferre* docet Sanchez cit. Quia tunc ex communiter contingentibus debet servus praesumere turpia esse et mala. Eam tamen delationem ex aliqua urgenti causa licere, concedunt Rebellus et Castropalaus apud Tamburini. »

SIT IGITUR HAEC NOSTRA CONCLUSIO:

1. Doctrina S. Alphonsi nec solis, nec fallacibus Salmanticensium et Vivae allegationibus innititur; sed ipsa *omnino solida est* ex auctoritate DD. recte ab eo allegatorum.

2. At vero jam sufficit fundamentum intrinsecum, ut S. Doctoris sententia non solum recta et solida, sed *vera, moraliter certa et omnino tenenda* appareat. - Litteris amatoriis turpem amorem foveri, nemo sane negat; cooperationem vero, quae in pravam alterius voluntatem influit, ejusque malitiam auget, intrinsece malam et ideo nunquam licitam esse, nemo negare potest.

QUAESTIO VIII.

An liceat vendere ornatus puellae iisdem abusurae, si illa ab aliis aeque emeret.

(S. Alph. Lib. II. n. 71. — P. Ball. Tom. I. n. 254.)

Hac de re, S. ALPHONSUS, Lib. II. n. 71. scribit: « Eodem modo licitum » esset vendere ornatus puellae abu- » surae, si illa ab aliis aeque eme- » ret, ait Croix cum Navarro, Azo- » rio, Sanchez, Bonacina, Diana; cum » negando tunc venditionem, neque » impediretur peccatum. - Sed hoc » non admittendum, juxta dicta n. 47. » vers. *Secunda,* nisi venditor alio- » quin *notabile* patiatur *incommo-* » *dum.* »

Eamdem quaestionem perpendens, dicit *P. Gury* T. I. n. 254. pag. 250: [2] « Licet vendere ornamenta honesta puellae, quibus forte sit abusura, praesertim si ab aliis aeque emeret; secus tamen, si ipsi venditori constaret de abusu futuro, nisi alioqui *notabile damnum* pateretur. *S. Lig. num. 71.* »

Quocirca adnotat P. BALLERINI: « *Doctrina hisce verbis concepta* » *prorsus singularis est, neque prae-* » *sidium habet ex iis, quae S. Alph.* » *disputat lib. 2. n. 47. (ad quem* » *locum remittit); neque verum est,* » *ipsam tradi a Palao aut Suarez,* » *qui pro ea solent allegari. Com-* » *munis doctrina sic a Croix expo-* » *nitur* (Lib. 2. n. 263.): Non peccat, » qui vendit ornamenta puellae, per

1) In Dec. tr. 5. c. 1. n. 100. — 2) In altera edit. pag. 191.

» illa sollicitaturae alios ad peccatum, quae ornamenta venderentur » ab alio. Ita Sanchez, Navarrus, » Azorius, Bonacina, Diana... Ratio » est, partim quia illa venditio est » quid indifferens, et remote se habens ad peccatum; partim etiam » quia si vendens peccaret, ideo esset, quia non impedit peccatum » proximi; atqui, licet non venderet, » non ideo impediret; alius enim esset qui venderet. Ergo vendendo » non peccat. »

Ut huic animadversioni cl. Professoris satisfaciamus, 1. Probabimus, revera *singularem* esse doctrinam, non quidem S. Alphonsi aut Patris Gury, sed potius Patris *Lacroix;* 2. Quasdam afferemus *Auctoritates,* quibus probatur, solidam et communem esse sententiam a S. Doctore nostro propugnatam; 3. Ostendemus, *Palaum* et *Suarezium* doctrinae S. Alphonsi plene suffragari.

Articulus 1.

Perpenditur sententia P. Croix, cui minime suffragantur Auctoritates ab ipso allatae.

I. Ante omnia integritas citati textus restituenda est. *Lacroix,* post Auctores pro sua sententia allegatos addit: « *contra Castropalaum et alios:* » quae verba P. Ballerini praetermisit.

II. Tantum autem abest, ut *Croix* sententiam *communem* exponat, ut potius rationes, quas adfert, principiis generalibus communiter receptis adversentur. – Certum utique est, nemine negante, venditionem illam esse actionem indifferentem, et ad peccatum remote se habere; sed juxta sententiam *communem,* non minus certum est, ad quamcunque cooperationem materialem, *justam causam excusantem* requiri, etiamsi, negata cooperatione, peccatum non impediretur.

III. Auctores vero, quos *Croix* pro sua sententia allegat, videlicet venditionem simpliciter licere, non solum ipsi non adstipulantur, sed potius *contrarium* docent.

1. *Sanchez, S. J.,*[1] latissime hanc quaestionem pertractat, cumque sententiam *Azorii* adducat, eamque approbet, opus non est ut hunc speciatim allegemus. – Dicit itaque Sanchez, loco cit. *n. 4.:* « Tota autem difficultas est, quando res et ministeria indifferentia sunt bono et malo usui, et ea vendens aut ministrans, novit alterum abusurum, non tamen ea intentione haec praestat, ut alter abutatur. Quidam in universum damnant haec vendentes, aut ministrantes: quod ad alterius peccatum concurrant, ministrando materiam ac peccandi instrumenta. Sic D. Antoninus, Gabriel, Sylvester, ubi communiter Summistae, Medina, Alcozer, et multi alii. »

Alii vero distinguunt, an res ex se ad pravum finem destinata sit, prout v. g. idolum infidelibus vendendum; an ex se indifferens, prout agnus idolo immolandus. *Valentia* demum dicit, totam hanc rem ad causam suppeditandi indifferentia referendam esse.

Hanc sententiam quoad substantiam approbat *Sanchez,* suamque explicans, loco cit. *n. 12.* dicit causam proportionatam esse debere, et urgentiorem desiderari, si abusus contra justitiam est. – Unde demum concludit: « Atque ita bene *Azorius* censet, esse causam justam vendendi indifferentia, quae non ex se proxime attingunt malum usum, et quando ille non est contra justitiam, jacturam, quam quis patitur, si res suas, quas venales habet, minime vendat. – *13.* Ex his deducitur vera resolutio quaestionis propositae. Dicendum enim est, licere quaecunque indifferentia vendere, aut obsequia indifferentia exhibere, quamvis constet alterum abusurum; dummodo desit intentio cooperandi ad malum

1) In Dec. lib. 1. c. 7.

alterius usum, et *adsit causa proportionata excusans,* juxta regulam numero praecedenti traditam: *at illicitum esse, deficiente tali causa...* – *14.* Temperant quidam hanc sententiam, nisi abusus cedat in scandalum passivum alicujus innocentis, et pusilli. Ut, si meretrix emere velit ornatum aptum ad scandalizandum juvenem innocentem; tunc enim venditor, ejus abusus conscius, peccaret, quia is abusus in spirituale tertii damnum est. Ita Bannez, Arragon et Manuel. » – Sed haec limitatio ipsi non placet, quia venditor non tenetur cum detrimento, quod patietur, impedire damnum spirituale proximi, in quod hic voluntarius incidet. Unde etiam in hoc casu causam supra allatam sufficientem censet.

Demum *n. 16.* addit, vendentem *sine causa excusante* peccare *etiamsi alii adsint, qui vendant:* « quia semper est probabile, minori libidine, aut minori intensione, aut facilitate, aut breviori tempore, aut pauciori bus actibus fore, ut alter peccet, me hic et nunc ministrante materiam, quamvis alii essent ministraturi: et saltem mea cooperationis negatio est quoddam monitionis genus, quo proximus, si non a peccato praesenti, potuisset saltem a futuro revocari, ex hujus negationis memoria. Et confirmatur: quia, sicut amor Dei inclinat ad cooperandum bono, etiam quando non deerunt plures cooperatores: ita etiam inclinat ad divinae offensae cooperationem vitandam, etiam quando alii cooperantes non deerunt »; – et solummodo probabile, imo probabilius censet, vendentem in hoc casu non peccare mortaliter.

2. *Bonacina* [1] idem tenet: « Hinc sequitur, vendentem ornamenta, quibus mulier jam parata abutetur, excusari posse *a mortali,* si ipso non vendente, alter venderet, aut si hoc faciat justa de causa. Ita Sanchez l. c. et alii. »

3. *Diana* [2] quaestionem ponit: « An dubius de malo usu ementis, excusetur vendens res indifferentes, *nulla causa justa concurrente?* » Et respondet: « Dupliciter potest contingere hoc dubium. Primo modo, ut sit mere negativum, quia scilicet non potest quis prudenter ac probabiliter suspicari, an alter male, vel bene, praedictis indifferentiis sit usurus. Secundo positive, quia nimirum *merito ac prudenter dubitari potest de abusu alterius.* – Si dubium sit primo modo, certum est, licitum esse haec indifferentia ministrare, absque alia causa concurrente; quia in hoc dubio, nemo praesumitur delictum commissurus. Si vero sit secundo modo, *non poterunt licite ministrari* haec indifferentia, *sed requiritur aliqua causa rationabilis,* licet minor sufficiat, quam ubi abusus est certus. Ita Sanchez, et post illum Merolla. »

4. *Navarrus* nihil habet de casu proposito; solummodo dicit,[3] defendi posse, non peccare opifices, qui *calceos, sandalia* vel *vestes* vendunt meretricibus.

IV. Haec de Auctoribus, quorum suffragium *Croix* pro sententia sua adducit. Sunt autem multi alii, qui eamdem, quam S. Doctor noster, imo et rigidiorem sententiam tenent.

Articulus 2.

Confirmatur doctrina S. A. ex aliorum DD. auctoritate.

1. *Salmanticenses* [4] docent, res, quae indifferenter sunt ad bonum et malum usum, ut chartae lusoriae, aleae, arma offensiva, fucus et ornatus feminarum, licite vendi posse: « At si venditor verosimiliter credat, rebus modo dictis indifferentibus emptorem abusurum, peccaret eas illi vendendo; quia illius peccato cooperaretur, nisi *ex justa et rationabili causa* ad talem venditionem moveatur; ut si *absque damno sui* non posset a venditione recedere, tunc

1) T. 2. disp. 2. q. 4. p. 3. n. 36. — 2) P. 4. tr. 3. res. 60. — 3) Man. c. 19. n. 16. — 4) Tr. 14. c. 2. n. 33.

enim non peccaret eas vendendo; quia emptor potest eis rebus indifferentibus bene uti, et venditor, habens rationabilem causam, utitur jure suo... Sic Rebellus, Sylvester, Tapia, Bonacina. »

2. *Illsung, S. J.,* [1] dicit, excusari « caupones et laniones, vendentes vel apponentes vinum et carnes legem temperantiae et jejunii transgressuris, et hujusmodi res facile ab aliis pretio sibi comparaturis: ne *cum magno suo damno* homines a se avertant; item vendentes et commodantes domum aut vestes publicis meretricibus, quae remote illis ad sua flagitia inserviunt. »

3. Similiter *Holzmann* [2] ait: «Porro justa causa et cohonestans venditionem, si haec sit cooperatio remota tantum, censetur v. gr. diminutio ementium, indeque sequi natum *notabile damnum* in bonis fortunae.»

4. Scribit etiam *Cuniliati*: [3] « Hinc inferunt, quod, quamvis caupo nequeat ob solam imminutionem lucri ministrare vinum certo moraliter se inebriaturis; si tamen prudenter timeat se vulnerari, mutilari, graviter percuti, etc., tunc licite possit: similiter ad eadem mala evitanda, posse ministrare carnes diebus vetitis, aut haereticis, aut perditis catholicis discumbere volentibus, excepto Religionis contemptu. - Et similiter dicunt de vendentibus res, quae bono et malo usui deservire possunt, quando emuntur ab illis, qui certo sunt abusuri, et sic de similibus; quia dicunt ipsi: actiones istae de se non sunt per se respicientes peccatum, nec cum eo de se connexae, imo de se indifferentes; unde, interveniente *adeo gravi damno*, censeor moraliter impotens ad impediendum illud peccatum, quod alioquin non proficiscitur ex actione mea, sed ex abusu quem alius facit actionis meae, *quae etiam, me illam non praestante, ab aliis praestaretur.* »

5. *Tamburini, S. J.,* [4] speciatim casum proponit de quo loquitur Croix: « Causa justa et proportionata censetur, ut quis sua vendat, *jactura quam pateretur,* si res suas, quas venales habet, nequaquam venderet, dummodo venditio non sit contra justitiam. Itaque potest quis vendere... fucos mulieri, quos scit emi, ut ad turpem amorem illis peruncta juvenes alliciat. »

6. *Mazzotta, S. J.,* [5] pariter scribit: « Causa ergo rationabilis esse potest *notabilis jactura,* quam paterentur, si res suas, quas venales habent, nequaquam venderent. Hac ergo causa potest quis vendere.... fucos mulieri, quos scit emi, ut ad turpem amorem alios alliciat... Unam aut alteram rem non magni pretii invenditam tibi superesse, non censetur certe causa sufficiens; nam requiritur *aliquod notabile incommodum,* ut excuseris. »

7. Idem dicit *Felix Potestas* [6] de venditore, qui esculenta vendit non servaturis jejunium. Excusat eum, « si exinde timeat gravem injuriam, aut *diminutionem emptorum*, et *remansionem mercium invenditarum.* » Et subjungit: « Non excusatur autem, si paucae res et parvi pretii invenditae remanerent. » - A fortiori ergo easdem causas excusantes requiret in casu proposito de puella alios sollicitatura, ubi non tantum de personae ad peccatum paratae, sed etiam de aliorum ruina spirituali agitur.

Articulus 3.

Ostenditur Palaum et Suarez doctrinae S. A. plene suffragari.

Dicit cl. Professor: « *Neque verum* » *est, ipsam* (sententiam sc. P. Gury) » *tradi a Palao aut Suarez, qui pro* » *ea solent allegari.* » - Praenotandum, quod P. Gury notabile *damnum*, S. Alphonsus vero tantum notabile *incommodum* requirit. Quam differentiam non facile quis, nisi studio-

1) De char. n. 112. — 2) In Dec. tr. 1. n. 243. — 3) Tr. 4. c. 9. n. 25. — 4) De char. c. 1. §. 4. n. 33. — 5) De char. q. 1. c. 3. §. 4. — 6) *Examen eccles.* T. 1. n. 370.

se inquirat, advertet; et omnes fere lectores praefatum P. Ballerinii assertum etiam ad doctrinam S. Alphonsi extendent. Quamobrem ostendere juvat, utrumque Auctorem cum S. Doctore convenire.

1. *Suarez* [1] scribit: « Dico secundo, res hujusmodi indifferentes vendere vel donare, quando praescitur, alterum male illis usurum, quamvis intrinsece malum non sit, tamen si quis facile *sine magno incommodo* possit non dare alteri homini materiam peccati, scandalum committit, si id faciat. *Conclusio communis est* Sylvestri, S. Antonini, Adriani, sumiturque ex auctoribus citatis. - Ratio vero est, quia unusquisque tenetur ex charitate, vitare peccatum proximi, si facile potest. Unde si tale peccatum est contra alios proximos, major erit obligatio vitandi talem materiam; et respectu illius tertii, poterit esse obligatio, non tantum ex charitate, sed etiam ex justitia, quae obligat non dare alicui instrumentum ad inferendam injuriam alteri, quia hoc est moraliter cooperari injuriis. »

Et l. c. *n. 5.* objectionem affert: « Si alter est in voluntate peccandi, non evitatur peccatum ex eo quod non dem materiam seu instrumentum peccandi; unde ibi non intervenit scandalum, quia ruina fratris jam datur. » Ad quam respondet: « Militare etiam contra charitatem, offerre proximo materiam seu instrumentum quo exequatur malam voluntatem; nam ipsamet executio est quaedam fratris exequentis ruina, eaque malitia amplius durat et augetur. » - Idem dicit S. Alphonsus, *n. 47.* (ad quem locum in praesenti quaestione lectorem remittit), scilicet, *sine justa causa excusante non licere cooperari, nequidem ad externam executionem peccati, etiamsi alter in voluntate peccandi sit.*

Pergit autem Suarez: « Oppones secundo, quia quamvis non dem aut vendam, alius vendet. Respondetur, id nihil referre, sicut peccat servus exequens injustum mandatum domini, quantumlibet sciat alium facturum, si ipse exequi nolit. Ratio est, quia ipsa actio est mala, et non tollitur ab ea deformitas, propterea quod multi sunt parati ad similes actiones. - Argues tertio: ergo peccat ille, qui domum suam locat meretrici, quoniam certus est velle ad malum usum. Item peccabit famulus, qui in die jejunii ministrat cibum domino, cum certus sit violandum esse jejunium. In hujus generis casibus valde laborant auctores, quia videntur sequi evidenter, cum tamen eos admittere videatur durum: breviter dico, ideo dixisse me in conclusione, hoc non esse intrinsece malum. Item addidisse: *si facile potest, et sine magno gravamine.* »

Requirit ergo Suarez *magnum incommodum*, seu *magnum gravamen*, quod ad minus perinde est, ac *notabile incommodum* requirere. Insuper Suarez in genere de vendentibus res indifferentes loquitur, quibus ementes abusuri sunt; S. A. autem speciatim agit de puella, ornatu ad alios sollicitandos abusura.

2. *Palaus, S. J.*, [2] dicit: « Quod si credas, proximum male usurum iis indifferentibus, teneris, *si commode potes*, ea illi non vendere, vel subministrare; quia, cum ex charitate obligeris proximi peccatum impedire, si possis, a fortiori obligaris materiam peccati non subministrare. Sylvester, Suarez alios referens, Sanchez. - Dixi, *si commode possis:* nam si *absque tuo detrimento* non possis ab eorum venditione vel subministratione cessare, non peccas subministrando; quia in tantum peccare potes, in quantum, media illa venditione vel subministratione, peccatum alterius censeris causare, siquidem subministratio ex se mala non est. At, cum tibi talis subministratio *utilis vel necessaria* est, causare non

1) De virt. tr. 3. disp. 10. sect. 4. n. 4. — 2) De charit. disp. 6. p. 8. n. 6.

censeris peccatum alterius; sed potius censeris uti tuo jure et libertate, et peccatum alterius permittere, ut bene docuit Thomas Sanchez, Suarez, Bonacina. » – Ergo etiam Palaus, *detrimentum* seu damnum requirens, convenit cum S. Alphonso qui nonnisi *notabile incommodum* requirit.

Et paulo inferius, [2] Palaus impugnat sententiam Sanchezii, cooperantem in rebus indifferentibus, quando cooperatio remote ad peccatum se habet, probabilius mortaliter non peccare, si alii adsunt, qui venderent vel ministrarent: « Verum mihi probabilius est, *non sufficienter excusari* supradictas actiones a mortali, *ex eo solum* quod proximus *aliis actionibus* usurus esset, si tuae non adessent: quia haec conditionalis non tollit, quominus tu causa sis illius peccati, et sis eodem modo causa, ac si proximus aliis actionibus adjutus peccaturus non esset. Quod sic probo: quia si proximus, v. g. alibi non esset soluturus jejunium, et tu, nulla causa intercedente, coenam subministrares, fere omnes conveniunt te peccaturum, quia aliquo modo concurris peccato alterius. At, quod alibi proximus soluturus sit jejunium, non immutat tuum concursum, qui in subministratione coenae consistit. Ergo eodem modo concurris. »

Unde ipse Lacroix Palaum tamquam sibi adversantem allegat. Mira res ! Allegationes minus rectas, quas habet, P. Ballerini non corrigit, sed sibi accommodat, et dum recte citat, erroris ipsum arguit.

1) Loco cit. p. 9. n. 4.

EX HISCE DOCUMENTIS ALLATIS TRIA PATENT :

1. Doctrina Patris *Gury,* notabile *damnum* requirentis, singularis non est. Sunt enim DD., ut S. Antoninus et communiter Summistae, qui in genere et absolute negant, licere vendere res indifferentes iisdem abusuris. Sunt alii, quos citat Sanchez, qui id saltem negant in casu proposito, si abusus in scandalum innocentis cederet. Sunt denique, quos citavimus, qui magnum damnum seu detrimentum requirunt.

2. Tanto minus doctrina *S. Alphonsi,* notabile *incommodum* requirentis, singularis est. Quinimo S. Doctor mitior est, non tantum illis Auctoribus, qui causam excusantem dicunt, si venditor sine damno a venditione recedere nequeat; sed etiam illis, qui venditorem excusant, si res suas non vendendo, damnum pateretur. Cum enim S. A. notabile incommodum tantum requirat, venditor jam excusatur, si alias difficulter aut nonnisi post longum tempus res suas vendere posset.

3. E contrario, doctrina Patris *Lacroix,* uti sonat, *singularis* est, et communissimae adversatur. Verisimillimum vero est, ipsum aliud dicere non intendisse, nisi quod venditor *mortaliter* non peccet, si alii adsunt qui venderent. Quae intentio satis clare inde apparet, quia Sanchezium et Bonacinam allegat, qui id expresse affirmant, et ex adverso Castropalaum, qui idem aperte negat.

PARS TERTIA

DE PRAECEPTIS DECALOGI

QUAESTIO I.

An in tentatione Dei interpretativa detur parvitas materiae.

(S. Alph. Lib. III. n. 29. 30. — P. Ball. Tom. I. n. 283. ad 8.)

Lib. III. n. 29. S. ALPHONSUS plures refert (infra perpendendos) textus *Busembaumii,* circa tentationem Dei, tum formalem, tum interpretativam. Quibus praemissis, ipse S. Doctor in seq. numero hoc dubium proponit:

« *30.* Sed quaestio est: *An in tentatione Dei interpretativa,* ut supra, *detur parvitas materiae?* - Affirmant *Busembaum cum Cajetano,* et *Valentia,* [1] *Lessius,* [2] *Sayrus* [3] et *Toletus.* [4] Hi dicunt, quod si quis *in re levi* et *sine gravis damni periculo* tentaret Deum, *ex sola curiositate* spectandi aliquod opus supernaturale, hic tantum *venialiter* peccaret. - Sed probabilius Sanchez, Suarez, *Salmanticenses* [5] eum damnant de mortali, nisi excusaretur ratione *ignorantiae* vel *indeliberationis.* Ratio, quia gravis est irreverentia, velle ut Deus ostendat omnipotentiam suam *ad satisfaciendum curiositati ipsius.* - Hinc Salmanticenses [6] dicunt, quod probabilius peccaret graviter, qui in levi morbo, rejectis medicinis, speraret a Deo sanitatem, quamvis non peteret miraculum; quia (ut ajunt) videtur hic, respuendo remedia, reipsa miraculum exoptare, cum velit mutari causas naturales. Sed merito huic doctrinae contradicunt Sanchez cum Leonardo; Bonacina cum Suarez, Anacleto; Elbel, et Sporer cum Laymann, qui in hoc non recognoscunt plus quam venialem culpam. Ratio, quia in hoc non adest gravis deordinatio: cum enim quis nequaquam miraculum petat curiositatis causa, juste excusatur a gravi, et aliquando ego puto etiam ab omni culpa, si speret sine remediis naturaliter, Deo adjuvante, a tali levi morbo liberari, dum saepe in hujusmodi morbis natura ipsa salutem operatur. »

P. Gury, T. I. n. 283. pag. 293.,[7] de eadem quaestione disserens, ait: « Leviter tantum peccat, qui in morbo levi, rejectis remediis, sperat a Deo sanitatem; quia ibi non est gravis deordinatio. Imo ab omni culpa excusatur, si speret se naturaliter, Deo juvante, a tali levi morbo liberatum iri. *S. Liguori n. 30.* »

Ad quem textum, P. BALLERINI sequentem Adnotationem subnectit: « *S. Alphonsus* (h. l.) tribuit *Cajetano, Valentiae, Lessio, Sayro,* et *Busembaum,* quod levem culpam dixerint, si quis in re levi et sine gravis damni periculo tentaret Deum, ex sola curiositate spectandi aliquod opus supernaturale. *Sed*

1) In 2. 2. disp. 6. q. 14. n. 2. — 2) Lib. 2. c. 45. n. 4. — 3) Clavis regia, lib. 6. c. 7. n. 14. — 4) Lib. 4. c. 19. in fin. — 5) Tr. 21. c. 12. n. 2. — 6) Loc. cit. — 7) In altera edit. pag. 223.

» *reipsa isti Auctores nihil habent* » *ejusmodi; et Busembaum apud* » *ipsum S. Alph.* (ibid. n. 29.) *oppo-* » *situm cum Lessio docet. Allegatio-* » *num autem fallacia in hunc S. Al-* » *phonsi locum ex Salmanticensibus* » (Tract. 21. cap. 12. n. 4.), *ut saepe* » *alias, promanavit.* »

Sed cl. Professori de « *fallacia allegationum* » S. Doctorem incusanti respondemus, *fallaces* esse ipsiusmet assertiones. Etenim,

I. Falsum est, S. Alphonsum istas allegationes *ex Salmanticensibus* desumpsisse. Ex textu supra allato evidenter patet, S. Doctorem cujuslibet Auctoris sententiam in propriis fontibus inspexisse, excepto solo Cajetano, quem ex Busembaum allegat. - Quod insuper confirmatur, quia Salmanticenses in *n. 4.* a cl. Professore citato, minime loquuntur de *Cajetano* et *Lessio* a S. A. citatis, et *Bonacinam* allegant, a S. Doctore praetermissum.

II. Insuper sat fallax est ipsa cl. Professoris adnotatio.

1. S. Doctor, ut vidimus, quaestionem proponit: « An in tentatione Dei » interpretativa *detur parvitas ma-* » *teriae?* » Duplicem affert sententiam, aliam affirmantem, negantem aliam; ac de illa loquens, ait: « *Af-* » *firmant Busembaum cum Cajeta-* » *no, et Valentia, Lessius, Sayrus* » *et Toletus.* » - Hos igitur Auctores S. Alphonsus *directe* citat, in quantum isti, suo judicio, affirmant, *dari parvitatem materiae*, contra alios Auctores, qui generatim negant.

2. Deinde, *de omnibus simul sumptis loquens*, S. Doctor, explicationis gratia, addit: « *Hi dicunt, quod si* » *quis in re levi et sine gravis* » *damni periculo tentaret Deum, ex* » *sola curiositate spectandi aliquod* » *opus supernaturale, hic tantum* » *venialiter peccaret.* » - Sed quis unquam rectae mentis affirmabit, falsam esse hujusmodi propositionem generalem, in qua praefati Auctores *quoad substantiam* conveniunt, etiamsi *singulae* ejus partes *unicuique* Auctori adscribi nequeant? Secus, in omni quaestione, vel cujuslibet Auctoris sententia, cum variis distinctionibus et restrictionibus, semper alleganda esset; vel a priori ceu falsae rejiciendae essent omnes hujusmodi propositiones generales, non solum S. Alphonsi, sed cujusvis scriptoris, et vel ipsius cl. Ballerinii.

3. Vera igitur et recta dicenda est praefata propositio, si isti Auctores dicunt, venialiter tantum peccare, qui exoptat aliquod opus supernaturale, vel *in re levi,* vel *sine gravis damni periculo,* vel *ex sola curiositate.*

III. Quibus praemissis, videamus utrum S. Alphonsus *Busembaum, Cajetanum, Valentiam, Lessium, Sayrum* et *Toletum,* pro affirmante sententia adductos, perperam allegaverit.

1. *Busembaum,* cit. Lib. III. *n. 29.* apud ipsum S. Alphonsum, haec habet: « *Tentatio Dei* est dictum vel factum quo quis explorat, num Deus sit potens, sapiens, misericors, aut aliquam perfectionem habeat. S. Thomas, Sanchez, etc. Ea est *duplex,* scilicet vel *formalis,* quando quis *expresse dubitans de aliqua Dei perfectione,* eam experiri cupit; ut si quis petat miraculum, quo patefiat fidem catholicam esse veram: vel det se praecipitem ex turri, ut experiatur an Deus sit misericors, eum eripiendo a laesione. » - Et hanc primam tentationis speciem perpendens subjungit: « Tentatio Dei *formalis* est peccatum *ex genere suo mortale, in quacumque etiam materia.* Ratio est, quia *includit dubitationem de perfectionibus Dei,* quae in gravem Dei contemptum redundat, vel magnam irreverentiam, *curiosius agendo cum Deo, quasi cum ludione. Lessius,*[1] Sanchez, Suarez, et caeteri communiter. »

1) Lib. 2. c. 45. dub. 1.

De altera vero disserens, Busembaum sic pergit: « Vel est (tentatio Dei) *implicita* et *interpretativa*, quando quis, etsi expresse non intendat Deum tentare, id tamen petit vel agit, quod suapte natura eo referri videtur; *ut si quis se committat periculo, a quo vel nullo modo, vel vix possit eripi, nisi miraculose;* vel si media naturalia omittat, sperans a solo Deo effectum, v. gr. in morbo periculoso respuens medicinam, petensque ac sperans a Deo temere sanitatem. Navarrus, Lessius.[1] Item, si sine necessitate et causa, rudis absque praeparatione velit concionari, sperans a Deo sibi suggerendos conceptus. Suarez, Sanchez, Lessius, Laymann. » – Et hujus tentationis culpabilitatem declarans, subdit: « *Interpretativa* tentatio, *cui dubitatio illa* (scilicet de perfectionibus Dei) *deest, plerumque est tantum peccatum veniale* ob imperfectionem actus, ignorantiam, inconsiderationem, vel *parvitatem periculi.* Imo *saepe nullum est peccatum*, quando scilicet justa causa subest, v. gr. Dei instinctus, necessitas, vel pia utilitas. Sayrus, Toletus, *Cajetanus,* S. Thomas. »

Porro S. Alphonsus optimo jure *Busembaumium* pro sententia affirmante allegat. – 1°. S. Doctor namque dubium proponit: « An in tentatione Dei *interpretativa, ut supra* (scilicet prout ab ipso Busembaum modo exposita est), *detur parvitas materiae?* » et probabiliorem censet sententiam *negantem,* nisi quis excusaretur « ratione ignorantiae vel indeliberationis. » – 2°. E contra, *Busembaum affirmat*, istam tentationem « *plerumque esse tantum peccatum veniale,* » tum « ob imperfectionem actus,... vel *parvitatem periculi* »; quia (secus ac in formali) « *dubitatio illa deest* » de perfectionibus Dei. – 3°. Ergo Busembaum venialem tantum culpam agnoscit in eo qui tentaret Deum, non solum « *in re levi, et sine gravis damni periculo* »; sed etiam si ageret « *ex sola curiositate* »: inter exempla namque tentationis interpretativae (quae « plerumque est tantum peccatum veniale ») recensere non dubitat « *si quis se committat periculo, a quo vel nullo modo, vel vix possit eripi, nisi miraculose* »: qui actus profecto haud levem supponit « *curiositatem* spectandi aliquod opus supernaturale. » – 4°. Objicit autem P. Ballerini: « *Busembaum* apud ipsum S. Alph. (ibid. n. 29.) *oppositum cum Lessio docet.* » At vero minus recte objicit. Leguntur quidem apud Busembaum verba: « *curiosius agendo cum Deo, quasi cum ludione. Lessius...* » Haec autem dicit de tentatione Dei, non interpretativa, sed *formali;* ac proinde hujusmodi temerariam curiositatem rectissime de mortali damnat., quia agendi ratio cum Deo « *quasi cum ludione* » procul dubio positivam « includit *dubitationem* de perfectionibus Dei, quae in *gravem Dei contemptum* redundat. » Sed istam dubitationem, et ideo gravem Dei contemptum, inesse tentationi *interpretativae,* Busembaum expressis verbis negat.

2. *Lessius, S. J.,*[2] ait: « *Veniale* erit (tentatio Dei) vel ratione ignorantiae non crassae, aut inconsiderationis, vel *ratione exiguitatis materiae aut periculi.* Vide *Toletum* et *Cajetanum.* » – Recte igitur S. Doctor Lessium allegat, in quantum iste dicit venialiter peccare, qui Deum tentat « *in re levi, et sine gravis damni periculo.* »

3. *Sayrus,*[3] tum a Busembaum, tum a S. Alphonso citatus, dicit: « Nonnunquam solum veniale erit (tentare Deum). *Nam si sit tantum tentatio materialis et interpretativa,* tunc propter actus imperfectionem *solum veniale erit. Communiter...* Potest secundo esse venialis solum propter defectum plenae deliberatio-

1) Ibid. n. 4. — 2) Lib. 2. c. 45. n. 4. — 3) Clavis regia, lib. 4. c. 7. n. 14.

nis. » Et allegat *Cajetanum* et *Valentiam,* pariter a S. Doctore citatos. - Ergo Sayrus simpliciter affirmat, tentationem interpretativam solum esse veniale.

4. *Toletus, S. J.,* [1] scribit, tentationem Dei esse mortale, si « procedit aut ex dubio et ignorantia quam habet homo de divina providentia, aut sapientia, aut perfectione,... *nisi dubium sit leve, et non omnino deliberatum: tunc enim esset veniale...* Aut nascitur *ex curiositate, qua homo vult opera aliqua supernaturalia videre;* et tunc genere suo est peccatum mortale, quia est irreverentia notabilis divinae Majestati illata. *Cum tamen materia levis esset, peccatum faceret veniale.* » - Ergo et Toletus recte citatur, in quantum iste dicit venialiter tantum peccare, qui Deum tentat *in materia levi,* etiamsi ageret « *ex curiositate, qua homo vult opera aliqua supernaturalia videre.* »

5. *Valentia, S. J.,* [2] quaerit: « An tentatio Dei semper sit peccatum mortale, vel aliquando veniale? » Et respondet: « Contingit... esse *veniale* 1°. *Si sit tantum materialis et interpretativa...* Tunc enim, ut recte ait *Cajetanus* hic et in Summa, propter imperfectionem actus communiter tantum esset veniale.... 3°. Hinc potest intelligi, *si quis curiose moliretur ad cognoscendum quidnam Deus in aliquo negotio vellet fieri,* cum, etsi vanus et irreverenter erga Deum se gereret, *proprie tamen non tentaret Deum;* quia id non ageret... explicite neque interpretative ex dubitatione de divina perfectione, sed tantum ex dubitatione de objecto, quod terminat voluntatem Dei...» - Ergo et Valentiam S. Doctor merito allegat.

6. Ad *Cajetanum* tandem quod attinet, non insistimus; tum quia subobscure loquitur, tum quia S. Alphonsus ipsum non directe, sed solum ex Busembaum allegat. Id tantum advertimus, quod etiam a *Lessio, Sayro* et *Valentia* pro eadem sententia affirmante adducitur.

EX DICTIS ITAQUE CONCLUDIMUS:

1. Optimo jure S. Alphonsus Busembaumio cum Cajetano, Valentiae, Lessio, Sayro et Toleto sententiam (suae contrariam) tribuit, *dari parvitatem materiae* in tentatione Dei *interpretativa.*

2. Varias eidem sententiae a praefatis Auctoribus appositas explicationes aut restrictiones, unica propositione generali complectens, S. Doctor rectissime subjungit: « Hi dicunt, quod si quis *in re levi* et *sine gravis damni periculo* tentaret Deum, *ex sola curiositate* spectandi aliquod opus supernaturale, hic *tantum venialiter* peccaret. » - Etenim Sayrus et Valentia cum Cajetano, ac Busembaum, affirmant, tentationem Dei interpretativam, saltem communiter aut plerumque, non esse nisi venialem. Toletus, Busembaum et Lessius cum Cajetano veniale dicunt, si quis Deum tentaret *in materia levi,* vel *sine gravis damni periculo;* item Toletus et Valentia, quibus merito accenseri potest Busembaum, etiamsi quis ageret *ex curiositate.*

3. Excepto solo *Cajetano,* ex Busembaum citato, S. Alphonsus caeteros Auctores, minime ex *Salmanticensibus,* sed directe ex propriis fontibus allegat. - Corruit ergo falsa cl. Ballerinii assertio: « *Allegationum autem fallacia* in hunc S. Alphonsi locum *ex Salmanticensibus, ut saepe alias,* promanavit. »

4. In quantum denique cl. Professor gratiose subdit: « *ut saepe alias* », hic non respondemus; respondebunt autem tot quaestiones infra perpendendae, ex quibus prudens quisque judicabit, cuinam « *allegationum fallacia* » pro merito conveniat.

1) Instr. Sacerd. lib. 4. c. 19. n. 3. — 2) In 2. 2. disp. 6. q. 14. punct. II.

QUAESTIO II.

An committat Sacrilegium, qui violat Votum quodcumque, speciatim votum Castitatis, non tantum solemne, sed etiam simplex sive intra sive extra Religionem emissum.

(S. Alph. Lib. III. n. 47. — P. Ball. Tom. I. n. 286.)

Lib. III. n. 47. S. ALPHONSUS dubium proponit: « Quaeritur, *an violatio voti sit sacrilegium?* » Ad quam quaestionem breviter sic respondet: « Negant Tamburini cum Suarezio, » et Palaus. Dicunt enim, esse pec- » catum perfidiae, seu contra fideli- » tatem Deo debitam, ut Croix cum » Tamburini. *Affirmat vero S. Tho-* » *mas,* [1] *et sequuntur Salmanticen-* » *ses.* [2] - *Qui autem violat votum* » *castitatis, probabilius committit* » *sacrilegium.* »

P. Gury autem, T. I. n. 286. pag. 296. [3] quaerit: « *An sit sacrilegium violatio personae voto simplici castitatis ligatae extra Religionem?* » Et respondet: « Controvertitur. Prima sententia *affirmat;* quia per votum castitatis quodlibet, homo vere Deo consecratur. Propria enim voluntas ad actus proprios Deo consecrandos sufficit, aeque ac ad consecrationem publicam sufficiens est auctoritas. - Billuart, diss. 10. *S. Lig. n. 47. ut probabilius...* »

Ad quem textum, P. BALLERINI sequentem adjicit adnotationem: « *Haec* » *opinio contra se habet communem* » *Theologorum doctrinam,* quae in- » ter solemne votum et simplex sta- » tuit hoc discrimen, quod simplex » sit *mera rei promissio,* solemne » vero *rei traditionem* involvat; » adeo ut illud sponsalibus, hoc vero » matrimonio aequiparetur. Et exin- » de rationem desumunt, cur sim- » plex votum non dirimat subse- » quens matrimonium, sed solum so- » lemne; quia scilicet ex generali » principio, res promissa quidem, » sed nondum tradita, si deinde tra- » datur alteri, in hujus dominium » transit; secus vero, si non pro- » missa solum priori cuipiam fuerit, » sed etiam tradita. - *Quam doctri-* » *nam videre est penes S. Thomam* » (4. Dist. 38. q. 1. art. 3. q. 1. et 2.), » *latiusque versat Suarez* (De Re- » lig. tract. 6. lib. 1. cap. 14. n. 7.), » *et refert Sanchez* (De Matrim. » lib. 7. disp. 25. n. 7. seqq.). Porro » quod traditum nondum sit, dici » non potest Deo sacrum et dicatum; » unde et bona promissa Ecclesiae, » sed nondum tradita, non habentur » tamquam sacra. *Persona igitur vi* » *simplicis voti res Deo sacra et di-* » *cata dici non potest.* [4]

» Et *S. Alphonsus* quidem eam

1) 2. 2. q. 99. art. 3. ad 3. — 2) Tr. 21. c. 12. n. 22. — 3) In altera edit. pag. 225.

4) Hanc priorem Adnotationis partem, cl. Professor in secunda editione penitus immutavit, retenta tamen mira assertione: « *Haec opinio contra se habet communem Theolo-* » *gorum doctrinam.* » Sed non amplius expressam mentionem facit discriminis a se statuti inter votum solemne et simplex, nec *Sanchezii* auctoritatem invocat (licet in uberiori adjecta Adnotatione, eamdem thesim ex auctoritate D. Thomae et Suarii probare conetur). — Cui immutationi occasionem dedit Dissertatio: *Les vœux simples dans les Congrégations modernes,* typis edita in Ephem. cui tit. *Revue des sciences ecclésiastiques,* in qua doctus quidam Anonymus, narrata hujus controversiae historia, erudite probat, post Decretalem Bonifacii VIII. *Quod votum,* et maxime post Constit. Gregorii XIII. *Ascendente Domino,* discrimen inter votum solemne et simplex a cl. Professore statutum amplius sustineri non posse; ac contra ipsum speciatim *Sanchezii, Suarii* et *Pontii* auctoritates adducit. — Praefatam dissertationem videsis in dicta Ephem. (an. 1868. april. et maj.), nec non epistolam

» praetulisse opinionem videtur, *in-* » *nixus doctrinae, quam Salman-* » *ticenses* (Tr. 21. cap. 12. n. 22.) » *tribuunt S. Thomae,* quasi nempe » *cujuslibet voti violatio sit vere et* » *proprie sacrilegium.* – Sed reipsa » sicut *falso* hanc opinionem *Sal-* » *manticenses* (ibid. n. 1.) *adscri-* » *bunt Lessio* (Lib. 2. cap. 45. n. 11.) » qui expresse scribit, *parum pro-* » *prie id sacrilegium dici,* ita *per-* » *peram pro ipsa S. Thomam invo-* » *cant,* et gratis sibi confingunt, » S. Doctorem, dum (2. 2. q. 99. » art. 3. ad 3.) nominat *virginem* » *Deo dicatam,* id de virgine sim- » plici voto obstricta intellexisse. » Idque patet, non solum ex loco » parallelo 2. 2. q. 154. art. 10. » ad 2. et 3. ubi clarius nominat » *personam specialiter consecratam,* » praesertim vero collatione facta » cum 4. Dist. 38. q. 1. art. 3. q. 2. » et 3., et 2. 2. q. 154. art. 1. ad 3.; » sed ex generali doctrina S. Do- » ctoris, qui voti violationem (2. 2. » q. 88. art. 3.) non ad sacrilegium » revocat, sed ad vitium fidelitati » oppositum. Porro (2. 2. q. 97. » Prooem.) peccata, *quae directe per-* » *tinent ad irreverentiam Dei,* cu- » jusmodi est perjurium et infideli- » tas in promissis, a peccatis quae » pertinent *ad irreverentiam sacra-* » *rum rerum,* cujusmodi est sacri- » legium, prorsus distinguit. – *Cor-* » *ruit ergo ratio, auctoritas scilicet* » *S. Thomae, propter quam S. Al-* » *phonsus in eam opinionem incli-* » *navit.* »

Verum quaestiones distinctas cl. Professor hic confundit; unde prae caeteris melius distinguendum est. Quaeritur namque I. An sacrilegium sit fractio *cujuslibet* voti. II. An saltem violatio voti *castitatis* sit sacrilegium. In hac autem secunda quaestione duo includuntur, scilicet utrum id de solo voto *solemniter* professo valeat; an etiam de voto *simplici*, sive a *Religioso*, sive a *laico* emisso.

Itaque 1. Examinabimus, an violatio *cujuslibet* voti sit sacrilegium; 2. Ostendemus, auctoritates *D. Thomae, Suarii* et *Sanchezii* haud suffragari sententiae cl. Professoris, qui contendit, violationem *solius voti solemnis Castitatis* esse sacrilegium; 3. Complurium DD. auctoritate probabimus, etiam sacrilegium esse violationem *simplicis* voti Castitatis, sive a religioso, sive a laico emissi.

Articulus 1.

Quaeritur, an violatio cujuslibet Voti sit Sacrilegium.

P. Ballerini dicit: « Et *S. Alphon-* » *sus* quidem eam praetulisse opi- » nionem videtur, innixus doctri- » nae, quam *Salmanticenses* (Tr. 21. » cap. 12. n. 22.) *tribuunt S. Tho-* » *mae, quasi nempe cujuslibet voti* » *violatio sit vere et proprie sacri-* » *legium. Sed reipsa... Salmanti-* » *censes... perperam pro ipsa S. Tho-* » *mam invocant...* » Ad quod probandum, primo loco citat *2. 2. q. 99. art. 3. ad 3.*

Duo praenotare juvat. S. Alphonsus sententiam affirmativam *Salmanticensium* simpliciter refert, nec approbando, nec reprobando. – *S. Thomam* 2. 2. q. 99. art. 3. ad 3. citat, contra sententiam negativam, quae in genere dicit, *nullius voti* fractionem esse sacrilegium, sed solummodo peccatum contra fidelitatem Deo debitam. – Et recte quidem: nam I. Doctor Angelicus certe adversatur huic generali sententiae negativae; II. Sic ipsum intellexerunt tam Salmanticenses, quam plures alii Doctores; III. Imo aliqui Auctores sententiam affirmativam absolute tenent.

I. S. Thomas, loc. cit., voti *castitatis* fractionem disertis verbis *sacrilegium proprium et formale* vo-

cl. Ballerinii, in qua de facienda immutatione loquitur (cit. an., mense Dec.), et judicium docti Anonymi de eadem immutatione jam facta (an. 1869. mense april.).

cat, et quidem propter irreverentiam rei sacrae, quae ad injuriam Dei pertinet. Etenim

1. *Quaest. 99. in prooemio* dicit: « Deinde considerandum est de vitiis ad irreligiositatem pertinentibus, quibus *rebus sacris irreverentia* exhibetur, et primo de *sacrilegio.* »

2. *Articulo 1.* quaestionem ponit: « *Utrum sacrilegium sit sacrae rei violatio?* » et difficultates oppositas generatim refellens, inquit: « Respondeo dicendum, quod, sicut ex supradictis patet, *sacrum* dicitur aliquid ex eo, quod ad divinum cultum ordinatur. Sicut autem ex eo, quod aliquid ordinatur in finem bonum, sortitur rationem boni; ita etiam ex hoc, quod aliquid deputatur ad *cultum* Dei, efficitur quoddam divinum; et sic ei quaedam *reverentia* debetur, quae refertur in Deum. Et ideo omne illud quod ad *irreverentiam rerum sacrarum* pertinet, ad injuriam Dei pertinet, et habet *sacrilegii* rationem. »

3. Et *art. 3.* quaerit: « *Utrum species sacrilegii distinguantur secundum res sacras?* » et *n. 3.* objectionem adfert: « Praeterea inter res sacras connumerantur etiam personae sacrae. Si ergo una species sacrilegii esset, qua violatur persona sacra, sequeretur, quod omne peccatum quod persona sacra committeret, esset sacrilegium, quia per quodlibet peccatum violatur persona peccantis. Non ergo species sacrilegii accipiuntur secundum res sacras. »

Ad quam objectionem respondet: « Ad tertium dicendum, quod *omne peccatum,* quod sacra persona committit, *materialiter* quidem, et quasi per accidens, est sacrilegium. Unde Hieronymus (Bernard. lib. 2. de considerat. cap. 1.) dicit, quod nugae in ore sacerdotis sacrilegium sunt, vel blasphemia. *Formaliter autem et proprie* illud solum peccatum *sacrae personae sacrilegium est,* quod agitur directe contra ejus sanctitatem, puta *si virgo Deo dicata fornicetur.* Et eadem ratio est in aliis. »

4. Certum igitur est, *S. Thomam adversari* sententiae eorum, qui dicunt, fractionem *cujusvis voti non esse sacrilegium,* sed peccatum contra fidelitatem Deo debitam. – An autem Angelicus, dicendo, « eamdem rationem esse in aliis », sub *aliis* ceteras materias *praeter castitatem* intelligat, an ideo v. g. votum jejunandi frangens sacrilegium committat, quatenus directe agit contra sanctitatem particularem, quam voverat: quaestio est, quam *S. Alphonsus* in suspenso relinquit, quin suam opinionem proferat.

II. In quantum vero de sententia *Salmanticensium* agitur, cl. Professor ipsis exprobrat, quod « *gratis* » *sibi confingunt, S. Doctorem* (Angelicum), *dum (2. 2. q. 99. art. 3.* » *ad 3.) nominat* virginem Deo dicatam, *id de virgine simplici voto* » *obstricta intellexisse.* »

Verum non soli Salmanticenses, sed et *permulti alii DD.,* speciatim ex schola Thomistica, imo *communiter, Doctorem Angelicum* eo sensu interpretantur, quod ipse de virgine, *sive solemni, sive simplici* voto castitatis obstricta, et *generatim de personis votum simplex castitatis* habentibus, loquatur. – Quod ex modo dicendis patebit.

1. Ad *Salmanticenses* quod attinet, potissima ratio, quam (Tr. 21. cap. 12. n. 22.) pro tuenda sententia affirmativa allegant, haec est: « Quia, sicut qui vovet abstinentiam a venereis, dicat se ipsum Deo quoad immunitatem ab his; ita vovens jejunium, aut quodcunque aliud votum personale, dicat se ipsum Deo, quoad illud, et sanctificatur persona quoad promissa per talia vota: et similiter, si votum est reale, sanctificatur res Deo promissa: ergo, si in sententia D. Thomae, violatio voti castitatis, et ex Canonum decisionibus, violatio legati promissi est vere et proprie sacrilegium: quia per haec

vota, personae aut res sunt Deo sanctificatae; cum haec ratio *in omnibus votis* militet, necessario dicendum est, *eorum violationem esse vere et proprie sacrilegium.* »

2. Eamdem sententiam *complures DD.* tenent, et eodem modo *Angelicum* interpretantur. - Et primo quidam *Cajetanus*, cujus argumenta *Suarez* [1] breviter exponit:

« Circa hoc, Cajetanus dicta quaestione 99. duo dicit: Unum est, *fractionem voti esse perfidiam contrariam fidelitati,* quam Deo debemus; quod verissimum quidem est, ut constabit ex materia de voto: neque de hoc puncto hic amplius dicendum est. - Secundum est, *hujusmodi perfidiam sub sacrilegio comprehendi,* ac subinde *omnem fractionem voti esse sacrilegium, tam in votis realibus, quam in personalibus.* Ratio est, quia eo ipso, quod res, actus, vel persona Deo promittuntur, dicata manent *cultui divino;* ergo efficitur *res sacra,* et consequenter subtractio ejus per fractionem voti est *violatio rei sacrae.* - Atque ita infert, qui vovit *jejunare* tali die, et non jejunat, *sacrilegium* committere contra sanctitatem suae personae; quia per votum illud sanctificata fuit talis persona, et dicata Deo quoad talem actum. Sicut mulier, quae *votum simplex castitatis* emisit, *sacrilega* censetur fornicando, ut sumitur *ex D. Thoma* in illa quaestione art. 3.; quia per votum suum, sanctificavit se Deo quoad talem materiam. Et cum eadem proportione loquitur de votis *realibus;* nam qui vovit dare pecuniam, vel vineam Ecclesiae vel pauperibus, et non implet, sed bona illa apud se retinet, sacrilegus est, tanquam inique occupans bona Deo jam sacrata; sicut in Jure dicitur sacrilegium committere, qui rem Ecclesiae legatam retinet. Cap. Sacrilegium, *cum multis aliis* 17. q. 4. »

3. *Valentia, S. J.*, [2] ait: « Ad primam speciem *sacrilegii,* scilicet ratione *personae sacrae,* pertinet *violatio votorum personalium.* Nam, ut recte notat hic Cajetanus, persona, hoc ipso, quod vovet aliquem virtutis actum, ipsa lege voti, atque adeo etiam jure divino, dedicatur et consecratur ad exhibendum cultum Deo *per id, quod est promissum.* Quare non servare votum, est violare personam, ut *sacra* est, id est, agere contra eum cultum, ad quem est voto destinata. »

4. Item *Azorius, S. J.*:[3] « *Quandocunque* quis votum aut jusjurandum violaverit, *sacrilegus* fit eo, quod votum et jusjurandum, quae sunt religionis actus, non solvat et servet. »

5. *Castropalaus, S. J.*, [4] eamdem sententiam *S. Thomae* tribuit et probabilem censet, quamvis illam Suarii, ut probabiliorem, amplectatur: « Quarta actio, quae est fornicatio et similis turpitudo, si a persona ecclesiastica fiat, *judicatur communiter a Doctoribus sacrilegium:* quia personas ecclesiasticas maxime dedecet: ratione enim sui status, a tali macula convenit esse immunes. Quod a fortiori militat in iis personis ecclesiasticis, quae speciali voto obligantur ab iis delectationibus abstinere, quales sunt ordine sacro insignitae, et religiosae. Hae ergo per votum corpus suum et animam Deo offerunt et consecrant, redduntur que in illa parte quasi sacratae: ergo contra faciens sacrilegium committit; quia rem cultui divino destinatam violat: *sic communiter DD. cum D. Thoma;* [5] et ibi Cajetanus, Valentia, [6] Lessius, [7] Azorius, [8] Bonacina. [9] *Qui omnes* [10] *extendunt supra-*

1) Lib. 4. de sacrileg. c. 3. n. 2. — 2) In 2. 2. D. Thomae, disp. 6. q. 15. — 3) Lib. 9. c. 27. — 4) Tr. 17. disp. 2. p. 3. §. 2. n. 2. — 5) Q. 114. art. 1., et q. 99. art. 1. — 6) Disp. 6. q. 15. p. 1. in princ. — 7) Lib. 2. c. 45. dub. 3. n. 11. — 8) 1. P. Instit. moral. lib. 9. c. 27. q. 5. — 9) Disp. 3. de 1. praec. decal. q. 6. p. un. n. 3. — 10) *Bonacina* minus recte citatur; nam de solo voto castitatis loquitur.

dictam doctrinam ad quodlibet votum, cujus violationem sacrilegium esse affirmant: quia eo ipso, quod res per votum Deo dicata sit, jam est jure divino in cultum Dei destinata. Ergo contra faciens sacrum laedit: est ergo sacrilegus. – Ceterum mihi probabilius est, violationem voti non in specie rigorosa sacrilegii, de qua in praesenti; sed in specie perfidiae constitutam esse. Sic tenet Suarez. »

6. *Lessius, S. J.,* [1] dicit: « In votis autem, quibus alios *(praeter castitatem)* virtutum actus, ut paupertatem, obedientiam, orationem, peregrinationem, jejunium vovemus, non tam aperte cernitur haec sanctificatio personae. Nihilominus, quia persona aliquo modo se dedicat cultui divino, obligando se per votum ad cultum Deo tali opere exhibendum, *videtur et ipsa quodammodo sacra fieri;* et ita potest ibi *sacrilegium* aliquo modo locum habere, dum voluntarie contra illam sanctitatem agitur, vel omittitur id, quod ipsa postulabat: quamvis, ut verum fatear, *parum proprie id sacrilegium dicatur.* »

Quo loquendi modo, Lessius satis indicat, quod hanc sententiam non improbabilem aestimet; secus enim simpliciter eam rejecisset. Eo magis, quia alibi [2] fatetur: « *Est tamen etiam in omni violatione voti aliquo modo ratio sacrilegii,* clarius aut obscurius, perfectius vel minus perfecte. » – P. Ballerini autem, dum dicit: « Falso hanc opinionem Salman» ticenses adscribunt *Lessio* (Lib. 2. » cap. 45. n. 11.) qui expresse scri» bit: *parum proprie id sacrilegium* » *dici* », lectores in errorem inducit. Nam cl. Professor sermonem instituit, *non de quocumque voto,* sed de sola sententia: an violatio voti *simplicis castitatis* sit sacrilegium; et ideo quilibet Auctores non revolvens, necessario credit, ista verba Lessii ad eamdem sententiam esse referenda. *Lessius* autem (ut in altera quaestionis parte videbimus), omnino adhaeret sententiae, quae tenet, violationem voti *castitatis* esse *proprie sacrilegium.*

III. Demum plures Auctores absolute dicunt, *cujuslibet voti violationem esse sacrilegium.*

1. Sic *Viva, S. J.:* [3] « Qui ex voto tenetur *jejunare* tempore Quadragesimae, duo peccata committit comedendo carnes, alterum intemperantiae, alterum *sacrilegii.* »

2. Item *Collet:* [4] « Huc (ad sacrilegium) refertur *violatio cujuslibet voti;* quia per votum res Deo dicatur, nec ad alios usus sine impietate destinari potest. »

3. Similiter *Holzmann:* [5] « Quaeres: *An violatio voti,* praeter peccatum infidelitatis, seu perfidiae, etiam involvat malitiam *sacrilegii?* – Respondetur primo *affirmative, loquendo de violatione voti personalis; sive solemnis, sive privati et simplicis; sive intra, sive extra materiam castitatis emissi.* Ita insinuant Matthaeucci, Viva et alii. Ratio est, siquidem, quod vovetur voto personali, sive solemniter sive privatim, sive in – sive extra materiam castitatis, Deo ejusque cultui consecratur, et *sacrum* efficitur: ergo si ut tale violetur, sacrilegium committitur. »

4. *Henno* [6] quaerit: « Petes, *an voti violatio sit sacrilegium?* – R. *Affirmative, in materia contra votum castitatis;* quia per illud votum censetur quis specialiter se ipsum Deo consecrare. *In aliis* autem volunt aliqui, potius esse peccatum contra fidelitatem, quam sacrilegium; quandoquidem nihil sacrum violetur, ut patet in eo, qui omittit jejunium, disciplinam, rosarium, etc., ad quae tenetur ex voto. *Nihilominus etiam dici potest sacrilegium;* cum sit violatio promissionis Deo quasi sacratae. »

1) Loco cit. — 2) Cfr. alteram hujus quaest. partem, pag. 202. n. 1. — 3) In prop. 24. Alexandri VII. n. 12. — 4) De Relig. p. 3. c. 1. — 5) P. 2. tr. 2. n. 336. — 6) In Decal. disp. 1. q. 5. art. 2.

*

5. *Roncaglia:*[1] « Sunt qui putant, violationem voti paupertatis, jejunii, etc., non esse peccatum sacrilegii, sed perfidiae a sacrilegio distinctae, quatenus offenditur Deus, cui non servantur promissa. – *Communior* tamen opinio censet, *quamcunque voti violationem esse peccatum sacrilegii;* cum istud consurgat ex eo, quod violetur aliquod Deo dicatum: ac proinde, cum per quodcunque votum persona dedicetur Deo ad aliquod faciendum, puta ad abstinendum a venereis, a divitiis, a tali cibo, etc., sequitur, *violationem cujuscunque voti sacrilegium continere,* quatenus violando quodcunque votum, fit contra sanctitatem personae seu rei Deo dicatae. *D. Thomas,*[2] *Azorius* et *Bonacina* loc. cit. »

6. *Trullenchus:*[3] « ... Item est sacrilegium violatio voti *paupertatis, aut alterius cujuscumque a castitate distincti;* nam per quodcunque votum persona Deo dicatur, et sacra fieri videtur.»

7. *Mazzotta, S. J.,*[4] concedit, *probabiliter* tantum negari « violationem cujusvis alterius voti (praeter castitatem) esse sacrilegium »; et *Billuart*[5] pariter admittit, non esse improbabilem sententiam Cajetani supra relatam.

IV. Ex his patet, sententiam, quam tenent *Salmanticenses,* nec rationibus intrinsecis, nec auctoritatibus extrinsecis carere. In quem solum finem de hac quaestione egimus, cum *S. Alphonsus* suum judicium non proferat.

Articulus 2.

Ex auctoritate D. Thomae, Suarii et Sanchezii, immerito probare contendit cl. Ballerinius, solius voti Castitatis solemniter professi violationem esse Sacrilegium.

S. Doctor noster in sententiam affirmativam non solum *inclinat* (ut ait cl. Professor); sed clare et manifeste dicit: « *Qui autem violat votum castitatis, probabilius committit sacrilegium.* » Hanc autem sententiam, P. Ballerini omnino negat; et contendit, nonnisi fractionem voti castitatis *solemniter professi* sacrilegium esse. Ad quod probandum, lectorem ad plura loca *S. Thomae, Suarii* et *Sanchezii* remittit. – Singula ergo per ordinem examinabimus.

I. Affirmat primum P. Ballerini, esse « communem Theologorum doctrinam, quae inter solemne votum » et simplex statuit hoc discrimen, » quod simplex sit *mera rei promissio,* solemne vero *rei traditionem* » involvat, adeo ut illud sponsalibus, hoc vero matrimonio aequiparetur. Et exinde rationem desumunt, cur simplex votum non dirimat subsequens matrimonium, » sed solemne... » – Dein subjungit: « *Quam doctrinam videre est penes* » *S. Thomam* (4. Dist. 38. q. 1. art. 3. » q. 1. et 2.), *latiusque versat Suarez* » (de Relig. tract. 6. lib. I. cap. 14. » n. 7.), *et refert Sanchez* (de Matr. » lib. 7. disp. 25. n. 7. seqq.). »

De communi Theologorum doctrina, in art. 3. videbimus. Ad allegatas vero Auctoritates quod attinet, istae sententiam cl. Professoris minime probant. Etenim, praefatam distinctionem inter votum solemne et simplex nec *S. Thomas,* nec *Suarez* ad materiam sacrilegii applicant; et *Sanchez* potius contrarium aperte docet, cui et *Lugo* suffragatur.

1. *S. Thomas,* loco cit. sol. 3. dicit: « Et ideo dicendum cum aliis, quod votum solemne ex sui natura habet, quod dirimat matrimonium contractum, in quantum scilicet homo per ipsum amisit sui corporis potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens, ut ex dictis patet; et ideo non potest ipsum tradere in potestatem uxoris ad matri-

1) Tr. 7. q. 2. c. 4. q. 5. — 2) 2. 2. q. 99. art. 3. ad 3. — 3) Vid. infra, art. 3. pag. 202. n. 6. — 4) Cfr. pag. 203. n. 14. — 5) Ibid. n. 21.

monium contrahendum; et quia matrimonium, quod sequitur tale votum, nullum est, ideo votum praedictum dirimere dicitur matrimonium contractum. – Ad primum ergo dicendum, *quod votum simplex quoad Deum dicitur non minus obligare quam solemne in his, quae ad Deum spectant,* sicut est separatio a Deo per peccatum mortale; quia mortaliter peccat frangens votum simplex, sicut solemne, quamvis gravius sit peccatum, frangere solemne, ut sic comparatio in genere accipiatur, non determinata quantitate reatus. Sed *quantum ad matrimonium,* per quod homo homini obligatur, non oportet, quod sit aequalis obligationis etiam in genere; quia ad quaedam obligat votum solemne, et non simplex. »

Verum hanc distinctionem S. Thomas non applicat ad materiam sacrilegii. Nullibi, ubi de hac materia tractat, inter votum *simplex* et *solemne* distinguit; nullibi dicit, hujus tantum fractionem sacrilegium esse, quippe quod matrimonium dirimat, aut traditionem implicet. – Cur autem non applicet, patet ex loco modo citato. Respondet enim ad 1. ad Decretalem Coelestini III. C. *Rursus quidam,* qui cler. vel vovent 6.: « *Quum simplex votum apud Deum non minus obliget quam solemne.* » Et concedit in his, quae ad Deum spectant, obligationem simplicis voti non esse minorem; et solummodo excipit, quantum ad matrimonium, quo homo homini obligatur, non oportere, quod sit aequalitas obligationis etiam in genere.

Imo 2. 2. q. 88. art. 5. ait: « Ad secundum dicendum, quod ille, qui *promittit,* in quantum se obligat ad dandum, *jam quodammodo dat;* sicut dicitur fieri aliquid, cum fit causa ejus, quia effectus virtute continetur in causa; et inde est, quod non solum *danti,* sed etiam *promittenti* gratiae aguntur. »

2. Similiter et *Suarez, S. J.,* distinctionem istam ad materiam *sacrilegii* non applicat. E contrario, in hac materia, votum solemne voto simplici, tam castitatis, quam cujusvis alius generis aequiparat, dicens:[1] « Quapropter *probabiliter* dici potest, fractionem voti proprie et in rigore non habere, nisi malitiam perfidiae. Quod a contrario actu declarari potest; nam jejunium v. gr. ex voto factum, non habet aliam honestatem religionis, nisi quia est fidelitas quaedam ad Deum; ergo e contrario, fractio jejunii tantum habet malitiam infidelitatis. Item materia illa non aliter dicitur *consecrata Deo,* nisi *quia illi promissa est:* ergo contraria omissio, vel actio non aliter est violatio rei sacrae, nisi in quantum non est impletio promissionis. Et idem videtur esse cum proportione *de voto castitatis,* per quod magis videtur persona consecrari Deo, quam per alia vota particularium actuum; et tamen illa consecratio non est, nisi obligatio orta ex promissione: ergo nec violatio illius sanctitatis aliud est, quam infidelitas promissionis. »

In quantum vero Suarez, loc. cit. *n. 6.* concedit, non improbabile esse, in voto *solemni* castitatis specialem malitiam sacrilegii addi ultra perfidiam, aliam rationem non adducit, nisi quia « *votum (solemne)* non solum ex promissione, sed etiam *ex ordinatione et acceptatione Ecclesiae* habet peculiarem vim dedicandi personam divino cultui. » – Sed hac ratione concedit, *etiam voto simplici personam divino cultui dedicari;* et differentiam in eo tantum consistere, quod in voto solemni, dedicatio haec per acceptationem Ecclesiae fortior sit.

3. *Sanchez, S. J.,*[2] copiose et erudite hanc quaestionem pertractat, sed *contrarium* tenet et propugnat. Tres sententias adducit:

« *N. 1... Prima* ait, essentiam voti solemnis consistere in benedictione

1) Tr. 3. lib. 3. cap. 3. n. 5. — 2) De matrim. lib. 7. disp. 25.

spirituali seu consecratione, per quam professus redditur inhabilis ad opera carnis et saeculi, atque adeo ad matrimonium contrahendum. Hujus sententiae videtur D. Thomas. [1] Sed haec sententia communiter ab omnibus rejicitur.» – Et addit, a S. Thoma illam benedictionem pro accidentali caeremonia haberi.

« 2. *Secunda* sententia ait, votum *solemne* et *simplex* ejusdem materiae *minime differre per se et essentialiter,* ex ipsius voti natura et ratione, jure divino; sed *solum accidentaliter et extrinsece, ex sola Ecclesiae constitutione* decernentis., per votum *solemne* dirimi *matrimonium* subsequens, non autem per votum *simplex*. »

« 7. *Tertia* sententia ait, votum solemne religionis consistere essentialiter in traditione actuali dominii sui ipsius in manus Dei, et manus eorum, qui vicem Dei tenent: ac in eo distare a voto simplici. » – Et in fine addit: « Quamvis autem haec sententia multis Auctorum testimoniis corroborata sit, *adeo tamen urgent et auctoritas Pontificum, et rationes pro* SECUNDA *sententia allatae, ut ab ea minime recedendum putem, sed ea omnino tenenda est tamquam probabilior, et decretis Pontificum congruentior.* »

Idcirco Sanchez [2] hanc conclusionem propugnat: « Professus fornicans satisfacit, si se votum emisisse dicat, *quia id solemne votum a simplici non differt specie,* neque alterius rationis vinculum est, *sed solum accidentaliter,* ut dixi; [3] et ita docent DD., quos in hac disputatione n. 24. retuli. » – At vero n. 19. praemisit: « Et in primis, *tamquam res certa* supponendum est, non tantum *professum,* sed etiam *solo Ordine sacro initiatum,* fornicantem, esse reum *sacrilegii:* ac proinde teneri fateri illam circumstantiam voti annexi Ordini sacro: tamquam quae speciem mutet. Constat, quia ultra fornicationem virtuti temperantiae adversam, delinquit in religionem, violans castitatis votum. »

Ergo tam *simplici* quam *solemni* voto obstrictum, Sanchez *sacrilegium* committere supponit.

4. Quam sententiam, *Lugo S. J.,* [4] *probabilissimam* et *in praxi tutam* vocat, quamvis, stando in ratione, verius existimet, Religiosum teneri statum suum explicare. Aliqui, dicit, id probant, quia Religiosus non tantum votum habet, sed et inhabilitatem et impedimentum irritans ad matrimonium, sed hanc rationem sufficienter refutari a Sanchezio. – Ratio autem, quam ipse adfert, haec est: quia Religiosus, non tantum voluntatis suae et fortunarum, sed etiam corporis sui dominium Religioni donavit, quam professus est; et ideo aliqualem adulterii maculam contrahere videtur, violando fidem Religioni datam. – Sed haec ratio singularis est, et haud facile admittenda. Quidquid autem sit, haec ratio non spectat ad sacrilegium; et *Lugo* supponit, ut Sanchez, *simplicis voti* pariter ac solemnis fractionem *sacrilegium* esse.

II. Insudat insuper P. Ballerini in demonstrando, *S. Thomam* de sola fractione voti *solemnis* castitatis loqui. Ait enim: « Idque patet, non » solum ex loco parallelo *2. 2. q. 154. » art. 10. ad 2. et 3.*, ubi clarius no» minat *personam specialiter conse» cratam...*»; sed haud felici successu.

1. Locis cit. Angelicus dicit: *Ad 2.* « Si abutatur *virgine Deo sacrata,* in quantum est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adulterii.» – Et *ad 3.*: « Ad tertium dicendum, quod sacrilegium committitur in re sacrata. Res autem sacrata est vel persona sacrata, quae concupiscitur ad concubitum; et sic pertinet ad luxuriam: vel quae concupiscitur

1) 2. 2. q. 88. art. 7. corp., et art. 11. corp. — 2) Disp. 27. n. 27. — 3) Disp. 25. n. 7. — 4) De poenit. disp. 16. n. 147.

ad possidendum ; et sic pertinet ad injustitiam. Potest etiam ad iram pertinere sacrilegium; puta si aliquis ex ira injuriam inferat personae sacrae, vel si gulose cibum sacrum assumat, sacrilegium committit. Specialius tamen sacrilegium attribuitur luxuriae, quae opponitur *castitati, ad cujus observantiam aliquae personae specialiter consecrantur.* »

2. Verum isti textus explicandi sunt ex praemissis in eadem quaestione 154. In eodem articulo 10., in responsione generali Angelicus dicit: « Manifestum est autem, quod observatio *castitatis,* secundum quod ordinatur ad cultum Dei, fit actus *religionis,* ut patet in illis, qui vovent et servant virginitatem; ut patet per Augustinum [1] in lib. de Virginitate, cap. 8. Unde manifestum est, quod etiam *luxuria,* secundum quod violat aliquid ad divinum cultum pertinens, pertinet ad speciem *sacrilegii;* et secundum hoc, sacrilegium potest poni species luxuriae.»

3. Porro, eadem qu. 154. art. 1. ad 3. ait: « Ad tertium dicendum, quod quia *mulier vovens continentiam,* quoddam spirituale matrimonium facit cum Deo, *sacrilegium* quod committitur in violatione talis mulieris, est quoddam adulterium spirituale: et similiter alii modi sacrilegii reducuntur ad alias species luxuriae. »

4. Ex quibus textibus praemissis clare et manifeste patet, Doctorem Angelicum sub « *virgine Deo dicata* », quae sacrilegium per modum adulterii committit, *quamcumque personam* comprehendere, quae *votum continentiae* emisit ; et sub « *personis specialiter consecratis ad observantiam castitatis* », quascumque voto obstrictas, quae specialiter se obligaverunt ad servandam castitatis speciem, ad quam alias non obligarentur.

III. Porro, adhuc auctoritatem S. Thomae adducens, cl. Professor objicit: « *Idque patet... ex generali* » *doctrina S. Doctoris, qui voti vio-* » *lationem* (2. 2. q. 88. art. 3.) *non* » *ad sacrilegium revocat, sed ad* » *vitium fidelitati oppositum.* »

1. Loco citato, D. Thomas scribit: « Respondeo dicendum, quod ad fidelitatem hominis pertinet, ut solvat id, quod promisit. Unde secundum Augustinum, [2] fides dicitur ex hoc, quod fiunt dicta. Maxime autem debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii suscepti ; et ideo maxime obligatur homo ad hoc, *quod impleat vota Deo facta ;* hoc enim pertinet ad *fidelitatem,* quam homo debet Deo. Fractio autem voti est quaedam *infidelitatis* species. Unde Salomon rationem assignat, quare sint vota reddenda, quia displicet Deo infidelis promissio. »

2. Utique S. Thomas hic docet, quod nemo negat, fractionem voti fidelitati opponi ; sed idcirco nihil obstat, quominus haec *infidelitas,* in quantum *res Deo sacrata* violatur, *speciem sacrilegii* induat. – Quod probat q. 99. art. 2.: « Ad secundum dicendum, quod nihil prohibet unam specialem rationem peccati in pluribus peccatorum generibus inveniri, secundum quod diversa peccata ad finem unius peccati ordinantur; prout etiam in virtutibus apparet, quibus imperatur ab una virtute. » – Dein sequentia addit notatu digna: « Et hoc modo QUOCUMQUE GENERE PECCATI *aliquis faciat contra reverentiam debitam sacris rebus, sacrilegium formaliter committit;* licet materialiter sint ibi diversa genera peccatorum. »

IV. Auctoritati ejusdem Angelici innixus, cl. Professor demum objicit: « Porro (2. 2. q. 97. Prooem.) pecca- » ta, *quae directe pertinent ad ir-* » *reverentiam Dei,* cujusmodi est

1) Tempore S. Augustini, discrimen inter votum *simplex* et *solemne* penitus ignotum fuisse, neminem latet. — 2) Lib. de mendac. c. 20. circa med.

» perjurium et infidelitas in promis-» sis, a peccatis quae pertinent *ad* » *irreverentiam sacrarum rerum*, » cujusmodi est sacrilegium, prorsus » distinguit. » Et exinde concludit: « *Corruit ergo ratio, auctoritas sci-» licet S. Thomae, propter quam* » *S. Alphonsus in eam opinionem* » *inclinavit.* »

1. Praefatam objectionem uberius et clarius explicat *Suarez*, Tr. 3. lib. 3. c. 3. n. 3.: « Perfidia in Deum continetur sub genere irreligiositatis directe contrariae Deo; nam sicut votum directe continet cultum Dei, ita perfidia irreverentiam Dei: ergo est vitium omnino condistinctum a sacrilegio. Unde etiam *D. Thomas* in principio quaestionis 97. vitia, quae pertinent directe ad irreverentiam Dei a sacrilegio condistinguit. Et ideo nemo dicet, perjurium contineri posse sub sacrilegio, quia est sub genere condistincto a sacrilegio: at vero non minus directe est talis perfidia contra irreverentiam Dei, quam perjurium, juxta doctrinam D. Thomae [1] dicentis, majorem irreverentiam esse in infidelitate ad Deum, quam in perjurio; ergo fractio voti hoc modo non potest esse sacrilegium. »

2. Prae ceteris, textus citatus *Angelici* verbotenus adduci oportet: « Respondeo dicendum, quod utraque obligatio, scilicet voti et juramenti, causatur ex aliquo divino; aliter tamen et aliter: nam *obligatio voti* causatur ex *fidelitate* quam Deo debemus, ut scilicet ei promissum solvamus; *obligatio autem juramenti* causatur ex *reverentia* quam debemus ei, ex qua tenemur quod verificemus id, quod per nomen ejus promittimus. Omnis autem infidelitas irreverentiam continet; sed non convertitur: videtur enim infidelitas subjecti ad Dominum, esse maxima irreverentia. Et ideo votum, ex ratione sua, magis est obligatorium quam juramentum. »

3. Affirmat *Suarez*, S. Thomam dicere, « *majorem irreverentiam esse in infidelitate ad Deum, quam in perjurio* »; at in veritate, ut modo vidimus, id non dicit, sed tantummodo, *irreverentiam, quam quaelibet infidelitas secum fert, maximam videri, si subjectus Domino fidem datam non servat.*-Imo assertionem, quam Suarez S. Doctori tribuit, haud intelligimus. Quis enim credere posset, illum, qui v. g. certo die jejunare aut rosarium recitare vovit, et votum non solvit, majorem Deo irreverentiam irrogare, quam *pejerans*, quinimo *maximam* inter omnes irreverentias?

4. Dicit porro *Suarez*: « Perfidia in Deum continetur sub genere irreligiositatis directe Deo contrariae. » - Quod non negamus; verumtamen *haec perfidia in speciem sacrilegii transit*, quatenus perfidus simul *rem Deo sacratam* violat; quia, ut ait S. Thomas: « *Quocunque genere peccati aliquis faciat contra reverentiam debitam sacris rebus, sacrilegium formaliter committit.* »

5. Hanc responsionem quodammodo attingit *Suarez* l. c. n. 4.: « Dicet fortasse aliquis, fractionem voti specificari per sacrilegium, non formaliter, sed quasi materialiter, eo modo, quo fornicatio etiam specificatur per sacrilegium in Virgine sacra, ut ait D. Thomas. [2] Sicut enim vitium contra unam virtutem potest esse materia peccandi contra aliam, et tunc dicitur specificari ab illa (ut in adulterio, luxuria specificatur per injustitiam, non metaphysico modo, sed morali); ita intra eandem virtutem potest una malitia per aliam diversae rationis quasi contrahi, ratione moralis conjunctionis in eadem materia: ut si quis promittat aliquid Deo dare sub juramento, fractio talis voti perfidia est simul contracta ad perjurium. - *Sic ergo fractio voti esse potest perfidia contracta ad sacrilegium.* Sed hoc nihil aliud est,

1) 2. 2. q. 89. art. 8. — 2) Dicta quaest. 99. art. 3. ad 3.

quam dicere, *in omni fractione voti esse duas malitias, unam perfidiae, et alteram sacrilegii;* quia illa contractio materialis nihil aliud est, quam conjunctio duarum malitiarum in eadem materia, ut patet in exemplis adductis; et quia esse non potest per modum generis et differentiae, ut ratio facta plane ostendit; ergo non potest intelligi nisi per conjunctionem duarum malitiarum in eadem materia. *At incredibile est,* ut supra argumentabar, *in omni fractione voti esse duas malitias.* »

6. Sed haec suppositio falsa est. *Votum frangens* non duo peccata irreligiositatis committit, alterum perfidiae et alterum sacrilegii; sed *unum tantum sacrilegii, quia perfidia a sacrilegio absorbetur.* Si autem unum tantum irreligiositatis peccatum committit, una tantum malitia irreligiositatis in fractione voti est. Quemadmodum enim sacrilegium necessario perfidiam, ita perfidia necessario sacrilegium involvit. *Perfidia autem per sacrilegium specificatur,* et non vice versa, propter rationem supra allegatam: *quia sacrilegium formale est, quidquid, in quocunque genere peccati, contra reverentiam sacris rebus debitam fit.* – Unde expressis verbis adnotat *Lessius:* [1] « Adverte tamen in hujusmodi, *perfidiam* et *sacrilegium* non esse duo peccata, sed *unum tantum;* quia alterum ex altero necessario sequitur, soloque respectu distinguuntur. »

7. Ceterum P. Ballerini doctrinam *Suarii,* et argumenta, quibus S. Thomam impugnat, sua facere nequit, quia secus sibi ipsi contrarius esset. Si enim, secundum Suarez, *nullius voti* fractio sacrilegium esse potest, nec *solemnis* voti castitatis fractio sacrilega esset: quod cl. Professor non admittit.

Articulus 3.

Complurium DD. auctoritate probatur, Sacrilegium esse violationem voti Castitatis, non solum solemniter professi, sed etiam simplicis sive a religioso sive a laico emissi.

Nihil nobis superest, nisi ut, praeter jam citatos, plures DD. allegemus, qui doctrinam tenent et propugnant: etiam *simplicis voti castitatis* violationem *verum et proprium esse sacrilegium;* eo magis, quia P. Ballerini affirmare non dubitat: « *Haec opinio contra se habet communem Theologorum doctrinam.* »

1. *Lessius, S. J.,* [2] quaerit: « *Quomodo species sacrilegii sint distinguendae* (Div. Thomas, art. 3.). » – Et respondet: « Ad primam speciem pertinet percussio clerici, fornicatio Ordine sacro initiati, Religiosi et Religiosae, et *cujuslibet votum castitatis habentis.* Idem tenet Cajetanus de violatione cujuslibet voti personalis; hoc ipso enim, quo aliquod opus virtutis Deo voves, te ipsum illi dedicas et consecras, ut ei cultum exhibeas. Itaque si omittas, violas tuam personam ut sacra est, juxta *Cajetanum.* »

« Adverte tamen, praecipuam malitiam contra religionem in violatione votorum esse, non qua parte res Deo dicata indigne tractatur (in qua indigna tractatione consistit sacrilegii ratio), sed qua parte non servatur promissio Deo facta et fides irrita redditur, ut Apostolus loquitur. Votum enim est promissio Deo facta, qua non tam sanctificatur aut sacra efficitur persona vovens, quam res quae vovetur: atqui violatio promissionis per se non est sacrilegium, sed perfidia. Itaque perfidia in Deum est praecipua in hujusmodi peccatis: quae potest accidere, etiamsi alias proprie nulla res sacra male tractetur, ut fit quando per nudam omissionem rei votae peccatur. Unde

1) Lib. 2. c. 45. n. 11. — 2) Cit. lib. et cap., dub. 3. n. 10.

peccatum contra votum proprie et per se est perfidia in Deum, sicut peccatum contra juramentum est perjurium. »

« Est tamen etiam *in omni violatione voti aliquo modo ratio sacrilegii*, clarius aut obscurius, perfectius vel minus perfecte : qui enim vovet *castitatem*, corpus suum Deo consecrat, ut immune et purum maneat ab omni contaminatione libidinis: ex qua consecratione et dedicatione, peculiarem sanctitatem contrahit; *contra quam si agatur, erit proprie sacrilegium.* Hinc virgines Deo dicatae dicuntur sponsae Christi. »

2. *Toletus, S. J.*,[1] ait : « Sexta species est *sacrilegium*, cum copula fit *cum persona Deo dicata per votum castitatis* aut religionis, aut copula fit in loco sacro. »

3. *Joannes Corradus*[2] scribit : « Quando vero sacrilegium per se et proprie accipitur, ut species distincta peccati necessario confitenda, tunc tres species habet. Prima est contra personam.... vel *quomodocunque* persona contra suum votum agit; ut si sit religiosus, vel clericus, et monialis, *et purus saecularis votum habens castitatis.* »

4. *Bonacina*[3] quaestionem proponit: « Dubium est, quaenam dicantur personae, quarum laesione committitur *sacrilegium ?* - Respondeo, nomine *personarum sacrarum* venire Clericos et Religiosos, sive sint professi sive non. Ideo percussio Clerici vel Religiosi sacrilega est, quia laeditur persona ecclesiastica. Item fornicatio cum Clerico sacris initiato, *vel cum habente votum castitatis.* »

5. Item *Filliuccius, S. J.*:[4] « Sexto quaero de quarta specie sacrilegii contra personam. Respondeo et dico primo: Per actus venereos dici *sacrilegium* in personam, vel a persona Clerici habentis votum castitatis, quod Ordini adnexum est; eademque ratione dicetur sacrilegium commissum *a quocumque habente votum.* S. Thomas,[5] Summistae.[6] »

6. Similiter *Trullenchus :*[7] « Item fornicatio cum Clerico sacris initiato (secus si tantum sit in minoribus), vel cum Religioso aut Religiosa, *aut quolibet habente votum castitatis* sacrilega est; quia laeditur persona sacra ratione voti. Item est sacrilegium violatio voti paupertatis, *aut alterius cujuscumque a castitate distincti ;* nam per quodcumque votum persona Deo dicatur, et sacra fieri videtur. »

7. *Mendo, S. J.*,[8] haec habet : « *Sacrilegium* in re venerea quinque modis contingit. 1°. Si delinquens obstrictus est *voto castitatis.* 2°. Si *femina*, quae est objectum, emisit id *votum.* 3°. Si utraque persona emisit, est tunc duplex sacrilegium... »

8. *Stoz, S. J.*,[9] scribit : « Sacrilegium est violatio rei sacrae per actum venereum... Res autem, quae sic violatur, sunt locus sacer et *persona voto castitatis, seu simplici, seu solemni (non enim differunt haec vota) obstricta.* »

9. *Herincx*[10] quaerit: « Petes: An contravenire voto sit sacrilegium ? Resp. *Contravenire voto castitatis est sacrilegium ;* quia vovens castitatem corpus suum Deo consecrat, ut immune maneat ab omni contaminatione libidinis, ex qua consecratione peculiarem contrahit sanctitatem, cujus violatio est sacrilegium. »

10. *Wigandt*[11] dicit: « Sacrilegium est triplex, nimirum commissum in personam, uti est Clericus, vel Religiosus, vel Monialis, *aut habens votum simplex castitatis.* »

11. Suffragatur *Leonardus Jansen:*[12] « Sacrilegium in materia luxuriae committitur dupliciter: 1°. Per violationem *voti continentiae*, sive

1) Instr. Sac. lib. 5. c. 12. n. 3.— 2) Resp. 396. — 3) In Decal. disp. 3. q. 6. n. 3. — 4) Tr. 24. c. 9. n. 232. — 5) 2. 2. q. 154. art. 1. — 6) V. *Sacrilegium.* — 7) In Decal. lib. 1. c. 10. dub. 15. n. 3. — 8) Epitome opin. moral. V. *Sacrilegium*, n. 1.— 9) Trib. poenit. lib. 1. p. 3. n. 548.— 10) De relig. disp. 8. q. 2. n. 11. — 11) Trib. Conf. tr. 10. exam. 4. n. 64. — 12) T. 1. c. 11. n. 7.

in se sive in alio, nec opus est exprimere, *an votum sit solemne, an simplex...* »

12. Item *Holzmann:* [1] « Quaeres, an violatio voti, praeter peccatum infidelitatis seu perfidiae etiam involvat malitiam *sacrilegii?* Respondetur *affirmative,* loquendo de violatione voti personalis, *sive solemnis, sive privati et simplicis; sive intra, sive extra materiam castitatis* emissi. »

13. Consentit etiam *Antoine, S.J.:*[2] « Sacrilegium venereum est violatio rei sacrae per actum luxuriae... Res autem sacrae, quae sic violari solent, sunt *persona voto castitatis, etiam simplici obstricta,* et locus sacer. »

14. *Mazzotta, S. J.,* [3] scribit, Sacrilegium personale committi « per luxuriosam violationem *habentis votum castitatis, vel constituti in Sacris,* etsi expresse noluerit vovere; violationem vero *cujusvis alterius voti,* puta dandi eleemosynam, jejunandi etc., aliqui putant esse sacrilegium, sed Suarez, Palaus, Tamburini et alii, *probabiliter* negant. »

15. *Concina* [4] ait: « Triplex distinguit sacrilegium *D. Thomas,* cui subscribunt *communiter* Theologi. Primum est injuria irrogata personae sacrae, ut Clerico, Monacho seu Religioso et Sanctimoniali, aut fornicatio *cum persona voto castitatis obstricta.* »

16. Item *Pichler, S. J.:*[5] « Pro foro interno vere committitur *sacrilegium,* in confessione sacramentali specialiter exprimendum, si unus, vel uterque delinquens *voto simplici castitatis* ligatus sit. »

17. *Reiffenstuel* [6] docet: « Quaeritur, quid sit, et quibus poenis subjaceat sacrilegium? Resp. 1°. Loquendo pro foro interno et sacramentali, sacrilegium est omnis coitus cum persona Deo dicata *per votum continentiae* sive *simplex,* sive *solemne* vi professionis religiosae aut sacri Ordinis factum; adeo, ut non tantum Clericus vel Religiosus, sed *etiam Laicus voto simplici castitatis obstrictus,* carnaliter peccans, committat *Sacrilegium;* sicut et laicus a voto liber, peccans cum soluta aliqua *voto simplici* castitatis obstricta: ut proin haec circumstantia, tamquam speciem mutans, necessario explicari debeat in confessionali. Prout habet *communis Theologorum,* apud quos vide. » – Idem dicit in Theol. morali.

18. Ait etiam *Amort:* [7] « Sacrilegium committitur... si persona sacra, hoc est ligata voto perpetuae castitatis solemni, vel *simplici,* committat aliquod peccatum luxuriae internum vel externum; sive illud externum committat secum ipsa, sive cum alia persona non ligata voto. »

19. Adstipulatur *Marcus Struggl:*[8] « Sacrilegium carnale non distinguitur numero penes multiplicitatem votorum castitatis ejusdem personae; bene vero penes multiplicitatem personae voto obstrictae aut actuum venereorum... Ex his infertur, *votum castitatis simplex et solemne non differre specie essentialiter,* sed solum accidentaliter, secundum magis et minus. »

20. Similiter *Cuniliati:* [9] « Sacrilegium personale.... perpetratur.... peccando contra castitatem, si persona peccans sit aut sacro Ordine, aut professione religiosa, aut etiam *voto simplici castitatis* obstricta. »

21. Accedit tandem *Billuart,* [10] qui scribit: « Sed difficultas est, quid requiratur, ut res censeatur sacra.-Quidam existimant, requiri, quod publico ritu aut institutione ad Dei cultum sit deputata, nec ad id sufficere quodlibet privatum propositum aut votum: unde inferunt, violationem voti

1) P. 2. tr. 2. n. 336. — 2) Theol. mor. de peccat. art. 4. n. 6. — 3) Tr. 2. disp. 1. q. 2. c. 3. q. 3. — 4) In Decal. lib. 3. diss. 3. c. 2. n. 2. — 5) Lib. 5. tit. 16. §. 2. n. 14. — 6) Jus can. lib. 5. tit. 16. n. 76. — 7) Tr. 3. sect. 7. §. 5. n. 34. — 8) Tr. 7. art. 6. n. 68. — 9) Tr. 4. c. 13. §. 7. n. 2. — 10) T. 7. diss. 10. *de Sacrilegio.* D. Thom. q. 99. ad 1.

simplicis castitatis non esse sacrilegium. Ita Laymann, [1] citans Suarem et Greg. Tolos.– Verum, ad consecrationem personae id *communiter* non requirunt *Auctores,* qui *passim habent violationem voti simplicis castitatis pro sacrilegio.* Imo Cajetanus hic, sic expresse docet contrarium, ut velit, omnem qualiscumque voti simplicis, puta jejunii votivi, transgressionem esse sacrilegam: quod tamen videtur alienum a *communi sententia,* quae tantum id asserit *de transgressione voti simplicis castitatis;* quia per illud, corpus videtur Deo specialiter consecratum ad munditiem; in aliis autem materiis nihil videtur violari quod sit ita Deo specialiter sacrum, secundum moralem considerationem, ideoque late et minus proprie dicendum sacrilegium, sed potius perfidia et infidelitas. Non est tamen improbabilis sententia Cajetani; pro qua vide Loth. » [2]

Et *Billuart* alibi [3] dicit: « *Persona sacra* hic dicitur, quae est Deo dicata ad servandam *castitatem* per votum, sive *solemne* sit per professionem religiosam, sive solemnizatum per susceptionem Ordinis, sive *simplex.* Et quamvis quidam opinentur, per votum simplex personam non fieri sacram, sed requiri auctoritatem publicam, pro quo vide de Religione; concedunt tamen, hujus peccatum in materia luxuriae, reductive saltem pertinere ad sacrilegium; ita Sporer. »

SIT IGITUR TOTIUS QUAESTIONIS CONCLUSIO.

1. Certum est, *S. Thomam* adversari sententiae eorum, qui *generaliter* asserunt, violationem *cujuslibet* voti *non esse sacrilegium,* sed solummodo peccatum contra fidelitatem Deo debitam. Angelicus namque docet, formaliter et proprie *sacrilegium* committi a virgine Deo dicata, si fornicetur. In his autem verbis: *virgo Deo dicata,* non tantum Salmanticenses, sed et permulti alii DD. communiter intelligunt virginem, sive solemni, sive simplici voto castitatis obstrictam, et generatim quamlibet personam simplex votum castitatis habentem.

2. Circa quaestionem vero an, *ex sententia Angelici,* violatio *alius* voti, *praeter castitatem,* sit sacrilegium: *S. Alphonsus* suum judicium non profert. Plures tamen Auctores absolute tenent, sacrilegii malitiam haberi in *cujuslibet* voti fractione: quocirca (deficiente explicito S. Doctoris nostri judicio) advertere sufficiat, hanc opinionem, quam tenent Salmanticenses, nec auctoritatibus extrinsecis, nec intrinsecis rationibus carere.

3. Quoad violationem vero voti *castitatis,* P. Ballerini strenue contendit, sacrilegium esse solam fractionem voti castitatis *solemniter* professi, non autem *simplicis;* atque hunc in finem, at immerito, auctoritatem Suarii, Sanchezii ac praesertim S. Thomae adducit. – E contra, in doctrina, *violationem simplicis voti castitatis, sive a religioso, sive a laico emissi, esse sacrilegium,* conveniunt perplures Auctores antiquiores et recentiores, tum qui benignioribus, tum qui strictioribus accensentur; quinimo Reiffenstuel et Billuart hanc sententiam expressis verbis *communem* dicunt.– Ex quibus patet, quid sentiendum sit de assertione a cl. Professore fidenter prolata: « *Haec opinio contra » se habet communem Theologorum » doctrinam.* »

1) Hic, n. 2., ex jure consulto, L. *In tantum,* L. *In sacra* ff. *de rerum divisione.* — 2) Tr. 16. q. 9. art. 2. — 3) T. 8. diss. 6. art. 8. *de Sacrilegio carnali,* D. Thom. q. 154. art. 1.

QUAESTIO III.

An omnes actus externi graviter turpes, ac speciatim copula maritalis, in ecclesia habiti, sint sacrilegia.

(S. Alph. Lib. III. n. 458-462. — P. Ball. Tom. I. n. 286. q. 2.)

Quo plenius duplici huic quaestioni satisfiat, omnes, licet longiores S. Alphonsi textus ad sacrilegium locale spectantes, in extenso allegare juvat.

Lib. III. n. *458.* S. Doctor scribit: « Circa locum, quaeritur 1. *An* » *copula maritalis, aut occulta habita in ecclesia, aut sine alia culpa, sit sacrilegium?* Praenotandum, quod [1] prohibetur sanguinis » aut seminis voluntaria effusio, per » quam (modo effusio certe sit peccatum mortale et sacrilegium), » ecclesia remanet polluta, donec » iterum benedicatur. - Sed dubium » est, *quaenam effusio ad id suffiat.* Adsunt tres sententiae, *omnes satis probabiles;* ut recte ajunt » Salmanticenses.

» *Prima sententia tenet, praeciso scandalo, nunquam esse sacrilegium copulam maritalem,* sicuti » nec sanguinis effusionem ob defensionem factam; quia praedicta lex, » cum sit poenalis, stricte est intelligenda, nimirum de sola effusione *illicita.* Ita Glossa, dicens » hoc esse secundum Hyginum Papam, qui ait: *Si homicidio vel adulterio ecclesia violata fuerit, expurgetur.* - Pontius, Sà; item » Alensis, Rosella ac Henriquez, et » *probabile* putant Sotus, Dicastillus, etc., apud Salmanticenses.

» *Secunda* sententia distinguit, et » dicit committi quidem sacrilegium, » et ecclesiam pollui per sanguinis » aut seminis effusionem *publicam; non vero per occultam,* scilicet » nemini notam, aut tantum duobus » aut tribus. Ita Glossa: *Si pollutio fuerit occulta, ecclesia non debet reconciliari: dicunt enim Theologi, quod ideo reconciliatur ecclesia, ut videntes ecclesiam lavari, cogitent, quantum pro lavatione peccatorum sit laborandum.* Item Pontius (vocans communem), Toletus, Sà, Navarrus, » Azorius; et Vasquez, Coninchius, » Rodriguez, etc., apud Salmanticenses. - Ratio, quia, ut isti inquiunt, talis effusio non est sacrilegium de jure divino, sed tantum » de jure ecclesiastico, quo sola *publica* effusio prohiberi videtur, » dum tantum per istam aufertur in » opinione hominum, reverentia loco » sacro debita; et saltem ob tantorum DD. auctoritatem, hanc sententiam *probabilem* bene putant » Salmanticenses. Notant tamen, » quod, ut effusio dicatur jam publica, sufficit, si manifestetur verbis, aut si vir et femina in eodem » toro cubare cernantur.

» *Tertia* sententia *probabilior* dicit, *adhuc per copulam maritalem occultam, committi sacrilegium, et ecclesiam pollui, nisi fiat ex morali necessitate.* Ratio, quia » textus citati universe loquuntur » de quacumque effusione; et sic » rectius intelligendi, dum etiam per » copulam occultam et licitam, ecclesiae gravis injuria irrogatur: » et ipsa etiam probabilius polluitur; quamvis tamen, cum sit crimen occultum, non sit obligatio a » divinis officiis abstinere. Ita Sanchez, Bonacina, Holzmann, Croix; » Salmanticenses, cum Suarez, Lessio, Sylvestro. - Opinantur autem » isti DD., tunc conjuges in *morali*

1) Ex C. un. *de consecr. eccl.* in 6. et ex C. *Ecclesiis* 20. de cons. dist. 1.

» *necessitate* esse, quando sunt *in* » *periculo incontinentiae,* vel quando *diu* in ecclesia permanere deberent, nempe per 10 dies, ut alii qui censent; alii per 20; alii vero per mensem. Et casu quo conjuges judicarent, per mensem in ecclesia esse mansuros, etiam ab initio mensis copulari possunt. Ita Sanchez, et Salmanticenses cum aliis.

» *459.* Quaeritur 2. *An autem soli tactus impudici, habiti in ecclesia, sint sacrilegia? Negant* plures DD., ut Sanchez, cum Cajetano, Navarro; et Bonacina, Fagundez, Zanardus, Diana, Candidus, Leander, etc. apud Moya; dummodo absit periculum pollutionis. Ratio, quia talibus actibus, non violatur ecclesia, adeo ut impediantur divina officia, ideoque cessat ratio sacrilegii. - Sed *probabilius contradicunt* Elbel, Holzmann. Item Sylvester, Corduba, Lopez et Manuel, apud Sanchez. Ratio, quia tactus inhonesti eamdem malitiam habent, quam ipsa copula: et ideo sunt sacrilegi, non ob violationem ecclesiae statutam fieri tantum per pollutionem, sed *ob gravem irreverentiam* quae loco sacro irrogatur. Non ideo enim pollutio est sacrilegium, quia polluitur ecclesia; sed ideo polluitur ecclesia, quia pollutio est sacrilegium....

» *461.* Quaeritur 3. *An verba et aspectus lascivi, in ecclesia habiti, sint sacrilegia?* Tres pariter adsunt sententiae. *Prima* dicit, *omnes actus externos,* etiam leviter turpes, in ecclesia habitos, *esse sacrilegia.* Ita Sylvester et Corduba, apud Salmanticenses. - *Secunda* sententia damnat ut sacrilegia, tantum *actus externos graviter turpes.* Ita Sanchez, Salmanticenses « cum Suarez, Molina, Dicastillo etc.- » *Tertia* sententia, quam tenent Toletus, Coninchius, Vasquez, Basilius, Diana, Valentia, etc. apud Salmanticenses, Holzmann vocans communem, et ut certam alibi se- quuntur Salmanticenses (licet hic sibi contradicant), *negat* tales actus, aut leviter aut graviter turpes, esse sacrilegos. Ratio, quia hujusmodi colloquia aut aspectus turpes, sive etiam oscula libidinosa (secluso semper periculo pollutionis), licet sint mortalia et moraliter deformia, non tamen continent per se gravem deformitatem physicam, contra reverentiam loco sacro debitam. Hoc tamen non obstante, *puto secundam sententiam absolute probabiliorem.*

» *462.* Quaeritur 4. *An sint sacrilegia cogitationes turpes habitae in ecclesia?* Recte distinguunt Salmanticenses cum Soto, Navarro, Azorio, Suarez, etc. Affirmant, *si desideria sunt deliberata peccandi externe in ecclesia, etiamsi illa extra ecclesiam habeantur,* juxta dicta *hoc lib. 3. n. 43.,* cum Salmanticensibus etc. communiter. Secus dicendum, si desideria sint peccandi extra ecclesiam, contra Medinam. Si vero consensus sit peccandi *intra* ecclesiam, sed occulte, sacrilegium est, juxta nostram sententiam allatam mox *n. 458.*

Videamus nunc de objectionibus Patris Ballerini. - T.I.n.286.p.298.,[1] *P. Gury* dicit: « Quoad peccata *externa* (luxuriae, in ecclesia commissa), certum est committi sacrilegium per actus *consummatos,* nempe per pollutionem voluntariam, fornicationem etc. - Ex jure canonico aperte patet. - *An vero committatur etiam per alia peccata externa gravia,* v. g. tactus graviter turpes, controvertitur. Probabilius affirmant *S. Ligorius* n. 459., Collet, etc. *Negant* autem non improbabiliter Sanchez, Tamburini, Bonacina, etc. »

Ad hanc ultimam propositionem, P. Ballerini sequentem apponit adnotationem: « Principium, cui ista » opinio innititur, habes penes *Sanchez* (de Matrim. lib. 9. disp. 15. » n. 4.) quod *nempe malitia haec et*

1) In altera edit. pag. 228.

» *specialis deformitas non consurgit ex jure naturae, sed ex solo* » *Ecclesiae statuto; at non invenitur jus ecclesiasticum, haec prohibens in loco sacro fieri, praeter* » *textus... qui statuunt, ecclesiam* » *sanguinis aut seminis effusione* » *violari.* - Atqui *hoc principium a* » *communi hominum sensu prorsus* » *abhorret.* Quasdam enim actiones » adeo per se turpes esse, aut saltem » profanas, ut etiam seclusa Ecclesiae prohibitione, locorum sacrorum sanctitatem dedeceant, et huic » ita opponantur, ut si in ipsis parentur, honori ac reverentiae illis debitae derogare censeantur; » hoc enimvero non christiana modo » plebs, sed vel ipsi ethnici, naturali rationis lumine agnoverunt, » ac semper professi sunt. *Indecens* » *enim* per se *est, ut locus orationi* » *et cultui divino deputatus, con*» *vertatur in locum peccandi et of*» *fendendi eumdem Deum*, ut ait » Lugo (De Poenit. disp. 16. n. 466.). » Porro hujus irreverentiae malitia, » ut scite idem Lugo advertit (l. c.) » *non apparet, cui virtuti opponatur, nisi religioni, propter speciam* » *lem reverentiam, quae debetur loco* » *sacro,* atque adeo ad quam peccati » speciem, praeter sacrilegium, pertineat.

» Accedit oppositae sententiae incommodum. Jus enim ecclesiasticum, e quo sacrilegii rationem isti » Theologi desumunt, mere loquitur » de ecclesiae reconciliandae necessitate; unde primi hujus doctrinae » auctores, *Cajetanus* (Opusc. Tom. 1. » resp. 12.) et *Navarrus* (In C. *Consideret* n. 20.) inferunt, sacrilegium tantummodo haberi in actu, » quo locus ineptus ad divinum cultum efficitur. Exinde vero profluit » consectarium, quod *Pontius* (De » Matr. lib. 10. cap. 10. n. 15.) cum » aliis deduxit, nullum vel nefandissimum luxuriae crimen in ecclesia » patratum, posse haberi et dici *sa*» *crilegium,* si *occulta* maneat effusio seminis; quippe si haec lateat » penitus, aut paucis quibusdam tantum innotescat, ecclesia reconciliatione non indiget. *Hinc autem* » *duo absurda sponte effluunt.* Primo, quod nulla actio per se, dum » occulta manet, sacrilega erit. Deinde, quod actio sacrilega non erit, » quousque manet occulta; fiet vero » deinceps sacrilega, si forte crimen, » quod occultum diu mansit, in plurium notitiam deveniat. - Hinc *ve*» *rior doctrina censenda est, quam* » *tradidit Lugo* (l. c.) nempe quod, » seclusa ignorantia et inadverten» tia, omnia peccata in ecclesiis com» missa aliquam specialem irreve» rentiam includant; quae, licet non » semper gravis sit, sed levis esse » possit, atque adeo non necessario » explicanda in confessione, ad ma» litiam tamen sacrilegii pertinet.

» Non silentio praetermittendum » hic est, *S. Alphonsum* (L. 3. n. 458.) » post Salmanticenses (Tract. IX. » cap. 15. n. 61. 62.) ceu *probabile* » tradere, *praeciso scandalo, nun*» *quam esse sacrilegium, copulam* » *maritalem in ecclesia habitam.* » Sed haec opinio nullum fundamen» tum, praeter *fallaces allegationes,* » habet. Nam Doctores, a Salmanti» censibus allegati, reipsa id tantum» modo de *casu necessitatis* affir» mant. Caeterum circumstantia scan» dali, per se malitiam sacrilegii non » inducit. »

Duas itaque partes habet ista Adnotatio. Prima ad *actus non consummatos* spectat, altera ad *copulam maritalem:* quas proinde seorsum tractabimus.

Articulus 1.

An, et earnam omnes actus externi graviter turpes in ecclesia habiti, sint sacrilegia.

S. Alphonsus (prout ex cit. n. 459. et 461. constat) absolute probabiliorem censet sententiam, quae ut *sacrilegia* damnat, non solum tactus impudicos, sed etiam *quoscunque actus externos graviter turpes, in*

ecclesia habitos. Et rationem addit, « quia isti actus non consummati » *eamdem malitiam habent, quam* » *ipsa copula;* et ideo sunt sacri- » legi, *non ob violationem ecclesiae* » *statutam fieri tantum per pollu-* » *tionem,* sed *ob gravem irreveren-* » *tiam, quae loco sacro irrogatur.* » Non ideo enim pollutio est sacrile- » gium, quia polluitur ecclesia; sed » ideo polluitur ecclesia, quia pollu- » tio est sacrilegium. »

Hinc patet, a S. Doctore non admitti sententiam a Sanchezio expositam, cui etiam adhaerent plures alii Doctores; qui rationem *sacrilegii localis* desumunt, non ex jure naturae, seu ex gravi injuria loco sacro irrogata; sed *ex sola Ecclesiae prohibitione,* ita ut illi tantum actus sacrilegi censeri debeant, quibus, ex positivo Ecclesiae statuto, locus sacer violatur; quales sunt illicita sanguinis aut seminis effusio. – Hanc tamen sententiam, S. Alphonsus ceu improbabilem non damnat. P. Ballerini vero ipsam non solum absolute improbat, sed etiam minus recte exponit. – Hinc abs re non erit, ejusdem assertiones strictius examinare; eo magis, quia haec prima quaestionis pars, quoad plura momenta, cum altera de copula maritali connexa est.

Itaque I. Exponemus doctrinam *Suarii,* qui, licet probabilius censeat, actus graviter turpes esse gravia sacrilegia, contrariam tamen opinionem non rejecit. II. Ostendemus, sententiam *Cajetani* et *Navarri* a cl. Professore minus recte exponi; et principium, cui ista innititur, non ejusmodi esse, ut *a communi hominum sensu prorsus abhorreat.* III. Afferemus quae dicit *Billuart;* ex quibus patebit, etiam inter recentiores esse, qui rationem sacrilegii, partim saltem, ex jure positivo repetunt. IV. Probabimus, ex sententia *Pontii* (licet rejicienda sit), non sponte effluere *duo absurda* a P. Ballerinio allegata. V. Demum ostendemus, sententiam *Lugonis* haud recte *veriorem* doctrinam esse censendam.

I. Ante omnia, *Suarium, S. J.,* audiamus, qui in opere: *De Religione,* T. I. tr. 2. lib. 3. diffuse de sacrilegio locali tractat.

1. Sic cap. 3. n. 3. scribit: « Superest ergo quaestio de actibus profanis posteriori modo, id est, aliquo modo positive repugnantibus loco sacro, ut sacer est. Et de his actibus sunt inter Doctores variae sententiae. - *Prima* docet, nullum actum esse hoc modo contrarium loco sacro, natura sua et seclusa formali intentione operantis, sed *tantum ex positiva lege Ecclesiae, prohibentis,* ne talis actus in tali loco fiat, in illius loci reverentiam. – Ita sentit *Cajetanus* 2. 2. q. 99. ad 5. dubium, quod erat, in quo consistat directe agere contra sanctitatem loci, ut proprie sit sacrilegium. Respondet enim, consistere in hoc, quod est incurrere voluntarie in illud, ad cujus contrarium inest sanctitas loco, ut verbi gratia, ad hoc, ut non possit inde aliquis extrahi violenter, vel aliquid hujusmodi; et in Tom. I. opusc. tract. 31. qui est 17. Responsionum in 12. dub. 2., addit propositionem exclusivam, *tunc circumstantiam loci sacri esse circumstantiam necessario confitendam alicujus actus,* quando illa est praedicto modo contra sanctitatem loci sacri, et non aliter; scilicet, *quando agitur contra id, ad quod locus consecratur vel sanctificatur. Sanctificari autem ad hunc vel illum effectum, solum est ex lege positiva,* statuente, ut hoc vel illud non fiat in tali loco in irreverentiam ejus; quia hoc ex sola rei natura definiri non potest, etiam supposita talis loci benedictione, ut constat exemplis, quae utroque loco adducit: et ideo in priori loco statim subjungit, *posse Ecclesiam sua prohibitione facere, ut sit sacrilegium, quod de se tale non erat,* sentiens per hujusmodi prohibitionem id fieri, et non aliter.

Idem significaverat, licet non tam clare, idem *Cajetanus* 1. 2. q. 7., ubi addit, *omne peccatum aggravari ex circumstantia loci sacri per accidens, id est, in sua malitia specifica, non vero novam speciem malitiae contrahendo.* »

2. Addit dein Suarez, plures alios DD. hanc sententiam tenere, ut sunt *Dominicus Soto, Victoria, Angles, Navarrus, Gutierrez* et *Sanchez*, qui alios etiam modernos adfert. – Et pergit: « *Haec sententia suaderi potest,* quia non omnia peccata facta in loco sacro sunt sacrilegia; ergo quod aliqua sint sacrilegia, et non alia, non potest aliunde discerni, quam *ex Ecclesiae prohibitione,* seclusa intentione formali directa et sacrilega operantis, ut excludi supponimus. – Antecedens supponitur fere a dictis Auctoribus ut manifestum; quia alias, illa circumstantia esset semper in confessione aperienda, quod est durum et inusitatum. Et ratio a priori esse debet, quia non omne peccatum, ex eo quod in ecclesia fit, habet ex natura rei specialem repugnantiam cum ratione: si quis enim in ecclesia temere de proximo judicat, aut epistolam scribit continentem mortalem culpam, nihil agit habens specialem repugnantiam cum ratione recta, ratione talis loci. Haec autem regula discernendi circumstantias addentes specialem malitiam, traditur a D. Thoma;[1] ergo. Et confirmatur, quia hac ratione non omne peccatum commissum a persona sacra vel contra personam sacram est sacrilegium, ut docet S. Thomas.[2] Ergo idem a fortiori de loco sacro dicendum est. – Prima consequentia probatur: Quia nulla ratio reddi potest, cur furtum, in ecclesia factum, sit sacrilegium, non vero mentiri decipiendo alium, vel etiam falsum jurando; nisi quia unum est ab Ecclesia specialiter prohibitum, et non aliud. Item, dare alapas alteri in ecclesia non est speciale sacrilegium, vulnerare autem et sanguinem effundere est speciale sacrilegium. Item, *pollui in ecclesia vel fornicari, est speciale sacrilegium; habere autem in ecclesia tactus impudicos, etc. non est speciale sacrilegium,* secluso morali periculo pollutionis. – In his autem et similibus, *non potest ex sola rei natura assignari ratio* vel differentia; ergo tantum provenit *ex lege positiva Ecclesiae id prohibente,* et quasi constituente in his, et non in aliis, loci sanctitatem. »

3. Tum Suarez oppositam sententiam exponit, et *n. 8.* concludit: « *Haec quidem posterior sententia magis ad veritatem accedere videtur;* aliqua tamen indiget explicatione. » Quam explicationem adfert *c. 7. n. 6.*: « Ex his infero et dico: Omne peccatum, saltem externum, in ecclesia factum, habere inde aliquam malitiam sacrilegii saltem venialem, raro autem mortalem, nisi ubi prohibitio Ecclesiae intervenerit, vel notabilis irreverentia in ipso actu apparuerit. » – Ex qua regula, deinde *n. 11.* concludit, *probabilius videri, tactus impudicos, praesertim graviores et in partibus inhonestis, gravia sacrilegia esse.* – Oppositum ergo *probabile* censet.

II. De *Cajetano* et *Navarro* loquens, ait cl. Professor: « Accedit » oppositae sententiae incommodum. » *Jus enim ecclesiasticum,* e quo sa» crilegii rationem isti Theologi de» sumunt, mere loquitur *de ecclesiae* » *reconciliandae necessitate;* unde » primi hujus doctrinae auctores, *Ca*» *jetanus* (Opusc. Tom. I. resp. 12.) et » *Navarrus* (in C. Consideret, n. 20.) » *inferunt, sacrilegium tantummo*» *do haberi in actu, quo locus ine*» *ptus ad divinum cultum effici*» *tur* ... »

1. Quid doceat *Cajetanus* loco citato, jam ex textu Suarii percepi-

1) 4. d. 16. q. 3. art. 2. q. 3. — 2) 2. 2. q. 99. art. 3. ad 3.

mus. – In *Summula* autem, V. *Sacrilegium,* sententiam suam breviter sic explicat: « Alia, qua fit injuria loco sacro, ut, si de loco sacro extrahatur ibi salvatus, aut inde furto vel rapina res accipiatur, aut sanguine aut semine humano voluntario locus sacer violetur ... Et si vis cognoscere, quando proprie committitur sacrilegium in omnibus speciebus, considera, ad quid persona, locus vel res sanctificata est: et vide, si contra illud, ad quod sanctificata dicitur, actum est. – Verbi gratia, ager ecclesiae est sanctificatus quoad hoc, quod est exemptus a saecularibus oneribus et jurisdictionibus. Committitur ergo sacrilegium, si gravetur saeculari auctoritate, etc., non autem si quis ibi fornicetur, quia non est ab hoc exemptus, per hoc quod est ecclesiae. – Et similiter *sacrilegium est, si quis in loco sacro fornicetur,* non autem si quis ibi detrahat; quia loci sanctitas est ad exemptionem ab effusione seminis humani, non autem a detractione. Similiter sacrilegium est, si sacerdos fornicetur, quia sanctificatus est ad castitatem; non autem si blasphemet, quia non est ad ejus oppositum directe sanctificatus; et sic de similibus. – Ex his namque habes, unde potes discernere, quae sint sacrilegia, ab his quae non sunt sacrilegia, etiamsi sint pejora sacrilegio. »

2. *Navarrus* autem (in C. *Consideret* de poen. dist. 5.) quaestionem examinans, an *circumstantia loci sacri* confitenda sit, *n. 20.* dicit: « Pro resolutione horum dicendum, omnem illam et solam circumstantiam loci esse necessario confitendam, *quae specialiter repugnat cum aliqua lege speciali,* qualis est *sanguinis vel seminis effusio,* vel *voluntas* ea in illo loco effundendi. Qualis item omnis actio, quae contra libertatem et immunitatem est ecclesiasticam. » – Et in confirmatione hujus propositionis, adducit quae *Cajetanus* in utroque loco supra citato de eadem quaestione habet.

3. Ex hac doctrina *Cajetani, Navarri* et aliorum, qui cum ipsis sentiunt, utique sequitur, *ad sacrilegium semper requiri, quod peccatum tale sit, quo divinus cultus impeditur;* quia Ecclesia, certa crimina ut sanctitati loci repugnantia prohibens, praecepit, ut, crimine perpetrato, locus sacer reconcilietur. Sed inde non sequitur, hujusmodi crimina *occulta* non esse sacrilegia. Nam reus contra Ecclesiae prohibitionem actum ponens, quo cultus divinus impeditur, ipso facto sacrilegus est, etiamsi actus *occultus* maneat, et locus sacer reconciliatione non indigeat. – Idcirco *Cajetanus et Navarrus non tantum omnem occultam pollutionem illicitam, sed etiam copulam maritalem, tam occultam quam notoriam, sacrilegam dicunt.*

4. Advertit insuper P. Ballerini: « *Hoc principium* (a Sanchezio tra» ditum) *a communi hominum sensu* » *prorsus abhorret.* » – Verum praedicti Auctores concedunt, peccatum *in sua specie aggravari,* et quoad communem hominum sensum satis est, gravius peccari. Nomina enim et *specificas* peccatorum distinctiones Theologorum, homines communiter non curant. – In quantum autem isti Auctores tenent, *circumstantiam loci necessario non esse confitendam,* ea sola ratione ducuntur, quia adhaerent sententiae, nullam obligationem esse, circumstantias, etiam notabiliter aggravantes, confitendi, nisi *speciem* mutent. At non tantum in hac materia, sed etiam in omnibus aliis, Fideles communiter putant, ad integritatem confessionis requiri, circumstantias notabiliter aggravantes explicare; oppositum autem nihilominus, propter rationes theologicas, longe probabilius est.

III. Praeter illos DD., quos Suarez [1] citat, plures recentiores eamdem

1) Vide sup. pag. 209. n. 2.

sententiam tenent; inter quos novissime *Billuart* ejus patrocinium suscepit. Hic [1] ita loquitur:

« Dixi: *rei sacrae;* quod intellige formaliter et reduplicative: non enim omnis violatio seu irreverens tractatio rei, quae est sacra, est *sacrilegium;* sed tantum, *quando violatur seu irreverenter tractatur res sacra in eo, in quo est sacra.* – Quapropter, sedulo est advertendum ad quid res sit sanctificata, et utrum contra id agatur. Nam v. gr., religiosus per votum solemne castitatis est sanctificatus ad munditiem carnis, et ideo erit sacrilegus si fornicetur; secus si detrahat, mentiatur, perjuret, etc., quia ad haec non est sanctificatus. Similiter ager ecclesiae est sacer quoad exemptionem ab oneribus saecularibus et jurisdictionibus; et ideo sacrilegium erit, si illis gravetur; secus si quis ibi fornicetur, quia non est sacer ad puritatem a libidine. »

« Pro cujus clariori intelligentia, nota duplicem quandoque rebus sacris inesse sanctificationem, unam, *ex ipsa sua institutione seu dedicatione,* v. g. quando templum aut vasa cultui divino consecrantur, virgo per votum Deo dicatur; alteram, *priori supervenientem,* ut, si persona jam sacra, v. g. clericus, eximatur a tributo, vel a jurisdictione saeculari; item, dum prohibetur e templo violenter aliquem extrahi: hae enim immunitates seu privilegia non debentur his rebus ex sua primaeva dedicatione seu sanctificatione, sed per legem Ecclesiae supervenientem; haec autem immunitas seu privilegium dicitur sanctitas, quia ordinantur ad priorem sanctitatem tuendam, et illius gratia conceduntur. Actiones ergo, quae sunt contra alterutram sanctitatem, sunt sacrilegia. »

« Ex his colliges, actiones quae sunt *directe* contra primariam sanctitatem rei sacrae, *ex natura rei,* independenter a jure positivo esse sacrilegas; ut, violare virginem sacram, destruere templum, cultum divinum in eo impedire, et sic multa alia similia: quae qui agit sine necessitate, censetur habere contemptui res sacras, et viles reputare; contemptus autem talis est ex natura rei sacrilegus. – Quae vero *non directe* contrariantur ei, ad quod res sacrae primario sunt sanctificatae, aut contrariantur tantum secundariae sanctificationi, sunt sacrilegia, non ex natura rei, sed *ex jure positivo* ita disponente. Hujus generis sunt, v. g., trahere clericos ad tribunal saeculare, ipsos aut eorum bona tributis onerare, confugientes ad ecclesiam vi extrahere; ita meo sensu, verberare clericum: non enim videtur haec immunitas ipsi debita, vi primae suae sanctificationis; secus, si occideretur, aut mutilaretur sic, ut ineptus fieret cultui divino. Idem censeo de effusione sanguinis aut seminis in templo, et pluribus aliis, quae jure positivo prohibentur in reverentiam rei sacrae: *nam seminis aut sanguinis effusio non videtur directe magis contraria cultui divino,* ad quem primario sunt sanctificata templa, *quam cetera peccata,* v. g., mendacia, detractiones etc., *quae,* ut modo dicam, *non sunt sacrilegia.* – Nota tamen, quod actio licita de se, vel illicita, quae fieret *in contemptum rei sacrae,* foret ex natura rei sacrilega, ratione pravae intentionis, ut jam innui supra. »

IV. Post relatam Cajetani et Navarri sententiam, P. Ballerini subdit: « Exinde vero profluit conse» ctarium, quod *Pontius* (de matr. » lib. 10. cap. 10. n. 15.) *cum aliis* » deduxit, nullum vel nefandissimum » luxuriae crimen in ecclesia patra» tum posse haberi et dici *sacrile» gum,* si *occulta* maneat effusio se» minis; quippe si haec lateat peni» tus, aut paucis quibusdam tantum » innotescat, ecclesia reconciliatione

1) T. 7. De relig. diss. 10. art. un.

» non indiget. – Hinc autem *duo ab-*
» *surda* sponte effluunt. Primo, quod
» nulla actio, per se, dum occulta
» manet, sacrilega erit. Deinde, quod
» actio sacrilega non erit, quousque
» manet occulta; fiet vero deinceps
» sacrilega, si forte crimen, quod
» occultum diu mansit, in plurium
» notitiam deveniat. »

1. Advertimus, sat paucos esse, qui cum Basilio Pontio *negant,* occultam fornicationem aliamve pollutionem illicitam, secluso contemptu, sacrilegium esse. Plerique enim de *sola occulta copula maritali* loquuntur.

2. Attamen ex hac sententia, *duo* ista *absurda non effluunt,* quae sponte inde effluere contendit cl. Ballerinius. – *Pontius* argumenta contraria allegat, quae *Suarez* adfert ad probandam ceu probabiliorem sententiam, aliquas actiones jam jure naturae, seclusa speciali prohibitione, malitiam sacrilegii induere. Quorum *secundum* est, exoneratione ventris sine necessitate, licet specialiter non sit prohibita, ratione dictante, gravissimam injuriam sacro loco inferri. *Tertium* est: S. Paulum 1. Cor. 11. significare irreverentiam esse, in ecclesia manducare et bibere communi et ordinario modo. *Quartum:* usum calicis sacri in mensa vulgari ex natura rei sacrilegum esse, ut colligendum est Daniel. 5. ex punitione Balthassaris.

3. Ad haec argumenta *respondet Pontius* l. c. n. 11.: « Similiter dico, exonerare ventrem in ecclesia, si ita fieret levandae naturae gratia, non esse sacrilegium; praesumi autem in foro externo sacrilegium, quia praesumitur factum in contemptum, quando sine urgente necessitate fit; sicut blasphemus, qui in imaginem expueret, praesumeretur haereticus, quamvis revera possit esse sine haeresi, imo agnoscendo reverentiam in imagine, cui ex odio in protypum insultare vellet. – Ad *tertium* dico: primo a Paulo damnari eas epulas in ecclesia, ratione contemptus, quem prae se ferebant; dixit enim: *Aut Ecclesiam Dei contemnitis;* et ideo etiam a Patribus damnari. Dico deinde, a temporibus Apostolorum esse praeceptum ecclesiasticum non convivandi profane in ecclesia, quod et posteriorum Pontificum et Conciliorum decretis confirmatum est. Qua lege posita, jam esset contra religionem id facere. Lex enim, quando praecipit, constituit actum in materia specialis virtutis. – Ad *quartum,* facilis est solutio. Omnia enim sancta habent praeceptum naturale sancte tractandi, contra quod peccatur peccato commissionis indigne tractando; et hoc fuit peccatum Balthassaris. – Ex eo tamen nihil colligitur contra nos; nec enim negamus, posse contra reverentiam templi peccari eo peccato, cum in contemptum religionis et consecrationis fit aliquid in templo. Asserimus tamen, eo secluso, non esse speciale peccatum sacrilegii ex jure naturali, sine prohibitione ecclesiastica. »

4. Ideoque *sententia Pontii* haec est: Si quis fornicationem, aliamve pollutionem illicitam in ecclesia cum contemptu sacri loci exercet, sacrilegus est, etiamsi crimen occultum maneat; secus, *in foro conscientiae,* si sine contemptu, libidine abreptus. Si vero postea crimen innotescit, *in foro externo* sacrilegus reputatur, et ut talis punitur, quia praesumitur factum in contemptum; quamvis in foro conscientiae, sacrilegii reus non sit, si haec praesumptio falsa est. – Cadunt ergo ista *duo absurda* a cl. Ballerinio allegata.

5. Ceterum sententia Pontii communiter rejicitur, et omnino rejicienda est. At vero, ecclesiam nullo occulto crimine pollui, et non esse reconciliandam, communissime DD. affirmant. *Suarez* [1] hac ratione dicit: « Secundo dubitari solet circa hunc casum: An per occultam pollutionem

1) De sacram. q. 83. art. 3. sect. 4.

vel fornicationem, aut similem actum, polluatur ecclesia; an vero requiratur crimen esse publicum, et quomodo? Vera et communis sententia est, per crimen occultum ecclesiam non violari. »

V. Concludit P. Ballerini, dicens: « *Hinc verior doctrina censenda est,* » *quam tradidit Lugo* (de Poenit. » disp. 16. sect. 10.). » Quam assertionem non satis admirari possumus.

1. Etenim *Lugo, S. J., veriorem existimat doctrinam Sanchezii,* videlicet, tactus, aspectus et verba turpia, dummodo non fiant cum periculo pollutionis, nec ex se cum pollutione connexa sint, *speciem sacrilegii gravis non habere, quia ab Ecclesia non prohibentur;* et ideo circumstantiam loci sacri, in confessione non esse explicandam.

2. Quod ut clarius pateat, integram *Lugonis* doctrinam hic apponere non abs re erit.

« *N. 464.* Tertio dubitatur: *An tactus etiam et aspectus, ac verba turpia, ratione loci sacri, habeant specialem malitiam explicandam in confessione?* Tres sunt sententiae. Prima dicit, eos omnes actus impudicos contrahere malitiam gravem sacrilegii. Secunda negat in universum de omnibus. Tertia concedit de aliquibus tactibus magis impudicis et turpibus, v. g. inter pudenda; negat de aliis levioribus actibus. Auctores videri possunt apud Dianam, [1] et apud Fagundez, [2] qui non videtur sibi satis constans. Nam [3] reprehendit eos qui dicunt, tactus etiam per partes pudendas, non contrahere malitiam sacrilegii: quam tamen sententiam ipse postea [4] fatetur tandem esse probabiliorem: quam tenet cum aliis, *Sanchez.* [5] - Et ego etiam cum quadam limitatione, *veriorem* existimo: quia, ut bene observat Vasquez supra citatus, *haec accipiunt malitiam gravem sacrilegii, ex prohibitione Ecclesiae; quae, cum non sit de tactibus,* sed de copula aut pollutione, per quas ecclesia violatur, *non est, unde habeant illam speciem sacrilegii gravis:* debet tamen hoc limitari, ut non procedat, quando ii actus fiunt cum periculo pollutionis, aut tactus sunt tales ex se, ut videantur cum pollutione connexi: tunc enim prohibitio pollutionis comprehendere videtur ea, quae ex se tale periculum morale afferunt. »

« *N. 465.* Hinc constat ad id, quod quarto solet dubitari: *An omnia peccata in ecclesia commissa, contrahant specialem malitiam, ratione loci sacri?* Joan. Medina [6] affirmat, in quocumque peccato mortali, sive externo, sive interno, eam circumstantiam esse necessario explicandam. Alii tamen communiter id negant, quia nullum est fundamentum ad id asserendum. Unde distinguunt bene in eo, qui desiderat turpia intra ecclesiam; nam si locus se habeat ex parte objecti, ita ut desideret habere in ecclesia copulam, tunc contrahit rationem sacrilegii: et hoc, sive ipse, quando id desiderat, sit intra, sive sit extra ecclesiam. Si vero locus non se habeat ex parte objecti, sed ex parte subjecti, ita ut, dum est in ecclesia, desideret copulam extra ecclesiam, tunc non contrahit malitiam sacrilegii. Quando vero ipse erat intra ecclesiam, et videns foeminam, illam turpiter concupivit, et non considerat ex parte objecti, quod fiat copula intra vel extra ecclesiam; adhuc non contrahitur malitia sacrilegii: ut notavit Azorius, [7] et prius notaverat Navarrus, [8] quia non fertur ad circumstantiam loci, quam in mente non habet. »

« *N. 466.* Potest tamen dubitari quinto: *An peccata in ecclesia com-*

1) Tom. I. tract. de circumst. aggravant., res. 25. — 2) Lib. 4. de 2. praecepto Eccl. c. 4. — 3) Ibid. n. 29. in fine. — 4) Ibid. n. 31. in fine. — 5) Disp. 15. n. 21. — 6) Cod. de poenit. tr. 2. q. 9. — 7) 3. Tom. lib. 3. c. 27. q. 15. — 8) In C. *Consideret* de poenit. dist. 5. in princ. num. 21.

missa, licet non contrahant malitiam gravem sacrilegii, necessario explicandam in confessione, contrahant tamen aliquam malitiam majorem, ratione loci sacri? Respondetur, per se loquendo, et seclusa ignorantia vel inadvertentia, videri quod contrahant ex loco sacro aliquam irreverentiam specialem; imo eam, licet levis sit, pertinere ad speciem sacrilegii: non enim apparet, cui virtuti opponatur, nisi religioni, propter specialem reverentiam, quae debetur loco sacro. Nam sicut de persona sacra dici solet, quod nugae in ore sacerdotis, aliquid sacrilegii participare videntur: ita de nugis aut verbis otiosis, in ecclesia prolatis, dici potest, et a fortiori de aliis peccatis gravioribus: indecens enim est, ut locus orationi et cultui divino deputatus, convertatur in locum peccandi et offendendi Deum. »

« *N. 467.* Hinc infero, *non esse universaliter veram,* regulam illam, quod ea sola contrahant malitiam gravem sacrilegii, ratione loci, *quae specialiter prohibentur ab Ecclesia,* ob ejus reverentiam. Nam potest contingere, aliqua ita graviter opponi reverentiae debitae loco sacro, ut, seclusa etiam Ecclesiae prohibitione, contraherent malitiam gravem sacrilegii: ut, si aliquis publice ibi copulam haberet cum meretrice; si equos et jumenta induceret, ut in stabulum; si in ipso sacro Altari, idolis offerret sacrificia; haec et his similia, etiam *seclusa Ecclesiae prohibitione,* afferunt gravissimam irreverentiam in domum sacram. »

3. Ut ex hisce textibus apparet, Lugo *non quidem universaliter* admittit regulam illam, nonnisi actiones *specialiter ab Ecclesia prohibitas* sacrilegia esse. Attamen tales tantum actiones excipit, quae necessario *contemptum formalem* sacri loci et religionis implicant, et sine contemptu formali cogitari nequeunt; ut sunt, copula publica cum meretrice, jumenta inducere ut in stabulum, idolis sacrificia offerre. - Sed hujusmodi actiones, et in genere omnes, quae cum contemptu fiunt, sacrilegia esse, etiam patroni oppositae sententiae non negant. Unde *Lugo* ab his in eo tantum discrepat, quod tenet, ceteras actiones *veniales irreverentias* esse, quae ad *speciem sacrilegii* pertinent; isti vero peccatum *in sua specie aggravari* dicunt. Dumque utrique negent, circumstantiam loci sacri confitendam esse, quoad praxim omnino conveniunt.

4. *Verior* igitur dicenda esset regula, quam tradit *Suarez:* « *Omne peccatum, saltem externum,* in ecclesia factum, habet inde *aliquam malitiam sacrilegii,* saltem venialem, raro autem mortalem; nisi ubi prohibitio Ecclesiae intervenerit, vel notabilis irreverentia in ipso actu appareat. » - Sed etiam haec regula *difficultatibus non vacat.* Ipsa namque admissa, omnes irreverentiae, vel minimae, ut verba otiosa, habitus externus minus decens, etc., sacrilegia essent, et in omnibus fere ecclesiis frequentatis quotidie innumera sacrilegia patrarentur: quod notioni sacrilegii, sub quo communiter *crimen gravissimum* intelligitur, repugnare videtur. - Omne quidem peccatum, saltem externum, reverentiae sacro loco debitae adversatur, et omnis hujusmodi irreverentia contra virtutem religionis, sed ideo non semper sacrilegium locale est. Idcirco etiam Theologi saepissime de simplici *irreverentia innominata* loquuntur. Omnes v. g. conveniunt, confabulationes, aliasve actiones profanas, dum Missa celebratur, etiamsi de praecepto adimplendo non agatur, irreverentias veniales esse. Sed nullus est, qui dicat, vera sacrilegia esse; quod tamen juxta regulam, quam tradit Suarez, affirmandum esset.

5. Unde melius nobis dicendum videtur: *Omnem actum externum, quo propter gravem deformitatem debitae reverentiae adversantem gravis injuria loco sacro irrogatur*

sacrilegium locale esse; ceteros autem, in quibus gravis deformitas non apparet, simplices *irreverentias,* quibus levis tantum culpa contrahitur.- Hanc regulam tenet S. Alphonsus, ut ex iis patet, quae n. 459. et 461. (in princ. quaest. relatis) dicit; et hanc, propter rationes modo allatas, *veriorem* existimamus.

His ergo fusius praemissis, ad alteram quaestionis partem accedamus.

Articulus 2.

An, praeciso scandalo, sit sacrilegium copula maritalis habita in ecclesia.

S. Doctor, ut vidimus, n. 458. quaestionem proponit: « *An copula maritalis, aut occulta, habita in ecclesia, aut sine alia culpa, sit sacrilegium?* » Ipse *probabiliorem* dicit tertiam sententiam, scilicet « adhuc per copulam maritalem *occultam* committi *sacrilegium*, et » ecclesiam pollui, *nisi fiat ex morali necessitate*... quamvis tamen, » cum sit crimen occultum, non sit » obligatio a divinis officiis abstinere. » - Nihilominus *satis probabilem* censet primam sententiam, quae tenet, « *praeciso scandalo, nunquam* » *esse sacrilegium copulam maritalem,* sicuti nec sanguinis effusionem ob defensionem factam; quia » praedicta lex, cum sit poenalis, » stricte est intelligenda, nimirum » de sola effusione illicita. Ita Glossa,... Pontius, Sà; item Alensis, Rosella, ac Henriquez, et probabile » putant Sotus, Dicastillus, etc. apud » Salmanticenses. »

Quocirca P. Ballerini in fine praefatae Adnotationis advertit: « Non » silentio praetermittendum hic est, » S. *Alphonsum* (Lib. 3. n. 458.) *post* » *Salmanticenses* (Tract. IX. cap. 15. » n. 61. 62.) ceu *probabile* tradere, » praeciso scandalo, numquam esse » sacrilegium copulam maritalem in » ecclesia habitam. - *Sed haec opinio* » *nullum fundamentum, praeter fallaces allegationes, habet.* Nam Doctores, a Salmanticensibus allega- » ti, reipsa id tantummodo *de casu* » *necessitatis* affirmant. Caeterum » circumstantia scandali per se malitiam sacrilegii non inducit. »

Judice itaque P. Ballerinio, iterum habemus S. Doctorem misere deceptum. Sed ipse potius cl. Professor absque ullo fundamento assertionem suam profert. Etenim I. *Auctores a S. A. citati* revera tenent quod iisdem ipse tribuit; II. Eidem sententiae suffragantur *plures alii Doctores* a S. A. non allegati; III. Ipsa insuper *solidis rationibus* sustentatur; IV. Demum P. Ballerini contra patronos illius sententiae minus recte advertit, *circumstantiam scandali* per se malitiam sacrilegii non inducere.

I. Quid doceant *Auctores a S. Doctore citati,* primum examinare juvat.

1. *Pontius* [1] sic scribit: « Denique alii docent, nullum esse peccatum, si conjuges copulentur in loco sacro, neque ecclesiam violari, *sive copulentur in casu necessitatis sive non.* Sic docent *Glossa,* [2] ubi *Hugo, Laurentius* et *Gandulphus Archidiaconus,* [3] *Henriquus,* [4] *Rosella,* [5] *Gerson,* [6] *Alexander Alensis,* [7] qui tantum dicit esse peccatum propter contemptum Sacramenti; et *alii etiam,* quos refert Glossa, [8] *Emmanuel Sà;* [9] et hanc sententiam esse fortasse veram dicit *Soto,* [10] et potest etiam pro hac sententia referri *Gabriel Vasquez,* [11] dum dicit, neque pollutionem in loco sacro esse speciale peccatum sacrilegii, nisi sit publica, quia ecclesiam non violat, ut statim referam. »

1) Lib. 10. c. 10. n. 13. — 2) In Cap. *Ecclesiis*, verb. *semine*, de consecratione, dist. 1. — 3) Ibid. et in Cap. unico de consecr. eccles. in 6. — 4) Cap. fin. num. 3. de consecr. eccles. — 5) Verb *Consecratio* 1. n. 9. — 6) 2. Part. in Compendio Theolog., tract. de sacr. matrim. — 7) 2. Part. quaest. 147. membro 2. — 8) In cap. unico de consecr. eccl. in 6. — 9) Verb. *Ecclesia* n. 14. — 10) In 4. dist. 13. quaest. 2. art. 3. vers. de quarto. — 11) Disp. 98. cit. n. 6.

« *Horum accedo sententiae* , hac inductus ratione. Quia actus maritales in loco sacro non habent labem sacrilegii ex naturali aut divino jure, sed *tantum ex constitutione ecclesiastica,* quae statuit, nonnullis actibus ecclesiam violari et reconciliandam esse, ut dicebam supra.– Videamus ergo, an jus ecclesiasticum statuat, maritali effusione seminis locum sacrum pollui. Si enim non statuit, non est cur dicamus, actum maritalem in loco sacro, *etiam extra casum necessitatis,* esse sacrilegum, imo neque culpabilem, si scandalum absit. Adducitur ergo textus ex Cap. *Significasti, de adulteriis.* At ibi de copula clerici cum alterius uxore. In Cap. *Ecclesiis* dist. 68., et de Consecratione dist. 1., quod desumitur ex Concilio Nicaeno, tantum dicitur violari ecclesiam, si *cujuscumque,* hoc est, sive viri sive foeminae, pollutione maculetur. Eo autem verbo non significatur maritalis actus. Atque idem dico de Cap. fin. *de Consecr. Eccles.* Debet ergo esse *illicita* seminis effusio. *Actus autem maritalis ex se non est illicitus; et ex jure non ostenditur illicitus. Ergo non est, unde dicamus esse illicitum et sacrilegum in loco sacro.* – Quod etiam a simili ostendi potest in effusione sanguinis, quae quando justa est, non habet speciem sacrilegii. Restat ergo, ut tantum effusione seminis in se illicita, et quae cum peccato mortali fit, polluatur ecclesia; et illa sola, commissa in loco sacro, habet speciem sacrilegii. »

Jam igitur ruit assertio tam fidenter a P. Ballerinio prolata: « *nullum fundamentum praeter fallaces allegationes,* » substerni opinioni, quae a sacrilegio declarat immunem actum maritalem sine scandalo in ecclesia habitum, etiam extra casum necessitatis. Id enim luce clarius Pontius modo allegatus docet et tuetur. –

2. Sed etiam alii Auctores eamdem opinionem tenent aut probabilem existimant. Nam primo quidem Scriptores illos antiquiores quos supra retulit Pontius, citat etiam *Sanchez,* [1] nimirum Glossam (ubi Hugo, Laurentius et Gandulphus Archidiaconus), Henriquum, Rosellam et Gerson. Et hanc sententiam ipse non quidem approbat, sed oppositam tenet, scilicet, copulam maritalem, extra casum necessitatis in ecclesia habitam, sacrilegam esse. Verumtamen non ideo, quia haec copula reverentiae sacro loco debitae *jure naturali* adversatur, sed ea sola ratione, quia, ex sua sententia, quaevis seminis effusio, sive licita sive illicita, *jure positivo* ecclesiam polluit, et impedit divina ibi celebrari, donec reconcilietur: quod autem adversarii negant. – Sed Auctores citare pergamus, qui pro eadem sententia a S. Alphonso allegantur.

3. *Rosella* [2] ad rem nostram haec habet: « Ideo autem addidi *fornicaria:* quia si vir somniando, vel *uxorem cognoscendo* effundat semen, *non propter hoc* (ecclesia) *reconcilianda...* Modo ad propositum. Quod uxor reddat debitum viro in ecclesia, vel exigat, *de se non est peccatum;* maxime credo quod ecclesia non indigeret reconciliatione in dicto casu, si imminente necessitate uxor redderet debitum viro, vel e contra, in ecclesia, puta, erant longo tempore reclusi et exire non poterant. »

4. *Soto* [3] inquit: « Quarto. Violatur autem ecclesia... per quamcumque illicitam seminis effusionem in vigilia, ut habetur Cap. *Significasti de adulter.* De qua effusione seminis et sanguinis habetur etiam *de Consecrat.* dist. 2. can. *Ecclesiis,* et *de Consecr. eccles. vel altaris cap. fin.* Tametsi de conjugali concubitu *dubium sit inter Doctores, et forsan per illum concubitum non violatur,* nam poenae sunt restringendae. »

5. *Emmanuel Sà, S. J.,* [4] haec dicit: « Secundo (polluitur ecclesia) effusione voluntaria seminis viri vel

1) De matrim. lib. 9. cap. 15. n. 7. — 2) Verb. *Consecratio.* 9. — 3) In 4. sent. dist. 13. quaest. 2. art. 3. — 4) Aphor. Conf. verb. *Ecclesia,* n. 14.

foeminae, *si fiat cum peccato mortali.* » Et deinde refert sententias Dominici *Soti, Suarezii* et aliorum, de copula conjugali.

6. *Dicastillus, S. J.,* [1] primo exponit sententiam, quae affirmat, actum conjugalem sacrilegum esse, nisi necessarius sit ad evitandum periculum incontinentiae, puta si conjuges diutius in ecclesia inclusi sunt. Deinde pergit *n. 57:*

« Quamvis autem haec sententia probabilissima sit, *probabilis* etiam multis videtur aliorum sententia, quam sequitur *Glossa,* [2] *Hugo, Laurentius* et *Gandulphus,* [3] *Henricus,* [4] *Rosella,* [5] *Basilius,* [6] scilicet, actum conjugalem in loco sacro aut benedicto non esse illicitum, nedum sacrilegum, quia in primis non est illicitus jure naturali nec divino, ut patet. - Deinde, non satis probatur esse illicitum jure ecclesiastico; nullibi enim reperitur textus, in quo vel prohibeatur vel supponatur prohibitus: nam praedictum *Cap. finale de consecr. eccles.* (qui solus textus solet adduci) non satis probat. Quando enim ibi dicitur: *Si ecclesia cujuscumque seminis aut sanguinis effusione polluta, etc.,* non constat, ibi esse sermonem de effusione etiam conjugali seminis modo naturali et debito: nam ad eorum verborum veritatem, sufficit seminis effusio non conjugalis et illicita contra castitatem, sive foeminae, sive viri, sive clerici, sive non clerici. Idque videtur indicari illis verbis: *si fuerit polluta;* nam cum alias non constet satis, actum conjugalem in ecclesia esse prohibitum intuitu reverentiae ecclesiae, non est cur dicamus, eo actu pollui ecclesiam; maxime, cum eodem tenore verborum ibi dicatur, ecclesiam pollui sanguinis effusione, et tamen non polluitur effusione sanguinis alioquin licita; ergo, sicut non extenditur ecclesiae pollutio ad licitam effusionem sanguinis, ita non videtur extendenda ad *licitam* effusionem seminis. - Ecclesia ergo, juxta *probabilem* hunc discursum, tantum polluitur sanguinis aut seminis effusione *illicita, et non conjugali.* Et quidem *probabilissimum* etiam est, non quacumque illicita effusione seminis, sed tantum *publica,* i. e. quae confessione a reo facta in judicio, aut facti evidentia venerit in multorum notitiam. »

II. Sed praeter citatos Auctores, plures alii, iidemque graves, praefatam sententiam tenent, aut saltem probabilem censent.

1. *Ludovicus Lopez* [7] haec dicit: « Inter tam varias sententias, non parum mihi illa *Soti* placet, ubi *in quarto* ait, quod debitum exigere seu reddere in loco sacro, ubi concubitus est publicus, ut si ambo conjuges in ecclesia cubent, mortale est peccatum, quia violatur ecclesia. *Si tamen sit secretus talis concubitus,* quia tunc secundum Sotum et Theologos non indiget reconciliatione ecclesia, *forte,* inquit Sotus, *non est peccatum mortale. Cui ego assentio,* maxime, si concurrant praedictae causae supra memoratae, contemptum irreverentiae tollentes (sc. quando diutina et necessaria est conjugum in ecclesia habitatio), et per consequens a culpa mortali excusantes. »

2. *Lessius, S. J.,* [8] ait: « Si tamen nullum sit periculum incontinentiae, non videtur licitum; quia in eo loco tenentur abstinere quantum commode possunt. Unde passim DD. requirunt, ut actus ille sit necessarius ad vitandam incontinentiam. Hinc infert Toletus cum Silvestro, fore peccatum mortiferum, si sobolis vel delectationis causa conveniant. Quod intellige de petente: nam reddens facilius excusari potest, cum nesciat alterius dispositionem. *Contrarium*

1) De matrim. disp. 9. dub. 5. — 2) In Can. *Ecclesiis*, de consecr. dist. 1. — 3) Ibid. — 4) In C. finali, de consecr. eccl. n. 3. — 5) V. *Consecratio* 1. n. 9. — 6) (Scil. *Pontius*), lib. 10. c. 10. n. 10. — 7) Instr. consc. P. 1. c. 82. — 8) Lib. 4. c. 3. n. 86.

tamen non videtur improbabile, quod docet *Angelus*,[1] citans pro se *Richardum* et *Alexandrum* (i. e. Alensem): hominibus enim plebejis major quaedam licentia est necessaria; vix enim possunt definire quando sit periculum sufficiens incontinentiae ad petendum. Deinde alter non potest scire, an in petente sit revera periculum, an fingat; nec petens id facile fatebitur. Praeterea, nisi interdum conveniant, facile incident in tale periculum. Unde Apostolus insinuat, ut revertantur in idipsum, ne in periculum incidant. Denique res illa satis est in praxi intricata et perplexa. »

3. *Fagundez, S. J.*:[2] « Ultra inquires, utrum, seclusa diuturna inclusione, et secluso periculo incontinentiae pollutionis, licita sit copula secreta et occulta inter conjuges in loco sacro in omnibus casibus, in quibus licita est extra illum? - *Communiter Doctores negant*, ut vidimus n. 17. *Non videtur tamen id improbabile Lessio allegato, et dicit etiam probabile Angelus* (verb. Debitum conjugale n. ult.), ubi citat Richardum et Alensem, sed non allegat locum; et probari potest haec opinio, quia alter conjux non potest scire, quando in petente periculum detur incontinentiae, nec conjux petens tenetur se manifestare cum tanta verecundia, et quia sunt nonnulli adeo incontinentes, ut expectare non possint hanc temporis diuturnitatem; et quia, moraliter loquendo, videtur impossibile hoc praeceptum, ut sese contineant conjuges, quando soli sunt, et ideo supra fragilitatem humanam. »

4. *Filliuccius, S. J.*:[3] « Dico secundo, per copulam carnalem quamcumque illicitam in loco sacro committi sacrilegium; quia peccatur contra sanctitatem loci, et fit illi injuria, ut alibi dictum est. Per *licitam* autem, qualis est *matrimonialis*, semper etiam committitur sacrilegium, quando fiat ad delectationem vel procreationem filiorum. Si autem fiat ad vitandam incontinentiam et peccatum carnis, quo alter conjux vexatur, non committitur sacrilegium, ut *communiter* docent DD. - *Non est tamen improbabile*, quod docet Lessius, ex Angelo citante Richardum et Alexandrum, etiamsi fiat ad procreationem filiorum vel delectationem, non esse sacrilegium, nec pollui ecclesiam; quia hominibus vulgaribus major quaedam licentia est necessaria: nesciunt enim dignoscere quando est periculum incontinentiae, et nisi statis vicibus conveniant, facile incident in periculum. »

5. *Reginaldus, S. J.*:[4] « Primum est: per sanguinis aut seminis humani effusionem in loco sacro, hunc pollui seu profanari, ita ut consecratione indigeat, ut divina in eo celebrentur... Cum vero per ejusmodi effusionem, gravis injuria contra virtutem religionis inferatur divinis (impediendo nimirum celebrationem eorum, explendae libidinis venereae gratia) manifestum esse, quod istiusmodi sacrilegium, cum mortali malitia castitati contraria conjunctam habeat mortalem malitiam religioni contrariam, eamque specie diversam: utpote virtuti diversae speciei contrariam. - Secundum est: huic eidem peccato obnoxios esse conjuges, si in loco sacro utantur copula conjugali, *nisi necessitas ipsos excuset*. Etenim per talem copulam, locum ipsum sacrum pollui, negant quidem aliqui; ceterorum tamen sententia (utrosque magno num. commemorat Sanchez loco cit. n. 7.) affirmantium pollui, *probabilior* est, ut et tutior: quoniam jura ante memorata generaliter ac sine distinctione statuunt, ecclesiam pollui sanguinis aut seminis emissione. » - Reginaldus itaque plane suffragatur tertiae sententiae quam tuetur S. Alphonsus; sed, dum sen-

1) V. *Debitum*, n. ult. — 2) Sec. praec. lib. 4. c. 4. n. 23. — 3) Tr. 30. n. 132. — 4) Lib. 22. num. 83.

tentiam affirmantem solummodo probabiliorem dicit, eo ipso contrariam negantem etiam probabilem censet.

6. *Martinus Perez, S. J.,* [1] quaestionem ponit: « An locus sacer aut benedictus reddat actum conjugalem illicitum? » Praemittit, copulam maritalem coram aliis habitam ex se esse mortaliter illicitam, et tres sententias adducit; primam, quae absolute affirmat; secundam, quae absolute negat; tertiam, quae distinguit et tenet, illicitam et sacrilegam esse, si fit absque necessitate: secus, si ex necessitate, ut si conjuges diutius in ecclesia detinerentur. Et suam sententiam proferens, dicit: « *Verius judico,* cum Doctoribus secundae sententiae, *nullum esse peccatum, si conjuges copulentur in loco sacro, neque ecclesiam violari, sive copulentur in casu necessitatis, sive non.* » - Quam propositionem solitis argumentis probat, et inde colligit: « Sola effusione ex se illicita, et quae cum peccato mortali sit, pollui ecclesiam, et illam solam commissam in loco sacro trahere speciem sacrilegii. »

7. *Antonius a Spiritu Sancto:* [2] « Si (copula maritalis) fiat sine causa propter solam delectationem, non est concors Doctorum sententia. *Negant* (conjuges a sacrilegio excusari) Suarez, Coninchius et multi alii, quos refert et sequitur Sanchez. Verum licet haec sententia probabilis sit, *probabiliorem reputo contrariam.* » Et Auctores atque rationes adfert.

8. *Herincx:* [3] « Quoties in loco sacro fit aliquis actus, ob loci reverentiam ab Ecclesia prohibitus, committitur sacrilegium: lex enim humana potest materiam virtutis, alioquin liberam, facere necessariam, idque facere censetur eo ipso, quo similem materiam praecipit. - Prohibet primo Ecclesia illos actus, qui locum sacrum polluunt, ut sunt homicidium culpabile, injuriosa humani sanguinis effusio, humani seminis effusio mortaliter peccaminosa, sepultura excommunicati vitandi aut pagani. »

« Petes, an per praefatos actus inferatur gravis irreverentia locis sacris, *etiam seclusa lege positiva,* ut proinde antecedenter ad eam sint sacrilegi; et in detestationem sacrilegii Ecclesia inflixerit hanc poenam, quod nimirum per illos loca sacra polluantur? - *Respondeo negative* cum Sanchez et aliis, contra Suarez. Non enim apparet tam gravis irreverentia ex natura rei per hoc, quod v. g. sepeliatur paganus aut excommunicatus in loco sacro, potius quam mortuus in malo statu; idem est de copula conjugali, si (quod passim docent) per illam etiam polluatur locus sacer. Nec etiam apparet, cur, seclusa lege Ecclesiae, potius sit graviter sacrilega effusio sanguinis in loco sacro, quam gravis laesio vel percussio sine effusione sanguinis. Idem est de tactibus impudicis aliisque peccatis sive internis, sive etiam externis. - Nihilominus apparet, posse peccari contra reverentiam loci sacri, etiam citra legem Ecclesiasticam, spectato jure seu ratione naturali: prout, juxta communem apprehensionem, videtur rectae rationi repugnare v. g. exoneratio ventris facta in ecclesia citra necessitatem, etc. *Secluso tamen contemptu, prohibitione positiva rarius aut numquam erit sacrilegium mortale, sive sit opus alioquin peccaminosum, sive indifferens.* »

9. *Viva, S. J.:* [4] « *Verius existimo* cum Pontio et Perez, *neque esse mortale, si conjuges in ecclesia copulentur sine necessitate,* nec ecclesiam violari aut pollui per actum conjugalem. » Et rationes fusius explicat.

10. *Mazzotta, S. J.:* [5] « Quaeres secundo, quid sit specialiter dicendum de sacrilegio locali? Respondeo, committi... tertio per omnem actum

1) De matrim. disp. 49. sect. 4. n. 4. — 2) Direct. Confess. tr. 5. sect. 8. n. 564. — 3) De relig. disp. 8. n. 32. et seq. — 4) De matrim. q. 7. art. 1. n. 4. — 5) Tr. 2. in Decal. disp. 1. q. 2. c. 2.

peccaminosum, quo ecclesia polluitur, *non vero, si non polluatur.* » - Et alio loco, [1] quaestionem proponit: An licita sit copula conjugalis in loco sacro? et simpliciter utramque sententiam refert: « Affirmant (sic ait) Rosella, Pontius, Perez et alii. Negant Paludanus, Toletus, Sanchez et alii plures »; et rationem addit, quia in textibus juris generatim dicitur, ecclesiam pollui sanguinis aut seminis effusione, excepto casu necessitatis, in quo praeceptum ecclesiasticum non obligat.

III. Hucusque Auctoritates extrinsecas allegavimus, quibus munitur opinio: copulam maritalem in ecclesia habitam, praeciso scandalo, nunquam esse sacrilegium. Haec eadem opinio, ut jam vidimus, textus Auctorum referendo, innititur etiam *Rationibus intrinsecis;* quae praesertim ad duas reduci possunt.

1. *Prima* est: *copulam maritalem jure positivo non esse prohibitam:* quippe quod textus juris de sola *illicita* seminis effusione intelligendi sint. Et hoc argumentum satis probabile est; quia alias, si ecclesia quacumque effusione pollueretur, id etiam de pollutione involuntaria dicendum esset. Cui rationi accedit regula generalis, *poenas esse restringendas,* ut advertit Dominicus Soto.

2. Altera ratio est: *copulam maritalem nec jure naturali illicitam esse.* Etenim omnes conveniunt; copulam coram aliis habitam peccatum mortale esse propter scandalum, quod isti necessario patiuntur. Secluso autem scandalo, et contemptu sacri loci et religionis, actus conjugalis actus licitus et honestus est, quo Deus non offenditur, et ideo tanto minus templum Dei. Etiamsi autem forte conjuges ratione intemperantiae delinquerent, hac culpa veniali certe loco sacro gravis injuria non irrogatur. Cumque multi graves DD. teneant, tactus impudicos inter solutos jure naturali non esse sacrilegia, a fortiori idem dici potest de copula maritali, in se licita et honesta.

3. Porro haec sententia supponit, copulam *ob causam urgentem* in ecclesia exerceri. Si enim conjuges commode in alio loco convenire possent, a *contemptu* et consequenter a *sacrilegio* excusari nequirent. - At haec causa urgens vix alia esse potest, quam graves tentationes periculum incontinentiae inducentes: cum ex hypothesi alius locus ipsis non pateat. Cur autem periculum incontinentiae ad diuturnam inclusionem restringendum sit, non liquet: spectata enim humana fragilitate, facile fieri potest, ut conjuges etiam absque diuturna abstinentia, graves et periculosas tentationes patiantur.

IV. Quod demum illud attinet, quod subjungit P. Ballerini: « *circumstantiam scandali per se malitiam sacrilegii non inducere* », facilis responsio est.

1. Etenim praefatae sententiae Auctores id non asserunt; sed eo argumento utuntur, quod prohibitio Ecclesiae de sola *illicita* seminis emissione intelligenda sit. Atqui copula maritalis *cum scandalo* est graviter illicita, et semper peccatum mortale, ergo *prohibitione Ecclesiae* comprehensa, et consequenter sacrilega.

2. Ceterum *Suarez* tenet, *circumstantiam scandali in hac materia utique speciem sacrilegii inducere.* De tactibus enim impudicis loquens, dicit: [2] « In quo genere, actus illi reputantur prudenter materia gravis et sufficiens ad gravem irreverentiam loci sacri. Fortasse tamen non erit idem de turpi aspectu aut nutu, aut levi verbo, maxime quando in transitu et sine notabili mora et scandalo fiunt, quia non videntur materia ita gravis. De quo non potest ferri certa regula, sed id prudenti judicio relinquendum est. Unum autem ex

1) De matrim. disp. 4. q. 1. c. 2. — 2) De relig. lib. 3. c. 7. n. 11.

signis non contemnendis est, *quando grave generat scandalum;* quia, licet malitia scandali videatur diversa et per accidens, tamen indicat propriam malitiam, quando sub illa movet actus ad scandalum: *ita vero est in praesenti,* quia qui haec operantur in templo, non solum apprehenduntur ut luxuriosi ac leves, sed etiam ut irreligiosi et in locum sacrum injuriosi, et sub ea ratione graviter offendunt populum: ergo signum est, sub ea etiam ratione graviter offendere Deum et templum ejus. »

SIT IGITUR TOTIUS QUAESTIONIS CONCLUSIO:

I. Ad primam partem quod attinet, *de actibus non consummatis*,

1. S. Alphonsus non admittit sententiam, quae *sacrilegii localis* rationem *ex solo Ecclesiae statuto* repetendam esse tenet; sed dicit sacrilegium committi, etiam independenter ab Ecclesiae prohibitione, *quoties gravis irreverentia seu injuria loco sacro irrogatur.* – Hinc absolute probabilius censet, sacrilegos esse *omnes quoscumque actus externos graviter turpes in ecclesia habitos.*

2. Oppositam tamen sententiam non omnino reprobat. Et recte quidem; etenim sententia quae tenet, tactus impudicos, utpote ab Ecclesia non specialiter prohibitos, sacrilegia non esse, aut saltem non gravia, talibus *rationibus* sustentatur, quae (uti ex allatis textibus patet) omnino improbabiles dici nequeunt. Cumque insuper tot insignes DD. eam teneant aut probabilem dicant, *extrinseca saltem auctoritas* eidem sententiae vindicari potest.

3. Hanc eamdem sententiam, P. Ballerini merito quidem non admittit; sed in eadem impugnanda, plura minus recte profert.

II. Quoad alteram quaestionis partem *de copula maritali,*

1. Licet S. Alphonsus ceu *probabiliorem* amplectatur tertiam sententiam, quae dicit « adhuc per copulam maritalem *occultam,* committi sacrilegium et ecclesiam polui, nisi fiat *ex morali necessitate*: » optimo tamen jure, tum ex auctoritate extrinseca, tum ex rationibus intrinsecis, *satis probabilem* censet *primam* sententiam, videlicet, « *praeciso scandalo,* nunquam esse » sacrilegium copulam maritalem in » ecclesia habitam. »

2. Tantum abest ut haec postrema sententia « *nullum fundamentum praeter fallaces allegationes* » habeat, sicuti asserit P. Ballerinius, ut contra haec ipsa cl. Professoris assertio falsa sit; quia complures et quidem graves Doctores opinionem illam sustinent, aut saltem probabilem judicant.

QUAESTIO IV.

An sit Simonia, dare Mutuum, ut eodem tempore Beneficium, aut alia res spiritualis retribuatur, vel contra.

(S. Alph. Lib. III. n. 57. — P. Ball. Tom. I. n. 288.)

Ad propositum dubium, S. ALPHONSUS Lib. III. n. 57. respondet: « Videtur quod non; pariter ac si mutues cum pacto, ut alter se obliget ad remutuandum in futurum, esset quidem usura; non vero si cum pacto, ut eodem tempore alter aliud tibi remutuet; sicuti quoad mutuum approbant Salmanticenses cum Lessio, Villalabo, Diana etc. et docet S. Thomas. Ratio, quia nihil tunc pretio aestimabile percipitur ultra sortem. – Sed in casu nostro, *omnino tale pactum tenendum est, ut simoniacum:* quia hic simonia est tradere quidquid temporale pro spirituali. Ita Viva, et Salmanticenses communiter cum Laymann, Lessio, Bonacina, Palao, Navarro, Filliuccio etc. »

P. Gury, T. I. n. 288. pag. 301.[1] dicit: « Pretium temporale triplicis generis in Jure canonico distinguitur: 1°. *munus a manu,* seu retributio rei cujusvis temporalis pretio aestimabilis... »

Ad haec autem verba, P. BALLERINI sequentia adnotat: « Huc revocatur non solum debiti remissio (quod aperte constat ex Cap. *Veniens 10. de Testibus et attestationibus*), sed etiam dilatio solutionis, vel solutio anticipata et mutuatio; *quorum tamen rationem dum reddere quidam volunt, haud mediocriter se remque totam implicant.*

» Et *S. Alphonsum* quidem (Lib. 3. n. 57.) *sua ipsius mens recta compulit,* ut mutui exactionem pro re spirituali *simoniacam* diceret, et posthaberet idcirco opinionem, quae solum pactum mutuandi *in posterum,* non vero mutuandi *in praesens,* ceu pravum damnat; *quam opinionem perperam Salmanticenses* (De Simon. cap. 1. n. 35.) *S. Thomae adscribunt;* nam S. Doctor (2. 2. q. 78. art. 4. ad 2.) non de obligatione mutuandi imposita, sed loquitur de captanda benevolentia, qua quis sponte sua ad remutuandum inclinatur.

» Caeterum *S. Alphonsus* (l. c.) nullam rationem reddit, nisi quod *Simonia sit tradere quicquid temporale pro spirituali.* At superest difficultas, quo pacto *mutuatio,* quae gratuita esse debet, dici possit quid *temporale* eo sensu, ut *pretio* aequiparetur. Nam, ut ait S. Thomas (2. 2. q. 100. a. 5.), ad Simoniam requiritur *pretium aut aliquid pretio aestimabile,* quod a gratuitate mutui abest.

» *Laymann* itaque (Lib. 4. tr. 10. cap. 8. §. 3. n. 25.) ut conciliet gratuitatem mutui cum Simonia exigentis mutuum, recurrit ad latiorem *pretii* sensum, ut comprehendat *omnem aliam commoditatem temporalem, quae ex pacto detur pro re spirituali.* Verum haec merito pugnantia dixeris. Nam commoditas temporalis, quae non sit pretio aestimabilis, est chimaera. Vid. S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 5. et 4. Dist. 25. q. 5. art. 3. – Eundem nodum ut solvant *Salmanticenses* (l. c. n. 36.) reponunt, non esse necessariam in mutuo tantam puritatem, quanta exigitur in spi-

1) In altera edit. pag. 230.

» ritualibus. Sed hoc nihil est. Et» enim puritas, quae exigitur, haec » prorsus est, ut arceat compensa» tionem, quae sit pretio aestima» bilis.

» *Vera itaque ratio,* cur simonia» cum sit exigere mutuum pro re spi» rituali, inde petenda est, *quod usus* » *propriae pecuniae aliis concessus* » *per se reapse sit quidpiam pretio* » *aestimabile;* quod quidem non so» lum communis hominum sensus, » sed et plerique fatentur doctores. » (Vid. *Lugo,* de Just. et Jur. disp. 25. » n. 18. 24.) cum *S. Thoma* (3. Dist. 37. » q. 1. art. 6. ob. 2. coll. 4., Dist. 25. » q. 3. art. 3.). — Neque tamen inde » sequitur, pretium pro mutuo exigi » licite posse. Quippe mutuum, ex » omnium sententia, censetur inter » contractus gratuitos, non secus ac » commodatum et donatio. Quisquis » ergo *mutuam* dat pecuniam, sponte » ex liberalitate renunciat compen» sationi, quam licite posset exige» re; non secus ac qui equum com» modat aut donat, sponte compen» sationi seu pretio renuntiat, quod » pro usu equi aut pro ipso equo per» cipere alioquin posset. Porro qui » mutuum *exigit ex pacto* pro re spi» rituali, non quidpiam liberaliter » oblatum recipit, sed onus per se » pretio aestimabile imponit. Merito » ergo id simoniacum censetur. »

Cl. Professor, ut patet, S. Alphonso omnino adstipulatur in tenenda sententia affirmativa. Sed advertit, plures Auctores, in reddenda ejusdem sententiae ratione, « *haud me*» *diocriter se remque totam impli*» *care* »; atque hos inter, speciatim recenset Salmanticenses et Laymann. Gratulatur quidem S. Alphonso de « *mente recta* » quae ipsum compulit ad veram sententiam amplectendam; sed nec rationem ab ipso allatam probativam censet. Ad nodum itaque solvendum, ipsemet P. Ballerini *veram rationem* nos docet. — Non abre tamen erit, haec omnia paulisper inspicere; ideoque perpendemus 1. *Quaenam ratio a DD. communiter afferatur,* ad probandum in casu pactum simoniacum; 2. quid sentiendum sit de ratione a *cl. Professore* allegata.

Articulus 1.

Perpenditur Ratio a DD. communiter allata, ad probandum in casu pactum simoniacum.

I. P. Ballerini primum *Salmanticensibus* exprobrat, quod isti « opi» nionem, quae solum pactum mu» tuandi *in posterum,* non vero mu» tuandi *in praesens,* ceu *pravum* » damnat, perperam *S. Thomae* ad» scribunt. »

1. Cum autem cl. Professor nec S. Alphonsum, nec Salmanticenses, nec S. Thomam alleget, quilibet haec legens, sub *pravo* pacto, *simoniacum* intelliget. Verum S. Thomas non de Simonia, sed de *Usura* loquitur; et hac ratione Salmanticenses recte eum citant, seu potius ab adversariis recte citari concedunt.

2. Loco enim citato, Tr. 19. cap. 1. n. 35., *Salmanticenses* quaestionem proponunt, de qua agimus, dicentes: « Videtur propter mutuum, beneficium dare, vel propter beneficium aliudve spirituale, mutuum exigere, non esse simoniam. Tum, quia secundum *D. Thomam* [1] et communem omnium consensum, ad simoniam requiritur pretium, aut aliquid pretio aestimabile; sed mutuatio non est aliquid pretio aestimabile, ob idque propter mutuum, pretium seu lucrum petere, est *usura:* ergo propter mutuum conferre beneficium, non erit dare spirituale pro aliquo pretio aestimabili, et sic non erit simonia. Tum etiam, quia mutuare sub ea conditione et pacto, ut alius remutuet pecuniam, ut alius mihi triticum remutuet, non est usura, ut ex Diana, Lessio, Maldero, Villalobos diximus loc. cit. n. 62., et docet *D. Thomas.*[2]

1) Q. 100. art. 5. — 2) 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4.

Quia nihil ibi pretio aestimabile ultra sortem petitur. – Ergo similiter in praesenti id non erit sufficiens pretium ad simoniam. Sic *Sanchez*,[1] *Aragonius*,[2] ubi asserit, quod *in rebus spiritualibus non est simonia id, quod in temporalibus non est usura; Pasqualigus*[3] quem refert et sequitur *Diana;*[4] quatenus asserunt, esse fere eandem rationem in simonia, ac usura; et omnes alii, qui unam cum alia in omnibus comparant cum distinctione, quod una sit in temporalibus, alia in spiritualibus. »

II. Objicit cl. Professor, *S. Thomam,* « non de obligatione mutuandi imposita » loqui, sed « *de captanda* » *benevolentia*, qua quis sponte sua » ad remutuandum inclinatur. » In quem finem citat: 2. 2. q. 78. art. 4.[5] *ad 2.*

1. At vero, hoc numero *2*, D. Thomas *argumentum refutat ex adverso prolatum,* scilicet: unumquemque teneri ex quodam debito honestatis aliquid recompensare ei, qui sibi gratiam fecit. – Ad quam objectionem respondet: « Ad secundum dicendum, quod recompensatio alicujus beneficii dupliciter fieri potest: uno quidem modo, *ex debito justitiae,* ad quod aliquis ex certo pacto obligari potest; et hoc debitum attenditur secundum quantitatem beneficii, quod quis accepit. Et ideo ille qui accepit mutuum pecuniae, vel cujuscumque similis rei, cujus usus est ejus consummatio, non tenetur ad plus recompensandum quam mutuo acceperit: unde contra justitiam est, si ad plus reddendum obligetur. Alio modo tenetur aliquis ad recompensandum beneficium *ex debito amicitiae;* in quo magis consideratur affectus, ex quo aliquis beneficium contulit, quam etiam quantitas ejus quod fecit; et tali debito non competit civilis obligatio, per quam inducitur quaedam necessitas, ut non spontanea recompensatio fiat. »

Nihil ergo S. Thomas hic dicit *de captanda benevolentia;* sed id tantum dicit, non licere sub titulo *debitae gratitudinis* alterum obligare ad plus recompensandum, quam mutuo acceperat.

2. Verum, *ad n. 4.,* quem locum *Salmanticenses* citant, D. Thomas aliam objectionem refutat, videlicet: « Praeterea, eadem videtur esse comparatio *dati ad datum*, et *mutuati ad mutuatum.* Sed licet pecuniam accipere pro alia pecunia data. Ergo licet accipere recompensationem alterius mutui pro pecunia mutuata. »– Et ad hanc objectionem respondet: « Ad quartum dicendum, quod pecunia non potest vendi pro pecunia ampliori, quam sit quantitas pecuniae mutuatae, quae restituenda est. Nec ibi aliquid est exigendum aut exspectandum, nisi benevolentiae affectus, qui sub aestimationem pecuniae non cadit; ex quo potest procedere spontanea mutuatio. Repugnat autem ei obligatio ad mutuum faciendum in posterum, quia etiam talis obligatio pecunia aestimari posset. Et ideo licet simul mutuanti unum, aliquid aliud mutuum recipere; non autem licet eum obligare ad mutuum *in posterum* faciendum. »

Claris ergo et disertis verbis Angelicus hic docet, *licere simul mutuanti unum, aliquid aliud mutuum recipere,* quia nihil exigendum aut exspectandum est, nisi benevolentiae affectus pretio non aestimabilis. Si enim quis ab altero ut benevolentiae seu amicitiae officium, mutuum petit, hic autem simul simile officium ab ipso rogat, simultanea haec mutuatio ex utraque parte spontanea est, quia neutri parti aliud onus aliave obligatio imponitur praeter *restitutionem ejusdem rei quantitatis et qualitatis.*

3. Hoc eodem sensu communiter

1) Tom. 1. Consil. lib. 3. c. 3. dub. 28. n. 4. — 2) 2. 2. q. 100. art. 6. concl. 1. — 3) In qq. Canon. centur. 4. q. 378. n. 6. — 4) Part. 11. tr. 6. Miscell. resol. 31. — 5) Rectius: *art.* 2.

Doctores Angelicum intelligunt. – Sic *Lessius*[1] quaestionem proponit: « *Utrum sit usura, si tibi mutuem, ut mihi vicissim remutues?* » Et ait: « *53.* Respondeo, et dico primo: Si tibi mutuem pecuniam ea lege, *ut statim mihi remutues frumentum vel vinum, non est usura;* modo tibi hoc non sit magis damnosum, quam illud mihi. Colligitur ex *D. Thoma,*[2] cum ait: Licet simul mutuanti unum, aliquod aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuandum *in posterum.* – Probatur primo: Quia qui a me petit officium amicitiae, potest vicissim a me rogare simile officium, et si nolit praestare, tanquam ingratus repelli. »

« *Dices:* Officio tuo, quo mihi mutuas, respondet ex aequo redditio sortis; ergo non potes pro eo aliud officium (v. g. mutuationem vini vel olei) cum quo tua functio permutetur exigere. – *Resp.* Actionem illam mutuandi *dupliciter* posse considerari. Primo, ut *contractus* quidam, quo traditur certa summa pecuniae; et sic respondet ei redditio sortis, ut officium *justitiae;* nec quicquam amplius tamquam ex justitia debitum potest exigi. Secundo, ut est *officium amicitiae,* quod ab amico in commodum amici praestari solet: et sic debetur ei compensatio per aliud officium amicitiae, eaque potest exigi *in praesenti.* »

« *Probatur secundo:* Quia nihil hic deducitur in pactum, quod sit pretio aestimabile. Si enim mea mutuatio non est pretio aestimabilis, neque etiam ipsius. *Tertio:* Quia non exigitur ut pretium mutuationis, sed ut conditio quaedam in mutuatario, quae ipsi non est gravior, quam mihi mutuatio. Secus esset, si esset illi longe gravior; tunc enim videretur pretium: nam talia gratis rependi non solent. Hinc patet, non esse periculum, ne hac ratione pallietur usura. *Dices:* Omne onus a mutuo debet abesse. – *Resp.* Id verum esse de onere, quod *majus* sit, quam onus mutuantis. Item de onere in futurum, non de officio amicitiae *in praesenti.* »

III. *Salmanticenses* autem sententiam supra relatam, quam *n. 35.* exposuerunt, non approbant; ideoque in *n. 36.* eam refellunt, dicentes:

1. « Sed certe cum simonia circa res spirituales versetur, quae sunt omni reverentia ac veneratione tractandae; plures commutationes et conventiones, quae sunt immunes a vitio usurae, etiam in temporalibus, non sunt a simoniae labe liberae in spiritualibus. Quia in mutuo largiendo, non est necessaria tanta puritas et gratia, quanta in spiritualibus dispensandis, propter dignitatem eorum, quae non admittit commutationem pro rebus spiritualibus, quae dignitas non reperitur in rebus mutuatis. In istis enim ad usuram solum attenditur, ne pretium aut lucrum pro mutuo supra sortem petatur; ob injustitiam, quae fit mutuatario, illi supra debitum aliquid exigendo: quod non contingit, quando id, quod exigitur, non est pretio aestimabile, ut in nostro casu. In illis vero, solum ob reverentiam rerum spiritualium aliquod temporale peti vel accipi, ut simoniacum condemnatur: quod quia communiter pretio aestimari solet, dicitur simoniam esse rem spiritualem pro temporali pretio aestimabili commutari. – Caeterum, quia eadem reverentia, imo major invenitur, cum res spiritualis pro temporali, nullo aestimabili pretio confertur; quia in hoc magis deprimitur, et vilipenditur res spiritualis; ideo illam pro mutuo, quod est quid temporale, commodum et utilitatem secum ferens, sed nullo pretio aestimabile, conferre, vel rem spiritualem pro illo dare, si hoc ex pacto, conventione aut conditione procedat, simoniacum censendum est. Et ita communis sententia te-

1) Lib. 2. c. 20. dub. 8. — 2) Art. 2. ad 4.

net, quam docent Torre, Paulus Laymann, Bonacina, Hugolinus, Filliuccius, Lessius, Palaus, Navarrus, Rodriquez et alii. »

2. Duas ergo assertiones *Salmanticenses* adversariis concedunt: secundum S. Thomam et communem sententiam, ad simoniam pretium seu pretio aestimabile requiri; et secundum eumdem S. Doctorem, usuram non esse, si quis mutuat ea conditione, ut alter remutuet. At vero consequentiam inde deductam negant, quia dispar est ratio, qua *usura* et qua *simonia* prohibetur. Commodum seu utilitas, quam mutuum secum fert, pretio non est aestimabilis, quatenus de justitia agitur; quia injustum est, praeter debiti restitutionem, aliquid exigere. Nihilominus hujusmodi commoda in se spectata communiter pretio aestimari solent. Cum autem malitia simoniae non in laesa justitia, quemadmodum in usura, sed *in violata reverentia* rebus spiritualibus debita resideat, jam satis est ad simoniae reatum, si quis rem spiritualem dat vel accipit pro temporali, quae in se spectata et secundum communem aestimationem pretio aestimabilis est.

3. Hanc autem argumentationem, qua Salmanticenses utuntur, quoad substantiam apud *Suarez* reperies, qui egregie [1] hanc quaestionem pertractat:

« Quinto, ad *munus a manu* pertinet mutuare pecuniam pro accipiendo beneficio vel simili re spirituali; vel e converso, dare beneficium sub conditione pecuniae mutuandae tantum. In quo puncto videri potest dubium, an hoc sufficiat ad simoniam: communiter enim Doctores dicunt, pretium necessarium ad simoniam esse pecuniam, aut aliquid pecunia aestimabile, ut patet ex *D. Thoma,* [2] et ibi Soto et aliis, et Summistis communiter (verb. *Simonia*); at qui mutuum tantum petit pro re spirituali, non pecuniam petit pro re spirituali, sed pro aequali pecunia, quam postea soluturus est; solam ergo *mutuationem* petit: *quae non est aliquid aestimabile pecunia:* ergo non sufficit ad simoniam. Et confirmatur, quia mutuum non sufficit ad usuram; nam qui non vult mutuare pecuniam, nisi sub conditione accipiendi mutuatum triticum, per se loquendo non committit usuram, ut supra ex D. Thoma retuli. Et ratio est, quia nihil pretio aestimabile ultra sortem petit: ergo similiter in praesenti id non est sufficiens pretium ad simoniam. »

« 7. Nihilominus dicendum est, *mutuum* ex se esse sufficiens *munus a manu* ad committendam *simoniam,* dando spirituale principaliter pro illo, seu in recompensationem et commutationem ejus. Haec videtur esse communis Doctorum sententia, quam magis videntur ut notam supponere quam disputare... Et quidem stando in jure ecclesiastico, est res clara; quia est prohibita omnis pactio in permutatione rerum spiritualium pro temporalibus: non potest autem negari, quin mutuum pecuniae vel rei aequivalentis sit quoddam temporale commodum, etiamsi pretio aestimabile non sit. Et hinc sumitur ratio, etiam stando in jure naturali; quia non minor injuria fit rei sacrae, commutando illam cum re materiali pretio non aestimabili, quam cum aestimabili, imo quodammodo major, ut supra dicebam de vili pretio; quia, quo res datur pro alia minoris, vel nullius aestimationis, eo vilior reputari videtur. Et confirmatur; nam quod datur cum pacto vel sub conditione mutui, non gratis omnino datur, sed ex pacto oneroso; ergo id satis est ad rationem simoniae. Antecedens videtur per se manifestum, quia onus mutuandi temporale est, et interdum reputatur grave. »

1) De Simon. c. 38. n. 6. — 2) Dict. Q. 100. art. 2. et 5.

Deinde *Suarez* legem allegat, qua puniendus est quasi emptor legum, qui judici mutuat; quia mutuum, ut dicunt Jurisconsulti, est utilitas temporalis: « Sic ergo in praesenti, licet *mutuum* non sit aestimabile pecunia, tamen est moraliter et humano modo *multum appetibile propter utilitatem temporalem;* ergo id satis est, ut in materia simoniae habeat *rationem pretii:* nam et sufficit ad corrumpendos animos eorum, qui spiritualia dispensant, et res spiritualis vilescit, cum pro utilitate temporali commutatur. »

Et demum *n. 8.* refellit argumentum contrarium, quod ex analogia *usurae* repetitur, si quis ea conditione mutuet, quod alter remutuet: « Ad rationem ergo dubitandi respondetur, quod, licet in mutuo pecunia detur, integre postea solvenda, et ita illa ut sic non detur gratis, quia revera non donatur; nihilominus *utilitas* illa, quae est in praesenti usu pecuniae, aliquid est temporaliter utile, et illud si spectetur ut pretium rei spiritualis, sufficit ad simoniam, licet id non sit peculiari pretio aestimabile, sed eodem, quo ipsa pecunia; quia ad inordinationem *simoniae* sufficit, ut dixi, illa *commutatio utilitatis temporalis cum re spirituali.* - Nec in omnibus comparanda est usura cum simonia: nam multae conventiones et permutationes licent in usura, quae non licent in simonia; quia non tanta puritas et gratia requiritur in mutuo praestando, quanta in spiritualibus dispensandis, quia in mutuo non attenditur aliqua specialis dignitas vel sanctitas talis operis, sed solum quod non est dignum peculiari pretio aestimabili pecunia ultra sortem; et ideo, si nihil exigatur aestimabile pretio, etiamsi alia commoda ejusdem ordinis, et pretio non aestimabilia petantur, non est usura, ut aperte colligitur ex cap. 1. de Usur. In largitione autem spiritualium rerum, consideratur praecipue dignitas doni spiritualis, quod est supra omnem temporalem aestimationem; et ideo *cum nullo commodo temporali permutari potest, sive illud aestimabile sit pretio sive non.* »

IV. Demum P. Ballerini de *Laymanno* dicit: « Laymann itaque (Lib. 4. » tr. 10. cap. VIII. §. 3. n. 25.) ut conciliet gratuitatem mutui cum Simonia exigentis mutuum, recurrit » ad latiorem *pretii* sensum, ut comprehendat *omnem aliam commoditatem temporalem, quae ex pacto detur pro re spirituali.* Verum haec » merito pugnantia dixeris. Nam » commoditas temporalis, quae non » sit pretio aestimabilis, est *chimaera...* »

1. *Laymann, S. J.,* loco cit. dicit, ad *munus de manu* pertinere mutuum, quod datur vel accipitur propter beneficium, similemve rem spiritualem; et addit: « Neque refert, quod officium mutuandi pretio aestimabile non sit; cum alioquin pro mutuandi officio aliquid supra sortem accipere licitum esset. Constat enim ex praecedenti cap., nomen *pretii* in materia simoniae late accipiendum esse, ut non solum comprehendat proprie dictum pretium, quod est pecunia et quidquid pecunia aestimabile est; sed etiam omnem aliam commoditatem temporalem, quae alicui ex pacto datur pro re spirituali: nam in hoc ipso essentialis malitia simoniae consistit, quod in ea spirituale cum temporali exaequatur ac commutatur. »

2. Laymann hic *de mutuo in genere* loquitur, non *de mutuo reciproco.* In quantum autem dicit, ad simoniam sufficere *pretium sensu lato,* scilicet commoditatem temporalem, licet pecunia non aestimabilem: idem dicit, quod *Suarez,* ut vidimus. Hic vero l. c. n. 7. specialem rationem adfert: « Quod datur cum pacto vel sub conditione mutui, non gratis omnino datur, sed ex pacto oneroso; ergo id satis est ad rationem Simoniae. » - Sed nec Laymann nec Suarez contendit, commoda temporalia

dari posse, quae *in se* pecunia vel pretio pecuniae non essent aestimabilia, sed de commodis loquuntur, quae *per accidens* propter rationem peculiarem non sunt aestimabilia, prout contingit in mutuo, de quo tractant. Quamvis ceteroquin Laymann, distinctionem pretii sensu lato et stricto adhibendo, propter nimium brevitatis studium eam non satis clare et praecise explicet.

Articulus 2.

Perpenditur vera Ratio a cl. Ballerinio allegata.

Cl. Professor meritum sibi vindicare videtur, nodos tandem in hac quaestione solvisse, in qua plures Doctores « *haud mediocriter se remque totam implicant.* » Pergratum igitur erit, veram rationem ab ipso expositam audire.

I. Ait primum: « *Vera* itaque *ratio*, cur simoniacum sit exigere mutuum pro re spirituali, inde petenda est, quod usus propriae pecuniae aliis concessus *per se* reapse sit quidpiam pretio aestimabile. »

Haec utique vera est ratio; verumtamen idem et *Salmanticenses* et *Suarez* affirmant. Isti dicunt, mutuum communiter pretio aestimari solere. Suarez autem l. c. n. 8. dicit: « Utilitas illa quae est in praesenti usu pecuniae aliquid est temporaliter utile, et illud si spectetur ut pretium rei spiritualis, sufficit ad Simoniam; licet id non sit *peculiari pretio* aestimabile, sed eodem, quo ipsa pecunia. » – Si autem ista utilitas *peculiari* pretio non est aestimabilis, necessario inde sequitur, eamdem utilitatem *per se*, si sola ejus natura spectatur, pretio esse aestimabilem et reapse communiter sic aestimari.

II. Sed pergit cl. Professor: « *Neque tamen inde sequitur, pretium pro mutuo exigi licite posse.* » – Quod certum est, et nemo negat; at vero falsa est *ratio* quam addit, dicendo: « Quippe mutuum ex omnium sententia censetur inter contractus gratuitos, non secus ac commodatum et donatio. Quisquis ergo *mutuam* dat pecuniam, sponte ex liberalitate renunciat compensationi, quam licite posset exigere; non secus ac qui equum commodat aut donat, sponte compensationi seu pretio renunciat, quod pro usu equi aut pro ipso equo percipere alioquin posset. » – Sed haec argumentatio duplici capite vitiosa est.

1. Ad essentiam *donationis* pertinet, quod donans nihil plane exigat, nec pro ipsa re, nec pro ejus usu; secus enim hujusmodi contractus jam non esset donatio, sed alius contractus naturam indueret. Si autem mutuator pro usu rei aliquid exigit, haec conditio injusta et usura est, at mutuum non cessat esse mutuum. In quantum vero aliqui DD. mutuum inter contractus gratuitos recensent, eo motivo ducuntur, quod regulariter saltem, nisi circumstantiae excusantes adsint, omnino gratuitus esse debet, ut justus sit. Et ideo ratio, quod *mutuum* pari modo, quo *donatio*, contractus *gratuitus* sit, nulla est.

2. Porro mutuator *interdum* licite, praeter sortis restitutionem, *aliquam compensationem* exigere potest, propter damnum emergens, lucrum cessans, similesve titulos. Si in hisce casibus sola sortis restitutione contentus est, sponte et ex liberalitate juri suo renunciat. Si vero hujusmodi tituli *non* subsistunt, *non sponte et ex liberalitate* compensationi pro usu rei renunciat; sed juste et licite eam exigere nequit.

3. Rationem clare et praecise *S. Thomas* [1] explicat: « Dicendum, quod accipere usuram pro pecunia mutuata est secundum se injustum, quia venditur id quod non est: per quod manifeste inaequalitas consti-

1) 2. 2. q. 78. art. 1.

tuitur, quae justitiae contrariatur. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod quaedam res sunt, quarum usus est ipsarum rerum consumptio; sicut vinum consumimus, eo utendo ad potum, et triticum consumimus, eo utendo ad cibum. Unde in talibus non debet seorsum computari usus rei a re ipsa; sed cuicunque conceditur *usus,* ex hoc ipso conceditur *res,* et propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo seorsum vellet vendere vinum, et vellet seorsum vendere usum vini, venderet eamdem rem bis, vel venderet id, quod non est; unde manifeste per injustitiam peccaret. Et simili ratione injustitiam committit, qui mutuat vinum aut triticum, petens sibi dari duas recompensationes: unam quidem restitutionem aequalis rei, aliam vero pretium usus, quod usura dicitur. »

III. Dicit denique cl. Ballerinius: « Porro qui mutuum *exigit ex pacto* » pro re spirituali, non quidpiam li» beraliter oblatum recipit, sed onus » per se pretio aestimabile imponit; » merito ergo id simoniacum cen» setur. »

1. *Suarez,* l. c. n. 7., ut supra vidimus, ubi *de mutuo in genere* loquitur, dicit non negari posse, quin mutuum pecuniae vel rei aequivalentis sit quoddam commodum temporale, etiamsi pretio aestimabile non sit. Et addit, quodcumque cum pacto vel sub conditione mutui datur, non omnino gratis dari, sed ex pacto oneroso, et id jam satis esse ad Simoniam. At vero *n. 8.,* ubi de casu speciali *mutui reciproci de praesenti* tractat, dicit: Si *utilitas,* quae est in praesenti usu pecuniae, spectatur ut *pretium* rei spiritualis, id sufficere ad inordinationem Simoniae, quamvis haec utilitas *peculiari pretio* non sit aestimabilis, sed eodem, quo ipsa pecunia. Nihil hic dicit *de pacto oneroso;* quia, secundum doctrinam S. Thomae, cui et ipse, et Lessius et communis sententia assentit, mutuatio reciproca et simultanea de praesenti non est usura: quippe quod ibi nihil exigendum aut exspectandum sit, nisi benevolentiae affectus.

2. P. Ballerini praenotat: *ex pacto.* Sed et S. Thomas, et quidem necessario, pactum supponit, pactum scilicet expressum aut tacitum, quo alteri parti conceditur jus, pecunia tradita vel ejus aequivalenti pro arbitrio suo utendi, et obligatio ipsi imponitur, sortem suo tempore restituendi. Verum usus pecuniae et commoda temporalia adnexa pretio particulari non sunt aestimabilia; et obligatio illa ad essentiam mutui pertinet. Aliud vero onus, aliave obligatio neutri parti imponitur. Secus si obligatio ad mutuum *in posterum* praestandum pacto inseritur. - *Vera* itaque *ratio,* cur etiam mutuatio reciproca *de praesenti,* licet non usuraria, nihilominus *simoniaca* censeri debeat, alia non est, praeterquam quod usus et commoda adnexa, quamvis pretio peculiari non sint aestimabilia, nihilominus per se et ex rei natura aestimabilia sunt, et communiter pretio aestimantur.

EX PRAEMISSIS ITAQUE

SEQUENTIA PATENT:

1. S. Alphonsus, nequaquam « *sua ipsius recta mente* », quasi mero instinctu, compulsus fuit ad accedendum sententiae communi, quae tenet, simoniacum esse exigere mutuum pro re spirituali; sed ideo eam approbavit, quia *rationes a Salmanticensibus aliisque* allegatas, *omnino convincentes* judicavit.

2. Ex instituto quaestionis examine liquet, *veras* rationes, quas adfert P. Ballerini, non esse novas, *novas* autem non esse veras.

QUAESTIO V.

An, ob simoniacam collationem et susceptionem Ordinum, etiam primae Tonsurae, incurratur Excommunicatio et Suspensio Summo Pontifici reservata.

(S. Alph. Lib. III. n. 109. 110. 117. — P. Ball. Tom. I. n. 293. resp. 2.)

Tria in praesenti quaestione examinanda veniunt: 1. Utrum a praefatis censuris *Episcopi in casibus occultis* dispensare possint. 2. An simoniace *Ordinatus* suspendatur *ab exercitio omnium Ordinum,* vel illius tantum quem simoniace recepit. 3. An poenae latae contra simoniacas Ordinationes extendi debeant ad simoniacam collationem *primae Tonsurae.*

Articulus 1.

Utrum a praefatis censuris Episcopi in casibus occultis dispensare possint.

Lib. III. n. 109. S. Alphonsus refert textum *Busembaumii:* « Ob simoniacam collationem et susceptionem Ordinum, etiam primae Tonsurae, incurritur excommunicatio et suspensio papalis. Lessius, Laymann.»

Ad quae verba, ipse S. *Doctor* addit: « Ultra *excommunicationem* et » *suspensionem* papalem, *Episcopi* » simoniace ordinantes, et ad id mediatores, incurrunt ipso facto (ex » C. *Cum detestabile,* Extrav. 4.) etiam interdictum ab ingressu Ecclesiae. Et si violaverint suspensionem aut interdictum, suspenduntur » a regimine ecclesiae, et privantur » perceptione fructuum *(ex motu » Sixti V.).* Vide Salmanticenses. - » *Ordinati* autem, ultra praedictam » excommunicationem et suspensionem ipso facto (ex dicto C. *Cum » detestabile,* et maxime *ex bulla » Sixti V.*) suspenduntur ab exercitio suorum Ordinum, sed *illius tantum quem simoniace ordinatus » suscepit,* ut docet Lessius et probabile putant Salmanticenses, contra » Palaum et Rodriquez. Et suspenduntur etiam a spe ascendendi ad » Ordines superiores. Notant vero » Lessius cum communi, et Salmanticenses cum Soto, Laymanno et » Sanchez, non incurri suspensionem » hanc, si, Ordinato ignorante, alius » simoniam commiserit. - Deinde notant Salmanticenses [1] cum Palao, » et Lessius, [2] quod, licet *ex Bulla » Sixti V.* hujus *suspensionis absolutio* a Pontifice ipsimet reservetur, et revocentur quoad hoc facultates concessae Religiosis, et etiam » Episcopis in Tridentino, Sess. 24. » c. 6., *in hac tamen parte dicunt » praefati Lessius et Palaus, Bullam non esse receptam; idemque » confirmant Salmanticenses* [3] *cum » Sà et Suarez.* »

Et paulo inferius, *n. 117.* S. Alphonsus subjungit: « Videndum hic » ultimo, quisnam possit in praedictis poenis absolvere, aut dispensare. Certum est (ex C. pen. de » Sim.), quod excommunicationem et » suspensionem in Ordine simoniace » suscepto *solus Pontifex* potest absolvere; *nisi dictae censurae sint » occultae, quas potest tunc absolvere etiam Episcopus ex Tridentino,* Sess. 24. c. 6. Et etiam Confessarii mendicantes, ut ex communi ait Elbel cum Suarez, Palao. » *Dicunt autem Lessius* [4] *et Salmanticenses,* [5] *quod Bulla in contrarium S. Pii V. in hoc non est recepta.* »

1) Tr. 19. de Simon. c. 4. n. 15. — 2) Lib. 2. c. 35. n. 134. — 3) Loc. cit. n. 34. in fin. — 4) Loco cit. — 5) Loco cit. n. 34. in fin.

Hisce textibus S. Alphonsi statim subnectere juvat duplicem textum *Salmanticensium* a S. Doctore modo allegatum. - Dicunt itaque Salmanticenses, *Tr. 19. de Simonia, cap. 4. n. 34:* « Ab excommunicatione vero incursa ob simoniam in Ordine, Beneficio aut Religione, solus Pontifex potest absolvere, quia illi est reservata. Potest tamen ab excommunicatione absolvere semel in vita, et semel in morte, sicut ab aliis censuris reservatis, quilibet Confessarius electus per Bullam Cruciatam. Sanchez, n. 4. et 6. Imo ab omnibus his censuris, *si publicae non sint,* nec ad forum contentiosum deductae, potest *Episcopus* absolvere juxta Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. Nec contra hoc obstat Bulla Pii V. revocans hanc et alias facultates Religiosorum, quia quoad hanc partem non est recepta. Lessius, Sà, Suarez, Palaus. » – Et altero loco cit. *n. 15 :* « Addit *Sixtus V.* in Bulla, absolutionem harum censurarum et inhabilitatum *Pontifici* reservari, revocando quoad hoc facultates Religiosis concessas, et *etiam concessas Episcopis in Tridentino* sess. 24. cap. 6. de reform. *Sed hanc Bullam in hac parte non esse usu receptam, docent Lessius, Palaus.* »

Quibus expositis, videamus quid sentiat P. Ballerini. – T. I. n. 293. pag. 313.[1] *P. Gury* dicit: « Poenae pro Ordinatione simoniaca sunt: 1°. Quoad Ordinantem, excommunicatio Papae reservata. » - Ad quem textum, cl. Professor sequentia adnotat: « Reser- » vatur haec excommunicatio S. Pon- » tifici in Extrav. *Cum detestabile* » *2. de Simonia; Sixtus V.* vero » Constit. *Sanctum* 5. Januarii 1588.[2] » quoad ipsam expresse *derogavit* » dispositioni *Tridentinae* (Cap. *Li-* » *ceat* Sess. 24. cap. 6. *de Reform.*), » quando crimen esset *occultum:* quod » et de absolutione *ab aliis censuris* » dicendum est, a quibus proinde » Episcopus, sive occulti sint casus » sive publici, absolvere non potest.

» Quod vero *S. Alphonsus* (Lib. 3. » n. 117.) hanc *Sixti V.* Constitu- » tionem tribuat *S. Pio V.*, addens, » ipsam quoad hoc non esse receptam, » totum debetur confusioni a *Sal-* » *manticensibus* inductae, ubi scri- » bunt (De Simon. cap. 4. n. 34.), » *ab excommunicatione incursa ob* » *simoniam in Ordine, Beneficio et* » *Religione..., si publicae non sint,* » *posse Episcopum absolvere. Nec* » (inquiunt) *contra hoc obstat Bulla* » *Pii V. revocans hanc et alias fa-* » *cultates Religiosorum, quia quoad* » *hanc partem non est recepta.* Et » allegant Lessium, Sà, Suarez et » Palaum. - Porro non Pius V. sed » Sixtus V. Episcopis abstulit hanc » facultatem, non tamen quoad omnes » illas censuras, sed solum quoad si- » moniacam SS. Ordinum collatio- » nem. Falsum est insuper, *Sà* et » *Suarez* favere huic errori, imo Sua- » rez oppositum (De Simon. cap. 61. » n. 6.) docet. *Lessius* demum (Lib. 2. » cap. 35. num. 134.) solum dicit, » Constitutionem Sixtinam (non vero » Pii V.) *multis in locis ignorari*, » et idcirco *ibi* non esse usu rece- » ptam.

» Nec obstat, quod Sixti V. Con- » stitutio a *Clemente VIII.* (Constit. » *Romanum* 28. Febr. 1595.) redacta » sit ad terminos juris communis. » Id enim intelligendum est quoad » caetera ibi contenta; nam poenae » et censurae contra simoniacam or- » dinationem latae a Sixto V., etiam » a Clemente VIII., ut communiter » DD. advertunt, confirmatae sunt. » Ita Clemens (Const. cit. §. 2.): *Su-* » *pradictas litteras* (Sixti V.) *ad* » *terminos SS. Canonum..., et ad* » *dispositionem decretorum Concilii* » *Tridentini restringimus et redu-* » *cimus, nec non censuras et poenas* » *in iisdem Sixti litteris contra*

1) In altera edit. pag. 239.— 2) In Bullario Rom. (Tom. 9. edit. Augustae Taurinorum, 1865. pag. 63.) haec Const. *Sanctum* legitur sub die *5. Januarii 1589.*

» *quoscumque,* PRAETERQUAM CONTRA » SIMONIACE ORDINANTES ET ORDINA- » TOS INFLICTAS, QUAS VOLUMUS IN » SUO ROBORE PERMANERE, modera- » mur ed abolemus. »

Plura itaque hic objicit cl. Professor, quae proinde singillatim perpendenda sunt. Hinc I. Adnotabimus *confusionem* ab ipsomet invectam; II. Respondebimus ad objectionem, S. Alphonsum falso tribuere *S. Pio V.* Constitutionem *Sixti V.;* III. Utrum *Sà* et *Suarez* a S. Doctore falso citentur, examinabimus; IV. Demum, *auctoritate plurium DD.* ostendemus, S. Alphonso nullatenus vitio verti posse, quod ex Lessio et Salmanticensibus sententiam retulerit, *Bullam Sixti V.* quoad censuras ob simoniacam Ordinum collationem, *non esse receptam.*

I. Prae caeteris notanda est *confusio,* quam ipse P. Ballerini hic invexit, verum quaestionis statum penitus pervertendo.

1. Nemo namque negat, *Sixtum V.* in Bulla *Sanctum,* de die 5. Januarii 1589., expressis verbis derogasse Capiti *Liceat* Concilii Tridentini, quoad simoniacam Ordinum collationem, et *Clementem VIII.* in hac derogatione nihil immutasse. – Id tantum multi Theologi et Canonistae affirmant, *Sixtinam in hac parte usu non esse receptam, saltem non ubique,* et ideo, in quantum non est in vigore, *Episcopos* in casibus *occultis* absolvere posse; et hanc sententiam, S. Doctor noster simpliciter refert.

2. In quantum vero aliqui dicunt, ob eamdem rationem etiam *Confessarios Mendicantes* absolvere posse, S. Doctor in opere: *Homo apostolicus* Tr. 4. n. 53. advertit: «... Sed » hic nequeo intelligere, quomodo » revocatio privilegiorum opus ha- » beat acceptatione, cum in tantum » Regulares prius poterant, quia Pon- » tificibus sic placuit; ergo *si eis* » *ablata fuerit* ab eodem jurisdictio, » qua potestate possunt sibi talem » jurisdictionem vindicare? Vide di- » cenda tr. 20. n. 17. circa fin. Sed » quidquid sit de hoc, *certum est,* » *per Clementem VIII. ablatam fuis- » se Regularibus* extra Urbem et » intra Italiam, facultatem absolven- » di saeculares a simonia reali et » confidentiali... »

Hisce praenotatis, ad singula objecta transeamus.

II. Objicit primum cl. Professor: « Quod vero *S. Alphonsus* (Lib. 3. » n. 117.) hanc *Sixti V.* Constitutio- » nem tribuat *S. Pio V....., totum* » *debetur confusioni a Salmanti- » censibus inductae.* »

1. Sed aperte hic agitur de mero lapsu calami, facile explicatu propter nominis similitudinem, qui nullum sane lectorem confundet. Etenim, tam S. Alphonsus, quam Salmanticenses, aliis locis, ut vidimus, recte *Sixtum V.* allegant.

2. Ultimo autem loco, lapsus calami in *Palaum,* a Salmanticensibus citatum, redundare videtur. – Dicit enim Palaus: [1] « Adverto tamen, ab omnibus iis censuris, si publicae non sint, vel ad forum contentiosum deductae, posse Episcopum absolvere virtute Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. Ita Suarez. Neque obstat Bulla *Pii V.* prohibens hanc facultatem, quia in hac parte non videtur recepta, ut notavi supra cum Emman. Sà, [2] Lessio ». [3] – Verum idem Palaus l. c. *punct. 24. n. 4.,* ad quem locum remittit, similiter recte Sixtum V. allegat: « Tandem in supradicta Bulla *Sixti V.* absolutio harum censurarum et inhabilitatum Pontifici reservatur, simulque revocantur concessiones et facultates Religiosis concessae Episcopis in Tridentino. [4] Existimo tamen, in hac parte non esse hanc Bullam receptam; imo *Lessius* [5]

1) Tr. 17. disp. 3. punct. ult. n. 2. — 2) V. *Simonia*, n. 12. — 3) Dub. 24. n. 134. — 4) In sess. 24. c. 6. de ref. — 5) Loco cit.

ait, hanc Bullam plerisque locis ignorari, ac proinde non esse usu receptam. Idem indicat *Sà*, [1] quatenus ait: Simoniaci occulti suspensio tollitur per poenitentiam, et manifesti per Episcopum post poenitentiam.»

III. S. Alphonsus, ut vidimus, n. 109. dum sententiam refert Lessii et Palai, Bullam Sixti V. non esse receptam, addit: « idemque confirmant Salmanticenses cum *Sà* et *Suarez*.» – Affirmat autem cl. Professor: « *Fal*» *sum est insuper, Sà et Suarez fa*» *vere huic errori; imo Suarez op*» *positum* (de Simon. cap. 61. n. 6.) » *docet.* »

Quod Emmanuelem *Sà* attinet, ejus testimonio non insistimus, quia verba a Palao citata nimis obscura sunt. – An autem *Suarez* oppositum doceat, examinabimus.

1. *Suarez,* Lib. 4. cap. 61. *De dispensatione circa Simoniam,* de cunctis poenis agit, quae propter Simoniam incurruntur; et *n. 3.* praemittit, absolutionem proprie cadere in censuras, dispensationem vero in alias inhabilitates seu privationes, aut similes poenas.

Num. 4. ex *Extravag.* 1. et 2. de Sim. probat, quamcumque Excommunicationem reservatam esse; attamen addit: « Quamvis autem *absolutio cujuscunque Excommunicationis propter simoniam* incursae, jure ordinario *a solo Pontifice* auferri possit; ejus absolutio intelligitur commissa per illas *Bullas aut privilegia*, in quibus conceduntur casus Pontifici reservati, nisi in particulari excipiatur: quia non censetur habere singularem aliquam rationem, ob quam sub generali concessione non comprehendatur. Est ergo de illa judicandum per generales regulas censurarum reservatarum Pontifici, de quibus in 4. et 5. tom. dictum est. »

Num. 5. de *Suspensione* ab Ordine propter Simoniam in collatione Ordinis commissam tractat; et ex C. penult. de Sim., ex C. *De Simoniace* de Sim., et ex C. *Per translationem* de Renunc. probat, *neminem* in hac suspensione absolvere vel dispensare posse, *praeter Summum Pontificem.*

Et *n. 6.* (quem locum citat P. Ballerini) Suarez addit: « Adhuc vero superest dubium de ista Suspensione, quatenus aucta est per dictam Extrav. *quoad usum inferiorum Ordinum prius legitime receptorum;* nam antiqua reservatio non potest ad hunc effectum extendi: tum quia in poenis non habet locum similis extensio; tum etiam quia non est similis ratio: nam quoad Ordines prius receptos multo facilior est dispensatio, ut constat, quia per illam restituitur homo ad statum, quem legitime acquisierat; per hanc vero conceditur illi, quod vel non acquisierat, vel non bene. Cum ergo haec Suspensio, quoad hunc effectum, in illa Extrav. reservata non sit, videtur inferioribus Praelatis ejus facultas concessa. Nihil enim impedit, eamdem censuram vel poenam esse reservatam quoad unum effectum, et non quoad alium, maxime quando illi effectus ordinario jure separabiles sunt. – Hoc dubium pendet ex quodam principio generali, an Suspensio simpliciter lata pro delicto commisso, eo ipso sit reservata auctori Canonis, etiamsi specialiter non reservetur. In quo puncto probabilius censeo, si constet, suspensionem esse puram poenam vindicativam (ut sic dicam) non posse tolli, nisi ab illo, qui eam posuit, ut dixi. [2] In praesenti autem, et ex verbis et ex intentione praedictae Extrav. videtur valde verisimile, illam Suspensionem esse puram poenam pro peccato commisso, ideoque solum Pontificem posse in illa dispensare. Hanc vero resolutionem certiorem reddit *Sixtus V.* in Constit. sua contra male promotos, ubi vult, hanc suspensionem esse perpetuam, et sine spe

1) Loco cit. — 2) In 5. tom. disp. 29. sect. 1. n. 18. et seq.

ascendendi ad superiores Ordines, et postea absolutionem sibi reservat etiam in foro conscientiae et cum tanto rigore, ut facultas absolvendi in hoc casu non possit censeri comprehensa sub quocumque generali Indulto. Quae reservatio hodie perseverat quoad Simoniam; quia *Clemens VIII.* non revocavit Constitutionem illam quoad hanc partem, sed potius confirmavit. »

Num. 7. et *8.* Suarez docet, idem dicendum esse de suspensione, quam *simoniace Ordinantes* incurrunt, nec non de interdicto personali ab ingressu Ecclesiae; quam poenam Sixtus V. cum eodem tenore, quo de suspensione dictum est, sibi reservavit.

Num. 9. 10. et *11.* de caeteris poenis tractat, scilicet de irritatione collationis seu obtentionis beneficii, et de inhabilitate ad idem nec non ad alia beneficia obtinenda; et demum eodem n. 11., quem locum Salmanticenses citant, dicit: « Circa has vero poenas seu censuras, in quibus diximus non posse Episcopum dispensare, addenda est *limitatio de casibus occultis* et ad forum contentiosum non deductis, juxta facultatem datam Episcopis in Tridentino,[1] quae extenditur ad *excommunicationem,* et ad *quamcumque suspensionem occultam,* quae *propter simoniam* incurritur; quia eo ipso quod non excipitur, sub generali includitur, ut dictum est. »

2. Indistincte ergo et sine ulla exceptione, *Suarez* hic docet, facultatem a Concilio Tridentino *Episcopis* datam *ad quamcumque suspensionem,* quae propter Simoniam incurritur, in casibus *occultis* extendi. — Obiter quidem, et in alium finem *n. 6.* adverterat, *Sixtum V.* absolutionem simoniace Ordinatorum a suspensione contracta, etiam in foro conscientiae, et tanto rigore sibi reservasse, ut facultas absolvendi non possit comprehendi sub quocunque Indulto generali. At vero si Bullam Sixtinam *usu receptam,* et ideo praefatam suspensionem excipiendam esse existimasset, necessario id adnotare debuisset; nam dicere: *quamcumque suspensionem,* perinde est ac dicere: *sine ulla exceptione.* Porro sub Indulto generali, Bullae et privilegia intelligenda sunt, de quibus *n. 4.* locutus est: tum propter contextum, tum propter communem usum loquendi, tum denique, quia de facultate Episcopis a Tridentino data loquens, non dicit: *sub generali Indulto,* sed: *sub generali.*

3. *Bonacina*[2] aliam rationem adfert. Dicit enim: « Si jus antiquum spectemus, Episcopus absolvere potest ab hac suspensione. Ratio est, quia, licet in Extravaganti secunda absolutio *excommunicationis* reservetur Papae, non tamen reservatur absolutio istius *suspensionis;* reservatio autem asserenda non est, nisi sit expressa. Dixi: *si jus antiquum spectemus;* quia si inspiciamus Constitutionem *Sixti V.*, non potest Episcopus absolvere saltem in delicto publico. Ratio est, quia Sixtus V. revocat omnes facultates et concessiones, etiam Cruciatae, absolvendi hujusmodi simoniacos; praecisa tamen hac Bulla Sixti V., Episcopus absolvere posset etiam ab excommunicatione ob simoniam, in susceptione Ordinum commissam, ut bene *Lessius* l. c., *Sayrus*[3] et alii, praesertim si delictum sit *occultum,* juxta facultatem Episcopis concessam in Tridentino. Ita *Henriquez*[4] et *Suarez,*[5] asserentes, Episcopum posse absolvere ab excommunicatione et suspensione contracta ob simoniam, in casibus occultis, non deductis ad forum contentiosum, quia Concilium generaliter loquitur. Imo idem *Suarez* l. c. et *Garzias*[6] adducunt declarationem Sacrae Congregationis, in qua dicitur, Episcopum non pos-

1) Sess. 24. c. 6. — 2) De Simon. q. 7. §. 6. n. 11. — 3) Lib. 4. c. 17. ad fin. — 4) Cap. 39. de excomm. — 5) De Simon. c. 61. n. 11. — 6) De Benefic. p. 8. c. 1. n. 74.

se quidem rehabilitare simoniacum ad beneficia in posterum obtinenda, aut ad ea retinenda, quae per simoniam occultam obtinuit, posse tamen absolvere suum subditum in simonia occulta, et rehabilitare ad Ordines et beneficia antea obtenta. »

4. Verumtamen *Suarez* l. c. etiam declarationem S. Congregationis quidem attingit; at aliam *Gregorii XIII.* subjungit, in qua dicitur, facultatem capite *Liceat* Episcopis concessam non extendi ad casus nova lege Pontificia reservatos post Concilium. Nulla igitur ratio superesse videtur, praeterquam, quod *Suarez Bullam Sixtinam in praedicta parte non receptam esse existimaverit.*

5. Quidquid autem sit, nemo saltem inficiari potest, Suarez sensa sua de hac re *clare et manifeste non explicasse*, et interpretationi *Salmanticensium* sufficientem materiam praebuisse. – Similiter certum est, *ipsum nequaquam oppositum docere* (uti cl. Professor asserit), i. e. Bullam Sixtinam ubique receptam et in vigore esse. De qua quaestione hic unice agitur, ut jam in principio monuimus; nemo quippe, nec Salmanticenses, nec alius quispiam negat, *Sixtum V.* Capiti *Liceat* expresse *derogasse,* et ideo, per se loquendo, Episcopis in praedicta Suspensione, etiam in casibus occultis, absolvere aut dispensare non licere.

IV. Ultima demum objectio perpendenda est. Ait P. Ballerini: « Quod » vero *S. Alphonsus*... hanc Sixti V. » Constitutionem tribuat S. Pio V., » *addens, ipsam quoad hoc non esse* » *receptam,* totum debetur confusio- » ni a Salmanticensibus inductae... » *Et* (Salmanticenses) *allegant Les-* » *sium*... *Lessius*... (lib. 2. cap. 35. » n. 134.) *solum dicit, Constitutio-* » *nem Sixtinam*.... multis in locis » ignorari, *et idcirco ibi non esse* » *usu receptam.* »

1. *Lessius, S. J.,* loco cit. dicit: « *Puto tamen, hanc Sixtinam plerisque locis ignorari, ac proinde non esse usu receptam.* » Si ergo non omnino, saltem ex parte a Salmanticensibus recte allegatur. Imo praesumere licet, Lessium consulto abstinuisse a pronuntiando, Sixtinam non esse receptam, et prudentem reservationem adhibuisse. Vix enim credi potest, Bullam, quam Sixtus V. anno 1589. promulgaverat, an. 1604., quo Lessius opus de Jure et justitia in lucem edidit, in plerisque locis latuisse. – Idcirco non tantum *Salmanticenses,* sed etiam *alii Auctores recentiores,* tam Theologi quam Canonistae, *Lessium* citant, nihil de ignorantia dicentes. Alii simpliciter affirmant, Episcopos in casibus occultis absolvere et dispensare posse, ex Cap. *Liceat,* ut certum supponentes, *Sixtinam* non esse receptam. Alii demum testantur, *eamdem Bullam saltem non ubique esse receptam.*

2. Sic dicit *Billuart:* [1] « Putat Lessius, bullam Sixtinam non esse usu receptam. » – Similiter *Reiffenstuel:* [2] « Putat autem Lessius, hanc Bullam circa hoc non esse ubique receptam. » – Idem dicit *Ferraris.* [3]

3. *Lacroix, S. J.,* [4] quaerit: « Quis dispensare possit in poenis simoniae? Resp. §. 1. Ab *excommunicatione* potest absolvere solus Papa, et alii, qui privilegium habent absolvendi a reservatis Papae; et *in occultis* necdum deductis ad forum contentiosum, possunt secundum Tridentinum *Episcopus,* et Religiosi Mendicantes per sua privilegia. »–Et alibi: [5] « Secundum eosdem Auctores, potest *Episcopus* dispensare etiam in *suspensione,* quae incurritur ob simoniam *occultam;* ad hanc enim recte extenditur facultas dispensandi in occultis casibus pertinentibus ad absolutionem sacramentalem, et necdum deductis ad forum contentiosum;

1) Tom. 7. diss. 11. art. 7. §. 3. — 2) Lib. 5. tit. 3. n. 335. — 3) V. *Simonia,* art. 4. n. 17.— 4) Lib. 3. p. 1. n. 228. — 5) L. c. n. 231.

quam facultatem Episcopis concedit Tridentinum supra. *Nec obstat* Bulla S. Pii V. *(Sixti V.);* nam iidem Auctores tradunt, *illam quoad istud punctum non esse receptam.* » – Occurrit hic iterum ex *Palao* lapsus calami supra notatus.

4. Idem sentit *Pichler, S. J.:* [1] « Absolvere a censuris et dispensare in poenis Simoniae, per se solus potest Pontifex... Dixi: *per se;* nam si delictum sit *occultum* et ad forum contentiosum non deductum, a censuris absolvit *Episcopus,* vi Tridentini, et Religiosi Mendicantes vi privilegii; excepta tamen Simonia in collatione et susceptione Ordinum commissa, *ubi est recepta* Constitutio *Sanctum* Sixti V. »

5. *Continuator Tournely* [2] similiter dicit: « Ordinatus vero est suspensus ipso jure... *Ubi autem Bulla Sixti V. non est quoad hoc recepta,* potest *Episcopus,* ex concessione Concilii Tridentini, absolvere ab omnibus censuris Simoniacos, quorum crimen *occultum* est; unde in Gallia, Episcopi simoniace ordinatos ad Ordinum executionem rehabilitant, ut notat *Pontas.* [3]

6. Item *Antoine, S. J.:* [4] « Sed dicunt, hanc Bullam (Sixti V. *Sanctum*) *non esse usu receptam in plerisque locis,* praesertim in Galliis. »

7. *Holzmann,* [5] similiter scribit: « Si delictum sit *occultum,* et ad forum contentiosum non deductum, a censuris absolvit *Episcopus,* vi facultatis sibi concessae a Tridentino, et Religiosi Mendicantes virtute privilegii, pro foro interno: excepta tamen simonia in collatione et susceptione Ordinum commissa, *ubi recepta est* Constitutio *Sanctum* Sixti V. »

8. *Herincx* [6] etiam ait: « Qui per Simoniam realem suscepit Ordinem, in primis est excommunicatus ipso facto. *Extrav. Cum detestabile citat.* Secundo est suspensus ab executione omnium Ordinum. Tertio, si in illis ministraverit fit irregularis. Quarto, solus Pontifex potest eum absolvere et cum ipso dispensare, si crimen fuerit publicum et deductum ad forum contentiosum. – Si vero sit *occultum,* poterit absolvere et dispensare *Episcopus* vigore Tridentini, seclusa tamen Bulla Sixti V., quae revocat omnes facultates etiam a Tridentino concessas, per quas tales possent absolvi. » – Supponit ergo, hanc Bullam *saltem non ubique* receptam esse; per se enim intelligitur, Episcopos absolvere posse, si Bulla Sixtina non obstaret.

9. *Reuter, S. J.,* [7] quaerit: « Quis possit absolvere a poenis Simoniae, vel in iis dispensare? Resp. 1. A suspensione et excommunicatione, si notoria sit vel ad forum contentiosum deducta, absolvere potest solus Papa; *Episcopus* vero et religiosi mendicantes per sua privilegia, si sit *occulta* et ad forum contentiosum non deducta. »

10. *Elbel* [8] similiter dicit: « Absolvere a censuris et dispensare in poenis Simoniae, per se loquendo solus Summus Pontifex potest, etsi rarissime et non sine certis conditionibus dispensare soleat. Si tamen delictum sit *occultum* et ad forum contentiosum non deductum, a censuris potest absolvere 1°. *Episcopus* juxta Tridentinum, 2°. item Religiosi mendicantes pro foro interno duntaxat. » – Et alibi [9] subjungit: « A peccato et excommunicatione, quamdiu delictum Simoniae supponitur *occultum,* potest absolvi nedum ab *Episcopo,* verum etiam a quolibet Confessario Mendicantium, utpote praeditis potestate absolvendi a casibus Summo Pontifici reservatis. Ita *ex communi Doctorum* Suarez,[10] item Castropalao. » [11]

11. *Elbel* igitur, quemadmodum et *Lacroix* et *Reuter* non ideo af-

1) Lib. 5. tit. 3. n. 67. — 2) Tom. 1. tr. de Benef., App. de Sim. c. 5. art. 1. — 3) Dispens. de Simon. — 4) De Sim. q. 21. resp. 3. — 5) De Sim. n. 377. — 6) De Sim. q. 4. n. 32. — 7) T. 2. de Sim. q. 9. n. 500. — 8) Conf. 20. n. 631. — 9) L. c. n. 645. — 10) Lib. 4. de Sim. c. 61. — 11) De Sim. punct. fin. n. 2.

firmant, [1] *Mendicantes* a censuris in casibus occultis Simoniae absolvere posse, quia Sixtina usu non recepta est; sed ea ratione, quia Mendicantes ceterique Regulares privilegiati, vi privilegiorum, ab omnibus censuris Pontifici reservatis praeter illas, quae in Bulla Coenae habentur, in foro conscientiae absolvere possunt, prout DD. communiter docent. – Quaeri autem potest, an sub hisce facultatibus absolvendi *Suspensio* a simoniace Ordinatis contracta comprehendatur? *Suarez* loco supra citato valde verisimile censet, suspensionem illam esse *puram poenam* pro peccato commisso. Ast suspensiones *mere vindicativae* non sunt censurae sensu proprio; et ideo in illis tollendis non absolutio sed *dispensatio* locum habet. Verum ad hanc difficultatem respondere possunt, quae *Laymann* [2] hac ratione advertit: « Porro sciendum est, jure novo Tridentini Concilii, Episcopos absolvere posse *ab omni suspensione* etiam Papae reservata, quamvis ut *pura poena*, seu in perpetuum, seu ad certum tempus decreta sit; dummodo proveniat ex delicto *occulto*, non deducto ad forum contentiosum. Ita docuerunt Henriquez, [3] Avila. » [4]

12. Ex his patet, revera multos auctores, tam Theologos, quam Canonistas et quidem in *Hispania*, *Gallia*, *Germania* et *Belgio* testari vel tenere, *Sixtinam non esse receptam, saltem non ubique.* – Quod autem S. *Alphonsus* hanc sententiam *simpliciter referat*, jam in principio monuimus.

Articulus 2.

An simoniace Ordinatus suspendatur ab exercitio omnium Ordinum, vel illius tantum quem simoniace recepit.

In Lib. III. *num. 109.* supra citato S. Alphonsus dicit: « *Ordinati autem* » tem... suspenduntur ab exercitio » suorum Ordinum, sed *illius tantum quem simoniace Ordinatus* » *suscepit*, ut docet *Lessius*, [5] et » *probabile putant Salmanticenses* [6] » contra Palaum et Rodriquez. » – Et in Opere, cui tit. *Homo Apostolicus*, Tr. IV. n. 51. pariter dicit: « Ordinati vero, praeter excommunicationem, et *suspensionem Ordinum (sed probabiliter eorum tantum simoniace susceptorum)* prohibitum est eis... »

P. Gury, loco cit. pag. 315., [7] poenas simoniace Ordinatis inflictas enumerans, similiter ait: « *Suspensio ab executione saltem Ordinis simoniace suscepti.* »

Ad haec autem verba, P. Ballerini sequentem adnotationem subnectit: « Quod suspensio restringi » possit ad Ordinem male susceptum, » probabile dixerunt *Salmanticenses* » (De Sim. cap. 4. n. 15.), allegantes » pro ea opinione *Lessium;* quae quidem post Salmanticenses refert et » S. *Alphonsus* (Lib. 3. n. 109.).

» At *Lessius* reipsa oppositam sententiam sequitur. Sic enim scribit » (Lib. 2. cap. 35. n. 135.): *Communior sententia Doctorum est, ab* » *omnium Ordinum executione suspensum esse... Videri tamen queat* » *contrarium non improbabile, quia* » *jure non videtur satis expressum...* *Verum quia Auctores non* » *invenio, placet sententia communis.* – Quod autem dicit Lessius, » *non videri jure satis expressum,* » id ita explicat *Pirhing* (Lib. 5. » tit. 3. n. 160.). Nam cum Paulus II. » (C. *Cum detestabile* 2. *De Simonia* » *Extrav.*) dicat: *Omnes illi, qui* » *simoniace ordinati fuerint, a suorum Ordinum executione sint suspensi;* atque adeo (inquit Pirhing) » sermo sit de *pluribus ordinatis;* » ideo voces illae, *ab executione suorum Ordinum,* habent sensum sa-

1) Supponentes restrictionem ad Confessarios extra Italiam et infra Urbem, juxta Decretum Clementis VIII. de die 26. Novembris 1602. supra memoratum. — 2) Lib. 1. tr. 5. de cens. p. 3. c. 4. n. 4. — 3) Lib. 13. c. 35. n. 2. litt. *s.* in comment. — 4) Cit. disp. 6. dub. 1. concl. 7. — 5) Lib. 2. c. 35. n. 135. — 6) Tr. 19. de Sim. c. 4. n. 15. — 7) In altera edit. pag. 241.

» tis spontaneum, suspensos esse ab » executione Ordinis, quem quisque » suscepit.

» Fatendum est nihilominus, haec » dici contra sententiam *communem,* » ut eam vocat Reiffenstuel cum Pi- » rhing, Laymann, etc. Et hanc confir- » mare videntur haec verba Sixti V. » (Const. *Sanctum* §. 2.): *Eosdem* » *clericos posthac male promotos ab* » *executione, ministerio et exercitio* » *Ordinum susceptorum, et ab omni* » *spe et facultate ascendendi ad* » *alios superiores, perpetuo suspen-* » *sos declaramus:* in quibus 1°. non » dicitur *Ordinum* sic aut male *sus-* » *ceptorum;* et 2°. Ordines *suscepti* » ita opponuntur *aliis suscipiendis,* » ut de universis decernere Sixtus » voluisse videatur.

» Quoad hujus autem suspensionis » absolutionem jam diximus (supra » not. (*a*) p. 314.),[1] vi Sixtinae Con- » stitut., eam reservatam esse Sedi » Apostolicae, licet crimen sit occul- » tum; *nec admittendum, opposi-* » *tum esse probabile,* uti volunt *Sal-* » *manticenses* (et post eos *S. Alphon-* » *sus,* Lib. 3. n. 117.) innixi aucto- » ritati Suarezii; nam *Suarez* (De » Sim. cap. 61. n. 6.) expresse con- » tra habet, ejusmodi absolutionem » esse reservatam, et reservationem » perseverare, *quia* (inquit) *Cle-* » *mens VIII. non revocavit Consti-* » *tutionem illam* (Sixti V.) *quoad* » *hanc partem, sed potius confir-* » *mavit.* »

Ut hisce a cl. Professore objectis satisfiat, I. Sententiam *Lessii* et *Suarii* examinabimus; II. Ostende- mus, *plures alios DD.,* aeque ac S. A., *probabile* censere, suspensio- nem *ad solum Ordinem simoniace susceptum* restringi; imo eamdem sententiam a pluribus *absolute* te- neri; III. Demum adnotabimus, inu- tilem esse observationem cl. Balle- rinii, Constitutionem Sixtinam a *Cle- mente VIII.* non fuisse revocatam.

I. Sit ergo primum de *Lessii* et *Suarii* sententia.

1. *Lessio* magis quidem placet sen- tentia: suspensionem ad *omnes* Or- dines receptos extendi; verumtamen nonnisi ob auctoritatem *extrinse- cam,* quia communior vel communis est. Rationem vero intrinsecam pro contraria sententia non modo satis probabilem censet, sed ipsam egre- gie exponit; unde, si suo tempore plures DD. eam approbassent, sine dubio eadem et ipsi magis placuis- set. – Dicit enim l. c.: « Utrum au- tem ab omnibus sit suspensus, an solum ab eo, quem simoniace suscepit, dubitari potest. Communior sen- tentia DD. est, ab omnium Ordinum executione suspensum esse. Ita te- net Silvester[2] et alii: nam supra- dicta Extravagante dicitur: Simo- niace ordinati, ab executione suorum Ordinum sint suspensi. Videri tamen queat contrarium non improbabile; quia jure non videtur satis expres- sum. Verba enim illa *commode* posse intelligi *de Ordinibus simoniace sus- ceptis;* ut in quo quis peccavit, in eo puniatur. Quare cum poenae sint restringendae, ita illa verba esse accipienda; alioquin dicendum fuis- se: ab omnium Ordinum etiam ante susceptorum executione sint suspen- si. Verum quia Auctores non inve- nio, placet sententia communis. »

2. Idcirco et alii Auctores dicunt, a *Lessio* sententiam negativam *pro- babilem* censeri. – Idemque dicunt de *Suarez,* qui similiter ait:[3] « Non nego tamen, etiam textum posse *pro- babiliter* intelligi juxta antiqua jura: saepe enim Pontifices, quamvis jus novum non statuant, sed renovent et confirment antiquum, Apostolica auctoritate loquuntur, seque id fa- cere declarant. Nomen autem illud plurale: *a suorum Ordinum,* etc., respondere plurali locutioni, quae proxime praecesserat de omnibus, qui simoniace ordinati fuerant: unde

1) In altera edit. pag. 240. not. *c*). — 2) V. *Suspensio,* n. 7. — 3) De cens. disp. 31. sect. 4. num. 33.

non oportet intelligere, ut singuli maneant suspensi a suis Ordinibus, sed accommodando singula singulis, ita ut omnes, quasi collective maneant suspensi a suis Ordinibus; *unusquisque tamen ab illo Ordine, quem simoniace suscepit.* Quae interpretatio, si viris doctis probaretur, *non esset contemnenda.* Quia vero contraria opinio etiam secundum jus antiquum communior est, et prior interpretatio videtur magis plana et sincera, ideo securiorem opinor esse partem illam. »

3. Sic dicit *Palaus, S. J.:* [1] « Secunda (poena), suspensio ab executione suorum Ordinum: ita supradicta Extravag. non solum ejus, quem sic suscepit, sed etiam omnium quos habet: illa enim particula: *suorum Ordinum* hoc indicare videtur: et ita tenet communis sententia: Gregorius Lopez, Emmanuel Rodriquez, Lessius et Suarez; *quamvis probabilitate non careat, ut tenent supradicti Doctores, solum extendi suspensionem ad Ordinem simoniace susceptum,* non ad alios rite susceptos; quia licet Pontifex loquatur in numero plurali, dicens: Sint ab executione suorum Ordinum suspensi; illa locutio pluralis correspondet plurali locutioni praecedenti; loquebatur enim de omnibus, qui ordinati essent simoniace, et de illis statuit, ut sint a suorum Ordinum executione suspensi, hoc est; *quilibet a suo Ordine simoniace suscepto,* et omnes simul a suis Ordinibus sic simoniace susceptis. »

4. *Bonacina* [2] etiam ait: « *Lessius* et *Suarez* ... probabile existimant, remanere tantummodo suspensum *ab executione Ordinum simoniace susceptorum,* ut in eo puniatur, in quo peccavit. »

5. Item *Laymann, S. J.:* [3] « Quamvis uterque horum (Suarez et Lessius) merito dubitat, an forte dicta verba explicari possint, accommodate; quod *simoniace* ordinati, a suorum Ordinum, *quos ita acceperunt,* executione suspensi esse debeant; sicuti etiam antiquo jure C. *Per tuas,* 3. et C. penult. *de Simon.* decretum erat; ubi additur, dispensationem super hac suspensione Summo Pontifici reservari. »

II. Alii autem Auctores, quin Suarez et Lessium commemorent, *probabilem* censent sententiam, suspensionem *ad solum Ordinem simoniace susceptum* restringi, imo absolute eam tenent.

1. Sic *Illsung, S. J.,* [4] dicit: « Ipsi vero ordinati sunt suspensi ab omni Ordine, non tantum, quem simoniace acceperunt, sed probabilius etiam ab omni praecedenti, quamvis de hoc a pluribus *non immerito* dubitetur. »

2. *Lacroix, S. J.,* [5] affirmat: « *Probabile* tamen est *ex multis Auctoribus* cum Diana, suspensionem *solum* attingere *Ordinem* illum, qui *simoniace* est susceptus, non autem alios rite susceptos, qui (per se loquendo) licite exerceri poterunt. »

3. *Reiffenstuel* [6] ait: « Licet haec verba (Extravag. 2. de Simon.) *probabiliter* intelligi possint de Ordinibus dumtaxat simoniace susceptis, ut in quo quis peccat, in eo et puniatur, simulque poenae restringantur potius quam extendantur; nihilominus, quia indefinite loquuntur..., de omnibus Ordinibus, etiam non simoniace susceptis, communiter a Doctoribus intelliguntur. »

4. *Schmalzgrueber, S. J.,* [7] dicit: « Suspenditur ab executione suorum Ordinum (Extr. cit.), *saltem illius,* quem *simoniace* suscepit. »

5. *Mazzotta, S. J.,* [8] scribit: « Ordinatus vero (suspenditur) ab Ordine *suscepto* et a suscipiendis. »

6. Idem sentit *Reuter, S. J.:* [9] « Simoniace suscipiens Ordinem incurrit suspensionem ab exercitio Or-

1) De Sim. disp. 3. p. 24. n. 3. — 2) De Sim. disp. 1. q. 7. p. 1. §. 6. n. 8. — 3) Lib. 4. tr. 10. c. 8. n. 71. — 4) Tr. 5. disp. 3. n. 318. — 5) Lib. 3. p. 1. n. 217. — 6) Lib. 5. tit. 3. n. 262. — 7) Lib. 5. tit. 3. n. 259. — 8) De Sim. c. 4. n. 1. — 9) De Sim. q. 3. n. 488.

dinis *suscepti,* et a susceptione aliorum Ordinum. »

7. Consentit *Amort:*[1] « *Simoniace* ordinati incurrunt excommunicationem et suspensionem Ordinum *sic* susceptorum, reservatam Papae. »

8. Cum ergo pro ista sententia ratio gravis *intrinseca* militet, cui accedit regula generalis, *poenas non esse extendendas, sed restringendas,* cumque insuper *multi graves DD.* eam probabilem censeant: *S. Alphonsus* jure merito eamdem sententiam *probabilem* dicit.

III. Tandem P. Ballerini iterum advertit: « hujus... *suspensionis absolutionem* ... vi Sixtinae Constit. » reservatam esse Sedi Apostolicae, » licet crimen sit *occultum* »; et concludit: « *Nec admittendum, oppositum esse probabile,* uti volunt » *Salmanticenses* (et post eos *S. Alphonsus,* lib. 3. n. 117.) innixi auctoritati Suarezii; nam *Suarez* (de » Simon. cap. 61. n. 6.) expresse contra habet, ejusmodi absolutionem » esse reservatam, et reservationem » perseverare, *quia* (inquit) *Clemens VIII. non revocavit Constitutionem illam* (Sixti V.), *quoad hanc partem, sed potius confirmavit.* »

De sententia *Suarii* supra jam diximus; hinc solummodo adnotamus, cl. Ballerinium abstinere potuisse a confusione quam in hanc quaestionem induxit. Idem namque dicunt *omnes Auctores* in praecedenti Articulo citati, et nullus est qui negaret, *Sixtum V.,* dum Concilio Tridentino derogavit, *praedictam suspensionem sibi reservasse;* nec ullus est, qui asseret, *Clementem VIII.* hanc reservationem revocasse; sed eam tantum rationem afferunt, *quod Sixtina usu non sit recepta, saltem non ubique.*

---

1) Theol. mor. de Sim. q. 37. ad 2.

Articulus 3.

An poenae latae contra simoniacas Ordinationes extendi debeant ad simoniacam collationem primae Tonsurae.

Lib. III. n. 110. S. Alphonsus dubium proponit: « Quaeritur, an in- » currantur praedictae poenae in col- » latione simoniaca primae Tonsurae? » – *Affirmant* hic Busembaum, et Co- » varruvias apud Lessium. Quia ex » Tridentino, Sess. 21. c. 1., prohi- » betur accipi aliquid, etiam sponte » oblatum, ab Episcopo et ejus mi- » nistris, adhuc pro collatione pri- » mae tonsurae vel pro litteris di- » missoriis seu testimonialibus, et » pro sigillo, et aliis; et contra fa- » cientes declarantur *(in fine)* in- » currere poenas de jure inflictas. – » *Negant* vero *probabiliter Salman- » ticenses* cum *Palao,* quia tonsura » non est verus Ordo, juxta dicenda » lib. 6. n. 734. Et idem docet *Les- » sius* (licet pro se citetur a Busem- » baum), dicens, in nullo jure adesse » pro his excommunicationem statu- » tam, nec Concilium voluisse novas » poenas injungere. Pariter dicit, » *durum videri,* incurrere censu- » ram Episcopos et ministros acci- » pientes aliquid sponte oblatum, » licet ipsi peccent. Imo id permit- » tit *D. Thomas,* dicens: *Si vero* » (aliqua) *exigantur quasi quaedam* » *stipendia per consuetudinem ap- » probata, non est simonia, si desit* » *intentio emendi vel vendendi ...* » *et praecipue quando aliquis vo- » luntarie solvit.* Attamen S. Doctor » loquutus est de simonia juris di- » vini; jure autem ecclesiastico hoc » vetitum est in Tridentino l. cit., » ubi reprobantur quaecumque con- » suetudines etiam immemorabiles, » utpote quae potius abusus dici de- » buissent. Caeterum *Croix* videtur » non improbabiliter censere, ibi re- » probari consuetudines tantum, quae » ante Concilium fuerunt, tamquam » forte immoderatas, non autem quae

» nunc sunt dandi aliquid moderatum, et quae praesumi possunt ex » justa causa introductae, istae enim » bene valere possunt ... »

Quocirca P. Ballerini, loco cit. pag. 313.[1] animadvertit: « ... Praeterea *Ordinationis* nomine, hic » comprehenditur etiam collatio *primae tonsurae*, ut patet ex hisce » verbis Sixti V. Constit. *Sanctum* » §. 6.: *Caeterum, si quis Antistes* » *vel Abbas, servatis quidem ... omnibus, quae in ipsius tonsurae* » *et ordinum collatione observari* » *debent, personas habiles et idoneas, sed tamen recepta ab iis,* » *quibus tonsuram aut ordinem conferet, pecunia, pretio, praemio* » *simoniace in futurum insignivit vel promoverit; volumus, ut,* » *praeter alias censuras ac poenas* » *contra simoniace ordinantes et* » *ordinatos a sacris Canonibus et* » *Constitutionibus Apostolicis alias* » *inflictas et irrogatas, quibus nequaquam derogare intendimus,* » *etiam omnia et singula supradicta in sic promoventibus et promotis locum habeant.*

» Ex quibus facilis forte via sternitur ad solvendam quaestionem, » *an poenae latae contra simoniacas Ordinationes extendi debeant* » *ad simoniacam collationem primae tonsurae;* quam quidem Auctores fere ita tangunt, ut *negantem* quoque sententiam *probabilem* dicant, ea ducti ratione, quod » Synodus Tridentina (Sess. 21. cap. 1. » De Reform.) contra hoc crimen poenas solum decernat *a jure inflictas;* » jura autem poenas infligant simoniacae collationi *Ordinum*, quo nomine negant venire *tonsuram* (Vid. » *S. Alphons.* Lib. 3. n. 110.). – At » enim in Sixtina Constitutione duplex poenarum genus habemus, » nempe 1°. poenas et censuras *a jure* » inflictas; 2°. poenas et censuras *ab* » *ipso Sixto V.* superadditas. Esto » porro, et utcumque iis libeat, ratiocinentur Auctores illi *de poenis* » *a jure inflictis;* quamquam *duriusculum* forte videatur, Synodum » Tridentinam et post eam Sixtum V. » voluisse quidem (ut videtur) simoniacam quoque primae tonsurae collationem poenis (sane aliquibus) » jure contentis comprimere, et nihilominus, dum *jura* appellant, ita » lapsos memoria, ut *negari* ipsis (ut » scholae dicunt) *suppositum* queat. » Sed quidquid de hoc sit, certum » esse debet, saltem poenas ac censuras in *Sixtina* Constitutione statutas ob simoniacam *tonsurae* collationem incurri, adeo ut Ordinans » (§. 2.) *a collatione quorumcumque* » *Ordinum atque adeo ipsius Tonsurae, et ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipso suspensus, et ab ingressu Ecclesiae* » *interdictus existat.* – Caeterum, » incertae Auctorum de hac re opiniones ex hoc repetendae videntur, » quod diu multis in locis Sixtina » haec Constitutio ignorata fuerit.»

I. Exprobrat itaque P. Ballerini Auctoribus sententiam negantem propugnantibus, quod *jura* appellantes, *memoria lapsi* et obliti sint, quae *Sixtus V.* hac ratione statuit; sed gratis exprobrat. Etenim

1. *Lessius, S. J.,*[2] in dubio: « *Quas poenas inducat Simonia realis in Ordinibus?* » haec habet: « Dico primo: Conferens Ordines per simoniam realem, est excommunicatus. *Extrav. Cum detestabile de Sim.* Idem extendunt quidam ad eos, qui pro *prima tonsura,* vel pro litteris dimissoriis, vel testimonialibus, vel sigillo, aliquid simoniace accipiunt; idque probant ex Concilio Tridentino;[3] ubi, cum Concilium prohibuisset, ne pro collatione quorumcunque Ordinum etiam clericalis tonsurae, aut pro litteris dimissoriis vel testimonialibus, aut pro sigillo, aliave causa, quidquam etiam sponte oblatum, Episcopi, aut eorum ministri, quovis prae-

1) In altera edit. pag. 239. — 2) Lib. 2. c. 35. dub. 2. n. 133. — 3) Sess. 21. c. 1.

textu acciperent, tandem subjicit: *si contra fecerint, tam dantes quam accipientes, poenas a Jure inflictas incurrant.* »

Quam extensionem non placere dicit; et tres rationes adfert, quarum tertia est: « *Nullo jure pro his est poena excommunicationis statuta.* Concilium autem non videtur velle *novas* poenas inducere (alioquin clarius id explicuisset), sed solum renovare, quod olim jure statutum erat. Unde illa verba: *poenas juris incurrant,* solum referenda sunt ad eos, *in quos jure sunt statutae,* nempe ad conferentes et accipientes *Ordinem* simoniace. Idem colligitur aperte ex Navarro.» [1]

At immediate post, subsequenti numero *134.* Lessius dicit: « *Est suspensus a collatione cujusvis Ordinis, etiam primae tonsurae.* Ita habet Bulla *Sixti V.* edita in male promoventes, et promotos, verb. *Ceterum si quis Antistes.* Et quamvis haec in ceteris punctis redacta sit ad terminos juris communis a *Clemente VIII.,* tamen in hoc de simoniace promoventibus et promotis, *relicta est in suo vigore et ab eodem confirmata.* » - Et in fine hujus numeri addit jam supra allata: « *Puto tamen hanc Sixtinam plerisque locis ignorari, ac proinde non esse usu receptam.* »

2. Nequaquam ergo *Lessius* jura allegans, « *memoria lapsus est* »; sed ideo n. 133. nihil dicit de Bulla Sixtina, *quia Sixtus V. Tonsuram solummodo commemorat,* ubi simoniace Ordinantibus novas poenas imponit, scilicet *suspensionem* a collatione quorumcumque Ordinum atque adeo ipsius tonsurae, et ab executione omnium munerum Pontificalium, et insuper interdictum ab ingressu Ecclesiae. Non dicit Pontifex, has aliasve poenas incurri *propter* simoniacam *Tonsurae* collationem; nec verba: *atque adeo* significant *ideo* vel *consequenter,* sed *etiam* vel *imo.*

3. Sixtus V. utique poenas a jure contra simoniacos statutas confirmavit; cum autem eas non explicet, eatenus dumtaxat confirmavit, quatenus hujusmodi poenae reapse existunt. An autem existant *propter simoniacam Tonsurae collationem,* et utrum Concilium Tridentinum *novas* poenas inducere intenderit, *merito* et quidem tanto potiore jure *dubitatur,* quia poenae non sunt extendendae, sed restringendae. Nec praesumere licet, Sixtum V. quaestionem hanc per transennam et uno solo vocabulo, satis saltem ambiguo: *adeo,* definire voluisse.

II. At vero non tantum Lessius et Salmanticenses sententiam *negativam probabilem* censent, sed et *alii plures.*

1. Sic *Castropalaus, S. J.,* [2] dicit: « Hoc tamen, secundum *probabilem* sententiam, non extenditur ad collationem *primae tonsurae;* quia non est verus Ordo, et poenae debent restringi. »

2. *Reginaldus, S. J.,* [3] ait: « Secundus casus est, ex Extrav. 2. communi, quando Simonia committitur in Ordine sive majore, sive minore: imo, ut existimat Suarez, et in *prima tonsura:* per quam, *etiamsi ea non sit Ordo proprie,* constituitur quis in ordine Clericorum. - Quamquam *in contrarium multum urget,* quod poenae *restringendae* sint interpretatione: *vixque ex verbis propositae Extravag. id sufficienter confirmari posse videatur.* »

3. *Lacroix, S. J.,* [4] Reginaldum citans, dicit, *probabile* esse, propter simoniacam *Tonsurae* collationem, suspensionem non incurri.

4. *Schmalzgrueber, S. J.,* [5] scribit: « Extenduntur autem hae poenae ad eos etiam, qui simoniace conferunt et suscipiunt primam Tonsuram, ut vult Suarez, [6] Laymann [7] et alii apud Barbosa; [8] tum quia per primam Tonsuram communi modo lo-

1) Cap. 23. n. 111. — 2) De Sim. disp. 3. p. 24. n. 1. — 3) Lib. 23. n. 174. — 4) Lib. 3. p. 1. n. 219. — 5) Lib. 5. tit. 3. n. 260. — 6) Cap. 56. n. 5. — 7) Cap. 8. n. 71. — 8) In Extrav. cit. n. 8.

quendi dicitur quis ordinari, i. e. constitui in Ordine Clericorum, et hoc sensu prima Tonsura dicitur Ordo; tum quia verba Extrav. cit. valde generalia sunt, et afficiunt quomodolibet dantes et accipientes. - *Contrarium* tamen alii tenent, *nec male,* ut notat P. Wiestner n. 88., et approbat Palao [1] post Lessium; [2] quia prima Tonsura *non est verus Ordo,* et poenae debent *restringi.* »

5. *Viva, S. J.:* [3] « Dubium tamen est, an *nomine Ordinum* veniat etiam *prima Tonsura?* Affirmat Suarez cum Laymann, quia per primam Tonsuram dicitur quis ordinari sive constitui in ordine Clericorum; sed *probabilius negat Lessius,* [4] eo quod verba poenalia non sint extendenda; prima autem Tonsura non est Ordo, sed janua et veluti novitiatus relate ad Ordines; unde per primam Tonsuram non dicitur quis constitui in ordine Clericorum, quia ordinatur, sed solum, quia ponitur in statu clericali et in via ad Ordines. »

6. Item *Billuart:* [5] « Quidam hanc excommunicationem extendunt ad eos, qui pro prima *tonsura* vel pro litteris dimissorialibus aut testimonialibus, aut sigillo, aliquid simoniace accipiunt; quia Tridentinum loco citato, cum prohibuisset aliquid recipi etiam sponte oblatum pro collatione Ordinum, etiam clericalis tonsurae, pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, pro sigillo aliave causa, tandem subjicit: Si contra fecerint, tam dantes quam accipientes, poenas a jure inflictas incurrant. - Verum *non infundate* observat *Lessius* hic dub. 23. post Navarrum, quod, cum Concilium non intendat *novas* poenas inducere (alias id expressius declarasset), sed solum renovare quod *jure antiquo* statutum est, videatur, quod illa verba, *poenas juris incurrant,* referenda sint ad eos, in quos *jure* statutae sunt, nempe ad conferentes et recipientes *Ordinem* simoniace. Aliunde *durum* videtur, Episcopum aut ejus ministros excommunicari, quod aliquid acceperint sponte oblatum. »

III. In fine tandem P. Ballerini advertit: « *Incertae* Auctorum de hac re » *opiniones* ex hoc repetendae viden» tur, *quod diu multis in locis Six» tina haec Constitutio ignorata* » *fuerit.* » - Sed quomodo hoc videri potest, cum omnes Auctores citati, praedictam sententiam *probabilem* censentes, *Sixtinam saepius citent,* et ideo *eam non ignoraverint?*

SIT IGITUR TOTIUS QUAESTIONIS CONCLUSIO.

1. Absolutio excommunicationis et suspensionis, ob simoniacam collationem et susceptionem Ordinum incursae, ex Jure reservatur Summo Pontifici; excepit tamen Tridentinum (Cap. *Liceat,* Sess. 24. cap. 6. de ref.) *casus occultos* in quibus etiam *Episcopi* absolvere poterant. Verum *Sixtus V.* in Constit. *Sanctum,* de die 5. Januarii 1589. huic dispositioni Tridentinae expresse derogavit; quam derogationem, *Clemens VIII.* in Constit. *Romanum,* de 28. Febr. 1595., quoad censuras ob simoniacam Ordinationem incursas, confirmavit. Itaque nec S. Alphonsus, nec alius quispiam praefatam derogationem a Sixto V. factam in dubium vocat, omnesque admittunt, Clementem VIII. in eadem derogatione nihil immutasse. - Attamen *multi Theologi et Canonistae ex variis regionibus,* ut vidimus, affirmant, *Sixtinam in hac parte usu non esse receptam, saltem non ubique,* et idcirco, in quantum praefata Constitutio non est in vigore, Episcopos in casibus occultis absolvere posse. Hanc sententiam *S. Doctor simpliciter refert:* in quo nihil sane est, quod ei vitio verti possit. [6]

2. Merito etiam S. A. *probabilem*

1) P. 24. cit. n. 1. — 2) Cap. 35. cit. n. 133. — 3) Opusc. mor. III. q. 10. n. 5. — 4) Cap. 35. dub. 23. — 5) De Sim. art. 7. *s.* 3.

6) Hic quaeri posset, utrum post Constit. *Apostolicae Sedis* a SS. D. N. Pio IX. quarto

*

dicit sententiam: *Suspensionem restringi ad solum Ordinem simoniace susceptum,* et ad omnes Ordines non extendi. Ratio, quia ista generalis extensio Jure non videtur satis expressa, ac proinde valet regula generalis, poenas non esse extendendas, sed restringendas. Insuper, *multi graves DD.* hanc sententiam probabilem censent, imo eamdem aliqui absolute tenent.

3. Idem dicendum est de probabilitate opinionis, juxta quam praefatae poenae *non incurruntur* in collatione simoniaca *primae Tonsurae:* tum quia contrarium *ex Jure certo non constat,* tum quia plures graves DD., ratione innixi, quod *Tonsura non sit verus Ordo,* et *poenae sint restringendae,* eamdem sententiam probabilem censent.

QUAESTIO VI.

An sit Simonia, dare aut promittere aliquid temporale, cum obligatione alteri imposita praestandi opus spirituale sibimetipsi utile; vel sub conditione, ut alter praestet opus spirituale in temporalem dantis utilitatem.

(S. Alph. Lib. III. n. 59. — P. Ball. Tom. I. n. 295.)

Lib. III. n. 59. S. Alphonsus quaerit: « An sit Simonia, dare aliquid » temporale, *sub conditione* ut alter » praestet rem spiritualem *in commodum tamen suiipsius;* nempe, » si promittas dotem puellae, si ingrediatur in monasterium: munera » adolescenti, si frequentet sacramenta? – Respondetur *negative;* » quia haec est simplex donatio, *licet* » *sub conditione, quae tamen non* » *addit onus.* Salmanticenses cum » Suarez, Lessio, Palao, etc. *Secus* » *si imponeretur obligatio simpliciter,* v. gr. ingrediendi Religio» nem, etc., ut docet S. Thomas; *vel* » *si conditio esset de praestando aliquid in utilitatem dantis,* puta, » si ingressus illius in Religionem » cederet in dantis commodum; tunc » enim esset quaedam commutatio » temporalis cum spirituali. Ita *Salmanticenses*[1] cum Laymann, Palao et Suarez.... »

Salmanticenses citati, hanc quaestionem pertractantes, dicunt, Simoniam non committi, si accipienti *optio* relinquitur, etiamsi in donatione conditio vel modus adjiciatur. Plures DD. pro hac sententia allegant, et pergunt:

« *41.* Sed praedicti Auctores du-

Idus Octobris 1869. editam, adhuc vigeant poenae et censurae in simoniace ordinantes et ordinatos a Jure latae. Siquidem inter Scriptores qui de praelaudata Constitutione scripserunt, alii affirmant; alii vero negant, opinantes, in dicta Constit. non comprehendi censuras a *Tridentino indirecte* tantum inflictas (cujusmodi sunt illae, quae a Jure ob simoniacam ordinationem latae fuerunt). — Quidquid autem sit de hac quaestione (quam uberius expendere limites hujus Operis non sinunt), advertere juvat, hodie non amplius vigere memoratam *derogationem a Sixto V. factam* dispositioni Tridentinae, cap. *Liceat,* ex quo facultas tribuebatur « *Episcopis,* in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto *occulto* » provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis » ad forum contentiosum, dispensare; et *in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis,* delinquentes quoscumque sibi subditos... *absolvere,* imposita poenitentia salutari...» In citata enim Constit. *Apostolic. Sedis* expressis verbis dicitur: «*Firmam* » *tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam* » Sess. 24. c. 6. de reform., *in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac nostra Constitutione servatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.* »

1) De Simon. c. 1. n. 41.

plicem merito limitationem doctrinae modo traditae adjiciunt. - *Prima* est, *ut non imponatur vicissim promissario ulla obligatio simpliciter;* sed semper ipse *liber* maneat ad faciendum, *si voluerit,* opus spirituale: aliter enim efficeretur contractus *onerosus,* ac proinde *simoniacus.* Ut si dicat: Do tibi, ut in te suscipias obligationem faciendi istud; vel: Do tibi centum, ea lege ac obligatione, ut Religionem ingrediaris: in quo pacto, dixit *D. Thomas,* [1] simoniacum esse, alterum ad Religionem trahere muneribus, *si pactum intercedat.* Pactum utique, quo ille maneat simpliciter obligatus; sed absque tali obligatione illi imposita, muneribus ad hoc inducere non est simoniacum, ut optime tradit ipse S. Doctor [2] his verbis: *Sicut enim licitum est aliquem e converso provocare ad devotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterii ingressum; licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel accipere pro ingressu Monasterii.* - *Secunda limitatio* est, quod conditio vel modus adjectus non sit de dando vel faciendo aliquid *in utilitatem dantis vel promittentis, vel alterius personae,* cujus ille quasi vicem subeat. Nam tunc conditio re ipsa transiret in *commutationem:* quae, cum sit rei temporalis pro spirituali, procul dubio erit *simoniaca.* Ut si dicas: Do tibi nummos, ut mihi, vel amico meo dederis Sacras Reliquias. Imo in hoc omnis *contractus simoniacus* consistit, *quod temporale detur sub conditione recipiendi spirituale,* vel e contra. Atque hinc fit, quod si virgini dotem aliamve temporalem rem promittas, sub conditione, ut Religionem ingrediatur, ut tu, vel filius, vel consanguineus in majoratu, vel alia haereditate illius succedat; vel ut expedita familia a tali foemina maneat, vel ob aliud commodum, aut *utilitatem tui* vel *tuorum,* commitis *simoniam:* quia jam rem spiritualem ab illa petis pro temporali, quod promittis, in utilitatem tuam exercendam. Suarez, Palaus, Laymann locis citatis. *A qua liber eris,* si ob bonum et *utilitatem ipsius virginis,* et ut eam ad id, quod sibi conveniens est, ad Religionem inducas, muneribus oblatis inclinans, liberam eam et *absque ulla obligatione* relinquens. »

Hisce praemissis, cl. BALLERINIUM audiamus. - T. I. n. 295. pag. 322.[3] *P. Gury* dicit: « Nec sunt Simoniae culpabiles, qui *ex gratitudine* praestant temporale ob spirituale acceptum, et vice versa.»

Ad quem textum, cl. Professor adnotat: « *Huc alios casus revoca.* Nam » simonia non est (etsi peccari aliis » de causis queat), beneficium conferre propter consanguinitatem vel » amicitiam, vel indigentiam alterius » sublevandam; etsi hoc pacto quis» piam se intendat eximere ab one» re, aut consanguineum, aut alte» rum eleemosynis sustentandi. Ac» cipienti enim spirituale nequaquam » onus imponitur quidpiam tempora» le ex pacto retribuendi.

» Idem dicito cum *S. Alphonso* » (Lib. 3. n. 59.), si cuipiam des tem» porale ut aliquid spirituale hic in » sui ipsius commodum praestet, » v. gr. si munera adolescenti pro» mittas, si sacramenta frequentet, » aut dotem puellae, si monasterium » ingrediatur. Neque enim permuta» tio aliqua intercedit, quando spi» rituale simul et temporale uni ce» dunt. *Nec obstat* (contra ac puta» verint *Salmanticenses,* de Simon. » cap. 1. n. 41. *apud S. Alph.* l. c.), » *quod per accidens in aliquam dan» tis quoque utilitatem id forte ce» dat.* Neque enim hic rem spiritua» lem accipit, ac proinde irreverentia » rem spiritualem aestimandi tem» porali pretio nulla adest. »

Sat confusa sunt, quae P. Ballerini

1) Q. 189. art. 9. in corp. — 2) Q. 100. art. 3. ad 4. — 3) In altera edit. pag. 246.

hic dicit; et ideo prae ceteris melius distinguendum est; ac deinde cl. Professoris adnotationem paucis perpendemus.

I. Si quis alteri temporale dat vel promittit ad ipsum inducendum, ut spirituale aliquid perficiat, quod *in ejusdem accipientis utilitatem* cedit, at *sine obligatione*, ita, ut *optio* ipsi relinquatur: *Simoniam non committit.* Quod certum et citra controversiam est.

II. Si vero quis alteri *obligationem imponit*, hujusmodi pactum *simoniacum* est. Et haec sententia *communis* est, ut videre licet apud Suarez: [1] « *Utrum actus spirituales soli operanti utiles, ut sic, possint esse materia Simoniae?* » qui strenue eam tuetur et diffuse probat. - Pauci enim sunt, qui aliter sentiant.

1. Sic *Sanchez, S. J.*, [2] probabilius censet: « licitum esse, offerre munera *ea lege et pacto*, ut is cui offeruntur, efficiat aliqua opera spiritualia, v. g. ut recipiat baptismum, ingrediatur religionem, sacramenta frequentet, aut a peccatis recedat; dummodo non dentur in *pretium* illius operis spiritualis, sed ad inducendum ad illa. » Verumtamen si *pactum* initur, ipso facto *pretium* datur. Si dico: *do, ut facias*, id quod datur *pretium* est; et dans, quamcunque intentionem habeat, non potest efficere, ut non sit pretium.

2. *Lessius, S. J.*, [3] dicit, certum esse, Simoniam non committi, si quis alium donis et muneribus ad religionem christianam, vel statum religiosum pertrahere conatur, sed ea sola intentione, ut alliciatur et sponte ista amplectatur; et addit: « Si vero intendam *absolute obligare*, videtur esse simonia; ut insinuatur Cap. 2. *Quam pio* 1. q. 2., ubi dicitur: *Nusquam legimus, Domini discipulos, vel eorum ministerio conversos, quempiam ad Dei cultum, muneris interventu provocasse.* Sed verius puto, non esse proprie simoniam; quia pro temporali non obligo illum, ut mihi, vel alteri meo nomine det aliquid spirituale; sed ut sibi ipsi consulat et salutaria amplectatur. » - Et in fine addit: « Cavendum tamen est, tum propter scandalum, ut dictum est, tum quia Religionis professio debet esse libera. Unde non potest ita obligari, quin possit resilire, si in probatione viderit sibi non convenire. »

Sed rationi, quam adfert Lessius, obstat, quod, stante obligatione alteri imposita, jam habetur pactum onerosum. Ex *communi* autem DD. sententia, *omne pactum onerosum*, quo temporale cum spirituali commutatur, simoniacum est, nulla distinctione adhibita; quia malitia Simoniae in ipsa hac *commutatione* consistit.

III. Si quis alicui temporale, *licet sine pacto*, dat vel promittit, ut opus spirituale perficiat, quod *in suam dantis utilitatem temporalem* cedit, et hanc suam, non alterius utilitatem spiritualem *intendit*, *Simoniae* reus est. - Quam sententiam non tantum Salmanticenses supra citati, sed et alii tenent.

IV. Ad confirmandam S. Alphonsi doctrinam modo expositam, quasdam saltem Auctoritates adducere juvat.

1. *Suarez, S. J.*: [4] « Dico, promittere aliquid sub conditione expressa, si fidem susceperis, vel si fueris religionem ingressus, aut si quidpiam simile spirituale feceris, intendendo spirituale bonum operantis, et intendendo se obligare ad implendam promissionem, adimpleta conditione, et non aliter: *licitum* est, nullamque habet labem simoniae, *quando ex parte ejus, cui fit promissio, nulla oritur obligatio* ad ingressum religionis, vel quidpiam simile. »

2. *Palaus, S. J.*: [5] Quocirca, solum

1) Lib. 4. de Sim. c. 16. — 2) De matrim. lib. 1. disp. 39. n. 4. — 3) Lib. 2. c. 35. n. 66. 4) De Sim. c. 16. n. 14. — 5) De Sim. disp. 3. p. 9. n. 8.

in eo casu existimo *Simoniam* esse, pretium offerre pro actu et exercitio virtutis cedente in *propriam utilitatem*, quando ex datione pretii determinaris et *obligaris* ad exercendam virtutem. » – Et ratio, quam allegat, ea est: quia id licitum esse constat ex Can. *Debet*, 23. q. 4., ubi Augustinus ait, quemlibet debere proximum suum adducere ad Dei cultum, non solum doctrina et disciplina, sed etiam beneficentiae consolatione, i. e. donis et beneficiis.

3. *Bonacina:* [1] « Qui tradit aliquid alteri, ut peccatum vitet, vel ut opus spirituale faciat *in solius operantis utilitatem*, relicta illi facultate et *libertate* faciendi tale opus, non committit simoniam; nec alia ratione peccat, praeciso scandali periculo, sive tale opus sit consilii, sive supererogationis, sive praecepti. Ratio est, tum quia Deus promittit hominibus recte se gerentibus, et ipsius praeceptis obtemperantibus praemia, et longaevam vitam honorantibus parentes. Exod. 12. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram. Ergo non est turpe, aliquid alteri promittere vel tradere, ut opus praestet *in solius operantis utilitatem*. »

4. *Laymann, S. J.,* [2] assertionem ponit, non esse Simoniam, dare aut promittere alicui rem temporalem pretio aestimabilem, sub conditione aut modo, ut ab altero opus bonum spirituale praestetur, non per modum retributionis seu commutationis. – Duas autem limitationes adjicit: « Modo haec duo absint: Primum est, *ut obligatio promissario vicissim non imponatur simpliciter:* sic enim efficeretur contractus onerosus: Do tibi, ut in te suscipias obligationem faciendi istud. Quare si talis *pactio* sit de opere spirituali pro data re temporali, merito censetur *simoniaca:* v. g. do tibi centum, ea lege ac obligatione, ut Religionem ingrediaris: quae est responsio Bonifacii in cit. Can. *Quam pio;* eademque esse videtur opinio *S. Thomae* loc. sup. cit., *Suarez,* [3] *Molinae,* [4] *Malderi.* [5] – Alterum est: ut conditio non sit de dando, vel faciendo aliquid *in utilitatem dantis aut promittentis;* sed *neque alterius personae,* cujus ille quasi vicem subeat. Nam sic conditio re ipsa transiret in *commutationem* saltem innominatam; et quidem *simoniacam,* si versetur circa opus spirituale pro temporali. »

5. Verum, post *damnatas* propositiones *45.* et *46.* ab Innocentio XI., haec sententia *communis* est. Prima sonat: « Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam *motivum* conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam, quando temporale sit solum gratuita *compensatio* pro spirituali, aut e contra. » – Altera: « Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit *principale motivum* dandi spirituale; imo etiamsi sit *finis* ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis. »

6. *Reuter, S. J.,* [6] dubium proponit: « An et quando sit Simonia, pro spirituali dare vel facere temporale tamquam *motivum,* vel *finem,* aut *compensationem,* vel contra? » Et praedictas propositiones damnatas explicans, dicit *n. 471.*, non esse Simoniam aliis promittere, legare, vel dare temporale, sub onere, aut conditione operis spiritualis praestandi. Dummodo non fiat 1°. per modum compensationis, 2°. Nec sub pacto absoluto, 3°. Nec sub pacto determinato; nam si esset disjunctivum, *ita ut alteri optio relinquatur,* et spirituale non esset faciendum in utilitatem dantis temporale, excusari poterit. 4°. Aut conditio non sit *in utilitatem dantis vel promittentis;* nam alias conditio transiret in commutationem saltem innominatam (do,

1) De Sim. disp. 1. q. 4. *s.* 7. n. 2. — 2) De Sim. c. 8. n. 11. — 3) Cit. cap. 16. n. 14. — 4) Cit. disp. 93. — 5) Cit. dub. 7. *s. Sed difficultas est.* — 6) Theol. mor. de Sim. q. 5.

ut facias; facio, ut des) et quidem simoniacam.

Attamen excipit, quemadmodum omnes ceteri Auctores, nisi spirituale sit tale, pro quo stipendium dari possit, vel eleemosyna, prout pro Missa celebranda; vel si pecuniae pauperibus erogantur ea conditione, ut certas preces fundant pro dante.

7. *Elbel*[1] dubium proponit: « Quaeres, an condemnandus sit Simoniae, qui dat aliquid temporale ex *motivo* quidem obtinendi spirituale (aut vice versa), at *sine obligatione* interveniente? » Et respondet: « Quisquis alteri dat temporale quodcunque, sive per modum *motivi*, quo scilicet alterum movere vult, ut hujus intuitu sibi retribuat spirituale quid; sive per modum *finis* aut *pretii*, modo detur *animo alterum obligandi* ad conferendum sibi aliquid spirituale, vere committit *Simoniam*. Ita hodie *communissime DD.* » Et probat ex propositionibus damnatis.

8. *Billuart*[2] hanc propositionem propugnat: « Dico: *Dare temporale, tamquam motivum proxime et immediate obtinendi spirituale*, et e contra, absque interventu alterius motivi veri et honesti, propter quod temporale detur, aut ex quo exspectetur spirituale, est *vera simonia*. Mihi videtur *certa et communis* saltem nunc; nec nisi a Casuistis longe plus aequo mollioribus, non satis tuto impugnanda. »

Quam sententiam primo loco probat ex propositionibus damnatis, et secundo ex ratione: « Qui dat temporale, tanquam motivum proxime et immediate obtinendi spirituale, absque interventu alterius motivi veri et honesti, propter quod datur temporale, aut ex quo exspectatur spirituale (quale foret v. gr. motivum stipendii, aut injustae vexationis redimendae), nihil aliud facit quam *commutare* temporale pro spirituali. » In quo ratio formalis simoniae sita est.

Deinde fusius objectiones refellit; et ad illam, quae dicit, ad Simoniam requiri *obligationem* alteri impositam, respondet: « Dico, *etsi non adsit obligatio justitiae, defectu pacti*, eam tamen *intendi* hoc ipso, quo intenditur *pretium*, quod sufficit ad simoniam mentalem, qualis est haec. »

V. Hisce expositis, cl. Professoris adnotationem breviter perpendamus.

1. Dicit P. Ballerini: « *Nec obstat* » (contra ac putaverint *Salmanti-* » *censes*, de Simon. cap. 1. n. 41. » *apud S. Alph.* l. c.) *quod per ac-* » *cidens in aliquam dantis quoque* » *utilitatem id forte cedat.* » – Si forte *per accidens* id eveniat, certe Simonia non committitur; sed hoc nemo unquam affirmavit. Hypothesis Salmanticensium et ceterorum, ea est, quod dans vel promittens, non spiritualem utilitatem alterius, sed suam temporalem *intendat et quaerat*, et hoc motivo ad dandum vel promittendum inducatur.

2. Dicit porro: « *Neque enim hic* » *rem spiritualem accipit; ac pro-* » *inde irreverentia rem spiritualem* » *aestimandi temporali pretio nulla* » *adest.* » – Sed si vera esset haec ratio, nequidem suam solam utilitatem intendens, et alterum pacto oneroso obligans, simoniacus esset. – *Suarez*[3] ad hanc rationem respondet: « Si frater minor natu a primogenito pretio emat, ut religiosus fiat, *eo fine*, ut ipse in haereditate temporali succedat, sine dubio esset simoniacus, et vere emeret *rem spiritualem*, licet illam non recipiat, sed tantum *temporalem*. Dico ergo, ad emptionem non esse necessarium, ut emens aliquid recipiat ab alio quasi materialiter; sed satis esse, quod emat ab alio *voluntatem* ejus (ut sic dicam) et illius *effectum*, id est, ut faciat, quod emens vult, sive illud maneat in agente, sive transeat in alium, sive sit utile ementi,

1) Conf. 19. n. 595. — 2) T. 7. diss. 11. de Sim. art. 3. — 3) Cap. 16. n. 18.

sive alteri. » – Porro etiamsi emptio et venditio locum non haberet, saltem *commutatio* fieret per contractum innominatum : do, ut facias ; facio, ut des ; quod satis est ad Simoniae reatum.

3. Eo autem casu, quo *suam* solam utilitatem intendens, alterum *formaliter non obligat*, objici non potest, ad Simoniam requiri pactum *onerosum*. Nam hoc verum est de Simonia *reali*, secus vero de *mentali ;* et mentalem, licet poenae contra simoniacos statutae non incurrantur, *veram Simoniam* esse, apud omnes in confesso est, et ex propositionibus damnatis constat.

ITAQUE CONCLUDIMUS:

Ex hisce expositionibus patet, sententiam, quam tenent *Salmanticenses*, et cui accedit *S. Alphonsus*, rectam et omnino tenendam esse.

QUAESTIO VII.

Cui restituendum sit pretium acceptum pro re spirituali simoniace tradita.

(S. Alph. Lib. III. n. 115. — P. Ball. Tom. I. n. 295. q. 8.)

Lib. III. n. 114. S. ALPHONSUS sequentia *Busembaumii* verba allegat: « Pretium acceptum pro beneficio, collatione Ordinum, sacramentorum et sacramentalium, si notabiliter excedat id quod pro sustentatione exigi poterat, item pro admissione ad Religionem, jure positivo restituendum est. Hoc tamen posterius nonnisi post latam sententiam, si admissus in monasterium maneat ; quia plerumque ratione alimentorum retineri potest, modo in communem usum convertatur... Acceptum pro beneficio aliave re spirituali, non secuta collatione, jure naturae restituendum est ei, a quo est acceptum : quia deest titulus retinendi, cum non praestetur id, pro quo est datum. *Si vero res tradita sit*, simonia utrinque completa, *probabilius est restituendum esse Ecclesiae, et non danti ;* quia Ecclesia utrumque punire intendit, ut Lessius, Laymann. »

Ad quos textus, ipse S. Doctor addit :

« *115.* Quaeritur hic, *qui rem spiritualem cum simonia jam tradidit, et pretium accepit, cuinam illud restituere debeat ?* – Tres sunt sententiae omnes probabiles. » – *Prima* tenet, ante sententiam pretium restituendum esse *ei qui dedit ;* quia cum recipiens incapax fuerit ex jure positivo illud acquirendi, dominium remansit apud dominum, qui non alia ratione intendit illud a se abdicare, nisi quatenus transferret in venditorem. Ita Sanchez, Lessius, cum Valentia, Soto, Bannez, Aragonio, Rodriquez, etc. apud Salmanticenses. » – *Secunda* tenet, esse restituendum *Ecclesiae*, in qua est beneficium ; ex C. *De hoc*, et C. *Audivimus*, de Sim. Et hoc in poenam irreverentiae irrogatae Ecclesiae, in venditione rerum suarum. Ita S. Thomas, Salmanticenses, S. Antoninus, Laymann, Suarez, Cajetanus, etc., cum Busembaum, ut supra. – *Tertia* dicit, *ex consuetudine* posse restitui etiam *pauperibus ;* ut etiam admittit S. Thomas, cum Palao, Victoria, Covarruvias, etc., et probabilem vocat Laymann apud Salmanticenses.

» Quare *recipiens pretium*, juxta has sententias, *satis omnes probabiles* (ut recte dicunt *Salmanticenses* [1]) *poterit, prout voluerit, illud restituere vel danti, vel Ec-*

1) Tr. 19. c. 4. n. 31.

» *clesiae, vel pauperibus;* et etiam » sibi ipsi, si egens sit, ut Salman- » ticenses cum Sanchez. – Pretium » vero pro ingressu in religionem re- » stituendum est ipsi danti, ut affe- » rat ad monasterium, ad quod trans- » fertur, et quod alere eum debet, » ut ex C. *Veniens de Sim.* Si ta- » men remaneat, potest monasterium » datum retinere; ut Sanchez, Pa- » laus, Suarez et Laymann, apud » Salmanticenses. »

P. Gury autem circa hanc materiam, T. I. n. 295. pag. 324. [1] sequentia habet: « Quaeritur 2°. *An restituendum sit pretium simoniace pro re spirituali acceptum?* – Resp. 1°. Si *solum* intercessit *simoniae crimen,* nulla vero justitiae laesio, non adest obligatio restituendi simoniacum pretium ante condemnatoriam judicis sententiam; nisi ipsum pretium excedat aestimationem commodi temporalis, quod cum re spirituali in alterum transfertur. Ita Suarez, Lessius, Laymann, Reiffenstuel apud Schmalzgrueber, lib. 5. tit. 3. n. 286. – Resp. 2°. Ubi vero pactum simoniacum repugnet etiam *justitiae commutativae,* pretium restituendum est ante omnem judicis sententiam. Ita *Communis.* Ratio est, quia ex justitiae commutativae laesione, obligatio restituendi ipso naturae jure exsurgit. »

« Quaer. 3°. *Cui restituendum sit pretium simoniacum?* – Resp. 1°. Si datum sit pretium, sed nondum tradita sit res spiritualis, communis sententia docet, pretium illi restituendum esse, qui dedit, nisi aliter judex decreverit. Ratio est, quia jura solum contra simoniam realem poenas statuunt. – Resp. 2°. Si vero utrinque secuta sit traditio, distinguenda a reliquis est causa *beneficialis.* In hac enim, simoniacum pretium ex Cap. *De hoc* 11. *De Sim.* restituendum est *Ecclesiae,* in qua situm beneficium est; vel, si Superior velit, potest pauperibus distribui, ut advertit S. Thomas. – Quoad pretium vero *pro alia re spirituali* acceptum, cum nihil jure clare decretum reperiamus, superest ut *ei* restituatur, *qui illud persolvit.* Ratio est, quia *per se, et lege seu superiore aliud non statuente,* ubi injusta acceptio intervenit, restitutio facienda illi est, qui laesus fuit. Atqui in casu laesus ille fuit, qui dedit pretium. Ergo, etc. – Proinde si is, qui simoniacum pretium solvit, gratuito solutum remittat, ille, qui istud accepit, licite idem retinet, donec in criminis poenam Ecclesiae vel pauperibus illud erogare per judicem jubeatur. Vid. Schmalzgrueber..., qui... hanc doctrinam ab objectis vindicat. »

Ad quem textum, P. Ballerini pag. 326. [2] adnotat: « Ex his patet, » *Salmanticenses* (apud *S. Alphon-* » *sum,* Lib. 3. n. 115.) *parum apte* » *de his disputasse,* dum, nulla in- » ter causam et causam distinctione » posita, *generatim* dicunt, tres de » hac re adesse sententias, easque » probabiles, quarum una pretium » illi, qui solvit, restituendum velit, » altera Ecclesiae, tertia vero pau- » peribus; et insuper *Lessium,* qui » stat pro tertia, allegatum pro pri- » ma, *Suarium* vero, qui certe pu- » gnat pro prima, citatum pro se- » cunda apud eundem *S. Alphonsum* » cernere est. »

Duo itaque cl. Professor asserit: 1. S. Alphonsus cum Salmanticensibus *parum apte* de hac quaestione disputat; 2. Falso *Lessium* pro prima sententia, et *Suarium* pro secunda adducit. – Utrumque ergo breviter perpendamus.

1) In altera edit. pag. 247. — 2) In altera edit. pag. 249.: « Ex his patet, Salmanticenses » (apud S. Alphons. lib. 3. n. 115.) *minus concinne* de his disputasse, dum, nulla *inter cau-* » *sas plane diversas* distinctione facta, generatim dicunt... »

ARTICULUS 1.

S. Alphonsus cum Salmanticensibus optissime et concinne hanc quaestionem pertractat.

Inquit ergo cl. Professor: « Ex » his patet, *Salmanticenses* (apud » *S. Alph.* Lib. 3. n. 115.) *parum* » *apte* (aut: *minus concinne*) *de his* » *disputasse,* dum, *nulla inter cau-* » *sam et causam distinctione posi-* » *ta,* generatim dicunt, tres de hac » re adesse sententias, easque pro- » babiles, quarum una pretium illi, » qui solvit, restituendum velit, al- » tera Ecclesiae, tertia vero paupe- » ribus. »

Sed Salmanticenses, et cum ipsis S. Alphonsus, aptissime de hac materia disputant, et clare atque optime inter causam et causam distinguunt. Etenim

I. *Salmanticenses,* Tr. 19. c. 4. p. 25. quaestionem proponunt: « *An qui pretium recipit pro spirituali re, illa tradita, teneatur illud restituere?* » Et praemittunt: « Dicimus: *re jam tradita;* quia nisi rem spiritualem, quam vendit, tradat, pretium acceptum teneri restituere, omnes docent, quia non est titulus, quare pretium illud retinere valeat. Debet igitur illud restituere illi, qui grave et simoniace illud tradidit: cum hic adhuc retinet jus ad illud. » *Num. 26.* ad solutionem hujus quaestionis procedentes respondent: « Dicimus, quod in sola reali simonia commissa in receptione *Ordinis, beneficii et Religionis* tenetur simoniacus ad restituendum pretium *ante sententiam judicis* ex jure positivo Ecclesiastico: in *aliarum rerum spiritualium* simonia, pretium compactum *restituere non tenetur.* Et in nulla simonia ex jure *divino;* et solum in illis tribus casibus, ut dixi- mus, ex jure *Ecclesiastico.* – Tres partes habet assertio, et ab hac ultima incipiendo; probatur, ex jure divino, in nulla simonia cujuscunque materiae adesse obligationem restituendi pretium per illam compara- tum. Quia jus divinum non obligat ad restitutionem, nisi quando recipitur, aut traditur aliquid contra *justitiam:* simoniaca autem acceptio non est contra justitiam, sed contra *Religionem;* nam simonia, ut cap. 1. diximus, est peccatum irreligiositatis, non injustitiae; nisi forte alias committatur injustitia simul, quia nimirum venditur res spiritualis eis, quibus ex justitia eam administrare tenebatur, quia qui ex justitia tenebatur dare gratis, et ob pretium dat, injustitiam committit, et sic pretium restituere tenetur: ut Parochus, qui, ut Sacramenta ministret, pretium recipit; qui a redimente suam vexationem aliquid accipit; qui ut dignum eligat, pecunias suscipit, etc. »

Num. 27. addunt: « Et confirmatur hoc; quia qui dat *simoniace* pretium, *voluntarie* dat, et vere transfert dominium; sed ei, qui voluntarie dat, et vere transfert dominium, restitutio non debetur: ergo venditor rei spiritualis, *ex jure naturae,* restituere non tenetur pretium, quod accepit, et hujus vere dominus constituitur. Nec eadem est ratio de pecunia extorta a mutuatario per usuram.... Qui vero simoniace rem spiritualem vendit, rem alteri dat pretiosissimam, quae non ideo vendibilis est, quia nihil valet, sed potius, quia plus valet, quam omne pretium temporale; et sic in nullo ipse damnificatus est, sed potius melioratus. Et sic *contra illum nulla injustitia* committitur, sed *contra Deum magna irreligiositas,* eique ingens injuria irrogatur. Ex quo patet, quare *usurarius* pretium pro usuris receptum ex jure naturae teneatur restituere, *non simoniacus.* » – Pro qua sententia allegantur Lessius, Palaus, Bonacina, Laymann, Victoria, Filliuccius, Sanchez, Araujo, Navarrus, Cajetanus, Malderus, Ugolinus, Villalobos, Lopez et Bannez.

Num. 30. Salmanticenses quaestionem ponunt, *cui* in praefatis Simoniae tribus casibus restitutio pre-

tii simoniace accepti facienda sit; et exposita opinione *prima*, videlicet, pretium ante judicis sententiam, ei qui dedit restituendum esse, quamvis post sententiam ei, cui judex addixerit; ad *secundam* transeunt:

« *31.* Dicendum nihilominus est, debere restitui pretium *Ecclesiae*, in qua est *Beneficium*, vel cui injuria irrogata est per Beneficii aut Ordinis simoniacam collationem. Sic D. Thomas,[1] et habetur expresse cap. *De hoc*, cap. *Audivimus De Sim.*: quia ratio, ob quam jus positivum constituit hoc pretium debere restitui, est *ob irreverentiam factam Ecclesiae* in venditione rerum suarum. Unde, sicut Ecclesia est in hoc injuria et irreverentia affecta, aequum est, quod illi fiat restitutio illius pretii, quo fuit irreverenter affecta. Quare sicut ipsa Ecclesia recipientem reddit incapacem recipiendi tale pretium; sic a dante omne jus abstulit ad illud, tale pretium usibus Ecclesiae applicando. Sic praeter D. Thomam, Sylvester, Laymann, Araujo, Suarez, Torre, D. Antoninus, Cajetanus. — Imo *ex consuetudine* fieri posse talem restitutionem *pauperibus*, docet ibi *D. Thomas*,[2] ubi asserit, pretium simoniacum non esse restituendum danti, sed *in eleemosynas erogandum*. Quod et tenent Victoria, Covarruvias, Aragonius, Palaus, Turrecremata, et probabile dicunt Laymann et Sanchez. »

« Cum ergo istae tres sententiae *probabiles* sint, poterit simoniacus pretium acceptum vel *danti*, vel *Ecclesiae*, in qua situm est Beneficium, vel *pauperibus* erogare, prout voluerit; et si ipse pauper sit, sequendo opinionem probabilem, quod potest erogare pauperibus, poterit sibi retinere, ut inquit Sanchez. Pretium autem pro ingressu *Religionis* restituendum est *ipsi danti*, ut secum afferat ad Monasterium, ad quod est transportandum, quod illum alere debet; ut qui sentit onus, sentiat etiam emolumentum, cap. *De hoc autem*, cap. *Veniens De Sim.* Dum autem in eodem Monasterio manet, posse Abbatem et Monachos retinere pecuniam, nec teneri restitutionem facere, docet Palaus, Suarez, Sanchez, Laymann. »

Bene itaque Salmanticenses « inter causam et causam » distinguunt.

II. Sed nec *S. Alphonsus* « parum apte », aut « minus concinne » de hac materia disputat.

1. Adnectit enim numerum *115.* supra citatum ad textum *Busembaumii*, qui dicit, pretium acceptum pro beneficio, collatione Ordinum, Sacramentorum et Sacramentalium, et pro admissione ad Religionem esse restituendum; et addit, postquam res tradita est, probabilius esse, restitutionem *Ecclesiae*, et non danti, faciendam esse. Ideo S. Alphonsus sub *rebus spiritualibus* easdem comprehendit, quas Busembaum enumeravit.

2. In quantum vero, *secundam* sententiam proponens, S. Doctor dicit, pretium restituendum esse *Ecclesiae*, in qua est *beneficium*, per se intelligitur, quod de solis causis *beneficialibus* loquatur; et in fine alioquin, quoad omnes res spirituales, de quibus tractat, probabile censet, pretium aut danti, aut Ecclesiae, aut pauperibus restitui posse.

Articulus 2.

S. Alphonsus cum Salmant. Lessium pro prima sententia, et Suarium pro secunda merito allegat.

I. Objicit primum cl. Professor: « Insuper *Lessius*, qui stat pro *tertia* » (sententia), *allegatum pro prima...* » *apud eundem S. Alphonsum cernere est.* »

1. *Lessius, S. J.*,[3] dubium proponit: « *Cui debeat fieri restitutio pretii,*

1) 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. et 5. — 2) 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2.; q. 62. art. 5. ad 2. — 3) Lib. 2. c. 35. n. 170. et 171.

t an ante sententiam judicis? » – t dicit: « Suppono, si aliquid temporale acceptum sit pro conferendo beneficio, vel alia re spirituali, non secuta collatione, jure naturae restituendum ei, a quo acceptum est.... Si vero beneficium sit traditum, ita ut utrinque simonia sit completa, manent duae sententiae DD. Quidam enim putant, pretium acceptum in hoc casu ante sententiam judicis esse restituendum ei, qui dedit: post sententiam, cui judex addixerit. Ita Soto, Bannez et multi alii DD. hujus aetatis. Ratio est, *quia is, qui pretium dedit, non amisit pretii dominium;* non enim transtulit ejus dominium in venditorem rei spiritualis; cum hic jure sit factus incapax illius dominii hoc titulo capiendi, neque ille intendit a se abdicare dominium alia ratione, quam transfendo in venditorem: ergo cum in hunc non sit translatum, vere mansit apud emptorem: ergo illi restituendum. Si dicas, Ecclesiam illum privasse dominio; respondent, talem privationem non fieri nisi per legem poenalem, quae neminem ante sententiam ita re sua privat, ut ejus dominium amittat. Haec sententia non est improbabilis. »

« Contraria tamen, id est, etiam ante sententiam judicis pretium illi esse restituendum Ecclesiae, est multo probabilior et verior. Tenet S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 7., ubi dicit, *pretium simoniacum non esse restituendum danti, sed in eleemosynas erogandum.* Idem expresse dicit q. 62. art. 5. ad 2; neque intelligit post sententiam judicis, sed absolute; explicat enim de quibus possit fieri eleemosyna. Silvester [1] dicit, *esse dandum Ecclesiae, in cujus inferiam Simonia est commissa; nisi Episcopus et Capitulum sit particeps simoniae; tunc enim dandum pauperibus vel alteri Ecclesiae.* Covarruvias [2] dicit, hanc esse communem DD. sententiam. Idem tenent Victoria et Cajetanus supra. Denique DD. omnes, quod sciam, qui fuerunt ante Sotum; Canonistae in cap. *De hoc* et cap. *Audivimus* 41. de Simonia. »

2. At vero ad argumenta adversariorum respondens, Lessius dicit: « Similiter non obstat, quod *non sit ulla constitutio Ecclesiae,* qua dans hoc ipso, quo dat, amittat dominium, quia id non est necesse; *fateor enim manere dominium apud dantem; et ideo si ei restituatur, posse retinere,* quia non ipse, sed qui accepit, jubetur in pios usus expendere: unde non privatur dominio vi legis immediate; sed actu et restitutione facta per accipientem ex praecepto legis. Lex enim potest jubere, ut rem alienam, quae apud te est, expendas in pauperes, quando justa causa subest; et hoc ipso, quo datur pauperibus, prior dominus amittit dominium. Haec est mens Canonum citatorum. »

3. Mens autem *Lessii* certe non fuit, quod ille, qui pretium simoniace acceptum *datori* restituerat, idem pretium denuo Ecclesiae aut pauperibus restituere teneatur; sed quod *optio* ipsi data sit, alterutro modo restitutionis obligationi satisfaciendi.

4. In quo sensu etiam *Palaus, S. J.,* [3] Lessium intellexit: « *Petes, cui debeat fieri haec restitutio?* Respondeo, ex jure communi faciendam esse Ecclesiae, in qua est beneficium, et constat manifeste ex supracit. C. *De hoc:* et ita docuit D. Thomas. [4] Potest tamen fieri pauperibus, de arbitrio superioris; ut tenet ibi D. Thomas et Doctores. Imo fieri posse pauperibus ex consuetudine recepta: tenent multi allegati a Covarruvia [5] et favet D. Thomas, [6] ubi dicit, pretium simoniacum non esse restituendum danti, sed in eleemosynas erogandum. – Adverto tamen, non videri improbabile, pretium acceptum pro datione beneficii restitui posse *ante sententiam*

1) V. *Simonia,* q. 20. — 2) Ad regul. *Peccatum,* p. 2. *s.* 2. n. 7. — 3) Disp. 3. p. 26. n. 5. 4) Q. 100. art. 6. ad 3. — 5) Reg. *peccatum,* 2. p. *s.* 3. n. 6. — 6) 2. 2. q. 32. art. 7.

judicis ei, qui dedit; post sententiam, cui judex addixerit. » Et pro hac sententia, inter alios DD. *Lessium* l. c. allegat.

5. Similiter *Schmalzgrueber, S.J.*:[1] « *Antequam* tamen *per sententiam* ad ita restituendum Ecclesiae vel pauperibus condemnetur, *restitui pretium potest illi, a quo receptum est.* » Pro qua sententia pariter *Lessium* citat; et rationibus expositis, subjungit: « Et ita intelligendum est C. *De hoc 11. h. tit.;* nam ex hoc solum infertur, quod ante sententiam judicis condemnatoriam, in conscientia restitui debeat pecunia accepta, *cum ea sine gravi salutis periculo retineri non possit. - Neque obstat,* quod turpiter acceptum non sit restituendum danti, cum in pari turpitudinis causa melior sit conditio possidentis, juxta *l. cum te 2. C. de condict. ob turp. caus.* Nam illa Regula, ut notat Pirhing n. 182., procedit solum in foro externo, in quo judex in poenam delicti praecipit, ne restituatur pecunia danti, *quae alias, spectato jure naturali, ipsi restitui deberet,* cum accipiens non habuerit justum titulum acquirendi, sed injustum. »

6. Item *Reiffenstuel:*[2] « Porro plures, ut Palao,[3] *Lessius*[4] et alii probabile censent, temporalia intuitu Beneficii *simoniace* accepta, *ante judicis sententiam restitui posse ipsi, qui prius dedit.* »

7. Cum ergo *Lessius* patronis *primae* sententiae fundamentum, quo innituntur, concedat, scilicet dominium rei apud datorem manere, nullamque legem existere, qua ipso facto dominio privaretur, cumque ideo ipsis concedat, pretium datori restitui posse: *Salmanticenses* et *S. Alphonsus* Lessium utique pro *prima* sententia et quidem potiore jure quam pro secunda et tertia allegare potuerunt. - Id saltem certum est, *Lessium non stare pro tertia,* quemadmodum P. Ballerini contendit; quia hujus et secundae sententiae patroni absolute negant, pretium *datori* restitui posse.

II. Ait demum P. Ballerini: « *Suarium* vero, *qui certe pugnat pro prima* (sententia), *citatum pro secunda apud eumdem S. Alphonsum cernere est.* »

1. *Suarez, S. J.,*[5] quaestionem ponit: « *Utrum pretium simoniace obtentum, ex jure divino et naturali restituendum sit?* » et sententiam *communem* propugnat, *non esse restituendum jure naturali,* nisi et in quantum, pacto inito, justitia commutativa laesa fuerit. - Alteram dein quaestionem[6] proponit: « *An pretium simoniace comparatum, ex jure ecclesiastico sit in conscientia restituendum ante sententiam, et cui?* » et respondet, hanc quaestionem solummodo locum habere in Simonia commissa in beneficio, Ordine, aut ingressu in religionem.

Et primo loco de Simonia in materia *beneficiali* tractans, haec est sua assertio: « 3. Dicendum, pecuniam acceptam pro venditione *beneficii* seu electionis, aut praesentationis etc., *in foro conscientiae restituendam esse ante omnem sententiam:* unde, cum haec obligatio non sit ex vi solius juris naturalis, concluditur esse ex institutione seu lege ecclesiastica. Haec assertio sumitur ex D. Thoma d. art. 6. ad 4., ubi eodem modo loquitur de pecunia, sicut de fructibus simoniace acceptis; et principalem partem fundamentalem ejus supponunt omnes citati in c. praeced. pro utraque sententia: nam omnes admittunt hanc obligationem: unde qui negant esse de jure naturali, necessario sentiunt esse *de jure positivo.* »[7] - Quam propositionem fuse probat, attamen rejiciendo argumentum, quo aliqui utuntur: rem tur-

1) Lib. 5. tit. 3, n. 303. — 2) Lib. 5. tit. 3. n. 296. — 3) De Sim. p. 26. n. 5. — 4) Cap. 35. dub. 31. n. 171. — 5) De Sim. c. 59. — 6) Cap. 60.

7) Falso igitur *P. Gury* citat *Suarium,* quasi doceret, « si *solum simoniae crimen* intercessit, nulla vero justitiae laesio, non adesse obligationem restituendi simoniacum pre-

iiter acceptam a dante ob turpem ausam non debere manere apud re-ipientem.

Et demum quoad alteram dubii pro-positi partem, Suarez dicit: « 7. Sed xplicandum superest, *cui tunc fa-ienda sit restitutio:* nam Sotus di-it, esse restituendam pecuniam ei ui illam dedit, ante sententiam; et equitur Bannez, saltem quoad hoc, it liceat pretium reddere ei, qui de-uit, quamvis etiam sufficiat illud da-e Ecclesiae, vel pauperibus. Fun-antur in hoc, quia putant, *domi-ium pretii semper manere apud antem ex natura rei, et per legem oenalem non privari illo ante sen-entiam.* – Sed existimo, *fundamen-um esse falsum;* quia ille contractus x natura sua sufficiebat ad trans-erendum dominium in alium, et onsequenter ad se spoliandum illo. onsecutio etiam non est necessaria; um quia lex poenalis potest per se sam privare tali dominio, quando sufficienter exprimit, et maxime ando aliquis contra legem se ipsum oliat possessione pretii: tum etiam, ia potuit lex praecipere recipienti ecuniam, ut amplius illam non red-i largienti, sed in pios usus ex-ndat. »

« 8. *Dicendum ergo est, pretium ud restituendum esse Ecclesiae.* D. Thomas,[1] Cajetanus, Victoria, ester, Navarrus et plures alii, os refert Covarruvias et commu-er Doctores in d. C. *De hoc,* ubi videtur expresse definitum; di-tur enim ibi restitutionem esse Ec-esiae faciendam. – Rationem argu-entando supra posuimus, estque tima, et eamdem indicat D. Tho-as: quia dans voluntatem habuit, et habere debuit, ex vi contractus, abdicandi a se illam pecuniam, et transferendi illam in alium, secuta causa: Ecclesia autem, licet consecutionem dominii in recipiente impediverit, non restitit abdicationi alterius, sed potius acceptavit illam in poenam ejus, et applicavit jus illius pecuniae Ecclesiae, quae passa est injuriam; et ideo illi dicitur facienda restitutio in praedicto textu. *Ergo de jure communi cum proportione facienda est restitutio illi Ecclesiae, in qua est beneficium, circa quod simonia commissa est:* et ita etiam docuit *D. Thomas,*[2] ubi solum addit, de arbitrio Superioris, ex causa justa posse interdum fieri pauperibus; et idem docent communiter Doctores ibi, et C. *Veniens,* C. *Consulere* de Sim., Silvester, et Summistae eod. ver. – Dicunt vero aliqui, consuetudine receptum esse, ut pauperibus dari possit; et multi ex DD. allegatis, praesertim a Covarruvia, hanc licentiam praebere videntur, et favet D. Thomas.[3] Sed ibi generaliter loquitur de simonia, ut supra dixi. – *In illa vero, quae committitur in beneficio, ex rigore juris servandum est, quod diximus;* consuetudo autem consulenda est, essetque magis tolerabilis, si pauperibus *ejusdem ecclesiae* eleemosyna fieret: nam bona ecclesiae quodammodo ad illos pertinent: *tamen ut ordinate fiat, per praelatum ecclesiae dispensanda est,* ut recte D. Thomas dixit. »

2. Certe itaque atque certissime *Suarez,* quoad Simoniam in *beneficiis* commissam, non pro prima, sed pro *secunda* sententia pugnat; et *S. Alphonsus* rectissime eum citat,

m ante condemnatoriam judicis sententiam, nisi ipsum pretium excedat aestimationem umodi temporalis, quod cum re spirituali in alterum transfertur. » — Similiter falso al-at *Lessium* (v. Lib. 2. cap. 35. n. 160.), *Laymann* (v. de Sim. cap. 8. n. 82.), *Reifenstuel* Lib. 5. tit. 3. n. 294.); ipsumque denique *Schmalzgrueber,* qui n. 284. de Simonia loqui-, quae praeter beneficia, in aliis materiis committitur, at vero in praecedenti n. 283. cum tentia communi docet, in materia *beneficiorum* pretium acceptum jure ecclesiastico ante nem sententiam judicis restituendum esse; quod P. Gury non adverterat. — Unde potiori e, quam Salmanticensibus, ipsi exprobrari potest, quod « inter causam et causam » non is distinguat.

1) 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. — 2) Dict. q. 100. art. 6. ad 3. — 3) 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2.

dicendo: « *Secunda* tenet, esse re» stituendum *Ecclesiae, in qua est* » *beneficium,* et hoc in poenam ir» reverentiae irrogatae ecclesiae in » venditione rerum suarum. Ita..... » *Suarez.* »

3. *Salmanticenses* autem in eo tantum a Suarez dissident, quod etiam de Simonia in *Ordine* commissa dicunt, pretium ex lege positiva, *Ecclesiae* esse restituendum, cui per simoniacam Ordinis collationem injuria irrogata fuit. *Suarez* vero tenet, hanc obligationem nec ex C. ult. de Sim. nec ex C. *Audivimus* sufficienter probari posse, et ideo jure naturali pretium *datori* restituendum esse, quia Praelatus, vi muneris, Ordines gratis conferre tenetur.

PAUCIS ITAQUE CONCLUDIMUS:

1. S. Alphonsus cum Salmanticensibus *aptissime* quaestionem pertractat, cuinam restituendum sit pretium simoniacum, et *concinne* inter causam et causam distinguit.

2. Merito S. Doctor *Lessium* pro prima sententia allegat; saltem certum est, Lessium non stare pro tertia, prout P. Ballerini contendit. *Suarium* vero rectissime pro secunda sententia adducit.

QUAESTIO VIII.

An in blasphemando semper adsit aliqua advertentia, saltem confusa, de malitia illius prolationis.

(S. Alph. Lib. III. n. 127. — P. Ball. Tom. I. n. 300. ad 3.)

Lib. III. n. 127. S. Alphonsus textum allegat *Busembaumii* dicentis: « Qui talium verborum (blasphemorum) consuetudinem habet, tenetur sub peccato mortali serio conari eam tollere. Quod si facit et tamen labitur, potest excusari aliquando, eo quod juramenta ita impetu naturali effusa, non sunt voluntaria nec in se nec in causa, utpote retractata proposito efficaci... Si non conetur, idque Confessarius notet, neget ei cum discretione absolutionem. »

Ad quem textum, S. Doctor noster adnotat: « Hic advertendum, quod » aliqui hujusmodi blasphemantes di» cunt, se non animadvertisse ad ma» litiam blasphemiae. Ajuntque qui» dam Doctores, quod isti aliquando, » ob impetum irae vel habitus con» tracti, possunt sine advertentia » blasphemare. *Sed puto* cum aucto» re citato (*Istruz. etc.* pag. 145.), » *semper adesse in blasphemando* » *aliquam advertentiam, saltem con*» *fusam, de malitia illius prolatio*» *nis;* ira enim aut habitus *ordinarie* » non ita intellectum obtenebrat, ut » penitus ad malitiam blasphemiae » non advertatur, licet ipsa reflexe » non cognoscatur. »

T. I. n. 300. pag. 332.[1] *P. Gury,* de hac quaestione loquens, dicit: « Non peccant graviter, qui ira vel aliqua passione abrepti, verba blasphemiae proferunt, non advertentes ad eorum significationem. » – Et P. Ballerini, l. c. subjungit: *Ita S. Thomas* (2. 2. q. 13. art. 2. ad 3.): « Blasphemia potest *absque delibe*» *ratione, ex subreptione* procedere » dupliciter. Uno modo, quod aliquis » non advertat hoc, quod dicit, esse » blasphemiam: quod potest contin» gere, cum aliquis *subito ex aliqua* » *passione,* in verba *imaginata* pro» rumpit, *quorum significationem* » *non considerat;* et tunc est pec» catum veniale, et non habet pro» prie rationem blasphemiae. – *Quae* » *efficere possunt, ut posthabeatur* » *opinio, quam S. Alphonsus* (*Lib.* 3.

1) In altera edit. pag. 253.

» *n. 127.) tribuit Giordanini* (Istruzione per li novelli confessori), *nimirum, semper adesse aliquam de malitia blasphemiae advertentiam.* »

Sed P. Ballerini utrumque locum, tam S. Alphonsi, quam S. Thomae, non ex integro, sed ita a contextu avulsum citat, ut verus et genuinus utriusque sensus vix appareat. - Itaque 1. ostendemus, *S. Alphonsum convenire cum S. Thoma,* quoad illos qui, *secluso pravo habitu* blasphemandi, absque deliberatione, *ex subreptione* verba blasphema proferunt; 2. Exponemus S. Doctoris nostri sententiam circa *habituatos* in blasphemiis, de quibus S. Thomas non loquitur.

Articulus 1.

Ostenditur nullum esse discrimen inter sententiam S. Alphonsi et doctrinam D. Thomae.

1. *S. Alphonsus,* in prima quidem propositionis parte dicit, « *semper* » adesse in blasphemando aliquam » advertentiam, saltem confusam, de » malitia illius prolationis »; at in altera parte, in eodem contextu, rationem addit: « ira enim aut habitus » *ordinarie* non ita intellectum obtenebrat, ut penitus ad malitiam blasphemiae non advertatur. » - Inde vox: *semper,* ex iis quae immediate subsequuntur, necessario intelligenda est de *ordinarie et communiter* contingentibus.

2. *S. Thomas* loc. c. quaestionem proponit: « *Utrum blasphemia semper sit peccatum mortale?* » et inter rationes pro negativa sententia adfert: « 3. Praeterea peccata, quae *absque deliberatione* committuntur, non sunt mortalia; propter quod primi motus non sunt peccata mortalia, quia deliberationem rationis praecedunt, ut ex supra dictis patet, 1. 2. q. 74. art. 10. Sed blasphemia quandoque absque deliberatione procedit; ergo non semper est peccatum mortale. » - Ad quam rationem respondet: « Ad tertium dicendum, quod blasphemia potest absque deliberatione, ex surreptione procedere dupliciter: uno modo, quod aliquis non advertat hoc, quod dicit, esse blasphemiam; quod potest contingere, cum aliquis *subito,* ex aliqua passione, *in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat;* et tunc est peccatum *veniale,* et non habet proprie rationem blasphemiae; alio modo, quando advertit hoc esse blasphemiam, *considerans significata verborum,* et tunc non excusatur a peccato *mortali,* sicut nec ille, qui ex subito motu irae, aliquem occidit juxta se sedentem. »

3. Cum in prima propositionis parte dicatur: « *in verba imaginata prorumpit* », patet, Angelicum hic non loqui de iis, qui in *consueta* verba blasphema prorumpunt, *quorum significata bene intelligunt atque considerant;* sed de homine, qui permiscet verba sancta et profana, quae passione obcaecatus, sibi *imaginatur,* et *quorum significata non considerat.* Hunc excusat; non autem alteros, de quibus in secunda propositionis parte loquitur, quamtumvis iidem, ex hypothesi, in verba blasphema *absque deliberatione, ex surreptione* prorumpant: supponendo, ipsos *sufficienter* ad malitiam blasphemiae *advertere,* quemadmodum is, qui ex subito irae motu, aliquem occidit juxta se sedentem.

4. Alteram quaestionem, an etiam *habitus* excuset, Angelicus non attingit; sed de illis tantum loquitur, qui, *propter surreptionem,* absque deliberatione verba blasphema *imaginata* proferunt, quorum significationem non considerant. Et in hac quaestione convenit cum S. Alphonso: etenim casus, in quo blasphemantes excusat, scilicet prorumpentes *in verba imaginata,* raro sane contingit. S. A. vero similiter concedit, fieri posse, licet non ordinarie, quod ira alicujus intellectum adeo obtenebret, ut ad malitiam blasphemiae penitus non advertat.

5. In textu autem supra allato, S. Doctor noster speciatim de *habituatis* in blasphemiis sermonem facit. Etenim Busembaum a S. A. allegatus, agit de eo « qui talium verborum *consuetudinem* habet »; hinc ipse S. Doctor loqui pergit de *hujusmodi* blasphemantibus; quod insuper clare patet ex titulo quaestionis initio Capitis posito, ubi S. A. quaestionem sic proponit: « *127. Ad quid teneatur* (blasphemans) *consuetudinarius?* » – Cum autem S. A. de iisdem habituatis in blasphemiis alibi uberius tractet, ejusdem doctrinam hac de re breviter examinare juvat.

Articulus 2.

Exponitur sapientissima S. A. doctrina circa Habituatos in blasphemiis.

I. Lib. V. in Tractatu *de actibus humanis,* num. XIV. ad 3. in genere de consuetudinariis loquens, S. Doctor advertit: « *Nec facile Confes-* » *sarius credere debet poenitenti,* » *qui se excusat* pejerasse, *blasphe-* » *masse,* vel verba obscena protu- » lisse, sine advertentia et involun- » taria *tanquam ex habitu:* nam si » habitum illum extirpare non stu- » duerit, aliqua adhibendo remedia, » tunc est voluntarius in causa, dum » pejerat, blasphemat etc., et ideo » non excusatur a culpa; *secus vero,* » *si adhibitis diligentiis, inadver-* » *tenter blasphemat,* in obscena pro- » rumpit, et similia agit. »

II. Quod autem speciatim *habituatos in blasphemiis* attinet, S. A. in *Praxi Conf.* cap. 2. n. 31. rationem exponit, cur ipsis fides non sit praestanda: « Demum hic addo cum quo- » dam docto auctore, [1] *blasphemato-* » *res non excusari a peccato gravi,* » eo quod propter vim habitus mali, » aut vehementem animi commotio- » nem ad iram, non adverterint ad » id quod dicebant; *quia hi male* » *habituati,* licet habeant cognitio- » nem minus vivacem aliis, qui usum » blasphemandi non contraxerunt, ta- » men *semper habent eam actualem* » *cognitionem sufficientem ad hoc,* » *ut actus sit deliberatus et gravi-* » *ter peccaminosus.* – Cum enim ipsi » tanti mali non faciunt peccatum, » ideo in suo animo nullum hujus » sceleris sensum experiuntur, sicuti » perciperet alius, qui esset conscien- » tiae non tam depravatae; et hinc » oritur, quod in eorum mente, ne » signum quidem remaneat actualis » cognitionis, quam in peccato ha- » buerunt; aut si vestigium aliquod » cognitionis relinquitur, est ita le- » ve, ut interrogati faciliter respon- » deant, se non animadvertisse; *sed* » *diligens Confessarius nullam in* » *hoc debet eis praestare fidem;* et » neque debet ab his sciscitari, *an* » *adverterint nec ne,* sed accipien- » dae sunt omnes ut verae blasphe- » miae actuales, semper ac ipsi scie- » bant, tales esse. »

III. Regula ista, quam S. Doctor Confessariis tradit, justa est atque sapientissima.

1. Est *justa.* – Si quis enim, qui alias blasphemias proferre *non solet,* affirmat, quod *in aliqua subita commotione* ad blasphemiae malitiam nullo modo adverterit, et postea cognoscens, verba prolata blasphemias esse, et exterritus statim poenituerit; utique ipsi *credendum* est, quia nihil obstat. – Secus vero, si *habituatus,* cujus conscientia obtusa est, affirmat, se non advertisse; quia praesumendum est, quod more consueto, quidquid in buccam venit, proloquens, et nullam diligentiam in re, quam parum curat, adhibens, actualem cognitionem, quam habuit, statim oblitus sit, quin ullum hujus cognitionis vestigium in ejus mente remanserit. Fieri quidem potest, habituatum centies reum, semel *in aliquo vehementiore affectu* revera *nullam* plane advertentiam habuisse: at vero Confessarii est, in hac, quemadmodum in aliis materiis, secundum

1) Scilicet *Giordanini.* Cfr. Theol. mor. lib. 5. tract. de peccatis, n. 4. *Tertio modo.*

communiter et ordinarie contingentia judicare, non autem judicium suum iis accommodare, quae raro eveniunt, et vix unquam omnino certa sunt.

2. Sed non tantum justa est ista regula, verum etiam *sapientissima.* - Si enim Confessarius excusationibus poenitentis acquiescit, hic excusatum se habebit, dummodo non intentione formali verba blasphema proferat; et nec *debitam diligentiam* in extirpando pravo habitu, nec *media* a Confessario praescripta, ea, qua par est, sollicitudine adhibebit.

IV. Ceterum *multi graves DD.* docent, habituatum, qui emendationem non curat, non tantum in statu peccati mortalis esse, quia voluntarius in causa est, sed etiam toties mortaliter peccare, quoties, licet sine ulla advertentia, verba blasphema profert; quia voluntarie causam ponens, voluntarius est in singulis actibus.

1. *Sanchez, S.J.,*[1] plures antiquiores allegat, qui hanc sententiam tenent, tam de assuetis temere jurare, quam a fortiori de blasphemantibus ex consuetudine. - Hos inter Auctores sunt Franciscus et Didacus de Victoria, Metina, Azor, Manuel, Petrus de Ledesma, Ludovicus Lopez, Cajetanus, Sayrus, Angles, Toletus, etc.

2. Ex istis sufficiat Cardinalem *Toletum, S. J.,* allegare, qui [2] haec habet: « Circa peccatum autem blasphemiae notandum est, non semper esse mortale, quamvis sit ex genere suo. Aliquando enim fit *cum* advertentia et deliberatione, ut cum homo cognoscit et advertit esse blasphemiam, tamen eam profert. Aliquando fit *sine* advertentia, ut, cum homo ira aliqua, vel alia motus passione, non advertens verba, quae proferebat, protulit blasphemiam. - Priori modo est peccatum mortale, posteriori vero non semper; *nisi cum homo est assuetus blasphemare, nec vult emendationem.* Qui enim ita male assuetus esset, nec vellet emendare se, peccaret *tunc mortaliter;* quia esset in culpa praecedenti, quia non abstulit occasionem peccati. Qui vero non habet talem assuetudinem, vel, si habet, jam emendare se curat et desiderat, non peccat mortaliter, sed venialiter. »

3. Ex recentioribus *Ven. Paulum Segneri, S. J.,* citare juvat, qui [3] non tantum hanc sententiam profitetur, sed etiam tenet, advertentiam saltem confusam, quae ad peccatum mortale sufficit, in habituatis ordinarie non deesse: « Praeterquam quod voces hoc modo prolatae ipsis *ordinarie sint voluntariae,* non solum in sua causa, quae est prava consuetudo, sed etiam *in se ipsis* atque effectu. Nam quantumcunque miseris istis rationis lumen *ex subita ira* occidere soleat; nihilominus, non tam densa repente nox ingruit, ut non *confuse* gravissimam Divino Honori illatam lingua sua injuriam agnoscant. »

V. Demum advertimus, Opus a S. Doctore allegatum cit. Lib. III. n. 127., non esse: « Istruzione per i novelli Confessori », a *Giordanini* conscriptum (qui caeterum ipsi plane etiam suffragatur); sed : « *Brieve, chiara e pratica Istruzione per gli Confessori di terre e villaggi* », [4] (jam in n. 124. citata) auctore *Josepho Jorio,* S. Alphonsi coaevo. - Hic est celebris ille missionarius regni Neapolitani, virtute ac zelo insignis, qui a Benedicto XIV. exquisivit, quidnam sentiret de famosa illa, quae tunc temporis agitabatur, quaestione, utrum scilicet maledicere mortuis sit peccatum lethale et vera blasphemia. Quam quaestionem diri-

1) In Decal. lib. 3. c. 5. n. 24. — 2) Instr. Sacerd. lib. 4. c. 13. n. 4. — 3) In Opusc. *Il Confessore istruito,* cap. 9. — Ex versione latina, Ratisbonae 1683. quam Sacerdos e Soc. Jesu curavit. — 4) Vid. edit. 2. Neapolit. 1740, qua usus est S. Alphonsus.

mere nolens, doctissimus Pontifex ipsum ad Alphonsum remisit, dicens: « *Vestrum habetis Ligorium: ipsum consulite.* »[1]

EX PRAEMISSIS IGITUR CONCLUDIMUS:

1. Immerito cl. Ballerinius doctrinae S. Alphonsi opponit auctoritatem D. Thomae. Etenim S. Doctor noster specialius tractat de *habituatis* in blasphemiis; Angelicus vero de illis tantum, qui, secluso habitu pravo, absque deliberatione, ex *surreptione* in verba blasphema *imaginata* prorumpunt, quorum significationem non considerant. – Istos D. Thomas a peccato mortali recte excusat; sed eidem assentit et S. Alphonsus, in quantum ipsos habituatos excusat, qui, adhibitis etiam diligentiis, quandoque inadvertenter blasphemant.

2. Rectissime vero docet S. Alphonsus, *habituatis,* qui nullam adhibent diligentiam, et inadvertentiae excusationem afferunt, fidem non esse praestandam: quia in istis *ordinarie* non deest aliqua advertentia, *saltem confusa,* de blasphemiae malitia. Et haec doctrina non solum justa est et sapientissima, sed et complurium gravium DD. auctoritate comprobata.

QUAESTIO IX.

An sit peccatum grave defectus justitiae in Juramento assertorio.

(S. Alph. Lib. III. n. 146. — P. Ball. Tom. I. n. 309.)

Busembaum apud S. ALPHONSUM, Lib. III. *n. 133.* scribit: « *Juramentum* est invocatio tacita vel expressa numinis divini, tanquam primae et infallibilis veritatis, in testem alicujus rei. » Et varias juramenti species enumerans, ait *n. 141:* « Dividitur.... tertio in *assertorium* et *promissorium.* Illud est, quo praeterita vel praesentia affirmantur aut negantur; hoc autem est, quo aliquid futurum promittitur. » – Quibus praemissis, *n. 144.* dicit, tria requiri ad licite jurandum, judicium scilicet, veritatem et *justitiam* « quae exigit, ut quod juratur sit res justa, licita et honesta. » – Quam postremam conditionem perpendens, *n. 146.* de juramento promissorio sic scribit: « Quod ad *justitiam* spectat, peccat *mortaliter,* qui jurat se facturum *rem mortaliter malam,* ut se aliquem interfecturum; quia est gravis irreverentia, divina auctoritate se ad peccatum mortale quasi obligare, ita ut hic *duae malitiae* concurrant: una, quod velit malum; altera, quod ad hoc abutatur auctoritate Dei odio habentis omne malum. »

Relato hoc ultimo Busembaumii textu, ipse S. ALPHONSUS, cit. *n. 146.* de juramento *assertorio* haec addit: « Hoc certum est in juramento *promissorio.* Sed quaestio est: *An sit peccatum grave defectus justitiae in juramento assertorio, si quis cum juramento se jactet de aliquo peccato?* Prima sententia *affirmat* cum *Toleto,*[2] *ac Soto, Ledesma*[3] *apud Salmanticenses.*[4] – Sed *probabilius* dicendum, non esse nisi *veniale* contra justitiam; ut Suarez, Sanchez et Salmanticenses[5] cum Palao, Tamburini et Leandro. Ratio, quia ideo in juramento *promissorio* id est mortale, quia juramentum tum assumitur ad firmandam voluntatem exequendi ma-

1) Cfr. P. Tannoia, in vita S. Alph., lib. 2. c. 38. — 2) Lib. 4. c. 21. n. 10. et 11. — 3) In 2. edit. an. 1753. recte legitur *Ledesma;* in aliis vero posterioribus, ex mendo typographico legitur *Lessius.* — 4) Tr. 17. c. 2. n. 46. — 5) Loco cit. n. 47.

» lum; *in tali vero assertorio,* non » assumitur ad confirmandam com- » placentiam, sed *tantum pronun- » tiatur ad alios certiores redden- » dos de suo peccato, quod non est » nisi quaedam animi levitas venia- » lis.* Secus tamen dicendum, ut be- » ne advertunt Salmanticenses ibid. » cum Auctoribus citatis, si quis » juramentum assumeret *ad firman- » dam detractionem;* quia juramen- » tum tunc sumitur *ut medium ad » infamiam alterius certiorem red- » dendam.* »

P. Gury, T. I. n. 309. pag. 340. [1] similiter de requisitis ad liceitatem juramenti disserens, ait: « Itaque requiritur... *Justitia,* id est ut juramentum sit de re justa, licita et honesta: sic contra justitiam juraret, qui juramento se obligaret ad damnum proximo injuste inferendum, vel ad quidpiam aliud prohibitum. »

Ad quem textum, P. Ballerini advertit: « Justitiam plures DD. re- » quirunt non solum in juramento » *promissorio,* sed etiam in *asserto- » rio,* cum hoc tamen discrimine, » quod in promissorio defectum ju- » stitiae videntur considerare quoad » rem juratam, in assertorio autem » quoad ipsum jurandi actum.

» Et hic *Salmanticenses* (Tr. 17. cap. 2. n. 45-47.) *quos sequitur S. Alphonsus* (Lib. 3. n. 146.), facta quaestione, *an justitiae defectus grave peccatum sit etiam in juramento assertorio,* affirmantem inducunt Sotum cum Toleto, Ledesma et Aragonio, quibus opponunt Suarezium cum Sanchez, Tamburini, aliisque; et hos sequi se » fatentur, excepto casu gravis detractionis juramento confirmatae. - » *Verum haec discordia inter DD. » est plane conficta.* [2] Nam *Sotus* » (de just. et jur. lib. 8. q. 1. art. 3.), » *Aragonius* (in 2. 2. q. 89. art. 3.), » et *De Ledesma* (Sum. hisp. tom. 2. » tr. 11. cap. 2. dub. 4.) peccare eum » dicunt, qui occulta revelans cri- » mina, juramento ea confirmat; sed » num graviter aut leviter peccet, » non dicunt: *Toletus* vero (lib. 4. » cap. 21. n. 8.) grave vel leve pec- » catum pro ratione materiae habet: » et quidem isti advertunt, omne ab- » esse peccatum posse, si justa causa » adsit, v. gr. judici occultum crimen » cum juramento revelandi. *Suarez* » vero (de Relig. tr. 5. lib. 3. cap. 12. » n. 7. 8.) cum *Sanchez,* aliisque, » quorum sententiam *S. Alphonsus* » probabiliorem dicit, generatim le- » vem esse culpam censet, quia res » jurata supponitur vera, et solum » deest in jurando judicium. Excipit » tamen juramentum narrationi veri » criminis additum ad majorem ipsi » fidem conciliandam, quia sic jura- » mentum uti medium ad iniquita- » tem assumitur. - *Perperam igitur » Salmanticenses et fingunt Docto- » rum pugnas, et contra modo istos, » modo illos pugnam aggrediuntur.* »

Postremam hanc propositionem generalem, data occasione, in Salmanticenses immerito prolatam, cl. Professor in altera editione suppressit: quocirca ex corde ipsi gratulamur; quinimo, absque scientiae aut veritatis detrimento, integram Adnotationem expungere potuisset. Etenim 1. Haud recte asserit, *plane imaginariam esse discordiam* inter allegatos Doctores; 2. Eo magis, quia, praeter allegatos, *alii sunt Auctores,* qui in diversas abeunt sententias. - Utrumque igitur paucis perpendemus.

Articulus 1.

Cl. Ballerinius immerito affirmat, a S. Alphonso cum Salmanticensibus discordiam plane imaginariam inter allegatos Doctores confingi.

Cum hic non agatur de vindicanda sententia negativa, quam tenet S. Alphonsus cum Salmanticensibus, unice examinandum est, utrum ad quaestionem: *An justitiae defectus grave*

1) In altera edit. pag. 260. — 2) In hac 2. edit. cl. Professor dicit: « *est plane imaginaria.* »

peccatum sit in juramento assertorio, una vel diversa sit sententia Doctorum, de quibus ipse cl. Professor loquitur.-Quocirca respondemus, non unam eamdemque esse istorum DD. sententiam.

I. Doctrinam itaque *Soti, Aragonii, Ledesmae* et *Toleti* primum inspiciamus.

1. *Sotus* [1] haec habet: « Tres sunt necessarii comites, quibus juramentum honestatur: nempe veritas, justitia et judicium... » Ac de *justitia* loquens, sic pergit: « Maluit Cajetanus, hunc comitem soli promissorio congruere. At vero forsan rectius et *assertorio* quoque censeatur proprie convenire. Nam justitia proprie non solum ad rem juratam spectat, verum et ad jurandi causam... Unde ego si crimina civis omnino occulta sub juramento asserens detego, certe juramentum est injustum, *sicut si jurarem me facturum rem injustam.* At si jure et more requisitus illa revelo, justum fit meum juramentum. Tertius demum comes juramenti est judicium: hoc est discretionis prudentia...»-Hisce generatim de tribus juramenti comitibus expositis, Sotus [2] quaerit: « *Utrum omne perjurium sit peccatum mortale?* » Et respondet: « Sexta Conclusio. *Non omne juramentum assertorium,* licet sit vanum atque illicitum, et subinde quodammodo perjurium, *est peccatum mortale; sed crebro veniale. Conclusio haec veritatem obtinet ubi perjurium solo defectu tertii comitis* (scilicet judicii) *committitur:* quod quidem non simpliciter, ut arbitror, sed secundum quid perjurii nomine denotatur... »

Ex sententia itaque Soti, juramentum assertorium aequiparatur promissorio, et *regulariter* est peccatum *mortale,* quamvis tamen *crebro* possit esse *veniale.* In quo dissentit a *Suarezio,* qui (ut infra videbimus) docet, defectum justitiae *regulariter* esse peccatum tantum *veniale.* - Imo Sotus veniale peccatum tunc tantum admittit « ubi perjurium *solo defectu judicii* committitur »; ergo censet, defectum *justitiae* in juramento assertorio esse peccatum mortale.

2. *Aragonius* [3] pauca tantum habet ad rem nostram facientia. Primum probat, tres comites non solum in juramento promissorio, sed etiam in assertorio adesse debere, licet diversimode. Inde concludit: « Supra posita ergo tria, nempe veritas, justitia atque judicium, necessaria sunt, ut juramentum honestetur; et quocumque ex his comitibus deficiente, quod ipsum illicitum sit atque peccatum, erit necesse... » - Dein quaerit: « Utrum *justitia* sine peccato *mortali* possit *aliquando* deesse juramento ? » et de juramento *assertorio* speciatim loquens, ait: « In assertoriis vero juramentis, quibus deest *judicium*, quoniam similiter salvatur veritas in intentione jurantis, et aliunde contrahunt rationem culpae, *non est necessarium quod semper sint mortalia.* » - Ergo regulariter et ordinarie, licet non semper, defectus *judicii* erit peccatum mortale; ergo idem *a fortiori* dicendum censet de defectu *justitiae,* qui procul dubio gravior est quam defectus solius judicii: et sic in sententiam Soti reincidit. - Caeterum sedulo advertendum est, *Aragonium a S. Alphonso non allegari.*

3. *Petrus de Ledesma* [4] praemittit, in omni juramento licito requiri justitiam, scilicet, in promissorio ex parte objecti, in assertorio ex parte motivi seu causae. Ac de isto disserens, dicit: « Mas, si la *justicia* se toma en el segundo sentido, siempre es compañiera del juramento assertorio licito; por que *si la causa motiva a tal juramento no es justa,* el juramento assertorio será *iniquo.* » - Deficiente itaque justitia,

1) De just. et jure, lib. 8. q. 1. art. 3.— 2) Cit. lib. 8. q. 2. art. 3.— 3) In 2. 2. q. 89. art. 3. — 4) Summa hisp. T. 2. tr. 11. c. 2. dub. 4.

saltem in materia gravi, juramentum assertorium, ex sententia Ledesmae, erit *iniquum:* qui loquendi modus sane supponit, istud juramentum esse peccatum mortale; et sic etiam intelligitur a Sanchezio et Palao, infra allegandis.

4. *Toletus, S. J.,* [1] scribit: « Circa justitiam (in juramento assertorio) adverte, non sat esse verum jurare, ut juramentum sit licitum: sed cum justitia jurare, id est, non debet homo jurare illud verum, quod revelare peccatum est. Si enim quis occultum crimen revelaret alicujus, ipsum infamando, peccaret, quamvis verum diceret; quia contra justitiam facit; si hoc verum juraret, iterum peccaret. » – Dein sequentem regulam statuit: « Est autem hoc *peccatum* juramenti *mortale,* cum *injustitia,* supra quam juratur, *mortalis* est; est autem *veniale,* cum *injustitia venialis* est. » – Cum autem Toletus (quemadmodum et alii praefati Auctores) non distinguat inter narrationem juratam peccati *proprii* cum jactantia, et peccati *alterius* ad firmandam detractionem; ex praefato principio sequeretur, *graviter* etiam peccare, *qui cum juramento se jactat de proprio peccato gravi.* Sed huic sententiae contradicit S. Alphonsus, ut vidimus, cum DD. a se allegatis et modo referendis.

II. Videamus nunc, quid doceant *Suarez, Sanchez, Palaus, Tamburini* et *Leander.*

1. *Suarez* [2] sic scribit: « Dico secundo: Juramentum assertorium, cui deest tantum justitia, quatenus contra Religionem est, *regulariter est veniale,* ex circumstantiis vero *interdum potest esse mortale...* Et ita est assertio communis.... Quia hic defectus non evacuat directe finem juramenti, nec facit Deum testem mendacii, sed ad summum facit testem rei pravae et indecentis, quod per se non est gravis injuria... *Sed quid, si narratio ipsa sit peccatum mortale,* ut si quis narret peccatum mortale *infamando* proximum, vel *complacendo* in illo? *Videtur enim tunc committi gravis irreverentia Dei,* adducendo illum in testem turpis assertionis, *a qua sententia non abhorret Soto,* d. q. 1. ad 3. §. *de secundo,* in fin. Sed nihilominus, considerata praecise ratione juramenti, quae est testificatio veritatis, *videtur accidentarium* illi, quod illa veritas narretur peccando, vel non peccando: et ideo, licet totus ille actus sit peccatum mortale aliunde, nihilominus malitia, quae illi additur ratione juramenti irreligiose superadditi, *solum videtur venialis,* quia juramentum per se non cadit in illam assertionem, ut malam, sed ut veram. *Excipiendum tamen videtur, nisi juramentum ipsum assumatur ut instrumentum peccandi,* id est, nisi malitia ipsa pravae narrationis per juramentum augeatur: ut si quis, v. gr. infamet proximum, contra justitiam narrando veritatem occultam, et, ut probabilior fiat infamia, juramentum adjungat... Et propter hanc exceptionem, addidi in assertione limitationem illam: *regulariter,* quae ex dictis satis declarata et probata relinquitur. *Et fortasse hoc solum intendit Soto.* »

Ipse ergo Suarez sibi contrarium censet Sotum, aut saltem non certo consentientem, et ideo nonnisi dubitanter ipsum ad suam sententiam trahere conatur. Sed cl. Ballerinius fidenter asserit, hanc « *discordiam* » a S. Alphonso cum Salmanticensibus relatam, « *plane confictam* » esse!

2. *Sanchez, S. J.,* [3] haec habet: « Nona conclusio. Defectus justitiae non in solo juramento promissorio reperitur, sed etiam in assertorio. Quare *juxta aliquorum sententiam* quoties quis juramento assertorio affirmat rem, in cujus assertione est *culpa*

1) Instr. Sacerd. lib. 4. c. 21. n. 8. — 2) De relig. tr. 5. lib. 3. c. 12. n. 7. 8. — 3) In Decal. lib. 3. c. 4. n. 33.

lethalis commissa, tunc eam asserendo est, praeter illam culpam lethalem assertionis, *alia culpa lethalis juramenti* defectu justitiae. Et si in assertione committitur *culpa venialis,* est *alia venialis ratione juramenti.* Sicut in juramento promissorio contingere diximus. Ut si quis absque justa causa occultam gravem proximi infamiam detegat, eive mortalem contumeliam dicat, id juramento asserens; *aut jurejurando proprium mortale crimen cum illius jactantia aut delectatione referat:* ultra peccatum lethale detractionis, contumeliae, jactantiae, delectationis, *est mortale id juramentum defectu justitiae, quale est promissorium rei iniquae mortalis juramentum.* – Ducuntur, quod gravem injuriam hic Deo inferat, afferendo eum in testem suae malitiae, et fractionis divinae legis. Secundo, quia *D. Thomas,* 2. 2. q. 89. art. 3. ad 2., et ibi *Cajetanus,* statim in principio, *Valentia,* [1] dicunt defectum hujus comitis reperiri quoque in juramento assertorio non ex parte rei juratae, sed ex parte causae jurandi. Et clarius *Abulensis,* [2] ubi ait, comitem justitiae desiderari quoque in juramento assertorio, nempe, ut justum sit quod juratur. Unde ait, juramentum, quo crimen proximi occultum detegitur absque justa causa, esse illicitum defectu justitiae. Et clarius *Sotus,* [3] *Aragonius,* [4] *Petrus de Ledesma,* [5] *Toledo,* [6] ubi ajunt, ad juramenti assertorii honestatem exigi comitem justitiae, nec hunc solum attendi ex parte rei juratae, sed etiam ex parte causae jurandi, ac proinde injustum esse juramentum, quoties illo detegitur injuste crimen proximi. *Addunt-que Sotus et Petrus de Ledesma, non minus esse injustum hoc juramentum, quam cum res injusta facienda promittitur juramento.* Et *Toledo,* [7] hoc peccatum esse mortale, quando assertio jurata est mortalis, et veniale, quando est venialis. »

Sanchez autem istorum Auctorum sententiae non assentitur, sed adhaeret Suario. Unde sic prosequitur: « Verum, quamvis fatear, eum justitiae comitem esse quoque necessarium in juramento assertorio, ut praedicti Doctores asserunt; et ultra illos tenent etiam *Sayro,* [8] *Suarez:* [9] *at optime addit,* [10] *eam malitiam superadditam* contra juramenti juste emittendi religionem *esse regulariter venialem,* etsi aliunde in assertione peccetur mortaliter. » Dein exponit doctrinam Suarii jam supra relatam.

3. *Palaus, S. J.* [11] similiter a praefatis Auctoribus dissentit, sententiae Suarii et Sanchezii adhaerens. Scribit enim: « *4.* Defectum justitiae in juramento assertorio plures Doctores censent esse mortalem vel venialem, secundum quod narratio confirmata juramento mortalis vel venialis fuerit. *Sic Toletus; consentit Sotus, et Petrus de Ledesma, quatenus comparant hoc juramentum juramento promissorio de re injusta.* Verum superiori puncto satis probatum est, defectum justitiae in juramento assertorio non esse sumendum ex eo quod juramentum confirmet narrationem, quae mortalis sit, vel venialis; sed *ex eo quod assumatur ut medium et instrumentum ad finem pravum.* Quare, si finis ad quem juramentum ut medium assumitur mortalis sit, mortale erit juramentum; si venialis, veniale. Sic *Sanchez, Suarez.* »

« *N. 5.* Hinc infero: quotiescunque *proximum graviter detrahis,* detractionemque *juramento* confirmas, *peccatum grave* committere.

1) 2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 3. col. 5. vers. *Similiter justitia.* — 2) C. 29. Exodi, q. 8. paulo post medium. — 3) Lib. 8. de just. q. 1. art. 3. col. 2. vers. *De secundo autem.* — 4) 2. 2. q. 89. art. 3. paulo post princip. in exposit. secundi comitis. — 5) 2. Tom. Summ. tr. 11. c. 2. dub. 4. — 6) Lib. 4. Summ. c. 21. n. 10. in fine. — 7) Cap. 21. n. 11. — 8) In Clavi regia, lib. 5. c. 4. n. 4. — 9) Tom. 2. de relig., tr. de juram. lib. 1. c. 3. n. 6., et lib. 3. c. 2. n. 5., et c. 12. n. 7. et 8. — 10) Hoc n. 7. et 8. — 11) Tr. 14. disp. 1. punct. 5. n. 4–6.

Quia assumis juramentum ut medium et firmamentum gravis iniquitatis; nam illud assumis ad firmiorem et veriorem faciendam detractionem proximi. Neque ab hac intentione, quae est in essentia juramenti imbibita excusari potes. Et ita in hoc casu esse peccatum mortale, defendit *Sanchez et Suarez* supra, *Bonacina,* [1] *Reginaldus.* [2] – *6.* Secundo infero: te *non committere peccatum mortale* adversus religionem, et contra juramentum, *cum proprium peccatum manifestas, et de illo te jactas,* et ut credaris commisisse, vel complacentiam illius habere, juramento narrationem confirmas. Nam, esto illa narratio ob complacentiam mortalis sit, juramentum non assumitur ut medium ad augendam et firmandam illam mortalem complacentiam in se, sed in audientium animis; (hoc est) assumitur, ut medium ad firmandam in auditoribus credulitatem illius: qui finis non videtur mortaliter pravus. *Consentit Suarez et Sanchez,* supra. »

4. Sententia *Tamburini, S. J.* [3] plane consonat cum doctrina Suarii, Sanchezii et Castropalai: unde ab illa referenda abstinemus.

5. *Leander de SS. Sacramento* [4] quaerit: An defectus justitiae in juramento assertorio sit *mortalis, vel venialis, secundum quod narratio,* confirmata juramento, *mortalis vel venialis fuerit?* Et respondet: « *Affirmant quidam DD.,* docentes, quod quoties quis juramento assertorio affirmat rem, in cujus assertione est culpa mortalis commissa, tum eam asserendo, est praeter illam culpam mortalem assertionis, alia culpa mortalis juramenti defectu justitiae. Et si in assertione culpa venialis committitur, est alia venialis, ratione juramenti. » – Huic autem sententiae non subscribit; unde dicit: « Sed clarius et probabilius respondeo dicendum ex nuper dictis, quod defectus justitiae in juramento assertorio non sit desumendus ex eo, quod juramentum confirmat rem aut actionem, quae mortalis sit vel venialis; sed *ex eo quod assumatur ut medium et instrumentum ad finem pravum.* Et ideo, si finis, ad quem juramentum ut medium assumitur, mortalis sit, mortale erit juramentum; si vero finis sit venialis, veniale erit... Sic ex *Suario* docet *Sanchez, Bonacina, Reginaldus, Tamburinus, Palaus....* » Et iisdem fere verbis dicit, quae habet Palaus in n. 5. et 6. supra relatis.

III. Hisce expositis, textum *Salmanticensium,* cum quibus sentit S. Alphonsus, quos autem cl. Ballerinius acriter impugnat, referre juvabit.

1. Tr. 17. cap. 2. punct. 5. §. 1. *n. 45., Salmanticenses* scribunt: « Sed restat examinare gravem illam difficultatem: *an nimirum sit peccatum mortale defectus justitiae in juramento assertorio.* Et loquimur in casu, quo defectus justitiae sit *in materia gravi* de se sufficienti ad mortale, independenter a juramento; nam si sit circa materiam levem, certum est non esse mortale, ut de juramento promissorio, in quo est deterior defectus justitiae... Ponamus exempla. Aliquis absque justa causa *occultam proximi infamiam* detegit, vel ei gravem contumeliam dicit, idque affirmat jurejurando. Alius *proprium crimen grave* a se commissum *cum jactantia* propalat, aut cum delectatione refert, et ut credatur commisisse, id juramento affirmat. Quaeritur modo, an ultra peccatum mortale detractionis, contumeliae, jactantiae, delectationis, committatur in iis casibus *aliud peccatum mortale,* omnino in confessione detegendum, contra illud juramentum ob defectum justitiae. »

« *N. 46. Affirmat prima sententia,*

1) Disp. 4. q. 1. punct. 3. fin. — 2) Lib. 18. Summ. n. 87. — 3) Lib. 3. de 2. praec. c. 1. §. 4. n. 5. et 6. — 4) Quaestion. mor. theol. in decem Dei praecepta, de juram. disp. 7. q. 14.

quod *sicut in juramento promissorio,* juramentum rei iniquae, ultra speciem peccati, ad quam pertinet illa materia iniqua promissa, committitur aliud mortale contra juramentum ob defectum justitiae: sicut si quis promitteret sub juramento se fornicaturum, animo exequendi illud peccatum, praeter peccatum propositi illius pravi, datur peccatum mortale contra juramentum, ex eo quod adducitur Deus in testem rei iniquae; *sic in juramento assertorio.* Et probatur: quia qui rem injustam sub juramento asserit, Deo gravem injuriam irrogat, afferendo eum in testem ad roborandam suam malitiam: ideoque non minus est injustum hoc juramentum, quam cum res injusta juramento promittitur. Sic *Ledesma, Toletus, Sotus, Aragonius...* »[1]

« *N. 47.* Sed dicendum est cum *secunda sententia,* quod solum est *peccatum veniale* contra juramenti Religionem, defectus justitiae in juramento assertorio, quamvis alias jurans peccet mortaliter; quia defectus justitiae non evacuat directe finem juramenti; quandoquidem non facit Deum testem mendacii, sed rei iniquae et indecentis, quod per se non est gravis injuria, *nisi quando juramentum assumitur ut instrumentum et medium ad illud peccatum.* – Rem explico. Qui cum juramento *promissorio* rem iniquam promittit, assumit juramentum ut medium et instrumentum peccati, quod proponit; quia in appositione juramenti intendit reddere firmiorem suam voluntatem ad exequendum peccatum; ob id enim se executurum jurat, ut juramento reddatur firmior et certior executio: hic assumit juramentum ut instrumentum peccati, et Deum, quem in testem adducit, facit iniquitatis coadjutorem, quod est gravissimum peccatum. Similiter, qui in juramento *assertorio,* sub juramento profert *infamiam proximi,* vel contumeliam illi gravem, *assumit juramentum ut instrumentum,* ut probabilior et certior fiat infamia alterius, quod, ut diximus, cedit in gravem injuriam Dei; *et sic talis peccat mortaliter,* non solum peccato detractionis, aut contumeliae, sed ob defectum justitiae in juramento. At qui *proprium peccatum* manifestat, *de illo se jactans,* in eoque se delectans, et ut credatur commisisse, et de illo complacentiam habere, hoc juramento confirmat, *non assumit juramentum ut medium et instrumentum* ad confirmandam illam mortalem complacentiam, aut delectationem in se, qualiter est grave peccatum, sed *in audientium animis;* quod est *quaedam animi levitas,* et hoc modo dicimus solum esse *veniale* peccatum. Haec omnia fere docent *Suarez, Sanchez, Palaus, Tamburini, Leander.* »[2]

2. Ex allato textu Salmanticensium sequentia constant: 1°. Ipsi quoad praesentem quaestionem testantur, *duas* dari sententias sibi oppositas; at vero idipsum dicunt Suarez, Sanchez, Palaus et Leander ab ipsis allegati, et ex Articulo sequenti clarius patebit, DD. in varias sententias abire. – 2°. Sententiam *affirmantem* Salmanticenses tribuunt Soto, Ledesmae, Aragonio et Toleto; sed idem dicunt, aut saltem supponunt, Suarez, Sanchez et Palaus, quibus (quoad Sotum) accensendus est Filliuccius infra allegandus. – 3°. Ex hisce demum patet, non « *plane imaginariam* » esse « *discordiam* » inter Doctores. Caeterum, cum Salmanticenses et S. Alphonsus (qui tamen de *Aragonio* non loquitur) nihil aliud dicant, nisi quod jam dixerant alii Auctores, in primis Suarez, Sanchez et Palaus, isti potius a cl. Ballerinio incusandi essent.

1) Locis supra allegatis. — 2) Locis citatis.

ARTICULUS 2.

Praeter DD. superius allegatos, plures alii sunt Auctores in diversas sententias abeuntes.

I. Sunt Auctores, qui *generatim affirmant,* defectum justitiae in juramento assertorio esse *peccatum mortale,* saltem si sit de re mortaliter mala, quin expresse distinguant inter narrationem juratam peccati *proprii* aut *alieni.* Sic

1. *Navarrus* [1] ait: « Infertur tertio, quod *omne* juramentum, ad hoc ut licitum sit, requirit tres comites, nempe veritatem, judicium et justitiam.... Et si aliquid ex his tribus desit, peccatum est... Peccatum, inquam, *mortale regulariter,* cum ei veritas deest, *vel tanta justitia, ut sit mortale id quod juramento confirmatur.* »

2. *Bonacina:* [2] « Quaeres tertio, in quonam consistat justitia juramenti? Respondeo, in hoc consistere, ut juramentum non fiat de re illicita. Ratio est, tum quia materia juramenti debet esse res licita et honesta, ut constabit ex dicendis ; tum quia fit irreverentia Deo, ipsum adducendo in testem rei illicitae : *haec autem irreverentia est peccatum grave aut leve, pro gravitate aut levitate materiae,* supra quam fertur juramentum... Hinc colligi potest, eum qui de aliis graviter detrahit, et injustam suam detractionem confirmat juramento, praeter grave peccatum detractionis, committere culpam gravem defectu justitiae juramenti in materia gravi. *Ita Reginaldus et alii:* facit enim gravem injuriam Deo, *adducendo ipsum in testem rei mortaliter peccaminosae:* quamvis *Suarez, Filliuccius* et *Sanchez* velint *regulariter committi solam culpam venialem,* quoties juramentum assertorium cadit super rem veram, etiamsi res sit mortaliter illicita et peccaminosa... »

3. *Concina* [3] quaerit: « An defectus justitiae in juramento assertorio sit peccatum mortale? » Et respondet : « *Si assertio jurantis sit peccatum mortale defectu justitiae, est peccatum mortale ;* si vero assertio, quae juramento firmatur, est tantum peccatum veniale, veniale quoque erit abusus juramenti. »

4. *Collet:* [4] « Dico 4. Juramentum, cui deest justitia, si sit assertorium *rei mortaliter malae,* est peccatum *mortale.* »

5. *Felix Potestas:* [5] « Ut licite fiat (juramentum), requiruntur tres comites seu conditiones... *Si desit justitia, erit grave* (peccatum) *vel leve, juxta gravitatem vel levitatem materiae.* »

6. *Voit, S. J.:* [6] « Si ex defectu justitiae *res mortaliter mala* confirmetur, *juramentum est mortaliter malum;* veniale vero peccatum est, si res leviter mala confirmetur. »

II. Alii sunt Auctores, qui etiam de *mortali* damnant juramentum assertorium *peccati proprii cum jactantia.* Sic inter alios,

1. *Patuzzi:* [7] « Quotiescumque in juramento assertorio deficit justitia, non semper est lethale peccatum ; sed, *juxta qualitatem rei malae,* quae juramento confirmatur, modo veniale est crimen, modo lethale. Qui enim rem venialiter malam, *a se vel ab alio* perpetratam, juramento confirmat, non deficiente veritate, venialis quoque terminos non transilit. At *si res perversa,* quae juramento confirmatur *sit grave peccatum, profecto lethale crimen est, eam juramento confirmare... Quod si juramento confirmes crimen tuum,* de ejus perpetratione *gloriando,* et non sine complacentia, ut, cum libidinosi jurejurando affirmant, se pluries cum pulcherrimis mulieribus concubuisse, milites, se cum pluribus duello decertasse, latrones, plures

1) Manuale, c. 12. n. 3.— 2) Tom. 2. disp. 4. q. 1. punct. 3. n. 9. — 3) Theol. christ. lib. 4. c. 5. n. 12. — 4) Instit. theol. tom. 2. tr. de relig. c. 4. art. 3. — 5) Exam. Confess. tom. 1. n. 1559. — 6) Theol. mor. tr. 3. c. 2. art. 2. n. 526. — 7) Ethica christ. tom. 2. tr. 5. c. 5. n. 3. 4.

ditissimos spoliasse, et similia: *nonnulli, inter quos Salmanticenses et P. Cuniliati, putant,* licet mortaliter peccent de re pessima et gaudendo et exultando, *nonnisi tamen venialiter in jurejurando interposito... Verum mihi opposita sententia longe probabilior videtur...*»

2. Imo *Thomas ex Charmes* [1] ait: «Ad justitiam requiritur, ut juramentum non fiat de re illicita, ita ut *mortaliter* peccaret, qui Deum assumeret in testem *alicujus peccati, etiam venialis,* vel committendi, vel *jam commissi:* invocare enim Deum in testem offensionis Dei, est tanta irreverentia, ut vix major possit concipi.»

III. Sunt demum plures Auctores, qui, licet sententiae neganti adhaereant, *affirmantem* tamen *probabilem* censent, aut saltem *testantur controversiam* inter DD. existere. Sic

1. *Filliuccius, S. J.,* [2] scribit: «Septimo quaero: De juramento assertorio, cui deest justitia, an sit peccatum, et quale. Respondeo, et dico primo, esse peccatum. Est communis ex Suarez ... Dico secundo, *regulariter esse tantum peccatum veniale.* Haec etiam est communis... Dico tertio: *ex circumstantiis potest interdum esse mortale.* Primo, si quis narret peccatum mortale, *infamando* proximum, ut adulterium cum muliere honesta, vel *complacendo* in illo. *Sotus,* lib. 8. q. 1. art. 3. Attamen *Suarez defendit a mortali, si tantum habeatur ratio juramenti,* quia non cadit super illam materiam, quatenus mala, sed tantum quatenus vera; *quare nec erit peccatum, saltem mortale, quod est satis probabile.*»

2. *Antoine, S. J.,* [3] postquam dixerat, esse peccatum mortale contra religionem juramenti, confirmare jurejurando gravem proximi detractionem, addit: «An autem *propriam* culpam mortalem praeteritam juramento affirmare *cum jactantia et delectatione,* sit, praeter culpam lethalem jactantiae et delectationis, mortale peccatum contra religionem: *alii asserunt,* quia putant esse gravem irreverentiam; *alii probabilius negant,* eo quod juramentum per se non cadat in illam assertionem, ut malam, sed ut veram.»

3. *Croix, S. J.:* [4] «An sit licitum jurare circa rem malam? Resp. *Reginaldus et alii cum Bonacina* dicunt, *semper esse mortale* adducere Deum in testem rei mortaliter malae; *sed probabilius negant Suarez, Sanchez, Filliuccius, Castropalaus, Dicastillus,* nisi juramentum assumeretur tanquam *instrumentum illius peccati,* ut si quis detractionem confirmat juramento.»

4. *Sporer:* [5] «Juramentum assertorium de actione mala vel iniqua *propria vel aliena (ut diversa sentientes clare concilientur),* ita distinguendum est...» Dein suam sententiam profert.

5. *Cuniliati:* [6] «Asserére cum juramento vero *peccatum grave tuum,* quod aliis narras *cum complacentia aut jactantia, aliqui sustinent,* quod sit *gravis* abusus juramenti, ob rationem dudum allatam. *Mihi cum aliis negandum videtur.*»

EX PRAEMISSIS ITAQUE CONCLUDIMUS:

1. *Sotus, Ledesma, Aragonius* et *Toletus* (testantibus Sanchezio et Palao) juramentum *assertorium* aequiparant *promissorio;* et ideo dicunt, defectum justitiae in juramento assertorio *mortalem* esse vel *venialem,* prout *narratio* juramento confirmata mortalis sit aut venialis. Ex quo sequitur, quod ratione juramenti *mortaliter* peccet, non solum qui *alium* graviter infamat, sed etiam qui *proprium* peccatum grave commissum juramento confirmat, ac de

1) Tract. de virt. Relig. art. III. q. 6. — 2) Tom. 2. tr. 25. c. 11. n. 335–337. — 3) Tr. de relig. q. 4. resp. 3. ad 4. — 4) Lib. 3. part. 1. n. 265. — 5) Tom. 1. tr. 3. c. 1. sect. 4. n. 140. — 6) Tr. 5. *s.* 3. n. 2.

illo se jactat. - E contra, *Suarez, Sanchez, Palaus, Tamburini* et *Leander* docent, gravitatem vel levitatem in defectu justitiae non desumendam esse ex eo, quod juramentum confirmet rem vel mortaliter, vel venialiter malam; sed *defectum justitiae tunc tantum esse mortalem, cum juramentum assumitur ut medium et instrumentum peccati.* Et ideo dicunt, *mortaliter* peccare, qui sub juramento profert *gravem proximi infamiam:* quia tunc juramentum assumitur ut instrumentum peccati, scil. ad infamiam alterius certiorem reddendam. Qui autem *proprium* peccatum grave *cum jactantia* manifestat, ratione juramenti nonnisi *venialiter* peccat; quia, licet ipsa narratio sit mortalis, juramentum non adhibetur ad confirmandam mortalem complacentiam in se, sed tantum ad alios de proprio peccato certiores reddendos: quod non est nisi quaedam venialis animi levitas.

2. Merito itaque S. Alphonsus cum Salmanticensibus *duplicem* in hac quaestione allegat sententiam (quod confirmatur ex aliis supra relatis Auctoritatibus); et recte Soto, Ledesmae, et Toleto *affirmativam* sententiam tribuit.

3. Hinc P. Ballerini Salmanticenses et cum ipsis S. Alphonsum immerito incusat, quasi *discordiam plane imaginariam inter DD.* confinxerint. Utinam ipsemet cl. Professor generatim majorem cum Salmanticensibus et maxime cum S. Doctore nostro concordiam servasset: profecto nec veritas, nec scientia grave detrimentum subiissent.

QUAESTIO X.

An qui habet facultatem delegatam dispensandi in Votis, possit dispensare in Juramentis.

(S. Alph. Lib. III. n. 190. — P. Ball. Tom. I. n. 314. q. 4.)

Audiamus prae ceteris S. Alphonsum. - Lib. III. n. 189. ad 3. affert textum *Busembaumii:* « Quoad dispensationem, quicunque habet potestatem ordinariam vel delegatam, vel privilegium dispensandi in votis, potest in iisdem dispensare, etiamsi jurata sint. » - Dein S. Doctor in sequenti *n. 190.* dubium proponit: « *An qui habet facultatem delega*» *tam dispensandi in votis, possit* » *dispensare in juramentis?* » et respondet:

« *Prima sententia probabilis ne*» *gat,* quia vinculum voti et jura» menti diversum est; et ideo ex » stylo curiae; facultas quoad jura» menta specialiter conceditur. Ita » Lessius et Sanchez, Bonacina, Azo» rius ac Ledesma apud Salmanti» censes. - *Secunda* vero *sententia* » *non minus probabilis affirmat,* » quia juramenta praestita soli Deo, » licet sint vincula diversa a votis, » in ordine tamen ad dispensatio» nem, ut vota reputantur, argu» mento *l. Tantum, ff. de servo* » *corrupto,* ubi: *Dispositum in uno* » *aequiparatorum censetur dispo*» *situm in altero.* Illa autem spe» cialis concessio quoad juramenta, » ex stylo curiae fit ad majorem » cautelam. Ita Salmanticenses cum » Cajetano, Pontio, Suarez, Palao, » Trullencho, Diana, Prado, Arago» nio, etc. - Sed hoc non obstante, » *prima sententia negativa omnino* » *est tenenda;* nam obligatio jura» menti jam contracta, cum sit cer» ta, et possideat, auferri non valet » per dispensationem tantum proba» biliter validam ... »

Ut praesens quaestio a S. A. proposita rite intelligatur, tres species juramentorum distinguendae sunt. Prima est, si quis aliquid vovit, *vo-*

tumque simul, vel postea *juramento confirmavit.* Secunda, si quis votum emisit, et *in eadem materia* etiam *juramentum,* quod *per se* obliget. Tertia, si quis *juramentum* emisit *sine ullo voto in eadem materia.* Juramenta, quae ad primam speciem pertinent, communiter et recte dicuntur *vota jurata,* quia hujusmodi juramentum nonnisi accessorium voti est, et principale suum sequitur. – Cum autem S. Alphonsus ad textum Busembaumii nihil addat, consentit, habentem potestatem delegatam dispensandi in votis, dispensare posse in iisdem, etiamsi sint jurata. Unde quaestio in *n. 190.* proposita, non ad haec vota jurata spectat, sed ad *juramenta sine ullo voto in eadem materia,* et ad illa, quae *independenter a voto in eadem materia* emissa sunt.

P. Gury, T. I. n. 314. pag. 347. [1] quaestionem modo propositam non attingit; sed simpliciter advertit, quod « cessat ab extrinseco (obligatio juramenti) irritatione, commutatione et dispensatione, sicut votum de quo in capite sequenti dicemus. » – Quibus verbis sequentia adjicit P. Ballerini: « *Notanda sunt haec Suarezii* (De Voto, lib. 6. cap. 14. » n. 6.): « *Satis probabile* est, potestatem delegatam simpliciter ad » dispensandum in votis, extendi ad » dispensandum in juramentis piis » circa eandem materiam, quando » per se stant, suamque solam obligationem producunt. Haec est sententia communis, et sine dubio » potest in praxi observari. » *Cui* » *doctrinae incaute Salmanticenses* » (Tract. 17. cap. 3. n. 3.), *quos sequutus est S. Alphonsus* (Lib. 3. » n. 190.), *opponunt quosdam Auctores, uti, v. g., Sanchez, qui re-* » *ipsa non de solo juramento agebant, neque etiam de juratis votis, sed de juramento, quod non* » *dependeat a voto circa eandem* » *rem emisso.* – *De quo tamen casu* » ita idem *Suarez* (loc. cit. n. 19.): « Etiamsi votum et juramentum su- » per eandem materiam immediate » cadant, et unumquodque per se » obliget ad Dei honorem; per fa- » cultatem absolutam dispensandi in » votis, auferri poterit vel votum, » vel juramentum, vel utrumque pro » dispensantis arbitrio. Pro hac as- » sertione possumus allegare omnes » Auctores primae *(scil. praec.)* as- » sertionis..., et tenent alii moderni » et viri docti. »

Contra hanc adnotationem 1. Probabimus, *Auctores* a Salmanticensibus (quos sequutus est S. A.) citatos *recte allegari;* 2. Horum sententiam *aliis* quibusdam Auctoritatibus confirmabimus; 3. Demum perpendemus sententiam *Suarii* a cl. Professore adductam.

Articulus 1.

Auctores a S. A. cum Salmanticensibus pro sententia negante citati, recte ab ipsis allegantur.

P. Ballerini, ut vidimus, contendit, quosdam Auctores *incaute* allegari a Salmanticensibus, quos S. A. sequitur. – Porro Salmanticenses citant *Lessium,* [2] *Sanchez,* [3] *Bonacinam,* [4] *Azorium* [5] et *Petrum de Ledesma.* [6] Expresse autem advertunt l. c. n. 2., quod Lessius et Sanchez *vota jurata* excipiant; siquidem certum esse judicant, « quod *si juramentum votum confirmet,* eique ut accessorium adjungatur ut novum vinculum, quo praecedens majus roboretur, qui habet facultatem in votis dispensandi, *etiam in hujusmodi juramentis* habet... Sic *Lessius, Sanchez,* et omnes, quos infra pro nostra sententia adducemus. » – Singulas igitur Auctoritates examinabimus.

1. *Lessius, S. J.,* l. c. *n. 59.* quaestionem proponit: « Utrum Regula-

1) In altera edit. pag. 264. — 2) Lib. 2. c. 42. n. 60. — 3) De matrim. lib. 8. disp. 1. n. 23.; et Summ. lib. 4. c. 53. n. 18. et 20.— 4) T. 2. disp. 4. q. 1. p. 17. n. 12.— 5) T. 1. lib. 11. c. 10. q. 2. — 6) T. 2. tr. 11. c. 4. diff. 4.

res, qui ex privilegio et potestate delegata commutant vota, possint etiam commutare *juramenta de eadem materia?* » et exposita sententia affirmativa, cum rationibus, quae pro ipsa militant, *num. 60.* dicit: « Contrarium tenet *Navarrus,*[1] Joannes *Azorius,*[2] et quidam alii recentiores, quorum sententia est magis conformis stylo Curiae Romanae; solet enim tamquam speciale privilegium, concedi potestas commutandi juramenta. - Sed utendum videtur distinctione. Si enim juramentum fiat animo promittendi Deo, ita ut includat votum, commutari potest ab iis, qui vota similia commutant... Si vero non fiat animo promittendi Deo, sed solum firmandi se in bono proposito, vel si apponatur voto principaliter et non accessorie: non potest commutari a privilegiatis, nisi privilegium habeant, ut possint commutare juramenta absque praejudicio tertii. Ratio est, quia tale juramentum, vel *non includit votum,* vel saltem non est voto accessorium, sed additur *principaliter* et immediate ad obligandum se ad opus. Unde, *cum vinculum juramenti sit valde diversum a vinculo voti, potestas concessa circa vota non potest extendi ad juramenta.* »

Si autem haec juramenta, licet in eadem materia emissa, ideo a privilegiatis commutari non possunt, *quia votum non includunt,* vel *saltem non sunt voto accessoria:* eadem ratio a fortiori, ut per se patet, currit in juramentis *sine ullo voto in eadem materia* emissis. - Quamvis ergo *Lessius* de hisce juramentis expresse non loquatur, manifeste ut certum supponit, facultatem commutandi vota non extendi ad hanc juramentorum speciem. »

2. *Bonacina* quaerit: « Utrum commutantes vota ex facultate sibi delegata, possint etiam commutare *juramenta talibus votis annexa?* » - et breviter respondet, utramque sententiam esse probabilem, *negativam* autem *probabiliorem* censet. Cumque ne vota quidem *jurata* excipiat, a fortiori idem sentit de secunda et tertia juramentorum specie.

3. *Sanchez, S. J.,* probabile censet, facultatem vota dispensandi aut commutandi non extendi ad *juramenta sine ullo voto in eadem materia* emissa; probabilius autem oppositum judicat. Et duas affert rationes: quia jusjurandum virtualiter votum includit, et quia dispositum in uno aequiparatorum, dispositum censetur in altero. - Sed haec argumenta conciliari nequeunt cum sententia, quam postea profert; nimirum, juramenta *in eadem materia, at independenter a voto* emissa, *non posse* dispensari aut commutari. Si enim juramenta supradicta votum virtualiter includunt et voto aequiparantur; idem prorsus dicendum est de juramentis *in eadem materia,* licet *principaliter,* emissis. - Et vice versa, ratio, quam Sanchez (de Matrim. l. c.) adfert, cur de hisce juramentis aliter sentit, eodem modo pro utraque specie militat: « Cum sint duo vincula diversae speciei, nec unum pendeat ab alio, ut sic illo sublato cesset, fortiora sunt uno solo, quod privilegium concedit. » At vero ex Sanchezii hypothesi, in utroque casu jusjurandum virtualiter votum includit, nec unum ab altero pendet: ergo in utroque casu, duo sunt vincula diversae speciei fortiora uno, quod privilegium concedit. Unde aut utrumque affirmare, aut utrumque negare deberet.

Ceterum verum non est, jusjurandum *virtualiter votum includere.* Si quis jurat, ut in suo proposito se confirmet, quemadmodum communiter fit, votum virtualiter non includitur, quia nihil Deo promittit, nec animum promittendi habet. Si vero jurans aliquid Deo promittit, votum virtualiter non includitur, quia votum formale emittit, et invocatio

1) Enchirid. c. 27. n. 275. — 2) Lib. 11. c. 10. q. 2.

Dei in testem nonnisi est accessoria, et confirmatoria. Habemus ergo *votum juratum*, de quo non agitur, sed de jurejurando *sine ullo voto in eadem materia.*

4. *Azorius, S. J.*, quaestionem generalem proponit: « An qui facultatem et auctoritatem habet commutandi vota, idem quoque habeat facultatem commutandi jusjurandum? » - Varias exponit sententias, et duplicem modum distinguit. Primum: si voves, te aliquid facturum, idque jurejurando confirmas. Alterum: si juras, te aliquid Dei causa facturum. Et suam proferens sententiam dicit: « At vero, sive jusjurandum fiat primo modo, sive secundo, ut simpliciter dicam, *veriorem* puto sententiam secundam », i. e. *negativam.*

Quam propositionem uberius explicat et probat; et quoad primum modum, objectionem adfert: « Dices: Quando votum est materia jusjurandi, necesse est, ut qui habet facultatem solvendi votum, habeat quoque ut possit solvere jusjurandum, quia sublata materia jusjurandi, jusjurandum dissolvitur. » Et respondet: « Non concedi facultatem solvendi votum, nisi quod est simplex, non autem quod est altero vinculo, videlicet jurejurando communitum. » - Idque probat, quia Paulus III. Confessariis Societatis Jesu facultatem concessit, omnia vota commutandi, exceptis reservatis, et dummodo commutatio non fiat in praejudicium tertii; Gregorius XIII. vero eamdem concessionem cum eadem restrictione *ad vota jurata* extendit. - Azorius igitur absolute et indistincte tenet, facultatem dispensandi vel commutandi vota non extendi ad juramenta *quaecumque*, sive cum voto in eadem materia concurrant, sive secus.

5. *Petrus de Ledesma* eamdem tenet sententiam, pro qua etiam Sanchezium ipsum citat.

6. Solus ergo *Sanchez* discrepat, et in eo tantum, quod juramenta sine ullo voto. in eadem materia emissa eximit.

Articulus 2.

Confirmatur doctrina S. A. aliis quibusdam Auctoritatibus.

Praeter Auctores a Salmanticensibus allegatos, *alii plures absolute et indistincte negant*, in casu *juramenta quaecumque dispensari aut commutari posse.* Sic

1. *Navarrus*[1] dicit: « Decimo sexto, quod Confessarius eo, quod sit munitus facultate dispensandi super voto, *non* potest dispensare super *juramento, etiam ejusdem materiae.* » - Plures rationes affert, et speciatim: « Quia secundum eumdem (S. Thomam) alia ratione ligat juramentum quam votum. *Juramentum* enim ligat, quia est sacrae rei attestatio, ratione *reverentiae*, qua quis debet implere, quod per nomen ejus promittit; *votum* vero, ratione *fidelitatis*, qua quis debet implere, quod Deo promisit. » Et addit: « Quia secundum omnes, votum, ut votum, non est juramentum, nec contra; nam diversitas nominum, definitionum, et titulorum,[2] et rationum obligandi supra dictarum concludit, esse diversae speciei juramentum et votum, et facultas dispensandi super una specie non extenditur ad aliam. »

2. *Emmanuel Sà, S. J.*,[3] similiter ait: « Qui ex privilegio potest dispensare in votis vel commutare, non propterea potest idipsum in juramentis. »

3. Item *Continuator Tournely*[4] haec habet: « Notandum, quod qui ex facultate solum delegata habet potestatem vota commutandi, ut simplex Confessarius, non ideo juramenta commutare potest, et vicissim: unde duae istae potestates, juxta Curiae Romanae stylum, seorsim conferuntur. »

1) Manuale, c. 27. n. 275. — 2) De jure, in 2. Decret. de voto in 3. — 3) Aphor. Conf. V. *Juramentum*, n. 32.— 4) De Relig. P. 2. c. 3. art. 8. prope med.

4. Porro *Henno* [1] quaerit: « Petes: An ille cui conceditur potestas delegata ad dispensandum in votis, dispensare possit in juramentis promissoriis soli Deo factis? R. *negative.* Ita *Azorius, Filliuccius*, [2] *Petrus Ledesma* et alii. Ratio est: quia non est extendenda concessio ultra verborum proprietatem, secundum quam votum non est juramentum; et licet utriusque vinculum sit Religionis, est tamen diversae speciei. »

5. Accedit *Concina* [3] dicens: « Delegati ad dispensandum in votis *nequeunt* dispensare in juramentis; quoniam duo haec vincula sunt diversi generis, nec unum ab altero pendet. » - Et alibi [4] latius de hac quaestione agens, inquit: « Quare, cum obligationes juramenti et voti duo sint vincula, eo modo distincta, quo sunt votum et juramentum, privilegium dispensandi a voto *non includit* facultatem dispensandi a *juramento,* ut optime asserit *Azorius;* falsumque est quod ait P. Castropalaus, in communi hominum existimatione, pro eodem haberi votum et juramentum: quin homines votum et juramentum duo reputant vincula. »

6. Pariter dicit *Antoine, S. J.,*[5] obligationem juramenti promissorii tolli « dispensatione, quae fieri potest ob justam causam a Superiore habente ordinariam potestatem dispensandi in votis, ut sunt Episcopi, non tamen iis, qui solum habent potestatem delegatam dispensandi in votis. Nam, juxta stylum Curiae Romanae, privilegium dispensandi in votis *distinguitur* a privilegio dispensandi in juramentis. Ita *Navarrus, Azorius, Lessius,* etc. »

7. *Amort* [6] item quaerit: « An habentes potestatem commutandi vota, habeant etiam potestatem commutandi juramenta? Respondeo: Qui habent potestatem commutandi vota non eo ipso habent potestatem commutandi juramenta, sive ea potestas sit *ordinaria,* sive *delegata.* »

Articulus 3.

Perpenditur sententia Suarii a cl. Ballerinio contra S. A. adducta.

1. Cl. Professor ex sua parte auctoritatem *Suarii* interpellat. - Verum Suarez sententiam *affirmativam* non dicit moraliter certam, et nequidem probabiliorem, sed tantum *satis probabilem.* Quod etiam *S. Alphonsus* concedit; at quoad praxim recte opponit: « *Obligatio juramenti* » jam contracta, cum sit *certa* et pos» sideat, auferri non valet per dis» pensationem tantum *probabiliter* » *validam.* » - Si de legis alicujus existentia constat, et dubitatur, utrum Superior in ea dispensaverit, lex observanda est, donec probetur et certum sit, dispensationem revera obtigisse; et idem ex communi sententia tenendum de voto et juramento promissorio, quae instar legis particularis sunt, quam homo sibi imponit (Vid. *S. Alph.* lib. I. n. 27. 28).

2. Porro ratio, in qua Suarez [7] omnem nervum probandi reponit, nequaquam convincit. Plures rationes affert; verumtamen *n. 10* demum dicit:

« Sed quia haec generalia principia sunt *valde ambigua,* et plures solent pati limitationes et exceptiones, et (quod caput est) saepe in eorum applicatione solet peti principium, *ideo non videntur sufficere, ad rem tam gravem et dubiam confirmandam.* Nam simpliciter verum

1) In Decal. disp. 2. q. 3. *s.* 3.

2) *Filliuccius, S. J.,* tr. 26. n. 255. dicit: « Habentem potestatem dispensandi in votis, probabile est, posse dispensare in iisdem *juratis.* Hanc sententiam tenet Suarez et Sanchez. *Probabilius* tamen *est, non posse.* » Et duas rationes affert: quia privilegium commutandi vota Societati Jesu extentum fuit ad vota jurata; et quia votum juratum majus vinculum est, quam nudum votum, ex S. Thoma 2. 2. q. 89. art. 2.

3) Compend. lib. 4. diss. 1. c. 8. n. 5. — 4) Theol. mor., in Decal. lib. 5. diss. 8. c. 4. n. 4. — 5) De Relig. c. 4. q. 9. — 6) Tr. 3. sect. 3. *s.* 1. q. 50. — 7) De Relig. l. 6. c. 14.

non est, juramentum et votum ejusdem materiae parificari in omnibus: nam aliqui censent, reservationem voti in aliqua materia non extendi ad reservandum juramentum. Et eadem ratione, licet fractio juramenti in una materia sit reservata, non ideo erit fractio voti. Item sub perjurio venit violatio juramenti, et non fractio voti ejusdem materiae, et sic de aliis, quae in discursu hujus et praecedentis tractatus tacta sunt. Ergo eadem ratione dicetur, *non aequiparari quoad potestatem dispensandi,* et si contrarium sumitur ut clarum, principium petitur. - Accedit, quod licet in dispositionibus, quae pertinent ad ordinarium jus, valeat argumentum ab aequiparatis, quando clara differentiae ratio non occurrit, in *delegatione* non est eadem ratio: tum quia est res facti, et pendet ex voluntate delegantis, et potest unum actum, et non alium committere, quando non sunt connexi, quamvis similes esse videantur, et majorem sine majori; tum etiam, quia semper potestas ad plura est major, quantumvis sint paria, et ideo ex concessione unius, non videtur posse colligi utriusque concessio. »

« *N. 11.* Propter haec igitur addo, quidquid sit de illis regulis seu principiis in sua generalitate sumptis, in praesenti puncto recte procedere, *propter vehementem conjecturam voluntatis et intentionis concedentis.* Nam secundum communem aestimationem, juramenta haec tanquam vota reputantur, et maxime in ordine ad finem ordinarie intentum ab eo, qui hanc facultatem concedit. - Declaratur: quia quando juramentum ordinatur solum ad Deum et pietatem, perinde reputatur, sive cum promissione, sive absque illa fiat: *unde sub nomine voti, solet juramentum comprehendi, et e converso,* maxime secundum communem et vulgarem modum loquendi. Et potest habere fundamentum in Jure. Nam in C. *Pervenit* 2. de Jurejur. sic dicitur: *Non enim propositum aut promissum infringit, qui in melius illud commutat.* » - Et in confirmationem addit, quia « modus dispensandi vel commutandi utrumque vinculum quando solum Deum attingit, idem est, scilicet ex parte Dei, remittendo obligationem »; porro *(n. 12.)* quia « per ingressum Religionis, sicut extinguuntur vota, ita censentur etiam extingui haec juramenta. »

3. At vero *nulla conjectura,* quamvis vehemens, sufficit, ut quis dispensatione uti possit, quam revera obtigisse non constat. Et adversarii vehementem conjecturam in oppositum adducunt, scilicet quod *ex stylo Curiae Romanae,* facultas quantum ad juramenta *specialiter* conceditur. - Respondent altera ex parte, id fieri propter majorem securitatem, quia sententia contraria probabilis est. Sed haec responsio difficultatem non solvit. Nam, propter meram securitatem, non opus esset duabus concessionibus. Ad tollendas omnes dubitationes, via simplicior pateret; et sufficeret una tantum concessio, in qua utrumque, tam vota, quam juramenta, exprimerentur.

4. Sed alia quoque *obstat vehemens conjectura in oppositum,* nimirum *extensio,* quam Gregorius XIII. Confessariis Societatis Jesu concessit. Haec extensio signum est manifestum, S. Sedem sub concessione vota solvendi, non comprehendere facultatem dispensandi in juramentis. - Aliqui DD. inde concludunt, ne illa quidem juramenta dispensari aut commutari posse, quae voto in eadem materia ad illud confirmandum adjiciuntur. Sed haec conclusio non stringit; quia sub *votis juratis* intelligi possunt *omnia juramenta in eadem materia* emissa, etiamsi *principaliter* emissa fuerint et *per se* obligent.

5. Insuper (ut bene advertit Concina, supra citatus), admitti nequit *Suarezii* assertio, « *secundum communem aestimationem,* juramenta tamquam vota reputari. » Quamvis vero hoc concederetur, praesumere non liceret, S. Sedem notiones voti

et juramenti secundum communem aestimationem, et non in sensu theologico accipere.

EX PRAEMISSIS ITAQUE CONCLUDIMUS:

Cum *affirmativa* sententia satis quidem probabilis, sed non certa sit, imo plures graves Doctores eam omnino rejiciant; S. Alphonsus recte docet, sententiam *negativam* in praxi *omnino esse tenendam:* principio communiter recepto insistens, quod « obligatio juramenti jam contracta, » cum sit *certa,* et possideat, auferri » non valet per dispensationem tan» tum *probabiliter* validam. »

QUAESTIO XI.

An satisfaciat praecepto, qui tempore Missae peccata sua confitetur.

(S. Alph. Lib. III. n. 314. — P. Ball. Tom. I. n. 346.)

Hanc sibi propositam quaestionem S. Alphonsus, Lib. III. n. 314. sic exponit et solvit: « Resp. *negative,* » *cum sententia communi,* quam te» nent Continuator Tournelii cum » Cabassutio et Pontas; Salmanticen» ses, Tamburini, Escobar, Bonacina (qui a contraria sententia se re» tractavit); Holzmann (qui opposi» tam vocat improbabilem); item » *cum aliis* Lugo, qui docet hanc nostram omnino tenendam. Utuntur » autem diversis rationibus: Bonacina enim et Bassaeus negant, quia » non oraret; sed huic obstat id, » quod docent Suarez, Lessius, Medina, Gobat, apud Croix, ut mox » supra diximus, scilicet quod suffi» cit audire missam colendo Deum, » pro quo cultu, oratio non est ab» solute necessaria. Melius Tambu» rini, Dicastillus, Pasqualigo, etc. » negant, quia nec externa praesta» retur attentio; dum confitens tunc » adesset ut reus, non jam ut offe» rens sacrificium cum sacerdote. — » *Secunda* vero *sententia affirmat* » satisfacere, si se confitens aliquo » modo attenderet simul ad missam. » Hanc tenent Palaus cum Reginal» do et Molfesio; Gobat, Lessius, » (sed Lessius requirit, audiri sal» tem bonam partem sacri extra con» fessionem): item Hurtadus; et pro» babilem putant Croix, Zacharia, » et Elbel cum Pichler et Pellizario. » Ratio, quia talis bene assisteret » moraliter, dum per piam actionem » confessionis, satis Deum directe co» leret. Item (dicunt Gobat et El» bel) confessio facta sacerdoti est, » ac si fieret Christo; quis autem » negabit, confitentem Christo pec» cata sua missae non satisfacere? » Et idem dicunt Elbel, Zacharia » (cum communi, ut asserit) et Pa» laus ac Gobat apud Croix, de sa» cerdote excipiente confessiones.

» *Haec secunda sententia non vi» detur omnino probabilitate desti» tuta,* et olim probabilem ipsemet » censui: sed quia postmodum obser» vavi, eam a pluribus gravibus DD. » rejici, *modo non audeo probabilem* » *dicere.* Absolute autem illam tenet » et consulit Croix cum Lessio, casu » quo obligati ad missam essent *fa» muli,* qui aliter non confiterentur; » tunc enim (ut ait) saltem praesu» mitur, quod Ecclesia consentiat. » Vide dicenda n. 332. v. *Non ex» cusatur.* — Commune vero est, quod » satisfacit qui inter missam exami» nat suam conscientiam; sicut qui » legit librum spiritualem, nisi lege» ret historiam sacram animo discen» di stylum; ut Suarez, Croix, etc.» *P. Gury,* T. I. n. 344. pag. 378.[1]

1) In altera edit. pag. 287.

dicit: « Attentio ad Missam duplex distinguitur: 1. Attentio *interna*, qua quis actu advertit et animum applicat ad ea, quae a Sacerdote peraguntur. 2. Attentio *externa*, quae in eo consistit, quod ille qui audit Sacrum, non ponat actionem externam impedientem mentis applicationem, ut esset, v. gr., confabulari, pingere, etc. - Attentio interna etiam triplex est: 1°. alia *ad verba* et *ad actiones sacerdotis;* 2°. *ad sensum verborum et mysteriorum;* 3°. alia *ad Deum ipsum,* per preces piasve meditationes. »

Dein tria haec principia statuit: « I. Requiritur omnino attentio saltem *externa,* ad Missam valide audiendam; quia nullo modo dici potest Sacro interesse, qui ponit actiones cum attentione interna incompossibiles... II. Sufficit certo attentio *interna* quaelibet ex tribus modo expositis, sive scilicet sit ad verba, sive ad sensum, sive utcumque ad Deum... III. Requiritur certo attentio interna, saltem si de voluntate audiendi Missam agatur; quia id prorsus exigitur, ut auditio seu praesentia sit humana, moralis, et ex objecto religiosa... »

Quibus expositis, *P. Gury,* n. 345. quaerit: « *An requiratur sub gravi attentio interna, ratione praecepti Missam audiendi?* » - Et utramque sententiam adducit: affirmativam, quam S. A. communiorem et probabiliorem dicit, et negativam, quam ut probabilem admittit. - Demum, *n. 346.* quaestionem proponit: « *An satisfaciat praecepto, qui tempore Missae peccata confitetur?* » Et respondet: « *Negant plures. Verum affirmativae sententiae sua non deest probabilitas, eamque admittunt plures Doctores...* »

Ad hunc ultimum textum adnotat P. Ballerini, pag. 380: [1] « Nonnul» los vid. apud *S. Alphonsum* (Lib. 3. » n. 314.), qui tamen sic concludit: « *Haec secunda sententia non vi» detur omnino probabilitate destituta, et olim probabilem ipse cen» sui; sed quia postmodum observa» vi, eam a gravibus DD. rejici, » modo non audeo probabilem di» cere.* » - Verum vix apparet, ubi» nam sit excessus externae proba» bilitatis pro negante, cum etiam » pro affirmante, nec pauciores, nec » minus graves DD. ipse S. Alphon» sus indicet, *praesertim quod non» nulli pro negante prorsus abs re » afferantur, uti v. gr. Suarez et » Azor,* qui reipsa nihil de hac quae» stione habent, et mere contendunt, » generatim illicite omitti missam, » ut quis confiteatur, sicut illicite » missam quis omitteret, ut audiat » concionem. - Adde, quod *pro ne» gativa sententia, ne ipse qui» dem S. Alphonsus decretorium ul» lum reperiat argumentum;* quin» imo ipsemet advertit, illius opi» nionis patronos in ratione afferen» da sibi non cohaerere, sed alias ab » aliis rationes afferri: *quod indicio » est, solidam aliquam ac manife» stam rationem plane deesse.* »

Ideoque P. Ballerini non tantum sententiam affirmativam tuetur, quam S. Doctor noster probabilem dicere non audet; sed insuper contendit, solidam aliquam ac manifestam rationem plane deesse sententiae negativae, quam tot graves DD. propugnant, et aliqui pro vera et moraliter certa habent. - Ut hujusmodi assertis satisfiat, 1. Probabimus, sententiam *negativam* revera dicendam esse *communem;* 2. Ostendemus, pro eadem merito invocari suffragium *Suarii* et *Azorii;* 3. *Intrinsecas* ejusdem sententiae perpendemus *rationes,* quae talis sunt ponderis, ut opposita difficulter sustentari possit. Sit itaque

Articulus 1.

Prima sententia negativa merito cum S. A. dicenda est communis.

I. Advertit cl. Professor, « *vix ap» parere, ubinam sit excessus exter-*

1) In altera edit. pag. 283.

» *nae probabilitatis pro negante,* » *cum etiam pro affirmante, nec* » *pauciores, nec minus graves DD.* » *ipse S. Alphonsus indicet.* »

1. At inepte hoc advertit; nam S. A. expressis verbis apponit: « *cum aliis* », et nequidem illos addit, quos citant Doctores nominatim ab ipso allegati. Et revera, Lugo citat *Suarez, Azorium* et *Jacobum Gordonum;* - Salmanticenses insuper allegant *Candidum* et *Trullenchum;* Croix etiam citat *Jacobum Marchantium* et *Stephanum a S. Paulo.*

2. Quibus Auctoribus multi alii addi possunt, ut *Sporer,* [1] *Stoz,* [2] *Clericatus,* [3] *Felix Potestas,* [4] *Wigandt,* [5] *Antoine,* [6] *Reuter,* [7] *Henno,* [8] *Concina,* [9] *Marcus Struggl.* [10] - Porro

3. *Roncaglia* [11] dicit: « Immo etiam exercens aliquid pium, quod tamen incompossibile sit cum debita attentione ad Sacrificium Missae, non adimplet praeceptum. Hinc *nunquam satis percepi, quomodo tali praecepto possit satisfacere, qui confitetur peccata sua* eo tempore, quo audit Missam; nam hujusmodi actio primo est incompossibilis cum attentione interna ad Sacrificium Missae. Deinde impedit, ut ille, qui confitetur peccata sua, intelligatur secundum communem modum agendi insimul cum Sacerdote offerre Sacrificium, agere etc.; est enim actio nimis disparata Missae Sacrificio, adeoque impediens, ut qui confitetur peccata sua, intelligatur moraliter et religiose praesens Sacrificio. Excusaretur nihilominus a peccato gravi, qui per breve tempus confiteretur sua peccata, ita ut verificaretur non omisisse partem, quae sit necessaria pro adimplendo tali praecepto. »

4. Similiter *Mazzotta, S.J.*:[12] « Sequitur secundo, requiri attentionem saltem externam: quamvis enim multi Doctores probabilius requirant attentionem internam, hoc est applicationem mentis, sive ad verba, sive ad verborum sensum, sive ad Deum: non est tamen improbabile ex Lessio, Laymann, Coninchio, Diana, sufficere externam; ita scilicet, ut nulla ponatur actio incompossibilis cum attentione interna (ut esset confabulari, ridere, dormire, extasim pati, scribere, vel legere libros non conciliantes internam devotionem), unde possit esse testis eorum, quae tunc fiunt, esto voluntarie distrahatur. Propterea *communiter* cum *Suarez* et *Azorio* apud Tamburinum, contra Reginaldum et Palaum docent, *non satisfacere eum, qui tempore Missae confitetur peccata sua.* »

5. Item *Billuart:* [13] « Inferes, eum qui tempore celebrationis Missae *prolixe confitetur* sacramentaliter, *juxta communiorem sententiam* non satisfacere. Ita Pontas, post Cabassutium, *Suarez,* Bonacinam, *Azorium.* Ita Henno, Sporer et plures alii. »

Et ratio praecipua, quam adfert, haec est: « Dato, esse praesentem moraliter, non tamen cum attentione requisita; non enim ad attentionem Missae necessariam sufficit quilibet actus religionis, ut patet in prioribus exemplis confessarii aut concionatoris; sed requiritur actus religionis, per modum colentis Deum in ipso sacrificio et oblatione victimae: atqui *attentio, quam habet, qui confitetur sacramentaliter, non est talis,* sed est ad declarandum confessario numerum, species et circumstantias peccatorum, ad respondendum ejus interrogationibus, ad auscultanda ejus monita, correctiones, poenitentiam, etc. - Unde, ut vides, disparitas est ab illo, qui tempore Missae et illi attentus, soli Deo sua peccata confiteretur in amaritudine cordis sui; is enim et moraliter et religiose foret praesens sacrificio. Idem forte posset dici de illo, qui *facilem et brevem* confessionem sacramentalem

1) In Decal. tr. 3. c. 4. n. 2. — 2) Lib. 1. p. 3. n. 254. — 3) Erot. Eccl. c. 47. n. 24. — 4) T. 1. l. 3. n. 2803. — 5) Tr. 10. ex. 5. n. 101. — 6) De Relig. c. 2. q. 5. — 7) P. 2. tr. 4. n. 282. — 8) In Decal. disp. 3. q. 2. concl. 1. — 9) De Eccl. praec. lib. 1. c. 4. q. 6. — 10) Tr. 8. art. 4. n. 38. — 11) Tr. 9. q. 1. c. 2. q. 6. — 12) In Decal. tr. 2. disp. 1. q. 4. c. 3. § 1. — 13) De Relig. diss. 6. art. 5.

faceret, absque prolixis colloquiis, et dialogismis cum confessario in varias circumstantias profanas excurrentibus. Et ita censent non pauci; ideoque dixi in resolutione: qui *prolixe* confitetur. »

6. Iisdem adstipulatur *Ferraris,*[1] dicens: « Nec satisfaciunt, qui per *notabilem* partem Missae confitentur sua peccata; quia enarratio peccatorum ita distrahit, ut cum illa non videatur stare posse attentio requisita ad Missam. Confitens enim non habet se per modum alicujus, qui cum sacerdote offert sacrificium, sed per modum rei, qui se accusat; accusatio autem, aut persona rei non spectat ad sacrificium; et sic sentiunt *communius* Doctores, ut *Suarez, Azorius,* Tanner, Bonacina, Tamburini, Stephanus, Basilius, Marchantius, Pasqualigo, Rosignol., et *alii plurimi* cum de Lugo, qui dicit, esse sic *omnino tenendum.* »

II. Quod autem gravitatem Auctorum attinet, non expedit singulos DD. ex utraque parte aequa lance ponderare; attamen id saltem nemo negabit, *Suarez* et *Cardinalem De Lugo* ex communi consensu majore auctoritate pollere.

1. Cum autem pro sententia *affirmante,* in primis *Lessii* auctoritas interpelletur, strictius ejus sententiam examinare juvat. - *Lessius, S. J.,*[2] dicit, *probabile* esse, eos, qui tempore Sacri diebus festis confitentur, si *per bonam partem,* v. g. tertiam, hoc opere occupentur, ita ut non possint attendere ad Sacrificium, *in rigore* praecepto *non satisfacere;* quippe quod confessio mentem adeo absorbeat et aliis affixam teneat, ut de Sacrificio vix cogitare possint. Et addit: « *Probabile* judico, *etiam eos non teneri ad aliud Sacrificium audiendum, quibus sat temporis suppeditat, si bonam saltem partem extra confessionem audierint,* ac proinde sub peccato mortali non cogendos tamquam adstrictos, sed hortandos ad id, quod tutius et decentius. »

Lessius igitur requirit, ut confitens, saltem *notabilem* partem *extra* confessionem audierit; et ideo omnino discedit a patronis secundae sententiae affirmantis, qui etiam per totum tempus Sacrificii confitentem satisfacere dicunt. Imo Lessius ipsum fundamentum hujus sententiae, confessionem compatibilem esse cum auditione Missae, non admittit; quia etiam illum, qui saltem notabilem partem audivit, ab obligatione aliud Sacrum audiendi *non absolute eximit,* sed tantum a peccato mortali excusat. - Cum ergo Lessius vix dissideat a patronis primae sententiae, qui communiter confitentem excusant, si confessio *brevis* et *facilis* est; potiori jure his accensendus est; et quidem tanto magis, quia etiam hanc limitatam sententiam probabilem tantum judicat, et oppositum tutius et decentius dicit.

2. Etiam *Reginaldus, S. J.,* qui similiter interpellatur, secundam quidem sententiam teneri posse admittit; at oppositam *negantem securiorem* dicit, si nulla urget necessitas. - Haec enim habet:[3] « Secundum propositam doctrinam teneri quoque potest, confitentem sacramentaliter tempore Missae satisfacere posse obligationi de illa audienda; quia sacramentalis quoque confessio est opus tendens in divinae majestatis recognitionem tamquam in finem. Quamquam, *cum nulla necessitas urget,* curandum est, ut utrique suum tempus proprium detur, *ad majorem securitatem.* »

Articulus 2.

Suarez et Azorius, S. J., sententiae negativae merito accensentur.

Pro prima sententia negante, Suarez et Azorius communiter allegantur.[4] Affirmat autem cl. Professor: « Nonnulli pro negante *prorsus abs*

1) V. *Missa,* art. 17. n. 27. — 2) Cons. mor. 1. Missa, cas. 2. — 3) Lib. 19. n. 14. in fine. — 4) Cfr. art. 1. n. 4. 5. 6.

» *re afferuntur,* uti, v. gr., *Suarez* » *et Azor,* qui reipsa nihil de hac » quaestione habent, et mere contendunt, generatim illicite omitti missam, ut quis confiteatur, sicut illicite missam quis omitteret, ut audiat concionem. » – Sed utrumque audiamus.

1. *Suarez*[1] de quaestione agit: *Quibus actibus, quave attentione praeceptum Missam audiendi impleri debeat;* et quoad attentionem dicit n. 8.: « Alia attentio est *ad ea, quae Sacerdos dicit vel facit,* non ultra progrediendo, nec distincte intelligendo, sed solum attendendo *ut ad rem quamdam sacram,* sicut supra dicebam. Et haec attentio est infima omnium, tamen *sufficiens,* quia illa satis est, ut illa Missae auditio seu praesentia sit humana, moralis, et ex objecto religiosa. » – Inde colligit, quod si quis, dum audit Missam, externam actionem exercet repugnantem infimae attentioni Missae debitae, praeceptum non implet; si nimirum tanta sit pars, cujus omissio sufficeret ad transgressionem praecepti.

Speciatim refellit sententiam Joannis Medina, etiam *continuo confabulantem* nihilominus praeceptum implere, quia substantiam praecepti implet, quamvis agat contra ejus finem. Quam sententiam communiter rejectam, *plane falsam* dicit; quia *attentio* non tantum est finis praecepti, sed *ejus substantia,* et ideo, qui voluntarie actionem exercet, quae non compatitur cum attentione necessaria, ut est continua confabulatio, non solum contra finem, sed *contra substantiam praecepti* agit. Idcirco sententiam illam, quae tenet, colloquia inter audiendam Missam, licet indecentia sint, tamen transgressionem praecepti non inducere, solummodo admittit, quando colloquia non sunt continua, sed per parvam Missae partem, quamvis saepius misceantur, nunc colloquendo, nunc attendendo; vel quando confabulatio non est de re seria, nec nimis attenta, quae non omnino impedit attentionem ad Missam, sed solum remittit.

Quamvis igitur Suarez distincte de confessione sacramentali non loquatur, nihilominus *ex praemissis requisitis ad praeceptum implendum* patet, quod confessionem non admittit. Confitens enim tanta mentis applicatione attendere debet, ut peccata sua rite explicet, ad interrogationes Confessarii respondeat, ejus monitiones excipiat, ut simul ad ea, quae Sacerdos celebrans dicit et facit attendere nequeat, etiamsi sufficiat ad ea attendere ut ad rem sacram; nec eorum, quae peraguntur, *testis* esse possit. Porro colloquia inter Confessarium et poenitentem sensu eminenti seria sunt, nec non et *continua,* nullisque intervallis interrumpuntur, quibus poenitens ad Missam attendere possit: ergo secundum principia et regulas, quas Suarez statuit, confitens non satisfacit, nisi confessio facilis et brevis sit. Si autem, non obstantibus hisce principiis, confessionem excipere intendisset, id necessario expressis verbis adjicere, et rationem adferre debuisset, cur haec exceptio admittenda sit.

In eadem vero *Disputatione 88. sect. 6.,* Suarez, de causis excusantibus agens, dicit n. 9.: « Septimum caput excusationis addi solet, scilicet *major utilitas vel necessitas spiritualis;* sic Angelus[2] supra excusat eum, qui propter concionem audiendam, Sacrum omittit. Similiter *alii excusant eum, qui tempore Missae con-*

1) De Sacram. disp. 88. sect. 3.

2) Sed Suarez minus recte exponit sententiam *Angeli,* qui V. *Feriae,* n. 44. dicit: « Quartum est, ut audiat praedicationem, si est qui praedicet. Quod verum intelligo de illis, qui nesciunt necessaria ad salutem..... Sed quaero, quid magis est praeeligendum in festo: an auditio missae, an praedicationis, cum utrumque non potest audiri? Resp. quod auditio praedicationis, quia ratio legis in hoc magis militat. » — Ideo non loquitur de opere voluntario, sed de conflictu inter duo praecepta.

fitetur peccata, maxime, si eo tempore habeat copiam confessoris, quam postea cum difficultate obtinebit. *Sed hujusmodi excusationes* et similes, *per se ac moraliter loquendo, insufficientes sunt;* quia opus praecepti non est omittendum propter hujusmodi voluntaria opera, etiamsi utiliora esse fingantur: alias posset quis Sacrum omittere, ut in suo cubiculo, contemplationi Dei vacet, ex qua majorem fructum spiritualem sibi comparare existimat; nam per se, nullus est major fructus, quam servare mandata eo tempore, quo ipsa obligant. Igitur hujusmodi casus solum habent locum, *quando urget aliqua moralis necessitas.* »

Utique generatim hic loquitur Suarez; verum non dicit generatim Missam illicite *omitti,* ut quis confiteatur; sed generatim dicit, *a transgressione praecepti non excusari illum,* qui tempore Missae confitetur peccata; et ideo etiam illum casum comprehendit, quo quis inter Missae celebrationem confitetur, et *aliam* Missam audire nequit. – Imo ex verbis: « *tempore Missae* » clare patet, quod hunc solum casum prae oculis habuit. Secus enim ista verba non tantum inutilia essent, sed plures casus excluderentur, in quibus Missa omittitur propter confessionem. Potest namque quis in alium locum, ubi Missa non habetur, pergere ad confitendum, quin praecise tempore Missae confiteatur. Si autem confitens inter Missae celebrationem non excusatur, per se intelligitur, ceteros non excusari.

Recte igitur Suarez pro prima sententia citatur, et quidem tanto potiore jure, quia jam in altero praecedente loco confessionem sacramentalem non excipit ab actionibus, quae attentioni ad praeceptum implendum necessariae repugnant.

2. Idem plane dicendum est de *Azorio,* qui [1] haec habet: « Cujus (Joannis Medina) sententiam quidam severius et durius, quam par est, condemnant; non enim Medina censet, eum praeceptum servare, qui ita alias res facit, ut nequeat commode animum praestare rei divinae intentum; sed eum, qui, quamvis confabuletur, animo tamen attento rem divinam audit: nam hoc idem docet Sotus. [2] – Quicquid Medina senserit, verum est, quod *communi consensu* ceteri tradiderunt, non solum praecipi, ut quis corpore sponte sua praesens intersit rei divinae, dum fit; sed etiam *ut attentum se praebeat auditorem.* Ergo, qui ita confabulatur, nugatur, ludit, vel ridet cum aliis, *ut prorsus impediatur a re divina audienda, praeceptum non servat.* Alioquin enim praecepto satisfaceret, qui tunc temporis legeret, pingeret, scriberet, clamaret, disputaret, aut alios doceret. Nec item sola corporis praesentia sufficit: tunc enim, qui per vim vel ignorantiam, vel dormiens adesset, praeceptum impleret. Requirit itaque Ecclesia voluntarium et attentum auditorem: *talis non est, qui ita aliud agit, ut perinde sit, ac si praesens ad audiendum non esset:* cum S. Antonino, Cajetano, Sylvestro, Navarro. »

Et ibidem, cap. 7. Azorius sic scribit: « Octavo quaeritur: an omni culpa careat Titius, qui die Dominico vel festo, toto tempore, quo Missae officium fit, *sua peccata Sacerdoti confitetur, cum sciat nullum aliud Missae sacrificium eo die faciendum?* Respondeo in hunc modum: si peccatorum confessionem, quam *praecepti necessitate* facit, in aliud tempus *differre commode potest,* liber a peccato non est, quia *praeceptum Missam audiendi praetermittit,* cum utrumque praeceptum possit implere. Si tamen peccatorum sacram confessionem, praecepti necessitate debitam, in aliud tempus commode prorogare nequeat, tunc tuta conscientia Missam praetermittit, ut faciat prae-

1) P. 1. lib. 7. c. 5. — 2) 4. dist. 23. q. 4. art. 1.

cepti necessitate debitam peccatorum confessionem ; quoniam lex de peccatis confitendis videtur esse majoris ponderis ac momenti, quam lex de Missa audienda. - Si confessionem peccatorum *voluntariam* sponte faciat, *potius rem divinam audire debet,* quam peccata confiteri: quia voluntaria confessio est consilii opus, auditio vero rei sacrae est debitum, et imperatum officium. »

Recte ergo etiam Azorius pro prima sententia negante allegatur.

Articulus 3.

Perpenduntur solidissimae Rationes intrinsecae, quibus sententia negativa innititur.

Concludit P. Ballerini : « Adde, » quod pro negativa sententia, *ne ipse* » *quidem S. Alphonsus decretorium* » *ullum reperiat argumentum;* quin- » imo ipsemet advertit, *illius opi-* » *nionis patronos in ratione affe-* » *renda sibi non cohaerere,* sed alias » ab aliis rationes afferri: *quod in-* » *dicio est, solidam aliquam ac ma-* » *nifestam rationem plane deesse.* »

I. Primum itaque cl. Professor advertit, Auctores in afferenda ratione sibi non cohaerere.

1. At vero S. Doctor, ut vidimus, duos tantum Auctores allegat, qui in ratione afferenda cum aliis non conveniant, *Bonacinam* scilicet et *Bassaeum;* et hos quidem citat ex Croix, qui autem utriusque sententiam minus recte exponit. - *Bonacina* [1] dicit: « Hanc doctrinam (sententiam affirmativam) alias ut probabilem docui, cum nullam sufficientem rationem in contrarium adhuc excogitassem. Verum, *re attentius considerata,* me recepi in sententiam *Azorii, Suarez* et aliorum, ductus hac potissimum ratione, *quia Ecclesia praecipit assistere Missae per modum orationis.* » - Similiter *Bassaeus :* [2] « Ratio est : quia Ecclesia praecipit assistere Missae *per modum orationis;* qui autem peccata sua confitetur tempore Missae, non videtur assistere per modum orationis. »

2. Uterque igitur non ideo negat, confitentem satisfacere, quia non orat ; sed quia non per modum orationis assistit, qui saltem quoad habitum externum Sacerdoti Sacrificium offerenti et oranti sese non associat ; quin necesse sit, ut ipse oret. At per hunc modum non assistit confitens, qui in tribunali poenitentiae se accusat. Unde non dissentiunt a ceteris Doctoribus primam sententiam negantem propugnantibus.

3. Conveniunt quippe ceteri, confitentem non satisfacere, etiamsi sola attentio externa ad praeceptum implendum sufficiat, et duplicem rationem allegant. *Prima* est : quia confessio sacramentalis, utpote nimis distrahens et mentem occupans, attentionem internam impedit, et confitens eorum, quae peraguntur, testis esse nequit: in quo communiter nota attentionis externae reponitur. *Secunda* est: quia confitens, qui ut reus se accusat et coram judice stat, nequidem quoad cultum externum talem se exhibet, qui simul cum Sacerdote Sacrificium offert, et per virtutem hujus Sacrificii Deum implorat. - Alii primam, alii secundam, alii utramque rationem adducunt ; et utramque, ut vidimus, approbat S. Alphonsus.

4. Ita *Lugo, S. J.:* [3] Dubitatur secundo, an sit humano modo praesens, et praecepto satisfaciat, qui eo tempore confitetur sacramentaliter. Suppono autem, non esse necessariam confessionem, ita ut excuset ab obligatione audiendi Missam ; sed posse vel differri, vel certe postea aliam Missam audiri. *Martinus Bonacina* [4] prius docuerat partem affirmantem; postea re melius considerata, *docuit negantem cum Suarez* [5] et *Azorio.* [6]

1) De Sacram. disp. 4. q. 8. p. 11. n. 26. — 2) V. *Missa,* art. 8. n. 7. — 3) De Euch. disp. 22. n. 22. — 4) Disp. 4. de Euch., q. ult. de missae sacr., punct. 11. n. 26. — 5) Disp. 88. sect. 6. vers. *Septimum caput.* — 6) 1. P. lib. 7. c. 7. q. 8.

Quibus accedit novissime *P. Jac. Gordonus,* loco supra citato, n. 13., *quod videtur omnino tenendum:* quia quod actio, quae fit, ordinetur ad obsequium Dei, non facit illam compatibilem cum auditione Sacri: alioquin posset quis, dum audit Missam, consulere Patrem spiritualem, vel Theologum circa casus suae conscientiae, posset inservire aegroto, sternere ei locum, et his similia. *Non sufficit ergo pietas actionis, si tamen sit talis, ut excludat attentionem ad Missam:* nam licet tunc possit quis recitare Horas, vel alias orationes, non potest tamen exercere actionem externam, *quae impediat cultum externum sacrificandi,* seu ostendendi se assistentem Sacrificio, et coofferentem cum Sacerdote. »

5. Et *Salmanticenses* [1] argumenta pro prima sententia brevi compendio comprehendunt, dicentes: « Ratio utriusque (i. e. nec poenitentes, nec Confessarios confessiones excipientes satisfacere) est: *quia hujusmodi actiones externae, tametsi piae sint, impediunt tum attentionem internam,* ut experientia constat, *tum etiam cultum externum sacrificandi,* seu ostendendi se assistentem sacrificio et coofferentem cum Sacerdote; atque in externo et communi modo agendi, ostendunt, non manere attentionem ad Deum per modum orationis, quam in externo modo agendi habere praecipit Ecclesia, simul cum virtuali attentione interna. »

II. Sed *Rationes intrinsecas* pro negativa sententia militantes propius inspiciamus.

1. Adversarii communiter concedunt, per notabile tempus confabulantes, pingentes, aut librum profanum legentes, non satisfacere; quippe quod nequidem externam attentionem habeant. - At vero isti facilius sane hanc attentionem habere possunt, quam sacramentaliter confitens, qui sine intervallo et sine ulla remissione, mentem ad id intendere debet, ut rite peccata sua explicet, ad interrogationes Confessarii respondeat, ejus monitiones et mandata excipiat. Unde bene dicit Lessius, confessionem adeo mentem absorbere, et aliis affixam tenere, ut *confitens vix de Missa cogitare possit.* Imo vix alia actio existit, quae magis *totum hominem occupet;* dummodo, ut supponimus, confessio serio et debito modo peragatur, et non sit brevis ac nulla ratione complicata. - Quomodo igitur sustineri possit illa assertio, confitentem facile simul ad Missam attendere posse, non videmus.

2. Sufficientem responsionem ad hanc objectionem non dari, ipsi adversarii sentire videntur; magis enim urgent alteram rationem, scilicet actiones supra memoratas *profanas* esse, confessionem autem *actum pium et religiosum,* quemadmodum *Elbel* [2] dicit: « Quia omnis actus pius et religiosus, quem quis erga Deum tempore sacrificii exercet, censetur continere attentionem internam necessariam audiendi Sacrum; atqui Exomologesis est actus summae reverentiae erga Deum: ergo est compatibilis cum auditione Sacri. » - At vero, si quilibet actus pius ac religiosus reverentiam erga Deum, seu, ut Reginaldus dicit, recognitionem divinae Majestatis implicans sufficeret, satisfaceret etiam Patrem spiritualem de dubiis conscientiae consulens, ut dicit Lugo; nec non Concionator in altera parte ecclesiae sermonem habens, ut ait Billuart; nec non populum docens aut catechizans, ut dicit Azorius; imo etiam devotam imaginem pingens in ecclesia, ad majorem Dei gloriam et divinum cultum promovendum. Sed hoc nemo sane concedet.

3. Aliam adhuc rationem adfert Elbel: « Denique, ipsa narratio peccatorum facta sacerdoti nomine Christi, se habet *perinde, ac si ipsi Christo Domino fieret:* quis autem

1) Tr. 5. c. 6. n. 46. — 2) Conf. 12. n. 341.

neget, inquit Gobat, licere sub Sacro, quod unicum quis audire vult, confiteri Christo Domino vel aeterno Patri sua peccata?» - Sed haec ratio vix mentionem meretur. Disparitatem inter sacramentaliter confitentem, et Missae assistentem, qui in amaritudine cordis sui Deo peccata sua confitetur, optime explicat Billuart, supra citatus.

4. Ceterum *S. Alphonsus* cum communi excusat confitentem, si confessio *facilis et brevis* est; eo magis quia et confabulantem excusat *(n. 317.)* si confabulatio non fit per notabilem Missae partem. Similiter *(n. 332.)* probabile censet « *excusari,* qui omit- » teret Missam pro se confitendo, si » alias deberet aliquandiu permane- » re in statu peccati mortalis. »

SIT IGITUR CONCLUSIO:

1. Ex praemissis patet, Doctores primam *negativam* sententiam propugnantes, et *numero et auctoritate* praestare iis, qui oppositam tenent. Imo plures graves DD., speciatim Lugo, Bonacina, Roncaglia, Holzmann, affirmativam ceu improbabilem rejiciunt.

2. *Rationes* vero intrinsecae pro negante militantes ejusmodi sunt, ut opinio affirmans difficulter sustentari possit.

3. Quo itaque jure cl. Ballerinius affirmaverit, « *solidam aliquam ac* » *manifestam rationem plane dees-* » *se* » sententiae negativae: quisque prudens facile judicabit.

QUAESTIO XII.

An detur parvitas materiae in delectatione sensibili sive naturali.

(S. Alph. Lib. III. n. 415. 416. — P. Ball. Tom. I. n. 411.)

Ante omnia S. Alphonsum audiamus. Lib. III. n. 415., exordiendo tractatum de sexto praecepto, quaerit: « *An in genere luxuriae detur* » *parvitas materiae?* » Et sic respondet: « Praenotandum, quod distin- » guunt DD. delectationem *veneream* » sive *carnalem,* scil. cum commo- » tione spirituum genitalium, a de- » lectatione *sensitiva* sive *naturali.* » Hinc duo dubia agitantur.

» Dubium 1. est: *An detur parvi-* » *tas materiae in re venerea?* - San- » chez, secluso periculo pollutionis » vel consensus in actum carnalem, » sentit dari parvitatem materiae, » prout esset attrectare manum vel » pedem foeminae, brachium premere, vellicare seu intorquere digi- » tos. Et idem tenent Navarrus, So- » tus, Salas et plures apud Salman- » ticenses. - Idem videtur etiam te- » nere Tamburini. Sed Tamburini » alia via incedit; distinguit enim » cum Palao (qui vocat hanc senten- » tiam communissimam), et dicit, » non dari quidem parvitatem mate- » riae in re venerea, in qua quaevis » parva delectatio graviter est mala; » sed dari tamen in materia luxuriae, » quae latius patet ad sensus tactus. » Hinc dicit, tactum levem ex joco, » vel cum delectatione non venerea, » culpam venialem non excedere.

» His tamen non obstantibus, *omni-* » *no tenendum est* cum Viva et Sal- » manticensibus, ac Moya et Corella, » quod *omnis delectatio carnalis sive* » *luxuriosa, cum advertentia et de-* » *liberatione capta, sit mortale pec-* » *catum,* maxime post prop. 40. da- » mnatam ab Alex. VII., quae dice- » bat: « Est probabilis opinio quae » dicit, esse tantum veniale osculum » habitum ob delectationem carna- » lem et sensibilem, quae ex osculo » oritur, secluso periculo ulterioris » consensus et pollutionis. » - Si enim

» in oculis non datur materia levis, » nec etiam danda est in aliis tactibus cum delectatione carnali. Ratio, quia quaevis carnalis delectatio, sive commotio spirituum generationi deservientium, est quaedam inchoata pollutio seu motus ad pollutionem. Merito igitur Continuator Tournelii, et Salmanticenses cum Cajetano, Bonacina, Tamburini, Lopez, actus supra relatos, scil. vellicare manum foeminae, intorquere digitos etc. damnant peccati mortalis, ob delectationem carnalem quae tunc habetur, vel saltem ob istius proximum periculum. Et merito pariter Croix rejicit opinionem Arriagae, qui dicit non graviter peccare, qui sponte consentit in tales motus leves carnales sponte obvenientes. »

His praemissis, S. Doctor in *n. 416.* alterum dubium proponit, videlicet: « *An detur parvitas materiae in delectatione sensibili sive naturali, nempe, si quis delectetur de contactu manus foeminae, prout de contactu rei lenis, puta rosae, panni serici et similis?* » Quod dubium sequenti modo solvit: « *Prima sententia affirmat* cum S. Antonino, Sylvio, Salas, Navarro, Filliuccio, Hurtado, Moya et pluribus apud Salmanticenses, et adhaeret Busembaum infra cas. 4., et Continuator Tournelii cum Comitolo, Baronio, Sylvio, et aliis.

» *Secunda* tamen *sententia negat* cum Cajetano, Diana et aliis apud Salmanticenses. Ratio, *quia tactus, secundum quod sunt delectabiles juxta sensum tactus* puellae vel adolescentis, *per se ad pollutionem ordinantur. Et hanc puto omnino tenendam,* dum merito dicunt Salmanticenses cum Filliuccio, Trullencho, Diana etc. ac Roncaglia, *primam sententiam non esse* PRACTICE *probabilem, quia ob corruptam naturam, est moraliter impossibile habere illam naturalem delectationem; quin delectatio carnalis et venerea sentiatur, maxime a personis ad copulam aptis, et maxime si actus isti habeantur cum aliquo affectu et mora,* ut ait Elbel. Hinc recte dicunt Sporer cum Sanchez et communi, ac Croix, REGULARITER primam sententiam non esse practice probabilem, *quia per se est mortale se exponere periculo consentiendi in delectationem veneream.* Excipit tamen Croix aliquem, a quo abesset tale proximum periculum. Id vero tantum admitterem cum P. Holzmann, in aliquo casu raro, quo per longam experientiam quis esset moraliter certus, nullum periculum consensus ipsi imminere; *sed hic casus quando erit?* Notandum vero, aliud esse (ut bene distinguit Continuator Tournely) agere *propter* delectationem capiendam, aliud *cum* delectatione quae consurgit ex qualitatibus corporibus annexis, in qua bene potest dari parvitas materiae, si delectatio sit mere sensibilis sive naturalis; *modo* (addendum) *non sistas in ea,* sed in tactu delectationem detesteris, *alias non ageres cum delectatione, sed propter delectationem;* quod non potest esse sejunctum a periculo incidendi in delectationem venereum. »

P. Gury, de eadem materia loquens, T. I. n. 411. pag. 444.[1] scribit: « Luxuria est inordinatus appetitus rei venereae. Consistit in delectatione venerea voluntarie admissa extra matrimonium. Delectatio autem *venerea* est delectatio orta ex commotione spirituum generationi inservientium. Non est igitur confundenda cum delectatione *mere sensibili,* quae oritur ex proportione objecti sensibilis ad sensum aliquem, v. gr., objecti visibilis ad visum, audibilis ad auditum, etc. Alia idcirco est materia seu objectum luxuriae,

1) In altera edit. pag. 337.

alia sensualitatis. Delectatio sensibilis aut culpa vacat, aut veniale, saltem plerumque et *per se*, non excedit. »

Ad hunc textum, P. Ballerini longam subnectit adnotationem, in qua 1. Dicit, circa delectationem varias apud varios Auctores reperiri distinctiones et definitiones; et asserit, *S. Alphonsum* cum Roncaglia distinguere venereamsensibilem, et venereamspiritualem; 2. Objicit, *mirum* videri, quod S. A. quaestionem instituat, *an in delectatione sensibili detur parvitas materiae;* 3. Affirmat, doctrinam S. Doctoris aliud non esse nisi *compendium doctrinae Salmanticensium,* ipsamque recte intelligi non posse, nisi consulantur Salmanticenses; attamen, tum istos, tum maxime alios Auctores ab ipsis allegatos, *aliam quaestionem* expresse agitare, diversam a sententia S. Alphonsi; 4. Demum, principia quaedam exponit circa eamdem materiam.

Contra hujusmodi asserta, 1. Exponemus *principia* communiter recepta circa delectationem, et doctrinam S. A. explicabimus; 2. Ostendemus, nullatenus *miram* esse quaestionem, quam S. A. de reatu delectationis sensibilis instituit; 3. Probabimus, S. Doctorem rectissime citare *Salmanticenses,* aliosque Auctores pro sua sententia allegatos; 4. Tandem perpendemus *regulam* a cl. Ballerinio in hac materia traditam.

Articulus 1.

Exponuntur principia communiter recepta circa delectationem, et doctrina S. A. explicatur.

Loco cit. P. Ballerini dicit: « Diversas apud diversos AA. reperire » est in hac re distinctiones. Nam » praeter distinctionem venereae delectationis in *veneream sensibilem,* » et *veneream spiritualem,* quam » post Roncaglia admisit et *S. Alphonsus* Lib. 3. n. 415.), quidam » rursus veneream distinguunt in *veneream simpliciter,* et *veneream sensibilem* (Vid. Sanchez, de matrim. lib. 9. disp. 46. n. 4.); quidam *veneream carnalem,* ac *sensitivam* pro una eademque videntur accipere (Vid. Laymann, lib. 1. tr. 3. cap. 6. n. 6-8.); alii sensitivam ac sensibilem prorsus a venerea distinguentes, illam rursus partiuntur in *pure sensibilem,* et *carnalem sensibilem* (Vid. Croix, lib. 5. n. 93.); alii demum, uti etiam Auctor (i. e. P. Gury), simpliciori bimembri distinctione utuntur in delectationem *veneream,* et *sensibilem,* quam etiam *naturalem* vocant. - Quas quidem varias distinctiones, atque adeo varias earumdem penes diversos Auctores definitiones, dum quidam parum adverterunt, in illud inciderunt incommodum, ut quibusdam Auctoribus eas sententias affingerent, quas illi ne per somnium quidem cogitaverant... »

Materiam complicatam aggredimur; sed non opus est, ut in omnes istas definitiones et terminologias descendamus. Breviter illa momenta exponemus, in quibus omnes conveniunt, et deinde doctrinam S. A. explicabimus.

1. Delectatio *venerea, libidinosa* seu *luxuriosa* est, quae sentitur circa partes genitales, per commotionem spirituum generationi inservientium; et quicumque talem delectationem deliberate admittit, peccat, ut omnes fatentur. Quaestio tantum est, an detur parvitas materiae, i. e. an deliberate illam admittens a peccato mortali excusari possit, si haec delectatio modica est.

2. Delectatio *sensitiva, sensibilis, naturalis,* seu *organica* ea est, quae ex contactu rei sensui tactus gratae et delectabilis exoritur. Sub quo genere duae species comprehenduntur: videlicet *sensitiva carnalis* et *simpliciter sensitiva.* - Prima est, quae ex contactu carnis humanae, altera, quae ex contactu cujusvis alius rei mollis et blandae exsurgit. Differunt

specifice, quia delectatio diversa est. Aliam enim delectationem sensitivam excitat contactus carnis humanae vivae et calidae, ut bene addit Filliuccius; et aliam contactus alius rei mollis; et in illa, praeter mollitudinem, alii adhuc factores accedunt. Nemo sane contendet, delectationem unam eamdemque esse, sive holosericum, sive manus vel brachia feminae attrectentur vel palpentur.

3. Delectatio *simpliciter sensitiva, in se* spectata, omni vacat culpa, dummodo ad aliquem finem honestum et rationi conformem eam referamus, secus venialem non excedit; in quo omnes conveniunt. In quantum vero haec delectatio materiam luxuriae attingit, quaestio solummodo est, an a peccato gravi excusari possit deliberate actum ponens, qui *ex sua natura* delectationem *carnalem* excitat, at vero nequaquam hanc, sed tantum delectationem *simpliciter sensitivam* inde capere *intendit*.

4. Delectatio autem *sensitiva carnalis* proxime ad materiam *luxuriae* spectat. Quamvis quippe non semper et necessario, attamen *regulariter* haec delectatio cum aliqua commotione spirituum genitalium, modica saltem, conjuncta est, *quoties res est de personis diversi sexus, adultis et ad copulam aptis*. Idcirco multi DD. delectationem sensitivam carnalem in hisce casibus, venereae seu libidinosae aequiparant.

5. Hisce ergo distinctionibus atque principiis modo expositis doctrina S. Alphonsi innititur. Num. *415*. dubium proponit, an *manus, brachia vel pedes feminae* deliberate attrectans vel premens, a peccato *mortali* excusari possit *propter parvitatem materiae*. Supponit ergo personam diversi sexus adultam et ad copulam habilem; et dicit, *non excusari*, quia actiones praedictae, in casu proposito, *suapte natura* commotionem spirituum genitalium, sin minus vehementem, aliquam saltem excitant. At vero quaelibet hujusmodi commotio est quaedam pollutio inchoata; ergo omnis delectatio deliberata cum eadem commotione, quantumvis modica, connexa, nunquam culpa lethali vacat inter solutos, de quibus hic sermo est.

6. Et n. *416*. S. Doctor dubium proponit, an non saltem a mortali excusandus sit manum feminae attrectans, qui *expresse* nullam aliam delectationem inde capere *intendit*, praeter *simpliciter sensitivam sive naturalem*, quam caperet ex contactu rei lenis, puta rosae, panni serici et similis. — Affirmativam sententiam *speculative* admittit; quia nulla delectatio simpliciter sensitiva, in se spectata, culpam venialem excedit. *Practice* vero eam *improbabilem* dicit; quia *regulariter et secundum communiter contingentia* attrectans, proposito et intentione sua non obstante, in delectationem *carnalem* cum commotione spirituum incidet, aut saltem *periculo proximo* incidendi se exponit.

7. P. Ballerini dicit, S. Alphonsum n. 415. post Roncagliam admisisse distinctionem venereae delectationis in *veneream sensibilem* et *veneream spiritualem*. Sed somniasse videtur cl. Professor; nam S. A., ut in textu allato videre licet, nihil plane habet de hac distinctione.

Articulus 2.

S. A., dubium proponens: An in delectatione sensibili detur parvitas materiae, nullatenus miram quaestionem instituit.

Pergit cl. Professor: « Interim quod » spectat ad delectationem *sensibi-* » *lem* seu *naturalem*, prouti ab A. » (P. Gury) aliisque accipitur, quae » nempe a proportione objecti cum » organis sensuum exsurgit, *quaestio* » *de reatu ipsius facile solvitur.* » *Perinde enim est, ac quaerere,* » *quis reatus esse queat in delecta-* » *tione quae v. g., ex olfactu floris,* » *ex coeli aspectu, aut ex haustu* » *gelidae percipitur*. Merito proinde

» *La Croix* (lib. 5. n. 94.) cui subscribit Viva (in Prop. 40. damn. ab » Alexandr. VII. n. 20.) postquam » dixit, eam in se non esse malam, » nec aliam in ea malitiam reperiri » posse, nisi quae generatim sit in » actu, qui ad finem rationabilem » non referatur, lectorem remittit » ad n. 210. ejusdem libri, ubi generatim de fine agit actus humanos » cohonestante; *quod tamen argu*» *mentum infeliciter versat,* confusiones scilicet in hanc materiam a » Jansenianis inductas non penitus » devitans. *Vid. supra, n. 32. et not. a.* » *pag. 30.*

» Caeterum, cum ea delectationis » sensibilis indoles sit, quam descri» psimus, *mirum sane videbitur,* » *quod S. Alphonsus* (Lib. 3. n. 416.) » *quaestionem instituat:* An detur » parvitas materiae in delectatione » sensibili sive naturali; *quodque ad*» *dat, tenendam esse sententiam ne*» *gantem,* advocans in eam rem suffragium plurium auctorum, *quos* » *a Salmanticensibus* (de VI. Praec. » cap. 3. *n. 40.*) *allegatos dicit...* »

1. Quae P. Ballerini de *Croix* asserit, prorsus falsa sunt, ut patet ex dictis pag. 133. et 146., ubi ejus doctrinam fuse exposuimus. Etenim Croix Jansenianos acerrime impugnat, atque expressis verbis declarat, motivum perfectae charitatis non requiri, sed satis esse, si actiones nostras indifferentes actualiter vel virtualiter ad finem aliquem honestum seu rationi conformem referamus, etiamsi de ipsa actione de hoc fine non cogitemus.

2. De *S. Alphonso* loquens, miratur cl. Professor, et sub specie admirationis S. Doctori ineptam tribuit sententiam. – S. A. vero non loquitur de delectationibus sensibilibus in genere, ex olfactu floris, ex coeli aspectu, ex haustu gelidae etc., nec de sensibilibus in se spectatis; sed *de delectatione in contactu manus feminae,* quae immediate et *proxime* ad materiam *luxuriae* spectat, et *secundum communiter contingentia,* etiamsi delectatio propter mollitudinem tantum intendatur, saltem *periculum proximum* in libidinosam incidendi secum fert, ideoque est graviter illicita, quantumvis venialiter tantum in se spectata. – Recte igitur S. Alphonsus quaestionem ponit, an in delectatione sensibili, secundum hypothesim, detur *parvitas materiae;* et recte *quoad praxim* negative respondet, quia, missa speculatione, *regulariter non deerit delectatio libidinosa,* modica saltem, aut ad minimum ejus *periculum proximum.*

3. Si itaque cl. Ballerinius supponeret, S. Alphonsum de mortali damnare delectationem *mere sensibilem, in se et speculative sumptam,* S. Doctori affingeret sententiam, quam ipse (si verbis cl. Professoris uti liceat) « ne per somnium quidem » cogitaverât. » – Caeterum ipsemet P. Ballerini alio loco (pag. 449.)[1] recte adnotat: « *Obligatio cavendi pe*» *riculum peccandi sufficit, ut illi*» *cita evadat actio, quae alioquin* » *nec ratione sui, nec praecise ra*» *tione motuum, quos inducit, inho*» *nesta foret.* » Quibus verbis plane incidit in sententiam S. Alphonsi; imo (pag. 446. et 453.)[2] aperte fatetur, voluptatem organicam, seu delectationem pure sensibilem, « *in* » *praxi praecise talem, si de adultis* » *agatur, qui apposite eam quae*» *rant, vix locum habere.* » Quae cum ita se habeant, cujusnam utilitatis aut necessitatis sit mira illa adnotatio contra doctrinam S. Alphonsi, profecto non videmus.

Articulus 3.

S. A. rectissime citat Salmanticenses, aliosque Auctores pro sua sententia allegatos.

Loco cit. pag. 445.[3] P. Ballerini sic prosequitur: « *At enim aegre quis*

1) In altera edit. pag. 341. — 2) Ibid. pag. 339. et 344. — 3) Ibid. pag. 338.

» *verum S. Alphonsi sensum asse-* » *quetur, nisi Salmanticenses adeat,* » *quorum doctrinam compendio ex-* » *hibet.* Salmanticenses itaque *non* » *de qualibet sensibili delectatione* » tractant, sed expresse quaestionem » agitant de ea, quae quaeratur et » percipiatur ex osculis, tactibus et » amplexibus etiam personae adultae » ac diversi sexus. (Vid. l. c. n. 34.)- » Et licet (ibid. n. 41.) asserant, « *speculative veram et probabilem* » *opinionem esse* », quod ejusmodi » actus, « *si fiant praecise ob dele-* » *ctationem naturalem et pure sen-* » *sitivam, quae sensui tactus corre-* » *spondet ob proportionem cum suo* » *objecto sensibili, qualis est quae* » *datur in tactu rei lenis et suavis,* » *sistendo ibi et secluso periculo ul-* » *terioris delectationis carnalis et ve-* » *nereae, vacant culpa mortali; quia* » *talis delectatio ex se non est mora-* » *liter mala, sed indifferens, non se-* » *cus ac ipse tactus, qui ratione sui* » *nominat actum indifferentem, ut* » *docent S. Thomas* 2. 2. q. 154. » art. 4., *et communiter Thh., et* » *sic fieri potest ob aliquem finem* » *honestum* »; - attamen merito sub- » dunt (ibid. n. 48.) quod, cum pro- » pter corruptionem humanae natu- » rae, ejusmodi actus vix deduci in » praxim ob delectationem sensiti- » vam possint, quin conjungatur de- » lectatio carnalis ac venerea; idcir- » co fere suberit occasio ac pericu- » lum peccati mortalis, nisi justa de » causa haec fiant, ut not. seq. di- » cetur. Et quidem (ibid. *n. 40.*) ex- » presse monent, auctores qui gra- » vis culpae hosce actus damnant » *(quos nimirum S. Alphonsus dein* » *quasi pro sensibilis delectationis* » *reatu allegavit),* non de delecta- » tione mere sensibili loqui, sed de » carnali ac venerea, atque adeo in » quaestione de delectatione pure sen- » sibili *prorsus abs re allegari* ... »

Sed videamus, quonam jure ista proferantur.

I. Ex praemissis satis patet, neminem sano judicio praeditum de sensu propositionis S. Doctoris vel minime ambigere posse. Ideo nulla est necessitas, ut *Salmanticenses adeamus,* et quidem tanto minus, quia isti nihil habent, quod non dicat etiam S. Doctor noster.

1. Audiamus tamen *Salmanticenses.* - Tr. 26. cap. 3. n. 41. scribunt: « Dicimus ergo primo, quod *metaphysice* et *speculative* est vera et probabilis, nedum opinio asserens, quod oscula, amplexus et tactus inter personas solutas et adultas, etiam capaces ad coitum, *si fiant praecise ob delectationem naturalem et pure sensitivam,* quae sensui tactus correspondet ob proportionem cum suo objecto tangibili, qualis est, quae datur in tactu rei lenis et suavis, ut vestis sericae aut byssinae, *sistendo ibi, et secluso periculo pollutionis, aut ulterioris delectationis carnalis et venereae, vacant culpa mortali.* Ratio hujus est: quia talis delectatio pure sensitiva et naturalis, sistendo ibi, ex se et ex suis praedicatis intrinsecis, non est moraliter mala sed indifferens... ut docet D. Thomas [1] et communiter Theologi; et sic potest fieri ob aliquem finem honestum, ut ad conciliandam honestam amicitiam, et ratione salutationis amicorum aut propinquorum, more patriae, quod minime admitteret, si intrinsece, ex se et ex specie sua esset deformis: igitur nec praedicta delectatio pure sensitiva et naturalis proveniens ex tactibus (et idem est de osculis et amplexibus) inter personas jam adultas, etiam diversi sexus, erit ex se et ex specie sua et intrinsece mala: et consequenter, si in ea praecise sistatur, praecisa alia quacumque intentione operantis, vel commotione seminali, aut periculo delectationis carnalis et venereae, non erit talis delectatio pure sensitiva mala moraliter. Tunc sic; sed *metaphysice loquendo, non*

1) 2. 2. q. 154. art. 4.

repugnat, quod talis delectatio pure sensitiva separetur a delectatione carnali et venerea, cum ex se, et ex suis praedicatis intrinsecis et metaphysicis, nullam dicat cum illa connexionem...; ergo, si haec res delectationis pure sensitivae tractetur metaphysice, ut in praesenti de illa agimus, *nostra assertio est metaphysice et speculative vera, et haec opinio speculative probabilis. - Si autem* (ut postea dicemus) *de illa agatur moraliter et practice, seu ut regulariter et communiter continget, et ad praxim reducitur exequtionique mandatur, haec opinio sic practice considerata non est vera, nec practice probabilis...* »

Et *num. 48.* subjungunt: « Dicimus secundo, quod *licet tactus, amplexus et oscula, facta ob solam delectationem naturalem ex illis ortam, possint culpa mortali vacare speculative et metaphysice loquendo; tamen practice et moraliter sunt communiter peccata mortalia, maxime quando fiunt inter personas ad copulam aptas.* Et ratio hujus est: quia, *supposita corruptione naturae humanae et naturali propensione venerea, regulariter loquendo est moraliter impossibile,* quod oscula et amplexus habeantur inter personas solutas habiles ad coitum, *ob delectationem praecise naturalem, quin subsequatur delectatio carnalis et venerea,* nisi fiat more patriae; *ergo, moraliter loquendo, omnia praedicta oscula et amplexus erunt mortalia peccata.* - Antecedens constat *quotidiana experientia:* vix enim erit homo, qui virginem ob delectationem naturalem osculetur, quin transeat ad carnalem, et in corpore, partibusque libidinosis commotionem non sentiat: sunt enim haec satis propinqua, et una delectatio est via ad aliam: ergo moraliter loquendo, *hoc erit casus,* in quo personae solutae delectationem naturalem solam intendentes, in ea sistant, et ad carnalem non transeant; et ideo ob periculum illius, sub culpa mortali illam vitare tenentur. Dixi: *inter personas ad coitum aptas:* quia si aptae non sunt, quales sunt infantes, tunc poterunt eorum carnes ob sensitivam mollitiem osculari et amplecti, quin ulterius alia venerea delectatio sentiatur, ut experientia constat in matribus, nutricibus, aliisque similibus personis: quia hoc ipso, quod inhabiles ad copulam apprehendantur, non excitatur in corpore venerea delectatio. - Ita docent expresse *Filliuccius,* [1] *Trullenchus,* [2] *Diana,* [3] qui licet in aliis materiis aliquando sit laxus, at in praesenti, inquit, et recte, non esse laxandas habenas: quia *praedictae naturales delectationes sunt valde periculosae...* »

2. Utique ergo *Salmanticenses* non de qualibet sensibili delectatione tractant, sed *expresse* quaestionem agitant *de ea, quae quaeratur et percipiatur ex osculis, amplexibus et tactibus.* De eadem delectatione tractat etiam S. Alphonsus; et casum specialem *de tactu manus feminae* ideo proponit, quia facilius obtingere potest, ut quis in hujusmodi tactu eam tantum delectationem capere intendat, quae ex contactu rei lenis percipitur, puta rosae, serici vel similis. - Easdem comparationes etiam Salmanticenses habent *n. 35:* « His suppositis, probatur jam assertio: Delectatio naturalis, quae consurgit ex contactu rei lenis et blandae, ut serici vel rosae, non est peccatum mortale: ergo nec erit mortale delectatio *naturalis,* quae consequitur in sensu tactus, ex quo tangat hominis aut feminae carnem lenem, aut ejus faciem, v. g. deosculet, vel manum contrectet. »

3. Porro Salmanticenses loquuntur de personis *diversi sexus, adultis,* et maxime *de aptis ad copulam.* Similiter S. A. loquitur de femina, de puellis et adolescentibus, maxime de aptis ad copulam. - Salmanticenses

1) Tr. 30. c. 9. n. 179. — 2) Lib. 6. in Decal. c. 1. dub. 12. n. 5. — 3) 4. Part. tr. 4. res. 186.

expresse excipiunt *infantes*. Quos etiam S. Doctor excipit sequenti n. 417., ubi cum Sporer, Sanchez et aliis admittit: « quod osculari *pueros* (intel» ligendum de valde pueris), etiam » cum *sensibili* delectatione, non est » *ordinarie* nisi veniale ; quia de» lectatio illa *ordinarie* non est ni» si *naturalis*. » Et n. 420. probabilem dicit sententiam, quam tenet Lacroix: « excusari a mortali ancil» las tangentes pudenda puerorum, » dum illos vestiunt: nisi cum mora » aut carnali delectatione hoc agant. »

4. Omnino ergo conveniunt et *Salmanticenses*, quamvis latius de hac materia disputantes; nihil tamen habent, quo corrigerentur aut rectius definirentur, quae dicit S. Alphonsus.

II. Subjungit autem P. Ballerini: « (Salmanticenses) n. 40. *expresse* » monent, *Auctores*, qui *gravis* cul» pae hosce actus damnant *(quos ni*» *mirum S. Alphonsus dein quasi* » *pro sensibilis delectationis reatu* » *allegavit)*, non de delectatione me» re sensibili loqui, sed de carnali » ac venerea, atque adeo in quaestio» ne de delectatione pure sensibili » *prorsus abs re allegari*. » – Sed habemus hic novum specimen falsae incriminationis, qua lectores in errorem inducuntur.

1. S. Alphonsus dicit: « *Secunda* » *sententia negat cum Cajetano, Dia*» *na et aliis apud Salmanticenses* » *n. 40. in fine* », qui ibidem expresse *Cajetanum* et *Dianam* allegant, et de *aliis*, quos Sanchez citat, advertunt, quod *etiam* de tactibus ob delectationem veneream loquantur.

2. Dicunt autem Salmanticenses, *n. 38.*: « Secunda opinio asserit, quod oscula et tactus habita ob delectationem *naturalem* ex illis ortam, sunt peccata *mortalia*, maxime si fiant *inter personas diversi sexus*. – Et movetur primo ex *D. Thoma*, [1] ubi, postquam ait, quod oscula et tactus secundum se non sunt mala, quia possunt fieri absque libidine, primo si fiunt ob consuetudinem patriae ad amoris benevolentiam ostendendam; et secundo si fiant propter necessitatem, aut rationabilem aliam causam: postea vero describens, quando sint mala et fiant ex libidine, id explicat dicendo, talia esse quando fiunt ob delectationem fornicationis; quibus stabilitis, sic concludit: *Et ideo, cum oscula et amplexus hujusmodi propter delectationem hujusmodi fiant, consequens est, quod sint peccata mortalia, et sic solum dicuntur libidinosa*. – Ergo ex mente D. Thomae, oscula, tactus et amplexus facta ob delectationem, fiunt solum ob delectationem concubitus ; alias nihil D. Thomas concluderet, si possent tactus et oscula fieri ob aliam delectationem, quae non esset fornicationis seu lasciviae, qualis fingitur esse delectatio naturalis secundum sensum tactus. »

3. Et aliis adhuc rationibus pro eadem sententia expositis, Salmanticenses in *n. 40.* (a P. Ballerini allegato) dicunt: « *Hanc sententiam expresse docent Cajetanus* [2] *et alii plures*, quos refert *Sanchez*. [3] Sed Abulensis citatus pro hac sententia [4] nihil aliud ait, quam D. Thomas, et fere eisdem motivis et verbis: *reliqui* ETIAM *loquuntur de tactibus ob delectationem veneream*. Expresse illam tenet *Diana*. » [5]

4. Salmanticenses ergo apertis verbis dicunt, hanc sententiam *expresse teneri a Cajetano et Diana*. Ad *alios* vero quod attinet, a Sanchezio citatos, Salmanticenses nequaquam ex-

1) 2. 2. q. 154. art. 4. in corp. — 2) In locum cit. D. Thomae. — 3) Lib. 9. de matrim. disp. 46. n. 7. — 4) In 5. C. Matthaei, q. 197.

5) Part. 4. tr. 4. res. 136. — *Diana* ibidem quaestionem ponit: « An oscula, quae fiunt ex delectatione *sensibili* ex illis consurgente, absque alia sinistra intentione, et admixtione alterius delectationis de aliquo actu luxurioso, sint peccata mortalia? » et exposita sententia *negativa*, dicit: « *Sed ego puto, contrariam sententiam tenendam esse, et in his materiis non esse laxandas habenas.* »

presse monent (ut asserit P. Ballerini) illos non loqui de delectatione sensibili, sed tantum de venerea: quippe quod ipsi solummodo dicunt: « reliqui *etiam* loquuntur de tactibus ob delectationem *veneream* »; ergo isti Auctores, a S. Alphonso nominatim non adducti, de utraque, tum sensibili, tum venerea, loquuntur. Quae verba, si attente legisset cl. Professor, procul dubio S. Doctori non objecisset, istos Auctores ab ipso *prorsus abs re allegari:* eo magis, quia Auctores a S. Alphonso *nominatim* adducti (excepto Cajetano) sunt omnes Sanchezio posteriores, ut modo videbimus.

III. Praeter Salmanticenses cum Cajetano et Diana, S. Alphonsus pro sententia negante, quoad praxim, nominatim citat *Filliuccium, Trullenchum, Roncaglia, Sporer* et *Croix,* quorum textus adducere juvat.

1. *Filliuccius, S. J.,* Tr. 30. cap. 9. quaestionem ponit de osculis et tactibus, causa delectationis *sensibilis,* quae in ipsis est, habitis; eamque resolvit *n. 176.* dicendo: « Respondeo, et dico primo. Si tactus praedicti fiant ob solam delectationem sensibilem, quae in ipsis est, absque admixtione alterius delectationis concubitus vel actus luxuriosi, hi non videntur peccata lethalia. » Et rationem adfert: quia in hujusmodi actibus est tantum perversio quaedam ordinis et finis naturalis; quae inordinatio culpam venialem non excedit.

At *n. 179.* addit: « Dico secundo. *Quoad praxim, tactus hujusmodi ob solam delectationem sensibilem assumpti, vitandi sunt sub peccato mortali, tamquam periculosi* adducendi delectationem concubitus, vel alterius actus luxuriosi. Haec conclusio est secundum mentem eorum, qui recensentur in prima conclusione apud Sanchez n. 7. – Ratio est, quia, supposita communi morum corruptione, propensione naturae in voluptates carnis, post labem primi parentis, si praecipue ejusmodi tactus fiant inter personas alioqui habiles ad commiscenda carnaliter corpora, non possunt usurpari absque delectatione morosa concubitus, vel consensu etiam in ipsum; et *sistere in sola illa delectatione sensibili,* absque delectatione concubitus, *est moraliter impossibile, et res speculative tantum et metaphysice vera;* sed in re tam lubrica, *tenetur quisque vitare periculum morale peccandi mortaliter;* ergo etiam ejusmodi tactus, ex quibus ordinarie fit transitus ad mortalia. – Dixi: *si praecipue fiant inter personas habiles,* quales sunt personae diversi sexus. Item adolescentes inter se vel cum viris, foeminae etiam puberes inter se; nam si a maribus vel foeminis haberentur cum infantibus, possent excusari saltem a peccato mortali, quia non solent excitare turpes motus, neque in carne, neque in mente, ut supra diximus ex Sanchez n. 13. »

2. *Trullenchus*[1] dicit: « Si tactus pudici, oscula et amplexus supradicti fiant *ob solam delectationem sensibilem,* quae in ipsis est, absque admixtione alterius delectationis concubitus vel actus luxuriosi, quidam, ut Azorius et alii apud Sanchez et Diana, existimant, non esse peccata mortalia... Etsi haec opinio speculative et metaphysice probabilis sit: *in praxi* tamen tactus hujusmodi ob solam delectationem sensibilem assumpti, *vitandi sunt, sub peccato mortali,* tamquam periculosi adducendi delectationem concubitus vel alterius actus luxuriosi; ut bene Sanchez n. 7. et Filliuccius n. 179. »

3. *Roncaglia*[2] primum exponit naturam delectationis naturalis seu sensitivae: « Delectatio *naturalis* est sola illa complacentia, quae resultat ex proportione tactus cum suo objecto; et ita delectatur tactus in tangendo byssum, sericum, carnes

1) Lib. 6. dub. 12. n. 5. — 2) Tr. 12. c. 1. q. 3.

lenes, etc. Hanc etiam delectationem solent experiri matres et nutrices, aliaeque personae in tangendo et osculando infantes, propter sensitivam mollitiem carnium ipsorum. Ut autem pure naturalis sit et sensitiva, oportet eam esse immunem a commotione spirituum et partium ad generationem deservientium ... »

Dein sic prosequitur: « *Dico, amplexus et oscula facta inter personas solutas habiles ad copulam, esse peccatum mortale, quamvis sola delectatio naturalis intenderetur.* Ratio est, quia *in praxi* amplexus et oscula, facta inter personas solutas habiles ad copulam, moraliter est impossibile separari a delectatione carnali venerea: qui ergo habet talia oscula et amplexus, quamvis diceret se intendere solummodo naturalem delectationem, convincitur velle veneream, cum moraliter sint inseparabiles. – Quod autem difficillimum sit separari, probatur, et ratione nostrae naturae corruptae, quam maxime ad venerea inclinatae, et ratione pessimae inclinationis illorum, qui haec faciunt; nam viri amantes honestatem ab hujusmodi abhorrent. Convincitur pariter et ratione osculi et amplexus; nam quamvis fierent ob solam naturalem delectationem, negari non potest, quin sint via ad delectationem veneream: unde *quis erit vir mulierem osculans et amplectens, qui in sola sistat naturali delectatione?* – Merito ergo Alexander VII. sub n. 40. sequentem damnavit propositionem: « Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, *et sensibilem*, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis. »

« Scio non paucos, explicantes hanc propositionem, asserere, Pontificem ibi damnare osculum habitum ob delectationem veneream, carnalem, sensibilem, non vero loqui de sola delectatione *sensitiva* et naturali. At, meo videri, ex dictis bene potest intelligi, loquutum esse etiam de hac naturali delectatione; quia in praxi moraliter est inseparabilis a venerea, et aliunde discurrendum est de rebus, *prout communiter accidunt;* adeoque, cum communiter in praefato osculo, etiam intendendo solam delectationem naturalem, adsit ex dictis etiam delectatio venerea, bene potuit universaliter damnari praefata propositio. – Ab iis, quae dicta sunt, *nullum puto dissidere Theologum;* nam dum videntur contrarium docere, loquuntur *metaphysice et speculative,* non vero practice et moraliter. Videantur *Filliuccius, Diana, Trullenchus.* »

4. *Sporer* [1] pariter scribit: « Hac ratione rursus supra diximus, amplexus, oscula, tactus, si fiant morose *ob captandam delectationem sensibilem, praesertim inter duos diversi sexus,* quia naturaliter consequitur commotio et delectatio libidinosa, adeoque adest periculum consensus turpis, *non posse excusari a mortali;* tunc enim ponitur causa proxima verae libidinis: nisi forte aetas infantilis aliquid amplius permittat, uti permittit Sanchez cit. n. 13. »

5. Idem etiam sentit *Croix, S. J.:* [2] « Auctores plures... dicunt, non esse mortale velle delectationem *tantum sensibilem,* quae oritur in osculis vel tactibus... Haec sententia est saltem *speculative* probabilis, et etiam practice respectu illius, cui, post quaesitam et admissam talem delectationem sensibilem, per se loquendo, non est periculum proximum delectationis venereae, etiamsi per accidens quandoque oriatur, dummodo non detur consensus.– Quia autem quamdiu sumus in hoc mortali corpore, *non videtur moraliter possibile,* ut cum tali delectatione sensibili deliberate quaesita et admissa, non adsit *periculum proximum* delectationis

1) Theol. sacr. p. 4. n. 687. — 1) Lib. 3. p. 1. n. 894.

venereae: hinc *Mendo* [1] et *Sporer* [2] recte dicunt, hanc sententiam regulariter non esse practice probabilem; probatque hoc variis argumentis *Sanchez*, [3] quamvis postea (n. 17.) videatur in alteram sententiam deflectere. [4] *Certum enim est, vix posse ita sisti in illa delectatione sensibili, quin accedant delectationes venereae, in quas consentire, vel se exponere consentiendi periculo, secundum omnes est mortale.* »

IV. Caeterum, inter ipsos actus bene distinguendum est. Aliqui Auctores tactus omnino leves a mortali excusant; minime vero oscula et amplexus, nec tactus in genere. - Sic *Tamburini, S. J.*, [5] alias indulgentissimus, admittit, manus mulieris leviter tangere, digitum intorquere, pedem pede premere, veniale tantum esse, quando delectatio non est libidinosa.

Pergit autem, *n. 3.* loc. cit.: « Jam vero *oscula et amplexus*, et *faciei* seria et affectata mulieris, vel grandiusculi pueri contrectatio, ejusdem conditionis essent cum tactibus praedictis levibus, nisi necessaria indigeremus distinctione. Nam si fiant more patriae, vel a parentibus, vel a superioribus, vel similibus, ad amicitiae castae signum, nulla quidem in se laborant culpa. At si fiant *ob meram delectationem*, quae persistit in ipso osculo oris, et in ipso amplexu atque affectata contrectatione, est *magnum periculum*, ne insepabiliter nascatur etiam libidinosa, et consequenter ne sint mortalia. Quoniam ergo, quando fiunt ob captandam delectationem ipsam non libidinosam, praesertim inter duos diversi sexus, naturaliter consequitur ipsa tertia delectatio libidinosa, mortalia erunt. Lege Castropalaum, et vide etiam infra lib. 10.; quia tunc *ponitur causa proxima verae libidinis*, nisi forte aetas infantilis aliquid amplius permittat. »

V. Haec igitur sententia exposita non tantum communis, sed communissima est; pauci enim antiquiores aliter sentiunt; et Roncaglia supra allegatus, de osculis et amplexibus loquens, merito censet, post propositionem 40. ab Alexandro VII. damnatam, *nullum Theologum hac de re dubitare.*

Articulus 4.

Perpenditur regula a cl. Ballerinio circa hanc materiam tradita.

Concludit demum cl. Professor, loc. cit. pag. 446: [6] « Huc igitur » revocatur doctrina proposita a » S. Alphonso; qui praeterea scite » ibidem advertit, aliud esse agere » *propter delectationem*, aliud agere » *cum delectatione*. Nam hypothesis » de osculis, amplexibus et tactibus, » qui habeantur ob meram delecta- » tionem sensibilem, ex ipsis praecise exsurgentem, in praxi vix locum habere videtur. Quippe et » praecisio illa nimis est difficilis; » et reipsa, *qui studiose delectationes quaerit* ex hujusmodi tactibus, etc., profecto et interiori animo, et saepe exterioribus quoque » actibus ad ulteriora provehetur. - » *Si vero hujusmodi delectationes*

1) Num. 93. — 2) Tyroc. Sacram. p. 4. n. 531. — 3) De matrim. lib. 9. disp. 46. n. 7.
4) *Sanchezium* utriusque sententiae patroni sibi vindicant. Ex una parte, loco citato, dicit: « *Tanquam verissima sententia tenenda est*, amplexus et oscula, habita inter virum et feminam omnino solutos lege matrimonii et sponsalium inter se initorum, propter solam delectationem sensibilem in appetitu sensitivo consurgentem ex ipsis, quamvis nec de fornicatione, nec de illius delectatione cogitetur, esse peccata lethalia. » — Et plures DD. pro hac sententia allegat, advertens quod aliqui dicant, hujusmodi amplexus et oscula ex libidinosa delectatione habita, esse lethalia, at non explicent, quando dicatur delectatio libidinosa. — Ex altera autem parte, n. 16. et 17., in levioribus tactibus parvitatem materiae admittit, etiamsi cum modica delectatione venerea habeantur. Sed hanc propositionem postea *retractavit* in Opere *de Decalogo* lib. 5. c. 6. n. 12.
5) In Decal. lib. 7. c. 8. *§.* 2. n. 2. — 6) In altera edit. pag. 339.

» *studiose*[1] *non quaerantur,* ut plu-
» rimum quaestio redibit de actibus,
» qui non *propter delectationem* (sal-
» tem advertenter et expresse quae-
» sitam), sed *cum delectatione* fiant.
» Tunc autem *judicium de reatu* ex
» inspectis tum *natura causae,* quae
» ad hos actus inducit, tum *periculo*
» *consensus* in effectus ferendum
» erit, ut in nota proxime sequenti
» dicetur. »

1. Huc igitur revocatur doctrina proposita a S. Alphonso, dicit P. Ballerini; sed huc ipse S. Doctor eam revocat. Ad quid ergo, quaerimus, longa haec disputatio? Ad quid, nisi ut S. Doctor accusetur, quod ineptam propositionem proferat, et adeo confuse de hac quaestione disserat, ut aegre quis ejus sensum assequi valeat, nisi Salmanticenses adeat?

2. In fine tandem advertit cl. Professor, S. Alphonsum scite distinguere, aliud esse agere *propter* delectationem, et aliud agere *cum* delectatione; ac dicit, si delectatio sensitiva in hujusmodi tactibus studiose non quaeratur, *ut plurimum* de reatu ex inspectis tum natura causae, tum *periculo consensus* in effectus judicandum esse. - Quid sub *effectibus* sit intelligendum, hic non explicat cl. Professor; sed patet ex nota subsequenti, ubi agit « *de cau-*
» *sis motuum carnalium, conne-*
» *xaeque delectationis, qui quidem*
» *motus etiam ad ultimum usque*
» *pollutionis effectum pertingere*
» *possunt.* »

3. Verum regula, quam hic tradit, nequaquam admittenda est. *Delectatio* enim *sensitiva ex osculis, amplexibus et tactibus* (in personis diversi sexus adultis, et maxime in aptis ad copulam, ut hic supponitur) exsurgens, *regulariter* cum periculo proximo in *libidinosam* incidendi conjuncta est. Cum autem in disciplina morali *secundum communiter contingentia,* et non secundum rarissimas exceptiones judicari oporteat; non tantum *ut plurimum,* sed potius *nunquam periculum consensus inspiciendum est,* ut de reatu judicium feratur: quia hoc periculum, juxta communiter contingentia, *a priori* supponendum est. Ideoque judicium de reatu *a sola natura causae* pendet, scilicet ab inspectione, an haec causa satis sit gravis, ut excusari possit, qui periculo proximo peccati mortalis se exponit.

4. Sed forte quis dicet, P. Ballerinium sibi non cohaerere; quia paulo ante concessit,[2] delectationi sensitivae in osculis, amplexibus et tactibus, secundum hypothesin, communiter subesse occasionem et periculum peccati mortalis. At examinet accuratius, quae ibidem cl. Professor dicit, et falsam propositionem in hac concessione latere reperiet: « Merito
» subdunt Salmanticenses (n. 48.),
» quod, cum propter corruptionem
» humanae naturae, ejusmodi actus
» vix deduci in praxim *ob delecta-*
» *tionem sensitivam* possint, quin
» conjungatur delectatio carnalis ac
» venerea; idcirco fere suberit occa-
» sio ac periculum peccati mortalis,
» *nisi justa de causa haec fiant,* ut
» nota sequenti dicetur. » - Ergo, juxta cl. Professorem, *periculum* peccati mortalis non aderit, si praedicti actus *justa de causa* fiant; sed ista exceptio prorsus singularis est, ac nullatenus admittenda.

5. Etenim justa et gravis causa *licitum* quidem reddere potest actum, quo quis periculo lethalis culpae se exponit, et quo alias graviter peccaret; *sed efficere nequit, ut actus in se periculosus non sit talis.* Si quis ex justa causa, v. g. medicus, foeminam tangit medendi causa, nullum plane reatum contrahit propter delectationem ex hisce tactibus exsurgentem. At justa causa periculum non tollit; unde si quis, supposita etiam justa causa, deliberate in hac delectatione sistit, jam reus est

1) In altera edit. deest vox: *studiose.* — 2) Cfr. supra, pag. 288.

et graviter peccat, quia voluntarie periculo peccati mortiferi se se immittit. - Qua de re loquens, *S. Alphonsus* Lib. V. n. 63. sic docet : « Ubi justa causa adest, non est obligatio tale periculum vitandi, nisi certo moraliter praevideatur lapsus in peccatum. Et sic excusantur chirurgi, si periculo se exponunt in medendis foeminis, cum aliquoties in praeteritum ob talem occasionem jam lapsi fuerint ... Ratio, quia periculum de se proximum fit *remotum*, tam ratione circumstantiae *necessitatis*, quam ratione simul *mediorum praeca-ventium*, quae persona proponit *(ut tenetur)* adhibere, nempe *diligenter avertendo animum a delectatione turpi* vel ab alia passione ; et insuper, *se muniendo piis cogitationibus, orationibus ac Sacramentorum frequentia.* »

6. In casu autem proposito, omnino negandum est suppositum, quod scilicet detur *justa causa*, quae personis adultis diversi sexus oscula, amplexus et tactus permittat *ob solam delectationem sensibilem captandam*. Quod ex supra dictis jam patet, et ex sequenti Quaestione clarius liquebit : in qua cum S. Doctore probabimus, hujusmodi tactus, etiamsi pudicos, prohibitos esse sponsae aeque ac aliis personis solutis, nisi fiant juxta morem patriae, et modo non habeantur cum mora vel ardore.

7. Quamvis ergo P. Ballerini prima facie assentire videatur S. Alphonso, quem suam quasi sententiam confirmantem allegat, revera tamen longe ab ipso recedit, et oppositum potius affirmat.

SIT ERGO NOSTRA CONCLUSIO.

1. Praesens doctrina S. Alphonsi regulae generali insidet, quam ceu principium fundamentale in seligendis opinionibus tradit, Lib. I. Tr. de Consc. n. 84. : « *Ubi Opiniones benignae proximius reddunt periculum formalis peccati*, prout sunt nonnullae auctorum opiniones, v. g. quoad vitandas occasiones proximas, et aliae id genus ; *tunc semper expedit ut Confessarius utatur, imo dico quod ipse, ut medicus animarum, tenetur uti opinionibus tutioribus, quae poenitentes ad se servandos in statu gratiae conducunt.* » - Veram, rectam et sapientissimam esse hanc regulam, nemo sanè negare audebit, nec *in thesi* unquam negavit quispiam, aut in dubium revocavit.

2. Hoc itaque inconcusso principio innixus, S. Doctor cum multis Auctoribus (imo alias satis indulgentibus) docet, tactus etiam pudicos, inter adultos diversi sexus, licet speculative culpa gravi carere possint, *in praxi* tamen a culpa mortali *regulariter* non esse immunes ; sive hujusmodi actus fiant *propter* delectationem sensibilem capiendam, sive etiam admittantur *cum* eadem delectatione, in qua voluntarie quis sistit. - Ratio, « quia *per se* est mortale *se exponere periculo* consentiendi in delectationem veneream » ; *hoc autem periculum regulariter et communiter adest*, ita ut « ob corruptam naturam, moraliter impossibile sit habere illam naturalem delectationem, quin delectatio carnalis et venerea sentiatur, maxime a personis ad copulam aptis, et maxime si actus isti habeantur cum aliquo affectu et mora. »

3. Et hanc doctrinam *in praxi* omnino tenendam esse, quidquid dicant plures DD., qui eamdem quaestionem *speculative* tantum perpenderunt, ex modo expositis satis superque patet.

4. Utinam ergo omnes Confessarii in praxi Sacri Tribunalis, prae oculis semper haberent sanam et tutam hanc S. Alphonsi doctrinam ! Utinam ii, qui sub specie clementiae, poenitentium, praesertim juvenum, praetextibus faciliores aures praebere solent, animo perpenderent, lubri-

cam istam materiam esse frequentiorem atque abundantiorem partem confessionum cujusvis temporis et loci, « *propter quam* (ait S. A., cit. » lib. VI. n. 413.) *major animarum* » *numerus ad infernum delabitur:* » *imo non dubito asserere, ob hoc* » *impudicitiae vitium, aut saltem* » *non sine eo, omnes damnari qui-* » *cumque damnantur.* » Quam lugendam veritatem jam suo tempore testatus est S. Remigius: « *Exceptis parvulis, major pars hominum ob hoc vitium damnatur.* » [1] – Quae cum ita sint, principiis obstandum est; secus enim nimia indulgentia jam non esset charitas, sed dira erga poenitentes crudelitas: prout sedulo monet S. Alphonsus. [2] Hanc regulam secuti sunt omnes sancti Confessarii, spiritu Dei ac vero animarum zelo pleni; in hac autem practica et labili materia, ipsi potius audiendi sunt, quam Doctores speculative tantum disserentes. – « *Habeantur idonei Confessarii* (dixit S. Pius V.): *ecce omnium christianorum omnimoda reformatio.* » [3]

QUAESTIO XIII.

An, inter Sponsos, sint peccata mortalia oscula et tactus pudici, si, praeter morem patriae, fiant in amoris ostensionem, vel ad captandam voluptatem seu delectationem sensibilem.

(S. Alph. Lib. VI. n. 854. — P. Ball. Tom. I. n. 413. 414.)

Lib. VI. n. 854. S. Alphonsus refert verba Busembaumii, qui ait: « Sponsis non licent tactus impudici, cum proxime disponant ad copulam et pollutionem, *etsi liceant amplexus et oscula in signum amoris...* » Qua relata sententia, S. Doctor sequentem ponit quaestionem: « *Quae-* » *ritur an inter sponsos sint pec-* » *cata mortalia, oscula et tactus* » *pudici, si fiant ad captandam vo-* » *luptatem?* [4] *(dicitur pudici, nam* » *certum est impudicos esse letha-* » *lia).* » Quam quaestionem sequenti modo solvit:

« Duplex adest sententia. – *Prima* » *sententia,* quam tenent Sanchez, » ac Salmanticenses cum Aversa, » Diana et Azorio, dicit esse tantum » venialia, licet intendatur delecta- » tio carnalis, et adsit commotio » spirituum genitalium; dummodo » non sit magna, et absit periculum » pollutionis, vel consensus in co- » pulam. Ratio, quia sicut matrimo- » nium cohonestat copulam, sic *spon-* » *salia,* quae *sunt quaedam inchoa-* » *tio matrimonii,* cohonestant tales » actus, qui sunt copulae inchoatio. » Eo magis, quia per illos plus fo- » vetur amor ad matrimonium con- » trahendum. Adduntque Salmanti- » censes, praedictos actus excusari » etiam a veniali, si adsit causa justa, » v. g. ostendendi amorem, captandi » benevolentiam, effugiendi inurba- » nitatem, vel servandi morem pa- » triae.

» *Secunda* sententia *longe proba-* » *bilior et omnino sequenda,* quam

1) Cfr. *Selva di materie predicabili*, part. 1. c. 6. n. 1. — 2) Cfr. quaest. seq. pag. 303. — 3) Vid. *Praxis Confessarii*, Introductio.

4) Ex totius quaestionis contextu clare patet, S. Alphonsum hisce verbis: *ad captandam voluptatem*, loqui *de delectatione sensibili*, de qua sermonem fecimus in quaest. praecedenti. Imo in *Hom. Apost.* Tr. 18. n. 7. expresse dicit: « Notandum 2. *inter sponsos*, non solum » esse mortales actus impudicos, sed etiam *pudicos*, quoties ad id fiunt *ut delectatio sen-* » *sibilis habeatur*, eodem modo, ac sunt mortalia inter solutos... »

» tenent Lessius, Mazzotta, Roncaglia, Concina; Bonacina cum Henriquez et Rebello; Croix cum Mendo et aliis; ac Viva cum Suarez, Perez et Hurtado, docet, *tales actus prohibitos esse sponsis, eodem modo quo vetantur omnino solutis. - Ratio, quia sponsus, ratione sponsalium, nullum acquirit jus ad corpus sponsae;* et si forte aliquale jus acquirit per sponsalia, quia tamen non adhuc est perfecte dominus rei, *non potest re illa uti ne imperfecte quidem:* sicuti ille, cui promissa est venditio vineae, nequit illa uti ne imperfecte quidem, donec vinea de facto ei vendatur et tradatur. Praeterea, cum sponsis non liceat copula, nec licent tales actus, qui tantum ad copulam sunt ordinati. - Concedunt tamen Croix et Viva, cum aliis auctoribus ab ipsis adductis, quod oscula, et amplexus *juxta morem patriae* aliquando sponsis permitti possunt, sed non aliter quam solutis permittuntur. Et hoc est probabile, *modo tales actus non sint pressi, et per aliquod tempus protracti,* ut bene advertit Roncaglia, qui etiam eos admittit *ad benevolentiae demonstrationem:* sed ego non admitterem *nisi ubi talis vigeret usus,* ut etiam ait Mazzotta.

» Id autem quod dicunt *Busembaum* lib. 3. n. 431., et Lessius cum Navarro, Toleto, Cajetano etc., nempe *quod sponsis liceant tactus pudici, si intendant delectationem tantum sensitivam,* secus vero si veneream, recte ajunt Roncaglia et Croix *non esse practice probabile,* quia ordinarie semper aderit certum periculum consentiendi in delectationem veneream, cum sensitiva tam conjunctam. Qua ratione spectata, *prima* etiam *sententia nec practice probabilis est;* quia in materia tam labili, moraliter est impossibile in talibus actibus *causa voluptatis* habitis, se continere a non labendo in pollutionem, vel copulae consensum...»

Haec S. Alphonsi doctrina, ut patet, tota nititur sequenti principio generali: Cum sponsi, vi et ratione sponsalium, *de praesenti* nullum jus habeant ad mutua corpora, ipsi, quoad oscula, amplexus et tactus, omnino aequiparantur solutis; ac proinde, quae permittuntur solutis, licent et sponsis; quae autem illicita sunt illis, eodem modo vetantur et istis. Unde rectissime docet S. Alphonsus, sponsis tantum permitti posse oscula et amplexus *juxta morem patriae*, modo non fiant cum mora vel ardore; hujusmodi vero actus ipsis esse illicitos, si, praeter morem patriae, fiant *in solam amoris ostensionem,* vel *ad captandam voluptatem seu delectationem sensibilem.*

Hanc autem sapientissimam doctrinam acerrime impugnat P. Ballerini, sed ita ut statum quaestionis potius obnubilet, quam dilucidet. Cum longior nobis sermo instituendus sit, juvat, claritatis causa, ejusdem assertiones et argumenta summatim recensere.

Itaque, 1. Dicit, communem esse DD. sententiam, sponsis licere tactus pudicos, non solum urbanitatis, sed etiam *benevolentiae* gratia, et *in amoris ostensionem;* additque, hanc doctrinam a S. A. non rejici. - 2. Cum autem ejusmodi tactus ad carnales motus excitandos conferant, cl. Professor *regulam* in casu servandam Confessario indigitat, videlicet pertinere ad Confessarium inspicere, non quidem an *causa* sit mala (haec enim justa est, ergo et honesta), sed solummodo *utrum in casu adsit periculum consensus in malum,* et pro sua prudentia remedia poenitenti praebere. Caveat tamen Confessarius, ne hujusmodi tactus de peccato gravi damnet; ex hoc namque imprudenti zelo, plerique poenitentes in graviores turpitudines prolaberentur. - 3. Deinde ad aliam quaestionem transiens, utrum scilicet sponsis liceant tactus pudici *ad captandam*

delectationem sensibilem, asserit (« per modum tamen *mere historicum* »), hanc quaestionem a S. Alphonso ita tractari « ut ex ibi disputatis *vix intelligi queat quo loco vere se res habeat* », eamque « *haud accurate* » exponi, et sententiam a S. Doctore rejectam dicendam esse *communem*. – 4. Insuper probare contendit, *plures Auctoritates* a S. Doctore pro sua sententia citatas, *falso allegari*. – 5. Praeterea, in confirmationem suae sententiae, P. Ballerini adnotat, nec a S. Alphonso, nec ab alio auctore, objici propositionem 40. ab Alexandro VII. damnatam. – 6. Demum, pro conclusione, iterum dicit, haec omnia « *mere historice* » dicta esse; simulque advertit, in ejusmodi quaestionibus plurimum prodesse distinctionem S. A., aliud esse agere *propter* delectationem, aliud *cum* delectatione.

Ergo P. Ballerini historice tantum, et non theologice loqui intendit. Cum autem de quaestione practica, et maximi quidem momenti, agatur, summopere interest rite examinare, an circa praefatam S. A. doctrinam (quam ipse Sanctus, spiritu Dei plenus, per quadraginta et amplius annos in praxim deduxit) fides revera adhibenda sit cl. Professori. – Respondebimus itaque et historice et theologice; ac proin 1. Examinabimus, utrum sponsis liceant tactus pudici *benevolentiae* gratia et *in amoris ostensionem, praeter morem patriae;* et utrum S. *Alphonsus* sententiae affirmativae adhaereat. 2. Perpendemus regulas et consilia Confessariis a cl. Ballerinio hac de re tradita. 3. Ad tactus pudicos inter sponsos quod attinet, si fiant *ad captandam delectationem sensibilem*, primo examinabimus *Auctoritates* a Ballerinio *contra doctrinam S. A.* allegatas. 4. Dein Auctores *a S. A. pro sua sententia* citatos, et a cl. Professore impugnatos, vindicabimus. 5. *Plures alios Auctores* sententiae S. Doctoris suffragantes adferemus. 6. Respondebimus ad ea quae circa *Prop. 40.* damnatam objiciuntur. 7. Demum, cl. Ballerinii *conclusionem* perpendemus.

Articulus 1.

An graviter illiciti sint Sponsis tactus pudici, praeter morem patriae, benevolentiae gratia et in solam amoris ostensionem habiti.

T. I. n. 413. pag. 450. [1] *P. Gury* generatim dicit: « Oscula et tactus... carent omni culpa, si fiant juxta morem patriae, urbanitatis aut honestae benevolentiae causa. » Quocirca P. Ballerini advertit, id de tactibus in honestis tantum partibus intelligendum esse; ac dein primam adnotationem hic examinandam sic exorditur:

« Huc spectat communis DD. sen- » tentia, urbanitatis ac benevolentiae » gratia, et in amoris ostensionem » sponsis de futuro licere pudicos ta- » ctus v. g. manus apprehensionem, » amplexus et oscula. – Dixi *com- » munis;* sic enim Lucius Ferraris » (V. Luxuria n.90.): *Omnes tactus, » oscula, amplexus..., quae fiunt in- » ter sponsos..., si pudice fiant, ex » recto fine, secundum consuetudi- » nem patriae sunt licita. Commu- » nis.* – Ita et Giribaldi e Clericis Re- » gularibus Barnab. (De Matrim. » cap. 19. dub. 15. n. 14): *Quaeres 5°. » an sponsis de futuro liceant oscu- » la, tactus et amplexus? Communis » sententia negat, licere tactus inho- » nestos in partibus impudicis et oc- » cultis... Sed concedit, licere ta- » ctus alioquin honestos, amplexus, » oscula... quae quidem erunt pec- » catum veniale, si fiant ob solam » delectationem captandam; et sine » omni culpa, si fiant in signum » amoris et benevolentiae juxta mo- » rem consuetum.* – Nec aliter Reif- » fenstuel (Th. mor. tr. IX. dist. 4. » q. 7. n. 77.): *Num autem inter*

1) In altera edit. pag. 342.

» *sponsos de futuro liceant tactus et* » *oscula, alia difficultas est. Et qui-* » *dem tactus impudicos inter spon-* » *sos non excusari a mortali, pas-* » *sim fatentur DD... Quod si oscula* » *et amplexus de se non sint impu-* » *dici, simulque fiant... intuitu ho-* » *nesti amoris ac benevolentiae, cul-* » *pa vacant.* – Et Salmanticenses » (De Matrim. cap. 15. n. 91.): *Ul-* » *tima difficultas est, utrum inter* » *sponsos de futuro sint licita oscu-* » *la, amplexus, tactus...? Respon-* » *detur, quod si tales actus ad ca-* » *ptandam voluptatem fiant, erunt* » *peccata venialia... Si ob signum* » *amoris, nullum erit peccatum.*

» Et hanc quidem doctrinam *non* » *rejecisse S. Alphonsum,* inde pa- » tet, quod relatis istis ex Busem- » baum (Lib. 6. n. 854.): *Sponsis* » *non licent tactus impudici, etsi* » *liceant amplexus et oscula in si-* » *gnum amoris:* nihil reperit, quod » reprehendat. »

I. Quatenus cl. Professor dicit, *communem* DD. sententiam esse, nihil contra est; nam urbanitatis leges a generali consuetudine et more patriae definiuntur, et ideo *urbanitas* idem est ac *mos patriae.* – Sed subtiliter addit: « *ac benevolen-* » *tiae gratia et in amoris ostensio-* » *nem* »; haec autem sententia, scilicet sponsis tactus pudicos in benevolentiae et amoris ostensionem licere *praeter morem patriae,* nec *communis* est, nec *testes,* quos interpellat, id testantur. Etenim

1. *Ferraris* l. c. expresse dicit: « *secundum consuetudinem patriae.* » Et idem repetit V. *Sponsi* n. 7: « Si pudice fiant ex recto fine, *secundum consuetudinem patriae,* sunt licita. Communis. »

2. Similiter *Giribaldi:* « *juxta morem consuetum.* » Utrum vero, si fiant ad solam delectationem captandam, sponsi venialiter tantum, an mortaliter peccent, alia quaestio est, de qua in Articulo 3. et seqq. hujus Quaestionis agemus.

3. *Anacletus Reiffenstuel,* Tr. 9. Dist. 4. n. 75. (in prima editione; in posterioribus editionibus n. 77.) dicit: « Num autem inter sponsos de futuro liceant tactus et oscula, alia difficultas est. Et quidem tactus impudicos inter sponsos non excusari a mortali, passim fatentur Doctores; eo quod hi proxime disponant ad copulam, quae non est illis licita. – Quod si oscula et amplexus de se non sint impudici, simulque fiant absque fine venereae delectationis, sed *intuitu honesti amoris, benevolentiae, aut necessitudinis, culpa vacant.* Navarrus cap. 14., Manuale n. 18., et *sequitur ex dictis n. 70.* »

Delegat Anacletus lectorem ad n. 70 (alias 72), ubi dicit: « Si oscula vel amplexus fiant causa amicitiae, *secundum morem patriae,* communiter excusantur a peccato; quia oscula vel tactus de se non sunt intrinsece mali, sed indifferentes; simulque si fiunt ex honesto fine, nimirum in signum mutuae benevolentiae, pacis et debiti obsequii. » – Cum ergo Anacletus generatim morem patriae requirat, ut hujusmodi actus ab omni peccato excusentur, idem supponit quoad sponsos. Ad minus intentio sua non satis liquet.

Porro Anacletus *Navarrum* allegat, qui l. c. dicit: « Quamvis oscula et amplexus videantur licita talibus sponsis, etiam ob solam delectationem inde percipiendam tamquam principium nuptiarum promissarum, quae aliis essent illicita, et multo magis quando absque fine delectationis, sed honesti amoris et benevolentiae et necessitudinis intuitu id faciunt, ita et parentes licite eis possunt ea permittere; sed quia communiter sponsi, cum soli absque arbitris conversantur, hujusmodi tactibus impudicis uti solent, non deberet eis permitti, ut soli secreto conversarentur. » – Inquit hic Navarrus: « *honesti amoris et benevolentiae et necessitudinis.* » Sed *necessitudo,* secundum tum veterum tum recentiorum usum loquendi, *amicitiam* significat,

qua quis in aliqua domo inter familiares recensetur; et ideo ratio necessitudinis ad *officia urbanitatis, juxta morem patriae*, revocatur. Iisdem verbis utitur et Anacletus. – In quantum vero Navarrus dicit, amplexus et oscula licita videri propter solam delectationem, Anacletus nequaquam ipsi assentitur. Ipse namque amplexus et oscula, quae *potius* propter delectationem fiunt (ut communiter contingit, si praeter morem patriae fiunt), non tantum non culpa vacare, sed nequidem a mortali excusari censet.

Prosequitur enim *Reiffenstuel* num. subseq. 76: « Verum loquendo de hujusmodi tactibus, qui post sponsalia absoluta *potius* fiunt *causa delectationis sensitivae* in partibus ceteroquin honestis, variant Doctores. Et quidem Navarrus l. c. n. 12. Laymann n. 11. Cajetanus, Sà, pluresque alii eos *excusant a mortali*, dummodo non subsit periculum pollutionis, vel consensus in actum turpem: quia (inquiunt) sponsalia sunt initium seu praevia dispositio matrimonii; et sic hos actus reddunt licitos, si absit periculum pollutionis vel ulterioris consensus: quamvis ejusmodi periculum, aut ipsos tactus impudicos brevi subsecuturos, praesertim si sponsi soli absque arbitris conversantur, spectata fragilitate humana raro abesse, ultro fateantur. – *Oppositum* tenent Henriquez, Rebellus et quidam alii, quorum sententiam *tutiorem et probabiliorem* censet Bonacina l. c. num. 6. et Mastrius. [1] Ratio hujus posterioris sententiae est: quia haec *delectatio sensitiva* circa potentiam *Tactus*, a natura instituta est ut praevia dispositio ad copulam; et consequenter, cum haec inter sponsos de futuro *illicita* sit, idem censendum de illa. Accedunt dicta superius n. 69, ac praecipue Decretum Alexandri VII. ibidem citatum. »

Et *Flavianus Ricci*, in novissima editione Theologiae moralis Anacleti, hic addit: « *Pontas*, relatis loc. cit. (V. *Tactus*) binis opinionibus, eorum scilicet, qui volunt, *desponsatos exercentes oscula, tactus etc., lethaliter peccare;* et illorum, qui defendunt, praedictos tactus non esse peccata mortalia, modo absit omnino periculum pollutionis et omnis impudici consensus; tandem concludit, *priorem sententiam esse solam in praxi tutam*, consulitque Confessariis, ne in hac materia nimium sint indulgentes; ac subdit: « longo Confessionalis usu, quem a quinquaginta quinque annis et ultra habemus, et malis sequelis, quas ex his praematuris blanditiis ortas vidimus, tenemur hoc consulere Confessariis, qui lumine aut prudentia destituti, levius ad rem adeo delicatam et momentosam attendunt. » – Sed de hac quaestione plura dicemus infra, in Articulo 3. et seqq.

4. *Salmanticenses*, Tr. 9. de Matrim. c. 15. n. 91. (quem locum etiam citat S. A.) dicunt: « Ultima difficultas est: Utrum inter sponsos de futuro sint licita oscula, amplexus, tactus, verba amatoria, etc., extra pollutionis periculum? Respondetur, quod si tales actus ob captandam voluptatem fiant, erunt peccata venialia. Licet noster Antonius n. 662. [2] probabilius putet esse mortalia. Si *ob signum amoris, nullum erit peccatum:* dummodo sponsalia inter eos sint absoluta, non vero si conditionata fuerint. Ratio est, quia sicut sponsalia sunt inchoatio quaedam matrimonii; sic etiam sunt liciti in illo statu actus, qui quodammodo sunt copulae inchoatio et initium. »

Sed hanc sententiam ipsi Salmanticenses postea solemniter *retractaverunt*, Tr. 26. de sexto praec. c. 3. n. 56-61. – Textum in Articulo 3. ad V. allegabimus. Sufficiat hic thesis, quam proponunt et defendunt

1) Disp. 11. n. 142. — 2) Scilicet *Antonius a Spiritu Sancto*, ejusdem Ordinis Carmelitarum.

n. 57.: « Contraria sententia, quae nobis nunc saltem *in praxi probabilior et amplectenda* videtur, ait: hujusmodi tactus, amplexus et oscula, *nisi urbanitatis causa facta, esse mortalia.* » Et paulo post, verba *urbanitatis causa* uberius explicant, dicentes, sponsis illa tantum oscula, amplexus et tactus licere, quae urbanitatis et benevolentiae gratia, *juxta morem patriae* fiunt.

II. Ultimo demum loco P. Ballerini ipsum *S. Alphonsum* adducit, quippe quod nihil repererit reprehendendum in illa propositione *Busembaumii:* Sponsis licere oscula et amplexus in signum amoris. – Verum cl. Professor, ut subinde, et hic aut oculorum hallucinatione, aut mentis distractione laborasse videtur. Etenim S. Doctor, ut in textu allato vidimus, non tantum morem patriae, eodem modo etiam quoad ceteros non conjugatos vigentem, requirit; sed expresse contra Roncagliam hujusmodi actus « *ad benevolentiae demonstrationem* » non admittit, « *nisi ubi talis vigeret usus.* »

Articulus 2.

Perpenduntur regulae et consilia a cl. Ballerinio Confessariis tradita.

I. Loco cit. P. Ballerini dein sic prosequitur: « Illud unum movere » quosdam potest, quod ejusmodi » actus ad carnales pravosque motus » ciendos conferant. At valere hic » debet generalis regula, quam sup. » (*not. ad n. 412.*) tetigimus, nimirum tunc solum hosce motus esse » reos, cum vel rea est causa, vel » periculum subest consentiendi. *Itaque ad confessarium in casu pertinet inspicere, non quidem an causa sit rea, nam cum justa sit, eo ipso est honesta, sed utrum adsit periculum consensus in malum, proque sua prudentia remedia poenitenti praebere.* »

1. Verum regula, quam cl. Professor hic Confessariis tradit, principiis ab omnibus receptis adversatur, et omnino rejicienda est. – Oscula, amplexus et tactus inter personas diversi sexus adultas, et ad copulam habiles, *praeter morem patriae, periculum proximum peccati mortalis* inducere, in thesi omnes fatentur. Et hoc periculum *in sponsis,* qui se invicem adamant, non minuitur, sed *potius adaugetur;* quia sponsi non tantum ad copulam habiles, sed de futura certi sunt: unde tales actus ipsis multo magis libidinis incentiva sunt. Certum autem et apud omnes in confesso est, *non quamcumque causam honestam sufficere,* ut periculo proximo peccati mortalis sese immittens excusetur, sed *necessitatem* aut saltem *causam gravem* requiri.

2. Quaestio ergo est: *An causa gravis cogitari possit,* quae sponsos, *praeter morem patriae,* ad tactus, amplexus et oscula compelleret? Et respondendum, hujusmodi causam non existere. *Ostensio benevolentiae et amoris* certe gravis non est; quia, ut bene observant Salmanticenses,[1] « aliae infinitae viae honestae » patent. Quinimo haec causa non tantum non gravis, sed potius nulla est; nam tactus, amplexus et oscula vix unquam sincerae benevolentiae et casti amoris demonstrationes sunt, et communiter non ex cordis affectu, sed ex sensualitatis et tectae saltem libidinis stimulis procedunt, ideoque ad arctius cordium ligamen nihil proficiunt et magis officiunt. – Nulla igitur existit, *praeter morem patriae,* causa excusans; quae ea potissimum ratione satis gravis est, quia tactus, amplexus et oscula, secundum morem patriae, communiter non sunt nisi salutationes advenientium et discedentium, quae *obiter* et *coram aliis* fiunt, et idcirco multo minus incentiva sunt.

3. Porro nequaquam ad Confessarium pertinet inquirere, *utrum adsit*

1) Cfr. infra, art. 3. ad V. *n. 61.*

periculum consensus in malum; cum periculum proximum vix unquam absit, et ad munus suum pertineat *secundum communiter contingentia* judicare, non vero secundum rarissimas exceptiones. Unde nunquam locus erit, poenitenti remedia subministrare, praeter illud unicum, simulque prudentissimum, quo periculum peccati lethalis radicitus abscinditur : scilicet ut hujusmodi tactibus, amplexibus et osculis *praeter morem patriae* prorsus abstineat.

II. Subjungit ibidem P. Ballerini : « Qua in re cavere sane debet » (Confessarius), ne desiderium re- » movendi a peccati periculo ipsum » eo usque impellat, ut *de peccato* » *praesertim gravi* ea damnet, quae » ex communi DD. sententia, aut » nullum aut dumtaxat levem ha- » bent reatum. Hujusmodi enim ze- » lus, *non sane secundum scientiam,* » hunc unice effectum demum sortia- » tur oportet, *ut forte perpaucos qui-* » *dem ab iis actibus absterreat, ple-* » *rosque vero, ex falsa injecta con-* » *scientia, in peccati laqueos reipsa* » *impellat;* unde facile fiet praeter- » ea, ut conculcato semel, *propter* » *confessarii imprudentiam,* timore » Dei, et amisso peccati horrore, in » veras deinde et graviores turpitu- » dines prolabantur. - Quod idem sa- » ne etiam de aspectibus et collo- » quiis inter sponsos est observan- » dum, quando et ex istis motus illi, » et interdum ad pollutionem usque, » subsequantur. Justa enim est cau- » sa, cur sponsus sponsam invisat, » atque alloquia cum ipsa habeat. » *Tota ergo quaestio vertetur de* » *illo consentiendi periculo,* de quo » sup. in not. ad n. 412. dictum » est. »

1. Verum omnia, quae hic profert et Confessariis consiliatur, mera sophismata sunt, quibus poenitentes reapse in peccati laqueos injiciuntur. Illi sponsi, qui *bona et sincera voluntate* ad Confessarium accedunt (de aliis sermo non est), ejus monitioni, amplexus et oscula praeter morem patrium graviter illicita esse, facile acquiescent ; et si nonnulli interdum ex fragilitate delinquent, ideo nequaquam timorem Dei amittent et omni pudori valedicent, sed potius de peccatis commissis dolebunt, et in posterum melius cavere sibi proponent. Si autem ipsis oscula et amplexus, *benevolentiae gratia et ad amoris ostensionem* permittuntur, dummodo in obortam, praeter intentionem, veneream delectationem non consentiant, vel, in quantum oscula et amplexus ad captandam voluptatem sensitivam fiunt, non sub gravi prohibentur : *certo certius, secundum communiter contingentia, innumeras turpitudines interius et exterius committent;* nec, utpote ab osculis et amplexibus non prorsus abstinentes, unquam se emendabunt, sed potius libidine semel excitata, in pejora ruent, et demum polluti et contaminati, ad matrimonii sacramentum accedent.

2. Ex hisce expositis patet, pro sententia quae affirmat, licere sponsis oscula, amplexus et tactus pudicos, etiam praeter morem patriae, in signum benevolentiae et amoris, nullam militare solidam rationem, qua sustentari possit. Patet insuper, S. Alphonsum huic sententiae nullatenus suffragari, sed oppositam docere, et hanc oppositam in praxi omnino tenendam esse.

3. At vero plures DD., ut ex textu S. Alphonsi supra allato constat, sponsis non tantum praedictos actus permittunt, sed insuper, *vi sponsalium,* eisdem *specialem* prae caeteris non conjugatis *praerogativam* vindicant, *fruendi ea voluptate,* quae ex iisdem actibus oritur. Quam quaestionem in sequenti Articulo examinabimus.

4. Antequam tamen ulterius progrediamur, non abs re erit, circa *colloquia* inter sponsos, quaedam adjicere sapientissima S. Alphonsi consilia. - In Opere, cui tit. *Homo Apostolicus,* Tr. ult. n. 3. sic monet:

« Et hic caveant Confessarii, a permittendo sponsis domos sponsarum adire, et puellis earumque parentibus sponsos in domum admittere, quia *raro evenit* quod tales sponsi non labantur saltem in verba, aut cogitationes turpes in hujusmodi occasione; dum omnes aspectus et colloquia inter sponsos sunt incentiva ad peccandum; estque *moraliter impossibile*, ipsos invicem conversari, et non sentire stimulos ad eos turpes actus, qui tempore matrimonii deinde succedere debent. Generaliter autem loquendo, de adolescentibus et puellis qui invicem se adamant, non sunt isti omnes indistincte de gravi culpa damnandi; sed *ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi.* Id nimium experientia patet; nam ex centum adolescentibus, vix duo aut tres, in ea occasione, a mortalibus invenientur immunes; et si non in principio, saltem in progressu; tales enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem, deinde propensio fit passio, et passio, postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat, et eos in mille crimina ruere facit. Hinc Cardinalis Picus de Mirandola, episcopus Albanensis, in sua dioecesi per edictum suos admonuit confessarios, ne tales adamantes absolverent, si postquam ter ab aliis jam fuerint admoniti, ab hujusmodi amore sectando non abstinuissent, praesertim tempore nocturno, aut diu, aut clam, aut intra domos *(cum facili periculo osculorum* et *tactuum)*, aut contra parentum praeceptum, aut cum altera pars prorumpit in verba obscena, aut cum scandalo (prout si in ecclesia), aut cum conjugatis, claustralibus, aut clericis in sacris. - Et in hoc generaliter advertendum, quod *ubi agitur de periculo peccati formalis, et praecise peccati turpis, confessarius, quanto magis se rigorosum cum poenitente adhibebit, tanto magis ejus saluti proderit;* et contra, *tanto magis cum illo immanis erit, quanto magis benignus erit* in permittendo, ut ille in occasione maneat, aut se immittat. S. Thomas de Villanova confessarios in hoc condescendentes vocat: *impie pios.* Haec charitas est contra charitatem. - Solent in his casibus poenitentes conari, ut confessarii apprehendant, quod occasionem removendo, magnum orietur scandalum. Fortis sit confessarius ad hujusmodi timores despiciendos: majus semper erit scandalum, videre quod poenitens, nec etiam post confessionem, occasionem aufert. Aut alii ejus peccatum ignorant, et tunc nihil mali suspicabuntur; aut sciunt, et tunc poenitens famam potius recuperabit, quam amittet, removendo occasionem. »

Sed jam ad alteram quaestionis partem accedamus.

Articulus 3.

An, inter Sponsos, sint peccata mortalia oscula et tactus pudici, si fiant ad captandam delectationem sensibilem. — Perpenduntur Auctoritates a cl. Ballerinio contra doctrinam S. Alphonsi allegatae.

Loco cit. n. 414. *P. Gury* ait: « Tactus et oscula etiam in partes honestas subinde gravi culpa non carebunt, si saepius vel morose exerceantur a juvenibus potissimum diversi sexus absque ulla necessitate, aut alia justa causa, quamvis *ob solam voluptatem organicam.* Ratio est, quia ab hujusmodi actibus repetitis vel morosis commotio carnalis et delectatio venerea raro aberit. *S. Lig. n. 416.* »

Ad quem textum, et quidem ad verba: *ob solam voluptatem organicam,* P. Ballerini pag. 453. [1] aliam longiorem notam subnectit. Sic au-

1) In altera edit. pag. 344.

tem exorditur: « *Voluptatem organicam* heic Auctor illam appellat, » quam sup. *(not. ad n. 411.)* dixi- » mus *pure sensibilem;* ubi etiam in- » nuimus, in praxi eam *praecise talem*, si de adultis agatur, qui ap- » posite eam quaerant, vix locum » habere. Quod autem Auctor a re- » gula, quam tradit, excipere videa- » tur casum *necessitatis* vel *justae* » *causae,* id non est extendendum ad » oscula morosiora ac pressiora, a » quibus sunt deterrendi vel ipsi » sponsi, cum vix quoad ista excogi- » tari justa aliqua causa queat.

» Aliam tamen quaestionem DD. » moverunt de sponsis, utrum scili- » cet licita ipsis sit delectatio quae- » piam, quam ex osculis amplexi- » busve, aut pudicis tactibus volun- » tarie capiant. Dixi 1° *delectatio* » *quaepiam;* nam hic prorsus exclu- » ditur delectatio venerea proprie » dicta, ac partium genitalium pro- » pria. Dixi 2° *quam voluntarie ca-* » *piant;* nam de oborta praeter in- » tentionem, nulloque consensu ad- » missa, nulla est controversia, etsi » venerea foret.

» Quaestionem sic propositam tra- » ctat etiam *S. Alphonsus* (Lib. 6. » n. 854), ita tamen (hoc unum enim » de hac re *per modum mere histo-* » *ricum* attigisse juverit), ut *ex ibi* » *disputatis vix intelligi queat, quo* » *loco vere se res habeat.* Et sane » pro sententia, quae eam delecta- » tionem sponsis aut licitam, aut non » nisi leviter malam esse tenet, » (quam tamen *haud accurate*[1] ex- » ponere videtur) ipse quinque tan- » tum auctores affert, *Sanchez* ni- » mirum, *Salmanticenses, Aversa,* » *Diana,* et *Azor.* - Atqui *Sanchez* » (De matrim. lib. 9. disp. 46. n. 48.) » pro eadem allegaverat alios septem- » decim; *Diana* vero (Tom. 2. tract. 6. » resol. 36. n. 2. 3.) alios novem hisce » addiderat; adeo ut jam habeamus » triginta et unum, in quibus videas » nomina *Soti, Cajetani, Toleti, Na-* » *varri, Valentiae, Sayri, Reginal-* » *di*, etc.; adjungi autem his pote- » rant *Laymann* (Lib. 3. sect. 4. » n. 11.), *Palaus* (De sponsal. disp. 3. » punct. 4. §. 2. n. 7.), *Sporer* (Theol. » sacram. p. 4. c. 2. sect. 4. n. 430.), » *Escobar* (Lib. 26. sect. 2. dub. 26.), » *Filliuccius* (Tr. 10. part. 1. cap. 9. » n. 357.), *Tamburini* (In decal. lib. 7. » cap. 3. §. 5. n. 61.), *Joan. Henri-* » *quez* (apud Mendo, disp. 5. q. 12. » n. 4.) et *Giribaldi,* qui (De matrim. » cap. 19. dub. 15. n. 114.) asserit, » eam esse doctrinam *communem.*»

I. Ante omnia, quae cl. Professor in adnotationis exordio profert, paucis perpendamus.

1. Indefinito et ambiguo loquendi modo hic utitur P. Ballerini, et clariorem consulto evitasse videtur. Dicit, « vel ipsos sponsos deterrendos » esse ab osculis morosioribus ac » pressioribus, cum vix quoad ista » excogitari justa aliqua causa que- » at. » *A morosioribus ac pressioribus:* ergo non omnino a simpliciter morosis et pressis. *Vix* justa aliqua causa cogitari potest: ergo tamen aliquando. *Deterrendi* sunt i. e. strenue monendi, ut ab hisce actibus abstineant: at non obligandi sub peccato mortali.

2. Porro dicit, DD. quaestionem movere, utrum sponsis liceat ex osculis, amplexibus aut pudicis tactibus *quampiam* delectationem voluntarie capere, qua tamen prorsus excluditur delectatio venerea *proprie* dicta, ac partium genitalium propria. - Mira res! Ubi omnia pendent a clara et praecisa rei explicatione, ita loquitur cl. Professor, quasi de mysterio ageretur, et aenigma proponere videtur. Qualis autem sit haec *quaepiam delectatio non proprie venerea,* quam sponsis permittunt DD. quaestionem praedictam moventes, ex eorum ore mox audire licebit.

II. Judice itaque P. Ballerinio, ita

1) In altera edit. legitur: *non satis accurate.*

S. Alphonsus hanc quaestionem tractat, « *ut ex ibi disputatis vix in-* » *telligi queat, quo loco vere se res* » *habeat.* » Quod nonnisi « *per modum* » *mere historicum* » S. Doctori exprobrare intendit cl. Professor, historicae veritatis studiosissimus; quapropter nos quoque viam historicam aggredi juverit. Cumque more consueto Auctores, a S. A. pro utraque sententia allegatos, numeret, breviter haec in antecessum notamus: Sanchez pro sententia S. Doctoris *septem* Auctores citat, quibus Diana *quinque* alios addit; accedunt *Salmanticenses,* ab adversa parte subtrahendi, qui et ipsi sexdecim DD. adducunt; *plures alios,* quos S. Doctor praetermisit, in Articulo 5. allegabimus. — Si itaque numerationem arithmeticam instituere vellemus, adjungendo alios tredecim Auctores a S. Alphonso citatos, jam haberemus numerum saltem aequalem pro ejusdem sententia. Sed, attento solidissimo et inconcusso fundamento, quo nititur S. Doctoris sententia, hac numeratione minime indigemus.

III. Quibus praemissis, primum advertimus, inter *antiquiores Theologos et Summistas,* usque ad saeculum 16. *nullum esse,* qui, quoad tactus, amplexus et oscula, *inter sponsos et ceteros non conjugatos distingueret, et illis jure sponsalium specialem praerogativam tribueret.* Communiter docent, tactus pudicos, amplexus et oscula licita esse, uti signa amicitiae et benevolentiae; at quoad personas adultas diversi sexus, nec propinqua cognatione conjunctas, expressis verbis *morem patrium* requirunt, aut manifeste supponunt.

1. Sic *S. Antoninus* [1] ait: « Possunt haec (oscula, amplexus, contactus manuum vel aliarum partium corporis) fieri absque libidine, vel *propter consuetudinem patriae,* vel propter aliquam necessitatem, vel ob aliquam rationabilem causam. De more enim est in aliquibus locis, ut non solum viri viros, sed etiam viri mulieres, *praecipue consanguineas suas,* cum de novo adveniunt vel visitant, amplexentur, et manus mutuo contingant et osculentur... Cum oscula, amplexus et tactus fiunt *propter hujusmodi delectationem extra matrimonium habenda sunt mortalia:* quia sic sunt libidinosa. Et qui permittit haec sibi fieri ab eo, quem existimat ad hoc moveri amore libidinoso, mortaliter peccat: quia facientem et consentientem par poena constringit ut dic. 2. q. 1. notatum cum Glossa. Sed qui permittit hoc sibi fieri, credens, talem moveri ex dilectione fraterna seu honesta amicitia, seu quadam humanitate, seu more patriae, non peccat: quamvis hoc faciens ex libidine moveretur, et per consequens mortaliter peccaret: et hoc quoad oscula, amplexus et dando alter alteri manum, *ut moris est,* quod tamen periculosum est. Et ideo cavendum est ab his inter virum et mulierem etiam religiosos. Bonum est, inquit Apostolus 1. Cor. 7. mulierem non tangere. Nam, ut dicit Eccli. 13.: *Qui tetigerit picem,* cui similis est mulier, *inquinabitur ab ea.* »

2. Et in *Summa Rosella* [2] legitur: « Oscula et tactus, et amplexus, *propter delectationem extra matrimonium habendam,* sunt *mortalia* »; et additur similiter: « qui permittit fieri sibi praedicta, credens, illum moveri ex dilectione fraterna seu honesta amicitia, seu quadam humanitate, seu *more patriae,* non peccat. » — Et n. 4. ponitur quaestio: « Quid autem de puellis, quae saepius cogitant et delectantur, cogitando de pulchritudine alicujus juvenis, et delectantur quod eum vellent amplexari, tangere et osculari. Sic tamen, quod si crederent, non debere conjungi matrimonialiter eidem, nullo modo in praedictis delectarentur. Dico per praedicta, quod

1) T. 2. tit. 5. c. 1. *s.* 9. — 2) V. *Delectatio,* n. 3.

si dictae puellae deliberate delectentur, de opere carnali cogitando: tunc dico, quod peccant mortaliter, nec potest dici, quod consistant infra limites matrimonii, *ex quo nullum ibi est matrimonium*. Sed de osculis et tactibus, majus est dubium. Tamen potest dici per praedicta, quod si *in hujusmodi cogitationibus osculorum et tactuum*, sit deliberatus consensus, propter delectationes libidinosas videtur mortale, quia videtur ibi corrupta intentio; secus si ex dilectione fraterna, sicut si frater oscularetur sororem et contra. »

Nullatenus ergo Baptista Trovamala, hujus Summae auctor, distinguit, utrum puella, de qua loquitur, sponsa sit an secus, nec ullum amorem, ex quo isti actus procedant, admittit, praeter dilectionem inter fratres et sorores. Porro de cogitatione loquitur, et ideo dicit majus dubium esse; nam ipsos actus propter delectationem extra matrimonium habendos, mortalia esse, jam antea dixerat.

IV. Videamus nunc Auctores, qui sponsis hujusmodi actus *licere* dicunt, principio innixi, *quod sponsalia sint quaedam inchoatio matrimonii*.

1. *Cajetanus* primus fuit, qui titulum inchoati matrimonii excogitavit, quo inter sponsos cohonestarentur tactus, amplexus et oscula, ceteris non conjugatis graviter illicita. Quam doctrinam proposuit 2.2. q. 154. art. 4. ad 2. et in Summa (V. *Sponsalitia*), licet non absolute, sed dubitanter: « *Videtur* autem, quod sicut sponsalitium inchoatio quaedam est conjugii; ita hujusmodi actus inchoatio quaedam est carnalis copulae.... Concessa *videntur* hujusmodi oscula inter eosdem, secundum indulgentiam tamen, qua venialia conceduntur. » Imo in Summa (V. *Impudicitia* et *Osculum*) oppositum tenere videtur, ibidem dicens, *solis conjugatis* oscula licita esse.

At demum in *Summula* [1] Clementi VII. dedicata (V. *Sponsalitia*) absolute hanc tradit doctrinam: « Sponsorum per verba de futuro peccata triplicia sunt.... Tertio peccatur in usu, ut si impudicis actibus vacent sponsus et sponsa. Sunt enim impudicitiae mortalia peccata in ipsis in omnibus casibus, in quibus apud conjugatos sunt mortalia, et tanto graviora, quanto adhuc neutrius corpus est alterius, sed promissum tantum. Oscula tamen et amplexus inter sponsos, benevolentiae causa, non sunt peccata, ut patet. – Si vero *delectationis causa, affectu maritali inchoante, absque impudicitia tamen, venialia sunt;* quia, sicut sponsa inchoative est sponsi, ita delectatio *venerea* conjunctionis carnalis inter eos, *inchoative permittitur* inter eosdem. *Constat autem, oscula delectationis causa facta, non nisi inchoationem venereae delectationis importare.* »

Ex quo textu clare et evidenter patet, Cajetanum sponsis modicam inchoativam delectationem *veneream* permittere, quando oscula et amplexus benevolentiae causa fiunt; quando autem delectationis causa fiunt, saltem a peccato mortali ipsos excusare. Et in hoc sensu tam sectatores, quam adversarii, Cajetanum intellexerunt.

2. Eamdem doctrinam sibi accommodavit *Navarrus*, [2] dum scribit: « Desponsati... licite possunt non solum se cernere et alloqui, et frui gaudio et voluptate, quae inde nascitur, sed etiam osculari se mutuo, amplecti et tangere se tactibus, qui de se non sint impudici, et *frui voluptate quae oritur ex eis, sine voluptate tamen ampliori*. Sponsalia

1) Hanc Summulam, ut in fine advertit, Cajetanus conscripsit anno salutis 1523. aetatis vero suae quinquagesimo quinto. In prologo dicit: « Indulto corporis imbecillitati, Clemens VII. Pont. Max. post tot commentationum laborem, anni unius otio: adjeci animum, ut humilibus, juxta apostolicum praeceptum consentiendo, opem minus doctis confessoribus ferrem. » — 2) Man. c. 16. n. 12.

enim, quae initium matrimonii sunt, faciunt facultatem fruendi voluptate praeambula voluptati matrimoniali, quae singularis est ejusdem *Cajetani* determinatio. [1] Quae tamen intelligenda venit, quando id fit *cum cautela,* ne contingat pollutio, nec periculum probabile illius incurrendae, aut consentiendi in eam, vel in copulam matrimonialem... Quod *quia raro contingit,* cum soli secreto sese osculantur, amplectuntur et tangunt, plurimum expediret, ne opportunitates ejusmodi, donec conjuges fierent, eis concederent. »

Similiter ergo Navarrus de modica inchoativa delectatione *venerea* loquitur, ut patet ex verbis: « *voluptate praeambula voluptati matrimoniali* », et ex allegatione Cajetani. Ulterius vero progressus est indistincte affirmando, [2] sponsis hanc delectationem licere, etiamsi eam quaerant, sola limitatione adjecta, quod absit periculum copulae vel consensus in ipsam, vel pollutionis.

3. *Sanchez, S. J.,* de Matrim. lib. 9. disp. 46. *doctrinam Cajetani* est amplexus, *adjecta limitatione Navarri,* at rejecta ejus extensione ad delectationem *quaesitam* et tamquam finem propositam.

« *48.* Prima conclusio sit. *Oscula et amplexus, aliique tactus non impudici, excusantur a culpa mortali inter sponsos de futuro, ratione contractus sponsalium inter ipsos initi.* Ratio est. Quoniam, sicut *matrimonium* ipsam cohonestat copulam, ita *sponsalia,* quae quoddam matrimonii initium sunt, cohonestare debent hujusmodi tactus, qui *inchoatio quaedam sunt copulae.* Praesertim quia sic magis fovetur amor in ordine ad matrimonium. Et confirmatur: quia ex eo quod inchoatus sit matrimonii contractus per verba de futuro, data est de praesenti, ex natura rei, major facultas ad actiones, quae ad copulam ordinantur. - *49.* Atque haec conclusio vera est, *quamvis sponsi intendant eam delectationem sensitivam,* quae ex ipsis amplexibus et osculis oritur. Quia sponsalia, quae matrimonii initium sunt, excusant a mortali hanc delectationem, quae copulae inchoatio est: et in omnino solutis *esset culpa mortalis.* - *50.* Est tamen moderanda conclusio, dummodo non adsit *periculum* copulae, vel consensus in eam, aut pollutionis. Tunc enim essent ii tactus peccatum lethale. »

« *51.* Secunda conclusio. Amplexus et oscula, habita inter sponsos de futuro, in signum *benevolentiae* et ad conciliandum fovendumque mutuum *amorem,* in ordine ad matrimonium contrahendum, *licita sunt omnino.* Quia finis est honestus. Si vero finis sit *delectatio,* erunt culpa *venialis.* »

4. Neutiquam igitur DD. solam quaestionem moverunt, utrum sponsis licita sit *quaepiam* delectatio, prorsus excludendo delectationem *veneream* proprie dictam: prout asserit cl. Professor. [3] - Nec verum est, quod ipse jam in praecedenti Adnotatione [4] adverterat: « quibusdam » Auctoribus sententias affingi, quas » illi ne per somnium quidem cogi- » taverant. »

V. Novam et hactenus inauditam Cajetani et Navarri doctrinam plures DD., in primis *Pedraza* (in Summa, de praec. sexto, n. 5.), *Comitolus, Rebellus* et *Gasparus Hurtado* impugnaverunt et reprobarunt. E contra, praeter Sanchezium, plures eam admiserunt, pauci vero absolute et indistincte.

Antequam autem singulorum sententias exponamus, *Salmanticenses* audire juvat; tum quia Tr. 26. de

1) In 2. 2. q. 154. art. 4.

2) Cap. 14. n. 18. dicit: « Oscula et amplexus *videntur* licita sponsis etiam ob solam delectationem inde percipiendam, tamquam principium nuptiarum promissarum, quae aliis essent illicita. » Hic autem absolute loquitur.

3) Cfr. supra, pag. 304. — 4) Vid. pag. 285.

praecepto sexto, cap. 3. diffuse et egregie hanc quaestionem pertractant, tum quia sententiam, antea in Tr. 9. de matrim. traditam hic retractant.

In cit. Tr. 26. *n. 56.* Salmanticenses quaestionem proponunt: « *An oscula, amplexus... et alii tactus, non in pudendis, sint liciti sponsis?* Affirmant *Sanchez,* [1] *Navarrus, Cajetanus,* et alii plures apud ipsum. Et insuper *Diana,* [2] *Trullenchus,* [3] *Azor,* [4] *Filliuccius,* [5] et alii. – Et moventur *primo,* quia matrimonium cohonestat copulam inter uxoratos: ergo sponsalia cohonestant inter sponsos amplexus, tactus et oscula, quae sunt quasi quaedam inchoatio copulae. Patet consequentia, quia sponsalia sunt *quasi quoddam matrimonii initium;* ergo faciunt licita oscula, amplexus et tactus, quae sunt copulae inchoatio. *Secundo,* quia hujusmodi tactibus, osculis et amplexibus *magis fovetur amor* in ordine ad matrimonium: ergo liciti sunt sponsis. *Tertio,* quoniam ex quo inchoatus est matrimonii contractus per verba de futuro, sponsis data est de praesenti, ex natura rei, *major facultas quam aliis,* ad actiones quae ad copulam ordinantur, cum sponsi habeant jus ad rem, licet non in re; sed amplexus, tactus et oscula ad copulam ordinantur: ergo talia erunt illis licita. – Haec sunt motiva, quibus relatae sententiae auctores ad sic sentiendum convincuntur. Et addit *Sanchez* [6] idem verum esse, etsi sponsi intendant delectationem sensitivam, quae ex ipsis sequitur, dummodo absit periculum copulae, aut pollutionis, quia ad summum tunc erunt peccata venialia. »

Deinde propriam sententiam exponunt: « *57.* Contraria sententia, quae nobis nunc *saltem in praxi probabilior et amplectenda* videtur, ait, *hujusmodi tactus, amplexus et oscula, nisi urbanitatis causa facta, esse mortalia.* – Et suadetur *primo,* quia hujusmodi oscula, amplexus et tactus, ob delectationem sensibilem et carnalem ex ipsis ortam, inter solutos sunt mortalia, ut omnes tenent, et ex supra dictis constat: ergo etiam sunt mortalia inter sponsos. Consequentia patet: quoniam licet sponsalia sint quaedam inchoatio matrimonii, tamen *nullum jus acquisivit sponsus in corpore sponsae,* seu in re, sed ad summum acquisivit jus ad rem, seu ad sponsae corpus: hoc est, ut cum altero matrimonium non contrahat, ut docuimus Tract. 9. cap. 1. punct. 1. n. 11. Sed habere jus, ex vi sponsalium, ad licite osculandam et tangendam sponsam, est habere jus in re, seu in corpore sponsae, ut liquet: ergo *cum tale jus a nullo admittatur,* dicendum est, quod nec habet jus, ex vi sponsalium, ad licite osculandam sponsam. – *Secundo,* dum DD. asserunt, amplexus, tactus et oscula esse licita inter sponsos, etiam ob delectationem ex eis ortam, non loquuntur de illis, eo modo quo sunt licita aliis, qui sponsalia non contraxerunt, scilicet urbanitatis et benevolentiae gratia, qualiter supra diximus, esse *juxta morem patriae* omnibus licita; sed loquuntur de illis, prout fiunt ob delectationem sensibilem et carnalem, cum hoc pacto sint dispositiones ad copulam; sed hujusmodi oscula et tactus non valent per sponsalia cohonestari. Ergo illicita sunt. Probatur minor; nam oscula venerea ad non suam sunt absolute peccata mortalia; sed oscula data sponsae sunt ad non suam, cum sponsa adhuc non sit sponsi, nec iste habeat jus in re, sed tantum ad rem: hoc est, quod ex suppositione, quod velit matrimonium contrahere, debeat esse cum ipso: ergo talia oscula per sponsalia non cohonestantur.... » Tres adhuc rationes afferunt, quas brevitatis causa praetermittimus.

1) Lib. 9. de matrim. disp. 46. n. 47. — 2) 2. Part. tr. 17. res. 6. — 3) In decal. lib. 6. cap. 1. dub. 12. n. 6. — 4) Lib. 3. cap. 25. q. 3. — 5) Tr. 10. n. 357. — 6) Num. 48. et 49.

His expositis, pergunt: « *58. Confirmatur primo;* nam haec permissio, quam contraria opinio sponsis concedit, est *causa plurimarum fornicationum, vel saltem pollutionum:* quis enim erit adolescens, in quo libido fervet, qui licentia sponsalium, accedat ad virginem sponsam, eam ob delectationem sensibilem osculando, et ibi sistat ejus delectatio, quin vel progrediatur ad fornicationem, aut saltem ex commotione partium deservientium generationi, graves carnis pruritus vel titillationes non sentiat, aut (quod certius est) mollitiem non patiatur? Nullus utique, si veritatem fateri volumus: ergo ob hoc unicum motivum, quod est moraliter demonstrativum, *contraria sententia, licet speculative sit probabilis, practice tamen est improbabilis.* Nec refert, quod contraria sententia dicat, se talem licentiam non concedere sponsis, nisi quando abest periculum ulterioris consensus aut pollutionis. Quia *hoc periculum semper moraliter adest.* Vel ergo nihil dicunt contrarii, aut universaliter negant hujusmodi licentiam. »

« *59. Confirmatur secundo:* nam fere in omnibus Episcopatibus est prohibitum, quod sponsus domum sponsae frequenter ingrediatur, simul cohabitent, et familiariter secreto alloquantur; quia experientia teste, haec familiaritas malas consequentias et plura peccata infert. Audiamus *S. Carolum Borromaeum,* qui in Concilio Provinciali Mediolanensi 6. titul. « Quae ad matrimonium pertinent », sic ait: « Itaque Episcopi cura sit, poenis et censuris, quas arbitratu suo constituerit, sancire, ne sponsi, priusquam matrimonium in ecclesia per verba de praesenti ex ritu celebraverint, non modo simul non habitent, sed ne ullo quidem modo, mutua consuetudine commercioque utantur. » Simile loquuntur aliae Synodi Provinciales, quas late refert *Gonetus,* [1] et ad summum permittunt, quod sponsus ter tantum sponsam alloquatur coram parentibus, aut aliis honestis consanguineis, antequam matrimonium coram parocho contrahat: ergo, quia tales tactus et oscula minime licita sunt, saltem ob occasionem plurium culparum, quas secum afferunt. - *Confirmatur tertio;* nam etiam *ipsi DD. contrarii docent convenire, ut sponsi ab his tactibus abstineant.* Unde ait *Sanchez,* n. 49. quod valde expediens est, quod sponsi mutuum aspectum fugiant. *Sayrus* inquit lib. 8. c. 6. n. 1.: Quia vero contingit raro, haec fieri sine periculo, communiter est talibus ab hujusmodi osculis et tactibus, etiam in secreto abstinendum. *Navarrus,* in Man. cap. 14. n. 18.: Sed quia communiter sponsi, cum soli absque arbitris conversantur, hujusmodi tactibus impudicis uti solent, non debet eis permitti, ut soli secreto conversentur. Et cap. 16. n. 12. ait: Quod quia raro contingit, cum soli secreto sese osculantur, amplectuntur et tangunt, plurimum expediret, ne opportunitates ejusmodi, donec conjuges fierent, eis consentirentur. Similiter caeteri Doctores adversae opinionis loquuntur, ut *Sanchez* [2] et *Lopez.* [3] – Sed in moralibus a communiter contingentibus sumenda est ratio et resolutio: ergo si communiter loquendo, dicta

1) Tom. 5. tr. 9. cap. 1. q. 10.

2) *Sanchez,* l. c. (Lib. 9. de matrim. disp. 46. n. 52.) dicit: « Hinc infertur, *non permittendos solos esse sponsos de futuro,* tum propter periculum tactuum impudicorum, tum etiam ob ipsius copulae periculum. » — Idem iisdem verbis dicit *Escobar,* l. c. dub. 65.

3) *Lopez,* l. c. (1. Part. in Instr. cap. 54.) ait: « Peccant parentes, si permittant inter filiam desponsatam de futuro tantum et inter ejus sponsum tactus impudicos; sed bene possunt permittere inter eos oscula et amplexus, quia eis licent etiam fine delectationem capiendi ex eis. Licet hanc sententiam, quae est hic Navarri et Cajetani, refutet *Pedraza* in sua Summa, tamquam novum inventum Cajetani: sed ego eam non ausim sic damnare. Sed advertant parentes, quod quia in secretis solent tales sponsi uti talibus tactibus impudicis absque arbitris, ideo non debent eis permittere, ut soli secreto conversentur. » — Et *cap. 55:*

oscula et tactus, etiam minus impudici, seu quae non fiunt circa partes pudendas, secum afferunt plura peccata, moraliter inhonesta et illicita graviter sunt. »

Deinde in *n. 60.* sexdecim DD. pro eadem sententia citant, videlicet: Paludanum, Gabrielem, Sotum, Angles, Cajetanum, Pedraza, Henriquez, Fernandez, Rodriguez, Comitolum, Dicastillum, Candidum, Rebellum, Bonacinam, Antonium a Spiritu S. et Busembaum. Quibus allegatis, subjungunt: « *Et nunc nobis haec sententia in praxi probabilior videtur. Et quae diximus Tom. 2. tract. 9. cap. 15. n. 91., solum tenet speculative in aliquo casu raro, non vero moraliter et practice loquendo.* »

Demum, in *n. 61.* argumenta sententiae contrariae in n. 56. exposita, sic refellunt: « Ad *primum* argumentum contrarium, constat ex dictis, nullam esse paritatem vinculi matrimonii ad honestandam copulam, cum vinculo sponsalium ad honestanda oscula venerea; quia in primo casu, per matrimonium acquiritur jus in re, et ideo fit licita copula; in secundo vero solum acquiritur *jus ad rem, quod quidem jus minime praebet facultatem ad oscula,* quae sunt inchoatio copulae, et ejusdem ordinis cum illa, sicut nec praebet illam ad copulam: *cum jus ad rem, nullo in casu tribuit usum ipsius rei.* – Ad *secundum,* negatur, hos actus esse necessarios *ad fovendum mutuum amorem;* quia sunt aliae infinitae viae honestae, quibus praedictus amor foveri potest. – Ad *tertium,* negatur major. Quia in ordine ad oscula cum sponsa, *nullam aliam licentiam habent sponsi, ac quicumque alii soluti...* »

VI. Plures autem DD. a P. Ballerinio citati, *doctrinam Cajetani et Navarri aut simpliciter referunt, aut nonnisi dubitanter admittunt.*

1. Sic *Valentia, S. J.,* [1] dicit, tactus et oscula libidinosa peccata esse mortalia inter non conjuges, etiamsi ad actum perfectum non ordinentur; idque pro certo habendum esse, et ita omnes vere doctos et pios sentire. – Deinde subjungit: « Sentit tamen *Cajetanus* ubi supra, et post eum *Navarrus* loco citato, hujusmodi tactus (modo pudendi non sint) et oscula, non perinde esse illicita inter sponsum et sponsam, etiam ante matrimonium. Siquidem, ut jam sunt *in via* per sponsalia ad statum et voluptatem matrimonialem, ita *putat Cajetanus,* eis licere illam quasi inchoationem per oscula, etc. Si tamen absit periculum alicujus alterius immunditiae; quod, quia *raro aberit,* communiter est talibus ab ea re abstinendum, ut etiam censuit ubi supra Navarrus. » – *Ita putat Cajetanus,* dicit Valentia; simpliciter ergo hanc opinionem refert, nec approbando, nec reprobando.

2. *Laymann, S. J.,* [2] ait: « Oscula, amplexus et tactus inter sponsos de futuro *videntur* excusari a culpa mortali, licet fiant *causa delectationis sensitivae:* dummodo absit periculum pollutionis, aut consensus in copulam, et non per se atque ex objecto suo turpes, ac impudici sint. Ita docet Cajetanus, Navarrus, Philiarcus, Sà, Lopez, Sanchez. *Ratio afferri solet:* Quia sponsalia sunt initium matrimonii; quibus proinde aliquale jus sponsae in corpus sponsi acquiritur: non quidem ad ipsam copulam, sed ad dictos corporum tactus: quamvis venialis culpa sit, si fiant ob delectationem; et saepissime mortale, propter pollutionis praevi-

« Contra Pedrazam in sua Summa, qui hanc doctrinam Cajetani vitandam ut novam ait, dico, quod sponsi de futuro, secundum Cajetanum et Navarrum, licite se osculantur et amplectuntur, et se tangunt tactibus non impudicis, *et licite fruuntur voluptate orta ex his tactibus,* sine voluntate tamen ampliori, *si fiant haec sine periculo pollutionis, aut consentiendi in eam, vel in copulam. Sed raro contingit haec fieri sine periculo, dum in secreto fiunt.*»

1) T. 3. disp. 9. q. 3. p. 3. — 2) Lib. 3. sect. 4. n. 11.

sum periculum. » – *Videntur* dicit Laymann, et *Ratio afferri solet:* suum ergo judicium de hac sententia non profert.

3. *Reginaldus, S. J.,* [1] de tactibus, amplexibus et osculis loquens praemittit: « Pro majore autem intelligentia adverte amplius, duplicem ex praedictis actibus delectationem posse provenire: unam *libidinosam* quae sentitur in carne, cum spirituum generationi subservientium commotione circa partes libidinosas; alteram, qua proprii vel alieni corporis tactus placet *ob solam proportionem,* et naturae conformitatem rei tactae, cum organo tangendi: haecque est, cui convenit *honestam esse posse:* non autem illi, nisi per matrimonium cohonestetur. »

Qua explicatione praemissa, ait: « Si conjuges tales actus inter se exerceant *delectationis* tantummodo causa peccant solum venialiter.... Jam allatam propositionem *posse* etiam locum habere in sponso et sponsa de futuro (nisi sponsalia essent conditionata, necdum impleta esset conditio), ex eo doceri *videtur,* quod, etsi copula non sit eis licita pro illo statu, licitum est tamen uti praeambulis: quia sicut matrimonium cohonestat copulam: ita sponsalia (quae matrimonii initium sunt (cohonestare debent tales tactus... Id quod *a Cajetano traditum,* [2] Navarrus commendat, [3] plurimique sequuntur relati a Joanne da Salas. » [4] Quibus et Sanchezium addit.

4. *Palaus, S. J.,* [5] scribit: « Superest dicendum de sponsis de futuro. Breviter respondeo, illis licitos esse amplexus, oscula et tactus alias honestos, secus de se turpes; quia, ratione contractus initi, jus habere *videntur* utendi illis mediis ex se indifferentibus, quae mutuum amorem excitant et fovent, ideoque sic est usu et consuetudine introductum; abesse tamen debet pollutionis vel coitus periculum. *Sic docent* Navarrus, Valentia, Sà, Sanchez plures referens. » – Quoad rationem initi contractus, Palaus dicit: *videntur,* et de delectatione, quam sponsis ex hisce actibus capere liceret, nihil plane dicit. Ceterum Valentiam minus recte citat, ut ex textu supra allato patet.

5. *Tamburini, S. J.,* [6] licet alias nimis benignus, dicit: « Sponsis de futuro valde probabiliter sine peccato licent quaedam amoris signa, qualia sunt oscula, tactus, aspectusque pudici, et locutiones amatoriae, etiam propter delectationem in illis residentem... Ratio est, quia sponsi *videntur* ad illa pudica jus consecuti esse ex sponsalitiis. »

6. *Dominicus Soto* a Sanchezio [7] pro utraque sententia allegatur: scilicet *4. dist. 29. q. 2. art. 1.* pro sententia Cajetani et Navarri; et *4. dist. 34. q. 1. art. 2.* pro sententia opposita, nimirum oscula, amplexus aliosque tactus sponsis non licere, et esse mortalia.

VII. Sunt denique aliqui Auctores, qui utique delectationem *veneream expressis verbis excludunt,* et sponsis, jure sponsalium, non quidem *quampiam,* sed *sensitivam* tantum delectationem permittunt: quam sententiam S. Alphonsus speculative admittit, practice vero improbabilem esse docet.

1. Sic *Filliuccius, S. J.:* [8] « Quaero: An inter sponsos de futuro praedicta liceant. Respondeo et dico primo. Si non sint impudici, hoc est, sint in partibus honestis, ut oscula, amplexus, tactus manuum et similes, *licent, etiamsi intendant de iis captare delectationem sensitivam, non tamen veneream.* Ratio est, quia, ut matrimonium de praesenti cohonestat copulam; sic sponsalia, quae sunt inchoatio quaedam remota matrimonii, cohonestant tactus illos,

1) Lib. 22. sect. 2. — 2) 2. 2. q. 154. art. 4. — 3) In Enchir. c. 16. n. 12. — 4) In memorata disp. 6. sect. 26. — 5) Tr. 28. de sponsal. disp. 3. punct. 4. §. 2. n. 7. — 6) In Decal. lib. 7. c. 3 §. 5. n. 61. — 7) De matrim. lib. 9. disp. 46. n. 47. et 48. — 8) Tr. 10. c. 9. n. 357.

qui sunt inchoatio *remota* ad copulam. Cajetanus, Navarrus, Lopez et alii cum Sanchez. Limita: *nisi sit periculum* pollutionis, vel consensus in copulam, vel in delectationem veneream copulae. Ampliatur autem ad amplexus, oscula etc., in signum benevolentiae et ad fovendum mutuum amorem in illis, ut iidem Doctores locis citatis. »

Expressis igitur verbis, Filliuccius sententiam Cajetani et Navarri ad delectationem *sensitivam*, ceu inchoationem *remotam* ad copulam, restringit; et cum hac restrictione, sponsis etiam oscula, amplexus et tactus pudicos ad fovendum mutuum amorem permittit.

2. Similiter *Sporer:* [1] « Tactus non ita impudici ex objecto, intentione vel periculo libidinis, sicut et oscula, amplexus, aspectus, colloquia inter sponsos, ex sponsalibus cohonestantur, aut saltem a mortali excusantur, etsi conjuncti sint cum delectatione *sensibili* ex ipsis tactibus, osculis, amplexibus, praecise proveniente... Si vero *intendatur* delectatio illa sensibilis, ex ipsis talibus tactibus, osculis etc., proveniens (dummodo absit semper delectatio morosa *venerea,* ejusque vel ulterioris libidinis *periculum,* scilicet pollutionis vel copulae), erunt peccata *venialia,* excusantibus sponsalibus; etsi in solutis sint mortalia. »

« *Per modum historicum* » haec omnia exposuimus, ipsosque textus adferre non piguit, ut citra omnes dubitationes appareat, « *quo loco vere se res habeat.* »

Articulus 4.

Vindicantur Auctoritates a S. Alphonso pro sua sententia allegatae, et a P. Ballerinio impugnatae.

Sufficere jam videri possent supra relatae impugnationes. Sed S. Alphonsus plures pro sua sententia allegat graves DD.; unde et istorum testimonia infirmare et evertere conatur cl. Ballerinius: sane « *per modum mere historicum* », vel « *ut veritati jus suum tribuatur* », prout passim in suis Adnotationibus dicit. – Hinc, loco cit. pag. 454. [2] sic prosequitur: « Pro sententia vero, » quae ceu graviter illicitam sponsis » eam delectationem propugnat, al- » legari videbis penes eumdem S. Al- » phonsum (l. c.) *Lessium, Mazzot-* » *ta, Roncaglia, Concina, Bonacina* » cum *Henriquez* et *Rebello, Croix* » cum *Mendo,* ac *Viva* cum *Suarez,* » *Perez* et *Hurtado:* quae quidem » allegationes fere ex Croix, Maz- » zotta et Viva corrogatae viden- » tur... » – Et singulorum testimonia discutiens, probare contendit, ipsos falso a S. Alphonso allegari, et pro eadem sententia non superesse nisi tres, nimirum *Mendo, Concina* et *Roncaglia,* quorum prior et ultimus dubii potius haerent. Spectato autem solidissimo et inconcusso fundamento, cui innititur praesens S. Alphonsi doctrina; spectata etiam amplissima approbatione, qua Sedes Apostolica doctrinas morales S. Doctoris communivit (cujus tamen approbationis, cl. Professor in suis impugnationibus nullam prorsus rationem habet), res nullius momenti esset, etiamsi soli praefati tres Auctores S. Alphonso suffragarentur. Ne tamen officio nostro deesse videamur, cl. Ballerinium et in hac fastidiosa disquisitione sequemur: ex qua patebit, S. Alphonsum recte citasse omnes Auctores pro sua sententia allegatos.

I. Praemittit ergo P. Ballerini, S. Alphonsum allegationes fere ex Croix, Mazzotta et Viva *corrogasse* (i. e. secundum propriam hujus verbi significationem: *emendicasse*) videri. Verum ipse S. Doctor auctores indicat, quos ex aliis desumpsit, addendo: *cum.* Caeteros vero, quorum loca citat, ipsemet inspexit, videlicet Lessium, Mazzotta, Roncaglia, Bonacina, Croix et Viva; imo ex

1) Theol. Sacram. p. 4. c. 2. n. 430. — 2) In altera edit. pag. 344.

Roncaglia verbotenus aliquam propositionem adducit. – Gratis itaque et sine ullo fundamento hanc animadversionem, quae alioquin ad rem non pertinet, praemisit cl. Professor, ut iterum S. Alphonsus tamquam falsis allegationibus misere deceptus appareat. Sed praestat objectiones examinare, quibus P. Ballerini singulorum testimonia diluere conatur.

II. A Lessio itaque incipiens, dicit: « *Lessius* (De just. et jur. lib. 4. » cap. 3. n. 59.) *utique gravis culpae » hos actus damnat in personis omni-» no solutis; sed* (ibid. n. 58.) *oppo-» situm de sponsis sic tradiderat :* » Sponsis de futuro conceditur ea vo-» luptas, quae praecise ex osculo et » contactu manus vel faciei percipi-» tur, ita ut nec venialiter quidem » in ea peccent. » – Quicumque haec legit, necessario credere debet, S. Alphonsum pro sua sententia auctorem allegasse, qui non tantum nullo modo ipsi consentit, sed potius claris et disertis verbis oppositum docet. Sed non ita res se habet. Etenim propositio a P. Ballerini hic citata, argumentum est, quo utuntur adversarii, et quorum sententiam Lessius reprobat.

Loc. cit. *n. 58. Lessius, S. J.*, quaestionem proponit: « *Utrum si quis... illo* (osculo) *utatur, non intendens ulteriorem voluptatem, quam quae praecise ex ipso osculo nascitur, peccet mortifere, seposito periculo pollutionis et ulterioris consensus?* » Et primo sententiam negativam exponit cum argumentis, quae pro ipsa adducuntur, quorum tertium est: « Tertio, sponsis de futuro conceditur ea voluptas, quae praecise ex osculo et contactu manus vel faciei percipitur, ita ut nec venialiter quidem in ea peccent, ut docet Navarrus, [1] Toletus, [2] Valentia, [3] quamvis Cajetanus art. 4. insinuet esse peccatum veniale: quia cum sponsalia sint dispositio ad matrimonium, sponsi jus habent ad id quod est dispositio et praeparatio ad actum matrimonii, ut iidem docent: atqui id nullo modo eis esset licitum, nisi esset dispositio, et voluptas remota et parva in hoc genere, et ex se insufficiens ad excitandum actum principalem. Itaque hoc signum est, non esse peccatum mortiferum inter non sponsos... »

Expositis argumentis pro hac sententia, et aliquibus Auctoribus qui eam tenent, allegatis, *n. 59.* dicit: « *Verum communior sententia est, in istis esse peccatum mortiferum; quae et mihi probatur:* tum quia *communior;* tum quia *tutius* est, ut omnia ista quam maxime vitentur; tum quia saepe est periculum ulterioris consensus, vel morosae delectationis, vel etiam pollutionis, ratione temperamenti aut peculiaris dispositionis corporis; *quam ob causam, expedit in hujusmodi non esse laxum. Unde etiam inter sponsos censeo plane dissuadenda, si causa voluptatis fiant.* » – Haec ultima verba subjungit, quia *n. 56.* docet: « Osculum causa amicitiae, secundum consuetudinem patriae, per se est licitum. »

Quamvis ergo Lessius speculative loquendo concedat, sponsis, ratione matrimonii inchoati, oscula licere, etiam propter delectationem quae praecise ex ipsis nascitur: tamen hanc sententiam *practice* probabilem non judicat, cum id sponsis plane dissuadendum dicat. – Quod clarius adhuc ex rationibus patet, quas *in cit. n. 59.* ad confutandam sententiam adversariorum adhibet: « *Secundo:* quia materia non debet censeri remota, quae tantam vim habet ad libidinis ignem excitandum, et ciendum spermatismum. Alia tamen est ratio aspectus, ut recte Cajetanus; [4] quia natura sua eo non tendit, unde nec habet tam sensibilem voluptatem, nec corpus ita commovet. *Tertio:* Quia talis contactus est

1) Cap. 16. n. 12. — 2) Lib. 3. c. 14. — 3) Disp. 9. q. 3. p. 3. — 4) V. *Impudicitia*, sub fin.

impudicitia quaedam, nam fit causa voluptatis impurae; atqui impudicitia excludit a regno coelorum, ut infra ex Apostolo dicetur: ita Cajetanus supra. *Itaque sententiam illam non dixerim probabilem. Idem sentiendum de amplexibus.* »

III. « Idem dicito (prosequitur cl. » Ballerinius) de *Perez,* qui dum (de » matr. disp. 8. sect. 6. n. 7.) de gra- » vi damnat *delectationem libidino-* » *sam, quae est quaedam copulae* » *inchoatio; delectationem tamen ex* » *osculis perceptam* (ib. n. 4.) ceu » licitam concedit. » – Videamus, an revera res ita se habeat.

Martinus Perez, S. J., l. c. *n. 4.* ait: « Dico primo, certum esse apud omnes Doctores, oscula praedicta, amplexus et tactus non impudicos licite fieri inter sponsos de futuro, quando fiunt in signum benevolentiae, secundum consuetudinem patriae, ad conciliandum et fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum. Et ratio est, quia sunt signa mutuae benevolentiae, pacis et debiti obsequii, et in eis non solum non apparet turpitudo, verum etiam adest finis honestus, ergo honeste fiunt. Unde colligo cum praedictis Doctoribus, delectationem ex ipsis sequentem esse licitam et honestam; quia licitum est delectari de amicitia, pace ac mutuo amore sponsorum in ordine ad matrimonium contrahendum; ergo et licitum est delectari de ejus signo, quod est osculum vel amplexus, aut tactus, *secundum patriae consuetudinem.* »

Et *n. 7.*: « Dico tertio, oscula, amplexus, et tactus etiam non impudicos, inter sponsos de futuro, qui fiunt causa delectationis sensualis seu libidinosae quae percipitur in ipsis, esse peccatum mortale. Ita sentio cum Doctoribus secundae sententiae. Moveor, quia hanc delectationem natura instituit, ut medium ordinatum ad generationem et ad copulam: ergo, cum copula non sit licita inter eos, qui non sunt conjugati; sequitur, neque licitam esse hujusmodi delectationem sensualem. Firmo: nam ideo, ex omnium sententia, delectatio morosa de copula praeterita in vidua est illicita, quia illa commotio carnis ex delectatione causata, quaedam est inchoata copula; atque adeo, cum viduae in eo statu non liceat copula, pariter nec inchoatio ad illam. Quae ratio non minus urget in sponsis de futuro. »

Et demum *n. 8.*: « Ex quo infero, *sponsalia praecise spectata, non excusare* in sponsis de futuro *a culpa mortali vel veniali,* oscula et amplexus, et tactus non impudicos, *qui in ipsis, si soluti essent, vere essent mortales vel veniales.* Hoc enim aperte convincit argumentum pro sententia Hurtado. Ex quo patet manifeste solutio ad argumentum Sanchez. Dixi: sponsalia praecise spectata; nam aliunde excusare possunt a culpa etiam veniali, si fiant ob aliquam necessitatem, ad excusandam videlicet inurbanitatem et austeritatem, vel ad conciliandum mutuum amorem, *juxta patriae consuetudinem,* modo jam supradicto, primo dicto. »

Claris igitur verbis, quae alium sensum non admittunt, *Perez* docet, *sponsis nihil licere, nisi id quod ceteris non conjugatis liceret,* et ideo illa tantum oscula, amplexus et tactus licere, quae *secundum consuetudinem patriae* fiunt. – Dicit, licitam ipsis esse delectationem ex hisce actibus sequentem, i. e. illam delectationem *simpliciter sensitivam,* quae tactui rei blandae vel mollis respondet; sed solummodo in quantum de amicitia, pace ac mutuo amore, cujus signa sunt oscula vel amplexus, aut tactus *secundum patriae consuetudinem,* delectari licet. Nequaquam vero concedit, sponsos licite in hac delectatione *sistere,* eam *quaerere* aut *intendere* posse. Id enim personis adultis diversi sexus illicitum esse, apud omnes in confesso est; imo hujusmodi personas graviter peccare, propter periculum incidendi in delectationem libidinosam, sententia

communissima est, et nonnisi tactus omnino leves aliqui excusant; ut jam supra exposuimus. Similiter ergo, imo a fortiori, sponsi; expresse enim declarat Perez, quoad culpam mortalem vel venialem, idem valere de sponsis ac de ceteris.

IV. Deinde pergit P. Ballerini: « *Bonacina* autem (de matr. q. 4. » punct. 9. n. 6.) et *Mazzotta* (Tr. 7. » disp. 2. q. 2. c. 2. q. 1.) *utramque* » sententiam dicunt *probabilem.* »

1. *Bonacina* utique dicit: « Utraque sententia est probabilis. » Sed statim subjungit: « *Prima* (negans esse peccatum) *mitior; secunda* (affirmans) *tutior et probabilior.* » – Quae ultima verba, cl. Professor, qui veritatem historicam vindicare sibi proposuit, adjungere potuisset et debuisset. Quivis namque Auctor, qui sententiam aliquam *probabiliorem* censet, recte pro hac sententia citatur, etiamsi probabilitatem oppositae admittat: in quo omnes DD. conveniunt. Insuper Bonacina hanc sententiam non solum probabiliorem, sed etiam *tutiorem,* et ideo in praxi amplectendam censet.

2. Tanto minus haec omissio excusari potest quoad *Mazzottam, S. J.,* qui eamdem sententiam *longe probabiliorem* vocat, et ideo oppositae aere probabilitatem concedit. – Quaestionem proponit l. c.: « *An liceant sponsis oscula, amplexus et tactus pudici in partibus honestis?* Respondeo cum Perez et aliis, tunc licere, quando fiant in signum benevolentiae, secundum consuetudinem patriae... At si fiant ob delectationem carnalem et sensualem in illis perceptam, Sanchez cum aliis pluribus probabiliter docet, etiam licere sponsis, dummodo non adsit periculum pollutionis aut consensus in istam...; quia sponsi habent jus saltem remotum ad copulam, ergo jus proximum ad istos actus, qui sunt dispositio remota ad illam. » – Et subjungit: « *Sed longe probabilius contradicunt* Henriquez, Hurtado, Suarez, Lessius, Concina, et alii plures, praesertim postquam Alex. VII. damnavit prop. 40. quae ait: *Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensualem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.* – Ubi delectatio carnalis et sensualis sonat delectationem veneream, quae sentitur in carne ex commotione spirituum inservientium generationi; ad differentiam delectationis mere sensibilis, qua solum placet tactus proprii corporis, vel alieni, ob proportionem cum organo tactus, ut accidit in osculo infantis. – Et, quamvis ea propositio proprie damnata sit pro solutis; ex iis tamen formatur validum argumentum ad sponsos de futuro. Nam in tantum osculum, habitum ob delectationem carnalem et sensualem ortam ex ipso osculo, est interdictum solutis, et quidem sub gravi, in quantum illis est interdicta copula, cujus tale osculum est initium; atqui pariter interdicta est copula sponsis de futuro: ergo etiam his interdicuntur sub mortali oscula, amplexus, etc., ob delectationem carnalem et sensualem ex ipsis ortam. *Neque eos juvat jus remotum,* quod habent ad copulam: sicuti neque ex eo, quod quis ex promissione Regis cras futurus sit judex, potest hodie actum ullum jurisdictionis exercere. Hinc merito infert *Perez* n. 8., Sponsalia praecise spectata *non excusare* a peccato oscula, amplexus aut tactus, *quae in ipsis, si essent soluti, forent peccata,* et contra sextum praeceptum. »

V. Objicit insuper P. Ballerini: « *Suarez* (de peccatis, disp. 5. sect. 7. » n. 12.) et *Henr. Henriquez* (lib. 11. » c. 19. n. 4.) nihil prorsus habent, » quod ad rem faciat. » – Quid de utroque sentiendum sit, videamus.

1. *Suarez,* l. c. dicit: « Tertio sequitur, *delectari in actu, qui nunc per se est malus, apprehenso tamen, prout in futuro tempore erit hone-*

stus, esse ex genere suo mortale. » – Utique ipse de sponsis speciatim non loquitur ; attamen regulam generalem statuit, ex qua adversarii sententiae Cajetani et ipsi adhaerentium inferunt : Copula inter matrimonio non conjunctos in se mala est; idem ergo dicendum de actibus copulae inchoativis, quales sunt tactus, amplexus et oscula, habita « cum affectu maritali », ut dicit Cajetanus, vel « cum voluptate praeambula matrimoniali », ut dicunt Navarrus et Sanchez; nec ea ratione cohonestari possunt, quod in futuro tempore copula sponsis licita erit. – Imo ipsi praedicti Auctores fatentur, istos actus *in se malos* esse, quippe quod nonnisi a culpa mortali eos excusent. Nullum autem jus dari potest ad exercendos actus in se malos sive sub gravi sive sub levi a jure naturali prohibitos. Quomodo ergo affirmari potest, *sponsalia sponsis jus tribuere ad actus in se malos?* Quo argumento egregie utitur *Cardenas* infra allegandus.

2. *Henriquez, S. J.,* l. c. scribit: « Tertio, ad matris praecipue munus pertinet, custodire corpus filiarum, multis periculis objectum, quasi vitrum delicatum... *Cum filia de futuro desponsata, honesti amplexus et oscula ad benevolentiam* concedebantur a viris doctis, sed *permitti non deberent, cum jam sponsalia, per copulam affectu maritali non transeant in matrimonium.* » Etenim, quemadmodum in adnotatione, cum Navarro [1] et aliis communiter ex Cap. *Is qui fidem,* de Spons. et Matrim., explicat, ante Concilium Tridentinum, quod matrimonia clandestina irritavit, sponsalia, per copulam maritali affectu habitam, tacite matrimonia fiebant. Ex quo sequitur, oscula et amplexus sponsis olim licita fuisse, tamquam praeparatoria ad copulam licitam. Cum autem haec ratio in praesenti cessavit, ex sententia Henriquezii, *amplexus et oscula sponsis eodem modo, quo ceteris solutis, prohibita sunt.*

VI. Sed pergit cl. Ballerinius : « *Rebellus* (De oblig. just., part. 2. » lib. 3. q. 19. sect. 2.) et *Gaspar* » *Hurtado* (De matr., disp. 10. dif- » fic. 10. n. 48.) disserunt, alter qui- » dem de *delectatione libidinosa,* seu » de osculis, *per quae inchoatur vo-* » *luptas venerea;* alter vero de *ta-* » *ctibus libidinosis* et delectatione » inde percepta; *quae itidem non* » *sunt ad rem.* »

At, pace cl. Professoris, ista *revera itidem sunt ad rem,* et apprime quidem. Etenim illa ejusdem assertio, Doctores sponsis nonnisi *quampiam* delectationem concedere, qua delectatio proprie venerea dicta prorsus excluditur, ut vidimus, mera fictio aut hallucinatio est. *Cajetanus* et *Navarrus* praecise de delectatione *libidinosa,* seu de osculis, per quae inchoatur voluptas venerea, loquuntur; et ita non tantum Rebellus et Hurtado, sed omnes, tam assentientes, quam dissentientes, ipsos intelligunt. Si enim aliqui sponsis, vi sponsalium, sensitivam tantum delectationem permittentes, vel alii etiam sensitivam ipsis denegantes, pro hac sententia Cajetanum et Navarrum citant, eatenus ipsos citant, quatenus qui modice veneream permittit, a fortiori sensitivam concedit. Unde S. A. hanc sententiam, quam primo loco ponit, non minus accurate, sed accuratissime explicat. – Sed ipsos Auctores citatos audiamus.

1. *Rebellus, S. J.,* l. c. quaestionem proponit : « Utrum vero amplexus et oscula, carnalis delectationis gratia, inter sponsos similiter (ac in conjugatis) liceant, remoto etiam periculo ulterius procedendi? » Et respondet : « *Cajetanus,* [2] quem sequitur Cordubensis, Toletus, Navarrus, ubi supra n. 12., dicunt, esse tantum veniale ; eo quod, ut

1) Man. c. 22. n. 28. et c. 27. n. 141. — 2) In Summa, V. *Sponsalia:* et 2. 2. q. 154. art. 4.

sponsa inchoative est sponsi, ita venerea delectatio inter eosdem inchoative permittitur. Quamvis Navarrus a veniali quoque peccato per inadvertentiam ista videatur excusare, cum absolute asserat esse licita : idque ipsum attribuat Cajetano : cum tamen Cajetanus esse peccata venialia utrobique asserat. » – Quam sententiam diffuse refutat Rebellus iisdem rationibus, quas jam ex aliorum textibus novimus ; et concludit :

« Unde patet, *quam infirmum sit fundamentum,* quo nititur *Cajetanus,* primus auctor hujus opinionis inter Theologos, ut innuit Navarrus, ubi supra (nec enim, ante Cajetanum, forte aliquis ex Patribus, vel ex Scholasticis Doctoribus, proferetur, qui a peccato mortifero excuset amplexus et oscula inter ipsos etiam sponsos, si venerea delectatio per ejusmodi tactus captari intendatur). Praefato enim art. 4. q. 154. ingenue fatetur Cajetanus, se nescire excusare ejusmodi tactus a peccato mortifero, nisi ex eo fundamento dumtaxat, quod, sicut sponsalium contractus est inchoata traditio corporum, inchoatumve matrimonium, ita sine peccato lethifero possit inchoari delectatio venerea a sponsis, quae est etiam inchoatio quaedam copulae ; quo fit, ut *si fundamentum falsum est, ut ostendimus, consequenter a nullo sit recipienda talis doctrina.* Deinde, quia suapte natura ordinatur libido illa ad consummationem pollutionis, pro illo tempore mortaliter illicitam. Quare si actus non est copula conjugalis, vel ad illam ordinatus actu vel habitu, constat esse de se illicitum mortaliter. »

Cum autem Rebellus fundamentum hujus sententiae dejiciat et omnino neget, sponsis peculiarem praerogativam prae ceteris non conjugatis indicari posse ; eo ipso delectationem *sensitivam,* ceteris graviter illicitam, sponsis denegat.

2. *Gaspar Hurtado, S. J.,* l. c., Rebellum citans, eodem modo hanc sententiam refutat, reprobatque.

VII. Addit cl. Professor : « *Croix* » (lib. 6. p. 3. n. 151.) *communi sententiae mere opponit falsas allegationes Lessii, Suarezii, Henriquez* et *Hurtadi, quibus addit Comitolum ; sed et hunc perperam, quia Paulus Comitolus, utut vir ingenii anomali, et zeli ad strictiora propensi, tamen a communi sententia in hac re non recessit, ut patet ex hisce* (Resp. mor. lib. 4. q. 20. n. 4.) : Quapropter puellae et virgines, quae aut ex osculis et amplexibus castorum juvenum, quos amant, voluptatem capiunt honestam, sive cum eos tactus cogitant, sive etiam corpore eos admittunt ; aut non peccant, aut leviter peccant, ut inquit *Sylvester,* V. *Delectatio,* n. 7. Non mortifere peccare affirmat *Rosella,* V. *Cogitatio morosa,* n. 4. Secus dicendum, si animo obscenam aut corpore turpem voluptatem hauriant. »

1. Ergo *Croix, S. J.,* communi sententiae mere opponit *falsas allegationes Lessii, Suarezii, Henriquez et Hurtadi.* An istae allegationes (quibus Croix addit : « et alii cum Mendo ») falsae sint, ex praemissis dijudicare licebit. – Verum, abstrahendo ab ista assertione, Croix nequaquam mere sententias aliorum refert, sed suam propriam enuntiat, argumenta contraria confutat, et in fine subjungit : « Quod autem *Busembaum* dicit, licere illa sponsis, *si tantum intendant delectationem sensitivam, non videtur practice probabile,* uti dixi lib. 3. p. 1. n. 895. et lib. 5. n. 106., *quia ordinarie semper aderit certum periculum consentiendi in delectationem veneream, quae simul erit conjuncta.* »

Itaque Croix delectationem *sensibilem* sponsis non solum non permittit, sed eam *sub gravi* interdicit ; ergo multo magis quamcumque veneream ; et in genere *(ibid.)* tactus, amplexus et oscula *eodem modo, quo caeteris non conjugatis,* illicita esse declarat.

2. Sed cl. Professor speciatim *Croix* increpat, quod *Comitolum* perperam allegaverit. Quo jure, videamus.

Loco cit. *Comitolus, S. J.,* dicit: « Prima propositio. Oscula, amplexus, et manus porrigere et accipere ac tenere, aut amicitiae aut benevolentiae ergo, aut more provinciae vel patriae, nullum est peccatum: convenit id inter omnes. – Secunda propositio. Inter quos hi tactus exercentur, si ii aut obscenam putidamque in illis voluptatem quaerunt; aut vero ad conscleratam commistionem corporum referunt, ex omnium sententia flagitium aeterni ignis luendum poena committunt; *neque venia excusationis danda est* iis, inter quos futurarum nuptiarum inita sunt foedera, si hoc animo inter se tangant; quamvis nomine illius pactionis, istos defendere videatur Navarrus. » [1]

«Verum nullus mihi occurrit Theologus, qui huic hominum generi concedat, quod indulget Navarrus; cujus opinioni favere aliquo modo videtur Cajetanus, [2] sane certe, cum tam veteres, quam recentes Theologi venereae voluptatis causa tactiones non permittant, nisi iis, quibus est coitus et concubitus permissus; plusquam periculosum et temerarium est sponsis, qui nondum legitimo conjugio copulati sunt, oscula, tactus, amplexus, concedere, ea mente et voluptate commaculatos: quos unum solum matrimonium justum potest perpurgare. »

Omnino ergo Comitolus reprobat Cajetani et Navarri sententiam, sponsis, jure sponsalium, *modicam inchoativam delectationem veneream licere:* et ideo Lacroix (quemadmodum Diana et Salmanticenses) *rectissime* ipsum citat inter adversarios hujus sententiae. – De altera vero sententia, sponsis saltem *sensitivam* delectationem licere, advertit, ipsam *practice* non esse probabilem.

3. Sed pergit *Comitolus:* « Itaque *Paludanus* [3] loquitur his verbis: « *Si enim oscula et amplexus ideo solum sunt mortalia in solutis, quia ipse actus esset mortalis: ergo in conjugatis, quibus actus non esset mortalis, nec incitatio ad ipsum est mortalis.* » Quae Paludani sententia ab aliis fere Doctoribus comprobatur. Quapropter puellae et virgines, quae aut ex osculis et amplexibus castorum juvenum, quos amant, voluptatem capiunt honestam, sive cum eos tactus honestos cogitant, sive etiam corpore cum admittunt, *aut non peccant, aut leviter peccant,* ut inquit *Sylvester.* [4] Non mortifere peccare, affirmat *Rosella.* [5] Secus dicendum, si animo obscenam aut corpore turpem voluptatem haurirent: ut illimet Auctores ajunt, et D. Antoninus. » [6]

4. *Paludanus* a Sanchezio [7] et ab omnibus citatur pro sententia, sponsis oscula, amplexus et alios tactus quamvis pudicos *non licere, et esse mortalia,* quia copula ipsis prohibita est, quemadmodum et ceteris non conjugatis. *Comitolus* autem singulari modo ex textu allato deducit, sponsos, qui hujusmodi actus exercent et sensitivam tantum delectationem inde capiunt, nonnisi venialiter peccare. Quaenam vero sit haec delectatio, *n. 6.* explicat: « Quando osculum et amplexus honeste initur, citaturque in osculantibus, aut iis, quibus suavium datur, voluptas, quae non ad tactum venereae voluptatis, sed primarum secundarumve qualitatum, qualis est levitas et mollitudo, refertur. »

5. In praefato textu, Comitolus pro hac sententia citat *Sylvestrum* et *Rosellam,* qui autem de omnibus, quae ipsis adscribit, nihil plane habent. – Dicit: « *sive etiam cor-*

1) In Summa, c. 16. n. 12. — 2) In 2. 2. q. 154. art. 4. — 3) In 4. sent. dist. 31. q. 3. art. 2. concl. 6. — 4) In verbo *Delectatio*, n. 7. — 5) In verbo *Cogitatio morosa*, n. 4. — 6) In 2. p. tit. 5. c. 1. §. 10. — 7) De matrim. lib. 9. disp. 46. n. 46.

pore admittunt. » Verum uterque non de actibus, sed de *cogitatione* loquitur. *Rosella* expressis verbis dicit: « Oscula et tactus et amplexus, propter delectationem extra matrimonium habendam, sunt mortalia. » Et *Sylvester* puellas supponit: « quae castae sint opere. » Porro uterque *non de sponsis* loquitur; sed de puellis, quae, cogitando de pulchritudine alicujus juvenis, delectantur, quod eum vellent osculari, tangere et amplexari, adjecta conditione, si matrimonio ipsi conjungerentur. – Quod denique culpam attinet, *Rosella* dicit: « *videtur mortale,* quia videtur ibi corrupta intentio; secus, si ex dilectione fraterna, sicut si frater oscularetur sororem et contra. » Ergo solummodo inter fratres et sorores, haec delectatio de cogitatis actibus ipsi non videtur mortalis. *Sylvester* autem hujusmodi delectationem, etiamsi ex casto amore procedat, *a culpa veniali non excusat* praeterquam inter fratres et sorores.

6. Textum Rosellae jam supra ex integro allegavimus; [1] hic adjungemus textum *Sylvestri,* qui eumdem proponit casum: « Quinto quaeritur circa id specialiter, quid de *puellis,* quae tametsi castae sint opere, tamen sensuali amore et juvenum pulchritudine allectae, consentiunt in delectationem de *cogitatione* osculorum et amplexuum? Et dico juxta praedicta, quod si consensus esset in delectatione cogitationis tantum, non esset mortale: quod quidem, licet sit possibile logicum, i. e. non implicans contradictionem, nunquam tamen aut rarissime accidit. Si vero consentiunt in delectatione actus cogitati, si *delectatio* ipsa non sit *ex more* libidinoso, sed *casto, sicut soror fratrem osculatur,* erit peccatum veniale vel nullum, secundum qualitatem amoris; sed si delectatio sit ex amore libidinoso, erit mortale consensus, ut patet ex dictis. Nec valet dicere, quod illa libido potest sistere intra limites matrimonii, quia ibi nullum est. »

VIII. De *Viva* loquens, sic prosequitur P. Ballerini: « Denique *Viva* » (De matr. q. 1. art. 7. n. 6.) licet » pugnare videatur contra Sanchezii » communem sententiam, tamen ambigue loquitur de *delectatione* modo *sensibili,* modo *carnali;* remque magis implicat, dum hoc loco dicit, se *communiorem* doctrinam contra Sanchezium sequi, dum alibi » (In prop. 40. damn. ab Alex. VII. » n. 23.) Sanchezii sententiam tribuit *plurimis:* quae duo plane forent contradictoria. »

1. *Viva, S. J.,* in Cursu theol. de matrim. l. c., sententiam exponit, quam tenet Sanchez cum Cajetano, Navarro et aliis, videlicet, tactus non impudicos inter sponsos a culpa mortali vacare, etiamsi intendatur delectatio sensitiva et carnalis, quae ex illis oritur. – Deinde sic pergit: « Suarez tamen, Rebellus, Hurtado cum Perez et aliis, *communius et probabilius* docent, *esse mortale, si carnalis et libidinosa voluptas intendatur,* quae scilicet sentitur in carne, cum commotione spirituum vitalium incitantium ad pollutionem, et dici solet delectatio sensitiva et carnalis; *secus vero,* si oscula fiant in signum benevolentiae, *secundum consuetudinem patriae,* ad fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium. – Ratio autem, cur, juxta communiorem sententiam, sint peccata mortalia non solum tactus impudici (de quibus nemo dubitat), sed etiam non impudici, habiti a sponsis propter delectationem sensualem seu libidinosam, est, quia talis delectatio instituta est a natura in ordine ad copulam; ergo, cum sponsis non sit licita copula, nec permittitur delectatio per se ad illam ordinata. » – Cui rationi alias adjungit Viva, sponsalia sponsis nul-

1) Pag. 305. n. 2.

lum jus ad istos actus tribuere; demum *n.* 7. concludit: « Ex dictis sequitur, eodem modo oscula et tactus non impudicos *esse peccatum aut veniale aut mortale in sponsis, ac in solutis et in viduis;* et solum sponsis ea permitti ad honestum finem, v. g. ad excusandam inurbanitatem. »

Nequaquam ergo « *ambigue* », sed tanta claritate sensus suos de hac quaestione explicat Viva, ut majorem desiderare nequeas. Ideoque supervacuum est inquirere, de quanam delectationis specie in praecedentibus loquatur. Sufficit, ex sua sententia, tactus non impudicos *sponsis eodem modo, quo ceteris non conjugatis,* licita vel illicita esse. – Cum autem P. Ballerini ipsi exprobrat, quod « *alibi contradictoria* » habeat, ad hanc quoque objectionem respondebimus.

2. In Cursu theologico, ut modo vidimus, *Viva* delectationem carnalem aequiparat libidinosae seu venereae. Et revera in praxi, saltem inter personas adultas diversi sexus, nullum subsistit discrimen. Etenim impossibile est, ut in hujusmodi personis delectatio de tactu carnis non sit conjuncta cum spirituum genitalium commotione; ideoque haec delectatio voluntaria et deliberata est jam libidinosa seu venerea. [1] – In altero vero Opere: *de Propositionibus damnatis,* ubi de parvitate materiae in re venerea agit, accuratius distinguit inter delectationem simpliciter tactivam seu *sensitivam,* sensitivam *carnalem,* et libidinosam seu *venéream.*

Loc. cit. *n.* 9. adfert objectionem: « Quinto, quoties actio non est mala, nec est mala delectatio, quae oritur ex illa, quippe quae naturaliter consequitur; sed oscula de se non sunt mala, cum possint ex casto amore prodire: ergo nec est mala delectatio carnalis, quae inde consequitur, nisi ad ulteriorem consensum, vel ad pollutionem inducat. » – Demum in fine *n.* 23., quoad sponsos addit: « Illud controversum est hac in re: num scilicet oscula ista ob delectationem carnalem habita, ortam ex ipsis osculis, vacent culpa mortali inter sponsos et sponsas de futuro? Affirmat Sanchez [2] *cum aliis plurimis,* dummodo absit periculum consensus in copulam aut pollutionis; quia scilicet cum sponsalia sint initium matrimonii, excusant a mortali hanc delectationem, quae est quaedam inchoatio copulae. »

Hic ergo de quaestione agit, an inter sponsos, sin minus libidinosa delectatio, saltem *sensitiva carnalis* a peccato mortali excusari possit, et nullatenus sibi contradicit, dum hic de *plurimis,* et in altero Opere de *sententia communiore* loquitur. Nam vox: *plurimi,* ex frequentissimo loquendi usu, hic non denotat superlativum gradationis, sed: *permultos.* Possunt autem pro aliqua sententia permulti Auctores stare, et nihilominus adversarii numero ipsos superare: quod in multis quaestionibus controversis obtingit.

3. Caeterum *Sanchez* non tantum indirecte sponsis libidinosam delectationem citra culpam lethalem permittit, sed etiam directe: quemadmodum Cajetanus et Navarrus, quibus adhaeret; ut patet ex textibus, tam ex opere *de Matrimonio,* quam ex altero *in Decalogum* supra allatis. – In quo sensu communiter ipsum intelligunt. Sic negat *Gobat,* [3] sponsos a peccato mortali excusari, quando oscula, amplexus et tactus non impudici fiunt ob delectationem libidinosam: « contra Cajetanum, Navarrum, Lopez, Ledesmam utrumque et *Sanchez,* l. c. n. 49., utentem quidem nomine delectationis *sensitivae;* sed per hanc certo intelligit *venéream,* ut patet ex n. 5. et Auctoribus, quos pro se citat. »

IX. Discussis hisce auctoritatibus, quas P. Ballerini sinistro successu

1) Cfr. quaest. praeced. — 2) Lib. 9. disp. 46. n. 47. — 3) Tr. 10. n. 671.

evertere conatus est, ipse fidenter sic concludit : « Ex allegatis igitur » supereruntMendo, Concina et Roncaglia; quorum postremus (Tr. 12. » c. 1. q. 6.) dicit, *mirari se,* quod » *quidam oscula admittant ut licita* » *inter sponsos, et nunquam se satis* » *percepisse, quomodo dici possit,* » *sponsalia tribuere sponsis jus ad* » *mutua oscula.* Ad quae alii illud » forte reponerent, rationem, quae » *Roncagliae* oculis non affulsit, af- » fulsisse tamen communiter alio- » rum, quos innuimus, Doctorum in- » tellectui ; neque enim alia commu- » nis [1] sententiae causa sufficiens as- » signari potest, nisi ratio quaepiam » satis spectabilis, quae diversissima » ingenia in unam sententiam com- » pellat. - Quod idem ad *Mendo* re- » ponendum est, qui (Statera opin. » diss. 5. q. 12. n. 118.) *tot* (ut ait) » *atque adeo gravium* Auctorum do- » ctrinam veritus est sequi, quod » ejusdem fundamentum non pervi- » deret. »

1. At vero *Roncaglia* non sistit in mera admiratione, sed gravissimis argumentis sententiam adversam profligat. Si autem dicit *se mirari,* est quia non videt (et recte quidem) quomodo, dum *communiter DD.* docent, oscula inter sponsos aliquo tempore protracta, vel facta ad captandam sensibilem voluptatem, ordinarie loquendo, *non esse sine periculo peccandi,* nihilominus *quidam* dicant praefata oscula esse licita.

En ejus verba : « Quamvis vero non desint (DD.), qui illis (sponsis) permittant oscula, hoc tamen cum grano salis intelligendum est. Esto proinde non sint illis prohibita oscula ad solam *benevolentiae demonstrationem,* [2] id tamen admittendum est de osculis veluti furtivis, et factis per transennam, *non vero de osculis pressis, et aliquo tempore protractis;* nam haec, attenta communi fragilitate, solent esse indivisa a turpibus venereis commotionibus. Idem dicatur de osculis factis *ad captandam sensibilem delectationem,* propter rationes supra insinuatas, loquendo de osculis. - Et quidem mirandum est, *communiter DD. docere,* praefata oscula, vel aliquo tempore protracta, vel facta ad captandam sensibilem delectationem, ordinarie loquendo, non esse sine periculo peccandi, et nihilominus *quosdam* admittere licita esse inter sponsos. *Utique decidendum est juxta ea, quae communiter accidunt; unde si talia oscula sunt communiter periculosa, quomodo ut licita sunt admittenda?* »

« Nunquam pariter satis percepi, quomodo dici possit, sponsalia tribuere sponsis jus ad mutua oscula. Non refragandum utique, si id intelligatur de osculis habitis ad demonstrandam benevolentiam, et ita exercitis, ut inducere non habeant veneream delectationem. At assentiri non possum quoad oscula habita ob *sensibilem* delectationem. *Si sponsalia jus ad ea tribuerent, sponsa teneretur admittere,* quod nemo dicit. Sicut igitur nemo uti potest re, ex vi contractus, post aliquod tempus consequenda, nisi postquam tale tempus advenerit : ita nec sponsus, antequam sequatur mutua traditio

1) In altera edit. pag. 345. legitur : *« tam communis. »*

2) Hoc autem S. A. non admittit *« nisi ubi talis vigeret usus*, ut etiam ait Mazzotta » (Cfr. textum S. Doctoris, in princ. quaestionis). — At vero ipse *Roncaglia* (cit. tr. 12. c. 1. q. 3. in fin.) id praemisit generatim loquendo, dicens : « A praefata autem doctrina puto excludenda oscula, quae juxta morem alicujus regionis fiunt inter viros et mulieres ; nam cum fieri soleant, non ad capiendam delectationem naturalem, sed solummodo ad externe significandam amicitiam, et id a viris etiam probis, possunt a culpa excusari. Quod si sermo sit *de osculis pressis inter personas solutas diversi sexus et aliquali mora protractis, puto nullibi posse cohonestari*, propter grave periculum venereae delectationis. Insuper advertendum, quod *ubi non est talis consuetudo, non posset sine gravi culpa introduci;* nam a gravi culpa excusari non possunt introductores consuetudinis, quae facillime degenerare potest in pravam, adeoque in magnam perniciem animarum. »

per verba de praesenti, potest aliquo pacto uti sponsa; partialiter autem ea uteretur, si ante matrimonium, illam ob sensibilem delectationem osculetur. – Quod dixi de osculis, dicendum pariter est de *manuum contrectatione* inter sponsos. Levis manuum contrectatio in signum benevolentiae poterit admitti, *non vero diu protracta,* cum illius diuturna compressione; etenim *quia sponsi sunt, majori affectu exardescunt,* et facillime species de futura copula in illis excitatur; unde *illa protracta compressio manuum in eis, plus quam in aliis, apta est ad excitandam veneream delectationem.* – Videantur *Bonacina,*[1] *Antonius a Spiritu Sancto,*[2] *Candidus.*[3] »

2. *Mendo, S. J.,* autem non simpliciter « *veritus est tot atque adeo gravium Auctorum doctrinam sequi* »; sed relinquendo ejus probabilitatem extrinsecam, positive ex rationibus intrinsecis eam reprobat. Ipsum itaque audiamus.

Loco cit. *n. 114.* dicit: « Oscula et amplexus non esse peccata mortalia inter sponsos de futuro, dum habeantur absque delectatione venerea, docent Cajetanus... *116.* Sententia opposita *negat,...* ast eodem modo esse eis interdicta, ac aliis qui sponsalia non contraxerunt. Ita docent *P. Henriquez,*[4] *Pedraza,* et *alii* apud Thomam Sanchez, supra n. 47., nec non omnes illi, qui absolute damnant peccati lethalis oscula et amplexus, nisi inter conjuges. Probatur haec sententia, *primo:* Solutis non licent oscula et amplexus, quia eis copula est interdicta; at similiter est interdicta sponsis de futuro; ergo nec eis licent: siquidem ejusdem malitiae sunt amplexus et oscula, cum copula carnali. *Secundo* probatur: quia solum matrimonium cohonestat delectationem ejusmodi tactuum; quare, cum matrimonium adhuc non detur inter sponsos de futuro, ea delectatio cohonestari nequit. *Demum* a paritate: nam in humanis, etiam si rex cum aliquo inierit contractum, de ipso in judicem promovendo, adhuc ante obtentam muneris possessionem, nequit ille aliquam muneris partem obire. Ergo quamvis in sponsalibus, initus sit contractus de matrimonio ineundo, nequibit quidquam ex his, quae in matrimonio licent, exerceri, ante initum ipsum matrimonium... »

Et *n. 118.* sic pergit: « Relinquendo probabilitatem extrinsecam huic sententiae (primae), quam tot et graves adeo auctores tutantur, *ego quidem secundam amplector sententiam; eo quod nec fundamenta primae, nec responsiones allatae,* numero praecedenti *(117), mihi vim ingerant, nec assumptum suadeant.* Etenim sponsi de futuro debent recenseri, sicut ceteri soluti, cum non potius inter illos, quam inter hos matrimonium detur. Quod autem contractus initus sit de matrimonio perficiendo *(qui* tamen *pluribus de causis potest dissolvi),* non concedit eis majorem libertatem ad exercenda ea, quae solutis non licent. Nam esse inchoationem quamdam matrimonii, non est rigorose intelligendum, cum matrimonium fiat consensibus contrahentium cum parocho et testibus, quod in unico actu, ut ita loquar, consistit, cujus ea inchoatio non est pars constitutiva essentialiter, nec integraliter, siquidem plurima matrimonia ineuntur, quin praecedant sponsalia; atque adeo ex eo quod est *improprie* inchoatio matrimonii, arguitur ad id, quod est proprie inchoatio copulae; et quod solum conjugibus licet. – *119.* Confirmatur ex dictis quaest. 9. Nam *oscula et amplexus ex sola delectatione sensitiva, et non venerea, difficile ad praxim revocari possunt.* Quod amplius stabilitur ex his, quae ipse Petrus Tho-

1) De matrim. q. 4. p. 9. n. 6. — 2) Direct. Confess. tr. 11. de matr. d. 9. n. 662. — 3) Disq. 11. art. 1. dub. 5. — 4) Lib. 11. de matr. c. 19. n. 4. in fine.

mas Sanchez disp. 46. n. 7. tradit, nempe amplexus et oscula suapte natura proxime subservire copulae, et notabiliter excitare vehementem corporis et spirituum generationi inservientium commotionem ... »

Dein *n. 120.* prosequitur : « Ex his non video, quomodo sponsalia sint titulus ad excusandum a culpa lethali ea oscula et amplexus, *qui inter solutos peccati lethalis damnarentur,* nec quomodo possit abesse periculum delectationis venereae, dum datur ea delectatio sensitiva. Nec quod habendi essent sponsi de futuro *austeri et inurbani,* excusat a culpa lethali oscula aut amplexus, in quibus pollutio praevidetur. Primo, quia viri timorati et prudentes non judicabunt eos austeros nec inurbanos, si omittant eas actiones, sed cautos ac timentes Deum ; quin potius vituperabunt eas actiones, ut parum pudicas et cautas. Secundo, nam demus, casu quo essent censendi inurbani, experiri sponsos de futuro periculum consentiendi in pollutionem. *Cum eo periculo nequeunt se invicem amplexari, ut adversarii fatentur,* et notam inurbanitatis subibunt. Quid ergo refert, quod eam subeant in aliis eventibus, cum res adeo sit lubrica et periculosa ? Et sane nullam, credo, subibunt ; et majori nota inurentur, si eas actiones exercent, *sine quibus, alia sunt media ad conciliandum castum amorem. — 121.* Et quis non videat, ex contraria doctrina ansam aliquam suppeditari his, qui pro naturae fragilitate ad delectationem sunt proclives, ut in actionibus, quae eam valde excitant, illicite ipsam percipiant ? Maxime, cum sponsis de futuro spes et desiderium actuum conjugalium possit facilius esse occasio, ut inter oscula et amplexus in illos ferantur, et libidinis aestu commoveantur... Et quidem, meo judicio, *plus periculi delectationis et consensus datur inter hos sponsos, quam inter omnino solutos ;* nam hi possunt eas actiones exercere, quin respectum ad copulam habeant, vel quia nolunt ad eam progredi, vel quia praevident, se non obtenturos illam; at sponsi non fraenantur his rationibus, atque adeo facilius videtur, posse prolabi in delectationem et consensum. »

3. Solius itaque *Concinae* testimonium P. Ballerini intactum relinquit, sine dubio quia hic Auctor sensa sua nimis aperte et nervose manifestat. Juvat itaque et ipsum paulisper audire.

Concina [1] sequentem textum *Sanchezii* [2] allegat : « Secundum communem sententiam liciti sunt amplexus et oscula inter sponsos de futuro, eo quod sponsalia sunt initium quoddam matrimonii ; ac proinde concedunt jus utendi *voluptate praeambula matrimoniali.* Ergo per sponsalia acquiritur jus in corpus, alias nullus illius usus concederetur. » — Quocirca advertit : « Duplicem distinguunt recentiores isti voluptatem carnalem, alteram *praeambulam,* alteram *consummatam.* Voluptas praeambula sponsis, voluptas consummata maritatis conceditur. Rationem produnt. Sponsalia sunt initium matrimonii. *Ergo per sponsalia acquiritur jus inchoatum in corpus : alias nullus illius usus concederetur.* Ergo concedenda est sponsis *voluptas praeambula.* Haec doctrina communis est, inquit P. Sanchez, inter recentiores ... Quaerendum esset ab istis recentioribus, undenam acceperint cultrum ad praecidendam hanc delectationem in partes duas, nempe in inchoatam et consummatam ; unamque partem tribuendam sponsis, alteram conjugatis ; seu partem *praeambulam* sponsis, *totam* vero maritatis ? »

Et *n. 15.* alterum textum *Sanchezii* [3] allegat : « Atque haec conclusio

1) De matrim. diss. 4. c. 2. n. 6. — 2) In Decal. lib. 1. disp. 11. n. 5. — 3) De matrim. lib. 9. disp. 46. n. 49.

*

vera est, quamvis sponsi *intendant eam delectationem sensitivam,* quae ex ipsis amplexibus et osculis oritur. Quia sponsalia, quae matrimonii initium sunt, *excusant a mortali hanc delectationem, quae copulae inchoatio est, et in omnino solutis esset culpa mortalis.* » – Deinde idem *Concina* advertit: « Haec delectatio, inquit Sanchez, est copulae inchoatio, et in omnino solutis esset culpa mortalis. Sponsalia ergo efficiunt, ut quae sunt in solutis flagitia mortalia, sint in sponsis culpae veniales? »

In fine demum, in *Monito ad Confessarios* dicit: « Conferant isti, velim, indicatas recentiorum opiniones cum Patrum SS. doctrina, quam capite superiori recensui. Docent *Ecclesiae Patres,* sponsalia ritum quemdam sacramentalem esse et *tyrocinium virtutum,* quibus sponsi ad magnum Ecclesiae sacramentum se praeparent. Contra, *recentiores* citati sponsalia constituunt *tyrocinium voluptatis praeambulae, voluptatis sensitivae, copulae initialis.* Patrum doctrina sanctitatem et castimoniam spirat; et Scripturarum documenta, quae illi allegant, pudorem, verecundiam, et honestatem naturalem fovent et custodiunt. Horum recentiorum paradoxa communi sensui adversantur, et cum naturali pudore ac verecundia pugnant. Opponunt isti, Doctores temporum dispicere casus temporum, frustraque in Patribus quaeri casus, quos explicant moderni Theologi plures. Et verum dicunt. Nam S. Augustinus, ut sileam ceteros, qui libros integros de conjugio scripsit, nunquam similes putidos casus dispexit. An sponsalia tum non erant? An natura, concupiscentia, et libido hominum mutata? »

S. Alphonsus plurimas Concinae sententias eo reprobat, quod justo rigidiores aut rigidissimae sint; in hac vero quaestione eum citare non haesitat, et nimis rigidum non existimat. Ratio autem est, quia in hisce materiis sententias benignas potius *immanes* dicendas esse censet, prout habetur in Opere: *Homo apostolicus* Tr. ult. n. 3. de sponsis loquens: « Et in hoc generaliter advertendum, quod *ubi agitur de periculo peccati formalis, et praecise peccati turpis, Confessarius, quanto magis se rigorosum cum poenitenti adhibebit, tanto magis ejus saluti proderit;* et contra, *tanto magis cum illo immanis erit, quanto magis benignus erit* in permittendo, ut ille in occasione maneat, aut se immittat. S. Thomas de Villanova Confessarios in hoc condescendentes vocat: *impie pios.* Haec charitas est contra charitatem. » (Cfr. supra, pag. 303.)

Articulus 5.

Confirmatur doctrina S. Alphonsi pluribus aliis Auctoritatibus.

Praeter Auctores jam citatos, sunt adhuc plures alii, qui eamdem, quam S. Doctor noster, tenent sententiam, et quorum testimonia, mere in *veritatis historicae* gratiam, adducere lubet. Etenim rationes intrinsecae, quae pro hac sententia militant et contrariam evertunt, tanti sunt ponderis, ut plurium Auctorum patrocinio eam commendare, supervacuum esset. – Inter omnes autem, quos allegabimus, solus Fernandez a Diana citatur; omnes ceteri, praeter Corradum, quem nec Sanchez, nec Diana citat, alioquin ipsis posteriores sunt.

1. *Joannes Corradus,* [1] Ord. Praedicatorum, quaestionem examinans: « *An amplexus, oscula atque tactus sint peccata?* » dicit: « Verbo *Osculum.* Tabiensis rationem reddit, ad probationem illius propositionis Sylvestri, superius adductae, de hujusmodi actibus, qui, nisi sint ordinati actu, vel habitu ad actum matrimonialem, sunt illiciti: quia natura ipsa hos actus ad concubitum ordi-

1) Resp. n. 143.

navit, ideo extra matrimonium sunt peccata mortalia, si venerea sint. Ex quibus infertur, quod hujusmodi actus venerei inter sponsos, qui consummare non possunt, peccata mortalia sunt, praesertim si in pudendis habeantur. *Et difficile datur, ut inter juvenes oscula, amplexus et tactus non sint venerei:* cum ex natura mulier appetat virum, et e converso; *ad minus proximo periculo se exponunt; ideo non licet,* ut Navarrus ait. [1] *Idque quotidiana probatur experientia, si ipsi sponsi fateri velint; nec ego gratis sic loquor.* »

2. *Antonius Fernandez de Moure* [2] quaerit: « Licetne sponsis uti amplexibus et osculis causa delectationis carnalis, remoto periculo ulterius progrediendi? Resp. Licet amplexus et oscula impudica non sint, peccatum tamen est mortale iis uti inter sponsos de futuro propter solam delectationem sensibilem et libidinosam, etiam amoto periculo ulterius progrediendi. Haec est contra Cajetanum [3] et Navarrum, [4] qui solum peccatum veniale ibi agnoscunt. Verumtamen est communis Doctorum cum D. Thoma; [5] et probatur ratione: quia talis delectatio sensibilis et libidinosa sequitur rationem coitus, a quo oritur: sed coitus inter sponsos est *illicitus mortaliter; ergo et amplexus atque oscula;* siquidem amplexus et oscula est inchoatus concubitus, ut asserunt Cajetanus et Navarrus, locis citatis. »

Et alibi [6] idem *Fernandez,* generatim de osculis et amplexibus loquens, dicit: « Volunt tamen Cajetanus et Toletus, et Navarrus, [7] licere hujusmodi oscula et amplexus ob carnalem delectationem inter sponsos de futuro; quia, inquiunt, inter eos est inchoatum matrimonium. Mihi tamen haec opinio nunquam probata est; quia *oscula et amplexus* capta ob carnalem delectationem sunt inchoata copula, ad quam naturaliter tendunt: *inter eos igitur erunt illicita, inter quos copula est illicita:* nam ex eo capite censetur illicita mortaliter inter reliquos: sed inter sponsos copula de futuro est illicita; *ergo erunt oscula et amplexus.* Ita cum communi D. Thomas. [8] »

3. *Vincentius Candidus,* [9] Ord. Praedicatorum, sententiam refert, amplexus, oscula, aliosque actus non impudicos inter sponsos, omnino licita esse, si habentur in signum benevolentiae ad mutuum fovendum amorem in ordine ad matrimonium; si autem finis sit *delectatio sola sensitiva,* peccata venialia; et subdit: « *Verius tamen et probabilius mihi videtur,* hujusmodi oscula et tactus inter sponsos de futuro, si finis solum sit delectatio sensualis, *non esse licita, sed mortalia:* quia hujusmodi oscula, etc., habita propter hunc finem sunt ejusdem speciei et malitiae mortalis cum ipsa copula, ac copula inter eos est lethalis, ergo: videatur Sotus, [10] Paludanus. [11] »

4. *Dicastillus, S. J.,* [12] ait: « Addendum secundo, oscula, amplexus et tactus inter sponsos de futuro posse excusari a mortali, etiamsi delectationis *sensitivae* causa fiant: citra periculum tamen pollutionis aut consensus in copulam, dummodo per se, atque ex objecto suo turpes, aut impudici non sint. Ratio est, quia sponsalia sunt initium matrimonii, quibus proinde aliquale jus sponsae in corpus sponsi acquiritur, non quidem ad ipsam copulam; sed ad praedictos corporum tactus: quamvis venialis culpa sit, si fiant ob delectationem, et saepissime mortalis, propter pollutionis praevisum periculum. »

« Dixi: *posse excusari;* nempe, quia sic putant graves aliqui Aucto-

1) In Manual. c. 10. n. 12. — 2) Ex. Theol. mor. P. 4. c. 17. *§.* 2. n. 2. — 3) In Summa, v. *Sponsalia;* et 2. 2. q. 154. art. 4. — 4) Man. c. 16. n. 34. — 5) 2. 2. q. 154. art. 4. — 6) Cap. 2. *§.* 4. n. 4. — 7) Cap. 16. n. 12. — 8) Loc. cit. — 9) Disq. 11. art. 1. dub. 5. — 10) In 4. dist. 34. q. 1. art. 2. ad fin. — 11) In 4. dist. 31. q. 3. art. 2. n. 17. — 12) De just. et jure, lib. 1. disp. 3. n. 216.

res, in quibus est Cajetanus, Navarrus, Philiarchus, Sà, Lopez, Sanchez: *ob quorum Auctorum auctoritatem,* non ausim hanc sententiam improbabilem judicare; *alioquin nec ratio allata placet, nec alia suppetit, quae eam sententiam probabilem faciat.* Nec enim video, cur ex eo, quod sit inchoatio quaedam matrimonii, id est, praevium quid (et sane non omnino necessarium) ad contractum matrimonii, inde possit colligi jus et facultas *ad praedictos tactus et ad praedictam delectationem.* Est enim illa femina adhuc simpliciter aliena, et incapax copulae: ergo incapax eorum, quae praevia sunt, aut initium illius. Praeterea, si alter sponsorum renuat, nullam injuriam faciet alteri hujusmodi tactus appetenti; ergo signum est, alterum non habere jus; alioquin non permittere illi id, ad quod habet jus, esset injuria. Si ergo jus non habet ad hujusmodi tactus, *non video, cur tales tactus absque jure habiti liceant.* - Confirmatur a simili; quia non minus est praevius contractus seu pactum, v. g. ad emptionem et venditionem, antecedens aliqua consensio duorum, quo se mutuo obligare intendunt pro tali die, alter ad emendum, et alter ad vendendum, puta, equum; et tamen nemo concedet, quod ex vi talis pactionis, ante venditionem ipsam et emptionem factam, habeat jus emptor futurus utendi re ipsa, si non integro et perfectissimo, saltem aliquo usu; ergo pari ratione, non ex eo quod mutuo consensu se obligaverint sponsi ad futuras nuptias, habebunt jus ad aliqualem usum corporum; licet non perfectum et integrum. »

5. *Mastrius* [1] ait: « Tactus pudici, hoc est, in partibus honestis, qui post sponsalia absoluta fierent *causa delectationis sensitivae,* a pluribus DD. a mortali excusantur.... Oppositum tamen docent Henriquez, Rebellus, Lessius et alii, quorum ratio est: quia haec delectatio a natura instituta est, ut praevia dispositio ad copulam; quare, cum haec sit inter sponsos illicita ante matrimonium, consequenter etiam *delectatio hujusmodi erit eis illicita;* utraque sententia probabilis est ex Bonacina, l. c.; sed prima mitior, secunda *tutior et probabilior, ob propositionem relatam a S. Congregatione damnatam.* »

6. *Illsung, S. J.,* [2] scribit: « De tactu eadem fere, quae de prioribus sensibus dicta sunt, sed cum majori cautela caveri debent; quia ea, quae sensuum externorum functiones illicitas reddunt, nempe finis inhonestus, vel turpis delectationis internae aut externae periculum, potissimum in tactu reperiuntur. - Itaque, licet oscula et amplexus honesti in signum amicitiae, et inter sponsos etiam in signum majoris charitatis, *juxta morem patriae,* praestiti, per se loquendo culpa vacent...; et licet, secundum citatos Doctores, contrectatio ex levitate vel curiositate circa verendas partes bruti animalis, aut proprii corporis, absque delectatione tamen venerea, aut pollutionis periculo vel complacentiae praestita, vel circa partes alieni corporis non nudas, per se loquendo venialem culpam non excedat, quia regulariter ad excitandos carnales motus est insufficiens: semper tamen peccatum mortale est, quando hujusmodi actiones fiunt ex intentione fornicationis, pollutionis, vel delectationis ex commotione spirituum in partibus genitalibus provenientis, vel cum probabili et non necessario periculo consensus, complacentiae, aut delectationis etiam tantum mentalis. »

« Imo, quia oscula, amplexus, praecipue vero tactus, partium etiam non verendarum, sed mollium, v. gr. uberum, *propter solam sensibilem delectationem,* et non praecise propter praedictos honestos fines praestiti in corpore alterius sexus vel personae periculosae, naturaliter et

1) Disp. 11. q. 7. n. 142. — 2) Tr. 4. disp. 1. n. 67.

plerumque sunt connexi, vel proxime disponunt ad aliquam delectationem veneream; ideo etiam *illos communis et vera sententia a peccato mortali non excusat*, praesertim quando ejusmodi actus, ut Palao requirit, aliquamdiu continuantur, aut frequentantur, vel quando illa connexio aut dispositio rationabiliter praevidetur. Unde contrarium docere, sub excommunicatione Summo Pontifici reservata prohibuit *Alexander VII.* damnans propositionem 40. asserentem: « Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum, habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis. » Ex hoc autem colligitur, eos tactus, quos alter sine culpa nequit exercere, absque eadem neminem posse in se exercendos admittere. »

7. *Cardenas, S. J.*, [1] impugnans sententiam, dari parvitatem materiae in re venerea, *n. 201.* adfert argumentum adversariorum: « Inter sponsos de futuro non esse illicita mortaliter oscula, et delectationem ex illis praecise consurgentem, est probabilis sententia multorum. Vel ergo in illis est periculum progrediendi ulterius ad delectationem lethalem, vel non est periculum? Si est periculum, male affirmant, non esse illicita mortaliter. Si non est periculum in osculis, deliberate adhibitis: ergo neque est periculum in delectatione deliberate intenta. »

Fusius hoc argumentum adversariorum refellit *Cardenas*, ac demum *n. 205.* concludit: « *Et ita nego, eam sententiam esse ab intrinseco probabilem;* et post damnatam ab *Alexandro VII.* puto, *non esse etiam ab extrinseco.* – Et sane percipere non possum, quomodo ab Auctoribus ejus sententiae componantur haec duo: et quod sponsi de futuro habeant jus ad ea oscula, et ad commotionem ex illis consurgentem; et quod aliunde sit culpa venialis ea exercere. Non enim est possibile jus illicitum, et jure naturae prohibitum, quamvis sub culpa veniali. Nemo enim habet jus ad violandam legem naturae. Nec satis est, si dicas, etiam inter conjugatos ea oscula esse venialia, si exerceantur propter finem delectationis. Nam sponsi non possunt habere finem honestum, ad quem ordinetur ea delectatio venerea, qualem habent conjugati. »

8. *Continuator Tournely* [2] allegat propositionem Sanchezii: « *Licitos esse amplexus et oscula inter sponsos de futuro, eo quod sponsalia sunt initium quoddam matrimonii, ac proinde concedunt jus utendi voluptate praeambula matrimoniali.* » – Et addit: « Verum illa ipsissima est sententia, quam et *merito abominandam* vocat Episcopus Carnot. p. 13. Unde obiter statuendum cum Suarez, Lessio et aliis apud Lacroix, *ista non aliter licere sponsis, quam aliis omnino solutis.* Ideo enim non licent solutis, quia nec iis licet copula. Atqui neque haec sponsis licita est: ergo cum amplexus, *praeter morem patriae*, per solum jus ad copulam cohonestentur, non possunt ante matrimonium permitti. »

Et alibi [3] idem *Continuator Tournely* dicit: « Tempus sponsalia inter et nuptias medium consecrandum esse pietati, ut Sacramentum rite suscipiatur, et cum eo singulares gratiae, quibus destituti tot conjuges jam a praesenti vita infernos cruciatus praesentiunt. – *6.* Multopere cavendum esse puellae, ne desponsatum aliis quam antea oculis intueatur. *Utrique post sponsalia prohibitum esse, quidquid ante prohibitum fuerit.* »

9. *Felix Potestas* [4] ait: « Oscula et amplexus *ob delectationem naturalem et sensibilem*, quae ex ipso osculo oritur, et generaliter oscula et amplexus pressa, *sunt mortalia*

1) 1. Crisis, tr. 5. disp. 45. — 2) De matrim. c. 3. n. 264. — 3) De praec. sexto, art. 10. *De officio Confessariorum in materia luxuriae*, II. 5. — 4) Exam. eccles. T. 1. n. 2237.

sponsis de futuro.... Qui enim ponit causam per se effectus venerei cum praevisione illius, virtualiter effectum venereum procurare dicitur, licet expresse eum non intendere affectet. Et ad actum venereum nullum dare jus statum sponsalium, probatum est n. 2233.»

10. *Bonaventura Leonardelli*, Soc. Jesu, [1] quaestionem proponit: « An amplexus et oscula sponsis liceant, si absit periculum tum copulae, tum pollutionis, tum consensus in utramlibet? » Primo sententiam adducit, sponsos sub hisce conditionibus a peccato mortali excusari; rationibusque expositis, pergit: « Atque haec sententia utique gravi et multorum virorum auctoritate nititur, atque adeo sua non caret probabilitate extrinseca; si tamen rationem intrinsecam in judicium trahere velimus, opposita sententia non tantum *probabilior*, sed *in praxi omnino tenenda videtur.* Unde dico, oscula, amplexus, tactus et ejusmodi actus *aeque interdicti sunt sponsis de futuro, ac aliis solutis,* qui sponsalia non contraxerunt. Ita Suarez, [2] Paludanus, Sotus, Gabriel, Henriquez, Lessius, Hurtadus, et alii complures, novissime vero Mendo [3] et Dominicus Viva. » [4]

Hanc propositionem Leonardelli multis probat argumentis, contrariam fuse refellit, ac demum concludit: « Dum autem hactenus locutus sum de osculis et amplexibus, non intellexi, nec propterea damnare volo amplexus, contactus manuum et oscula in facie, quae *sive inter sponsos, sive inter non sponsos* in signum urbanitatis, vel benevolentiae, aut amicitiae, vel consanguinitatis *ex locorum consuetudine,* absque delectatione venerea aut periculo pollutionis habentur et exercentur, quae licita esse Auctores passim docent cum S. Thoma. [5] »

11. *Antoine, S. J.,* [6] scribit: « Cum sponsalia sint solum promissio futuri matrimonii, non traditio corporum, nullum tribuunt jus praesens in corpus alterius in ordine ad copulam hic et nunc exercendam, nec proinde ad actus, qui ad illam per se ordinantur: sicuti munus judicis exercere hodie non licet ei, cui praecise promissum est. Itaque *solum licent sponsis amplexus et oscula honesta, juxta morem patriae*, amoris honesti significandi et fovendi causa. »

12. *Ferraris* [7] dicit: « Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi et hujusmodi, quae fiunt inter sponsos cum delectatione sensibili venerea, morosa et directe voluntaria, sunt peccata mortalia, alias non sunt nisi venialia. » - Ad quem textum, Theologus Romanus adnotavit: « Id *nimis periculosum* est, ac vix casus esse poterit in quo sola venialis culpa insit: tum quia *raro aut fere nunquam in iis abest delectatio venerea;* tum etiam, quia *certum est periculo se exponere* hujus delectationis, quod periculum a gravi excusari non potest. »

Respondet Ferraris, illos sponsos, qui pro eorum conditione et proclivitate cognoscunt, quod periculo alicujus delectationis morosae venereae se exponerent, certe sub gravi ab hisce actibus abstinere teneri. - At vix reperietur, qui hoc periculum non cognosceret, dummodo sincere se examinet. Si vero quis proclivitatem et fragilitatem suam jam est expertus, et nihilominus periculo experientia cognito se exponit, nec Ferraris a peccato mortifero eum excusat, ut ex sua responsione patet. At vero sententiam Cajetani et Navarri nullatenus admittit, nullamque plane vel modicam delectationem venereamm voluntariam sponsis permittit.

13. *Cuniliati,* [8] de actibus impudicitiae agens, et praesupponens ipsos

1) Decis. practicae, T. 1. c. 33. n. 197.— 2) De peccat. disp. 5. sect. 7. n. 12.— 3) In *Statera*, diss. 5. ad 6. Decal. praec. q. 12. n. 116. — 4) In propos. 40. damn. ab Alex. VII. n. 23.— 5) 2. 2. q. 154. art. 4. — 6) De peccatis, c. 7. art. 4. q. 13. — 7) V. *Sponsi*, n. 7. — 8) Tr. 2. c. 2. *s.* 3. num. 21.

extra matrimonium fieri, dicit: « Tactus honesti, puta manuum, et oscula honesta *juxta morem patriae* inter personas diversi sexus, modo honesto peracta, si ab omni delectatione et periculo consensus vacent, non sunt peccata; quippe quae fiant *juxta consuetudinem* in signum honestae amicitiae. - Si vero fiant *ob delectationem mere sensibilem,* non veneream nec sensualem, sed sensibilem; ortam scilicet ex proportione inter rem tangibilem et potentiam tangentem, *sunt mortalia;* et eo magis si repetita, si aliqualiter morosa sint; quia his modis facta, sunt de se nimis ad libidinem provocantia, et afferunt *proximum delectationis venereae periculum.* Unde *Alexander VII.* hanc thesim n. 40. reprobavit: « Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem (non veneream) quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis. » Igitur ex oraculo Pontificio, non est tantum veniale quaerere hujusmodi delectationes sensibiles, etiam secluso periculo consensus ulterioris, nempe venerei: quia *haec periculi seclusio est chimerica;* cum nimia conjunctio intersit inter delectationem sensibilem et sensualem in hujusmodi rebus; unde est quaerere periculum proximum lapsus in mortale, quod absque gravi temeritate fieri non potest. »

Et alibi [1] idem Cuniliati propositionem istam refutat, sponsalia jus tribuere sponsis ad tactus pudicos, amplexus et oscula, etiam cum affectu venereo habita; et acriter reprehendit Confessarios, qui hujusmodi actus sponsis ceu peccata venialia tantum indulgent.

14. *Babenstuber* [2] sic scribit: « Oscula, tactus, amplexus, aspectus et verba turpia, ob delectationem carnalem ex iis ortam habita inter sponsos et sponsas de futuro, sunt itidem peccata mortalia. Ita Lessius, Bonacina, Viva, contra Sanchez, Filliuccium, Laymann et alios. » Ac rationem refellit, hujusmodi sponsis licere *jure sponsalium,* quae via sunt ad matrimonium. - Et *n. 98.* dicit: « Oscula, tactus et amplexus exerciti *ob delectationem naturalem seu sensibilem,* nullam continent malitiam per se loquendo.... Dixi: *per se loquendo.* Quia attentis circumstantiis, reque moraliter aestimata, *moraliter impossibile est,* delectationi *sensibili* per actiones memoratas deliberate ac studio quaesitae non adjungi aliquo modo voluntarie delectationem sensualem seu *carnalem,* aut saltem *proximum periculum* illius. Unde licet tangere manum mulieris, vel osculari eam in facie ex levitate aut curiositate, et cum periculo levi solum et remoto delectationis carnalis, solum esset peccatum veniale levitatis aut curiositatis; quia tamen, propter humanae naturae corruptionem, ac summam proclivitatem ad malum intra genus luxuriae, *admissa tunc semel delectatione sensibili, inseparabiliter adest delectatio etiam carnalis et libidinosa, aut saltem periculum proximum* quoque ejusdem, *non est practice probabile,* ejusmodi tactum aut osculum (idem cogita de amplexu) inter solutos esse veniale solum, et non mortale peccatum.» - Generatim hic loquitur Babenstuber, sed *sponsos non excipit,* quia nullam prae ceteris non conjugatis praerogativam ipsis concedit, ideoque etiam nullam, qua periculo proximo lethalis culpae sese immittere ipsis liceret.

Ut jam supra monuimus, haec testimonia rursum in *veritatis,* tum theologicae, tum *historicae* gratiam adferre non piguit, ut inde appareat, « *quo loco vere se res habeat.* »

1) Tr. 14. app. 3. c. 7. §. 2. n. 2. — 2) Tr. 5. disp. 5. art. 2. n. 121.

Articulus 6.

Respondetur ad assertiones cl. Ballerinii, circa Prop. 40. ab Alexandro VII. damnatam.

Post discussas Auctoritates a S. A. pro sua sententia allegatas, P. Ballerini loco cit. pag. 455. [1] sic pergit: « Illud etiam hic omittendum non » est, neque S. Alphonsum, neque » Roncaglia, aut alium in hac quae- » stione ullatenus Propositionem XL. » ex proscriptis ab Alexandro VII. » objecisse, quae sic sonat: *Est pro- » babilis opinio, quae dicit esse tan- » tum veniale osculum habitum ob » delectationem carnalem et sensi- » bilem, quae ex osculo oritur, se- » cluso periculo consensus ulterioris » et pollutionis.* Duplici autem ex » causa repetendum id videtur. Nam » primo quidem ea propositio loqui- » tur de delectatione *carnali seu ve- » nerea,* de qua quaestio non est (Vid. » *Duarte* ad hanc Propos. n. 489., » et *Viva* ad eandem Prop. n. 3.); » hinc S. Alphonsus (Lib. 3. n. 415.) » ista propositione utitur, ut parvi- » tatem materiae in re venerea non » dari evincat. Deinde vero (etiam » abstrahendo a delectationis specie) » propositio ista exceptiones admit- » tit, uti patet ex conjugatis. Exce- » ptiones autem non ex ipsa propo- » sitione quaerendae sunt, cum nul- » las praeferat, sed ex sensu Schola- » rum catholicarum. Atqui catholicae » Scholae quaestionem, de qua agi- » mus, circa sponsos, ea propositio- » ne contineri ne suspicatae quidem » sunt. »

Breviter ad singulas assertiones respondebimus.

1. Dicit cl. Professor: « *neque » S. Alphonsum, neque Roncagliam » aut alium in hac quaestione ul- » latenus propositionem 40. ex pro- » scriptis ab Alexandro VII. objes- » cisse.* » – Sed hoc falsum est.

Objicit utique *Roncaglia;* nam ut supra (pag. 292. n. 3.) vidimus, damnatam censet propositionem, oscula ob delectationem *sensitivam* habita, culpa mortali vacare. Cumque hac ratione *nullum discrimen inter sponsos et ceteros non conjugatos* admittat, alteram quoque propositionem, sponsos a mortifero peccato excusari, pro damnata habet. Idem dicendum est de *S. Alphonso.* – Porro *Mastrius, Illsung, Anacletus, Cardenas et alii,* speciatim de *sponsis* agentes, istam objiciunt propositionem (cfr. supra, Art. 5.).

2. Asserit, quaestionem in praesenti discussione non esse de delectatione *carnali, seu venerea;* sed hoc denuo falsum esse, satis superque demonstravimus.

3. Addit, in praefata Propositione damnata, sub delectatione carnali *veneream* esse intelligendam. Quod ultro concedimus; sed additur: « *et sensibilem.* » Quaevis autem delectatio *venerea,* i. e. cum commotione spirituum genitalium conjuncta, *necessario sensibilis est,* et venerea non sensibilis sanum non fundit sensum. [2] Inepte ergo adderetur: *et sensibilem,* ac consequenter de utraque delectatione sermo est: de venerea *et* de sensibili. – Nec alia est ratio, qua sententia opposita a damnatione eximi possit, praeterquam quod delectatio mere sensitiva *per se loquendo,* abstrahendo a periculo proximo peccati mortalis, culpa venialis tantum sit.

4. Dicit denique cl. Professor: « *Et- » iam abstrahendo a delectationis » specie, propositio ista exceptiones » admittit. Exceptiones autem....*

1) In altera edit. pag. 345.

2) Aliter *Viva, Cuniliati* et alii istam propositionem interpretantur, et sub delectatione *carnali* illam sensitivam intelligunt, quae specifice *ex contactu carnis humanae* oritur, ac saltem inter personas diversi sexus adultas, et ad copulam habiles, numquam a commotione spirituum genitalium est disjuncta; sub *sensibili* vero illam simpliciter sensitivam, quae *tactui rei blandae vel mollis* respondet. — Ratio potissima pro hac interpretatione est: quia in praefata propositione, denominatio consueta et obvia: *venerea seu libidinosa* consulto evitatur.

» *quaerendae sunt... ex sensu Scho-* » *larum catholicarum.* » – At vero propositio ista aut *de sola delectatione venerea,* aut *simul de sensitiva* (carnali vel simpliciter sensitiva) loquitur; alia enim species non datur in hac materia. Verum *in utroque casu, sensus Scholarum catholicarum sponsos non excipit.*

Non in primo casu; nam inter omnes Auctores, qui *post* damnationem hujus propositionis scripserunt, *nullus* est qui assereret, sponsis, jure sponsalium, *modicam delectationem veneream* haurire licere, aut ipsos saltem a peccato lethifero excusari. Imo *plerique* sententiam *Cajetani, Navarri, Sanchezii* et antiquiorum ipsis adhaerentium *absolute rejiciunt,* ita ut haec sententia pro relegata et antiquata habenda sit. Verum est, plerosque concedere, eam *directe* et proprie non esse damnatam; quia obstare potest ratio (licet parum probabilis), S. Sedem, quemadmodum conjugatos, ita etiam sponsos excipere voluisse. Nihilominus certum est, sensum Scholarum catholicarum, post praedictam damnationem, sponsos a peccato *mortali* minime excipere.

Non in secundo casu; nam omnes Auctores, qui *negant,* sponsis quoad actus, amplexus et oscula, *speciam praerogativam* competere, eo ipso affirmant, *sponsis eodem modo, quo ceteris* non licere, periculo proximo peccati mortalis sese injicere, et ideo sententiam illorum, qui sponsis delectationem sensitivam intendere permittunt, *practice* non esse probabilem. – Ergo etiam quoad delectationem sensitivam, sensus Scholarum catholicarum sponsos a mortali culpa non excipit.

Articulus 7.

Perpenditur Conclusio cl. Ballerinii.

Longiorem et complicatam Adnotationem cl. Professor tandem concludit, dicendo: « *Et haec quidem, ut praemissum est, mere historice* » *dicta fuerint.* Ad quae hoc solum » addidisse juverit, in ejusmodi quae- » stionibus *plurimum prodesse* dis- » tinctionem, qua et S. Alphonsus alibi » (Lib. 3. n. 416.) utitur, nimirum » aliud esse agere *propter* delectatio- » nem, aliud agere *cum* delectatione. » Uti enim superius *(not. ad n. 411.)* » advertimus, prior agendi ratio fa- » cillime ad ulteriora adducet. »

1. Ergo P. Ballerini concludit, quemadmodum jam in exordio hujus Adnotationis monuerat, *se mere historice loqui.* Sed si cl. Professor in animo habuisset doctrinam S. Alphonsi funditus evertere, potuissetne ampliorem molem in ipsam congerere? Ex dictis, quisque attentus lector judicare poterit, an S. Alphonsus, vel potius P. Ballerini praesentem quaestionem « *haud accurate* » exposuerit; et uter eam ita pertractaverit, « *ut ex ibi disputatis vix* » *intelligi queat, quo loco vere se res* » *habeat.* » Profecto dolemus, quod cl. Professor hanc infelicem disquisitionem *historicam* instituerit. Ab iis, qui praesentem quaestionem (sicut et plures alias) nonnisi ex ejus libro cognoscunt, haberi quidem poterit diligens Auctorum indagator; sed hujusmodi *Adnotationes* procul dubio id efficiunt, ut earumdem lectores non pauci S. Alphonsum ab Ecclesia tantopere commendatum parvipendant, et, rejecta sana, solidissima ac tuta S. Doctoris sententia, laxiorem doctrinam amplectantur et in praxim deducant.

2. At vero, quid sibi volunt verba ista: « Et haec quidem *mere historice* dicta fuerint »? – Ergo cl. Ballerinius non assentire videtur sententiae, sponsis licere *quampiam* delectationem captare. Si autem *non assentitur,* non intelligimus quo jure *Roncagliam* increpet, quod sententiam « *sponsalia tribuere sponsis jus ad mutua oscula* » non approbet, et ratio ipsi non affulserit, quae tot gravium Doctorum intellectui affulsit. – Si vero *assentitur,* non comprehendimus protestationem istam,

omnia praecedentia *mere historice* dicta fuisse, et *suum judicium* de hac quaestione non continere.

3. Sed aliud quoque problema nobis proponitur. Ad finem P. Ballerini advertit: « *in ejusmodi quaestionibus,* PLURIMUM *prodesse distinctionem illam,... aliud esse agere* » propter *delectationem, aliud agere* » cum *delectatione. Uti enim supe*rius (not. ad n. 411.)[1] *advertimus,* » *prior agendi ratio* FACILLIME *ad* » *ulteriora adducet.* »

Ergo tamen cl. Professor sponsis delectationem *quampiam* intendere permittit; nam distinctionem istam solummodo *plurimum* prodesse dicit. Si autem haec delectatio *facillime* ad ulteriora adducit: quomodo eam intendere sponsis licere potest? Immo, loco citato, cum Salmanticensibus ipse convenit, « *propter corruptionem humanae naturae, ejus*modi actus (tactus, amplexus, oscu» la) *ob delectationem sensitivam* » (quae tactui rei mollis et blandae » respondet) *vix in praxim deduci* » *posse, quin conjungatur delectatio* » *carnalis ac venerea, et idcirco fe*re subesse occasionem ac periculum » *peccati mortalis.* »

4. Quomodo ergo, denuo quaerimus, sponsis licere potest, *huic periculo sese exponere,* quod certe *in sponsis multo magis,* quam in ceteris, *periculum proximum* est, et *secundum communiter contingentia* ad ulteriora infeliciter adducit? - Aliam responsionem non invenimus, nisi quod cl. Professor cum Cajetano, Navarro, Sanchezio ceterisque, jure sponsalium, sponsis *peculiarem praerogativam* adjudicat. Nisi forte regulae singulari et nullatenus admittendae insistat, quam ibidem tradit: « Idcirco fere suberit occasio ac pe» riculum peccati mortalis, *nisi ju*» *sta de causa haec fiant* »; et sequens ratiocinium instituat: Sponsi *justam* causam habent, tactus, amplexus et oscula exercendi, scilicet *benevolentiae et amoris ostensionem:* ergo, posita hac conditione, *non subest occasio ac periculum* peccati mortalis; et consequenter sponsi *licite* frui possunt delectatione *sensitiva,* quae ex istis tactibus ob proportionem cum suo objecto exoritur. - Sed quis huic sententiae subscriberet?

SIT IGITUR TOTIUS QUAESTIONIS SUMMARIUM ET CONCLUSIO.

I. Ante omnia, non possumus quin methodum notemus, quam cl. Professor in hac discutienda quaestione observat. Ambiguis et versatilibus locutionibus sententiam suam involvit, et verum quaestionis statum ita obnubilat, ut ex suis disputatis nemo sine studiosa inquisitione intelligere queat, *quo loco vere se res habeat.* Insuper, *veritatem historicam,* cujus vindicem se jactat, prorsus invertit; et nihilominus, quae ipsimet crimini danda sunt, S. Doctori nostro impingere audet.

II. Verum statum quaestionis, quamvis praemissa jam sufficerent, recapitulando breviter exponemus. Quaestio, quid quoad tactus, amplexus et oscula sponsis liceat, quid minus, unice pendet ab altera: *An existat titulus seu ratio, quae sponsis ampliorem libertatem tribuat, quam caeteris non conjugatis;* seu aliis verbis: An aliquo modo probari possit, *sponsis, eo quod sponsi sint,* licere ea, quae caeteris *solutis* graviter illicita sunt?

1. Qui *affirmative* respondent, primo loco rationem illam adducunt, quam *Cajetanus* primus invexit, et dicunt: *Sponsalia sunt quaedam inchoatio matrimonii;* et ideo, quemadmodum copula cohonestatur matrimonio, ita sponsalibus cohonestantur actus illi, qui sunt copulae inchoatio. - Sed hanc rationem *omni solido fundamento* destitutam esse, satis patet ex argumentis contrariis, quibus Auctores supra allegati cum S. Alphonso eam confutant. Etenim

1) Cfr. supra, pag. 288. art. 3.

sponsus, vi sponsalium, nullum *jus in re*, id est, in corpore sponsae acquirit, sed ad summum *jus ad rem*, id est, ut sponsa matrimonium cum altero non ineat, et matrimonium, statuto tempore, cum ipso contrahat; cumque dominus rei non sit, nec imperfecto modo ea uti potest. Unde rectissime dicit S. Alphonsus, in cit. n. 854.: « Secunda sententia *longe » probabilior et omnino sequenda...* » docet, *tales actus prohibitos esse » sponsis, eodem modo quo vetantur » omnino solutis.* Ratio, quia *sponsus, ratione sponsalium, nullum » acquirit jus ad corpus sponsae;* » et si forte aliquale jus acquirit » per sponsalia, quia tamen non adhuc est perfecte dominus rei, *non » potest re illa uti ne imperfecte » quidem:* sicuti ille, cui promissa » est venditio vineae, nequit illa uti » ne imperfecte quidem, donec vinea » de facto ei vendatur et tradatur. » Praeterea, *cum sponsis non liceat » copula, nec licent tales actus, qui » tantum ad copulam sunt ordinati.*»

2. Patroni sententiae affirmativae addunt rationem secundariam et subsidiariam: quia tactibus, osculis et amplexibus *amor mutuus in ordine ad matrimonium fovetur.* – Sed et haec ratio nulla est: tum quia (ut rectissime ajunt Salmanticenses, supra pag. 310. in n. 61.) « *sunt aliae infinitae viae honestae, quibus praefectus amor foveri potest* »; tum maxime, quia *in praxi* communiter hujusmodi actibus, non veri et casti moris, sed potius *concupiscentiae affectus* foventur et nutriuntur. – Etenim, si jam inter adultos *solutos* (ut in Quaestione praecedenti fusius ostendimus), regulariter loquendo, moraliter impossibile est, quod oscula et amplexus habeantur ob delectationem praecise naturalem, quin subsequatur delectatio carnalis et venerea, nisi fiant more patrio: quid censendum erit de periculo hujusmodi actuum inter sponsos, qui *eo quod sponsi sint, majori affectu exardescunt,* et non tantum ad coitum habiles, sed de futura copula certi sunt? Quamobrem rectissime subjungit S. Alphonsus: « Id autem quod » dicunt Busembaum, et Lessius cum » Navarro, Toleto, Cajetano, etc., » nempe quod sponsis liceant tactus » pudici, *si intendant delectationem » tantum sensitivam,* secus vero si » veneream, recte ajunt Roncaglia » et Croix, *non esse practice probabile,* quia *ordinarie semper aderit » certum periculum consentiendi in » delectationem veneream,* cum sensitiva tam conjunctam. Qua ratione » spectata, *prima etiam sententia » nec practice probabilis est; quia » in materia tam labili, moraliter » est impossibile, in talibus actibus, » causa voluptatis habitis, se contine re a non labendo in pollutio» nem, vel copulae consensum.* » – Nulla ergo existit ratio, qua *specialis praerogativa* probari posset; ac proinde isti actus sponsis aliter non licent, quam caeteris, i. e. *secundum morem patriae.*

3. Nec etiam dicendum, *speciali praerogativa* opus non esse, ut sponsis pudici tactus, amplexus et oscula *etiam praeter morem patriae* permittantur: quippe qui *generatim omnibus* liceant *in signum dilectionis, amicitiae ac benevolentiae.* – Haec autem assertio falsa est, et communi sententiae DD., etiam benignorum, adversatur. Qui enim breviter hanc materiam tractantes, non expresse addunt: *juxta morem patriae,* de proxime conjunctis, parentibus et liberis, fratribus et sororibus, de amicis ejusdem sexus, et de infantibus loquuntur. Nemo namque eo usque laxitatis progressus est, ut assereret, personas adultas diversi sexus, ad copulam habiles, nec proxime conjunctas, licite, aut saltem sine gravi culpa, invicem se tangere, osculari et amplexari posse *in solam ostensionem amicitiae ac benevolentiae.* – Quicunque igitur sponsis id licere contendit, ad *specialem titulum* recurrat necesse est: quem autem nullo modo probare poterit.

III. Doctrina itaque, quam tenet et propugnat S. Alphonsus, *tactus, amplexus et oscula sponsis eodem modo, quo caeteris non conjugatis, licita aut illicita esse,* post damnationem memoratae propositionis, *communis* est inter DD., et ante Cajetanum unanimis fuit. - Quod autem rei summa est, haec doctrina *invictis rationibus intrinsecis* sustentatur, et ideo *in praxi* tanto magis omnino tenenda est, quia (ut bene advertit ipse S. Doctor, supra pag. 303.) *benignae opiniones in hac materia potius immanes* dicendae sunt, et laqueis peccati formalis poenitentes revera injiciunt.

IV. Idcirco inter praeclara *S. Alphonsi* de disciplina morali merita, non infimum locum occupat decretoria sententiae suae in hac materia propugnatio, atque oppositae profligatio. Habent doctrinae suae hoc peculiare, quod undique *praxim* redolent. Theologiam suam moralem non meris speculationibus intentus, elucubravit; sed undique experientiam, quam ut Confessarius et Missionarius, innumeris confessionibus exceptis, sibi comparaverat, prae oculis habuit. Quae ratio plurimum sane contulit, ut sententiae S. Doctoris nostri *singularis et eminentis sapientiae* notam prae se ferant.

QUAESTIO XIV.

An inducant obligationem pacta de re prava et turpi.

(S. Alph. Lib. III. n. 712. — P. Ball. Tom. I. n. 760.)

Lib. III. n. 712. *quaer.* 1. S. Alphonsus sequentem ponit quaestionem: « *An inducant obligationem* » *pacta de re turpi,* puta de patrando homicidio, adulterio, furto, sacrilegio, fornicatione, et similia? » Et adhibita distinctione, sic respondet: « Certum est, quod *ante pa*» *trationem peccati, nullus est con*» *tractus, et nullam parit obliga*» *tionem,* quoniam justitia nullo modo potest obligare ad illicitum; » unde certum est, quod eo casu, » nec promittens tenetur dare pretium conventum, nec alter retinere potest pretium acceptum.

» Dubium est, an *post opus illi*» *citum praestitum*, sit obligatio solvendi pretium promissum, et alter possit illud retinere. Quoad » *meretrices,* commune est et certum inter DD., quod possint retinere pretium meretricii praestiti. » Ita S. Thomas, qui docet: *Cum* » *quis dat meretrici propter forni*» *cationem, mulier potest sibi reti*» *nere quod ei datum est. Sed si* » *superflue aliquid per fraudem aut* » *dolum extorsisset, teneretur eidem* » *restituere.* Et ita Continuator Tournelii et omnes alii communiter. » Et probatur ex illo textu: [1] *Sed* » *et quod meretrici datur, repeti* » *non potest... quia licet turpiter fa*» *ciat quod sit meretrix, non tamen* » *turpiter accipit, cum sit meretrix.*

» *Pro aliis vero maleficiis,* puta pro ferenda sententia injusta, vel patrando homicidio, adulterio, fornicatione, etc., *duplex est senten*» *tia probabilis. - Prima negat esse* » *obligationem solvendi pretium,* » *aut posse illud retineri,* ita Adrianus, [2] Comitolus, [3] Medina, [4] Navarrus [5] (quamvis Lessius et Lugo asserant, Navarrum alibi mutasse sententiam), Continuator Tournelii, [6] ac alii apud Concina; et pro-

1) L. 4. ff. de condict. ob turp. caus. — 2) In 4. de rest. §. *Restat.* — 3) Resp. mor. lib. 3. q. 5. — 4) Cod. de restit. — 5) Man. c. 17. n. 38. — 6) Tom. 1. (edit. Venet. 1736.) pag. 330. sect. 4. (i. e. de just. et jure, part. 3. c. 3. art. 1. sect. 4.)

» babilem vocant Lessius, [1] Roncaglia [2] et Diana, [3] atque huic adhaeret Concina. [4] – Probatur 1. haec sententia ratione, quia actio illicita nullo pretio digna est, cum peccatum non sit vendibile. Probatur 2. ex jure civili, [5] ubi dicitur: *Ob turpem causam, ex stipulatione contra bonos mores interposita, denegandas esse actiones.* Item: [6] *Pacta, quae contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est.* Si igitur pactum ante impletionem est nullum, non potest per impletionem validari; *regula enim communis est, quod illud quod ab initio non subsistit, tractu temporis convalescere nequit.* Censentur autem leges istae, non solum prohibere actiones ipsas illicitas, sed etiam solutionem pretii pro illis; eo quod solutio fomentum praeberet similibus sceleribus. Accedit, quod leges, quae non nituntur falsa praesumptione, bene obligant in conscientia. Unde S. Thomas ait: *Apud illos, qui sunt hujusmodi legibus obstricti, tenentur universaliter ad restitutionem.* Et: *Ille, qui accepit contra legem, non debet sibi retinere.* – Juxta autem hanc sententiam dubitatur, cuinam facienda est restitutio accepti. Sotus et Covarruvias censent, faciendam esse illi qui dedit; sed probabilius et communius tenet Lessius, cum S. Antonino, Navarro et aliis, erogandum esse pauperibus, vel locis piis: absurdum enim est, et contra mentem legum, ut illi fiat restitutio, quem potius leges punire quam juvare intendunt.

» *Secunda sententia* vero *probabilior et communis,* quam tenent » Sanchez, Lessius, Salmanticenses, » Croix, Viva; Lugo cum Vasquez, » Soto, Molina, Turriano, Covarruvia, Cajetano, Aragonio, et aliis communiter, *docet, teneri promittentem solvere pretium, et contra, recipientem non teneri ad restitutionem.* Ratio, ut quidam dicunt, quia opus malum, etsi pretio dignum non sit, quatenus est malum, est tamen pretio dignum, quatenus est alteri utile vel delectabile. Sed haec ratio tenuis mihi videtur: nam, ut docent communiter DD. cum D. Thoma, nullum pretium meretur res, quae cedit tantum in utilitatem emptoris, et ejus privatio nullum affert incommodum venditori pretio dignum. Nec valet dicere, quod praestans opus illicitum juste pretium accipit, pro rectitudine qua privatur; hujus enim rectitudinis privatio, cum sit res mere spiritualis, nullo modo videtur esse pretio aestimabilis. – Ratio potior mihi est, quia in quocumque contractu oneroso, *do ut des, facio ut facias* (ut statuimus ex communi sententia *n. 642.*), *lex naturalis dictat, quod, cum quis partem suam praestiterit, tenetur alter suam implere quam licite praestare possit.* Unde, si alter opus suum (etsi illicitum) jam praestitit, teneris tu pretium promissum ei satisfacere. Sed dices: hoc currit, quando utraque pars est pretio aestimabilis; at hic actio illicita praestita nullo pretio digna est. Respondeo: actio illa peccaminosa, nullo quidem pretio est digna, qua illicita est; sed bene pretium meretur, qua est temporaliter laboriosa, vel ignominiosa, vel periculosa illam praestanti; pretium enim et actio tunc conveniunt, saltem in genere rei temporalis. Et quamvis ignominia illa, sive periculum, nullo pretio compensari possit, et ante pactum nihil compensare tenearis, eum sint res diversi ordinis, inter quas nulla datur proportio; et ideo, qui

1) Lib. 2. c. 14. n. 60. — 2) De sept. praec. c. 6. q. 4. — 3) P. 2. tr. 2. misc. R. 40. — 4) T. 7. pag. 147. n. 5. — 5) L. *Mercalem,* c. de condict. — 6) L. *Pacta,* c. de pactis.

» famam alteri abstulit, non tene» tur pecunia infamiam compensare, » si nequeat famam restituere, ut » ex probabiliori sententia diximus » *n. 627.*: posito tamen contractu, » et praestita ab altero actione pec» caminosa, teneris tu pretium pro» missum solvere, non jam ad com» pensandum damnum alterius, sed » ad implendam obligationem natu» ralem ex qua (ut diximus) quisque » tenetur suam partem promissam » implere, postquam alter suam prae» stitit. Alias (recte ait Lugo) non » videtur, quomodo possit obligari » stuprator, qui virginem violavit » sub ficta promissione matrimonii, » ad eam ducendam, ut diximus » *n. 643.* ex communi sententia. - » Ad leges autem civiles pro prima » sententia allatas, respondet Les» sius, quod, licet ipsae rescindant » hujusmodi pacta et auferant omnem » obligationem civilem, ob quam pos» sit peti in judicio promissum, ta» men non irritant acquisitionem rei » ex tali causa. Et hoc satis signi» ficat lex, in principio hujus quae» stionis relata, qua declaratur me» retrix posse retinere pretium sui » meretricii, *quia licet turpiter fa» ciat quod sit meretrix; non ta» men turpiter accipit, cum sit me» retrix.* »

P. Gury, T. I. n. 760. pag. 713. [1] similiter quaerit: « *An semper restituenda sit res ex turpi contractu accepta?* » Et respondet: 1. *Ante* positionem operis turpis, *affirm.*, quia dominium rei hujus non fuit valide translatum. Ita omnes. - 2. *Post* operis positionem, controvertitur. Duplex datur sententia *probabilis*. Prima sententia communior dicit, pretium posse accipi et retineri, imo et dari ex justitia debere... Secunda sententia negat, quia contractus invalidus ante operis positionem, per ejusdem positionem validari nequit. Hinc regula Juris 18.: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Ergo, etc. Ita *Roncaglia, Comitolus,* Carrière n. 333. »

Quaedam, claritatis causa, hic praemittere juvat. 1. In praesenti quaestione non agitur de solvendo aut retinendo pretio, *ante* patrationem peccati; etenim apud omnes in confesso est, eo casu nullum esse contractum, ac proinde nullam dari obligationem; idcirco tantum sermo erit de hujusmodi obligatione *post* opus illicitum praestitum. - 2. Ad quaestionem itaque: *An, post opus illicitum praestitum, promittens teneatur solvere pretium promissum, et accipiens possit illud retinere?* S. Doctor expresse distinguit inter opus meretricium, et alia opera prava vel turpia. De *meretricibus* affirmat, certum esse quod istae pretium meretricii retinere possint; quoad *alia vero prava aut turpia opera praestita*, ipse tenet sententiam *affirmantem*, tanquam *probabiliorem et communem;* attamen admittit, contrariam *negantem* etiam esse *probabilem*. - 3. *P. Gury* hanc sententiam negantem generatim probabilem censet, quin *meretricium* excipiat; sed supponi potest, ipsum brevitatis tantum causa hanc distinctionem omisisse: vix enim credendum est, quod in hac materia a sententia communi recedere intenderit.

Quibus praejactis, cl. Ballerinium audiamus. Ipse quidem plene adstipulatur S. Alphonso et Patri Gury in tuenda sententia *affirmante;* [2] sed in longiori Adnotatione acutissimo calamo exarata, ipsis vehementer exprobrat quod etiam *negantem* opinionem *probabilem* dicant; atque contendit, hujus sententiae *inanem* esse probabilitatem, « *quae nec ra» tione ulla, nisi falsa, nec ulla, » nisi ficta, auctoritate nititur.* » -

1) In altera edit. pag. 540.

2) Utraque sententia dici potest affirmativa simul et negativa, prout favet vel illi qui pretium pro re turpi promisit, vel illi qui recepit. Hinc claritatis causa, sententiam *primam* a S. Alphonso allegatam vocamus *negantem; secundam* vero a S. Doctore recensitam dicimus *affirmantem*.

Ad quam assertionem probandam, 1. Exorditur dicendo, citatam *regulam Juris* prorsus abs re allegari. 2. Affirmat, *Roncagliam* et *Comitolum* falso adduci. 3. Auctoritates *Adriani*, *Medinae* et *Navarri* a S. Alphonso citatae, aliud non sunt nisi falsae allegationes ex Comitolo corrogatae. 4. Quae in eamdem rem congessit *Collet*, ac ferrea fronte asserit, adeo misera sunt, ut dignus sane sit hujusce sententiae patronus. 5. S. Alphonsus immerito dicit, hanc opinionem habitam fuisse ut probabilem a *Lessio* et a *Diana*.

Verum, fere omnes istae cl. Professoris assertiones falsae sunt et commentitiae; hinc « *ut veritati jus suum tribuatur* », sequentia probare suscipimus: 1. *Regula 18. Juris* immerito dicitur prorsus abs re esse. – 2. *Roncaglia* et *Comitolus* pro prima sententia negante recte allegantur. – 3. Item *Adrianus, Medina et Navarrus*. – 4. Vindicatur *Collet* (Continuator Tournelii) ab immeritis P. Ballerini objurgationibus. – 5. Recte affirmat S. Alphonsus, sententiam negantem probabilem censeri a *Lessio* et *Diana*. – 6. Ex omnibus Auctoribus a S. Doctore pro eadem sententia allegatis, cl. Professor solum *Concinam* absque reprehensione dimittit; hinc et illius sententiam exponere juvat. – 7. Demum, quo evidentior appareat (teste cl. Ballerinio) ejusdem negantis sententiae « *inanis probabilitas, quae nec ratione ulla, nisi falsa, nec ulla, nisi ficta, auctoritate nititur* », alios Auctores, nec a S. Alphonso, nec a Collet aut Concina citatos, adducemus, qui eamdem vel propugnant, vel saltem probabilem censent. – Sit ergo

Articulus 1.

Immerito ait P. Ballerini, Regulam 18. Juris pro sententia negante allatam, prorsus esse abs re.

P. Gury, ut supra vidimus, negativam sententiam exponens, ait: « Hinc regula Juris 18: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* » – Ad haec verba, P. Ballerini pag. 714. [1] Adnotationem suam sic exorditur: « *Regulam XVIII. Juris, utut notissimam, nemo è veteribus in hanc rem allegavit, quia prorsus est abs re.* Noverant nempe veteres, » obligationem tunc oriri, cum perficitur contractus; contractus autem, » de quo sermo, sicut et omnes contractus innominati (Vid. *Lugo*, de Just. » disp. 22. n. 19.) non perficitur, nisi » secuta ex parte unius traditione. » Initium ergo obligatorii contractus » non a promissionis data fide, sed » ab opere praestito desumitur. Non » secus ac videlicet promissio venditionis non est venditio, nec promissio matrimonii confundi cum » matrimonio debet; ita in re praesenti, praecedens promissio vim in » se non habet innominati contractus, » de quo disserimus, in quem propterea Regulae Juris XVIII. allegatio, ut arbitratus est Carrière, » quadrare possit. »

1. Contendit P. Ballerini, *Regulam* praefatam *a nullo ex veteribus in hanc rem allegatam fuisse*. Sed contrarium patet ex rationibus, quas S. Doctor noster pro prima adfert sententia: « *regula enim communis » est, quod illud, quod ab initio non » subsistit, tractu temporis convalescere nequit.* » – Cumque contendat cl. Professor, eamdem regulam *abs re esse*, et haec objectio substantiam quaestionis attingat, sine responsione non est dimittendus.

2. Nihil porro ad rem facit, quod « contractus innominati non perficiantur, nisi secuta ex parte unius traditione. » Semper enim hisce contractibus praecedit *stipulatio*, a simplici promissione bene distinguenda; quae, secuta traditione, in contractum transit innominatum, ac ejus radix et fundamentum est. Nihil enim perfici potest nisi quod ceu im-

1) In altera edit. pag. 541.

perfectum jam subsistit. - Sic in nostro casu praecedit stipulatio, quae, ut omnes fatentur, invalida est; stipulatio autem invalida ac de jure non existens, nec perfici, nec unquam in contractum innominatum transire potest. Hac ratione primae sententiae patroni communiter utuntur, tam antiquiores quam recentiores. Nominatim *Comitolus*, [1] qui ait: « Concedit adversa sententia, *stipulationem* flagitiosam *ante* factum esse nullam: ergo concedere debet etiam *post* factum. Nec enim, si post factum vim habet, eam habet ex novo pacto seu conventione inter contrahentes, sed ex illa, quae factum praecucurrit: at illa, teste adversario, fuit nulla. »

3. P. Ballerini *Cardinalem de Lugo, S. J.*, [2] citat, qui autem hoc loco, quae modo exposuimus, egregie confirmat: « Aliqui volunt, *permutationis* nomine posse intelligi *contractum et conventionem innominatam*, quae praecedit traditionem, sicut nomine venditionis intelligitur conventio facta ante traditionem; atque ideo contractum permutationis perfici secundum totam suam substantiam, significatam per illud nomen solo consensu ante omnem traditionem. Ita Turrianus. [3] Alii vero *permutationem numerant inter contractus, qui re ipsa et traditione perficiuntur;* quod colligitur ex L. I. ff. *de rer. perm.* et ex L. *ex plac.* C. *eod. tit.* - Sed tota haec quaestio est de *nomine:* nam de re jam diximus, *ante traditionem reperiri contractum et conventionem aliquam,* sicut in venditione; constat etiam ex dictis, non sequi actionem civilem ex illo contractu, quia *innominatus* est, nisi traditione secuta, et completo contractu ex parte unius. - An vero illa *conventio praecedens* appellanda sit permutatio, an vero solum quando sequitur traditio, parum refert; et melius est servare modum loquendi in legibus usitatum, in quibus solum appellatur permutatio, quando res tradita fuit. »

Concedit ergo Lugo, contractus innominatos, quemadmodum in venditione, contractum et conventionem aliquam, quae utramque partem obligat, praecedere, at de nomine non esse curandum: quia ex hac conventione, etsi eam cum Turriano secundum totam substantiam suam sine traditione perfectam dicas, actio civilis ante traditionem non sequitur. Si autem haec conventio invalida et nulla est, perfici non potest quod nullum est; nec ullus contractus validus, sive nominatus, sive innominatus, inde procedere potest, quia tractu temporis non firmatur, quod ab initio non subsistit.

4. Non desunt igitur rationes, quibus ad argumenta a P. Ballerini ex adverso allata, sufficienter respondetur.

Articulus 2.

Roncaglia et Comitolus pro prima sententia negante recte allegantur.

I. P. Ballerini loco cit. sic pergit: « *Roncaglia autem et Comitolus falso allegantur. - Roncaglia enim* (de Restit. cap. 6. q. 1. resp. 2.) *haec scribit:* « Post malum perpetratum (praescindendo modo a prohibitione juris positivi) danda est pecunia promissa malefactori, e. gr. meretrici, homicidae, sive cuicunque, qui in gratiam promittentis fecit aliquod malum. Pro quo observandum, quod, quamvis peccatum consideratum in se et formaliter sit semper detestabile ac nullo pretio dignum, nihilominus consideratum secundum materiale, hoc est, quatenus potest alicui afferre delectationem, commodum, utilitatem, etc., reputatur pretio aestimabile.... Hinc meretrices posse retinere pretium, quod ipsis datur, habetur *L. Idem 4. De condict. ob turp. caus.*, et docet S. Thomas, etc. »

Utique haec leguntur loco citato; verum P. Ballerini praetermittit,

1) Lib. 3. q. 5. n. 6. — 2) De just. disp. 22. n. 19. — 3) Disp. 55. dub. 2. n. 9.

quae Roncaglia in fine adnotat et uberius explicat. Inquit enim q. 3.: « Hucusque locutus sum de iis, quae licet dare vel retinere pro actu malo perpetrato, *attento jure naturae;* modo videndum, quid dicendum si aliquid detur contra id, quod disponunt *leges.* »

« Qu. IV. *An teneatur ad restitutionem, qui aliquid recipit donatione illicita et reprobata per leges?* – Resp. *Videtur nullatenus posse retineri quod datum est donatione illicita et reprobata per leges;* nam omnes conventiones, quae fiunt ob perpetranda peccata, *ab ipsis legibus dicuntur nullae et nullam inducere obligationem, sicut et tales contractus non valere,* etc... Accedit authoritas S. Thomae pluribus in locis.... Et quidem cum istae leges non fundentur in falsa praesumptione, et videantur reddere hominem *incapacem* ad recipienda munera pro actione peccaminosa *(excipe meretricium),* non apparet, quomodo sibi possit hujusmodi retinere. »

« Nihilominus non paucos patronos habet *contraria sententia,* qui putantes, leges solum velle obligare ad restitutionem in poenam peccati, dicunt, acceptum donatione reprobata per leges, solum esse restituendum post sententiam judicis, et saltem exspectandam sententiam declarativam criminis. Quamvis igitur leges dicerent, hujusmodi restitutionem faciendam esse, non exspectata Judicis sententia, cum id commode intelligatur, si dicatur non exspectandam esse sententiam declarativam poenae, bene vero exspectari posse sententiam declarativam criminis; hinc dicunt, ante hanc sententiam non dari onus restituendi. Affirmant denique, quod etiamsi viderentur velle irritas et nullas donationes reprobatas per leges, non solum pro foro externo, sed etiam pro interno, nihilominus secundum hanc partem non esse receptas, semper cum datur aliquid non pro ipso peccato, sed quatenus actio peccaminosa secundum materiale quod habet, est utilis, conveniens, seu delectabilis illi, qui dat aliquid pro eadem actione: Lugo, Bonacina, et alii quos sequitur Diana. »

« *Stante probabilitate utriusque sententiae,* ego in praxi ita me gererem. Si ille, qui promisit aliquid pro actione peccaminosa, nondum impleverit promissum, illum non obligarem ad aliquid tribuendum, propter fundamenta primae sententiae. Si vero jam dedisset pecuniam promissam pro actione turpi, non obligarem, qui eam recepit ad restitutionem ante Judicis sententiam, propter fundamenta secundae. Ceterum advertendum, quod si ille qui hujusmodi recepit, velit ea restituere, sequendo primam sententiam, non tenetur restituere illi qui dedit; nam se privavit dominio rei sive pecuniae, quam dedit ob turpem causam, et ulterius leges etiam videntur ipsum privare tali dominio. Si ergo ille qui accepit, putet non posse retinere, cum aliunde non teneatur dare illi qui dedit, dare potest pauperibus. »

Et in fine cit. Cap. VI., *Regulae in praxi observandae,* ad II. subjungit Roncaglia: « Cum non sit obligandus ad adimplendum promissum, qui aliquid daturum liberaliter promisit propter actionem peccaminosam faciendam, *videat Confessarius, non esse obligandum ad solutionem,* qui e. g. aliquid promisit Judicibus ob injustam sententiam, Advocatis ob injustam defensionem clientum, Testibus ob falsum testimonium, Sicariis ob occisionem hominum, sicut et *quibusvis peccatoribus,* ut faciant peccata, e. g. ut furentur, ut non jejunent, etc. *Cum haec promissa reprobentur per leges,* sequitur ex supradictis, *valde probabile esse nullam inducere obligationem.* »

Recte igitur *Roncaglia* a S. Alphonso citatur, ut *primam* sententiam *probabilem* aestimans, quamvis meretricium excipiat, et de obligatione ex legibus positivis oriunda loquatur. Nam etiam S. Doctor noster

meretricium excludit; et quaestionem, an pacta de re turpi obligationem inducant, generaliter proponit, sive obligatio in foro conscientiae ex lege naturali, sive ex legibus positivis oriatur; prout ex rationibus allatis patet. - Etiam P. Gury, secluso meretricio, Roncagliam ex parte saltem recte citat, quatenus hic dicit, quod pravi operis conductorem ipse non obligaret ad solvendum pretium promissum.

II. Dein sententiam *Comitoli* perpendens, cl. Professor sequentia profert: « *Comitolus, quamvis per in-* » *via et devia, pro indisciplinato in-* » *genio suo discurrat,* tamen *(Resp.* » *moral. Lib. 3. q. 5. n. 13.)* eo de- » mum devenit, ut definiat, post » crimen patratum, promissam mer- » cedem meretrici solvendam esse. » Et parum refert, quod miram pro » genio suo rationem reddat, nimi- » rum, promissam mercedem ceu » mulctam, crimini per leges impo- » sitam, solvi debere, non expectata » judicis sententia: *quae portentosa* » *ratio eo rem adduceret, ut,* potius- » quam poena plectatur, *ex lege cu-* » *mulari praemio rea foemina de-* » *beat,* merces vero solvi debeat ab » eo quoque, qui non promiserit. - » *Sed omnia haec suo auctori con-* » *grua,* sicut et illud, quod ipse (ibid. » n. 2.) viderit, FERME OMNIUM DO- » CTORUM *esse sententiam, quod fa-* » *cinorosae operae locatori nihil de-* » *beatur*, quando Card. de Lugo » (disp. 18. n. 59.) videbat, COMMU- » NEM, *veramque sententiam esse,* » *obligationem esse solvendi pretium* » *promissum.* »

1. Comitolus tenet et propugnat, omnes conventiones de re turpi ante et post factum *irritas et nullas esse,* et ideo pretium promissum *non esse solvendum,* et malefactorem acceptum *retinere non posse*, sed, *excepto meretricio,* restituere teneri. Quod et P. Ballerini non negat; *ideoque S. Alphonsus recte Comitolum allegat*, et secluso meretricio, etiam Pater Gury. - Sed ad ceteras quoque assertiones cl. Ballerinii respondendum est.

2. *Comitolum, Soc. Jesu,* ut virum exhibet qui «*per invia et devia, pro indisciplinato ingenio suo discurrit,*»[1] cujus testimonium idcirco pro nihilo habendum est. Sed nemo unquam hanc notam Comitolo inussit. Gravissimi Auctores in variis materiis ipsum allegant; speciatim cum laude prudentiae *Benedictus XIV.* in opere: *De Syn. dioec.*[2] - Et quod materiam, de qua tractamus, attinet, *Concina*[3] dicit: « *Hactenus, quae docet P. Comitolus, paucis adjectis et paucis demptis, recensui.* Nunc, quae sentio ipse, paucis exponam. Omnis conventio, pactio, promissum pro actione natura sua turpi et scelesta (ut sunt homicidia, furta, falsa testimonia, etc.) patranda, jure naturae, demptis legibus positivis, quaeque ante factum juxta omnes illicita et invalida sunt, talia quoque reputari etiam post factum debent. *Argumenta,* quae pro hac confirmanda sententia, capite superiore *ex P. Comitolo retuli, adeo mihi luculenta sunt et ineluctabilia, ut nulla eluditergiversatione queant.*»

3. Comitolus utique n. 2. dicit, *ferme omnium Doctorum* sententiam esse, facinorosae operae locatori *nihil omnino deberi,* nec ei jus esse aliquod promissae mercedis poscendae; sed id dicit, *secluso meretricio.* Ut patet ex n. 11., ubi ad objectionem, ferme doctorum indoctorumque hominum conspiratione constare, meretricibus suum corpus vulgantibus mercedem deberi, respondet, hanc sententiam non habere multorum gravium doctorum approbationem.

4. Rationem Comitoli, cur *meretrices* mercedem acceptam retinere

1) Alibi (cfr. supra, pag. 317.) cl. Professor hunc suum consodalem jam designavit, ceu « *virum ingenii anomali.* » — 2) Lib. 7. c. 13. n. 7. — 3) De justit. diss. 2. c. 11.

possint, *portentosam* dicit P. Ballerini. – Audiamus ipsum Comitolum, l. c. n. 13.: « Mihi igitur attentius cum animo meo consideranti, haec tria occurrebant. *Unum* est. Civitatum principes et legislatores necessitate adductos meretricum genus, quaestumque meretricum permittere, ut hoc minore malo, multo majora mala et scelera caveantur: nam si meretrices ab hominum coetibus ablegarentur, eodem tempore in civitates stupra, incestus, adulteria, sacrilegia, aliaque innumera flagitia infunderentur, quae sapientis rectoris est, nulla ratione in hominum vita tolerare. *Alterum* est, ceterorum flagitiorum, quae legibus puniuntur, lucra fiscum vendicare, [1] lucrum autem ex peccato meretricio relinquere meretrici; [2] idque ob multa commoda, quae civitatibus, hominumque societati comparantur. *Tertium*. Legem juste in eum posse animadvertere, qui cum vulgari scorto volutatur: et, quia peccat, justam ei mulctam irrogare: haec autem, ut promissam mercedem solvat scorto, nulla alia sententia judicis exspectata. Dico igitur, meretrici pretium deberi, non ex contractu aliquo justo; non propter peccatum suum, sed scortatoris, quem communis judiciorum consuetudo, et lex mulctat, eo modo, ut dixi. »

Haec igitur est Comitoli argumentatio: Lex actionem dat meretrici ad mercedem repetendam; et scortatorem, in poenam sui delicti, cogit ad eam solvendam: ergo meretrix, ex intentione legis, acceptam mercedem retinere potest sine judicis sententia.

5. In quantum autem Comitolus dicit, *mentem legis esse, ut scortator puniatur,* idem et alii sentiunt, speciatim *Lessius,* qui [3] scribit: « Dices primo: *L. 2. C. de donat. inter virum et uxorem*, jubetur restitui ancilla militi, quam ipse donaverat concubinae; ergo tenebatur restituere. Respondeo: Ibi tantum concedi militibus jus repetendi in judicio, quod meretricibus donarunt, ut docet Adrianus. [4] Hinc tamen non sequitur, debere restitui ante sententiam. Deinde id non conceditur aliis, imo alii in foro externo coguntur, solvere pretium turpitudinis meretrici, ut probat Covarruvias n. 2. Denique id non conceditur in aliis delictis. Nam *L. 3. ff. de condict. ob turpem causam,* dicitur: « Ubi dantis et accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur, ut male judicetur. » Et *L. 8.* dicitur: « Solutum ob turpem causam, non posse repeti.» Idem patet ex *L. 2. et 5. C. eodem.* Ex quibus legibus satis probabiliter colligitur, posse ista retineri in conscientia. *Mens enim legum est, ut is qui dedit, in poenam criminis non possit recuperare.* »

6. Aliis Auctoribus citandis supersedemus; communiter enim hanc rationem *portentosam* (ut dicit P. Ballerini) adferunt. – Conclusiones vero, quibus eamdem rationem ad absurdum deducere conatur, falsae sunt. Leges non intendunt meretrices praemiis donare; at toleratas, propter rationes gravissimas ad bonum commune spectantes, in quaestu, licet turpi, sustentare, et fornicatores potius quam pellices punire debent: quia secus finis, ob quem tolerantur, irritus redderetur, easque punire perinde esset ac easdem non tolerare.

7. Addit cl. Professor, quod portentosa ratio a Comitolo adducta « *eo » rem adduceret, ut... merces solvi » debeat ab eo quoque, qui non pro» miserit.* » – Respondemus: Utique; quemadmodum testatur *Covarruvias:* [5] « Secundo, *probatissimi juris* esse censeo, datum meretrici ob ipsam fornicationem, vel ratione conventionis expressae vel tacitae, in pretium usus venerei, juste posse

1) Ex l. *Lucius* ff. de jure fisci.— 2) L. 4. ff. de cond. ob turp. caus.— 3) Lib. 2. c. 14. n. 58. —4) Tract. de restit. *§. Oritur alia quaestio, an meretrix* etc. in fine. — 5) In C. *Peccatum* de reg. jur. *§.* 2. n. 4.

ab ipsa recipi et retineri ; *etiamsi constet, dantem non omnino libere, sed coactum vel a judice, vel lege pactionis dedisse*... Quamobrem existimo, eum, qui cum meretrice publica, vel ea foemina, quae sui corporis quaestum facit, coierit *absque expressa conventione, cogendum fore a judice, lege taciti pacti,* eidem foeminae consuetam venerei usus mercedem solvere. »

Articulus 3.

Etiam Adrianus, Medina et Navarrus a S. Alphonso recte allegantur.

A Roncaglia et Comitolo, P. Ballerini ad praefatos tres Auctores gressum facit, de quibus sequentia praenotat : « *Et quidem ex Comitolo* » *corrogatae videntur allegationes* » *aliae,* v. gr. Adriani, Jo. Medinae » et Navarri, quas penes alios *(Vid.* » *S. Alphonsus, lib. 3. n. 712.)* pro » ea opinione reperis. » – Sed falso hoc asseritur ; istorum namque Auctorum sententiam S. Alphonsus in propriis fontibus inspexit, prout ex textu S. Doctoris patet. Adde, quod iidem Auctores a permultis aliis, imo et communiter pro prima sententia negante allegantur.

I. Quibus praenotatis, cl. Professor sententiam *Adriani* perpendit, dicens : « *Sed et in his videas fa-* » *cinus Comitolo dignum.* Equidem » *Adrianus* (in IV. de restit. §. Re- » stat. fol. LXXVI. edit. Rom. 1522.) » haec disertissima habet : *Qui offi-* » *cio vel actu sibi vetito, aliquid* » *consequitur,... nihil facit contra* » *justitiam commutativam. Ergo* » *non obligatur restituere.* Tum ad » objectionem, quod meretricii pre- » tium offerri in templo interdicere- » tur, reponit : *Pretium carnis li-* » *cite et jure possidetur; tamen ae-* » *que prohibetur... offerri in domo* » *Domini.* Ad textus autem Juris, » quibus irritae declarantur pactio- » nes turpes, respondet : *Nec textus* » *ibi aperte dicit, promissionem fa-* » *ctam viro, ob turpem causam* » *praecedentem, non valere, sed so-* » *lum... de turpi causa futura...* » *Secus videtur, cum jam turpitudo* » *transierit, et sit quasi purgata.* »

1. « Sed et in his videas facinus Comitolo dignum », exclamat P. Ballerini. Habemus ergo virum, non solum « indisciplinati ingenii », sed et *facinorosum!* Facinorosum : quia Adriani mentem minus recte interpretatur. – Audiamus, quid *Comitolus* l. c. n. 12. proprie dicat : « Huic enim luparum gregi nihil *justitiae lege* tribui oportere, perspicuis rationibus ostendit Navarrus, [1] et Medina ; nec mens alia *Adriano* fuisse *videtur* in quaestionibus de Restitutione, quaestione quae incipit : *Restat inquirere, an extorta.* Ubi ait, opus facientis malum, nullius esse valoris, verba sunt ejus. Et quaestione, cujus est initium : *Oritur alia quaestio* in eod. tract., non vult valere stipulationem, qua leno mercedem lenocinii stipulatur, licet donatio valeat. *L. mercalem C. de cond. ob turpem causam.* Nec eo loco Adrianus aliter de stipulatione meretricis sentit. – Deinde sciendum est, non parum inter haec duo differre, meretricem turpiter non accipere, et promissam mercedem jure persequi. Nam turpiter non accipit, si eo modo accipit, ut paulo ante dictum est (scil. si accipit tanquam lucrum a lege sibi tributum, legeque jubente) ; turpiter vero, si vel propter flagitiosam stipulationem, vel propter flagitium accipit ; quandoquidem in stipulatione et flagitio nulla sit obligatio, nisi ex maleficio. »

2. Nihil aliud ergo Comitolus Adriano tribuit, nisi *meretricem licite accipere, acceptumque retinere tamquam donatum, non vero tamquam ex justitia debitum.* Et ne hoc quidem absolute affirmat, sed dicit : *videtur ;* et loca indicat, ex

1) In Summa, c. 17, n. 38. et iis, quae antecedunt.

quibus mentem Adriani eo sensu interpretari liceret.

3. Uberius non exquiremus *Adriani* sensa de meretricio, quod S. A. alioquin excludit. - In aliis materiis, ubi peccatum commissum est contra justitiam, plures casus adducit Adrianus, in quibus pretium pro re turpi acceptum, *omnino restituendum* esse docet : « Non licet judici vel alteri concussori tenere, *imo necessario restituere debet,* quidquid ob turpem causam, male videlicet sententiandum, acceperit, et pro eadem causa datum fuerit. » - Porro : « Qui aliquid accipit, ut iniquitati patrocinium ferat, vel ut actum alias gratis debitum faciat, vel etiam ratione stipendii, quod ordinarie percipit, *tenetur in foro conscientiae restituere.* » - Item : « Quidquid homo acceperit pro ferendo aut non ferendo testimonio, *obligatur restituere.* »

4. Unde *Covarruvias,* [1] *Navarrus,* [2] *Toletus,* [3] *Ludovicus Lopez,* [4] *Joannes Corradus,* [5] et alii Adrianum allegant pro sententia, semper esse restituendum pretium pro re turpi acceptum, quando maleficium patratum est contra justitiam.

II. Subjungit P. Ballerini: « *Quae* » *afferuntur ex Medina, nihil ad* » *rem faciunt.* Hic enim *(Cod. de* » *restit. pag. 136.)* tantum contenit, vi juris *(L. Lucius 9. ff. de* » *jure fisci),* quod sancit, fisco cedere bona, quae mulier, per venenum marito propinatum, haereditate acquisiverat, addicenda fisco esse, quae acquirantur delicto per leges punito. Unde concludit, fisco addicenda luera meretricis occultae, non autem publicae, quam leges tolerant. Et missa quidem fiat » *heteroclita ista conclusio,* quam » nemo alius ex eo textu deduxit » *(Vid. Covarruv. in C. Peccatum,* » *de reg. jur. in VI. §. 2. n. 3.).* » At enim, quid ex his in rem nostram extundas ? Imo quod restituenda velit tantum lucra ex delictis, quae lex ulciscitur, eo ipso concedit, caetera ex delicto lucra retineri posse. Quin et lucri ex delictis, quae lex punit, dominium acquiri a delinquente aperte docet, inquiens : *Jura tamen differentiam ponunt inter hanc* (meretricem publicam) *et illam* (occultam). » *Nam si occultae sint meretrices,* » *lucra, quae sic acquirunt, amittere merentur, et datur actio fisco, ut possit ea a talibus auferre.* » *Verum ante sententiam condemnationis contra eas latam, dominium lucri apud ipsas est.* »

1. Judice itaque clar. Professore, « quae afferuntur ex Medina, nihil ad rem faciunt » ; sed ipse solus id asserit. *Omnes Auctores, antiquiores et recentiores,* qui hanc quaestionem pertractant, *Medinam pro prima sententia allegant.* Et quidem recte ; falsa vero sunt quae P. Ballerini ipsi tribuit.

Medina, l. c. q. 20. fol. 132. haec habet : « Aliquando mihi visum fuit, generaliter cum illis tenere, qui dicunt, quod pro nullo opere peccaminoso, sive commissionis, sive omissionis, quando tale opus in se peccatum est, et non solum ob circumstantiam depravantem, licitum est pretium recipere, nec ob illam causam lucrum hujusmodi retinere, nisi alius titulus justus vel honestus concurrat. Tum propter rationes supra ante oppositum factas ; tum etiam, quia opus peccaminosum non est venale, sicut nec res spiritualis : haec, quia non est pretio comparabilis, cum bonorum temporalium valorem excedat : illud autem, quia nullius est valoris, sed omnino tamquam vile et turpe et inutile fugiendum. »

Aliis adhuc rationibus adjectis, sententiam, quam nunc tenet, sequenti modo explicat : « Est itaque in hac quaestione de *opere peccami-*

1) L. c. n. 6. — 2) Man. c. 18. n. 35. — 3) Summa, lib. 5. c. 21. n. 6. — 4) Instr. consc. p. 1. c. 105. — 5) Res. 87.

noso distinguendum: nam quoddam est tale *ratione sui,* quia scilicet vel *per se malum* est, vel *in se prohibitum.* Aliud vero est illicitum, non ratione sui, sed *ratione circumstantiae,* scilicet loci, temporis, scandali, voti, aut juramenti, etc. *Pro primo non est licitum pretium recipere nec retinere;* bene tamen pro secundo, ut patet ex dictis, maxime si opus tale sit, quod seclusa illa circumstantia, est pretio comparabile. – Et per haec patet ad primam quaestionem, quod scilicet *meretrix,* nec publica, *nec occulta, potest pretium prostibuli recipere nec retinere,* velut pretium illi nefario operi correspondens; nisi alia causa concurrat, qualis est *donatio ipsius dantis,* qui libere vult illi donare, non obstante quod opus ipsum turpe sit causa sine qua non talis donationis. *Nec placet eorum sententia qui dicunt, meretricem posse licite mercedem prostibuli recipere per viam mercedis,* etiam via donationis seclusa. »

Contra hanc suam sententiam *Medina* objicit, quod in lucro meretricio non videtur donatio liberalis, sed contractus locationis, quo corpus ad usum fornicarium locatur, vel contractus innominatus: do ut facias. – Et respondet, etiam in contractu locationis vel emptionis admixtam esse donationem, si quis scienter et spontanee dat pretium excedens valorem donatum, restituere non teneri: « Ita in proposito, cum is qui ad meretricem ingreditur, sciat opus ipsum fornicarium illicitum esse et animae saltem nihil prodesse, sed mortaliter obesse; et sciens et volens dat aliquid, quod valorem operis nefarii cognoscit *excedere,* videtur condonare quod dat; et ita poterit a meretrice non turpiter, sed licite recipi et retineri, modo illud *non tanquam pretium* suo operi fornicario debitum accipiat. *Nam si sic illud,* quia ob ipsum opus sibi debitum, *accipiat, peccat accipiendo;* et si vult illud sic acquisitum licite retinere, opus est animum mutet, quo scilicet velit illud tenere eo modo, quo potest, sive velut pretium corporis, sive velut donatum. Ac proinde non parum refert, quo animo haec turpia lucra accipiantur, aut retineantur. – Corollarie sequitur, quod si ipse fornicator non intendit dare quod dat per viam donationis, nisi per viam pretii, quia forte putat, meretrici esse debitum *pretium* ob opus ipsum turpe, et hoc constet ipsi meretrici, quod *tale turpe lucrum recipi non potest, nec retineri,* cum desit donatio et alius honestus titulus illud retinendi. »

Demum concludit: « Ad quintam, de lucro turpi ab *occulta* meretrice acquisito, dicendum, quod, quantum *ad forum conscientiae* attinet, nil refert publicam esse meretricem vel occultam, quanquam ad rationem vocabuli attendendo, illam dicimus meretricem, quae plurium libidinibus patet, ut habetur *34. dist. c. Vidua.* Et ita si meretrix est, satis *publica* debet esse: *jura tamen differentiam ponunt inter hanc et illam.* Nam si *occultae* sint meretrices, lucra quae sic acquirunt, amittere merentur, et datur *actio* fisco, ut possit ea a talibus auferre. Verum ante sententiam condemnationis contra eas latam, dominium lucri apud ipsas est: *non sic de publicis.* Et non solum id de *occultis* meretricibus verum est; *sed etiam de aliis carnalibus, quarum turpitudinem leges non permittunt, sed puniunt.* Ut si nuptae sint aut virgines, aut consanguineae, etc., lucra per eas acquisita per fiscum repeti possunt; sed ante sententiam licite retinentur. – Ratio autem quare diversa sit juris dispositio de occultis et de publicis, videtur esse; quia si occultae permittantur, multa incommoda in republica oriri possent, rixae scilicet et contentiones inter ribaldos, ut experientia docet. Similiter tales occultae, sub habitu honestatis, magis alliciunt homines ad sui amorem; unde apud eas longe sunt liberaliores, et plus quam con-

venit illis largiuntur; et inde eos turpiter in paupertatem incidere accidit, etc. Quae inconvenientia non ita ex publicis sequuntur, ut patet. »

Distinguit ergo Medina inter meretrices *publicas* et *occultas*, sed tantum *quoad forum externum*, et ea sola ratione, quod sub meretricibus, queis leges mercedem accipere et repetere permittunt, publicae intelligendae sint, quae propter bonum commune tolerantur. Alias autem feminas, nuptas vel virgines, meretricibus occultis aequiparat, et lucra retinere ipsis permittit, quia similiter *donatio* intervenit.

In fine tandem hujus quaest. 20., et uberius q. 28. probabile censet, opere pravo patrato promissionem esse adimplendam, *non ex justitia*, quia promissio et stipulatio invalida est ac nulla, nec propter causam turpem, quod novum peccatum esset, quia opus pravum nulla remuneratione, nullo pretio, *mercede nulla* dignum est; sed propter meram *fidelitatem* proximo servandam.

2. *Medina* nequaquam contendit, « *lucra meretricis occultae fisco esse addicenda* », ut falso P. Ballerini asserit; sed fisco *actionem* dari, ut possit ea a meretrice auferre. Dispositio autem de hisce lucris, sive in eleemosynas, sive in pias causas, aliosve fines, a sententia condemnatoria judicis pendet. Legem *Lucius, de jure fisci*, non Medina, sed illi auctores interpellant, qui docent, meretrices tam publicas quam occultas pretium acceptum restituere teneri, quorum argumenta adducit Medina. – Quintum autem argumentum est: « Quinto facit pro eodem quod habetur in L. *Lucius Titius in fin. ff. de jur. fisc.*, ubi dicitur: *Mortua rea crimine extincto, prosecutionem eorum, quae scelere acquisita probari possunt, fisco competere*, etc. Per quem textum *tenent communiter Doctores*, quod meretrix *non publica* tenetur, in foro animae, turpiter acquisita restituere. Et aequa ratio videtur de meretrice *publica*, ex quo in ea major est turpitudo, quam in occulta; saltem ratione scandali. Nec per majorem turpitudinis frequentiam culpa publicae meretricis alleviatur, sed potius augetur. » – Hisce argumentis expositis, Medina ait: « *In oppositum tamen video Doctores communiter declinare.* »

3. Subjungit P. Ballerini: « Et » missa quidem fiat *heteroclita ista* » *conclusio*, quam *nemo alius* ex eo » textu deduxit (Vid. *Covarruv.* In » C. Peccatum, de Reg. Jur. in VI. » §. 2. n. 3.). » – At vero *Covarruvias* ibidem oppositum adeo distincte et praecise testatur, ut nec inadvertentiae, nec tergiversationi locus relinquatur. Dicit enim:

« Ex his plane deducitur, non recte hac in quaestione constitui differentiam inter meretricem *publicam* et feminam, quae *occulte* fornicatur: cum, ratione suprascripta diligenter examinata, satis appareat, ita esse usum corporis ad venereum actum, vendibilem in femina occulte fornicatrice, sicut et in ea, quae publice meretricium exercet: *tametsi Cynus* in l. 2., et ibi *Angelus,* [1] *Joannes Lupi,* [2] *teneant, in femina occulte fornicaria*, quae publica meretrix non est, *quod nec ipsa petere possit mercedem promissam et pretium fornicationis, nec si datum fuerit, illud possit retinere: imo potius restituere teneatur*, etiam in animae judicio. Hanc sententiam Cyni et aliorum scribit communem esse Hadrianus. Eam hi Doctores probant auctoritate textus in *L. Lucius ff. de jure fisci*, quo probari videtur, res datas his occultis fornicariis, ad fiscum pertinere, et eas fisco adjudicandas fore. Ego quidem, ut modo adnotabam, opinor, hanc opinionem nec communem esse, nec veram. »

In quantum autem praedicti Auctores affirmant, feminam, quae pu-

1) L. de cond. ob turp. caus. — 2) In dicta Rubrica 41.

blica meretrix non est, mercedem promissam *petere* non posse, *Covarruvias* dicit: « Quoad primum fateor, *Cyni sententiam* in foro exteriore ob ejus et aliorum doctissimorum virorum auctoritatem, *frequentissime admitti, et a plerisque judicibus eam admittendam fore.* »

Ceterum, etiam recentiores Auctores tenent, pretium *occultae* meretrici promissum *fisco cedere;* prout *Dicastillo,* [1] qui dicit: « Illud tamen *certum* est, quod *soli publicae meretrici* datur actio ad petendum praemium; *reliquae* vero potius puniantur, et *pretium promissum applicabitur fisco,* sicut et pretium promissum pro aliis peccatis. »

III. Ad *Navarrum* quod attinet, P. Ballerini dicit, l. c. pag. 716.: [2] « Denique, ut *Navarri* sententia pateat, sufficiat haec attulisse ex Man. cap. XVII. n. 34.: *Dico quarto principaliter, quod acceptum a meretrice, ob turpem causam fornicationis, non est necessario restituendum, etiam in foro conscientiae. In qua conclusione, fere omnes tam Theologi, quam Canonistae, et Legistae conveniunt:* quae postrema verba rursus evincunt, quanta levitate Comitolus fere *omnium doctorum esse* jactaverit oppositam sententiam. Caeterum Navarro displicebat ratio, *quam* (ut ait) *etiam sequitur S. Thomas, et omnes alii post eum. Quia* (subdit) *videtur sibi repugnare, cum praesupponat, turpe esse meretricari, et non esse turpe mercedem pro meretricio capere;* quando (uti infr. n. 41. explicat) mercedis receptio est peccati commissi approbatio, atque adeo novum peccatum. Quocirca hoc saltem exigit (ibid. n. 41.), ut *delictum non sit causa principalis petendi promissa, sed causa impulsiva et occasio, sine qua non peteret:* quasi vero v. gr. calceamenta per nefas die festo confecta, non possint esse causa, sed solum occasio, ob quam merces seu pretium sutoribus solvatur. Sed quando in conclusione cum communi DD. convenit, reliqua, prorsus singularia, ita ut contra communem omnium sensum, se ea proferre ipsemet sincere fateatur, viro alioquin egregio facile sunt condonanda. » [3]

1. At vero sententiam *Navarri* cl. Professor similiter perverse allegat, prout ex sequentibus propositionibus, l. c. *Manuale* cap. 17., videre licebit.

N. 32. Navarrus concedit, titulum, quo aliquid ob maleficium datur, ipso jure nullum esse; at suam sententiam explicans subdit, hoc non obstare: « quia, licet pactum vel conventio, qua quid ob maleficium datur, non valeat in illa forma, quam partes solae praetendunt facere; valet tamen, ut *donatio quaedam virtualis,* vel ut *quidam actus habendi pro derelicto,* quod lex in poenam male dantis interpretatur, taliter male dantem habere id pro derelicto, vel pro donato ad hoc, ut ei non debeat necessario reddi. »

N. 38. Dominicum Soto allegat dicentem, foedam meretricis operam, licet *nullius sit pretii, quatenus est peccatum,* nihilominus *pretio aestimari posse,* quatenus est *res quaedam usui humano accommodata.* - Sed hoc argumentum non admittit Navarrus *(n. 39.):* « quoniam omnis opera exterior, qua peccator operatur peccatum, ut plurimum est talis; et tamen *nullus unquam Catholicorum,* quod sciam, dixit licite

1) De just. et jure, lib. 2. tr. 2. disp. 6. n. 19. — 2) In altera edit. pag. 542.

3) In eadem edit. haec ultima propositio paulisper immutata habetur: « Sed quando in eandem conclusionem cum communi DD. sententia demum convenit; reliqua, prorsus singularia, quae vel ipse *Thomas Tamburini* (Decal. lib. 7. cap. 5. §. 3. n. 20.) *procul a veritate abesse* affirmat, quaeque contra communem omnium sensum se proferre ipsemet Navarrus sincere fatetur, viro alioquin egregio facile sunt condonanda. »

posse pro ea, saltem quando est *intrinsece mala, qualis est opera meretricia, capi aliquam mercedem.*»

N. 40. Navarrus aliam adversariorum argumentationem refellit, scilicet quod *actus peccati* consideratus in genere *entis* est quoddam ens, ideoque quiddam *bonum;* licet consideratus in genere *morum, nullius sit pretii.* - Hanc rationem non obstare dicit: « quia *omnia jura divina et humana* respiciunt in eo magis id, quod est in genere *moris,* quam quod est de genere entis, quae sunt *inseparabilia;* et ita *vetant absolute, ne pro tali actu accipiatur, detur, vel promittatur aliquid,* excepta, ut dixi, una fornicatione, et aliis similibus actibus, qui, licet sint peccata in foro interiori, permittuntur tamen in exteriori... Sic a simili Cajetanus ait, quod licet actus conficiendi Sacramenta, et ministrandi illa sit res temporalis, non tamen potest vendi; quia magis attenditur spirituale, quod sine illo non potest esse, quam substantia illius. Per quod ipsum dictum Cajetani ab omnibus acceptum probatur, quod licet aliquid sit in se vendibile, non tamen potest fieri vendi, cum miscetur invendibili. *Sic ergo actus delinquendi, licet sit in se vendibilis, conjunctus tamen peccato, quod est invendibile indivisibiliter, non potest licite vendi.* »

Ibidem ex praemissis infert Navarrus, meretricem *retinere* posse, quod accepit, *tamquam donatum vel derelictum ab eo, qui dedit,* et idem dicendum esse de aliis personis, qui ob fornicariam operam aliquid acceperunt.

Eodem quoque loco Auctori respondet, qui ipsi exprobravit, quod antea annuerit, feminas conjugatas et Deo sacratas peccare accipiendo turpe lucrum pro causa fornicationis, nunc autem, omissa priore opinione, teneat, ipsas lucra petere et sibi retinere posse, at non tamquam debitum legale, sed tamquam debitum ex animo grato. - Respondet, se utique sententiam mutasse, sed illam, quam nunc tenet, Adversarium non satis intellexisse: « Confundit *petitionem* et *restitutionem; promissum* et *acceptum;* forum *interius* et *exterius;* jus naturale male cognitum ab ethnicis, et idem bene cognitum a catholicis; et obscurat debitum *legale* et *morale*; et causam *finalem* et *impulsivam.* Quae omnia ego distincte et dilucide, et fortasse (absit jactantia) altius, resolutius, quam alius unquam et distinctius declaravi: ut ex eorum contextu cum aliis omnium aliorum temporum collato, facile diligens et eruditus quisque lector colligat. »

Demum *n. 41.* concludit Navarrus: « Sexto infertur, *Confessarios* praedictarum mulierum et virorum impudicorum, quibus ob impudicitiam aliquid *promissum* est, et *nondum traditum,* debere illis consulere, quod nos consuluimus cuidam, qui praecepto cujusdam Magnatis, magnis promissis ejus illectus, accepta parte eorum, occidit quemdam, et ob id vertit solum in aliud regnum, et querebatur, quod ille Magnas non solvit omnia promissa, et petebat illa. - *Consuluimus namque, ut caveret, ne peteret illa tanquam sibi debita, justitiâ legali; quia non erant talia, propter promissionis nullitatem; et quia per talem petitionem approbaret peccatum,* quod ante fecerat, et ita nove peccaret mortaliter; sed quod in litteris, quas ei scriberet, et mandatis, quae ad eum daret, confiteretur primum agnoscere se, nihil sibi propter illam operam illicitam, praeter ipsum infernum, de justitia deberi, et ita nil se petere ob eam, *tamquam debitum legale,* sed supplicare illi, ut misereretur ejus necessitatis et indigentiae, et dignaretur mittere illa promissa *in eleemosynam,* non quidem propter ejus factum, quod erat abominandum, sed propter affectum illum magnum obsequendi ei, qui fuit ita potens, ut praeceptis Dei praeferret ejus praecepta. Ita, quod nul-

latenus placeret ei suum factum illicitum, nec approbaret illud dicendo, ob id esse ipsi aliquid debitum, sed solum probaret affectum magnum atque desiderium obsequendi, quo in ipsum fuit, ut cum ejus jussa complevit et erat obsequendi ei in licitis et honestis, quando ea scriberet et mandaret. Ita quod delictum non sit causa *principalis* petendi promissa, sed *causa impulsiva et occasio, sine qua non peteret.*– Quod ipsum, mutatis mutandis, debet consulere Confessarius ei, qui promisit dare aliquid ob delictum, post quod perpetratum vult dare, quod ob id promisit, nempe quod perpetratio delicti non sit causa *finalis,* sed solum *causa, sine qua non daret,* et quod det principaliter, ut necessitati ejus subveniat, vel honori suo satisfaciat. »

2. *Nulla* ergo, secundum Navarrum, *obligatio est ad pretium promissum solvendum;* imo si ille, qui promisit, solvere vellet, non posset licite, nisi ea intentione honori suo satisfaciendi, vel necessitati malefactoris subveniendi. Consequenter facinorosus *nequit promissum petere tamquam pretium sibi debitum,* primo loco, quia *promissio nulla* erat, et secundo, quia hujusmodi petitio *approbationem peccati* involveret; sed solummodo tamquam eleemosynam, ita ut delictum nonnisi *causa impulsiva et occasio sit.*

3. Hanc autem Navarri doctrinam prorsus singularem esse, probare contendit P. Ballerini ex sequenti exemplo adducto : « *Quasi v. gr. calceamenta per nefas die festo confecta non possint esse causa, sed solum occasio, ob quam merces seu pretium sutoribus solvatur.* » – Sed Navarrus distinguit inter causam *finalem* et *impulsivam.* Porro *exemplum* cl. Professoris non quadrat, quia de opere agitur, quod *in se malum et illicitum non est,* ac sutor justum titulum habet, pretium operis exigendi, scilicet justum validumque contractum, qui alteram partem ex justitia ad solvendum obligat.

Haec responsio jam habetur apud *Joannem Medina* l. c.: «Dixi notanter: *nisi alius titulus honestus seu causa concurrat:* puta, libera et spontanea donatio, aut emptio seu venditio, aliusve justus contractus: nam tunc, non obstante turpitudine actus vel modi, quo aliquid est acquisitum, poterit licite retineri. Ut si quis *in die festo vel loco sacro,* negotia alioqui licita exerceat, quod illic peccatum est, est violatio festi et loci profanatio, pro qua non licitum est pretium accipere. Secus *pro re ipsa,* quae venditur, quae propter locum aut tempus, in quo venditur, valorem suum non amittit, ideo pretium rei cum lucro inde juste recepto licite retineri potest: nec pretium illud nascitur *ex loci profanatione,* sed *ex re ipsa,* quae vendita est, et ex voluntate contrahentium. »

Articulus 4.

Vindicatur Collet ab immeritis P. Ballerinii objurgationibus.

Loco cit., cl. Professor sic prosequitur : « Et ista quidem potiora » sunt, quae ad hujusmodi causae » defensionem afferantur. Nam quae » in eamdem rem congessit *Collet* » (de Just. et Jur. p. 4. cap. 1. art. 4.), » adeo misera vel ipsi visa sunt, ut » eum, licet ejusdem opinionis studio- » sissimum, non ulterius pertrahere » potuerint, quam ut *se in eam pro- » pendere* dixerit. Dixi: *Collet hujus » opinionis studiosissimum ;* nam » *amore tam perdito eam deperibat,* » ut, cum scriptores, quos commu- » nissimae fere omnium in Theolo- » gia ac utroque jure Doctorum cer- » tae sententiae opponeret, ad ma- » num nisi quatuor non haberet, sa- » tis id illi fuit, ut intrepide pro- » nunciaret : « *Duplex est, in hoc » puncto, Theologorum etiam sanio- » rum opinio!* » Caeteroquin autem, » quinam isti pro sua parte saniores » Theologi? *Comitolus* nempe, *da- » mnatum opus Henrici a S. Igna- » tio,* ignotus anonymus *Collat. Pa-*

» *ris. Auctor,* cum compendio *Sam-*
» *bovii!* Et quidem, quod etiam ma-
» jus est, ne hos quidem, quasi pro
» ea opinione certantes ausus est
» proferre, sed, ut ipse inquit, *hanc*
» *tenent, aut ad eam accedunt;* qui-
» bus dein (et hoc magis adhuc mi-
» rum, *ferreaque fronte dignum*)
» favere dicit *Joannem Pontas,* qui
» alioquin, ipso non diffitente, plane
» oppositum docet! *Dignum sane*
» *hujusce causae patrocinium, di-*
» *gnumque patronum!* »

I. S. Alphonsus citat *Continuato-rem Tournelii* (Collet): *de justitia et jure, parte 3. cap. 3. art. 1. sect. 4.* - Quo loco sequentia leguntur: « *An accepta ob turpem causam restitui debeant?* Not. 1. Per *turpem* causam intelligitur praecipue opus meretricium. Not. 2. *Meretrix* duplex: alia *publica*, quae majoris mali vitandi gratia toleratur, ut fit in Italia; alia vero *privata*, quae deprehensa punitur. Not. 3. *Duplex est in praesenti materia Theologorum opinio.* Alii credunt meretricem *posse*, ut sibi debitum, *retinere* illud, quod corpus suum prostituendo lucrata est. Alii credunt eam ad id *restituendum teneri, nec posse servare,* nisi id quod ad vitae necessitatem absolute necessarium est. *Hanc sententiam tenent, aut ad eam accedunt Comitolus e Soc. Jesu,* [1] *Henricus a S. Ignatio,* [2] *Author Collat. Paris.* » [3]

Quibus praemissis, Collet rationes pro utraque sententia militantes fuse explicat, et pergit: « Quod spectat ad alterius opinionis momenta, respondent qui pro *secunda* pugnant. Ad primum (i. e. ad legem, quae dicit, meretricem turpiter facere, sed non turpiter accipere) vel hanc legem procedere *in foro tantum exteriori,* non in foro conscientiae; vel meretricem aliquid retinere posse, non vi contractus, quasi aliquem inde valide possit, sed *ex dono et concessione reipublicae,* quae rei donatae dominium in meretricem transfert, tum in mulctam illius, qui voluptatis nefandae desiderio ardet, tum ut majora impediantur mala, quae ex meretricii ablatione consequerentur, ut notat S. Augustinus: [4] *Aufer meretrices de rebus humanis, et turbaveris omnia libidinibus.* »

Sequuntur responsiones ad cetera momenta, praecipue ex Comitolo desumptae; ac demum Collet concludit: « Ex his colligit *Author Collat. Paris.*, eas meretrices, *quae non tolerantur,* sed potius ejiciuntur ex urbibus aut carceri traduntur, ut in Gallia contingit, *teneri ad restituendum* id, quod accepere; nisi eo ad tolerandam vitam absolute indigeant. Ratio est, quia nullum habent titulum, quo bona sic accepta retinere possint. Neque enim hoc possunt vel ratione *criminis,* quod pretio dignum non est; vel ratione *legis,* cum per ipsam non tolerentur. »

II. Quibus expositis, objectiones cl. Ballerinii paulisper perpendamus.

1. Ipse primum allegat Colletum: *De Just. et jure, P. 4. cap. 1. art. 4.* Quocirca notare juvat, duplex esse opus a Collet conscriptum. Aliud anonymum, quod communiter *Tournelii,* aut *Continuatoris Tournelii* nomine citatur, et inscribitur: « *Praelectionum theologicarum Honorati Tournely continuatio, sive universae Theologiae moralis tractatus.* » Alterum, prioris Compendium, cui titulus: « *Institutiones theologicae, quas, ad usum Seminariorum, e propriis suis Praelectionibus contraxit Petrus Collet.* » - At vero, in *Praelectionum* editione Veneta, de anno 1736., qua usus est S. Alphonsus, [5] quacum perfecte concordat alia similiter Veneta de anno 1746., Tractatus de Justitia et Jure *quartam*

1) Lib. 3. q. 6. — 2) T. 2. lib. 9. c. 42. — 3) T. 4. pag. 27. — 4) Lib. 2. de ord. cap. 4. — 5) Hujus namque editionis, S. Doctor citat *Tom. 1. pag. 330. sect. 4.*

Partem non habet, nec quadrat citatum *Cap. 1. art. 4.* Nec eamdem citationem ex *Institutionum* editione Veneta 1784. (quae cum anteriori Taurinensi secunda concordat) eruere nobis licuit. Quaenam editiones istorum Operum praeferendae sint: utrum nostrae, an illa quam P. Ballerini citat, nescimus. – Quidquid autem sit, convicia, quae cl. Professor, insolito inter Theologos more, in Petrum Collet congerit, immerita sunt.

2. Colleto crimini dat, quod, licet « ad manum nisi quatuor (Auctores) » non haberet, quos communissimae » fere omnium in Theologia ac utro- » que Jure Doctorum certae senten- » tiae opponeret, satis id illi fuit, » ut intrepide pronunciaret: *Duplex* » *est in hoc puncto Theologorum* » ETIAM SANIORUM *opinio!* » – Sed hujusmodi impugnatio cum aequitate haud componi posse nobis videtur. In priori Opere, cujus textum supra allegavimus, Collet tres citatos Auctores revera adducit; sed simpliciter dicit: « *Duplex est in praesenti materia Theologorum opinio* », quin de *sanioribus* loquatur. – In posteriori autem Opere, legitur propositio a cl. Professore citata; sed ibidem, post praefata verba, Collet nullum amplius Auctorem nominatim allegat: quam differentiam, veritatis causa, cl. Ballerinius adnotare potuisset.

3. In *priori* quidem Opere, Collet citat « *damnatum opus Henrici a S. Ignatio* »: quod utique in Indice habetur, et prohibitum est, quatenus aliquae propositiones censura dignae in ipso traduntur. Sed idcirco nec illicitum, nec inconveniens est, ipsum in illis materiis allegare, quae propositiones reprobatas seu suspectas nullatenus attingunt. S. Alphonsus, Benedictus XIV. aliique graves DD., in hujusmodi materiis, Auctores operum prohibitorum, ut Henricum a S. Ignatio, Jueninium et alios, allegare non dubitant.

4. Insuper P. Ballerini « *ferrea fronte dignum* » censet, quod Collet eidem sententiae « *favere dicit Joan-* » *nem Pontas, qui alioquin, ipso* » *non diffitente, plane oppositum* » *docet!* » – Ubinam cl. Professor istam allegationem Joannis Pontas invenerit, nescimus. In editionibus namque supra citatis, nulla hujusmodi allegatio habetur. Libenter tamen admittimus, haec in alia editione ab ipso lecta fuisse. Quo posito, si Collet dicit, Joannem Pontas primae sententiae favere, alio autem loco non diffitetur, eumdem oppositum docere, utique errat, sed non in suum commodum, ac sibimetipsi contrarius est.

Pontas enim non solum oppositum nullibi docet, sed potius satis clare et aperte primam sententiam profitetur. – T. 3. V. *Promissio,* Cas. VIII.[1] sequentem casum ponit: « Scevola, pactus cum Thoma, sese ei concessurum Dupliones decem aureos, ea conditione, quod de medio tolleret Guillelmum ipsi infensissimum, aut saltem percuteret, et contumeliis plurimum vexaret: ipsi Thomae, *post executionem* mandati, teneturne ex conscientia promissam summam rependere? » – Et respondet: « *Extra omnem dubitationis aleam positum est, neque divino neque humano jure quidquam obligationis induci Scevolae, ex promisso quod exhibuit Thomae,* ut flagitiosam ejusmodi provinciam exequeretur, ad rependendos decem aureos dupliones. » – Ratio, quam Pontas adfert et uberius probat, ea est, quod omnes promissiones vel stipulationes de patranda re illicita, quae bonis adversatur moribus, jure tam naturali quam positivo *nullae et irritae,* atque ita considerandae sint, quasi numquam initae fuissent.

Et *Cas. IX.* idem Pontas alium

1) Cfr. *Dictionarium casuum conscientiae*, Versio latina, edit. Luxemburg. 1732. et Venet. 1757.

casum ponit: « Jordanus promisit sex nummos aureos Polixeni libidinosissimae mulieri, in pretium corporis prostituti. Num obligatur ad promissum praedictae meretrici servandum? » – Respondetque: « *Nedum vir praefatus teneatur ad praestandum, quod promisit:* quinimo, sicut spondendo dictam summam isti mulieri peccavit, atque inprimis si promisso ejusmodi interveniente id potissimum animo intenderit, ut cum ea libidinose agere perseveraret, *gravissimo prorsus peccato irretiretur, si eadem mente fidem illi teneret.* Quod quidem luce meridiana clarius esse convincitur *ex omnibus testimoniis in superiore decisione relatis;* [1] quibus addere licet auctoritatem S. Augustini [2] testantis, non posse meretricibus pecuniam rependi absque gravissimo peccato; cum nempe in pretium perpetrati criminis tribuitur. Auctor vero Glossae sic subjungit: [3] *Sed nonne causa affectionis meretricibus dare possumus?* En, quaestio quam instituit, ad quam respondet istis verbis: *Dicunt quidam, quod sic, pactione non praecedente, causa remunerandi: quod non credo, quia semper peccatum est dare.* »

Si ergo promissio Jordani, quemadmodum illa in casu praecedenti, irrita et nulla fuit, et ita considerauda, quasi numquam data fuisset, et Jordanus postea dedit, quod dare obligatus non fuit, imo quod nequidem ultro ipsi dare licuit: meretrix, *in foro conscientiae,* pretium acceptum retinere non potest, ex titulo promissionis vel remunerationis operis praestiti, sed tantum in foro externo vel ex dono reipublicae: quod etiam Collet concedit.

Ex quibus patet, Collet non errasse dicendo, Joannem Pontas primae sententiae favere; sed erravit fatendo, ipsum oppositum docere. – Ceterum si « *ferrea fronte* » dignus esset, qui Auctorem aliquem falso allegat: quid, quaerimus, de cl. nostro Professore dicendum, qui allegationibus manifeste falsis abundat; ut ex praecedentibus patet, et uberius ex subsequentibus disputationibus patebit? Annon, ex ore suo, non ex nostro, frons aenea ipsi tribuenda esset?

5. Demum Collet « *studiosissimus* » non est, nec « *amore perdito* » primam sententiam « *deperibat.* » Fideliter enim rationes pro secunda militantes exponit, et sobrie ac mere objective ipsis respondet. Insuper in posteriori Opere [4] hanc quaestionem sic concludit: « *Adduxi praecipua, quae invenire potui,* UTRIUSQUE *opinionis momenta. Fateor, me in secundam* (sc. in primam a S. Alphonso relatam) *propendere;* licet eos qui meretrices ad exactam restitutionem adigere nolunt, *condemnare non ausim,* quia id nulla satis evidenti regni lege constitutum est. » – Haec verba, quaerimus, suntne auctoris, qui opinionem suam amore perdito deperit? Nonne eadem exprobratio (si scriptorem catholicum deceret) potius in cl. Professorem nostrum retorqueri posset?

Articulus 5.

Recte dicit S. Alphonsus, primam sententiam negantem tum a Lessio, tum a Diana probabilem censeri.

I. S. Alphonsus, ut vidimus, dicit, primam sententiam probabilem vocari a *Lessio* et *Diana.* Ad haec autem verba, P. Ballerini loc. cit. pag. 717. [5] sequentia apponit: « Denique, ut nihil, quod huc spectat, » omittatur, quidam advertunt *(Vid.* » *S. Alph. Lib. 3. n. 712. q. 1.),* hanc » opinionem habitam fuisse ut *probabilem* tum a *Lessio,* tum a *Diana.* » [6]

1) Videlicet in casu VIII., in quo Pontas plures textus Juris allegavit. — 2) In Can. *Qui venatoribus* 7. dist. 80. — 3) In Can. cit. v. *Meretricibus.* — 4) Institutiones theologicae, T. 1. tract. de just. et jure, c. 4. art. 1. sect. 2. — 5) In altera edit. pag. 543. — 6) Ibidem subjungit:

Ac primum de Lessio loquens, ait: « Verum quod ad *Lessium* attinet, » hoc affirmavit *tantummodo de cri-* » *minibus, quae positivo jure pu-* » *niantur,* v. gr., si parochorum exa- » minatores quidpiam, ratione exa- » minis, a candidatis receperint *(Vid.* » *Lib. 2. cap. 14. n. 60. et cap. 18.* » *n. 20.).* Haec autem nihil ad ge- » neralem quaestionem secundum *jus* » *naturae* pertinent. »

1. Sed *Lessius, S. J.,* [1] dicit: « Adverte tamen PROBABILE esse, eum, qui aliquid promisit pro opere malo, quod legibus punitur, ut *pro homicidio, adulterio, furto* et *similibus* non teneri ad implendum promissum, etiam opere secuto: quia est communis sententia Doctorum utriusque juris, ut docet Covarruvias supra n. 6. » — Claris ergo et disertis verbis, loquitur de maleficiis *juri naturali* adversantibus, de homicidis, adulteris, furibus et similibus, non autem de *examinatoribus parochorum* dona accipientibus, vel similiter delinquentibus; ac proinde id ipsum dicit, quod et dicit S. Alphonsus: « Pro aliis vero maleficiis, puta pro » ferenda sententia injusta, vel pa- » trando *homicidio, adulterio, for-* » *nicatione* etc., duplex est senten- » tia *probabilis.* »

2. Et in altero loco citato, *Cap. 14.* Lessius quaestionem pertractat: « *Utrum acceptum ob turpem causam sit necessario restituendum?* » Exponit primum et approbat sententiam negativam; ac dein *n. 60.* addit: « Dico tertio. Etsi haec sententia verior sit, *contraria* tamen, quae censet, id quod acceptum fuerit *ob crimen legibus punibile* (nisi censeatur donatum), esse restituendum, NON EST IMPROBABILIS. Patet, *quia est fere communis omnium Jurisperitorum,* ut docet Covarruvias supra n. 6. Item *Medinae,* et *Navarri* olim (licet hic postea mutarit) et aliorum; *habetque* RATIONES *ex Legibus petitas* UTCUNQUE PROBABILES. »

3. Ex dictis patet, quod si falsa alicujus auctoris allegatio vel interpretatio facinus esset, prout supra dixit P. Ballerini (quod tamen absit, ut concedamus), ipse cl. Professor, hac *Lessii* interpretatione, certe facinus non leve commisisset.

II. Dein cl. Professor sententiam *Dianae* ad examen revocat, dicens: « Quoad *Dianam* autem, duo adver- » tere satis sit. 1°. Hanc qualemcum- » que probabilitatem (nam oppositam » dicit probabiliorem et communem) » ipse *(Tom. 8. tr. 7. res. 59. n. 3.)* » tribuit auctoritati *Durandi, Me-* » *dinae, Navarri, Comitoli* et *Va-* » *leri.* Atqui Medina, Navarrus et » Comitolus perperam, ut vidimus, » in patrocinium vocantur. *Duran-* » *dus,* cujus allegationem Diana sum- » psit ex Valero, mere contendit *(In* » *3. Dist. 39. q. 4.), nullam obliga-* » *tionem oriri ex juramento seu voto* » *de re illicita, quasi haec Deo pla-* » *ceat:* quae, uti patet, non sunt ad » rem. *Valerus* demum *(Differ. utri-* » *usq. Fori, V. Promissio, diff. VIII.)* » concedit, usum corporis esse ven- » dibilem, licet neget, dandum esse » pretium, ne hoc solvi pro peccato » videatur. At simul *(ib. Diff. IX.* » *n. 1.)* statuit, in foro conscientiae, » eum, qui promisit centum pro fa- » ciendo homicidio, ad solvendum te- » neri post opus perfectum, quamvis » in foro externo ea alter exigere non » possit. *Ergo auctoritates, quibus* » *Diana* [2] *nectebat probabilitatem,* » *evanescunt.* - 2°. *Diana* (l. c.) ex » mente eorum, quos allegat, unicam » urget rationem, quod peccatum non » sit vendibile aut pretio dignum. At- » qui hanc rationem ipse *(Tom. 6. tr. 7.* » *res. 140. n. 4.)* contendit esse fal- » sam. - Ergo per se ipse *inanem istam* » *probabilitatem* destruit, *quae nec*

« *Tamburinus* vero (Decal. lib. 7. cap. 5. §. 3. n. 20.) addit, eam docere *non ignobiles Do-* » *ctores,* ipsamque placuisse *multis Canonistis apud Azorium* (P. 3. lib. 4. c. 21. q. 2.). »

1) Loc. cit. lib. 2. c. 18. n. 20. — 2) In altera edit. P. Ballerini intercalat: « *qualemcumque illam.* »

» *ratione ulla nisi falsa, nec ulla,* » *nisi ficta, auctoritate nititur.* »

1. *Diana,* l. c. quaestionem ponit: « *An habens rem cum meretrice, teneatur in conscientia solvere ei mercedem solitam, sive eam promiserit, sive non?* » Primo refert sententiam *affirmativam,* quam Doctores communiter docent, atque rationem, qua eam probant, adducit: « quia pro omni actu pretio aestimabili potest accipi merces; sed actus meretricius, si consideretur, non ut turpis et illicitus, sed ut naturalis et delectationi hominum accommodatus, potest pretio aestimari. Ergo etc. »

Tum pergit: « His tamen non obstantibus, non desunt DD., qui *probabiliter* contrariam sententiam docent, ut *Durandus,* [1] *Medina,* [2] *Navarrus* [3] et ex Neotericis, *Paulus Comitolus* [4] et *Joannes Valerus,* [5] ubi putat, supradictos Doctores supponere falsum, nempe usum corporis meretricis ad actum venereum, esse in foro conscientiae vendibilem, ipsumque separari posse ab ipso peccato. Nam in ipso usu corporis turpi, consistit perfectio et consummatio peccati; quomodo igitur potest separari in rei veritate, ab ipso peccato? Revera enim meretrix petit mercedem, propter delectationem illam libidinosam, quam debet exhibere ad se accedenti, per usum sui corporis, et propter eandem promittit vir mercedem, et sic propter peccatum. Caeteras rationes vide apud Valerum et Navarrum, ubi supra. *Ex quibus apparet,* UTRAMQUE *sententiam esse* PROBABILEM, *licet prima sit probabilior.* Unde non erit neganda absolutio, si aliquis rem habuerit cum meretrice, si postea nollet solvere mercedem consuetam, etiamsi eam dare promiserit. – Notandum est tamen cum Valero et Toleto, quod datio et acceptio pro fornicario actu est mala, quia pro re turpi et ob peccatum, sed non contra justitiam; et ideo etiam secundum hanc posteriorem sententiam, meretrix non tenetur restituere. »

2. Objicit autem P. Ballerini: « *Atqui Medina, Navarrus et Comitolus perperam, ut vidimus, in patrocinium vocantur.* » Sed nos oppositum supra vidimus. – Diana quaestionem ponit, an in conscientia *mercedem* solitam meretrici solvere teneatur, qui rem cum ea habuit.

Atqui *Medina,* ut vidimus, docet, *mercedem* promissam pro re turpi *neminem in conscientia solvere teneri;* tum quia *promissio* seu stipulatio *nulla est,* tum quia opus pravum *nullam remunerationem* seu mercedem *meretur;* idemque sentit de *meretricio* ante condemnatoriam judicis sententiam. – Solummodo probabile censet, opere pravo patrato, promissionem adimplendam esse, non ex justitia, non ut merces seu pretium pravi operis solvatur, sed ob meram fidelitatem proximo servandam.

Navarrus docet, illum qui *mercedem* pro maleficio patrando promisit, *in conscientia* eam *solvere non teneri;* immo etiamsi solvere vellet, licite haud posse: praeterquam ea intentione, ut honori suo satisfaceret, vel necessitatibus malefactoris subveniat. Nec aliter sentit de *meretricio,* ante judicis sententiam.

Comitolus denique l. c. n. 5. dicit: « Alteram partem disputationis ingrediamur, *certisque rationibus* persuadeamus, etiam post eventum et maleficium, *nullam superesse obligationem illius quoquo modo remunerandi:* quam sententiam Doctorum communem esse scribit Alex., [6] ubi docet ex Paulo Castrensi, dispositionem, verba sunt ejus, remuneratoriam maleficii esse nullam, et Baldus negat remunerari posse maleficium. » – Et quoad *meretricium* dicit, fornicatorem meretrici ea sola ratione solvere teneri, quia lex justam

1) In 3. dist. 39. q. 4. — 2) Cod. de rest. q. 20. — 3) Cap. 17. n. 40. in fine. — 4) Resp. moral. lib. 3. q. 5. — 5) In differentiis utriusque fori, V. *Promissio,* diff. 8. — 6) In l. *Si plagii,* ff. de verb. obligat.

hanc delicti sui mulctam ipsi irrogat, alia judicis sententia non expectata.

3. Cum ergo Diana recte alleget Medinam, Navarrum et Comitolum, non opus est, ut longe lateque inquiramus, quid *Durandus* (quem etiam Rebellus, Medina, Comitolus, aliique citant) et *Valerus* proprie dicant. Et quidem tanto minus, quia *Diana* negativam sententiam, non propter auctoritates extrinsecas, sed *propter rationes intrinsecas* probabilem censet. Ut clare patet, quia in textu supra allato subjungit: « *Revera enim meretrix petit mercedem propter delectationem illam libidinosam.* » Porro lectorem ad rationes delegat, quas Navarrus exponit; ac demum concludit: « *Ex quibus* (rationibus) *apparet, utramque sententiam esse probabilem,* licet prima sit probabilior. »

4. Cum autem *Diana* probabile censeat, nullam esse obligationem in conscientia meretrici mercedem solvendi; a fortiori idem sentit, si peccatum commissum est *contra justitiam.* Quod expressis verbis habetur in Summa: [1] « Qui promisit meretrici aliquid pro usu corporis, *probabiliter non tenetur solvere,* quia usus ille ad actum venereum non est vendibilis, utpote non separabilis a peccato. Navarrus. Contrarium tamen est probabilius. Lessius. – *Idem est de peccatis etiam contra justitiam,* ut homicidio, falso testimonio, injusta sententia, etc. »

Articulus 6.

Exponitur doctrina Concinae, a S. A. pro prima sententia negante allegati.

Hucusque ab impugnationibus cl. Ballerinii vindicavimus Auctores, quos S. Doctor noster pro prima sententia adducit. Unum tantum cl. Professor silentio praeterit, videlicet *Concinam,* qui *de Jure et Just. lib. 2. diss. 2.*, et succincte *in Compendio, lib. 9. diss. 2. c. 2.* hanc quaestionem pertractat. – Quae in isto Compendio scribit, in extenso afferre juvat, eo magis quia tum rationes praecipuas sententiam negantem sustentantes, tum responsiones ad argumenta contraria breviter exponit.

« *25...* Disputatur, *num promisso impleto, solvendum sit pretium promissum? Affirmant* Salmanticenses, et hanc esse communem Doctorum sententiam asserunt. »

« *26. Oppositam* opinionem defendunt Adrianus, Joannes Medina, Navarrus, Wiggers, [2] Paulus Comitolus, Henricus a S. Ignatio, Continuator Tournely. – Quandoquidem *Jura, tum sacra, tum civilia decernunt,* stipulationes, pacta, promissa *ob turpem causam inita, nullam habere vim,* et pro infectis habenda. Gregorius IX. [3] haec statuit: *Juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis, de jure vel de facto nullam obligationem inducit.* Jura civilia [4] haec decernunt: *Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti.* Rursus [5] haec adjiciuntur: *Ob turpem causam, ex stipulatione contra bonos mores interposita, denegandas esse actiones, juris auctoritate demonstratur.* Tandem: [6] *Pacta, quae contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est.* – Plura alia utriusque juris praetereo. »

« *27. Recensita jura, cum absoluta sint, aeque ante ac post patratum scelus, urgent, et rationibus evincitur.* Nam si post patratum malum, solvendum pretium est, vim habet stipulatio. At *nullam habere vim leges declarant.* Quid, quod Doctores ipsi communis sententiae defensores docent, *rescindendas esse* ejusmodi stipulationes? Ergo, ipsorum confessione, nullius momenti sunt. Praeterea, si stipulatio haec

1) V. *Promissio,* n. 3. — 2) De Contract. tr. 5. c. 2. dub. 6. n. 23. — 3) In Cap. *Pactiones.* — 4) In L. *Generaliter* 26. ff. de verb. oblig. tit. 1. — 5) L. *Mercedem*, Cod. de condit. — 6) L. *Pacta quae,* Cod. de pactis.

post factum vim habet, ut contendunt Doctores isti, eam profecto *non habet ex novo pacto,* seu conventione inter contrahentes, sed ex pacto, quod factum praecessit. Alterutrum ergo fateantur necessum est Doctores isti, aut stipulationem hanc validam esse et ante et post factum, aut nullam esse et ante et post factum. »

« *28.* Tandem, *numquid obligatio semel omnino extincta reviviscit?* Negant omnes. Ergo *longe minus obligatio, quae nulla fuit ante factum,* et ab omni jure naturali, divino et humano nulla habetur, reviviscere potest. Deus et leges omnes severius puniunt pravitatem commissi sceleris, quam committendi. Ergo si propter turpitudinem rei nondum factae, vim obligationis a stipulatione auferunt, multo magis auferre eam debent ob rei factae iniquitatem. – Rursus, obligationes quae ad malum impellunt, foventque crimina, tolerari haud debent. Sed si stipulationes et pacta solvendae mercedis pro scelere patrando servanda forent, peccandi licentia liberius grassaretur, et aditus ad infinita scelera patefieret. Denique, vota et juramenta de peccato patrando, ex communi sententia nulla sunt: ergo longe magis nullae promissiones humanae, quae sane minus stringunt quam vota et juramenta Deo facta. »

« *29.* Objiciunt citati Doctores. *Distinguenda in flagitio duo sunt:* unum, actionis pravitas Deique offensio; alterum voluptas, delectatio, entitas actionis, molestia, periculum, cui flagitiosus exponitur. Primum venale esse nequit. Secundum natura sua et per se vendibile est. – Resp. Hac distinctione posita, vendibilis anima, Angeli, Sacramenta, quatenus entia sunt. Praefata flagitia sub contractu non cadunt, quatenus *entia* sunt praecisionis metaphysicae, sed ut suis conditionibus involuta. *Voluptates,* quae insunt flagitiis, improbae sunt. Ergo, si flagitia ipsa venalia non sunt, neque voluptates, quae comitantur flagitia, vendi queunt. Ergo falsa censenda est citata Doctorum sententia. »

« *30.* Quaestio 11. *Quid de quaestu meretricio dicendum?* Respondeo: Quaestum meretricium retineri posse, et solvi debere communiter fatentur omnes. – Ergo falsa est hactenus defensa sententia, et vera adversariorum opinio. Respondeo, meretricem posse repetere et retinere pretium scortationis suae, *non ob aliquam stipulationem,* non ob consensum in fornicationem, non ob voluptatem, non propter periculum aliquod, molestiamve, non denique quod sui corporis copiam locare queat; sed quia *leges,* quae ob majora vitanda mala meretricium permittunt, hac mulcta plectunt scortatores, ut mercedem solvant scorto in poenam patrati sceleris. »

Articulus 7.

Pro prima sententia negante, plures aliae citantur Auctoritates.

Ex supra discussis abunde patet, quonam jure cl. Professor affirmaverit, negantis sententiae « *inanem* » (esse) *probabilitatem, quae nec* » *ratione ulla, nisi falsa, nec ulla,* » *nisi ficta, auctoritate nititur.* » – In altera autem editione, pag. 543. subjungit: « Denique, quod attinet » ad *Doctores non ignobiles,* quos » Tamburinus appellat, neminem » alium reipsa memorat, praeter con- » suetos Navarrum, Comitolum et » Valerum, quorum nomina e Diana » se mutuatum dicit. » – Hinc abs re non erit, et huic animadversioni respondere. Etenim, praeter Auctores, quos pro eadem sententia, *secluso meretricio,* S. Alphonsus, Collet et Concina citant, *reipsa multi sunt Doctores non ignobiles,* qui hanc sententiam, aut *indistincte,* aut *quoad peccata contra justitiam commissa,* tenent atque propugnant, aut saltem probabilem censent.

I. *Indistincte et absolute* eam tenent:

*

1. *Henno,* [1] qui ait: « *Acceptum ob turpem causam, ex contractu absoluto aut conditionato obligante ad operis pravi executionem, restituendum est.* Ita Navarrus, Adrianus, Medina, Neesen, Le Droux et alii. »

« *Prob. 1.* Ex lib. 26. ff. De verborum obligationibus: « Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti. » Et L. 123.: « Si plagii faciendi, vel facti causa, concepta sit stipulatio, ab initio non valet »: ergo restituendum est pretium inde proveniens. – *Prob. 2.* Ratione; contractus illi ante operis impletionem sunt nulli, etiam consentientibus Adversariis, eo quod non possint esse vinculum iniquitatis: ergo etiam nulli sunt impleto opere; adeoque, vi illorum, recepta sunt restituenda. Prob. conseq. ex hac Regula 18. Juris in 6.: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit;* atqui promissio non subsistit ante opus: ergo nec post. – *Prob. 3.* Contractus illi, utpote onerosi, debent tam promissarium quam promittentem obligare: alias, si solum promittentem obligarent, essent gratuiti; atqui non obligant promissarium, cum nemo obligari possit ad peccandum: ergo nec obligant promittentem, et consequenter sunt ex omni parte nulli. – *Prob. 4.* Opus pravum non est pretio aestimabile, cum nihil aliud mereatur quam infernum, si sit mortale; vel purgatorium, si sit veniale: ergo pactum de illo initum nullius est valoris. »

Sequuntur aliae rationes et responsiones ad argumenta ex adverso. Et ad objectionem, donationes meretricibus factas secundum leges retineri posse, respondet, retineri posse ut datas *ex mera liberalitate,* non autem ex justitia, de qua hic quaeritur.

2. *Amort* [2] quaestionem ponit: « *An contractus sub conditione turpi initi, sint jure naturae invalidi.* » Praemittit, omnes convenire, nullam dari obligationem ad peccandum, et solam quaestionem esse, an *post* peccatum patratum, solvendum sit pretium promissum. Et respondet: « Dico. Contractus de obligatione sub conditione turpi est *omnino nullus;* nec obligatur contrahens naturaliter in conscientia, nec civiliter in foro externo, nisi in casu, quo tales conditiones per legem habentur pro non adjectis. » Scilicet in testamentis et in contractu matrimonii, prout postea explicat.

Hanc propositionem diffuse probat et vindicat, et ad objectionem, donationes meretricibus factas retineri posse, similiter respondet, ejusmodi donationes spectandas esse praecise ut *gratuitas* et *liberales,* ex causa turpi quidem tamquam ex motivo, non tamen tamquam ex pacto, et nequidem ut remuneratorias.

II. Quoad peccata *contra justitiam* commissa, primam sententiam tenent, praeter Adrianum, *Dominicus Soto, Antonius de Corduba, Bartholomaeus Medina.* Porro,

1. *Ludovicus Lopez,* [3] similiter scribit: « Sit igitur *prima conclusio* universaliter loquendo: quando aliquis accipit aliquid pro committendo peccatum contra justitiam. Nempe pro alterius inimico occidendo, pro comburendo domum alterius, pro incutiendo alteri alapam et pro similibus injuriosis damnis perficiendis: *secundum probabiliorem opinionem et communem, non potest aliud recipere, neque in conscientia retinere,* sed tenetur illud statim *restituere* etiam ante repetitionem et condemnationem in judicio latam. Ista est Soti, est Cordubae, est Medinae Salmanticensis, est Mercati in suis Contractibus, est Fratris Josephi Minoritae, est Adriani. »

Et *cap. 107.*: « Secunda conclusio: si datum est *ob causam turpem,* si causa sit jam subsecuta, in casu quo,

1) De Restit. disp. 6. q. 5 concl. 1. — 2) Tr. 6. *s.* 1. n. 7. — 3) Instr. consc. p. 1. c. 105.

ut praediximus, restitutio facienda est, ut in dato pro corruptione justitiae, pro inferendo damno, committendo homicidio, pro venditione rei spiritualis facta: *stando in jure naturali, restitutio facienda est ei qui dedit,* cavendo iste, qui restituit danti, ne, si delictum postea venerit in notitiam fisci, vel Ecclesiae, iterum condemnetur denuo. Hoc dicimus *ante* condemnationem; nam *post* condemnationem, *restituendum est his, quibus per sententiam condemnatoriam fuerit applicatum,* sive fuerit applicatum pauperibus, sive causis piis, sive personae injuriam passae. – Haec conclusio est Medinae et Soti; qua conclusione, reducimus ad concordiam Adrianum [1] dicentem, quod non est restituendum tunc in casu illo dantibus, neque pauperibus, sed alternative, vel dantibus, vel pauperibus, quibus maluerit dare restituens, sic dando satisfaciet. »

2. *Joannes Corradus:* [2] « Modo dicendum est de pretio accepto, quando ex utraque parte est turpe, scilicet dantis et accipientis, et contra *justitiam:* ut, si judici pecuniam det quisque ad injuste judicandum, vel detur alicui, ut alium occidat, vel furetur, etc. Dicimus, *tales accipientes teneri ad restitutionem,* si quid accipiant pro patrando delicto, quod est contra justitiam. Et haec est Conclusio universalis, ut statim, ante nullam repetitionem et condemnationem in judicio, restitutio fiat: sic ait Sotus, Corduba, Medina noster et Mercatus in suis contractibus, et Adrianus. » – Addit autem, quod sententia *opposita,* propter auctoritatem Doctorum, qui eam tenent, *forte* sustineri posset; ideoque absolutio non esset poenitenti deneganda huic sententiae adhaerenti, maxime si valde indigens, et ei difficile esset restituere.

3. *Valentia, S. J.,* [3] vero haec habet: « Respondeo, intelligi debere illa jura de actionibus turpibus et maleficiis, quae sint proprie contra justitiam. Pro illis enim, ut contra *justitiam* sunt, *neque condici neque accipi merces ulla potest,* ut probavimus secundo praenuntiato ex illis tribus, quae diximus certa. In ejusmodi enim maleficiis, ipsa datio et acceptio mercedis, ut acceptio est, est injusta et illicita contra justitiam, ut explanavimus. [4] Unde jure, non solum humano (per praedictas leges), sed etiam divino et naturali, tum stipulatio et promissio, tum acceptio ejusmodi mercedis est invalida et iniqua. »

4. *Covarruvias,* [5] exposita sententia, restituendum esse quod pro re turpi patranda acceptum fuit, suam his explicat verbis: « Video tamen posse in hunc sane modum distingui. Aut etenim pactio fuit iniqua ex eo, quod materia *vendibilis non sit:* nempe in crimine simoniae, cum res spiritualis, cujus venditio simoniam inducit, aestimari, aut vendi non possit, et in pactione, qua aliquid promittatur, ut *iniqua sententia* feratur, vel *justitia* ministretur: *in his casibus recipiens tenebitur omnino restituere:* quippe qui nihil dederit aut fecerit, quod ex propria natura sit pretio aestimabile. – Quod si materia *vendibilis* sit: quia usus corporis et labor humanus conducitur ad delictum, et ob id conventio jure improbata est, et illicita ratione turpitudinis utrinque commissae: *fortassis* accipiens poterit datum retinere in animae judicio in compensationem, arbitrio boni viri, ac justam mercedem laboris impensi et industriae praestitae ad maleficium. »

III. *Primam sententiam negantem* ex integro vel ex parte *probabilem* censent:

1. *Trullenchus,* [6] qui ait: « *1.* Ante operis patrationem nec promissor nec promissarius tenetur, imo promissor

1) De Restit. q. 19. — 2) Resp. 87. — 3) De virtut. disp. 5. q. 6. p. 5. — 4) Disp. 3. q. 8. n. 6. — 5) In C. *Peccatum,* de reg. Jur. in VI. *s.* 2. n. 7. — 6) Lib. 7. c. 17. dub. 2. in Summario.

tenetur revocare promissum; patrato autem opere malo, obligatur ex justitia solvere promissum. *2. Oppositum probabile.*»

2. *Dicastillus, S. J.,* [1] porro inquit: « An vero is, qui aliquid promisit pro opere malo, quod legibus punitur, ut pro homicidio, culpa, adulterio, aut fornicatione cum meretrice occulta, tenetur implere promissum post patratum opus malum, variae opiniones sunt inter Doctores. *Multi* enim *Jurisperiti* docent, eum, qui accepit aliquid ob peccatum patratum, punibile per leges, *teneri ad illud restituendum;* secundum horum ergo sententiam, *qui promisit, non tenebitur dare pretium promissum.* Quam sententiam *probabilem* dicit esse *Lessius.* [2] Probabilius tamen est, etiam stante jure positivo, teneri ad implendam promissionem; nisi tale jus fecisset incapacem et inhabilem ipsum recipientem ad tale pretium, quod raro fit. »

3. *Mastrius* [3] vero dicit, patrato opere, spectato jure naturae et in foro conscientiae, promissorem teneri solvere pretium, et accipientem non teneri restituere. Ita communior et probabilior sententia. - Spectato autem *jure positivo,* [4] *probabile* censet, *secluso meretricio, nulli pretium esse reddendum,* sed in conscientia retineri posse, in quo, impleto opere pravo, reperitur; unde si apud promissorem reperitur, non tenetur reddere operanti; si apud operantem, non tenetur promissori reddere. Plures leges allegat, additque: « Quibus legum statutis *etiam ratio favet...;* quia leges, in hujusmodi casibus, actionem repetendi solutum ob turpem causam negant in poenam peccati; atqui non minus peccat, qui pro peccato pretium spondet, quam qui pro pretio peccatum committit, cum alterum ad peccandum inducat; ergo non minus unus quam alter est puniendus; in pari autem casu turpitudinis, potior est conditio possidentis; igitur qui, impleto opere pravo, quod fuit materia contractus, in possessione reperitur, alteri restituere non tenetur, spectato jure positivo et foro externo. » Idem scribit disp. 4. q. 1. n. 11.

Et hanc rationem Mastrius uberius explicat Disp. 2. n. 29. « Ubi etiam addidimus, *hoc idem videri dicendum spectato jure naturae;* nimirum, etiam post operis impletionem, contractum de opere malo non obligare promittentem ex justitia ad pretium solvendum; quia contractus de re turpi *ante factum est nullus:* alioquin ad peccandum obligaret, quod est falsum; quia impossibile est aliquem obligari ad peccatum, a quo abstinere tenetur; *ergo etiam post factum,* quia post factum non habet vim ex pacto, vel conventione nova, sed ex antiqua; ergo si ea fuit nulla, contractus adhuc etiam post operis impletionem erit nullus, neque ad pretii promissi solutionem obligabit; et idem tenet Pontius. » [5]

4. *Bassaeus* [6] similiter ait: « Contrarium tamen est *probabile;* nempe eum, qui aliquid promisit pro opere malo, quod legibus punitur, *non teneri* ad implendum promissum, etiam opere secuto: *ut habet sententia doctorum utriusque juris.* »

5. *Tamburini, S. J.,* [7] autem haec habet: « Dixi: *ex nostra sententia;* nam *non ignobiles Doctores docent, neminem teneri ad solvendum* alteri, quod pro re turpi illi promissum est, secluso juramento, quamvis promissarius conditionem plene posuerit. *Idque in omnibus casibus,* tum scilicet in iis, qui per leges puniuntur, qualis est fornicatio mulieris honestae, homicidium, adulterium, etc.; tum in quibuscumque aliis ... Haec sententia, quae *probabilis censetur a non paucis:* Lessio, Diana, Navarro, Valentia, Comitolo apud Dianam, et multis Canonistis apud

1) De just. et jure, lib. 2. tr. 2. disp. 6. n. 14. — 2) Lib. 2. c. 18. dub. 3. n. 20. — 3) Disp. 9. q. 4. n. 69. — 4) Ibid. n. 74. — 5) Disp. 54. q. 2. n. 9. — 6) V. *Promissio,* n. 7. — 7) In Decal. lib. 7. c. 5. §. 3. n. 20.

Azorium, mihi et communiter recentioribus non placet, ob rationem dictam num. praeced.; *quia tamen tot viri docti eam nequaquam rejiciunt, nec ego rejicio,* sed aliis melius expendendam relinquo. »

6. *Herincx* [1] sententiam adfert, patrato opere malo, *nullam esse obligationem promissum implendi,* et accipientem, nisi forte liberaliter donatum, *non posse retinere;* et addit: « *Quod et plures alii tenent, praesertim Canonistae, et probabile censent gravissimi Theologi,* quando opus per leges punitur, v. g. latrocinium, furtum, etc., eo quod leges citatae asserant absolute, nullas esse tales stipulationes. » – Et *n. 27.* dicit, sententiam Canonistarum, leges non tantum actionem denegare, sed *stipulationes de quacumque re turpi, excepto meretricio, omnino irritare, satis probabilem,* et ad demeritum peccatorum consonam esse.

7. *Wigandt* [2] quoque scribit: «Resp. Promissio sub conditione turpi, antequam conditio redigatur in actum, non obligat: postquam vero in actum redacta est, in conscientia ligat. *Ita habet probabilior sententia.* »

8. *Billuart* [3] vero ait: « *Probabilius* nobis est, praefatos contractus, quos diximus purificata conditione valere jure naturali, non irritari jure positivo quoad forum conscientiae, seu quoad obligationem naturalem, quam conducunt, sed tantum quoad actionem fori externi. »

9. *Gotti,* [4] in Dubio primo, de meretricio agit; in Dubio secundo, de datione et acceptatione simoniaca; ac demum Dubium tertium proponit: An restituendum acceptum pro actione, quae est contra legem et qua alteri damnum infertur, ut pro ferenda injusta sententia, pro homine occidendo, et in genere *an restituere teneatur,* qui aliquid accepit, ut quidpiam contra legem faciat vel omittat. Respondet, si *jus naturae* consulatur, *nullam* apparere restituendi obligationem: « *Quaestio ergo est: an saltem sic accipiens teneatur restituere jure positivo?* »

Et sequitur num. III. « *Resolutio.* Dico: Licet *probabilis* sit sententia *negans,* judicem adhuc jure positivo teneri restituere pecuniam acceptam ob injustam sententiam; et idem dico de aliis casibus: *tamen probabilior videtur sententia affirmans teneri.* » Pro qua sententia, S. Raymundum et S. Augustinum citat, pluresque Leges; addens: « Ubi tales obligationes irritantur, et dicuntur, nullam inducere obligationem implendi promissum: cumque non nitantur falsae praesumptioni delicti, obligabunt in conscientia. »

Et *n. V.* quaerit: « An qui illicite, et propter actum lege prohibitum, *dare promisit,* puta, Judici, ut iniquam ferret sententiam; vel Sicario, ut hominem occideret; teneatur, secuto effectu, dare quod promisit? » Et respondet: « Quaesitum visus est decisisse Gregorius IX. [5] his verbis: *Pactiones factae a vobis... nullius penitus sunt momenti.* Quod etiam de aliis est dicendum, quae observatae vergunt in animae detrimentum. Nam etiam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe vel rei turpis, aut impossibilis, de jure vel de facto, nullam obligationem inducit. Si autem, crimine perpetrato, esset obligatio solvendi pretium promissum, talia pacta, quorum observatio vergit in detrimentum animae, et sunt de re turpi, non essent nullius momenti, ut ait Gregorius. Favet enim Regula 58. Juris in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum.* Et Regula 64. *Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Consentit quoque jus civile. » Et plures leges citat.

10. *Marcus Struggl* [6] haec habet: « Interim *satis probabilis* est etiam

1) De contract. disp. 2. n. 24. — 2) Tr. 8. Ex. 4. n. 54. — 3) Summa Summae, de contract. diss. 1. art. 8. — 4) T. 2. tr. 14. q. 5. — 5) C. *Pactiones,* tit. de pactis. — 6) Tr. 6. art. 4. n. 36.

sententia, quae asserit, eum, qui aliquid promisit pro opere in foro externo puniri solito, uti est homicidium, adulterium et furtum, etiam opere peracto non obligari ad implendum promissum. »

11. Tandem *Cuniliati* [1] secundam sententiam probabiliorem et rationabiliorem dicit; at (in Edit. Veneta anni 1796.) *n.* 5. legitur: « Communior sane inter Theologos sententia est, perpetrato opere illicito (ut homicidio, sacrilegio, maleficio, fornicatione, etc.) de quo patrando initus contractus erat, vel promissio facta, attento jure naturae teneri promittentem promissum servare, pactumque pretium solvere, quemadmodum Auctor asserit. *Non desunt tamen, et quidem non infimae notae Doctores plures,* qui oppositum sentiant, verioremque existiment opinionem, quae sustinet, promissiones omnes ob causam ex se turpem, *esse penitus irritas et nullas, nulloque modo ex se obligatorias, etiam post patratum opus turpe.* Inter ceteros, opinionem hanc complectuntur atque propugnant Comitolus, Henricus a S. Ignatio, quibus postea adstipulati sunt Continuator Prael. Honorati Tournely et Auctor Collat. Paris. Plura adferunt ipsi ad eam evincendam argumenta; et insuper, quae contrariae sententiae Patroni objectant, enervant atque contundunt. »

Subjungit Cuniliati, novissime Concinam gravem hanc et valde litigiosam difficultatem dispiciendam suscepisse, cujus sententiam breviter exponit; ac demum concludit: « Utcumque tamen res sese habeat, quoad praxim, ut monet P. Antoine, [2] in poenitentiam imponenda est a Confessario obligatio dandi pauperibus vel piis causis, accepta pro quovis opere malo patrato, si accipiens non indigeat; tum, quia peccatum est tali poena dignum; tum, ne lucrum ex peccato reportet, et sic ad peccatum affectum retineat, et ad illud iterandum alliciatur. »

SIT IGITUR TOTIUS QUAESTIONIS CONCLUSIO:

1. *Prima* sententia, quae *negat,* post opus illicitum praestitum, *esse obligationem solvendi pretium, aut posse illud retineri,* ejusmodi *Auctoritatibus extrinsecis* sustentatur, ut merito *probabilis* dici possit; siquidem inter DD. qui eam tenent, aut saltem ut probabilem admittunt, tam benigniores quam rigidiores reperiuntur: quamvis haec distinctio proprie hic locum non habeat. Nam utraque sententia benignior simul et rigidior est, utpote aut malefactori, aut mali operis conductori favens.

2. *Rationes* autem *intrinsecae,* pro eadem sententia militantes, ex textibus allatis patent; quibus communis accedit sensus. Repugnat enim sensui communi, quod conductor pretium promissum malefactori solvere, et non potius ad facinus expiandum in pias causas expendere teneatur. Repugnat similiter, quod malefactor lucro flagitiis acquisito pacifice et sine scrupulo frui possit, ac mammonam iniquam non potius in eleemosynam aut pias causas dispensare cogatur. - Idcirco etiam aliqui DD., qui ob potiores rationes theologicas secundam amplectuntur sententiam, nihilominus docent, Confessarium obligationem ista lucra in praedictos fines erogandi facinoroso in poenitentiam injungere debere, nisi forte iste sit pauper, aut difficulter restituere possit.

3. Licet igitur *S. Alphonsus* recte dicat, ex probabiliori et communi sententia « teneri promittentem solvere pretium, et contra, recipientem non teneri ad restitutionem »; cum tamen *prima* sententia solidis rationibus, quas dejicere adversariis non successit, et insuper multorum gravium DD. auctoritate sustente-

1) Tr. 9. c. 5. s. 10. n. 4. — 2) De just. et jure, c. 3. q. 14. resp. 3.

tur, ipse jure merito eamdem sententiam *probabilem* censet. (Excipit autem meretrices, de quibus ait, certum esse, quod possint retinere pretium meretricii praestiti.)

4. Quonam itaque jure et successu cl. Ballerinius omnem quamcunque ejusdem sententiae probabilitatem negaverit, fidenter asseverans, eam « *nec ratione ulla, nisi falsa, nec ulla, nisi ficta, auctoritate* » niti, prudens quisque judicabit.

QUAESTIO XV.

An, qui sub ficte data matrimonii fide puellam violavit, teneatur eam ducere.

(S. Alph. Lib. III. n. 642. *s.* 2. et 641. *s.* 1. — P. Ball. Tom. I. n. 760. 729.)

In praecedenti Quaestione audivimus P. Ballerinium acerrime impugnantem Auctores, qui sentiunt, post opus illicitum praestitum, promittentem non teneri solvere pretium promissum, et accipientem teneri ad restitutionem. Hanc quidem sententiam, S. Alphonsus, ut vidimus, non amplectitur, attamen *probabilem* censet; sed cl. Professor prorsus immerito contendit, istius opinionis « *inanem* (esse) *probabilitatem, quae* » *nec ratione ulla, nisi falsa, nec* » *ulla, nisi ficta, auctoritate nititur.* »

Post citata verba, P. Ballerini, T. I. pag. 717. [1] ad aliam quaestionem transilit, dicens: « Haec porro » paulo diligentius exponenda fuerant, postea quam *fictitia ista probabilitate,* quam huic opinioni quidam tribuere visi sunt, *insigniter alii abutuntur,* ad tuendum *immane illud paradoxum de nulla matrimonii obligatione, quoad eum, qui sub data matrimonii fide, puellam violaverit.* - Qua de re, et illud advertendum occurrit, esse qui narrent, [2] *alicubi Episcopali lege sancitum fuisse, ut invalidae censerentur promissiones matrimonii ad obtinendam defloration nem, etiam forte juramento firmatae;* auctoremque hujus historiae perhibent *Collet,* ut videre est *penes S. Alphonsum* (Lib. 3. n. 641.). Verumtamen Collet (loc. ab iis allegato) ista non habet; sed mere tradit, ad moram injiciendam pessimo huic abusui, qui in quapiam paroecia latissime invaluerat, inter parochum et Episcopum convenisse, ut deinceps ad proclamationes nuptiarum, quibus crimen hujusmodi praeivisset, nisi prius consulto Episcopo, non procederetur. »

Duae, ut patet, distinctae sunt partes hujus Adnotationis, easque proinde separatim examinabimus. Hinc perpendemus 1. Utrum, circa quaestionem propositam, adeo stupenda sit Theologorum et Canonistarum consensio, ut revera *immane paradoxum,* et (prout infra dicet cl. Professor) *abnormis aberratio* censenda sit sententia *negativa,* scilicet nullam esse obligationem ducendi puellam, sub ficte data matrimonii fide violatam. 2. Quid sentiendum sit de facto a S. Alphonso ex *Collet* allegato.

Articulus 1.

Utrum sententia negativa immane paradoxum et abnormis aberratio dicenda sit.

Lib. III. n. 642. §. 2. S. Alphonsus scribit: « Quaeritur 1. *An, qui per fictam promissionem matrimonii, copulam extorserit a virgine, teneatur eam ducere?* - *Prima* sententia dicit, *eum non teneri, sed*

1) In altera edit. pag. 543. — 2) Ibidem addit cl. Professor: « *imo et sibi gratulentur.* »

» *satisfacere si damnum reparet eam* » *dotando.* Ita Gabriel et Bartholo- » maeus Ledesma apud Salmanticen- » ses; idem tenet Praepositus apud » Tamburinum, et probabile putat » Dicastillus apud Salmanticenses » (qui citant etiam S. Antoninum, » sed non bene; nam hic, P. 2. tit. 5. » c. 6. §. 1. expresse tenet opposi- » tum). [1] Ratio istorum, quia in hoc » casu, stuprator non tenetur vi pro- » missionis, cum defecerit consensus; » tenetur tantum ex damno illato; » ergo sufficit ei si damnum resar- » ciat. – *Secunda sententia* tamen » *communis omnino tenenda, docet,* » *ipsum obligari ad matrimonium.* » Hanc tenent D. Thomas... et alii » passim.» Et pro hac sententia, S.A. duas rationes intrinsecas affert: « Ra- » tio 1. est, quia aliter, si deflorator » virginem deceptam non ducat, nun- » quam ei reddet aequale, nec da- » mnum adaequate reficiet. Ratio 2. » quia in contractibus innominatis, » *do ut des, facio ut facias,* quando » alter ex sua parte implevit, tene- » tur alter implere ex justitia, quam- » vis ficte contraxerit. Ut enim hu- » manum commercium recte serve- » tur ob bonum commune, ipsum jus » naturae exigit, ut omnis fraus a » contractibus absit; et propterea » obligat decipientes, ut, in poenam » suae fraudis, teneantur ita reddere » omnino indemnes proximos dece- » ptos, ac si nulla fraus intercessis- » set. Unde, sicut in aliis contracti- » bus, quando res non est integra, » tenetur ex. gr. venditor tradere » domum venditam, pro qua pretium » jam accepit, quamvis ficte contra- » xerit, juxta communem senten- » tiam, quam referemus *de contract.* » *n. 709;* ita in casu praesenti, de- » florator, etiamsi aliunde posset da- » mnum resarcire, tenetur omnino » matrimonium promissum contra- » here. »

P. Gury, T. I. n. 729. pag. 691. [2] similiter quaerit: « An violator te- neatur ducere puellam violatam sub promissione matrimonii? » Et respon- det: « Prima sententia *affirmat.... S. Lig. n. 642. et alii communissime.* Secunda sententia quorumdam recen- tiorum *negat...* »

Ad hunc textum, P. Ballerini ad- notationem subnectit, in qua senten- tiam negativam singulari vehemen- tia impugnat: « ... Et haec quidem » perrara atque *adeo stupenda Theo-* » *logorum aeque atque Canonista-* » *rum in ea doctrina consensio* ma- » nifesto ostendit, quo loco secunda » illa, quam Auctor subjicit, quo- » rumdam recentiorum sententia, » quam melius *abnormem* dixeris » *aberrationem,* habenda sit; eo vel » magis, quod isti *paradoxum* ejus- » modi ex natura contractus turpem » aliquam conditionem involventis » sibi suaserint, confirmari luculen- » tissime! Nonne enim instar por- » tenti foret, universos ad aetatem » usque nostram Theologiae Juris- » que Doctores caecutivisse adeo, ut » *in re plane obvia et ad prima na-* » *turalis juris elementa spectante,* » de qua insuper nemo eorum non » subtilissime et diligentissime in- » quisivit ac fuse disputavit, tam » turpiter impingerent? Hoc ipsum » autem nonne permovere recentio- » res istos debuit, ut saltem suspi- » carentur, a recto sese tramite ab- » errare?

» Dixi, *S. Alphonsum* obligationem » contrahendi matrimonii, etiamsi » promissio *mere ficta* intercessisset, » validissimo auctoritatis robore con- » firmasse. Sed et illud addendum

1) *Salmanticenses* alium locum citant, nimirum *P. 3. tit. 1. cap. 19.*, ubi *S. Antoninus* de matrimonio ficte contracto loquitur. Sed etiam ex hoc loco oppositum potius ex analogia colligendum est. Etenim S. Antoninus ibidem cum aliis docet, deficiente vero consensu, ma- trimonium esse nullum; sed deceptorem, si veram vult facere poenitentiam, necesse habere, deceptam sine fictione ducere, quantum in eo est, vel dare ei virum convenientem, aut aliter satisfacere.

2) In altera edit. pag. 523.

» est, probabilitatem, si quam op-
» positae sententiae tribuere nonnulli
» visi sunt, *inani dumtaxat falsa-*
» *rum allegationum fuco inniti.*

» Et sane primo pro ea opinione
» *Schmalzgrueber* (lib. 4. tit. 1. n. 32.)
» allegat S. Antoninum, Gabrielem
» Biel, Bartholom. de Ledesma, Bo-
» nacina, Martinum Perez, et Viest-
» ner, a quo deceptus (lib. 4. tit. 1.
» n. 20.) et thesim et plerasque ha-
» rum allegationum mutuatus est.-
» Atqui et *Gabriel Biel* (In 4. dist. 28.
» q. 1. art. 2. concl. 5.) et *Mart. Perez*
» (de matrim. disp. 2. sect. 4. n. 3.),
» et *Bonacina* (de matrim. disp. 1.
» q. 1. p. 2. n. 9.), et *S. Antoninus*
» (Sum. part. 3. tit. 1. cap. 19. §. 1.)
» id affirmant tantummodo de *ficta*
» promissione viri, qui *notabiliter*
» *conditionem mulieris excedat;* quae
» conclusio, uti patet, ad rem non
» facit. »

Dein addit cl. Professor, etiam *Tabienam*, *Victoriam* et *Dicastillum* falso ab aliquibus allegari, quasi sententiam negativam probabilem censeant; et demum concludit: « *Uni-*
» *cum* itaque e Theologis habemus
» *Joan. Praepositum* (quem innuit
et S. Alphonsus, l. c.), quem qui-
dem pro ea opinione *scite unicum*
» affert *Diana* (Tom. 2. tr. 6. R. 149.),
» quia alios perperam afferri adver-
terat. Utitur autem Praepositus
(de matrim. q. 9. dub. 4. n. 48.)
sophistico argumento, quod et
Schmalzgrueber (l.c.) innuit, nimi-
rum quod deflorator non teneatur
» ratione promissionis, quae ficta
» fuit, sed solum ratione damni, quod
» aliter, quam per matrimonium,
» compensari possit. *Sophistice* in-
» quam. Nam obligatio oritur ex in-
» juria, quam facis alteri, quando
» illud neges, sub cujus conditione et
» exegisti et recepisti id, quod alter
» sub eo tantum pacto praestitit;
» quae injuria reparari nullatenus
» potest, nisi alter illud recipiat,
» sub cujus conditione suum dedit.»

Cum itaque S. Alphonsus *affirmativam* sententiam *communem* atque *omnino tenendam* probet, et P. Ballerini S. Doctori plenissime suffragetur, de hac sententia nihil nobis dicendum occurrit.-Tota igitur quaestio versatur circa sententiam *negativam*. Hanc cl. Professor cum S. A. non modo non admittit (et merito quidem), sed ulterius progrediens, nimioque zelo abreptus, affirmat, adeo stupendam esse Theologorum et Canonistarum consensionem, ut ista sententia *negativa* nonnisi *immane paradoxum* et *abnormis aberratio* dicenda sit, quam inter Theologos unicus Joannes Praepositus tuetur, sophistico argumento innixus.-Quum autem in hisce assertis, P. Ballerini limites veritatis historicae excedat, I. *Auctores* adferemus, qui communiter pro prima sententia citantur. II. Ostendemus, eamdem plures Auctores *recentiores* vel tenere, vel saltem probabilem judicare. III. Examinabimus, *quinam sint illi* ALII, *qui* (testante cl. Professore, l. c. pag. 717.) « *insigniter abutuntur fictitia ista* » *probabilitate* » (opinionis scilicet, quae tenet, promissionem pro re turpi, etiam opere pravo patrato, nullam inducere obligationem) «*ad tuen-*
» *dum immane illud paradoxum de*
» *nulla matrimonii obligatione quo-*
» *ad eum, qui, sub data matrimonii*
» *fide, puellam violaverit.* » IV. Quid demum de solutione *practica* hujus quaestionis censendum sit, paucis perpendemus.

I. Ante omnia, juvat illos saltem Auctores adducere, qui pro prima sententia negativa communiter citantur: videlicet, *Gabrielem Biel*, *Bonacinam* et *Martinum Perez.* [1]

1) Salmanticenses et alii citant etiam *Bartholomaeum de Ledesma*, Ordinis S. Dominici, qui per multos annos Theologiam docuit in urbe Mexico, et postea Episcopus Antequerensis in provincia Quizacana, anno 1604. obiit. Cum autem hujus Auctoris liber *de Sacramentis* rarissimus sit, atque in Europa extra Hispaniam vix reperiatur, copiam non habuimus veram ejus sententiam investigandi. P. Ballerini hunc quoque auctorem falso allegari contendit; at locum citare omisit.

1. *Gabriel Biel*[1] haec habet: « Virginis raptor, deflorator, oppressor vel seductor, ubi nulla praecesserunt sponsalia, *tenetur* raptam defloratam, oppressam vel simulatorie seductam *gratis ducere, si id alias fieri potest legitime; vel dotare, non Mosaica, sed Apostolica constitutione.* Probatur, de adulterio et stupro cap. 1. et 11. Et hoc verum est, si pater virginis consenserit ad hoc, quod habeat eam uxorem, et similiter si utriusque, maris scilicet et feminae consensus accesserit, ut habet Glossa ibidem. *Non tamen finaliter compellitur eam ducere, sed quia eam decepit, punietur ad tempus in monasterio.* Cap. 11. ibidem textus et glossa. Dicitur autem: *constitutione Apostolica:* quia judicialia legis veteris hodie non obligant, nisi per novam constitutionem ; et ideo constitutio in Exodi capitulo 22. ad hoc non obstringit. »

Indistincte igitur loquitur Gabriel Biel; et casum illum a cl. Ballerinio suppositum, quo conditio viri illam mulieris *notabiliter excedit,* ne commemorat quidem, neque hoc, neque alio loco.

2. *Bonacina*[2] utique de hoc casu loquitur, quem locum P. Ballerini recte citat; sed cl. Professor reticet quae idem Auctor in numeris praecedentibus 2–5. docet.

In *n.2.* namque Bonacina ait: «Dixi in propositione : *ex veris sponsalibus;* quia ex sponsalibus non veris sed *fictis,* idest, factis absque intentione promittendi, vel se obligandi, non inducitur obligatio ex vi sponsalium: nam justitia aut fidelitas non obligat ad servandum id, quod vere non est promissum; ficta autem promissio est promissio solo nomine, et non vera promissio. » – Unde concludit, eum, qui *ficte* promisit, *non teneri* ad matrimonium ineundum, *vi promissionis* seu sponsalium, *sed tantum ratione damni illati, aut scandali evitandi, si aliter non potest evitari,* et nequidem si ficta promissio juramento confirmata fuit.

Quod uberius probat Bonacina, pergitque *n. 4.:* « Qua de causa (damni injuste illati) vir tenetur ducere virginem quam defloravit ficta promissione matrimonii; *nisi forte vir sit conditionis longe superioris,* juxta dicenda n. 9. Similiter tenetur ducere viduam bonae famae, quam ficta promissione matrimonii carnaliter cognovit, si ipsa infamiam pateretur ex illa copula, et ob id inepta redderetur matrimonio. Ratio est: tum quia censeretur causa injusta illius damni, si illam non duceret, tum quia mille fraudibus via in contractibus aperiretur. » (Citantur Auctores.) « Neque satisfaciet dotando praedictam virginem aut viduam, si ipsa non est contenta dote. Ratio est: tum quia promissio non fuit de dote, sed de matrimonio; tum quia, cum ipsa adimpleverit contractum: do ut facias, par etiam est, ut ficte promittens adimpleat illum ex parte sua, ne commodum reportet ex suo delicto. » (Citantur Auctores.) « Quamvis *probabilis* sit sententia Cordubae et aliorum apud Vasquez de restit., asserentium, non teneri ducere, sed *satisfacere, resarciendo damnum et injuriam.* »

Et *n. 5.* quaerit, utrum vir teneatur ducere feminam malae famae, cum qua sub ficta promissione matrimonii habuit copulam. Respondet non teneri, et subdit: « Propter dictam rationem existimo, virum non teneri ducere virginem aut viduam bonae famae, quam defloravit ficta promissione matrimonii, quando copula est adeo occulta, ut nullum sit infamiae periculum in femina, etiamsi credam hoc raro posse contingere : si tamen contingat, non tenebitur ducere, ut dictum est, quamvis teneatur injuriam feminae factam compensare ad arbitrium prudentis viri.»

Bonacina igitur vitiatorem non obligat ad puellam ducendam, nisi

1) In 4. sent. dist. 28. q. 1. art. 2. concl. 5. — 2) De matrim. q. 1. p. 2. n. 9.

ratione damni illati, et in quantum matrimonium est *unicum medium,* quo infamia a puella contracta tollatur; qua ratione deficiente, ab hac obligatione ipsum eximit. – Imo *probabilem* putat sententiam indistincte affirmantem, *dotationem sufficere.* Minus recte allegat Cordubam et alios, quos refert Vasquez; [1] quippe qui tantum docent, violatorem ad puellam ducendam non obligari, si pater eam dare non vult, aut si magnum damnum ex matrimonio sequatur; at in hisce casibus puellam dotare teneri. Sed haec minus recta allegatio nihil facit quoad sensa Bonacinae, quia ipsam sententiam, a quocumque demum prolatam, ut probabilem admittit.

3. *Martinus Perez, S. J.,* [2] similiter de illo casu loquitur, quo conditio viri multum superat conditionem mulieris. Sed P. Ballerini iterum reticet quae Perez habet in praecedenti *Sectione 3.,* ubi quaestionem proponit: « *An ficte promittens matrimonium, et sub ea spe defloravit virginem, teneatur eam ducere; vel sufficiat, quod satisfaciat damno defloratione, constituendo ei dotem?* »

Et exposita sententia, vitiatorem teneri ad eam ducendam, dicit: « *Verius existimo cum D. Antonino,* [3] *Bartholomaeo Ledesma,* [4] *Bonacina,* [5] *et aliis recentioribus,* eum qui sic virginem defloravit, *non teneri eam in uxorem ducere,* sed satisfacere, constituendo ei dotem sufficientem ad supplendum defectum defloration is. Moveor, quia ille nullam incurrit obligationem ratione promissionis, nam fuit ficta; et ex promissione ficta praecise non oritur obligatio... ergo si damnum sine matrimonio resarcire potest, ut vere potest, dando sufficientem dotem, qua nubat viro sibi simili in qualitate, non est necesse ut matrimonio resarciatur. »

Alias quoque rationes addit; et *Sectione quarta* ad singulos casus descendens, quaestionem ponit: « Ad quid tenetur fictus promissor matrimonii sub conditione deflorationis, *quando contrahentes sunt inaequales?* » – Praemittit, communem esse sententiam, vitiatorem *non teneri ad matrimonium,* si conditionem virginis *multum superet,* et signa dedit, ex quibus haec sufficienter intelligere potuit, promissioni dolum subesse. Si vero virgo statum inaequalitatis prorsus ignoravit, aut, si quidem noverit, deflorator ita serio matrimonium promisit, ut ex nullo signo judicare potuerit, quod dolose agat: aliqui DD. affirmativam sententiam tenent. Suam denique proferens dicit: « Oppositum tamen judico *verius, non teneri ad eam ducendam.* »

4. Ex dictis itaque patet, istorum Auctorum sententiam a cl. Professore minus recte exponi, dum dicit, opinionem negativam ab ipsis *eo tantum casu* teneri, quo agitur « de ficta » promissione viri, qui *notabiliter* » *conditionem mulieris excedat.* »

II. Contendit insuper P. Ballerini, « *universos ad aetatem usque no-* » *stram Theologiae Jurisque Docto-* » *res*» consensisse «in re plane obvia, » et ad prima naturalis juris elemen- » ta spectante. » – Sed nec istud verum est; etenim sunt *plures Auctores recentiores,* qui sententiam *negativam* tenent, aut saltem probabilem judicant.

1. Asserit cl. Professor: «... *Joan.* » *Praepositum.....* pro ea opinione » *scite unicum* affert *Diana* (Tom. 2. » tr. 6. R. 149.), quia alios perperam » afferri adverterat. » – Verum perincommode Patrem Ballerinium fugerunt quae Diana ibidem [6] in subsequenti *Resolutione 151.* habet, ubi eamdem quaestionem proponit, et

1) De restit. c. 3. §. 1. n. 17. — 2) De matrim. disp. 2. sect. 4. n. 3. — 3) 3. P. tit. 1. c. 3. — 4) De matrim. dub. 19. — 5) Q. 1. p. 2. n. 9.

6) In editione Lugdunensi de anno 1680. novissima, coordinata, Resolutionibus ad propria loca distributis. In aliis editionibus, P. 11. tr. 6. resol. 54.

respondet, defloratorem teneri ad puellam ducendam: « primo, quia iste, quamvis solum verbaliter, vere tamen promisit sub conditione deflorationis, quae impleta fuit...; secundo, quia iste vere intulit damnum virgini contra ejus voluntatem, quae solum consensit sub conditione promissionis matrimonii vere et non ficte. » – Et prosequitur:

« *N. 2.* Et ita hanc sententiam tenent Lessius, Vasquez, Molina, Card. de Lugo. *Hurtadus* vero [1] existimat, praedictum teneri ex fidelitate ad eam ducendam in uxorem, quamvis sit multo nobilior quam illa; *ex justitia tamen ad id non teneri,* sed satisfacere, si damnum defloratonis recompenset, aut constitutione dotis sufficientis, aut aliter. »

« *N. 3.* Ex quibus deducit Hurtadus, praedictum teneri tantum sub veniali ad ducendam virginem defloratam, quia tantum tenetur ad id ex fidelitate ratione promissionis verbalis; teneri tamen sub mortali, si eam non ducat, ad satisfaciendum damno defloratonis dote aut aliter: quia ad id tenetur ex justitia, ratione damnificationis injustae. Quod si *omnino ficte* promitteret (i. e. si non proferret verba promissionis, sed simularet ea proferre) *non tenetur ex fidelitate ad illam ducendam,* quia non promisit vere adhuc verbaliter; *teneretur tamen ex justitia ad satisfactionem damni,* ratione damnificationis injustae. »

« *N. 4.* Sed his non obstantibus, *satis probabiliter ego puto cum D. Antonino, Bartholomaeo Ledesma, Bonacina,* quos citat et sequitur doctissimus et amicissimus *P. Martinus Perez,* [2] eum, qui sic virginem defloravit, *non teneri eam in uxorem ducere,* sed satisfacere constituendo ei *dotem sufficientem,* ad supplendum defectum defloratonis. – Moveor, quia ille nullam incurrit obligationem ratione promissionis, nam fuit ficta; et ex promissione ficta praecise non oritur obligatio, ut constat ex superioribus; ergo solum ratione damni illati; ergo si damnum sine matrimonio resarciri potest, ut vere potest dando sufficientem dotem, qua nubat viro sibi simili qualitate, non est necesse, ut matrimonio resarciatur. – Firmo: nam alias, ex doctrina et fundamento Sanchez aperte sequi videtur, eum qui ficte promisisset matrimonium feminae, sub conditione vero repromissionis, si femina repromitteret, teneri ex justitia illud vere contrahere; quod tamen negat Sanchez. Quia, vel teneretur ratione promissionis, et hoc non, quia ficta promissio non obligat; vel ratione damni, et hoc etiam non, quia nullum secutum est, ut supponitur: ergo signum est, quod quando defloratur virgo ex *ficta* promissione, *solum praecise oritur obligatio, quia secutum est damnum.* Nam si nullum esset secutum, nulla esset orta obligatio; ergo si damnum defloratonis resarciri potest *dotando, vel augendo dotem,* qua possit aeque bene nubere, ac si deflorata non fuisset, *non tenetur eam ducere.* Quod si accideret, ut in aliquo eventu tale damnum aliter evitari non posset ratione *scandali,* nisi nubendo; tunc teneretur per accidens stare promissioni, et complere sponsalia. »

« *N. 5.* Et haec sententia contra utrumque Pontium, Basilium et Joannem, a fortiori procedit, quando contrahentes sunt *inaequales,* ut si deflorator esset vir nobilis, etiamsi non solum sub spe conjugii, sed etiam sub spe conditionata virginem defloraverit. Et ita cum Corduba et aliis tenet Perez, ubi supra sect. 4. n. 3., et Hurtadus n. 48. »

2. *Mastrius* [3] vero ait: « Conveniunt Doctores, fictum promissorem, qui eam defloravit, teneri aut ad eam ducendam, aut satisfaciendum defloratonis damno. Est autem dif-

1) De matrim. disp. 1. diff. 12. n. 45. — 2) De matrim. disp. 2. sect. 3. n. 2. — 3) Disp. 9. num. 62.

ficultas, an teneatur in tali casu determinate ad eam ducendam in uxorem, vel sufficienter satisfaciat constituendo ei dotem sufficientem ad supplendum damnum deflorationis: in qua difficultate tres solent referri opiniones. Aliqui enim dicunt, *satisfacere dotando eam.* Alii dixerunt, teneri *ex fidelitate* ad eam ducendam in uxorem, etiamsi multo nobilior esset, quam illa; ex justitia vero ad id non teneri, sed satisfacere si damnum deflorationis pecunia compensaverit, aut constitutione dotis sufficientis. Alii tandem dicunt, *teneri etiam ex justitia ad eam in uxorem ducendam;* quam opinionem, ut communiorem et *probabiliorem* amplexi sumus. » [1] – Ergo *probabilem* judicat sententiam, sufficere dotationem.

3. *Ferdinandus Krimer, S. J.,* [2] quaestionem proponit: « An, *esto damnum* in ficta matrimonii promissione illatum defloratae *compensari possit alio modo, quam ducendo,* nihilominus ex justitia deflorator in eo casu determinate obligetur eam ducere? » Et respondet: « Fictum illum promissorem in dato casu *satisfacere, defloratam ducendo vel dotando,* quin, vi damni vel injuriae illatae, obligatus maneat determinate ad eam ducendam, nisi non possit alio modo damnum illatum resarcire. Nam ad matrimonium determinate illum non obligat promissio, nec damnum ex deceptione natum. *Non promissio:* nam haec ponitur mere ficte et nulla; *non damnum:* nam hoc plus non exigit, quam ejus compensationem; at illud, non ducendo tantum, sed et competenter dotando illam, compensari potest, ut supponit casus. Ergo. »

4. *Leonardelli, e S. J.,* [3] haec habet: « Difficultas ac controversia est, ad quid teneatur deflorator casu, quo fictio non fuit percepta, nec facile deprehendi potuit. » Et exposita sententia, defloratorem determinate obligari ad ducendam defloratam, ejusque rationibus, pergit: « Altera sententia docet, deflorantem non teneri ad defloratam determinate ducendam, sed *satisfacere,* si *constituta ipsi vel aucta dote,* aliave via defectum deflorationis suppleat. Ita *Ledesma, Perez, Bonacina, Wiestner aliique.* »

Ac rationibus similiter expositis, concludit: « *Utraque* haec sententia est *valde probabilis.* Prior ab authoritate; *posterior a ratione potior videtur.* In praxi, utrique aliquid tribuendum judico pro diversitate circumstantiarum; et siquidem ex parte defloratae nulla inde sit timenda infamia, nec aliquid gravius damnum, quod constitutione vel augmento dotis, aliove modo compensari nequeat, sed per dotis constitutionem, vel aliam viam possit adhuc honeste et secundum suum statum nubere, si velit; ex altera parte, defloratori notabile alias incommodum aut nocumentum, sive ratione melioris matrimonii alias acquirendi, sive aliunde subeundum sit; non teneri tunc eam ducere, sed sufficere damnum dolose datum alia ratione compensare; secus teneri, si defloratae aliquid simile timendum esset; defloranti vero nullum notabile damnum aut incommodum sit subeundum. » – Ratio, quam adfert Leonardelli, est, quia etiam in aliis promissionibus et contractibus, quamvis regulariter aequalitas servanda sit, nemo ad eam servandam in conscientia tenetur, si notabile pateretur damnum, sed tantum ad aequivalens praestandum.

5. *Reuter, S. J.,* [4] haec scribit: « Qui ficte promittendo matrimonium, induxit virginem ad copulam, eamque defloravit, per se loquendo, probabilius tenetur sub mortali etiam in foro interno eam ducere, nec sufficit dotare. Ita Sanchez, Dicastillo, Lessius, Mastrius, contra Bonacinam, Perez, Krimer *probabiliter*

1) Lib. 4. sent. disp. 7. de matrim. q. 9. art. 3. — 2) Quaest. can. T. 4. q. 1. art. 1. n. 107. — 3) Decis. pract. T. 1. c. 32. q. 1. n. 194. — 4) P. 4. de sponsal. n. 487.

contendentes, *sufficere dotare.* » - Alteram vero sententiam probabiliorem censet, etsi defloratio esset occulta, ut tenet Bonacina.

6. *Voit, S. J.,* [1] similiter dicit: « Quaeritur: An ficte promittens matrimonium, et sub spe illius defloransvirginem, teneatur corruptam ducere? R. *Probabilius* tenetur in conscientia corruptam determinate ducere. » - Ergo et ipse sententiam negativam probabilem censet.

7. Ex modo expositis jam patet, revera non existere pro sententia affirmante, illam « adeo stupendam Theologorum aeque atque Canonistarum consensionem »; et hoc quidem, etiamsi, juxta cl. Professorem, agatur de « re plane obvia, et ad » prima naturalis juris elementa spe» ctante. »

III. Modo videamus, quinam sint illi « *alii insigniter abutentes* », de quibus P. Ballerini supra, pag. 361. loquitur.

1. *Praepositus*, *Schmalzgrueber* et *Wiestner* (omnes e Soc. J.), uti cl. Professor fatetur, obligationem ducendi puellam non ideo negant, quia promissio de re turpi, sed quia ficta est. - Argumentatio, qua utuntur, haec est: Promissio ficta nulla est, et nullam obligationem inducit. Speciatim vero ficta promissio sponsalitia, juxta communem DD. sententiam, non obligat ad matrimonium ineundum, quia sponsalia sunt mutua promissio futuri matrimonii, [2] ac voluntate et consensu contrahuntur. Atqui, eo quod violator ficta promissione copulam a virgine extorquet, promissio invalida non convertitur in validam: ergo non tenetur ad eam ducendam. Utique dolose virginem decipiens ipsi grave damnum infert, quod ex justitia resarcire tenetur; sed hoc damnum, constituta vel aucta dote, aliove modo resarciri potest; quo facto, cessat obligatio ad matrimonium ineundum, quae sola ratione damni illati sustentari potest.

Exposuimus hanc sententiam, non quasi nobis probabilis esset, sed tantum, quia P. Ballerini eamdem per injuriosam hyperbolam *immane paradoxum* nuncupare non dubitat. - Respondetur enim: Promissio nulla est, sed nonnisi ex culpa violatoris, qui consensum, quem externis signis manifestavit, intus dolose negavit. Unde hanc culpam aliter expiare non potest, quam verum praestando consensum, quem jam primitus dare debuisset. Porro, si violator graviter peccavit, consensum internum fraudulenter retinendo, et injustum damnum puellae intulit, quemadmodum Adversarii fatentur, peccatum, fraus, damnum et injuria puellae irrogata perdurant, quoadusque verum et sincerum consensum exhibeat. Nec ullo jure puella aliam compensationem acceptare tenetur, praeter *adaequatam,* i. e. verum consensum in matrimonium contrahendum.

Cum ergo Praepositus, Wiestner, et Schmalzgrueber *non abutantur* sententia, promissionem pro re turpi, etiam opere pravo patrato, nullam obligationem inducere, ad tuendum illud immane paradoxum: quaerimus, *quinam sint isti recentiores insigniter abutentes?* Nullus est, quod sciamus, inter omnes antiquiores et recentiores patronos praedictae sententiae, qui obligationem violatoris ad ducendam puellam negaret. Sin minus ex jure naturali, nihilominus violatorem constringunt *ex jure positivo,* quod conscientiam ligat, aut etiam ex jure naturali, ea ratione, quod damnum et injuria puellae irrogata aliter adaequate resarciri nequeat. - Cumque P. Ballerini de solis *recentioribus* loquatur, praecipuos ex ipsis allegabimus.

2. *Henricus a S. Ignatio* [3] scribit: « Quodsi stuprator virginem corru-

1) De spons. n. 1113. — 2) Can. *Nostrates* 30. q. 5. et L. 1. ff. de sponsal. — 3) T. 2. lib. 9. n. 1276.

perit sub promissione matrimonii, licet promissio ejusmodi, sub conditione actus, *jure naturae invalida sit; jure tamen gentium* et consuetudine omnium populorum vim habet, opere perpetrato, et ideo *tenetur promissum suum implere,* sive vere sive ficte promiserit, sive jurata sive non jurata promissione. Quia si *vere* promiserit, sub conditione consensus ipsius in opus, tenetur ratione promissionis onerosae, postquam puella conditionem ex parte sua implevit. Si vero *ficte,* puella sincere ex parte sua procedente, ex justitia tenetur fictionem tollere, eaque sublata, stare contractui. »

3. Similiter *Continuator Tournely:* [1] « Dico, *corruptores ad eas ducendas teneri:* tum, quia contractus onerosus ex una parte impletus, ex alia impleri debet, cum potest; tum, quia nemini fraus sua et dolus patrocinari debent. Patrocinarentur autem, si fictus animus tolleret obligationem puellam indemnem faciendi. Ergo qui ficte matrimonium promisit, non satisfacit pecuniam dando, nisi puella consentiat. »

4. *Henno* [2] ad objectionem, defloratorem ducere teneri virginem, cui matrimonium promisit, et consequenter promissiones pro re turpi validas esse, respondet: « *Teneri* quidem fatebere, *non quia valida fuit promissio,* sed quia in poenam deceptionis, et ad evitationem inconvenientium, *sic ordinavit Ecclesia.* »

5. Porro *Concina* [3] haec ait: « Quicumque sub spe matrimonii virginem defloravit, *eam ducere tenetur,* quia contractus iste onerosus est, utramque partem adstringens, etiamsi promissio ficta fuerit. Quamvis enim contractus *de re turpi nullus sit, subeunda tamen poena est admissi sceleris.* »

6. *Amort* [4] vero dicit, vitiatorem *ad nihil teneri,* si puellae ex copula *nullum damnum* aut praejudicium sequitur. Addit autem: « Si tamen deceptae causari possit magna verecundia, confusio, exprobratio, contristatio, et diffidentia mariti alterius, cui aliquando nuptura est, plurium malorum ferax, si a marito non reperiatur virgo, ita ut consideratis circumstantiis haec mala verosimiliter secutura praevideantur, et puella aliam compensationem *rationabiliter* recuset, sic decipiens *tenetur* determinate ducere deceptam. Ratio est, quia jure naturae quilibet tenetur compensare damna dolo illata, modo meliore quo potest. – Dixi: si puella aliam compensationem *rationabiliter* recuset. Si enim praevideatur, ex tali connubio *longe majora esse secutura mala,* vel integris familiis, vel parentibus habentibus jus anterius erga filium aut filiam, ne se vel alios obligent in sui praejudicium, *non tenetur* decipiens determinate ducere deceptam. » – Sed in aperto est, conditiones quas Amort ponit, tales esse, quae nunquam non adimpletae reperientur, si puella aliam compensationem recusat. Exceptio autem, quam adjicit: si longe majora mala praevidentur, communiter admittitur.

IV. Si igitur cl. Professor quaestionem *de promissione pro re turpi* ideo « diligentius exposuit », [5] ut immani paradoxo et abnormi aberrationi aliquorum recentiorum occurratur, inutili labori parcere profecto potuisset. Sed utinam diligentius quaestionem exposuisset, Auctores recte fideliterque allegasset, et adversarios immeritis injuriis non cumulasset! [6]

Ceterum, quamvis sententia communis et vera, aliam compensationem, si puella non consentit, minime sufficere, omnino tenenda sit, ut recte S. Alphonsus censet: nihilominus, *in foro conscientiae, vitiator raro ad matrimonium ineundum obligandus est,* et quidem propter

1) De Restit. p. 3. c. 3. art. 2. sect. 9. — 2) De Rest. disp. 6. q. 5. concl. 1. — 3) Compend. lib. 9. diss. 2. c. 5. n. 10. — 4) Tr. 15. §. 1. n. 6. — 5) Cfr. textum in princ. hujus Quaest. — 6) Vid. Quaest. praeced.

multiplices limitationes et exceptiones, quas ejusdem sententiae patroni communiter adjiciunt. Etenim non tantum vitiatorem ab hac obligatione in foro conscientiae eximunt, si puella ex verbis aliisve conjecturis facile deceptionem promittentis advertere potuit; si vir nobilitate vel divitiis notabiliter excedit conditionem mulieris, quae hanc disparitatem noverat; si magna scandala vel contentiones et jurgia inter contrahentium consanguineos timerentur; sed etiam si malus exitus matrimonii praevidetur. Quas limitationes *S. Alphonsus* fuse exponit et approbat, cit. Lib. III. n. 643. et seqq.– Idcirco *Roncaglia* [1] sapienter Parochos et Confessarios in genere monet, ut mulierem, quae juris remediis cogere intendit virum promissis stare detrectantem, ab hoc consilio quantum possunt avocent. Et addit: « Non solum ex SS. Canonibus, ut videre est C. *Requisivit* 17. de Spons., sed etiam a continua experientia edocemur, hujusmodi coactiones difficiles et lacrymabiles exitus habere. »

Si igitur quaestio haec *practice* consideratur, sententia illa, quam P. Ballerini immane vocat paradoxum, non adeo distat ab altera, licet per se omnino tenenda propter rationes intrinsecas plane convincentes.

Articulus 2.

Perpenditur factum a S. A. ex Collet allegatum.

Postquam P. Ballerini sententiam negativam « immane paradoxum » dixit, in eadem Adnotatione (cfr. supra, pag. 361.) sequentia contra S. Doctorem nostrum pag. 718. subnectit: « Qua de re, et illud advertendum occurrit, esse qui narrent, imo et sibi gratulentur, *alicubi Episcopali lege sancitum fuisse, ut invalidae censerentur promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem, etiam forte juramento firmatae;* auctoremque hujus historiae perhibent *Collet*, ut videre est *penes S. Alphonsum* (Lib. 3. n. 641.). Verumtamen Collet (loc. ab iis allegato) ista non habet; sed mere tradit, ad moram injiciendam pessimo huic abusui, qui in quapiam paroecia latissime invaluerat, inter parochum et Episcopum convenisse, ut deinceps ad proclamationes nuptiarum, quibus crimen hujusmodi praeivisset, nisi prius consulto Episcopo, non procederetur. »

1. Quid primum dixerit S. Alphonsus l. c. n. 641., audiamus. En ejus verba: « *Hic obiter adnotare juvat cum Tournely,* [2] *valde utile fore* ad hujusmodi flagitia vitanda, quod promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem, etiam forte juramento firmatae, invalidae declarentur ab Episcopis; prout fert Auctor praefatus *in praxi deductum,* in quadam dioecesi gallicana cum magno profectu. »

2. *Collet* [3] autem haec habet: « *Quaeres, ad quid teneatur stuprator respectu virginis a se vitiatae?* Resp., id a nobis fuse expensum fuisse in tractatu de Jure et injuria, loco prius citato. Unum iis, quae ibidem dicta sunt, addere juvat, nimirum, *si in aliquo loco contingeret,* ut puellae sub promissione matrimonii facile seducerentur, melius futurum esse, *ut hujusmodi promissiones, forte etiam juramento confirmatae, nihili ducerentur ab Episcopis.* Et vero in aliqua Regni hujus Parochia, ne una quidem ab uno et amplius saeculo erat puella, quae nuberet virgo: omnes ad unam nefariis futuri conjugii promissionibus cedebant. Ut crimini imponeretur finis, *habita gravi ea de re cum Parocho et Episcopo deliberatione, conventum est, ut nullius deinceps, quae decipi voluisset, banna publi-*

1) Tr. 21. q. 1. c. 2. Regula. — 2) Tom. 3. pag. 484. V. *Quaeres* (scilicet *Collet*, in continuatione Tournelii). — 3) In Decal. c. 3. art. 2.

carentur, nisi de Episcopi consensu. Vociferatum est, inclamatum, aditi Magistratus saeculares, patres, matres, puellae potissimum aestuaverunt ira et querelis: at, ubi tandem animadversum est, nihil, aut parum, aut ad summum lentissime procedi, refraenata est peccandi libido, et *adeo refraenata, ut vix ulla ejus eodem in loco supersint vestigia.* »

3. Prout ex hisce textibus patet, Collet, et cum ipso S. Alphonsus nonnisi *pia vota* proferunt, et *remedium* proponunt, quo seductioni virginum sub spe matrimonii meliori modo occurratur. - Nequaquam vero S. Doctor dicit: « *alicubi episcopali* » *lege sancitum fuisse, ut invalidae* » *censerentur promissiones matri-* » *monii ad obtinendam defloratio-* » *nem* », ut falso ipsi tribuit P. Ballerinius. Solummodo dicit: id in aliqua dioecesi gallicana cum magno profectu *in praxim deductum fuisse.* Et quamvis S. A. brevitati studens, non omnino exacte referat, quae Collet narrat, nihilominus Episcopus ille, proclamationes intercludendo et matrimonii celebrationem impediendo, reapse propositionem praefatam in praxim deduxit, talemque se gessit, quasi istae promissiones irritae essent. Ut patet ex iis, quae Collet dicit: « Ubi tandem animadversum est, *nihil,* aut parum, aut ad summum lentissime procedi. » Ergo in aliquibus casibus, matrimonium reapse non conficiebatur, quia Episcopus proclamationes fieri non permisit.

4. Sed forte quis objiciet, quod ex verbis, quibus S. Alphonsus utitur, sequeretur, *Episcopos declarare posse,* promissiones matrimonii ad extorquendam copulam, sive vere sive ficte factas, irritas esse, nullamque obligationem inducere. – Respondemus: S. Doctor *obiter* et per transennam, ut ipse advertit, remedium istud attingens, non explicat *modum,* quo hoc fieri posset. Episcopus enim ejusmodi declarationem promulgare nequiret propria auctoritate; posset autem, obtenta facultate a Sede Apostolica. De quo non est dubitandum juxta *Benedictum XIV.*: [1] « Cum Papa possit, per suam universalem legem, novum impedimentum dirimens matrimonio apponere, potest etiam in aliquo speciali eventu prohibere, ne inter peculiares personas matrimonium contrahatur, simulque decernere, ut contra suam prohibitionem contractum, sit irritum. » A fortiori ergo Summus Pontifex, ad tollendos abusus, qui in aliqua dioecesi grassantur, declarare posset, sponsalia in praedicto casu irrita esse, nullamque obligationem inducere.

ITAQUE CONCLUDIMUS:

1. P. Ballerini optimo quidem jure adstipulatur S. Alphonso, qui docet, *communem et omnino tenendam* esse sententiam, juxta quam deflorator tenetur ducere puellam, sub ficta promissione matrimonii violatam. Attamen verum non est quod asserit, videlicet, huic sententiae *affirmanti* adeo stupendam suffragari Theologorum et Canonistarum consensionem, ut opinio *negativa* censenda sit *immane paradoxum* et *abnormis aberratio.*

2. In quantum S. Doctor *obiter* adnotat, « *valde utile fore,* ad hujus- » modi flagitia vitanda, quod pro- » missiones matrimonii ad obtinen- » dam defloration em, invalidae de- » clarentur ab Episcopis »: ipse nonnisi *pia vota* profert, et generatim remedium quoddam proponit ad istas seductiones praecavendas: qua ratione, laudandus potius quam reprehendendus est. Idcirco nullius prorsus est momenti, quod S. Alphonsus factum, de quo loquitur Collet, non omnino exacte referat: eo magis, quia S. Doctor minime dicit (prout asserit cl. Ballerinius) hujusmodi promissionum invaliditatem « alicubi Episcopali lege sancitam fuisse. »

1) De Synod. dioec. lib. 12. c. 5. n. 8.

QUAESTIO XVI.

An, et quandonam graviter contra votum Paupertatis peccet Religiosus, si, absque licentia Superiorum, dona ab extraneis accepta, alieno nomine in alios eroget.

(S. Alph. Lib. IV. n. 24. — P. Ball. Tom. II. n. 160.)

I. S. Alphonsus, Lib. IV. n. 24. quaestionem proponit: « *Quaenam » quantitas requiratur, ut Religio- » sus, eam expendens sine licentia, » peccet graviter?* » Varias Doctorum sententias refert, etiam illam, quae censet, quoad gravitatem materiae Religiosos aequiparandos esse filiis familiae. Hanc tamen opinionem Sanctus Doctor non admittit; et deinde sic pergit:

« Cum autem donatur res Religioso » ejusdem conventus, certe plus re- » quiritur; ut censent Salmanticen- » ses cum Suarez. Hinc dicit Corio- » lanus, quod ex rebus ad usum con- » cessis, donatio 12 regalium tunc » non esset materia gravis. Ledesma » extendit ad 20 argenteos; immo » Lugo, Sanchez, Pellizzarius, Ro- » driquez et Antonius a Spiritu San- » cto apud Salmanticenses, ajunt, » quod si res non sit pecunia, nec » etiam valor 5 aureorum, tunc non » erit gravis materia. – *Si vero acci- » piatur aliquid ab extraneis ad » aliis praestandum, adhuc plus re- » quiritur; tunc enim Garcia cum » Palao, Leandro, Diana, etc. apud » Salmanticenses n. 47., assignant » pro materia gravi valorem majo- » rem 60 argenteis...* »

II. Quanam intentione varias istas opiniones S. Doctor afferat, ex iis patet, quae citati *Salmanticenses* in genere dicunt de gravitate materiae, Tr. 13. cap. 6. *n. 46.*: « Sed quia diximus, *arbitrio prudentum pensandum esse,* quae sit materia *notabilis* in acceptationibus vel donationibus Religiosorum; ut prudentes aliquam lucem accipiant ad cognoscendum, quae materia possit censeri gravis, Doctorum gravissimorum placita recensebimus, ut ex illis, quod rationabilius judicetur, amplectamur. » – Et expositis hisce Doctorum placitis, subjungunt *n. 48.*: « Ex his patet, *non posse* pro singulis personis et casibus *certam regulam assignari;* cum diversa quantitas requiratur, quando res Religiosis ejusdem monasterii confertur, quam extraneis: et adhuc respectu horum diversa, si res ex bonis monasterii accipiatur, ac si accipiatur ab extraneis donantibus: et etiam ex bonis monasterii diversa, si ex communi penu surripiatur aut donetur, ac si donetur ex bonis ad usum concessis: et etiam diversa denique, si a conventu ditissimo surripiatur, ac si a paupere; et diversa in Religionibus strictioris paupertatis, ac in aliis. Unde judicio prudentum, rebus undecumque pensatis, judicandum est, quando major sufficiat ad mortale, quando minor; ideoque pro nostris Religiosis, certam quotam statuere difficillimum est. »

III. Eadem itaque intentione varia haec placita *S. Alphonsus* adfert. In fine namque praefationis ad Theologiam moralem advertit: « Ceterum, » benigne lector, te admonitum volo, » ne existimes, me opiniones illas » approbare, ex eo quod non repro- » bem; eas enim quandoque fideliter » exponam cum suis rationibus et » patronis, ut alii pro sua prudentia, » cujus ponderis sint adjudicent. » – Et hoc speciatim observare solet, ubi de modo et mensura in determinanda gravitate materiae agitur.

IV. Hisce praemissis, *Patrem Gury* audiamus. T. II. n. 159. pag. 107. [1] quaerit: « *Quaenam materia censenda sit gravis in violatione voti Paupertatis?* » Primum loquitur de peccatis, quae sunt simul contra Religionem et justitiam; deinde in *n. 160.* speciatim agit de peccatis, quae contra solum votum committuntur. Quocirca dicit:

« In peccatis contra solam Religionem, seu contra *solum votum* commissis, crescit difficultas, et major est Theologorum dissensus. Communius tamen eamdem generatim materiam ad peccatum mortale requirunt, ac in casu praecedenti, ubi *justitia* violatur; quia actus proprietatis ejusdem gravitatis esse videtur. Attamen *non improbabiliter* nonnulli graves Doctores *majorem* requirunt quantitatem ad peccatum grave in hoc casu constituendam. Sic Elbel, n. 646., Salm. c. 6. n. 12. – Communiter autem conveniunt, *valorem multo majorem* requirendum esse ad graviter peccandum, quando dona accipiuntur *ab extraneis in alios erogandа;* quia tunc multo minor est proprietatis actus, quam si haec in proprium usum retinerentur. *S. Lig.* n. 24. et alii communiter. – Imo aliqui tunc requirunt ad graviter peccandum *60 argenteos,* seu valorem 60 franc. circiter. Sic Diana, Leander, etc. apud *S. Lig. ibid.*»

V. Ad hunc vero textum, P. Ballerini sequentem adnotationem subnectit: « *Haec opinio videtur satis difficilis.*[2] Nam vel intelligitur de pecuniis a religioso accipiendis et erogandis *nomine proprio,* aut *in usum proprium;* et sic, cum habeamus actum proprietatis, voto paupertatis contrarium, *laxius* merito videbitur, ad gravitatem culpae cum DD. veteribus exigere *60 argenteos,* seu sex romana scutata; praesertim cum immutatio in pecuniarum valore, decursu temporum consecuta (vid. dict. de hoc argumento in Tom. 1. not. ad n. 607.) multo ampliorem pecuniae quantitatem modo exigeret. – Vel intelligitur de pecuniis acceptis et erogandis *nomine alieno;* et sic cum Sanchezio (vid. not. ad praec. n. 157.) licebit existimare, *nullam* intercedere culpam, etsi de majori summa agatur.

»*S. Alphonsus* eam opinionem cum allegationibus mutuatus est a *Salmanticensibus* (De Restit. cap. 6. n. 47.) quae tamen omnes, si cum suis Auctoribus conferantur, *abs re afferri* reperiuntur. Allegant nimirum cum Leandro, Suarezium, Palaum et Dianam. Atqui isti eamdem ac Sanchezius, doctrinam tradunt.» – Quod longioribus textibus Suarii, [3] Palai [4] et Dianae [5] allegatis probat.

VI. Quo clarior evadat implexa haec quaestio, 1. *Statum quaestionis* exponemus; 2. Quaenam sit circa hanc materiam doctrina *S. Alphonsi,* examinabimus; 3. Argumenta saltem *Suarii* a cl. Ballerinio contra S. Doctorem adducta, perpendemus.

Articulus 1.

Exponitur status quaestionis.

S. Doctor (cui assentit P. Gury), dicit, si Religiosus aliquid accipiat ab extraneo *in alios* erogandum, ad gravem materiam constituendam *requiri majorem quantitatem,* quam si illud *ad usum proprium* reciperet. Et quosdam citat Auctores, qui, hoc in casu, assignant pro materia gravi *valorem majorem 60 argenteis.*

Cl. Professor autem hanc opinionem *satis difficilem* censet. Triplici namque modo (ait) intelligi potest propositio de pecuniis a Religioso accipiendis et erogandis: videlicet, vel *nomine proprio,* vel *ad usum proprium,* vel demum *nomine alie-*

1) In altera edit. pag. 85. — 2) Ibidem prima propositio sic legitur: « *Haec opinio multum difficultatis prae se ferre videtur.*» — 3) De Relig. tr. 7. lib. 8. c. 15. n. 15. et 16.— 4) Tr. 16. disp. 3. p. 22. n. 4. — 5) Tom. 7. tr. 3. res. 23. n. 2.

no. Quocumque tamen sensu ista propositio accipiatur, determinatio 60 argenteorum aut justo laxior, aut justo rigidior videtur.

At vero de *prima* et *secunda* hypothesi, nec Salmanticenses loquuntur, nec S. Alphonsus, qui dicit: Si ab extraneis, sine licentia Superioris, aliquid recipiatur ad *aliis* praestandum, adhuc *plus* requiritur. - Si autem Religiosus recipit ad *aliis* praestandum, non recipit *ad usum proprium,* et multo minus ad acquirendam proprietatem rei, de qua *proprio nomine* disponat.

Itaque non superest nisi *tertia* hypothesis S. Alphonsi, scilicet quod Religiosus acceptas pecunias *alieno nomine* eroget; et haec iterum *triplici modo* obtingere potest, uti ex dicendis patebit.

I. *Primus* modus est: Si extraneus *indeterminate* pecuniam Religioso tradit, ut *pro suo arbitrio* eam applicet, et Religiosus acceptam pecuniam pauperibus, vel ad pia opera, *alieno nomine* dispensat.

1. In hoc casu, *certe contra votum paupertatis peccat;* quod et *Suarez*[1] concedit: « Quoties conceditur usus facti indeterminatus, sed absolute pro arbitrio accipientis, tunc semper esse contra paupertatem acceptare talem usum, et ad hunc vel illum applicare proprio arbitrio et sine legitima facultate. »

2. Verumtamen similiter certum est, in hoc casu *majorem* quantitatem requiri ad peccatum mortale; quia justitia non laeditur, et monasterio vel conventui nullum damnum infertur. - Ob eamdem rationem etiam *Suarez*[2] dicit, multo majorem quantitatem necessariam esse, ut materia gravis censeatur, si usus illegitimus alicujus rei ad monasterium pertinentis fit sine gravi rei laesione aut detrimento, quia Religio non damnificatur; et multo magis minui hanc materiam, si res dispensatur inter ipsos Religiosos. A fortiori ergo multo magis minuitur materia, si de re aliena agitur, quae nullo modo ad monasterium pertinet.

II. *Secundus* modus est: *Si Extraneus personas determinet,* quibus pecunia Religioso tradita eroganda est.

1. In quo casu, Religiosus contra regulam aut constitutiones speciales suae Religionis delinquere potest; at certe *non peccat contra votum paupertatis,* quia *merum instrumentum* est, et pecuniam determinatis nomine alieno dispensando, nihil plane ex suo arbitrio dispensat.

2. Consentiunt *Salmanticenses:*[3] « Sed non peccaret Religiosus contra votum, si res ab alio oblatas nolit accipere, sed donanti manifestet, se ejus nomine aliis daturum: quia tunc ipse non donat, sed illo, quasi ministro et instrumento, alius est, qui pecuniis utitur et donationem facit, ut tenet Sanchez, Suarez, Palaus, Diana. »

III. *Tertius* denique modus est: Si Extraneus tradit Religioso pecuniam *pauperibus in genere* distribuendam, et ejus beneplacito relinquit *eligere, quos voluerit.*

1. In quo casu, *Suarez*[4] Religiosum sic accipientem et erogantem *a transgressione voti paupertatis excusat:* « Secus esset (ait), si solum acceptaretur dispensatio facienda in alios, nomine alterius, quamvis particularis applicatio esset commissa arbitrio religiosi; sicut potest committere dominus ministro seu oeconomo certam pecuniae summam in pauperes distribuendam, quos ipse pro suo arbitrio designaverit. In his autem casibus nulla intervenit injustitia, per se loquendo, nec etiam vitium proprietatis, si arbitrium hoc secundo modo sumatur; nam tunc sola electio, et jus ad electionem pauperum illi committitur, cujus

1) De Relig. tract. 7. lib. 3. c. 15. n. 16. — 2) Loco cit. n. 5. 6. — 3) Tr. 13. c. 6. n. 15. — 4) Loco cit. n. 16.

usurpatio non est contra paupertatem; ut constat ex his, quae de materia voti simplicis paupertatis diximus hoc libro, capite quarto; quia nec administratio, nec jus administrandi, nomine praesertim alterius, per se repugnat paupertati, nisi aliunde jus illud habeat emolumentum temporale, v. g. stipendium aliquod, et ideo sit pretio aestimabile; nam tunc non licebit habere jus, tanquam proprium; si vero praecise spectetur jus administrandi, seu distribuendi aliquid, non facit hominem divitem: ergo. »

2. *Salmanticenses* autem contrarie sentire videntur, quamvis id expressis verbis non declarent. Solum quippe casum proponunt, quo Religiosus donantem rogat, ut res in favorem monasterii oblatas *aliis* dari permittat. In quo contextu, sub *aliis*, nonnisi personae *determinatae* intelligi possunt. – Nec obstat, quod Sanchezium, Suarium, Palaum et Dianam citent; bene enim istos auctores citare potuerunt pro sola sententia, votum paupertatis non violari, si personae determinantur.

3. Quid de isto casu sentiat S. Doctor, in sequenti Articulo videbimus.

Articulus 2.

An et quomodo, ex sententia S. A., peccet Religiosus, accipiens ab extraneo pecuniam, alieno nomine pauperibus a se libere eligendis distribuendam.

Hic non agitur de Religioso, qui pecuniam accipit, cum facultate, *pro arbitrio suo, indeterminate* de illa disponendi nomine alieno; iste namque, testante etiam Suarezio, certe votum paupertatis violat. Nec etiam sermo est de Religioso, qui, ceu merum instrumentum, pecuniam *personis ab extraneo determinatis* erogat; hujusmodi enim materialis distributio votum paupertatis minime offendit. – Unica igitur quaestio est de Religioso, cui, in casu proposito, *libera pauperum electio* relinquitur. Porro, ex sententia S. Doctoris, *voto paupertatis contraria* est dispensatio nomine alieno, *quando personae vel opera pia non determinantur.*

I. Hoc patet ex citatis verbis S. Alphonsi *n. 24.*, ubi declarat, peccari contra votum paupertatis, « *si acci-* » *piatur* (a Religioso) *aliquid ab ex-* » *traneis, ad aliis praestandum.* »– Ex praemissis namque, Religiosus paupertatis votum non violat, distribuendo dona personis *ab extraneo determinatis;* ergo peccat, praestando « *aliis* » a donante *non determinatis.*

II. In Opere, cui titulus *Homo apostolicus,* Tr. 13. n. 7. expressis verbis dicit: « Certum est, Religiosum » peccare contra votum, ... *si sine* » *licentia recipit pecuniam, ut de ea* » *ad proprium arbitrium disponat,* » *licet in opera pietatis;* dum Re- » ligiosus nequit habere neque pro- » prietatem, neque usum rei inde- » pendenter a Praelato. »

III. De hac etiam sententia S. Doctoris, aliunde clare constat. Etenim in Litteris encyclicis, die 3. Octobris 1757. datis,[1] omnibus Confessariis suae Congregationis interdixit, *ne restitutiones incertas pro arbitrio suo ad opera pia applicent;* quippe quod hujusmodi dispositiones, a voluntate Superioris non pendentes, *voto paupertatis repugnent.* – Pro qua sententia itidem tres Auctores Societatis Jesu citat, videlicet:

1. *Azorium:*[2] « Certi item juris est, non posse religiosum secundi generis peculium habere (sc. ita ut de bonis nutu suo, quid voluerit, statuere possit). Nam etiam voto paupertatis solemni repugnat usus-fructus, vel usus, vel administratio, a qua Abbas nutu et arbitratu suo monachum amovere non possit. Religiosus enim nihil proprium habere potest: sed usus, vel usus-fructus, vel *administratio,* quam quis *pro libito* habet, nullius alterius pote-

1) Cfr. *Raccolta di lettere,* Roma 1815. Tom. 2. pag. 196. — 2) P. 1. lib. 12. c. 9.

stati et voluntati subjectam, *est aliquid proprium.* »

2. P. Alphonsum *Rodriguez:* [1] « Quia *voto paupertatis repugnat,* non tantum rei cujusdam, se sine Superioris licentia dominum ac proprietarium facere, verum etiam *ejus usum et liberam administrationem dispensationemque* usurpare. »

3. *Tobiam Lohner:* [2] « Quintum dubium est, an liceat ab alio pecuniam vel simile quid accipere, quod vel in pauperes ipsius nomine distribuat, vel satisfactionis nomine restituat? Ad quod dubium respondebit; si ita detur talis pecunia, ut certae personae detur, non peccaturum contra votum paupertatis, quia nihil distribuit proprio arbitrio: si vero ita accipiat, *ut liberum ei sit, his vel illis dare,* tum *omnino contra votum* facturum, si accipiat sine facultate; cum neque proprietas, nec usus illius rei independens a Superiore, cuiquam paupertatis voto obstricto conveniat. »

IV. Licet S. Alphonsus in hac libera et independenti electione pauperum, vel designatione piorum operum a Religioso facta, violationem voti paupertatis agnoscat; rectissime tamen dicit « *plus adhuc requiri* », ut materia gravis censeatur. Patet enim, in casu *majorem quantitatem* ad peccatum mortale requiri, quam si Religiosus accepta dona *nomine proprio* dispensaret; imo *adhuc majorem,* quam si de pecuniis *indeterminate* acceptis, *pro suo arbitrio,* licet nomine alieno, disponeret: quia minor est actus proprietatis.

Articulus 3.

Perpenduntur argumenta Suarii a cl. Ballerinio contra S. Alphonsum allati.

S. Alphonsus loco citato, *n. 24.* scribit: « Si vero accipiatur aliquid » ab extraneis ad aliis praestandum, » adhuc plus requiritur; tunc enim » Garcia cum Palao, Leandro, Dia» na, etc. apud Salmanticenses, as» signant pro materia gravi valorem » majorem 60 argenteis. »

Haec autem non probantur cl. Professori, qui advertit: « (Si) intelli» gitur (haec opinio) de pecuniis ac» ceptandis et erogandis *nomine alie» no,* ... cum *Sanchezio* licebit exis» timare, *nullam intercedere cul» pam, etsi de majori summa aga» tur.* – S. Alphonsus eam opinionem » cum allegationibus mutuatus est a » Salmanticensibus ..., quae tamen » omnes, si cum suis Auctoribus con» ferantur, abs re afferri reperiuntur. » Allegant nimirum cum Leandro » *Suarezium, Palaum et Dianam.* » *Atqui isti eandem ac Sanchezius* » *doctrinam tradunt.* »

Quonam sensu Salmanticenses praefatos Auctores probabiliter citaverint, jam in primo Articulo diximus. Quidquid autem sit de ista allegatione, advertere juvat, *Suarium* a S. A. nominatim ex Salmanticensibus non allegari. Cum tamen cl. Professor ejusdem auctoritatem contra S. Doctorem adducat, non abs re erit ipsius argumenta paulisper examinare: sic enim rectior apparebit S. Doctoris sententia, simulque sufficiens responsio dabitur auctoritatibus tum Suarii, tum Palai et Dianae a P. Ballerinio adductis.

1. *Suarez* itaque (apud cl. Professorem) ait: [3] « ... Si usus nec cedit in commodum Religiosi, neque ipse pro se illum acceptat, sed solum ut alteri res donetur, ita ut ipse solum sit medium seu instrumentum transferendi rem ab uno in alium; tunc revera non peccatur contra paupertatem, quia neque aliquid accipit, neque etiam aliquid expendit suo nomine ... Unde colligo, quoties conceditur usus facti indeterminatus ..., *non esse contra paupertatem* ..., si

1) Ex. perfect. P. 3. tr. 3. c. 15. — 2) Bibl. man. T. 3. tit. 112. *Paupertas,* §. 11. — 3) De Relig. tr. 7. lib. 8. c. 15. n. 15. et 16.

solum acceptaretur dispensatio facienda in alios nomine alterius, *quamvis particularis applicatio esset commissa arbitrio Religiosi ...* »

Verum conclusio ista nequaquam convincit. Etenim Religiosus *pro arbitrio suo* acceptas pecunias certis personis vel certis operibus piis applicans, *jam non est merum instrumentum.* Quamvis enim ex voluntate indirecta et implicita alterius agat, nihilominus *electio personarum actus ipsi proprius est,* directe et explicite *ex libera sua voluntate* procedens, et quidem actus, quo libere, sine Superioris licentia, de bonis temporalibus disponit. Consensus implicitus alterius electionem licitam reddit ex parte justitiae, juxta tritum: « Quod quis per alium facit, per se fecisse videtur »; sed efficere nequit, ut non sit actus unice a libero arbitrio Religiosi pendens.

2. Praefatam sententiam *Suarez* l. c. [1] sequenti comparatione confirmat: « *Sicut potest committere dominus ministro seu oeconomo certam pecuniae summam in pauperes distribuendam, quos ipse pro suo arbitrio designaverit.* »

Sed ista analogia aperto vitio laborat. Nam minister seu *oeconomus saecularis* nulla ratione impeditus est, quominus in suis propriis negotiis *libere* de bonis temporalibus disponat; tanto minus ergo, dum mandata domini sui exequitur. – Aliter autem res se habet in Religioso, voto paupertatis ligato. Porro *Extraneus non est dominus Religiosi,* nec Religiosus ejus minister seu oeconomus. Si Religiosus, quoad dispositionem de bonis temporalibus, dominum habet, alius esse non potest quam *ejus Superior,* qui nomine Religionis munus suum exercet, et a cujus nutu subditus pendet.

3. Subjungit ibidem *Suarez:* « Nec *administratio* nec jus administrandi, *nomine praesertim alterius,* per se repugnat paupertati, nisi aliunde jus illud habeat *emolumentum temporale,* v. g. *stipendium* aliquod, et ideo sit pretio aestimabile. »

Quod similiter non est concedendum. Etenim Religiosus, cui libera personarum electio committitur, sin minus se ipsum, *consanguineos* suos ditare potest, ipsos *eligendo,* quod utique *pretio aestimabile* est. – Etiamsi autem jus administrandi seu distribuendi pretio aestimabile dici nequiret, nisi stipendium, aut directe emolumentum aliquod temporale accedat; id tamen voto paupertatis repugnat, quod Religiosus, sine licentia Superioris, *libero suo arbitrio* actum dispositionis de bonis temporalibus exercet, qui soli *proprietario* convenit. Ad actus autem hujus generis, sine dubio non tantum dispositio de certa pecuniae summa in favorem pauperum spectat, sed etiam *electio* personarum.

4. Idcirco et alius eximius Societatis Jesu Theologus Suario non assentitur: *Paulus Laymann,* qui [2] aliter distinguit: scilicet, utrum Religiosus accipiat pecuniam distribuendam pauperibus, quos *magis indigentes* existimaverit, *an sine ulla restrictione.*

Dicit loco cit. *n. 16.:* « Vel denique habet se Religiosus ut eleemosynarius, cui a divite pecunia committitur, ut eam, nomine illius, pauperibus ipse distribuat, *quos existimaverit ea magis indigentes.* Nam his casibus, licet pecunia in manus Religiosi tradatur, *nihil* tamen *ipsi juris aut dominii acquiritur:* quandoquidem dives pecuniam paupéri, vel consanguineo donandam, ante donationis executionem, mutato consilio revocare potest; vel jubere, ut non huic, sed alteri, quem ipse designaverit, donetur. Atque hoc sensu vera est sententia Sanchez, [3] Religiosum non peccare adversus paupertatis votum, si sine Superioris licentia pecunias accipiat, relicta ipsi facultate pauperes eligendi,

1) Cfr. textum, supra pag. 374. — 2) Lib. 4. tr. 5. c. 7. — 3) Lib. 7. moral. c. 30. n. 4.

quibus distribuat: quamvis id repugnet regulis Societatis Jesu, ut videre est reg. 22. Sacerdotum, et inter communes 7.»

Et deinde subdit: « Si Religiosus pecuniam, v. g. accipiat ad distribuendum libere pauperibus, *quibus ipse voluerit,* independenter a voluntate dantis: quamvis protestetur, se nomine illius, et non suo, pauperibus donare; *peccat* tamen *contra votum paupertatis:* quia etiam in hoc ultimo casu *jus aliquod pretio aestimabile* sibi Religiosus usurpat; si accipiat pecuniam suo arbitratu pauperibus distribuendam, ita ut a dante revocari, vel ad alium, quam ipse Religiosus voluerit usum, applicare non possit. Quo modo intelligo Doctores, quos citat Sanchez. »[1]

5. Cui distinctioni admittendae, ex mente S. Alphonsi, nihil obstare nobis videtur. Cum enim in primo casu, Religiosus in conscientia sua teneatur, pecuniam acceptam non quibuscumque pauperibus, sed illis distribuere, quos *magis indigentes* noverit, revera *nonnisi instrumentum* est. Nec modus distribuendi, nec electio personarum libero suo arbitrio relinquitur, sed *solum judicium* de majori minorive pauperum, quos novit, indigentia; quod judicium utique voto paupertatis non adversatur.

SIT ERGO HAEC CONCLUSIO:

I. In praesenti quaestione, uti jam monuimus, non agitur de Religioso pecuniam ab extraneis *in usum proprium* acceptante et impendente; nec sermo est de Religioso hujusmodi pecuniam *nomine proprio in alios* erogante. Uterque enim sic accipiens, vel erogans, contra votum paupertatis peccaret.

II. Hic tantum quaeritur: An votum paupertatis violet Religiosus, qui, sine licentia Superioris, ab extraneo pecuniam acceptat, *alieno nomine in alios* erogandam. – Ad quod dubium rite solvendum, distinguendum est. Vel 1. pecuniam istam accipit cum *indeterminata* facultate, *pro arbitrio suo* de illa disponendi ad quemcumque bonum finem; et sic accipiens et erogans, certe contra votum paupertatis peccat. – Vel 2. Extraneus ipsi, aliquo saltem modo, *personas determinat,* quibus pecunia distribuenda sit; quo in casu, Religiosus votum paupertatis non offendit. – Vel 3. Extraneus significat, pecuniam erogandam esse *in pauperes,* sed *personarum electionem* libero arbitrio Religiosi relinquit; et hoc in casu, ex sententia S. Alphonsi, votum paupertatis violat.

III. Quaenam vero *quantitas* requiratur aut sufficiat ad graviter peccandum, vix absolute determinari potest. Per se patet, in primo casu *majorem quantitatem* requiri, quam si pecunia nomine proprio erogetur, et adhuc majorem in tertio casu exposito. – S. Alphonsus generaliter tantum dicit, si Religiosus aliquid accipiat ab extraneis ad aliis praestandum, « *adhuc plus requiri* »; et simpliciter addit, *juxta Garciam cum aliis,* pro materia gravi requiri valorem majorem 60 argenteis.

IV. Cum itaque S. Doctor, una ex parte (contra sententiam cl. Professoris) *pro certo* habeat, Religiosum peccare in pecuniis acceptandis, et, licet *alieno nomine, pro arbitrio suo* erogandis; ex altera vero, praedictam summae *quantitatem* nec approbet, nec rejiciat: non videmus, quomodo hac ratione, sive rigoris, sive laxitatis argui possit.

1) Cit. c. 30. n. 3.

PARS QUARTA

DE S. MISSA ET ORDINATIONE

QUAESTIO I.

An censendum sit consecratum Ciborium, ex oblivione extra corporale aut petram sacram relictum.

(S. Alph. Lib. VI. n. 217. — P. Ball. Tom. II. n. 283.)

Ad propositam quaestionem, *P. Gury* T. II. n. 283. pag. 198. de Ciborio extra corporale relicto disserens, sic respondet: « Controvertitur. *Prima sententia probabilis affirmat.* Ratio est, quia jam adfuit voluntas positiva consecrandi illud ciborium in principio Missae, nec illa voluntas fuit retractata; ergo perseveravit virtualiter tempore consecrationis. *Secunda sententia negat.* Ratio est, quia intentio illa consecrandi extra corporale fuisset peccatum grave, et proinde Sacerdos illam habuisse non praesumitur. - *In praxi,* ciborium illud denuo consecrandum erit sub conditione in alia Missa. Possunt etiam illae particulae absumi post utramque communionem, sed ante purificationem. - *S. Lig. n. 217.*»

Cl. autem Ballerinius ad rationem pro secunda sententia allatam, sequentia advertit: « Ista ratio supponit generale hoc principium, quod non possit in Sacerdote praesumi intentio consecrandi, quoties circumstantia quaepiam, licet eidem Sacerdoti ignota, intercedat, quae si ab ipso nosceretur, eum a consecrando deterreret, ne scilicet agaret illicite. *Atqui ejusmodi principium neminem puto aut admisisse unquam, aut aliquando admissurum.* Et sane illicitum, et quidem ex DD. sententia graviter illicitum est, *in calice non consecrato,* aut *in corporali non benedicto* Missam celebrare, aut materiam utique validam sed illicitam, v. g., *panem fermentatum* in latina Ecclesia consecrare. Porro quisnam contendat, si ejusmodi calix aut corporale, aut materia, Sacerdoti id non advertenti porrecta fuerit, non posse praesumi, eum intentionem celebrandi illicite habuisse, atque adeo valide non consecrasse? Addiderim autem, immerito quosdam (Vid. *S. Alphonsum,* lib. 6. n. 217.) *secundam* opinionem ceu *communem* tradere. Facile enim et pro *prima* haud pauciores DD. allegari possent. »[1]

Quae cl. Professor objicit, ad duo reduci possunt: 1. Admitti nequit *ratio,* qua innititur sententia *negans* S. Alphonsi et P. Gury; 2. Haec eadem opinio immerito dicitur *communis.* - Quid autem de utroque asserto sentiendum sit, paucis examinabimus.

1) Postremam hanc propositionem ex altera edit. pag. 155. descripsimus. In priori namque cl. Professor ex lapsu calami dixerat, immerito ceu *communem* tradi *primam* sententiam a P. Gury cum S. Alphonso relatam.

Articulus I.

Sententiam negantem S. Alphonsus merito communem dicit.

I. - Lib. VI. n. 217. S. Alphonsus scribit: « Quando Ciborium consecrandum positum est a clerico in » corporali, te advertente, et illud » jam intenderis consecrare, certum » est quod consecras, licet postea ad » illud non advertas. Est communis » sententia, ut ait Croix cum Palao, » Dicastillo, et Salmanticenses cum » Gavanto et Suarez.» - Quibus praemissis, quaestionem propositam S. Doctor sic perpendit:

« Sed dubium est, *utrum censendum sit consecratum Ciborium, ex oblivione extra corporale relictum?* - *Prima* sententia cum Tannero et Praeposito apud Croix, qui *probabilem* vocat, affirmat: quia, ut dicunt, voluntas consecrandi jam adfuit, et non fuit retractata. - *Secunda* tamen sententia *communis et probabilior negat cum Suarez, Diana, Palao, Lessio, etc., cum Croix.* Ratio quia, cum intentio consecrandi extra corporale fuisset peccatum grave, illam tu habuisse non praesumeris. - Sed quia prima sententia non videtur improbabilis, cum res sit dubia, *rationabiliter ait Benedictus XIV.* de Sacrif. Miss. lib. 3. c. 18. n. 6., *Ciborium denuo consecrandum;* vel, ut dicit Tournely, in praxi illas particulas esse sumendas post sanguinem; et ego addo: post ablutionem, sed ante purificationem: quia reliquiae Sanguinis sunt certe Sacramentum, sed hostiae illae in Ciborio sunt dubie. Censent autem Tournely et Croix, posse eas etiam consecrari in alia Missa sub conditione. Sed hoc mihi non placet; quia non videtur adesse justa causa illas consecrandi sub conditione, cum jam sumi possint. »

Eamdem sententiam negativam S. Alphonsus confirmat in *Hom. Apost.* Append. 3. *Examen Ordinandorum*, n. 99., ubi agit de Ciborio *extra petram sacram* inadvertenter relicto: qui casus tum a S. Doctore, tum ab aliis AA. aequiparatur dubio superius proposito; quia in utroque casu eadem currit ratio. - Ait itaque l. c.: « Si autem Ciborium tempore » consecrationis remanserit extra altare, *probabilius est ipsum rursus esse sub conditione consecrandum,* » ut docet Lambertinus: *tunc enim dubium est an sit facta consecratio.* Vid. Theol. mor. lib. 6. n. 217.»

II. Videamus itaque primo, utrum S. Alphonsus immerito (ceu cl. Ballerinius contendit) sententiam negantem *communem* dicat. - Pro eadem S. Doctor tres citat Auctores ex propriis fontibus allegatos, videlicet Croix, Benedictum XIV. et Continuatorem Tournelii.

1. *Croix, S. J.*,[1] sic scribit: « Si Ciborium, te advertente fuisset positum *extra corporale,* quamvis scivisses debere consecrari, si tamen consecrans non reflexisti ad illas, *probabilius* videtur cum *Suarez, Diana, Castropalao, Gavanto, Lessio, Aversa,*[2] *Tamburini,*[3] non fore consecratas, quia noluisti consecrare extra corporale: *hoc enim velle fuisset peccatum mortale;* ergo videris tantum habuisse intentionem consecrandi, si assumeres in corporali. Probabile tamen etiam est cum Praeposito, Tannero et aliis, fore consecratas... Itaque cum res sit dubia, in praxi tales hostiae erunt de novo in alia Missa sub conditione consecrandae. »

2. Textum *Benedicti XIV.* afferemus in fine totius quaestionis.

3. *Continuator Tournelii*[4] dicit: « Aliter (sc. negative) sentiunt *bene plures,* si hostiae, vel inscio Sacerdote in corporali positae sint, vel *extra corporale* ipso advertente, nec

1) Lib. 6. p. 1. n. 458. — 2) Q. 2. sect. 2. *s. quarto.* — 3) De sacrif. lib. 2. c. 1. *s.* 3. — 4) De Euch. p. 1. c. 3. art. 2. sect. 1. concl. 2. quaer. 3. in fine.

de his rite collocandis deinceps cogitante... Sunt tamen, qui in utroque casu validam consecrationem admittunt.... *Tutius*, nostro judicio, sentiunt, qui docent 1°. hostias illas reverenter tractandas esse, quia rationabiliter dubitari queat, an non consecratae sint; 2°. eas infirmo, qui alioqui sine Viatico decessurus sit, porrigi posse, quia satius sit dubium Sacramentum dare, quam nullum; 3°. extra casum necessitatis, curandum esse Sacerdoti, de consecrationis hujus valore dubitanti, ut eas sumat post sanguinem, aut si nimio plures sint, easdem vel ipse die postera conditionaliter consecret, dum sacrificii sui hostiam consecrabit absolute, vel ab alio sic consecrari satagat. »

III. Praefatis Auctoribus a S. Alphonso citatis, scilicet Croix cum Suario, Diana, Palao et Lessio, nec non Benedicto XIV. et Colleto, alii complures accensendi sunt, vel S. Doctori antiquiores, vel ejusdem coaevi. Sic

1. *Salmanticenses* [1] scribunt: « Valida est consecratio... dummodo (hostiae) sint *super aram;* nam si juxta existant, et illarum oblitus fuerit, asserunt regulariter, non censeri consecratas, et ut minimum esse rem valde dubiam, quia non est praesumendus Sacerdos indebite et illicite consecrationem facere voluisse. Ita *Suarez,* [2] *Palaus,* [3] *Barthol. Gavantus,* [4] *Candidus,* [5] *Joan. Wiggers,* [6] *Diana,* [7] contra Hurtadum, et contra Leandrum, et contra Praepositum, qui asserunt, moraliter loquendo censendas consecratas. »

2. *Mendo, S. J.,* [8] breviter sensum suum aperit, dicens: « Si per oblivionem (Sacerdos) non discooperiat pyxidem, in qua sunt formae consecrandae, adhuc consecratae manent, ex ea intentione virtuali, quae sufficit: sicut si, quando consecrat Hostiam, non recordetur formarum, *dum intra aram sint,* consecratae manent.»

3. *Roncaglia* [9] scribit: « Si (Sacerdos) detulerit ipse ad altare (hostias) seu alteri commisit deferre, tunc, etsi earum obliviscatur, remanent consecratae... At bene limitatur haec doctrina, si dicatur non remanere consecratas, dum ponantur *extra aram et corporale:* nam *cum illicitum sit aliquid extra ea consecrare,* non potest praesumi, Sacerdotem habere intentionem consecrandi quod extra aram et corporale continetur.»

4. *Wiggers:* [10] « Si Sacerdos ad altare deferat plures hostias, cum intentione eas consecrandi in suo Sacrificio, et postea dum consecrat, recordetur seu attendat tantum ad illam, quam manibus tenet, omnes nihilominus erunt consecratae..... Quod tamen intelligendum, *si in altari, ut solet fieri,* sint repositae.» Et hoc nostro sensu intelliguntur verba Joannis Wiggers tum a Salmanticensibus, tum a Diana.

5. *Gavantus* [11]: « Quod hic dicitur de ordinaria materia consecranda in Missa, intellige etiam, quando plures particulae ponuntur a Celebrante super altare, ut consecrentur, et in actuali consecratione non recordatur illarum Sacerdos, sed ejus tantum, quam in manibus habet; tunc enim sunt omnes consecratae... Debent tamen esse praesentes *intra aram,* non extra eam, inquit Suarez: alias non aestimaret illas consecratas esse.»– Quam doctrinam tacite approbat etiam *Merati:* nam in suis observationibus in hunc textum Gavanti, nihil habet quod contradicat; quin potius principium, cui ista sententia innititur, « *optimum* » judicat.

6. *Billuart:* [12] « Inferes... 3°. vere

1) Tr. 4. c. 4. punct. 7. n. 125. — 2) Disp. 43. sect. 6. — 3) Punct. 6. n. 3. — 4) In rubr. Miss. tom. 1. p. 3. tit. 7. n. 4. — 5) In disquisit. moral., disq. 2. art. 2. dub. 72. n. 87. — 6) 3. P. q. 74. art. 2. n. 3. — 7) T. 9. tr. 8. res. 64. — 8) Epitome Opin. V. *Missa* n. 10. — 9) Tr. 18. c. 2. q. 8. — 10) In 3. part. divi Thomae q. 74. art. 2. dub. 1. — 11) Tom. 1. part. 3. tit. 7. n. 4. — 12) Summa Summae, de Euchar. diss. 3. art. 6.

consecrari (hostias), si Sacerdos ipse attulerit consecrandas in altare, aut ipso jubente vel volente, vel saltem advertente, alter attulerit, licet tempore consecrationis ad eas non reflectat; quia remanet virtualis intentio. Necesse tamen est in hoc casu, hostias tempore consecrationis *esse super corporale;* alias *probabilius* est non fore consecratas: quia regulariter *intentio omnis boni Sacerdotis praesumitur esse, velle consecrare quod est consecrabile absque peccato;* peccatum autem esset consecrare hostias *extra corporale* repositas. »

7. *Habert:* [1] « Dixi: *super corporali reposita;* si enim (pyxis) extra remansisset, v. g. ad cornu altaris, hostiae non censerentur consecratae, non quidem defectu praesentiae, sed intentionis in Sacerdote; siquidem in illa hypothesi neque esset intentio interior etiam virtualis, *cum Sacerdos nunquam voluerit consecrare illas hostias contra Ecclesiae vetitum...* »

8. *Mazzotta, S. J.,* [2] dicit: « Quod si Ciborium cum particulis, Sacerdote advertente, et sciente eas debere consecrari, positum fuit in altari, sed *extra corporale,* et consecrans nullimode de illis cogitavit; *probabilius* est, eas non consecrari, quia Sacerdos censetur nolle consecrare extra corporale; *quia velle consecrare extra corporale est peccatum:* Suarez, Diana, Palaus, Gavantus, Lessius, Aversa, Tamburini apud Croix. »

9. *Felix Potestas* [3] ad quaestionem propositam respondet, triplicem distinguendo casum: « Vel enim primo (ait) pyxis fuit posita supra aram et supra corporale; vel demum extra aram et corporale in cornu; vel demum tertio, supra corporale, sed extra aram, quatenus corporale solet plus se extendere quam ara. In primo casu, esse consecratas certum est... In secundo casu dico, eas particulas non esse consecratas, *quia consecrare extra aram et corporale est peccatum,* esto valida sit consecratio; adeoque *cum omnis Sacerdos praesumendus sit habere intentionem rite et sine peccato consecrandi,* praesumitur noluisse in recensito situ consecrare. In tertio casu... dicendum est, *hujusmodi particulas non esse consecratas.* — Quia autem in secundo et tertio casu, res est dubia, ideo hujusmodi particulae non sunt abjiciendae, sed ab eodem Sacerdote post sumptum Calicem sumendae, vel ab alio in alia Missa consecrandae. »

10. *Cuniliati:* [4] « Addendum putamus, non consecrari hostias juxta *probabiliorem* sententiam, si ponatur pyxis super altare a cornu epistolae, et Sacerdos non recordetur super corporale illam constituere... Ratio est, quia *particulae extra corporale... nequeunt licite consecrari* ob reverentiam Sacramenti, et contrariam Ecclesiae ordinationem; atque adeo intentio Sacerdotis non se extendit ad illas sic positas consecrandas, cum *intentio cujuscumque boni Sacerdotis* sit, et semper supponatur esse, consecrandi dumtaxat materiam, quae licite et absque peccato consecrari potest. »

11. *Adnotator Anacleti:* [5] « Dixi notanter: *si apposuit* (hostias) *in ara ac corporali in vase decenti.* Nam alia foret difficultas, si in casu praesenti vas illud non fuisset condecens, e. g. scatula aliqua, vel si esset positum *extra corporale,* vel omnino extra aram consecratam, v. g. in proximo cornu Epistolae aut Evangelii..., ubi *Sporer, Henno, Lacroix, Aquilinus Aman, Felix Potestas* putant esse *probabilius,* similes minores hostias non esse consecratas, ob defectum intentionis consecrandi ex parte celebrantis; nam ille, qui intendit consecrare juxta intentionem Christi et Ecclesiae, utique *non*

1) De Euchar. cap. 4. q. 9. — 2) De Euchar. q. 1. cap. 2. §. 3. q. 2. — 3) Exam. eccles. tom. 2. n. 223. — 4) Tr. 13. cap. 2. n. 7. prope fin. — 5) Tr. 14. dist. 4. q. 4. appendix, addit. 6.

praesumitur velle seu intendere consecrare contra gravem prohibitionem Ecclesiae, et cum notabili irreverentia. »

12. *Patuzzi:* [1] « Respondeo... optime cohaerere Theologorum doctrinam, dum dicunt, *dubiam* esse consecrationem pyxidis *extra corporale* extantis, non vero si intra illud collocata sit; et hoc, non per deficientiam moralis praesentiae, aut virtualis intentionis, sed *ob deficientiam verae et absolutae intentionis actualis,* quae nunquam fuit in Sacerdote consecrandi particulas in pyxide contentas, *extra sacrum lapidem et corporale* sepositas. – Quod, quam verum sit, non subtili est argutatione expiscandum, sed *intimo cujuscumque Sacerdotis sensu dijudicandum.* Quod ut pateat, fingamus sacristam dicere Sacerdoti celebraturo, a se pyxidem deferendam, ut eam consecret, sed a se reponendam extra corporale, ut ipse eam postea supra corporale reducat; procul dubio, ne id facias, respondebit cautus Sacerdos, nam extra corporale eam consecrare nolo, et fortassis pyxidis obliviscor, et sic consecratae non erunt particulae. Reponet sacrista, ponam super corporale, ut jubes, sed tu obliviosus, facta oblatione, pyxidis non amplius recordaberis, nec etiam consecrationis deteges tempore. Reponet Sacerdos, non obliviscar, et detegam: at, si etiam oblitus fuero, jam consecratae erunt, cum modo eas consecrare statuam. – En igitur, quomodo menti Sacerdotis talis occurrere potest defectus, qui totam ejus intentionem tollat, et talis, qui omnino non tollat. In priori casu, *defectus praesentiae pyxidis in corporali totam tollit consecrandi intentionem in Sacerdote, qui nullo pacto consecrare intendit cum tali errore;* secundus defectus non tollit intentionem consecrandi. Proinde merito in primo casu vel nullam, vel dubiam dicit *Benedictus XIV.* consecrationem hostiarum in pyxide; in secundo vero validam pronuntiat. »

13. *Concina* [2] quaerit: « Quid, si Sacerdos deferat pyxidem ad altare plenam hostiis, cum intentione consecrandi eas, et tempore consecrationis obliviscatur? Hic casus praxim spectat. Si eas super aram, seu petram consecratam ponat cum intentione consecrandi, quamvis tempore consecrationis non recordetur, communis sententia docet, illum eas consecrare. Si vero super altare a cornu epistolae pyxidem poneret, et oblivisceretur super aram illam constituere, tunc nullam fieri consecrationem docent Suarez, Gavantus, Candidus, Palaus et alii: *quam opinionem veram existimo, et falsam oppositam,* quam probabiliorem reputat Leander. Hostiae, quae inscio Sacerdote ponerentur super corporale, non manerent consecratae. »

14. *Ferraris* [3] similiter scribit: « Si forte contingat, ut pyxis deferatur ad altare, nec Sacerdos illam advertit, adeoque proferat verba consecrationis, nihil cogitans de pyxide, tunc utique, *si pyxis non sit supra petram sacram,* non censetur voluisse Sacerdos consecrare; *alioqui enim censeretur voluisse id, quod sibi illicitum est.* Quamvis vero sint Doctores, qui contrarium censent, cum tamen *in Sacramentis conferendis sequi teneamur opinionem tutiorem,* relicta probabiliori: ideo in casu tali, particulas illas non esse populo distribuendas, sed adservandas, ut in alia Missa sub conditione consecrentur, satis constat. »

15. *Tamburini, S. J.,* [4] casum proponit: « Sacerdos celebraturus habet in sacristia intentionem consecrandi formulas: accidit autem, ut illae inclusae in consueta pyxide collocatae super altare fuerint a ministro, *non autem super aram consecratam, seu*

1) Theol. mor. tr. 10. dissert. 1. cap. 4. n. 9. — 2) Lib. 3. de Euch. diss. 1. c. 2. n. 8. — 3) V. *Missa*, art. 8. n. 34. — 4) De Sacrif. Missae, lib. 2. c. 1. §. 3. cas. 4. n. 11–20.

super corporale. Processit in Sacrificio Sacerdos, consecravitque hostiam majorem, sine ulla prorsus praedictarum formularum memoria: *remanserunt hae formulae consecratae, nec ne?* – Tannerus aliique apud Diana probabile putant, remansuras consecratas... *Suarez, Gavantus, aliique verosimilius docent, non remansuras consecratas.* Ratio est, quia *contra consuetudinem Ecclesiae est, et peccatum, extra aram et corporale velle consecrare.* Ergo, *cum omnis Sacerdos praesumendus sit habere intentionem conficiendi Eucharistiam rite et sine peccato,* praesumitur noluisse consecrare in praedicto casu.... Quoniam vero res.... valde dubia est, ideo non profane agendum cum his particulis; sed, vel sub conditione in alia Missa sunt consecrandae, vel sumat idem Sacerdos post assumptum calicem. »

16. *Sporer,* [1] licet casum paulo aliter proponat, in ratione tamen afferenda plane cum S. Alphonso convenit. Ait enim: « Si... Sacerdote non amplius recordante, particulae mansissent repositae in altari *extra corporale,* vel in vase non sacro..., regulariter illae particulae non consecrarentur, *juxta communem DD...* Ratio est: quia regulariter *omnis boni Sacerdotis intentio est, et debet esse, et semper supponitur fuisse solum consecrare, quidquid est a se consecrabile licite sine peccato;* nemo enim, praesertim in tam sancto ministerio praesumitur velle agere illicite, seu peccare; *atqui particulae extra corporale,* vel in vase non sacro positae, *non sunt licite consecrabiles,* ob reverentiam Sacramenti, et contrariam ordinationem Ecclesiae: ergo intentio Sacerdotis non se extendit ad illas sic positas consecrandas, et consequenter non consecrabuntur.... » Et allata sententia contraria, concludit: « Sed ego maneo in priori sententia, et denuo sub conditione consecrandas censeo ante distributionem. »

17. *P. Dens* [2] scribit: « ... Sequitur (consecrari hostias) si Sacerdos... eas consecrandas ad altare detulerit... modo tamen tempore consecrationis sint moraliter praesentes, et quidem super corporale; nam *si ex oblivione relictae fuerint extra corporale,* controversia est, an intentio perduret; *cum multis negat Suarez:* quia intentio consecrandi hostias extra corporale positas fuisset *peccatum grave, nec adeo Sacerdos praesumi potest eam habuisse.* »

18. *P. Jos. Ant. Caesaromontanus,* Ord. Capuc. [3] similiter scribit: « Non consecrantur particulae in altari, sed *extra corporale* positae, licet in sacristia intentionem particulas consecrandi habuerit....; quia non sunt praesentes juxta praeceptum Ecclesiae, nempe intra corporale, *nec censetur* velle eas in tali statu et situatione *contra praeceptum Ecclesiae* consecrare... »

19. *Voit, S. J.,* [4] quaerit: « Quid, si Gervasius ante Sacrum ab aedituo fuisset monitus de consecrandis particulis, et ipse ab initio Missae fecisset intentionem eas consecrandi, *quin sub Sacro eas supra corporale reposuerit,* imo sub ipsa consecratione illarum consecrandarum plane immemor fuerit? R. *Probabilius non fuerunt consecratae;* ita ex rationibus num. praec. allatis docent Suarez, Palao, Diana, Tamburini, Gavantus, scilicet, *quia omnis Sacerdos potius praesumendus est habere intentionem,* saltem implicitam, *consecrandi juxta consuetudinem et mentem Ecclesiae, quam illicite et contra Ecclesiae morem extra corporale.* Oppositam sententiam tenent Praepositus, Tannerus et alii... *In praxi* tales hostiae sunt de novo in alio Sacro consecrandae sub conditione; quia ob probabilitatem utriusque sententiae, res dubia manet, vel si sint

1) Theol. Sacram. p. 2. c. 3. sect. 2. n. 169. — 2) De Euch. n. 11. q. 4. ad 3. — 3) Theol. mor. de Euch. quaest. 1. q. 2. ad 4. — 4) De Euch. n. 286. 287.

numero paucae, sumi possunt post sumptam utramque speciem, ante ablutionem. Ita *Leonardelli.* »[1]

IV. Ex praemissis Auctoritatibus concludimus, non immerito, ut asserit cl. Ballerinius, sententiam negantem a S. Alphonso ceu communem tradi: eo magis, quia ipsam tuentur Auctores cum rigidiores, tum benigniores. - Addit cl. Professor, facile pro altera opinione haud pauciores DD. afferri posse; donec autem probaverit, eidem suffragari Auctores et numero et maxime pondere majores, sententiam a S. Alphonso propugnatam communem fuisse et esse affirmamus.[2]

Articulus 2.

Sententia negans cum S. Alphonso merito dicenda est probabilior.

I. Ex textibus superius allatis jam constat, falsam esse opinionem cl. Ballerinii, putantis « *neminem aut* » *admisisse unquam, aut aliquando* » *admissurum* » illud principium, « *quod non possit in Sacerdote prae-* » *sumi intentio consecrandi, quoties* » *circumstantia quaepiam, licet ei-* » *dem Sacerdoti ignota, intercedat,* » *quae, si ab ipso nosceretur, eum* » *a consecrando deterreret, ne sci-* » *licet ageret illicite.* » - Praefati enim Auctores, dum rationem suae sententiae afferunt, non aliam, quam ex hujusmodi principio desumptam, communiter adducunt.

II. Ad demonstrandam vero sententiam affirmantem, cl. Professor argumento utitur quod sic exprimi potest: Sacerdos inadvertenter celebrans *cum calice non consecrato* aut *corporali non benedicto,* valide consecrat, etsi per se illicite; ergo a pari, cum ex oblivione relictum fuerit *Ciborium extra corporale.* - At vero, pace cl. viri, haec argumentatio a pari non valet.

1. Etenim, alia est intentio Sacerdotis ad consecrandas *species ipsi Sacrificio necessarias,* seu essentiales; alia, pro consecrandis *particulis* accessorie et extraordinarie ad altare delatis. - Quoad species ipsi Sacrificio necessarias, intentio Sacerdotis semper *absoluta* esse debet, nec unquam ipsi licet conditionem apponere, qua Sacrificium mutilaretur, unam speciem valide consecrando, et alteram invalide; quinimo Missam celebrare absque utriusque speciei consecratione, per se malum est atque illicitum. E contra, consecrare in corporali non benedicto, aut in calice non consecrato, aut cum pane fermentato, justa de causa licitum evadere posset.

2. Si itaque dubium moveretur circa casus a cl. Professore adductos, pro valida consecratione certo concludendum foret: cum nunquam praesumi possit, Sacerdotem voluisse Missam celebrare absque utriusque speciei consecratione. - Quando autem agitur de consecrandis particulis, ad Sacrificium nihil refert quod consecrentur aut non consecrentur: siquidem omissio istius consecrationis non est illicita; sed sola actio illicita in casu est consecratio *extra corporale,* aut extra lapidem altaris. Hinc scite advertit *Roncaglia,* l. c.: « Nec obstat dicere, remanere consecratam hostiam factam cum fermento, quamvis, si Sacerdos advertisset, noluisset consecrare. *Lata igitur est disparitas:* quia principaliter intendit Sacerdos velle *integre sacrificare,* adeoque nolle omittere hostiae vel vini consecrationem,

1) De Euch. q. 13. n. 71.

2) Notandum est, non paucos e gravioribus DD. de hac quaestione omnino silere. Recentiores autem qui eam pertractant, communiter, et eodem quidem principio innixi, sententiae neganti subscribunt; quos inter habes *Herdt* (S. Lit. praxis, p. 3. tit. 7. ad 4. n. 3.), *Panzuti* (Theol. mor. lib. 6. tr. 4. n. 110), *Scavini* (Lib. 3. tr. 9. n. 281.), *Frassinetti* (Compendio, tr. 15. n. 337.), *Benger* (Lib. 3. *s.* 110. n. 4.), *Albrand* (De Euch. c. 1. *s.* 2. concl. 3. q. 3.), *Falise* (Lit. pract. c. 3. *s.* 7.), *Craisson* (Man. Jur. can. n. 3372.), etc.

ob aliquem defectum ignoratum. Dum vero intelligitur nolle consecrare *particulas, nisi modo licito,* non destruitur haec intentio ab alia validiore intentione de ponenda essentia Sacrificii; *quia datur integrum Sacrificium, sine illarum consecratione.* »

3. Quae cum ita se habeant, vix non improbabilis dici potest opinio affirmans, quam P. Ballerini propugnat.

III. Ad *praxim* vero quod spectat, certo standum est omnino conclusioni S. Alphonsi, et parum utilitatis est quaestio quam movet cl. Professor. Licet enim contendat, sententiam negantem immerito vocari communem, eam tamen esse *probabilem* diffiteri nequit; imo implicite id concedit, dicens: « Facile et pro prima (affirmante) *haud pauciores DD.* allegari possent. » – At vero, quid exinde sequitur? Posito etiam, quod pro affirmante stent haud pauciores Doctores, potestne ista licite in praxim deduci? Aut putatne cl. Ballerinius, fidelibus absque scrupulo distribui posse hujusmodi particulas probabiliter consecratas, et probabiliter non consecratas? Si licitum id censeat, sensu suo abundet; nos autem cum *Benedicto XIV.* [1] dicimus: « Verum, cum Innocentius XI. propositionem illam condemnaverit: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore;* quantumcumque ponderis ei sententiae tribuas, quae statuit eas particulas esse consecratas, ac populo eas posse distribui, nihil aliud assequare, quam ut probes eam sententiam esse *speculative* probabilem, quod non satis est in hac re, in qua debemus *tutiore* uti sententia. »

QUAESTIO II.

An liceat cum alio Sacerdote permutare intentionem Missae.

(S. Alph. Lib. VI. n. 322. dub. 4. — P. Ball. Tom. II. n. 372.)

Lib. VI. n. 322. dub. 4., S. Alphonsus quaerit: « *An Sacerdos, cui hodie offeruntur tres julii, ut celebret, possit procurare ut alius celebret pro ipso, promittens die crastina celebrare pro illo, qui pro sua crastina Missa accepit unum julium?* » – Ad quam quaestionem sic respondet: « Affirmant Croix et Mazzotta; quia hoc non esset retinere partem pretii, quod Pontifex damnavit, sed tantum permutare missas et dies. *Recte vero negat Concina,* quia hoc non posset excusari *a specie* turpis mercimonii; merito tamen id non audet damnare de peccato gravi; et an *paupertas* possit ab omni culpa excusare, se remittit prudentum judicio. »

T. II. n. 372. q. 10. pag. 269. [2] *P. Gury* eamdem quaestionem ponit, et respondet: « Controvertitur. Prima sententia *negat,* quasi hoc non possit excusari a specie turpis lucri. – Ita *S. Lig. n. 322. dub. 4.,* qui tamen addit, quod talis sacerdos de gravi peccato damnandus non videtur... »

Quocirca P. Ballerini adnotat: « Pro hac opinione, S. Alphonsus nil profert nisi auctoritatem Concinae, qui rem prudentum judicio remittit, si sacerdos sit *pauper:* quasi vero paupertas *speciem turpis lucri* auferre a sacris ministeriis queat! Caeterum secunda sententia *(affirmans)* non solum rationum soliditate, et pondere auctoritatis longe est probabilior, sed commu-

1) De Sacrif. Missae, lib. 3. c. 18. n. 6. — 2) In altera edit. pag. 215.

» nissima piorum prudentumque sa- » cerdotum praxi comprobatur.» – Ad haec, brevis sit responsio.

1. S. A. pro sententia negativa Concinam allegat; pro affirmativa duos auctores: Lacroix, qui, quod sciamus, primus hanc quaestionem proposuit, et Mazzottam. – *Croix* non absolute affirmat, sed tantum dicit: « Hoc *videtur* licere, quia in hoc fit tantum permutatio missarum et dierum. » *Mazzotta* simpliciter affirmat, cui accessit *Reuter*. *Billuart*, eamdem quaestionem proponens, respondet: « Ut mihi probabilius *videtur*, affirmative. » Alios auctores, qui eamdem quaestionem attingerent, non novimus. – P. Ballerini de *pondere auctoritatis* loquitur; at quaenam sint istae auctoritates, quarum pondere sententia S. Doctoris opprimitur, indicare omisit.

2. Ad *rationum soliditatem* quod attinet, quas cl. Ballerinius exponere pariter omisit, respondemus, S. Alphonsum non de turpi mercimonio, sed de ejus *specie* loqui, nec de peccato gravi, sed de *veniali*. – Non diffitemur, neque hoc reprobat S. Doctor, posse Sacerdotem, per se loquendo, cum alio permutare intentionem, retento ab utroque proprio stipendio. At non videmus, quomodo negari possit, *speciem* turpis mercimonii adesse, si quis, accepto pinguiore stipendio, priorem intentionem immutat, a communi ordine recedit, alium Sacerdotem quaerit, cum quo pactum substitutionis ineat: et haec omnia eum in finem, ut « *unum julium* » [1] lucretur. Idipsum enim iste Sacerdos consequitur, quod ille qui retinet partem, quae stipendium ordinarium excedit; subtiliorem dumtaxat methodum adhibet, qua prohibitionem Urbani VIII. evitat, sin minus secundum spiritum, saltem quoad litteram. Unde non videmus, quomodo ab omni culpa excusari possit.

3. Quoad causam vero excusantem, quam Concina prudentum judicio remittit, P. Ballerini exclamat: « Rem » prudentum judicio remittit, si Sa- » cerdos sit *pauper:* quasi vero pau- » pertas *speciem turpis lucri* auferre a sacris ministeriis queat! » – Miramur cl. Professorem haec exclamantem. Siquidem sententiam, quam tenet Concina, ceu nimis rigidam reprobat; et nihilominus causam excusantem a culpa veniali, qua Concina hanc sententiam temperari posse innuit, ceu nimis laxam damnat. *Species* turpis lucri, in casu de quo agimus, in eo consistit, quod Sacerdos redditibus sat provisus, stipendio, quod ipsi secundum communem ordinem obtingit, non contentus, tantam curam et industriam adhibet, pactumque cum alio Sacerdote init, ut ex sacro ministerio, quasi de negotio profano ageretur, majus lucrum percipiat. – Si autem Sacerdos *pauper* idem pactum init, non lucri cupidine permotus, sed ut necessitatibus suis consulat, *species* turpis lucri reapse aufertur, et satis probabile nobis videtur, ipsum ab omni culpa excusari. Eo magis, quia in simili casu, si nempe (uti ait S. Alphonsus, cit. Lib. 6. n. 325. in fine) « *aliquis* » *Parochus sit adeo pauper, ut vi-* » *vere cogatur ex eleemosynis Mis-* » *sarum,* (Benedictus XIV.) *facultа-* » *tem concedit Episcopis cum eo dis-* » *pensandi, ut ipse possit etiam die-* » *bus festis Missam applicare pro* » *eleemosynam offerentibus: modo* » *intra eamdem hebdomadam Mis-* » *sas omissas pro populo applicet.* »

4. In quantum vero cl. Professor contendit, pios prudentesque Sacerdotes *communissime* observare praxim a S. A. improbatam: undenam hoc sciat, nescimus. Interpellatus, ut hanc suam assertionem probet, forte in angustiis versaretur.

5. Si tandem sunt *pii et prudentes Sacerdotes,* qui probabilius censent, eamdem agendi rationem nun-

1) Quatenus scilicet olim in Italia stipendium ordinarium unus *julius* fuit.

quam, sive paupertas interveniat, sive secus, speciem turpis mercimonii prae se ferre, sensu suo abundent; sed non est, quod S. Alphonsus idcirco reprehendatur.

6. Demum abs re non erit advertere, doctrinam S. Alphonsi circa Missarum stipendia ab ipsa S. Sede speciatim commendatam fuisse, prout ex sequenti *S. C. Concilii* Responso patet.

Quaesitum namque fuerat: « 1°. Utrum Sacerdos, qui stipendium solito pinguius accepit, possit in gratiam pii operis, alii Sacerdoti ordinarium tantummodo stipendium tradere, retinendo prorsus partem quae taxam ordinariam superavit? – 2°. Utrum idem Sacerdos possit sibi alium sacerdotem substituere, ea lege, ut aliquam partem stipendii ordinarii vel extraordinarii, in gratiam pii operis determinati remittat? – 3°. Et quatenus negative in utroque casu, utrum Sacerdos ita agens ad restitutionem teneatur? – 4°. Utrum Sacerdos petens ab alio hujusmodi condonationem, debeat prius illi stipendium totum tradere? – 5°. Et quatenus affirmative, utrum aliter agens ad restitutionem teneatur? »

Sacra autem Congregatio Concilii, die 29. Augusti 1860. respondit: « *Consulat* (Orator) Theologos, *praesertim S. Alphonsum de Ligorio,* et Benedictum XIV., *eorumque sententiis sese conformet.* » [1]

QUAESTIO III.

An ad valorem Ordinationis, requiratur contactus physicus Instrumentorum.

(S. Alph. Lib. VI. n. 743. — P. Ball. Tom. II. n. 702.)

Respondet S. Alphonsus, Lib. VI. n. 743. dub. 4.: « *Negant* alii, quorum sententiam *merito* putant *probabilem* Salmanticenses et Roncaglia. Ratio, quia humano modo loquendo, hoc ipso quod aliquis rem alteri offerat, et alter significet aliquo sensibili signo, acceptare illam, jam censetur acceptare, esto non tangat. – *Affirmant* vero *cum sententia communiori,* Bonacina, Roncaglia, Viva, Elbel, Mazzotta; et Salmanticenses cum Soto, Aversa et Trullencho; ac Escobar cum Granado, Marchino, etc. Ratio, quia sicut in baptismo, confirmatione, et extrema unctione requiritur, ut suscipiens physice contingat materiam, ita in ordinatione; tum quia talis est usus Ecclesiae: unde praesumitur sic Christus instituisse. Dices: Parvuli non possunt tangere materiam, saltem tactu voluntario, et tamen, si ordinentur, valide ordinantur, ut dicemus n. 782. Sed respondetur, quod parvuli nec etiam contactum moralem possint adhibere; unde recte dicunt Salmanticenses, quod ipsi tantum valide ordinentur, in quantum ordinatio ipsis est voluntaria voluntate Ecclesiae, sicut eisdem est ablutio in baptismo. Et *cum haec sententia sit etiam probabilis, recte dicunt DD. praefati, omnino in praxi tenendam.* – Merito autem dicit Escobar, sufficere quoad valorem, quod materia *una manu* tangatur. Et pariter merito cum communi censent idem Escobar ac Palaus, Croix cum Gobat, et Salmanticenses cum Vasquez, Coninchio, Bonacina et Aversa, sufficere *tactum mediatum,* nempe si contingatur calix, patena aut liber, medio aliquo velo vel chi-

1) Cfr. Ephemer. cui tit. *Revue des sciences ecclés.* 1861. Tom. 3. pag. 272.

» rotheca ; qui enim sic tangit, in » omnium sensu vere tangere dici- » tur. »

P. Gury autem censet, *tutam dicendam esse sententiam negativam,* ex duplici responsione S. C. Rituum. En ejus verba (T. II. n.702. p. 593.):[1] « Dicit *S. Ligorius* n. 743., duplicem » dari sententiam probabilem, et con- » sequenter tutiorem in praxi sequen- » dam esse. Attamen *sententia ne- » gativa tuta dicenda est ex Decis. » S. Cong. Rituum.* Etenim cum Re- » ligiosus quidam Gallus, nomine » Ephrem Chasteau, *neque calicem, » neque patenam* tactu physico in » sua ordinatione ad Presbyteratum » tetigisset, scrupulo motus, casum » S. Cong. Rit. proposuit. Sacra au- » tem Congregatio, ad scrupulum » hunc fratris Ephrem respondit : » *Posse continuare celebrationem » SS. Sacrificii absque ullo scrupu- » lo, ac tuta prorsus conscientia » (3. Decembr. 1661.* in una *Gallia- » rum).* »[2] – Et in adjecta adnotatione, idem *P. Gury* aliam refert hujusmodi recentiorem Decisionem: « Praefata Decisio recentius ab ea- » dem Congr. confirmata est. Etenim, » cum similis casus Romae, pro neo- » sacerdote Collegii Romani S.J. eve- » nisset, P. Perrone, operibus theo- » logicis notissimus, *Sacram Congr. » Rit.* de illo interrogavit; *quae idem » omnino responsum dedit,* ex decla- » ratione authentica jam prius facta, » occasione scrupuli fratris Ephrem; » *die 21. Januarii 1863.* »

Huic sententiae Patris Gury subscribit cl. *Ballerinius:* siquidem nullam adnotationem aut correctionem adjicit. Imo in altera editione, pro textu Patris Gury hanc secundam decisionem referentis, ipsemet brevius sic scribit: « *Et hanc Declara- » tionem S. Congregatio rursus con- » firmavit in* Romana *21. Janua- » rii 1863.* »

At vero nullatenus certum est, *tutam* dicendam esse sententiam *negativam ;* et praefatum Decretum anni 1661. minime. dirimit controversiam inter Theologos agitatam. Etenim 1. P. Gury *minus exacte* refert citatum *Decretum, quod ad aliam potius quaestionem pertinet;* 2. Nullus ex Doctoribus hanc materiam *post annum 1661.* tractantibus, tam S. Alphonso anterioribus, quam coaevis, praefatae Decisionis mentionem facit; imo plures et graves sunt DD., qui sententiam affirmativam omnino tuentur.

Articulus 1.

Perpenditur duplex allegata Decisio S. C. Rituum.

I. Ante omnia inspiciamus genuinum textum citatae Decisionis, de die *3. Decembris 1661.*

1. In authentica Collectione *Gardellinii*[3] legitur: «*2143. Galliarum.* » – Ad *scrupulum* fratris Ephrem » Chasteau, pro-agentis Recollecto- » rum Galliae, nempe se *non teti- » gisse tactu physico Calicem* in sua » ordinatione ad Presbyteratum : – » S. C. respondit: Posse continuare » celebrationem SS. Sacrificii, absque » ullo scrupulo, ac tuta prorsus con- » scientia. Die 3. Decembris 1661. » – Patet igitur, Patrem Gury minus recte allegasse praefatam Decisionem, et proprio marte *patenam* addidisse, dicendo: « neque calicem, *neque patenam* », licet ibidem de *solius calicis omissione* sermo fiat. Nequaquam ergo haec Decisio ad quaestionem spectat, a S. Alphonso in *n. 743.* pertractatam: « An, ad valorem Ordi- » nationis, requiratur contactus *phy- » sicus* instrumentorum »; sed ad

1) In altera edit. pag. 474.

2) Eamdem sententiam propugnat *P. Gury* in opere *Casus conscientiae*, ubi similiter quaestionem proponit: « An requiratur tactus physicus instrumentorum ? » — Et n. 813. respondet: « *Negative. Constat ex decisione S. C. Rit. die 3. Decemb. 1661. Hinc ruit controversia hac de re olim inter Theologos habita.* »

3) Edit. Rom. typis S. C. de Prop. Fide, 1856., Vol. I. pag. 364.

aliam, videlicet: An sufficiat *vel calicem, vel patenam* tangere, utrumve tactus physicus *utriusque instrumenti* requiratur?

2. Porro hanc ultimam quaestionem S. Alphonsus ex parte pertractat, loc. cit. *n. 753.*: « Dubitatur 4. » An valide ordinetur, qui *solum calicem* immediate tangit, sed *non patenam?* - *Prima sententia,* quam » tenent Roncaglia, Croix cum Palao, » Dicastillus et Mazzotta, dicit, hunc » reordinandum sub conditione: tum » quia in Pontificali, ut supra, praescribitur tactus tam calicis, quam » patenae; tum quia tactus patenae » alias tunc esset potius moralis » quam physicus. - *Secunda sententia* vero, quam tenent Palaus, Escobar, Diana cum Bauny et Jo. Petit, » Tamburini cum Vasquez, Valentia, » Hurtado etc., item Coninchius, » Aversa et Trullenchus apud Salmanticenses, dicit, hunc esse valide » ordinatum, quia calix et patena » tunc moraliter faciunt unum. Et » hanc sententiam Praepositus et » Bosco apud Croix vocant moraliter » certam; ego tamen censeo eam tantum probabiliorem, sed *primam* » *non improbabilem, et ideo in praxi tenendam: quapropter dico, sub* » *conditione talem clericum esse* » *reordinandum.* »

3. *Salmanticenses,* [1] a S. Alphonso citati, haec habent: « Rogabis tertio: *An tota materia oblata debeat a suscipiente Ordines contingi?* Respondetur negative. Sed *sufficeret,* si quis ordinandus in Presbyterum contingat *calicem cum patena,* tametsi hostiam non contingat; quia, sicut tangendo calicem, censetur tangere vinum in eo inclusum; sic tangendo patenam, censetur panem contingere, qui in illa continetur. Ita Philibertus, Vasquez, Nunno, Bonacina, Diana, Sanchez, Castropalaus, Aversa, Trullenchus, Sotus. Imo nec patenam esse necessarium contingere, sed *solum calicem,* asserit Villalobos, Coninchius, Ledesma, Diana, Aversa, Trullenchus. Quia, cum patena superposita sit calici, sufficit illum contingere, ut etiam quod super eum est contingatur. Imo addit Aversa, quod sat est attingere pelvim, in qua sunt claves, vel liber Evangeliorum. Nec est necesse utraque manu instrumentum tangere, sed una dumtaxat sufficit. Ita Sanchez, Aversa, D. Antoninus, Sylvester. Imo sufficere, ut extremis digitis talem materiam contingat, ut ait Sanchez, Aversa, Diana et alii. Curandum tamen est ordinando, ut tam calicem quam patenam et hostiam, quo possit melius, contingat, ut sic a dubiis et scrupulis liberetur. Ita Auctores citati. »

4. Dubium autem, an valide ordinetur, qui *solam patenam* immediate tangit, sed non calicem, nec S. A. nec Salmanticenses proponunt; et ratio est, quia, supposita probabilitate sententiae, tactum *physicum* instrumentorum ad valorem Sacramenti requiri, nemo dubitavit, in hoc casu *ordinationem esse iterandam.* Nullum enim Auctorem de hac materia tractantem invenimus, nec inter coaevos S. Alphonsi, nec inter anteriores, qui oppositum affirmaret; et, quod sciamus, nullus existit. - Nec quadrat ratio, quae quoad omissionem tactus patenae adfertur; nam patena superposita sustentatur a calice substrato, sed non vice versa; et qui calicem tenet, tenet et patenam superpositam, sed non vice versa.

5. Ideo unica quaestio est: *An S. Rituum Congregatio definierit, tactum physicum* UTRIUSQUE *instrumenti non requiri,* sed sufficere tactum solius patenae, vel a fortiori solius calicis? - Sed nequidem hoc concedendum est. In citata Resolutione non dicitur, S. Congregationem respondisse ad dubium Fratris Ephrem, qui in ordinatione calicem non tetigerat; sed dicitur, respondisse ad ejusdem scrupulum, *se non tetigisse tactu physico calicem.* Dubitavit ergo

1) Tr. 8. c. 2. punct. 2. n. 21.

Frater Ephrem, *an calicem tetigerit,* aut saltem *rite* et *debito modo* tetigerit. [1] S. Congregatio autem declaravit, hanc suam dubitationem inanem et merum scrupulum esse; et ideo nihil obstare, quominus celebrationem SS. Sacrificii tuta conscientia continuet. – Neminem insuper latet, regulariter ad S. C. *Concilii* spectare, quaestiones circa valorem Sacramentorum, inter Theologos controversas, definire; et ideo jam ex hoc capite praesumi non potest, in hoc casu particulari fuisse intentionem S. *Rituum* Congregationis, definiendi: sententiam, quae physicum instrumentorum tactum requirit, improbabilem esse, nec mereri, ut ipsius ulla ratio habeatur.

6. Attentis hisce rationibus, dicimus, *Ordinationem sub conditione iterandam esse, si Ordinandus calicem non tetigerit:* quoadusque S.R.C. oppositum declaret, aut ex libello supplici Fratris Ephrem probetur, ipsum *certo calicem physice non tetigisse,* et nec de hac re, nec *de debito modo* dubitasse, sed directe vel indirecte quaesiisse, utrum sententia negans, tactum physicum utriusque instrumenti necessario requiri, moraliter certa sit, ita ut quilibet tuta conscientia huic sententiae acquiescere possit.

II. Quoad alteram posteriorem Decisionem S. R. C., diei *21. Januarii 1863.*, a cl. Ballerinio cum P. Gury allegatam, sequentia advertimus. Ista Decisio non reperitur, nec in triplici Appendice ad Gardellinium nuper evulgata, nec in Regestis S. R. Congregationis: unde conjicere licet, cl. Patrem Perrone nonnisi oretenus S. Congregationem de isto casu interrogasse. Cum autem de simili casu sermo sit, similiter concludendum est, S. Congregationem definitionem quaestionis inter Theologos controversae non intendisse.

Articulus 2.

Exponuntur sententiae Doctorum.

I. Utrum *Traditio* instrumentorum materia *essentialis* sit, Doctores dissentiunt. Sententia *communior affirmat;* altera negat, et tenet, traditionem instrumentorum *integralem* tantum materiam et de necessitate praecepti esse, sed *non de necessitate Sacramenti.* Attamen etiam hujus sententiae patroni concedunt, *in praxi* oppositam, utpote tutiorem, amplectendam esse.

1. Ita *Juenin:* [2] « Verum in praxi, praeter impositionem manuum et orationem, adhibendi sunt quoque alii ritus, in quibus plures Scholastici constituunt Episcopatus, Presbyteratus et Diaconatus materiam et for-

1) Quoad ejusmodi dubitationes, *Busembaum* a S. Alphonso in *num. 757.* citatus, dicit: « Quando dubium occurrit, an ordo sit vere collatus, v. gr. quia materia fuit dubia, iterari » potest et debet sub conditione. Quando vero sunt rationes utrinque probabiles pro nul- » litate et validitate, ait Diana ex *Granado,* posse iterari sub conditione; imo debere, si sit » episcopalis vel sacerdotalis, v. gr. si Sacerdos vel Episcopus non tetigisset vasa sacra, » aut illud instrumentum, in cujus porrectione imprimitur character. Excipit tamen Sacer- » dotem, qui immediate tetigit patenam, sed non hostiam. Eum vero qui non tetigit calicem » et patenam, dum forma proferebatur, sed paulo post, posse quidem ad majorem animi » sui quietem, sub conditione iterum ordinari, non tamen esse necessarium, docet Lugo. » Recte autem notat Diana, etiamsi quis timeat ne invalide ordinatus sit, aut non recor- » detur se tetigisse vasa sacra, aut non tetigisse imaginetur, non illico iterandum esse » ordinem, cum sola oblivio vel timor non sufficiat ad prudens ac rationabile dubium vel » probabilitatem. »

Granadus autem modo allegatus, *Controv. 9. tr. 1. disp. 6. n. 3.* dicit: « Tertio notandum est, oportere in hac re distinguere nimium timorem a vero dubio, aut opinione: non enim quia quis timet, num ordinatus sit, aut praecise, quia non recordatur tetigisse vasa sacra, aut non tetigisse imaginatur, illico Ordo iterandus est. Sola enim oblivio, aut solus timor non est sufficiens ad verum dubium aut probabilitatem; multa enim obliviscimur, quae vere fecimus, et timor ipse, et nimia sollicitudo tangendi instrumenta, in quorum porrectione imprimitur character, faciunt videri oblivioni traditum, quod revera memoramur. »

2) Instit. theol. P. 8. diss. 7. q. 2.

mam. Ratio est, quia, licet sententia, quam defendimus, sit multo probabilior contraria, cum Ordinibus hierarchicis easdem in specie tribuat materias et formas, quas per mille priores annos Ecclesia ubique tribuit; tamen opinio, quae *porrectionem instrumentorum* adjungit impositioni manuum, *tutior est;* ac proinde, donec Ecclesia de hoc argumento aliquid specialius definierit, est *in praxi servanda,* cum (ex Innocentio Papa XI.) in sacramentis conficiendis aut conferendis, minister teneatur sequi opinionem tutiorem, relicta etiam probabiliore, quae minus sit tuta. »

2. Similiter *Tournely:* [1] « Ne quis vero hac sententiarum varietate turbetur, et anxius sit circa veritatem collatae Ordinationis, necesse est, ut *in praxi* ea omnia sedulo et rite observentur, quae praescribit Ecclesiae usus; et si quid omissum forte fuerit, illud caute et prudenter suppleatur, *seposita illa sententiarum varietate,* quam ad exercitium scholae divina permisit Providentia, cui visum non est rem enucleatius nobis aperire. Ità facile omnis animorum scrupulus et anxietas sedabitur. »

3. Item *Concina:* [2] « Inter sententias istas oppositas ea mihi est probabilior, quae docet, manuum impositionem esse materiam essentialem, et orationem eidem adjunctam esse formam. *Instrumentorum porrectio* cum verbis eidem adjunctis adhibetur et *prorsus adhibenda est* ut pars integralis, non essentialis Sacramenti Ordinis.... Caeterum *ea omnia in praxi ad amussim servanda sunt,* quae Ecclesiae ritus praescribit; quoniam Ecclesiam dirigi a Spiritu Sancto in fidelium regimine, et in Sacramentis definiendis perficiendisque, certum est. »

Et in fine subjungit: « Disputant Theologi, utrum necesse sit *tangere singulas materiae partes,* puta calicem, patenam, etc., et an iste contactus debeat esse *physicus,* vel sufficiat moralis. Quoad primam quaestionis partem plures contendunt, sat esse tangere aliquam materiae partem, ut solum calicem, aut patenam, etc. Quoad secundam, *communior et vera sententia* docet, tangendum esse *physice* et immediate *tum calicem, tum patenam,* etc.; et haec sententia, utpote tutior, *amplectenda est.* Quare ad evitandas in hac controversia omnes anxietates et dissidia, ea omnia sicuti modo dixi, exacte in praxi servanda sunt, quae Ecclesiae ritus servanda praescribit. » — In quantum autem Concina dicit, plures Thh. contendere, sat esse, tangere calicem *aut patenam,* fallitur; ut jam supra innuimus.

II. Ad *Tactum* vero instrumentorum quod attinet, aliqui Auctores expressis verbis docent, Ordinationem dubiam esse, si ordinandus *calicem et patenam physice* non tetigerat, et ideo sub conditione iterandam. — Alii indistincte dicunt, certum aut saltem probabile esse, ad valorem Sacramenti *tactum physicum instrumentorum* requiri. Cumque in plurali loquantur et nihil addant, utrumque instrumentum, tam patenam quam calicem intelligunt, et ideo idem sentiunt. — Alii demum quaestionem proponunt: An Ordinatio sit valida, si ordinandus *calicem physice* tetigerat, sed *non patenam* superpositam? Et quidem alii negative respondent, aut saltem sententiam negativam probabilem censent; et ideo a fortiori tenent, Ordinationem iterandam esse, si ordinandus solam patenam, sed non calicem tetigerat. Alii vero pro certo habent, Ordinationem validam esse; verumtamen alterum casum de *calice* non proponunt; quem ideo citra omnem controversiam positum existimant. Secus enim hunc casum, tamquam potiorem, qui alterum de patena per se implicat, aut utrumque casum, aut generatim quaestionem propo-

1) De Sacr. Ord. q. 3. concl. 2. in fine. — 2) De Sacr. Ord. c. 3. n. 4. et seqq.

nere debuissent, an sufficiat ad valorem Sacramenti, *alterutrum* instrumentum physice tangere.

Aliquos saltem Auctores allegabimus, coaevos S. Alphonsi, qui *saeculo 18.* scripserunt, *nullam autem Decisionis de a. 1661. mentionem faciunt.*

1. *Roncaglia* [1] dicit: « Jam probabilis videbatur opinio, qua dicebatur sufficere, si Ordinandus non physice sed moraliter tangeret materiam; quia per ipsius exhibitionem factam ab Ordinante, et per signum acceptationis factum ab Ordinando, sufficienter demonstrari videbatur spiritualis potestas, quae illi confertur. – Nihilominus *omnino modo dicendum est, intervenire debere physicum contactum materiae;* quia ex condemnatione primae propositionis facta ab Innocentio XI., habemus, illicite nos sequi in materia Sacramentorum opiniones probabiles, relicta tutiore. Requiri autem hunc physicum contactum, docent plures Theologi cum S. Thoma, [2] eo innixi fundamento, quod non solum ita ferat Ecclesiae consuetudo; sed etiam, quia dum Minister illis formae verbis dicit: *Accipe,* etc., praecipit Ordinando actu tangere externum symbolum, seu materiam, quae illi porrigitur. – Si proinde quis in sua Ordinatione non tetigerit calicem, in quo sit vinum, *unaque patenam,* in qua sit hostia, cum dubium sit, an valide collatus fuerit Ordo Presbyteratus, eo quia non intervenerit omnis contactus physicus, qui a sententia tutiore in ordinatione Presbyteri desideratur, esset hujusmodi Ordo *sub conditione iterandus* ad vitanda tot pericula et mala, quae sequerentur, si non fuisset valide ordinatus. Diana [3] et *communiter.* – Idem cum aliis docet (res. 16.) de eo, qui tetigisset, postquam fuit forma prolata; nam cum jam pertransierit, non potest certo affirmari formam cecidisse supra materiam seu contactum. Hic etiam advertendum, dubium esse, an calix, in quo non esset vinum, sit materia sufficiens Presbyteratus, adeoque iterum sub conditione conferendus esset, quoties collatus esset cum calice vacuo. »

2. *Viva, S. J.,* [4] item scribit: « Ambigitur: utrum debeat ordo Presbyteratus iterum sub conditione conferri Ordinato, qui dubitat, an valide illum susceperit? Ad hoc dicendum, quod si dubium sit prudens et rationabile, procul dubio debeat sic iterari, ne Sacrificia, absolutiones et aliae Sacerdotis functiones periculo frustrationis exponantur. Hac de causa, minus dubium sufficit, ut Ordo Presbyteratus iteretur, quam alii Ordines; sicut diximus, minus dubium sufficere, ut iterari debeat sub conditione Baptismus, quam Confirmatio. Notandum tamen, quod saepissime Ordinati irrationabiliter dubitant; in quo casu, debent deponere conscientiam dubiam, et nullatenus audiri: ut, quando dubitant, an intentio actualis virtualiter perseverarit usque ad Ordinis susceptionem? Vel, num altero tantum, an utroque digito cuppam Calicis, vel hostiam tetigerint? Vel, num Episcopus semidormiens, ac sine intentione Ordines contulerit? – Quod si rationabile sit dubium, sive juris (videlicet, num satis fuerit contactus moralis instrumentorum, vel traditio instrumenti facta ab Episcopo per suum ministrum, etc.); sive facti, videlicet, *an re vera physice instrumenta tetigerit,* vel an immediate Episcopus ea instrumenta tradiderit Ordinando, *certe iterari debet sub conditione* Sacramentum: secreto tamen, ut notat Aversa, ad vitandum scandalum. »

3. *Schmalzgrueber, S. J.,* [5] quaestionem ponit: « *An necessarius sit contactus physicus materiae ab Ordinante traditae?* » et praemittit,

1) Tr. 20. q. 2. c. 1. quaer. 5. — 2) In 4. d. 24. q. 1. art. 1. q. 5. ad 3. — 3) Tom. 2. tr. 5. res. 11. — 4) Opusc. mor. II. q. 7. art. 1. n. 7. — 5) Lib. 1. tit. 11. n. 7.

quae ex sua sententia sunt *certa*, videlicet: 1°. Non opus esse tangere hostiam immediate. 2°. Non requiri contactum eo puncto, quo verba ab Episcopo proferuntur. 3.° Ad valorem Sacramenti, non requiri contactum materiae immediatum, sed sufficere mediatum, ut si quis *calicem* tangat, *et, mediante isto, patenam superpositam;* quia moraliter et in aestimatione hominum, etiam istam tangere dicitur. – Cum ergo Schmalzgrueber Ordinationem eo solo casu pro certo valida habet, quo, mediante calice, patena superposita tangitur, eo ipso eam dubiam censet, si *sola patena,* sed *non calix* tangitur.

Et exposita sententia, nullum contactum physicum ad valorem Sacramenti requiri, sed sufficere moralem, dicit: « *Sed verior est sententia communis DD.* cum S. Thoma, [1] juxta quam ad valorem Ordinationis requiritur contactus instrumenti traditi *physicus.* Ratio unica, eaque solida est: quia Christus poterat ita hoc Sacramentum instituere, ut non possit conferri valide sine contactu symboli: quod autem illud sic instituerit, suadet Ecclesiae praxis, et tum ordinantium, tum ordinandorum de praedicto contactu praestando sollicitudo. Idque indicant verba ab Episcopo prolata: *Accipe potestatem,* etc. tradito ejus symbolo; traditio enim symboli indicat, symbolum ab ordinando physice debere accipi, sicut realiter accipitur potestas illo symbolo communicata. Hinc merito Clemens VIII. jussit reordinari saltem sub conditione eos, qui a Sagiensi Episcopo, ostensa tantum sibi materia, fuerint ordinati, ut ex Ysamberto refert König. »

4. *Mazzotta, S. J.,* [2] item ait: « Quaeres primo: An ad valorem Ordinationis requiratur contactus *physicus?* Respondeo: *Affirmative cum communi...* Hinc, utut probabilis sit sententia opposita, non tamen practice; secus enim reiterari debet ordinatio sub conditione. » – Addit tamen, certo valere ordinationem, si ordinandus medio aliquo panno, velo, etc., vel una tantum manu, vel uno tantum digito tangat.

Deinde sic pergit: « Quaeres secundo: An ad valorem ordinationis, requiratur contactus physicus et realis *cujusvis* materiae? » Et respondet: 1°. *Certo valere* ordinationem, si ordinandus tangat *calicem et patenam,* sed *non hostiam,* et ideo non debere reordinari. 2°. Idem communiter dicunt DD., si tangat *calicem et hostiam,* non autem patenam. Contradicunt autem aliqui apud Lacroix, qui ideo concludit, valde consultum esse, ut Ordinatio sub conditione iteretur. 3°. Si tangas *solum calicem,* cui patena cum hostia superposita est. Praepositus, Bosco et alii dicunt, certam esse ordinationem; sed Diana, Palaus et alii negant, esse certum, ideoque Dicastillo dicit, *in praxi reordinandum esse sub conditione,* et ita tenendum. – De altero casu autem, si *patena,* sed *non calix* tangitur, nihil habet, et ideo a fortiori idem tenet.

5. Similiter *Elbel:* [3] « *Probabilius* requiritur necessario, etiam necessitate Sacramenti, *contactus physicus;* etsi speculative loquendo, aliqui putent sufficere contactum moralem. Ratio autem nostrae responsionis est haec: *quia traditio et acceptatio sunt correlativa:* ergo, quemadmodum requiritur traditio physica ex parte Episcopi ordinantis; ita et physica acceptatio seu tactus ex parte Ordinati, sine quo non videtur practice satis verificari ly *accipe.* (*Babenstuber* De Ord. disp. 11. art. 3. n. 20.) Quod vel ex eo etiam confirmari potest: quia in aliis Sacramentis, in usu consistentibus, necessaria est physica applicatio materiae: ergo et in hoc. Castropalaus, tr. 27.; Bonacina, disp. 8. »

1) In 4. dist. 24. q. 1. art. 1. q. 5. ad 3.— 2) De Ord. c. 1. §. 1. n. 9.— 3) Theol. sacra (edit. 5. ab auctore revisa, 1750.) conf. 21. n. 18.

6. *Wigandt:* [1] « *Probabilior* et *tutior* sententia docet, quod non sufficiat moralis contactus materiae, sed requiratur *physicus.* Ita *S. Thomas* hic q. 34. art. 5. ad 3. dicens: Porrectio materiae magis est de essentia Sacramenti quam tactus; tamen ipsa verba formae videntur ostendere, quod tactus materiae sit de essentia Sacramenti, quia dicitur: Accipe hoc vel illud. »

7. *Eusebius Amort* [2] scribit: « Quaeritur: An requiratur attactus physicus instrumentorum ad valorem Ordinationis? Respondeo. Juxta *communiorem* Theologorum, requiritur attactus *physicus.* Hinc, si per incuriam fuisset omissus, deberet sub conditione suppleri essentialis materia et forma Presbyteratus: ne tot consecrationes et absolutiones exponantur periculo nullitatis, cum grandi periculo animarum. »

8. Idem sentit *Croix, S. J.,* [3] dicens: « *Practice improbabiles* sunt sequentes sententiae ... 5. Quod ad valorem Ordinum, *non requiratur contactus physicus,* saltem mediatus, vasorum, seu instrumentorum, etc. Ratio horum omnium est, quia sententiae negantes talia requiri ad valorem, non sunt moraliter certae, sed tantum probabiles; oppositae autem sunt tutiores; ergo non licet, his relictis, sequi illas ... »

9. Huic sententiae plenissime suffragatur *Lucius Ferraris* dicens: [4] « Hinc recte universim concludit doctissimus *P. Lacroix,* quod *practice improbabiles* sunt sequentes sententiae: ... *Quod ad valorem Ordinum...* » (Sequitur textus P. Croix modo citatus). – Et paulo superius [5] jam dixerat: « *Affirmativam,* quam nos sequimur sententiam, nempe contactum *physicum* et realem, saltem mediatum, requiri ad essentiam et valorem Ordinis, et neque sufficere contactum moralem, defendunt S. Thomas, Pontas, Paludanus, Sylvester, Angelus, Cajetanus, Viguerus, Mastrius cum aliis ibi citatis: Felix Potestas, Matthaeuccius, Coninchius, Valentia, Busembaum, Lacroix cum aliis ibi citatis; Henno, Bonacina, testans de *communi* contra supra citatos. – Et ratio est, quia juxta communem et usitatam significationem verborum formae: *Accipe,* etc., requiritur, ut is qui dicitur accipere, ad minimum tangat rem oblatam; tum quia Pontificale Romanum in rubric. *De Episcopo consecrante,* sic expresse habet: « Moneat ordinandos, ut instrumenta, in quibus character imprimitur, tangant »; ut advertit *Fagnanus,* quod ex perpetua Ecclesiae praxi ab omnibus Episcopis observatur, sollicite requirendo, ut ab omnibus ordinandis, vere, physice et realiter tangatur materia tradita: quae praxis, per traditionem ex Christi institutione profecta esse videtur. Tum etiam, quia in quolibet Sacramento habente materiam, necesse est, ut suscipiens contingat illam, sicuti patet in baptismo, confirmatione et aliis. » – Objectiones adversariorum simul diffuse refellit, et *Mastrium* [6] citat, qui refert, Clementem VIII. aliquos, omisso tactu physico, ab Episcopo Sagiensi ordinatos, sub conditione reordinari praecepisse.

10. *Billuart* [7] quaestionem ponit: « Qualis contactus materiae sit necessarius, tum in Presbyteratu, tum in aliis Ordinibus? » Et respondet: « Juxta quosdam sufficere moralem, v. gr. extensionem manus versus instrumenta; alii *tutius* requirunt *physicum,* saltem mediatum, ad quam sententiam inclinat S. Thomas. [8] Idque videtur probare Episcoporum sollicitudo, ut materia physice tangatur, unde eruitur *intentio Ecclesiae* sic materiam determinantis in specie. Hinc sequitur, aliter ordina-

1) Tribunal confess. et ordinand. (edit. an. 1702.) Tr. 15. examen 2. q. 2. n. 10. — 2) De Ord. s. 19. n. 4. — 3) Lib. 6. part. 2. n. 2148. — 4) V. *Ordo,* art. 1. n. 67. — 5) Ibid., n. 56. — 6) Theol. mor. disp. 19. n. 26. — 7) Summa Summae S. Thomae (cfr. edit. Rom. 1834.) tom. 4. r. de sacr. Ord. diss. 1. art. 3. petes 2. — 8) In 4. dist. 24. q. 34. art. 5. ad 3.

tum esse *saltem sub conditione reordinandum.* - Dixi : *saltem mediatum,* quia probabile est, licet non certum, [1] quod sufficiat tangere materiam mediante velo vel chirotheca. Indubium autem est, quod sufficiat tangere mediante suo continente, vinum mediante calice, panem mediante patena; quia illud vere dicitur tangi, quod tangitur in suo continente. »

11. Eamdem sententiam tenet *Cuniliati* [2] scribens: « Materia, quae in ordinationibus tangenda exhibetur ab Episcopo, debet ab Ordinandis tangi *tactu physico;* eo quod tactus physicus sit conformior naturae Sacramentorum, quae consistere debent in aliquo sensibili; tum quia haec sententia sit *communior et probabilior, et in praxi tenenda:* quandoquidem agitur de re spectante ad valorem Sacramenti. »

12. *Felix Potestas* [3] similiter scribit: « Ad valorem non sufficit contactus moralis materiae, qualis est, si ordinatus aliquo gestu corporis, v. gr. manus extensione significaret se materiam, quam Episcopus offert et tradit, acceptare, ut putant nonnulli; sed *requiritur contactus physicus*... Sed sufficit levis et brevis; imo sufficit, si una manu aut digito tangas... »

13. Eamdem sententiam tenet *Habert,* [4] dicens: « Graves Theologi... censent satis esse, si materia tangatur in aliqua sui parte; quia in rubrica Pontificalis Romani dicitur, Pontificem tradere singulis ad Subdiaconatum initiandis calicem vacuum, patena vacua superposita, quem *successive singuli tangunt;* ergo cum pronomen *quem* referatur ad solum calicem, necesse non est, ut physice tangatur patena... Nihilominus, quia in usu Sacramentorum non licet sequi opiniones incertas, *relicta tutiore,* in praxi omnino singulas partes contingere oportet. »

14. *P. Ildephonsus Manrique,* Ord. Praed., in opere Cardinalibus S. Congr. S. Officii dicato, [5] expresse ait: « Dico 3. *De essentia et necessitate* hujus Sacramenti est, ut in unaquaque Ordinatione *tangatur materia physice,* ab Episcopo porrecta; quia, si non tangitur, nec suscipitur Sacramentum, nec fit impressio characteris, quae fit in ipso attactu et prolatione formae: ut dicunt Doctores cum Isamberto, qui etiam dicit, esse de necessitate praecepti, quod variis argumentis probat. »

15. *Matthaeucci* [6] quaerit: « Quaenam sit materia Sacramenti Ordinis? » Et respondet: « Remota est instrumentum, quod ordinatis tangendum traditur; proxima vero est traditio et acceptatio talis instrumenti. *Materia debet physice tangi,* et non sufficit contactus moralis, quo quis, v. g. manum extendat et appropinquet instrumento, et non tangat illud. »

16. Idem tenet *Antoine, S. J.,* [7] dicens: « Quamvis multi putent, sufficere contactum moralem patenae, quo quis calicem tangens censetur et patenam superpositam tangere; tamen, quia hoc non est omnino certum, in praxi curandum est ut semper immediate ac *physice tangantur et calix et patena* cum hostia. Item die de aliis; nam circa Sacramentorum valorem *tenemur sequi in praxi partem tutiorem, relicta incerta, licet probabiliore.* »

17. Demum (ne plures alios afferamus), apud *Continuat. Sporeri* [8] legitur: « Probabilissimum est, nullum plane contactum requiri ad valorem et essentiam Sacramenti, in collatione seu receptione cujuscumque Ordinis. » Quod variis argumentis probat; at vero addens: « Sed sat superque *speculationi* datum.

1) Id tamen tenendum censet S. Alphonsus in fine n. 743. supra allegati (pag. 388.). — 2) Tr. 14. c. 6. §. 1. n. 5.— 3) Exam. eccles. de Sacr. Ord. c. 1. n. 135. — 4) De Sacr. Ord. p. 1. c. 7. q. 4.— 5) Univers. mor. Theol. summaria Collectio (Venetiis 1726.), part. 2. c. 8. §. 2. in fine.— 6) Cautela Confessarii, lib. 4. de Sacr. c. 7. n. 13.— 7) Theol. mor. (Romae 1748.), de Ord. q. 4.— 8) Theol. mor. cum supplem. P. Kiliani Kazenberger, T. 3. p. 1. c. 5. sect. 3. §. 2. n. 35. 36.

Jam ad praxim. » – Unde sic pergit: « *Certissimum est,* contactum physicum materiae in hoc Sacramento esse et optimum, ac securissimum, et *omnino etiam necessarium necessitate praecepti Ecclesiastici, cui omnino obtemperandum est...* Nam authoritas tam gravium DD. *contactum physicum* ad valorem requirentium utique reddit sententiam illam valde probabilem; atqui in administratione Sacramentorum *quoad essentialia oportet sequi opinionem tutiorem.* Hinc ulterius talis Ordinatio, saltem Presbyteri, facta sine contactu physico materiae, *necessario sub conditione repetenda foret...*» Ac demum concludit: « Jam posito, etiam *contactum physicum esse de necessitate Sacramenti Ordinis,* ulterius dicendum... »

18. Accedit testimonium saltem indirectum *Benedicti XIV.*, qui in opere: *De Synodo dioecesana,* lib. 8. cap. 10., ubi de controversiis circa materiam et formam Sacramenti Ordinis agit, *n. 1.* haec habet: « Si Episcopus velit, in sua Synodo, peculiariter disserere de singulis Ordinibus, quod a plerisque ad Ordinandorum instructionem prudenter factitatum comperimus, diligenter curet, ut omnia adamussim iis respondeant, quae de iisdem Ordinibus a Catechismo Romano traduntur; atque omnino declinet quaestiones in Scholis agitatas, maxime circa materiam et formam trium hierarchicorum Ordinum: ne secus in ea se conjiciat difficultatum dumeta, a quibus vix possit explicari. – Quod, ne perperam a nobis monitum videatur, ad rem facientem quaestionem subnectimus, de qua, priusquam huic operi extremam manum admoveremus, fuit in S. Congregatione Concilii disceptatum. Quidam Sacerdotio initiandus, etsi omnes consuetas manuum impositiones ab Episcopo accepisset, ad Episcopum tamen, solita patenae cum hostia et calicis cum vino instrumenta porrigentem, ad alia tunc temporis distractus, non accessit. Re postea detecta, quid facto opus esset, dubitatum, atque a S. Congregatione petitum est. Difficultatis decisio ab illa pendebat gravissima controversia, inter Theologos agitata, circa materiam et formam ordinis Presbyteratus. » – Et exposita hac controversia, ad casum propositum revertens, *n. 13.* refert, S. Congregationem rescripsisse, totam Ordinationem sub conditione iterandam esse.

Utique iste Diaconus nequidem accessit, et ideo nec calicem nec patenam tetigit; verumtamen, si doctissimus Pontifex existimasset, jam definitum esse a S. Rituum Congregatione, ad valorem Sacramenti sufficere tactum physicum solius patenae, et ideo a fortiori solius calicis, certo certius advertere non omisisset, in hoc casu omnem dubitationem esse deponendam. Alium enim scopum non habuit, quam praecise explicare, quid, quoad materiam et formam Sacramenti, certum, et quid dubium atque controversum sit, et ideo in praxim deduci nequeat.

19. Novissime quidem *Scavini* [1] praefatam Decisionem S. Rituum C. de anno 1661. allegavit; nihilominus autem praesentem controversiam nondum definitam esse censuit. Siquidem, non obstante hac Resolutione, quaerit: « An, ad valorem sacrae Ordinationis, requiratur *tactus physicus* instrumentorum? » Et respondet: « Alii negant probabiliter... At *communius affirmant...* »

EX PRAEMISSIS ITAQUE CONCLUDIMUS:

1. *Communissima* est Doctorum sententia, Ordinationem *dubiam* esse ac proinde sub conditione iterandam, si ordinandus *patenam* tantum, sed *non calicem* tetigerit. Quinimo nul-

1) Theol. mor. edit. 10. Mediolan. 1865. Tom. 3. pag. 565. n. 706.

lus reperitur, qui expressis verbis oppositum doceret; cum etiam illi, qui negant, traditionem instrumentorum materiam essentialem esse, fateantur, in praxi tutius esse amplectendum.

2. Si ergo S. Rituum C. anno 1661. definiisset, Ordinationem, utpote certe validam, non esse iterandam, eadem S. C. non tantum communissimam Doctorum sententiam rejecisset, sed eam tamquam merum scrupulum contemnendam esse declarasset; quod ab omni verisimili abhorret. Porro verisimile non est, omnes Doctores, qui *post annum 1661.* hanc materiam pertractarunt, praefatam Decisionem ignorasse; unde dicendum est, plures saltem eam pro responsione *in casu particulari,* non autem pro definitione generali habuisse.

3. Confirmatur ergo hisce rationibus assertio nostra, quaestionem propositam nondum esse definitam, et ideo *in praxi sententiam tutiorem esse tenendam,* quoadusque S. Rituum aut Concilii Congregatio contrarium tenendum esse declaret.

PARS QUINTA

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

QUAESTIO I.

Ex quo motivo debeat elici actus perfectae Contritionis.

(S. Alph. Lib. VI. n. 436. — P. Ball. Tom. I. n. 217. et II. n. 441.)

Cl. Ballerinius, de charitate erga Deum loquens, in haec verba Patris *Gury* T. I. n. 217. pag. 198.: [1] « Objectum formale charitatis est bonitas divina », sequentem adnotationem adjecit : « Quaestiones hic quidam » movent (Vid. *S. Lig. lib. 6. n. 436.*), » num formale charitatis objectum » sit etiam bonitas, quae in quovis » divino attributo, v. g. misericordiae, justitiae, sapientiae, etc. elucescit, an vero solum bonitas, quatenus haec omnes Dei perfectiones complectitur : primam autem sententiam exhibent tamquam minus probabilem, et communiter a DD. rejectam. Verum haec non debentur nisi cuidam aequivocationi. Nam opinio, quae communiter rejicitur, non ea est quam diximus, » sed quae contritionem, non ex charitatis, sed ex obedientiae, religionis, etc. motivo elicitam, habet » ceu *perfectam,* atque adeo aptam » ad hominem ante susceptionem Sacramenti justificandum. Qua de re » vide Card. de Lugo *De Poenit. » disp. 5. sect. 1.* »

Postea vero, de ipsa contritione perfecta agens, cl. Professor primo textum *P. Gury* praemittit, qui, T. II. n. 441. pag. 324. [2] haec dicit : « Contritio duplex distinguitur: 1° *Perfecta,* quae est detestatio peccati, orta ex motivo speciali charitatis perfectae, seu bonitatis Dei propter se summe dilecti. » – Ad quem textum adnotat P. Ballerini: « Opi- » nati sunt nonnulli (vid. *S. Alphon.* » lib. 6. n. 436., et Scavini, tr. 1. » disp. 1. cap. 2. art. 1. §. 1. q. 1.), » ad perfectam contritionem *proba- » bilius* non sufficere, ut eliciatur ex » motivo *alicujus* tantum attributi » divini, sed requiri, ut procedat ex » motivo offensae divinae bonitatis, » quatenus haec bonitas omnes Dei » perfectiones complectitur. *Quam » quidem opinionem tribuunt Card. » De Lugo, Suarezio, Vasquezio, etc. » – Verum auctoritas, e qua totum » hujus opinionis robur existit, pe- » nitus deficit.* Allegati enim DD. » non disputant, num contritionis motivum ex aggregato divinarum perfectionum peti potius debeat, quam » ex peculiari aliqua Dei perfectione; » sed utrum ad perfectam contritio- » nem sufficiat motivum alterius virtutis, praeter charitatem, v. g. si » dolor sit (ut ait *Suarez,* de Poenit. » disp. 2. sect. 3. n. 4., et disp. 4. » sect. 2. n. 13.) ex motivo *obedien- » tiae,* vel *religionis,* vel *poeniten-*

1) In altera edit. pag. 153. — 2) Ibid. pag. 258.

» *tiae,* vel *gratitudinis,* etc.; quia » nempe, ut ait *Lugo* (De Poenit. » disp. 5. n. 3.) peccatum est contra » ejus *praeceptum,* cui obedire tene- » mur, vel contra ejus *cultum,* etc. » Quarum virtutum motivum *for-* » *male,* uti patet, a motivo charita- » tis diversum est. – Caeterum, cum » formale objectum charitatis sit » summa Dei excellentia atque infi- » nita perfectio, propter quam super » omnia diligendus est amore *appre-* » *tiativo;* haec autem infinita per- » fectio ac summi boni excellentia in » singulis eluceat attributis; merito » proinde *Ripalda* (De virt. theol. » disp. 35. sect. 1.) cum communi » Theologorum, quos (ibid. n. 4.) al- » legat, thesim statuit: « Objectum » formale charitatis est bonitas di- » vina, prout naturae Dei, et attri- » butis communis et propria.» Quod » brevius expressit S. Thomas (de » virt. q. 2. art. 4. ad 5.) dicens, ejus- » modi objectum esse *bonum divi-* » *num.*

» Praetereundum vero hic non est, » objecta aliarum, quas diximus, vir- » tutum, obedientiae scilicet, grati- » tudinis, religionis, etc., sin minus » perfectae contritionis, imperfectae » certo motivum esse aptissimum; » imo facili negotio poenitentes hac » via pertrahi ad motivum perfectae » charitatis posse. Si enim simul cum » motivo obedientiae, vel religionis, » justitiae, etc. addatur consideratio » infinitae excellentiae Dei, cui aut » illata injuria, aut negata obedien- » tia fuit, aut cultus demptus, fa- » cillime ad perfectionem charitatis » devenietur. Et haec quidem ad ma- » num confessario sint oportet, ut » opportune poenitentes ad perfectio- » ra provehendi facilis ipsi ratio sup- » petat. »

Ut his quae a cl. Ballerinio objecta sunt, rite respondeatur, 1. Exponemus *S. Alphonsi* doctrinam; 2. Textus adferemus eorum *Auctorum,* quos S. Doctor pro ea allegat; 3. Eosdem *recte allegatos* fuisse demonstrabimus.

Articulus 1.

Exponitur S. Alphonsi doctrina.

1. S. Doctor Lib. VI. n. 436. scribit: « Quaeritur 2. *Ex quo motivo* » *debeat elici actus perfectae con-* » *tritionis?* - *Prima sententia,* quam » tenent plures, dicit, posse elici *ex* » *motivo cujuscumque attributi di-* » *vini offensi,* justitiae, sapientiae, » misericordiae, etc. Et merito hanc » *probabilem* putant *Suarez* [1] et *Lu-* » *go.* [2] Ratio, quia ille qui diligit » divinam justitiam vel misericor- » diam propter Deum, jam Deum di- » ligit, cum misericordia et justitia » divina sint ipse Deus; ergo qui » dolet de peccato, ob Dei misericor- » diam vel justitiam offensam, non » jam ex motivo concupiscentiae, sed » propter Deum dolet. – *Secunda* » *sententia* vero *communis et pro-* » *babilior,* quam tenent Suarez, [3] » Vasquez [4] (qui vocat oppositam er- » roneam), et Croix cum Arriaga, » Dicastillo, et aliis passim, docet, » contritionem debere omnino pro- » cedere *ex solo motivo charitatis,* » nempe *divinae bonitatis offensae,* » *quatenus haec complectitur omnes* » *Dei perfectiones.* Ratio, quia ex » Tridentino, sess. 14. cap. 4. requi- » ritur, ut contritio sit charitate » perfecta, id est informata; objec- » tum autem *charitatis,* ut commu- » niter docent DD., utque diximus » lib. II. n. 24. v. *Objectum,* est » *Deus, quatenus est infinita boni-* » *tas,* nempe radix et aggregatio » omnium perfectionum. »

2. Subjungimus, quae S. Doctor hac ratione dicit in cit. Lib. II. n. 24.: « Objectum formale (charitatis) est » Deus, quatenus est infinita bonitas, » prout est aggregatio omnium per- » fectionum, sive infinita perfectio, » ut ait Tournely. Sed *Gonet* censet,

1) Disp. 4. sect. 2. num. 13. — 2) Disp. 5. num. 4. — 3) Loc. cit. — 4) Quaest. 85. art. 2 num. 45.

» objectum formale charitatis esse » *divinae naturae bonitatem, prout* » *est radix cunctarum perfectio-* » *num, sed virtualiter distincta a* » *perfectionibus.* Boyvin autem dicit, » esse quamlibet perfectionem divi- » nam, propter quam Deus diligitur.»

3. *Gonet* autem hic citatus dicit: [1] « Suppono tanquam certum, objectum formale charitatis esse bonitatem divinam, non prout nobis bonam et commodam, sed prout bonam Deo, ipsique convenientem..... Haec sunt certa et indubitata apud omnes. Sed cum divina bonitas tripliciter possit usurpari, nempe: pro bonitate solius naturae divinae, ut ab attributis virtualiter distinctae; vel pro bonitate divina, omnem Dei perfectionem transcendente; vel etiam pro bonitate divina, ut analogice communi divinae per essentiam, quae in solo Deo reperitur, et divinae per participationem, quae in creaturis relucet: juxta triplicem illam divinae bonitatis acceptionem, triplex, circa propositam difficultatem, circumfertur opinio. – Prima docet, objectum formale charitatis esse bonitatem divinam, prout analogice communem divinae per essentiam, et divinae per participationem. Secunda, bonitatem divinam, ut per transcendentiam, divinae naturae, attributis et relationibus communem, pro objecto formali et specificativo charitatis assignat. Tertia vero contendit, ejus objectum formale esse bonitatem solius naturae Dei, ut ab attributis et relationibus virtualiter distinctae; relationes vero et attributa esse modos, aut complementa illius. – Primus dicendi modus est Suarii, hic, [2] quem plures ex Recentioribus sequuntur. Secundus, Granadi et Hurtado, quibus favet Cajetanus, hic art. 4., ubi insinuare videtur, bonitatem Dei prout coalescentem ex omni perfectione divina, esse objectum formale charitatis. Tertius vero docetur communiter a Thomistis. »

4. Ex adducta modo doctrina S. Alphonsi patet, ipsum non negare, nec ullo modo dubitare, quin infinita Dei perfectio ac summi boni excellentia in *singulis* attributis eluceat; et nescimus, an quis unquam de hac re dubitaverit: secus enim singulae infinitae perfectiones jam non essent infinitae. [3] – Quaestio quam movet S. Doctor ea est: an actus *perfectae contritionis* elici possit ex motivo *cujuscumque* attributi divini, justitiae, misericordiae, sapientiae, etc. *seorsum* considerati. *Seorsum*, i. e. praescindendo a ceteris attributis, et ab inseparabili et indissolubili eorum connexione. Si enim quis, etiamsi ad dolorem proxime moveatur propter divinam aliquam perfectionem offensam, nihilominus memor est et considerat, omnes singulas perfectiones necessario ceteras implicare, S. A. minime dubitat, quin actum perfectae contritionis eliciat: quia considerans inseparabilem omnium perfectionum connexionem, jam dolet propter offensam divinam bonitatem, quae juxta sententiam, quam sequitur S. Alphonsus, radix et aggregatio omnium perfectionum est.

5. Quod etiam ex eo patet, quia

1) Tom. 4. tr. 10. art. 3. n. 35. — 2) Disp. 1. sect. 3. concl. 4.

3) Nec ullo modo id negant Gonet, et qui tenent, objectum formale charitatis esse bonitatem solius naturae Dei, ut ab attributis et relationibus virtualiter distinctae. *Gonet* enim (loc. cit. n. 59.) dicit: « Objicies: Si divinae relationes et attributa non pertinerent ad objectum formale et primarium charitatis, spectarent solum ad ejus objectum materiale et secundarium. Sed hoc dici nequit; alias non magis moverent ad dilectionem Dei quam creaturae: ergo nec illud. — Respondeo, negando sequelam majoris: sicut enim in Tractatu de visione beatifica diximus, *relationes et attributa* non esse proprie objecta secundaria divinae intellectionis, nec proinde visionis beatificae, sed modos objecti formalis et primarii, illud intime et transcendentaliter in se claudentes: ita in praesenti dicimus, illa non esse objecta secundaria et materialia charitatis, sed *modos, complementa et affectiones seu proprietates objecti formalis et primarii, ab eo impraescindibiles*, illudque transcendentaliter in se includere; subindeque magis intra propriam lineam ad dilectionem Dei movere, quam creaturas, quae sunt objecta pure materialia et secundaria charitatis. »

S. Doctor, Lib. 2. n. 24. admittit, verum actum charitatis esse, si quis Deum propter beneficia diligit, considerans haec beneficia ceu communicationes bonitatis divinae. En S. Doctoris verba: « *Diligere autem Deum* » *propter beneficia*, non est verus » actus charitatis, sed gratitudinis, » ut dicunt Habert et Croix; nisi, » ait Habert, spectentur beneficia, » *uti communicationes bonitatis di-* » *vinae: tunc enim in iis amamus,* » *non utilitatem nostram, qui acci-* » *pimus, sed bonitatem Dei qui com-* » *municat.*» Idem docet etiam *Suarez:* [1] « Cum Deus perfecte amatur propter beneficium, potius amatur quia nos amat: hoc autem charitatis est, et amicitiae, neque actus hujus ratio objectiva est extra divinam bonitatem; nam amor quo Deus nos amat, ipse Deus est, et summa quaedam perfectio ejus. Item ipse nos amat, quia bonus est; unde quia amatur eo quod amet, amatur etiam quia bonus est. » Idem et alii docent.

6. Quibus explicationibus praemissis, *doctrina S. Alphonsi* in summa haec est: *Probabilius* censet, *actum perfectae charitatis non elicere eum, qui de peccatis dolet propter offensam divinam perfectionem seorsum consideratam;* quia Tridentinum, ad justificationem extra Sacramentum requirit, ut contritio sit charitate perfecta, et charitas perfecta non est, nisi diligatur divina bonitas, quae omnes perfectiones complectitur, seu diligatur Deus, ut est infinite et summe bonus. *Oppositam* autem sententiam nihilominus *probabilem* aestimat; quia diligens Deum propter aliquam perfectionem in particulari, *virtualiter* saltem *divinam bonitatem* diligit; et Tridentinum hoc sensu intelligi potest.

7. Egregie de eadem quaestione disserit *Herincx*, [2] quem ideo allegare juvat:

« *N. 35.* Infinita porro bonitas seu perfectio Dei *absolute sumpta* complectitur infinitam sapientiam, omnipotentiam et reliquas perfectiones in suo genere infinitas, ex quibus exsurgit ens infinitum in omni genere entis. Et quamvis bonitas Dei sic spectata sit velut universalis in continendo omnem perfectionem, est tamen in se simplicissima ratio, sufficienter terminans et movens ad dilectionem supernaturalem. »

« *N. 36.* Nihilominus non apparet, cur anima nequeat in hac vita distincte et separatim sibi proponere *singula* Dei attributa, v. gr. infinitam Dei sapientiam, misericordiam, etc., ipsumque amare super omnia amore supernaturali, quia benignus et misericors est, quia infinite sapiens, etc. Quemadmodum etiam fides supernaturalis habet pro motivo assentiendi aliquod attributum, scilicet veracitatem Dei. Nec aliquid deficit in tali amore, quo minus spectet ad virtutem theologicam, utique charitatis. Nil etiam est quod obstet. Cum enim charitas sit virtus infusa, adeoque se habeat instar potentiae, facile apparet quî ipsa possit se extendere ad amorem Dei conceptum ex bonitate Dei, sive considerata adaequate, sive sub ratione aliqua particulari et inadaequate. Et quidem frequenter contingit, ut amatores Dei sese diversis temporibus occupent in consideratione et admiratione diversarum Dei perfectionum, indeque consurgant in amorem vivificum Dilecti sui, qui totus et infinite pulcher ac amabilissimus est, sive consideretur ut sapiens, sive ut justus, sive ut misericors, etc., sive ut haec omnia complectens. »

« *N. 37.* Nec obstat I. Quod Deus, quatenus misericors, liberalis, aut sub simili respectu ad nos, sit objectum amoris concupiscentiae, quo concupiscimus nobis *beneficia* a Deo. Nam si considerentur et amentur hae perfectiones respectivae, quatenus cedunt in bonum termini respe-

1) De Char. disp. 1. sect. 2. n. 3. — 2) T. 8. disp. 11. q. 4.

cti, qui sumus nos, eatenus quidem amantur amore concupiscentiae; at si considerentur et amentur, quatenus Deum esse tam misericordem, tam liberalem et beneficum, etc., est pulchrum et *perfectio ipsius Dei,* qui est quasi subjectum, indubie terminant amorem benevolentiae et ad illum movent. »

« *N. 38.* Non obstat II. Quod omnes formalitates seu perfectiones divinae sint omnino idem a parte rei, adeoque attingantur semper omnes simul a voluntate quae non praescindit. Nam, etsi voluntas praecisionem non incipiat, potest tamen inceptam per intellectum continuare, tendendo per affectum in objectum, quatenus per intellectum proponitur, a quo Deus proponi potest inadaequate, sive tamquam misericors, sive tamquam sapiens, etc. Si tamen voluntas efficaciter amet aliquam rem ponendam in esse, eo ipso ponet omnia rei identificata, non quia haec omnia formaliter amat, sed quia potentia executiva per imperium voluntatis determinata fertur in totum objectum, prout est a parte rei. »

Docet igitur Herincx, *actum charitatis* elicere eum, qui *aliquam* perfectionem divinam, *seorsum* spectatam, diligit: non quidem adaequatum et formalem, nisi actus extendatur ad amorem Dei propter ejus infinitam bonitatem, et reflectatur, Deum infinite amabilem esse, sive ut sapiens consideretur, sive ut justus, sive ut misericors, etc., sive ut omnia complectens; attamen esse actum *inadaequatum et virtualem,* quia voluntas omnia identificata comprehendit, nisi haec expresse excludat.

Articulus 2.

Adducuntur textus Auctorum, quos S. Alphonsus allegat.

Auctores, quorum testimonia cl. P. Ballerini impugnat, sunt *Vasquez, Suarez* et *Lugo;* et ideo singulorum textus adferemus. Cumque de quaestione complicata summique momenti agatur, longiores textus audire non pigeat.

1. *Vasquez, S. J.,* [1] haec scribit: « *Odium peccati, ut est Dei offensa,* et quodammodo malum ejus, est amor Dei, et in ipso complacentia propter suam bonitatem, et fuga peccati seu displicentia. Nollemus enim Deo, quod sit summe bonus, peccasse; unde constat, quomodo non imperetur a charitate, sed sit *charitatis actus,* quae est virtus theologica, et immediate respicit Deum, qui placet ob suam bonitatem et propter se. Quare sententiam Recentiorum, qui docent, *contritionis actum seu poenitentiae non esse dilectionem Dei,* neque necessario ex dilectione Dei proficisci, *nihilominus justificare,* hoc est, esse ultimam dispositionem ad gratiam et remissionem peccatorum, *erroneam ego censerem;* nam sine charitatis actu nihil prodesse possunt, quaecumque fecerimus ad justificationem, ut omnibus compertum est. »

2. *Suarez, S. J.,* [2] hanc habet assertionem: « *Peccatorem posse justificari absque formali amore, virtute tamen incluso in detestatione peccati.* » Quam assertionem explicat n. 9-12. Et sequitur: « *Dubium de detestatione universali ex motivo justitiae.* »

« *N. 13.* Majus dubium est de altera detestatione universali, quae est ex proprio motivo *justitiae,* quam diximus elici ab speciali virtute *poenitentiae;* illa enim est *valde perfecta,* quia est *de offensa Dei, quatenus talis est.* Item est propria et specialis poenitentia, cui solet attribui contritio tamquam proprius ejus actus. Item illa est perfecta aversio a culpa: huic autem promittitur in Scriptura remissio peccati. Denique illa videtur continere virtualiter amorem Dei, quandoquidem super

1) Loc. cit. qu. 85. art. 2. n. 45. — 2) De Poenit. disp. 4. sect. 2.

*

omnia detestatur ejus offensam, solum quia talis est. – Propter quae, aliquibus probabiliter visum est, hunc actum, per se et *sine formali amore,* sufficere ad rationem contritionis. Et est quidem sententia *probabilis,* et aliquando mihi simpliciter placuit. Nunc autem re melius inspecta, videtur *contraria sententia eligenda,* propter ea, quae statim proponam. »

« *N. 14.* Superest igitur alia detestatio peccati, quatenus est *contra bonum Dei in se,* ejusque dissolvit amicitiam. Haec igitur erit propria, et per se *contritio.* Et hanc assertionem intendit Divus Thomas, ubicumque docet, veram displicentiam peccati esse actum elicitum charitatis, ut articulo sequenti ad 1.; et 1. 2. q. 113. art. 5. ad 1. et saepe alias; loquitur enim de displicentia remissiva, et per se expulsiva peccati in ratione dispositionis. Deinde illa displicentia vere dici potest, esse propter Deum summe dilectum, quia est elicita ex charitate ejus, et respiciendo solum ad bonitatem et amicitiam ejus. In quo differt multum a praecedente detestatione, de qua proxime dictum est: illa enim non respicit bonitatem Dei in se, sed solum conformitatem ad rationem, in servanda aequitate justitiae: et ideo etiam non est simpliciter super omnia, quia non est ex supremo motivo, sicut haec detestatio, de qua nunc agimus. Quare etiam illa non continet virtualem amorem, sicut haec, quia est inferioris rationis et virtutis. Ac denique in illa vim habent, quae pro priori sententia adduximus: cessant autem in hac *perfectissima* detestatione. »

« *N. 15.* Ex quibus, ut opinor, declaratum relinquitur, quomodo haec detestatio *virtualiter contineat amorem Dei super omnia.* Imo significat Soto, eam esse formalem amorem: et ideo nullum alium esse necessarium, etiam per se loquendo. Quod mihi non probatur, quia ille actus non tendit directe in Deum, ut in objectum quod, sed quo; id est, solum respicit illum, ut rationem proximam detestandi peccatum. Item ille actus formaliter non est actus prosecutionis, sed fugae: amor autem formaliter sumptus, est quaedam prosecutio sui objecti, et quasi virtualis conjunctio ad illud. Unde, ut actus dicatur formalis amor Dei, non satis est, quod sit elicitus a charitate, quia charitas habet unum objectum primarium, quod est Deus, et alia secundaria, ex quibus quaedam amat propter Deum, ut proximum, alia odio habet, ut peccatum: est ergo illa detestatio virtualis tantum amor Dei. »

« *N. 16.* Propter hoc ergo addidi in conclusione, in illo actu, ut habeat rationem et vim contritionis, debere includi *votum formalis amoris Dei super omnia,* non quidem quod necesse sit explicite habere hoc propositum in particulari, sed quod implicite includatur in contritione, quatenus cum ea vel in ea inesse debet propositum servandi vel faciendi omnia, quae sunt ad salutem necessaria, ut sectione sequente dicam. Et ita explicata haec pars sequitur ex praecedente assertione: nam si amor, per se loquendo, necessarius est, et actu non adhibetur, quando homo convertitur, quod ex naturali inconsideratione saepe accidere potest sine culpa, necesse est, ut homo habeat propositum eliciendi illum debito tempore, in quo alias necessarium esset ex praecepto illum elicere, per se loquendo, ad justitiam obtinendam. Quod autem hoc sufficiat, etiamsi amor sit medium necessarium, declarari potest ex aliis mediis exterioribus, quae etiam necessaria sunt, ut baptismus vel confessio; et nihilominus aliquando in voto sufficiunt. »

Circa hanc *Suarii* doctrinam, ad clariorem quaestionis intelligentiam, duo notanda sunt:

Primum in eo versatur, quod Suarez tenet, *non esse actum formalem*

charitatis, si quis peccatum detestatur, quatenus est *contra bonum Dei in se,* et dissolvit ejus amicitiam. – Verum *oppositum* non tantum Soto, sed et multi alii docent, ita ut haec sententia sit *longe communior.* Lacroix [1] pro eadem citat Vasquez (ut supra vidimus), Arriagam, Lugonem, Aversam, Maurum, Bosco, Gormaz, Dicastillum, quibus plures adhuc addi possent; et pro altera, praeter Suarez, Franciscum Amicum et Tannerum.

Alterum, quod notetur, ad virtutem *poenitentiae* spectat. Suarez cum communi sententia tenet, poenitentiam esse virtutem ab omnibus ceteris distinctam, et revocari ad justitiam, quae autem differt a justitia humana: quod uberius explicat Disp. 7. sect. 1. Ibidem adducit sententiam *Durandi,* qui poenitentiam non distinguit a justitia commutativa, *Scoti,* qui dicit, poenitentiam esse justitiam vindicativam, et *Gabrielis,* qui idem fere sentit, et addit esse justitiam distributivam. – Quibus expositis, Suarez sic pergit:

« *N. 17.* Sed hae opiniones facile a nobis refelluntur ex dictis: nam jus divinum et debitum ejus est longe superioris ordinis, quam omne jus humanum: et ideo etiam justitia, quae respicit hoc jus, et secundum illud intendit, prout potest, aequalitatem constituere, virtus distincta et superior est. Unde ad distinguendas has virtutes, non est accidentarium, sed valde per se, quod recompensatio fiat Deo, vel homini: quia ex illo capite ipsum jus, quod est justitiae objectum, longe excellentius est, ideoque excellentiorem virtutem constituit et requirit. Sicut etiam, ob similem vel proportionalem causam, gratitudo ad Deum ob beneficia recepta, et fidelitas in servandis promissis, virtutes postulant altiores, quam proportionales actus, prout circa homines exercentur. Atque ex eodem capite provenit, ut purus homo non possit reddere Deo aequale pro injuria illata: quod non est accidentarium, ut inter homines contingere solet; sed per se, ex intrinseca ratione et natura talium personarum. Ideoque recte distinguitur haec virtus ab humana justitia in eo, quod non valet, ex vi sui ordinis Deo reddere aequale. Quare sicut justitia in communi abstrahit ab humana et divina, ita et aequalitas. » – Et subdit, idem judicium esse de justitia vindicativa et commutativa.

3. *Lugo, S. J.,* [2] denique haec habet: « *N. 3.* Aliqui Theologi docent, sufficere ad contritionem, quod dolor sit vel ex motivo *charitatis,* vel ex motivo *obedientiae,* vel *religionis,* vel *poenitentiae:* scilicet, quia peccatum displicet Deo, quem diligimus, vel quia est contra ejus praeceptum, cui debemus obedire, vel contra ejus cultum, vel denique quia est contra jus Dei, quod tenemur observare, quod dicunt esse motivum poenitentiae: et idem a fortiori possent dicere de motivo poenitentiae in nostra sententia, scilicet, quia peccatum est offensa Dei, et per consequens destruit pacem cum Deo, eumque nobis reddit rationabiliter aversum. Hanc sententiam dicit esse *probabilem P. Suarez,* [3] et sibi aliquando placuisse cum aliis Theologis, quos suppresso nomine refert; et licet P. Suarez solum loquatur de dolore orto ex motivo justitiae, eadem est ratio de omnibus assignatis; quare alii recentiores eam in universum docent, quoad omnia motiva numerata. – Alii tamen Theologi communiter docent, requiri omnino dolorem *ex motivo dilectionis Dei;* imo *P. Vasquez,* in praesenti quaest. 85. art. 2. n. 45. oppositam dicit erroneam; *P. Suarez* hanc etiam amplectitur, omissa priori; alii rem ut omnino certam supponunt, sine ulla ratione dubitandi. »

1) Lib. 6. p. 2. n. 726. — 2) Loc. cit. disp. 5. sect. 1. — 3) Disp. 4. sect. 2. n. 13.

« *N. 4.* Prima illa sententia non videtur digna ea censura, qua eam voluit notare P. Vasquez. Probari enim posset, in primis auctoritate Theologorum non infimae notae, qui eam in suis scriptis amplectuntur, et aliorum, qui eam *probabilem* dicunt; item ex modo loquendi antiquiorum Theologorum, qui, dum de contritione etiam perfecta loquuntur, dicunt generaliter, esse dolorem de peccato, eo quod Dei offensa sit: offensa autem, ut offensa, non pertinet ad solam charitatem, sed etiam ad poenitentiam. Ita loquitur Sotus, [1] ubi dicit, contritionem differre ab attritione ex parte objecti, quia scilicet contritio est dolor de peccatis, ut sunt offensa Dei; attritio autem propter poenas: quo eodem modo loquuntur alii multi, qui attritionem dicunt esse ex timore, vel ex amore concupiscentiae. Quod posset adhuc confirmari ex modo loquendi sacrae Scripturae, ubi non semper videtur exigi poenitentia ex motivo dilectionis, sed ex motivo universaliori. » – Et citat Ezechielem 18., nec non S. Chrysostomum, cum quo et alii Patres consentiunt.»

« *N. 5.* Et sane id videbatur postulare humana fragilitas, *quae raro trahetur motivo illo dilectionis super omnia;* frequentius vero, motivo obedientiae, religionis, gratitudinis, etc. Cum ergo frequentissimus sit lapsus, non debuit adeo difficilis et rara designari medicina. Nec videtur dissentire, imo potius videtur facere *communis modus concipiendi fidelium:* ipsi enim, dum de contritione cogitant, existimant, tunc se contritionem habere, quando ita dolent de peccatis propter Deum, ut, nulla etiam stante poena vel praemio, damno vel emolumento, eodem modo dolerent; quod totum reperitur, quoties peccatum consideratur in ordine ad solum Deum, vel ut irreverentia, vel ut injuria, vel offensa, etc., etiamsi non adsit motivum dilectionis rigorosae. »

« *N. 6.* Objiciunt aliqui, quia actus spei theologicae, quo quis ex motivo spei desiderat sibi Deum et ejus possessionem, et ex hoc desiderio dolet de peccatis, est nobilior et perfectior quam dolor, qui procedit ex motivo obedientiae vel religionis, etc.: hae enim sunt virtutes morales, et illa est theologica; sed dolor ex motivo spei non sufficit, ut disponat ultimo ad justificationem: est enim attritio, cum procedat ex desiderio beatitudinis; ergo nec dolor ex motivo obedientiae, vel religionis, etc., erit plusquam attritio, cum sit inferior. »

« *N. 7.* Responderi posset: in primis Durandum [2] dicere, *dolorem illum ex motivo spei* et desiderio videndi Deum, *esse contritionem;* nam, licet ille non sit amor amicitiae erga Deum, sed solum concupiscentiae, sed tamen amor concupiscentiae amor est, et in nobismet ipsis experimur gaudere nos et gloriari, quando hoc amoris genere amamur: *non enim potest esse hic amor nisi ex bonitate,* quae apprehendatur in objecto amato: quare qui Deum hoc modo amat, non aliter amat, nisi quia afficitur et trahitur a bonitate Dei, quod in rigore est amare Deum nobis. – Sed quidquid sit de hoc, et dato etiam quod assumitur in majore, scilicet actum spei esse perfectiorem actu religionis vel poenitentiae, negari potest consequentia; non enim semper disponit certius ad justificationem actus melior: nam licet actus dilectionis Dei ex parte motivi sit melior, quam actus religionis vel fidei, potest tamen ex aliis circumstantiis adeo crescere actus fidei vel religionis, v. gr. ex intensione, ex difficultate, ex duratione, etc., ut hic et nunc sit melior, quam aliquis actus remissus dilectionis: et tamen quicumque actus dilectionis disponit certius ad justificationem, ille vero actus fidei

1) In 4. d. 17. q. 2. art. 5. — 2) In 4. dist. 17. q. 2.

vel religionis non disponeret nisi remote: non ergo arguitur bene, dolorem ex motivo spei debuisse esse dispositionem ultimam ad gratiam, sicut dolorem ex motivo religionis vel poenitentiae, etc., quia perfectior est. »

« *N. 8.* Ratio vero a priori esse potuit, quia ad hoc justificationis negotium exigitur ex parte hominis *perfecta conversio,* qua se a seipso avertat, et ad Deum convertat: quare, ille actus habet majorem proportionem in ratione dispositionis, quo homo magis convertitur ad Deum: hoc autem fit melius per actum dilectionis, etiam remissum, quam per actum alterius virtutis, etiam intensum. Item fit melius per dolorem ortum ex motivo *religionis*, quam per dolorem ortum ex desiderio beatitudinis, seu ex motivo spei: quia, cum hic oriatur ex amore concupiscentiae, eo ipso principalius amo me per illum actum, quam Deum; volo enim Deum mihi, non ergo convertor omnino ad Deum, praeferendo Deum mihi: quod sane requireretur ad perfectam conversionem et contritionem; debet enim esse ex toto corde et ex totis viribus; et sicut per peccatum se homo praetulit Deo, ita per contritionem debet Deum sibi praeferre, et quasi ex se ipso exire, ut tendat ad Deum, a quo recessit. Hoc autem fit melius per actum religionis vel obedientiae, etc., quam per actum spei: quia per religionem v. g., homo non amat Deum sibi, sed amat cultum et honorem Dei, et ita illum amat, ut si necessaria esset destructio et annihilatio ipsius hominis ad Dei honorem et cultum, illam etiam vellet et permitteret: quam conditionem nullo modo potest velle dolor ex motivo spei, quia fundatur omnino in amore proprio, quo volumus Deum nobis, ut bonum nostrum. Habet ergo, ex hoc capite, majorem proportionem dolor ex motivo religionis, ut disponat ad justificationem, quam dolor ex motivo spei: quod autem dicimus de *religione,* dici posset de *obedientia,* de *poenitentia,* de *gratitudine*, etc., ut consideranti patebit. »

« *N. 9.* Solum ingerit difficultatem in hac sententia modus communis loquendi Patrum, qui expresse videntur postulare *dilectionem* ad hoc, ut peccata remittantur: qui modus loquendi videtur etiam ex sacra Scriptura desumptus, ut postea videbimus. Sed haec etiam utcumque possent explicari de dilectione non omnino rigorose et stricte sumpta, sed *latius*, quatenus amare dicitur esse velle bonum alicui: cum enim per *religionem* velimus cultum Dei, per *poenitentiam* velimus eum non offendere, per *obedientiam* velimus ejus voluntatem implere, etc., haec omnia videntur continere *dilectionem Dei.* »

Expositis hisce rationibus, Lugo pergit *n. 10.*: « Adhuc tamen dicendum omnino est cum communi sententia, contritionem sufficientem ad justificationem debere oriri *ex peculiari motivo charitatis,* scilicet Dei super omnia dilecti. » Quam propositionem diffuse ex S. Scriptura, ex SS. Patribus et praecipue ex Concilio Tridentino vindicat.

Articulus 3.

Auctores a S. Alphonso citati recte allegantur.

P. Ballerini contendit, sententiae quam S. Alphonsus *probabiliorem* censet, auctoritatem penitus deficere, quippe quod Auctores citati de contritione loquantur, quae ex motivo *alius virtutis* praeter charitatem oriatur, puta obedientiae, religionis, poenitentiae, gratitudinis.

I. Ante omnia, falsa a veris in hac assertione secernenda sunt.

1. *Vasquez,* ut ex textu superius allato patet, ad contritionem perfectam absolute requirit motivum, *quod Deus sit summe bonus;* et ideo non tantum motivum excludit ex *alia virtute* praeter charitatem petitum, sed etiam motivum propter

offensam *perfectionem* divinam *in particulari:* quod Deus justus, misericors, sapiens sit, etc.

2. Porro *Suarez,* ut vidimus, de sola detestatione ex motivo proprio *justitiae* loquitur, quae a speciali virtute *poenitentiae* elicitur. P. Ballerini citat *Disp. 2. sect. 3. n. 4.;* at hoc loco, ne verbum quidem habet Suarez de contritione ex motivo obedientiae, religionis, gratitudinis, etc.; sed propositionem statuit, motivum specificum et proprium poenitentiae jus divinum esse, quatenus ex particulari debito justitiae servandum est.

3. De ceteris virtutibus, *Lugo* tantum loquitur, prout in Art. 2. vidimus.

II. Verum autem est, tum Suarium, tum Lugonem de contritione ex motivo *alius virtutis* praeter charitatem loqui. Qua ratione, responsio ad objectionem cl. Ballerinii haec est: Quicumque de peccatis dolet, quod Deum offenderit, ex motivo alius virtutis praeter charitatem, *semper dolet de offensa divina perfectione particulari, seorsum considerata.* Quam propositionem primum demonstrabimus in contritione ex motivo *justitiae,* quae a speciali virtute poenitentiae elicitur, de qua loquitur Suarez.

1. Dolens ex motivo *justitiae,* Deum seorsum considerat, ut supremum Dominum, cujus jus est, ut omnia opera nostra ad Ipsum tamquam ultimum finem referantur; quemadmodum optime explicat *Billuart:*[1] « Peccatum (ait) est injuria et offensa Dei, non quatenus est summum bonum, sed quatenus est *supremus Dominus* habens *jus,* non jurisdictionis dumtaxat, sed *proprietatis* in omnes hominum actiones, ut ad eum tamquam ad ultimum finem referantur, quae injuria seu offensa sit ab homine expianda et reparanda; et sub hac ratione, peccatum immediate respicit *poenitentia,* quae tamen ab aliis virtutibus, et maxime a charitate omnium regina, imperari potest. » – Dolens autem de offensa Dei ex hoc motivo, non dolet, quia *in genere* justitiam diligit, sed quia justitiam diligit unico respectu ad Deum, seu, ut Lugo dicit, « *in ordine ad solum Deum* »; et ideo diligit etiam justitiam divinam, quae peccatores in gratiam suam non admittit, nisi injuriam Ipsi irrogatam reparaverint, et debitam satisfactionem praestiterint; at *seorsum* consideratam diligit.

2. Idem dicendum *de ceteris virtutibus,* quae Deum respiciunt. Dolens ex motivo *obedientiae,* Deum considerat ut summum Rectorem et Legislatorem, simulque infinite sapientem; quia sapientissima sunt, quae nobis praecipiuntur. Dolens ex motivo *religionis,* sanctitatem Dei considerat, cui summa reverentia debetur; et dolens ex motivo *gratitudinis,* liberalitatem et clementiam divinam respicit, quam contemnit, post immensa beneficia accepta Deum offendens. Unde omnes dolent *ex motivo perfectionis divinae seorsum spectatae.*

3. Quatenus ergo Suarez et Lugo *probabile* censent, sufficere ad contritionem, quod dolor sit ex motivo *alius* praeter charitatem *virtutis,* quae ad solum Deum refertur: *probabile* etiam censent, sufficere dolorem ex motivo *cujuscumque perfectionis divinae seorsum consideratae.* Et quatenus oppositam sententiam probabiliorem dicunt, probabilius etiam aestimant, non sufficere dolorem elicitum propter aliquam perfectionem divinam seorsum spectatam.

III. *Priorem* itaque sententiam *satis probabilem* esse, apparet ex rationibus, quas Suarez et Lugo adferunt, quaeque in eorum testimoniis in Art. 2. relatis continentur. Cum

1) Summa Summ. de Poenit. diss. 2. art. 1.

vero haec quaestio practice summi momenti sit, uberiore demonstratione supersedere non possumus; et in hunc finem illas etiam rationes perpendemus, quas iidem Doctores ex adverso adducunt, oppositam probabiliorem dicentes.

1. *Suarez* concedit, [1] detestationem peccati ex motivo *justitiae* esse *valde perfectam, et virtualiter amorem Dei continere*, attamen aliter quam detestatio peccati, quatenus est contra bonum Dei in se: quia non est ex supremo motivo, et ideo non simpliciter super omnia. At etiam detestans ex motivo justitiae peccatum, illud detestatur super omnia; et si dicitur, detestabilius esse peccatum, quod divinae *bonitati*, quam quod *juri* tantum divino adversetur, id non negamus; et concedimus, alteram detestationem esse perfectiorem. Sed differentia in eo tantum consistit, quod alter explicite, et alter implicite peccatum propter offensam divinam bonitatem super omnia detestatur. Et propositum implicitum servandi vel faciendi omnia, quae ad salutem sunt necessaria, habere potest et debet etiam ille, qui ex motivo justitiae peccatum detestatur. Cum autem neuter, ut Suarez tenet, *formalem* amorem Dei exerceat, sufficiens ratio non apparet, cur ad justificationem extra Sacramentum detestatio *valde perfecta* non sufficiat, sed *perfectissima* requiratur.

Argumenta igitur, quae Suarez ex adverso adfert, non convincunt; et ideo sententiam oppositam, quae aliquando simpliciter ipsi placuit, nunc quoque merito *probabilem* censet. [2]

2. *Lugo* autem, loco citato, tria argumenta adfert. *Primum ex Tridentino repetit*, quatenus Concilium dicit, contritionem aliquando charitate perfectam esse, et merito hoc argumentum potissimum vocat. — Sed nihil obstat, quominus ista verba de charitate, sive *formaliter*, sive *virtualiter* perfecta intelligantur. Admissa enim hac interpretatione, Concilium satis *contritionem* distinguit ab *attritione* ex motivo turpitudinis peccati, vel ex timore poenae, quae numquam, nequidem virtualiter, motivum offensae divinae bonitatis implicant.

Alterum argumentum similiter ex *Tridentino* repetit, dicens: « Unde ex eisdem verbis sumitur aliud argumentum: quia statim declaratur contritio *imperfecta*, prout condistinguitur a *perfecta*, quae praecesserat. Declaratur autem per hoc, quod concipiatur ex timore poenae, vel ex consideratione turpitudinis peccati: ubi nomine *turpitudinis peccati* non potest intelligi sola turpitudo quam habet, prout opponitur contra humanum convictum, et prout praescindit a Deo; tum quia illud motivum solum non sufficit ad veram attritionem, ut dicemus disputatione hac, sectione 9.; tum etiam, quia multa sunt peccata, quorum turpitudo concipi non potest sine ordine ad Deum, v. g. irreverentia contra Deum, inobedientia contra praeceptum divinum, et alia similia, de quibus possumus habere attritionem conceptam ex consideratione turpitudinis peccati: *ergo non sufficit ad contritionem perfectam, quod oriatur ex motivo aliquo respiciente Deum, seu peccatum, prout adversatur aliquo modo Deo:* nam haec omnia videntur includi a Concilio in motivo *turpitudinis peccati*, quod distinguit a motivo contritionis perfectae; quasi hoc sit sola Dei bonitas, quod est motivum charitatis; illud vero sit turpitudo peccati, prout adversatur regulae rationis, vel timor poenae. Videtur ergo juxta Concilii mentem, non sufficere ad contritionem perfectam turpitudo inobedientiae, irreverentiae et aliae similes, nisi interveniat motivum charitatis.»

Si autem Tridentinum, ut dicit Lugo, sub motivis attritionis comprehendit turpitudinem peccati, *pro-*

1) Cfr. textum, pag. 403. n. *13.* et *15.* — 2) Pag. 404. n. *13.* in fine.

ut adversatur regulae rationis, potius colligendum videtur, quod non sub hac ratione comprehendat motivum *alius virtutis* praeter charitatem, Deum respicientis. Qui enim ex hujusmodi motivo de peccato dolet, non dolet quia peccatum regulae rationis adversatur, sed offensam Dei super omnia detestatur, solum quia Deus talis, ut bene dicit Suarez; ergo in ordine ad Deum *solum.* - Utique etiam ad *attritionem* ex motivo turpitudinis requiritur, ut Deus respiciatur: quia secus non esset supernaturalis; sed nihil aliud requiritur, nisi *ut regula consideretur tamquam a Deo revelata,* quemadmodum *Suarez* explicat, [1] dicens: « Ex illo ergo motivo, quod in unaquaque virtute morali per se infusa reperitur, procedit haec attritio. Hujusmodi autem motivum in unaquaque virtute sumendum est per conformitatem ad regulam et rationem supernaturalem in propria materia: nam in universum ratio virtutis moralis consistit in hoc, ut in materia morali operetur secundum conformitatem ad rectam rationem. Unde, quando illa conformitas sumitur per comparationem ad meram rationem naturalem, virtus est acquisita, cujus actus, tam in prosecutione boni honesti in tali materia, quam in detestatione mali oppositi, naturalis est. Quando vero illa conformitas sumitur *per comparationem ad revelatam regulam,* et ad rectam rationem, ut elevatam ad supernaturalem ordinem, tunc *virtus est infusa,* et actus ejus, tam in prosecutione boni quam in fuga mali, supernaturalis est. Et haec est *attritio,* quam secundo loco posuit Tridentinum. »

Porro dolens ex praefato motivo non dolet, quia turpe est, injuriam alteri irrogatam non reparare, Superiori non obedire, reverentia dignum non revereri; sed, quia diligit justitiam, obedientiam, observantiam, et quidem non in genere, sed *solo respectu ad Deum,* quatenus laeso jure divino satisfactio, Deo obedientia, Deo reverentia debetur; et ideo simul perfectiones divinas respondentes: justitiam, sapientiam, sanctitatem diligit. Ceterum, alioquin vox: *turpitudo,* secundum communem usum loquendi non adhibetur de peccatis, quae virtutibus immediate Deum respicientibus adversantur, sed de furto, de impudicitia et similibus.

Tertio, Lugo rationem a priori adfert: « Denique (inquit) ratio a priori, cur Deus dolorem ex motivo *dilectionis,* ut dispositionem unicam acceptavit, ea videtur fuisse, quia per peccatum mortale expellitur charitas, et per justificationem restituitur; non debuit autem restitui nisi praecedente aliquo actu charitatis. » - Sed haec ratio a priori mera congruentia est, cui obstat alia, quam ipse Lugo explicat, videlicet, quod cum lapsus sit frequentissimus, non congruat medicina adeo rara et difficilis. [2]

Ergo etiam illae rationes, quas Lugo ex adverso adducit, non sunt convincentes, quippe quod singulis sufficiens detur responsio; et idcirco etiam Lugo sententiam oppositam merito *probabilem* judicat.

SIT ITAQUE CONCLUSIO:

1. Ex hisce expositionibus patet, *S. Alphonsum* recte praedictos Doctores allegasse, et merito *secundam* a se allegatam sententiam *probabiliorem, primam* autem *probabilem* censere. - Simulque patet, *P. Ballerinium* quaestionem hanc obiter degustasse, nec altius in eam descendisse. Ex una enim parte absolute et indistincte affirmat, actum perfectae contritionis elici posse ex motivo cujuscumque divinae perfectionis; et ex altera, absolute et indistincte negat, elici posse ex motivo alius virtutis praeter charitatem. Qui

1) Disp. 5. sect. 2. n. 12. — 2) Cfr. supra, pag. 406. ad n. 5.

autem primam propositionem indistincte et absolute sustinet, secundam rejicere non potest tamquam improbabilem, et vice versa, ut patet ex praecedentibus.

2. Haec omnia prolixius explicavimus, quia, ut supra monuimus, practice maximi momenti est haec quaestio: nam non tantum de Confessariis agitur, qui poenitentes ad actus formales perfectae charitatis provehere studeant. Si quis, in articulo mortis constitutus et Confessarii copiam non habens, de peccatis dolet ex motivo justitiae, obedientiae, religionis vel gratitudinis, certo non justificatur juxta illos omnes, qui sententiam affirmativam ut improbabilem rejiciunt. Sed durum est credere, hominem damnatum et aeternis suppliciis deputatum iri, qui Deum diligit, licet non formali attamen virtuali charitate perfecta, et cum tali dilectione, quam bona fide sufficientem existimat, ex hac vita discedit. Imo plerique in casu proposito perirent, quia, ut bene observat Lugo, raro obtingit, ut dolor de peccatis ex motivo charitatis formaliter perfectae eliciatur, et fideles communiter existimant, se habere contritionem, etsi non doleant formaliter ex supremo motivo. – Unde probabile est, quinimo, si nostra sensa aperire licet, probabilissimum arbitramur, in casu proposito omnes salvari, et acceptari a divina misericordia votum suscipiendi Sacramenti, quasi ipsum reapse susciperetur, ut in Baptismo contingit.

QUAESTIO II.

An, ut Dolor sit materia apta, debeat esse elicitus cum intentione confessionis.

(S. Alph. Lib. VI. n. 447. — P. Ball. Tom. II. n. 447. q. 7.)

Lib. VI. n. 447. quaer. 11. S. Alphonsus ad propositum Dubium sic respondet: « *Negant* Lugo; item Sporer, Moya, Gobat, etc. apud Concina; ac probabile putat Tamburini. » – Ratio, tum quia ex Tridentino » sess. 14. cap. 4., illa attritio dicitur disponere ad impetrandam gratiam in Sacramento, quae voluntatem peccandi excludit, cum spe » veniae; quae omnia verificantur in » casu nostro; tum quia tunc dolor, » licet non fuerit ordinatus ad confessionem relatione antecedenti, » ordinatur tamen relatione consequenti, eo quod tunc adhuc verificatur dolor patefieri per confessionem.

» *Affirmant* vero Busembaum, Bonacina, Concina. (Citatur etiam pro » hac sententia P. Suarez; sed Lugo » ostendit, quod Suarez est potius » pro sua sententia). – Ratio, quia » sicut minister aut etiam suscipiens » alia Sacramenta debet per intention ordinare materiam ad Sacramentum, prout ablutionem ad » Baptismum, vel tactum materiae » ad Ordinationem: ita etiam suscipiens Sacramentum Poenitentiae » debet ad illud ordinare dolorem, » qui est hujus Sacramenti materia.

» Prima sententia est probabilior; » sed *cum secunda etiam sit probabilis, ante susceptionem Sacramenti, tutius docet Cardenas* in » prop. 1. Innocentii XI. *hanc esse sequendam.* »

P. Gury autem T. II. n. 447. q. 7. pag. 331. [1] quaerit: « Per quantum temporis spatium actus doloris moraliter perduret ad valide suscipiendum Sacramentum? » et respondet: « Hoc determinari nequit: juxta sen-

1) In altera edit. pag. 264.

tentiam communem, perseverare potest per unum, aut etiam plures dies, *modo elicitus fuerit intentione confessionis faciendae...* »

Ad quem textum, P. Ballerini adnotat: « Quod Auctor innuit, dolorem eliciendum esse ex intentione confessionis, *id aliquam ad summum probabilitatem habet.* Et sane etiam *S. Alphonsus* (Lib. 6. n. 447.) diffiteri non potuit, probabiliorem esse sententiam, quae dolorem valere docet, etsi quis illum eliciat nihil tunc cogitans de sacramento, quod oblata dein occasione suscipiat. – De hoc argumento confer *Card. De Lugo* (De Poen. disp. 14. n. 37–40.), qui non modo istius intentionis necessitatem validissimis rationibus excludit, sed insuper advertit, juxta Suarezium ac Reginaldum, qui contrariae opinioni patrocinantur, sufficere, quod praecedens dolor, etsi sine intentione confessionis elicitus, moveat deinde ad confessionem, aut in confessione aliquo modo exprimatur: quae quidem, uti patet, plane in communem Card. de Lugo sententiam recidunt.

» Quae autem in contrarium *ratiuncula* affertur *(apud S. Alph. l. c.)* quod per intentionem ordinari materia ad Sacramentum debeat, sicut ablutio ad Baptismum, et instrumentorum tactus ad S. Ordines, primo quidem supponit, eodem sensu dolorem esse materiam Sacramenti, ac sit ablutio in Baptismo, *materiam scilicet ex qua,* quod ad meram opinionem pertinet: deinde ipso S. Ordinis exemplo refutatur; nam valida habetur Ordinatio infantis, qui certe per intentionem, cujus capax non est, tactum instrumentorum ad Sacramentum ordinare non potest. - *Nec magis urget ratio petita ex Prop. I. ab Innoc. XI. proscripta,* tum propter mox dicta de indole materiae in hoc Sacramento, tum propter ea, quae Auctor sup. n. 437. de hac propositione adnotaverat. »

Tria momenta hic perpendenda sunt. Quaeritur 1. An in dubio proposito locus sit propositioni 1. ab *Innocentio XI.* damnatae. 2. An sententia affirmativa *intrinsece* probabilis sit. 3. An auctoritates *extrinsecae* doctrinae S. Alphonsi suffragentur.

Articulus 1.

In praesenti Quaestione merito attendenda est ratio petita ex Prop. 1. ab Innoc. XI. damnata.

Lib. I. n. 48. S. Alphonsus docet: « *In collatione Sacramentorum, nequit minister uti opinione nec probabili, nec probabiliori, circa eorum valorem;* sed tenetur sequi sententiam *tutam,* quae est illa, quae vel est tutior, vel moraliter certa. – Constat id ex Propositione 1. ab Innocentio XI. proscripta, quae dicebat: *Non est illicitum, in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis aut episcopalis.* »

Ait ergo P. Ballerini contra sententiam affirmantem S. Alphonsi: « *Nec magis urget ratio petita ex Prop. I. ab Innoc. XI. proscripta,* tum propter mox dicta *de indole materiae in hoc Sacramento,* tum propter ea quae *Auctor* (P. Gury) sup. *n. 437.* de hac propositione adnotaverat. » - Sed quid de ista assertione sentiendum sit, videamus.

1. Citato *num. 437.* pag. 320. [1] *P. Gury* quaestionem pertractat: An urgente necessitate, vel stante gravi et proportionata causa, sub conditione absolvere liceat. Quam affirmat, et contra adversariorum objectiones

1) In altera edit. pag. 256.

vindicat. – Ibidem affert objectionem: « 4°. Non licet uti opinione probabili in administratione Sacramentorum, ut constat ex propositione 1. ab Innocentio XI. damnata: ergo non licet dare absolutionem dubie valituram. » Et respondet: « Distinguo: ubi periclitatur tum valor Sacramenti, tum bonum hominis, concedo; secus autem, ubi urget necessitas, aut alia causa gravis. »

Deinde vero, ceu alteram rationem subjungit: « In propositione damnata non agitur nisi de partibus essentialibus Sacramenti, nempe de valore materiae et formae, prout a *ministro* dependet. Ita communiter cum Goritia, tabella V. de Consc. Hic autem materia a *poenitente* ministratur, et proinde a ministro independens est. Secus enim plerumque poenitentes absolvi non possent, cum saepius nonnisi probabiliter de eorum dispositionibus constet. »

2. Sed haec altera ratio, quam P. Gury adfert, nullatenus admittenda est. Controvertitur, utrum non tantum conferre, sed etiam *suscipere* Sacramenta cum opinione probabili illicitum sit. – Sententiam *affirmativam,* cui S. Alphonsus Lib. 1. n. 51.[1] adhaeret, nunc *communem* esse dicit Croix.[2] Imo *Reuter, S. J.,*[3] ait: « Unde *communissime* inferunt Auctores, quod contra Religionem peccet etiam *suscipiens* Sacramentum, sequendo sententiam *probabilem minus tutam de valore, relicta tutiore;* quia exponit Sacramentum periculo nullitatis: et quamvis propositionis damnatio non loquatur explicite de suscipiente, legitime tamen infertur ex damnata, quod ei non liceat sic procedere. Unde *oppositum est virtualiter damnatum:* nam committeret irreverentiam in Christum, qui voluit, per Sacramentum causari gratiam, qua carere non potest velle suscipiens sine injuria Christi. » Altera sententia suscipientes Sacramenta cum opinione probabili a peccato excusat, nequaquam autem conferentes.

3. P. Gury autem, et cum eo P. Ballerini etiam *conferentes* excusant, quando valor materiae et formae non a ministro pendet. Sed haec distinctio nullo vel levissimo fundamento innititur. – Constat ex propositione damnata, *non licere in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, relicta tutiore;* at de distinctione, utrum valor materiae et formae a *conferente* pendeat, an secus, nihil plane occurrit. Etiamsi itaque ex sententia supra allegata, communi opposita, Sacramenta *suscipiens* opinione probabili uti posset, id tamen nullatenus licet *conferenti.* Atqui opinio, dolorem *sine intentione confessionis* elicitum aptam materiam esse, probabilior quidem, sed *non certa* est: ergo non licet Confessario Sacramentum Poenitentiae conferre poenitenti, qui dolorem absque intentione confessionis elicuit.

4. Dicit P. Gury: « *Ita communiter cum Goritia, tabella V. de Consc.* »

Sed *Goritia,* loco cit. haec solum habet: « In concursu duarum opinionum sibi contrariarum, quarum una favens libertati est probabilior, altera favens legi minus probabilis, huic necessario praeferenda. Excipe, dum agitur de natura et conditione, seu *valore* alicujus actus, v. g. utrum Baptismus collatus in aqua roris sit validus; utrum haec vel illa medicina infirmo sit profutura: nam in hoc casu, *tutior,* licet minus probabilis, probabiliori praeferenda est: ex *Innocentio XI.* damnante 1. Propositionem. Quae propositio non afficit,

1) In cit. num. S. Doctor quaerit: « An quod dictum est de *administratione* Sacramentorum, dicendum etiam sit de *susceptione:* ita ut nullus possit suscipere Sacramentum cum opinione probabili? » Et respondet: « *Prima* sententia *affirmat*... Secunda vero sententia negat... His tamen non obstantibus, *censeo non recedendum a prima sententia; saltem quia secunda fere nunquam poterit deduci in praxim a suscipientibus, sine propriae animae detrimento.* »

2) Lib. 6. p. 1. n. 104. — 3) P. 1. tr. 2. n. 97.

seu opinionem certam saltem moraliter, seu opinionem versantem solum circa jurisdictionem, vel aliud dependens a voluntate Ecclesiae. » – Itaque a praefata Propositione damnata, Goritia excipit opinionem *moraliter certam*, opinionem versantem circa *jurisdictionem*, aut aliud quid simile *dependens a voluntate Ecclesiae:* in quibus consonat cum S. Alphonso et communiori. Ubi autem dicat vel innuat (sicuti asserit P. Gury), in dicta Propositione non agi « nisi de partibus essentialibus Sacramenti...., prout a *ministro* dependent »: nullo modo videmus.

In quantum vero P. Gury affirmat, sic Auctores *communiter* sentire, utique fallitur; etenim pauci certe sunt, qui opinionem illam singularem omnique fundamento destitutam defendant.

5. Eamdem opinionem P. Gury eo probasse existimat, quod « *secus plerumque poenitentes absolvi non possent, cum saepius nonnisi probabiliter de eorum dispositionibus constet.* » – Hoc autem egregie refutat *Cardenas,*[1] dicens: «Sed respondetur, eam (objectionem) nihil obstare huic Decreto. Nam juxta illud, non possumus eligere in praxi opinionem probabilem circa valorem Sacramenti, relicta tutiori; *non potest autem dici, quod relinquitur tutior, quando impossibile est ponere tutiorem.* Quod in casu hujus objectionis evenit. Est enim impossibile, ut plurimum, quod Confessarius habeat cognitionem plusquam probabilem de legitima dispositione poenitentis, cum ea cognitio nitatur dicto poenitentis, aut aliis signis externis fallibilibus; et ideo operatur juxta cognitionem facti probabilem, sed non relinquit tutiorem, quia *saepe impossibile est ponere tutiorem:* qui, si deberet ponere tutiorem taliter, quod Sacramentum non maneret expositum frustrationi, fere nunquam posset absolvere poenitentem, nisi in mortis articulo, cum fere nunquam possit esse certo securus de legitima poenitentis dispositione. » – Idem dicit *Reuter,* loco supra citato.

Articulus 2.

Perpenditur Ratiuncula a S. Alphonso pro sententia affirmante allata.

Licet S. Doctor primam sententiam negantem probabiliorem dicat; tamen, *cum agatur de valore Sacramenti,* secundam *affirmantem,* cum sit etiam probabilis, tutius sequendam esse tenet. Et hanc quidem sententiam vere probabilem censet, « quia, sicut minister aut etiam suscipiens alia Sacramenta, *debet per intentionem ordinare materiam ad Sacramentum,* prout ablutionem ad Baptismum, vel tactum materiae ad Ordinationem: *ita etiam suscipiens Sacramentum Poenitentiae debet ad illud ordinare dolorem, qui est hujus Sacramenti materia.* »

I. Sed proh dolor! misere hallucinatur S. Doctor, putans hanc rationem quidquam valere. Ait namque P. Ballerini: « Quae autem in contrarium RATIUNCULA affertur *(apud S. Alph. l. c.)*... primo quidem supponit, eodem sensu dolorem esse materiam Sacramenti, ac sit ablutio in Baptismo, *materiam scilicet ex qua,* quod ad *meram* opinionem pertinet... »

1. Rationem itaque, quam S. Alphonsus cum aliis gravibus DD. pro sententia affirmante allegat, et probabilem censet, P. Ballerini *ratiunculam* vocare non haesitat. Caveat tamen, ne istius ratiunculae pondus ipsum opprimat. – Ratiunculam vocat, quippe quod *mera opinio* sit, dolorem eodem modo materiam Sacramenti esse, quo ablutio in Baptismo, *materium scilicet ex qua.* Opinio est, quatenus non definita, sed *opinio communis,* imo post Con-

1) Cris. 2. diss. 2. c. 3. n. 25.

cilium Florentinum et Tridentinum *communissima*.

2. Differunt utique Poenitentia et Baptismus, quatenus dolor materia proxima *moralis* est, ablutio autem *physica;* sed haec differentia non obstat, quominus dolor sit materia *ex qua*, et non *circa quam*, quemadmodum ablutio in Baptismo.– Quod fuse probat *Suarez*, dum scribit: [1]

« Nec refert, quod haec Concilia non vocent *actus poenitentis* simpliciter *materiam*, sed *quasi materiam:* id faciunt, non quia eo modo, quo in Sacramentis est materia, haec non sit propria materia sacramentalis: sed quia, vel *tota* materia sacramentalis non est propria, sed per analogiam sic appellatur, vel quia haec materia non est ex aliquo elemento seu corpore *sensibili*, sicut est in aliis Sacramentis. Et haec posterior ratio est magis propria: nam prior communis est aliis Sacramentis, cum tamen in illis non ita loquantur Concilia, sed absolute vocent materiam. Item illa prior ratio ad formam etiam posset applicari; et tamen Concilia non dicunt, verba sacerdotis esse quasi formam, sed simpliciter esse formam. Igitur, quia *materia simpliciter dicta*, etiam in rebus artificialibus, solet esse *aliquod sensibile corpus*, ideo aliis Sacramentis, in quibus materia proxima consistit in usu alicujus corporis sensibilis, materia simpliciter tribuitur: quia vero hic, nec materia proxima, nec remota est corpus sensibile, ideo (ad hoc solum denotandum) addita est illa particula diminuens, *quasi*. In ceteris vero omnibus, hic servatur *tota ratio, et munus materiae, aeque ac in aliis Sacramentis*. Nam, sicut ibi applicatio sensibilis elementi habet imperfectam significationem et virtutem, donec accedat forma, cui talis materia suo modo supponitur: ita etiam in praesenti Sacramento, actus poenitentis comparantur eodem modo ad verba sacerdotis. »

« Quapropter non possunt etiam dicta Concilia explicari convenienter de materia, circa quam versatur absolutio sacerdotis, sed de materia, *ex qua* constat sacramentum. Primo quidem, quia Concilium Tridentinum aperte declarat esse partes, quae ad integritatem Sacramenti requiruntur: materia autem *circa quam* non est pars, sed quasi objectum: unde illo modo potius peccata dici possent materia circa quam versatur absolutio; nam sunt quae remittuntur. Deinde, praedicta Concilia ita tribuunt huic Sacramento hanc quasi materiam, sicut aliis materiam: in aliis vero, id quod est materia, non est circa quam, sed ex qua perficitur Sacramentum: idem ergo est in praesenti. Quod etiam satis declarat ipsa distinctio et assignatio materiae et formae. Nam materiae circa quam non correspondet forma, sed actus, vel potentia, aut quid simile: cum ergo hic assignetur materia, cui forma respondet, signum est, sermonem esse de materia, quae suo modo informatur per formam, et ex qua simul cum forma aliquod totum consurgit. »

3. Idem dicunt *Valentia, Laymann, Reginaldus, Lugo* (e S. J.), et omnes recentiores praeter Scotistas. Unde *Busembaum*, cui assentit S. Doctor, cit. Lib. VI. n. 425. et 427. recte *communem* vocat sententiam, *actus poenitentis materiam esse ex qua*. – Et *Billuart* [2] dicit: « *Actus poenitentis*, contritio, confessio et satisfactio *sunt proprie materia proxima* Sacramenti Poenitentiae, seu partes materiales *ex quibus* intrinsece componitur. Est *communis* contra Scholam Scoti. »

4. Si autem ex hac sententia communissima et probabilissima concluditur, *dolorem ordinari debere ad Sacramentum Poenitentiae* suscipiendum eodem modo, quo ordinatur

1) De Poenit. disp. 18. sect. 2. n. 4. — 2) De Poenit. diss. 1. art. 2. n. 5.

ablutio ad Baptismum: haec conclusio solido sane fundamento innititur, et secundam sententiam affirmantem, satis probabilem reddit.

II. Addit insuper cl. Ballerinius: « Quae autem in contrarium *ratiuncula* affertur (apud S. Alph. l. c.)... » deinde *ipso S. Ordinis exemplo* » *refutatur;* nam valida habetur Ordinatio *infantis,* qui certe per intentionem, cujus capax non est, » tactum instrumentorum ad Sacramentum ordinare non potest. »

Sed facilis est hujus refutationis refutatio. S. Doctor, eodem Lib. VI. n. 80. dicit: « Plura autem hic adnotanda circa intentionem requisitam in suscipientibus Sacramenta. *In infantibus nulla quidem* » *requiritur intentio, cum suppleat* » *in eis intentio Christi vel Ecclesiae;* sicut enim sine propria voluntate ipsi peccatum contraxerunt, ita sine voluntate ab illo » liberantur. Hoc certum est cum » D. Thoma, et est de fide definitum » a Tridentino... Et quod dicitur de » Baptismo, idem dicendum de sacramento Confirmationis.... *Idem* » *de sacramento Ordinis infantibus* » *collato,* ut recte dicit Lugo. Idque » hodie *certum* est ex Bulla: *Inter* » *sollicitas,* nostri SS. P. Benedicti XIV. edita 4. Maji 1745. »

Articulus 3.

Sententia affirmans, quam tuetur S. A., gravibus sustentatur Auctoritatibus extrinsecis.

I. Pro hac sententia, ipse S. Doctor quatuor Auctores allegat, *Bonacinam* scilicet, *Concinam, Busembaum* et *Cardenam,* quibus accensendus est *Trullenchus.*

1. *Bonacina* [1] absolute sententiam affirmativam tenet.

2. Similiter *Concina:* [2] « Sed opinio haec *(negativa) rejicienda* est ut minus probabilis, *quoniam dolor iste actio est sacramentalis.* Ergo per *intentionem* poenitentis subjicienda est formae sacramentali; sicut ad hoc, ut *ablutio* sit proxima Baptismi materia, necessaria est intentio baptizandi. »

3. *Busembaum,* a S. Alphonso n. 433. ad 12. allegatus, ait: « Is, qui nihil cogitans de confessione, attritionem elicuit, non referens eam ad Sacramentum, *non potest sine novo dolore ad id accedere,* quia pars debet referri ad compartem. Ita Suarez. Contrarium tamen videtur docere Card. de Lugo, quod non est improbabile. »

4. *Cardenas, S. J.,* [3] dicit: « Praemitto secundo, ad hanc immediatam conjunctionem partium Sacramenti Poenitentiae *requiri, quod ille dolor antecedens referatur ad confessionem,* et confessio fiat in virtute ejus doloris; quod fit communiter, quando quis recogitat peccata sua in ordine ad confitendum illa, et tunc dolet de peccatis suis in ordine ad confessionem. Potest ergo esse quaestio, an dolor antecedens confessionem, si non referatur ad illam modo dicto, sufficiat ad valorem Sacramenti? In quo, dato quod non sit certum, requiri eam relationem doloris ad confessionem, est tamen *opinio tutior,* quod id requiratur; atque adeo *opinio, quae negat* eam relationem doloris ad confessionem, exponit Sacramentum frustrationi; atque adeo ea *subjicitur huic damnationi.* » Scilicet propositionis 1. ab Innocentio XI. proscriptae.

5. *Trullenchus:* [4] « Quaeres tamen primo, utrum dolor tempore antecedens confessionem, sufficiat ad Sacramentum Poenitentiae valide suscipiendum? Respondeo affirmative, *si formaliter aut virtualiter referatur ad confessionem:* ut, si quis doleat de peccatis cum proposito illa confitendi, aut cum dolore recogitet

1) Q. 3. p. 2. n. 17. — 2) De poenit. diss. 3 c. 1. n. 2. — 3) In prop. 1. Innoc. XI. diss. 2. n. 87. — 4) De poenit. c. 2. dub. 2. n. 9.

peccata sua, ut ea confiteatur, et deinde virtute illius propositi seu intentionis, confiteatur illa peccata; quia moraliter ille dolor censetur saltem virtualiter praesens. Quare, qui ante confessionem recogitavit peccata cum dolore, et postea, virtute illius praecedentis recogitationis et doloris, confitetur peccata sua, suscipiet Sacramentum Poenitentiae, quamvis postea in confessione, ob distractionem vel ob aliam causam, non renovet dolorem. »

II. Sunt autem et alii, qui eamdem sententiam affirmativam *probabiliorem,* aut *saltem probabilem* censent, et ideo *in praxi amplectendam* dicunt.

1. *Sporer,* [1] hanc quaestionem pertractans, ait: « *Rasslerus* [2] admittit, si quis concione aliqua permotus, intensissimum dolorem eliciat, nihil aliud de confessione cogitans: deinde vero ex desiderio consequendae veniae confiteatur; talem fore optime dispositum ad confessionem, nec indigere novo dolore. - Eandem sententiam probabilem censet *Gobat,* cas. 6. n. 159. addens tamen in fine: « *Nollem tamen ego sequi hanc doctrinam respectu mei;* quia spectantia ex institutione Christi ad valorem Sacramenti, sunt *potius scrupulose,* quam aliquantum laxe observanda. » - *Sic ille, sic ego, sic et tu.* »

2. *Lacroix, S. J.,* [3] de eadem quaestione agens dicit: « E contra Praepositus, Bonacina, Dicastillo [4] *aliique plurimi* (teste Stoz [5]) *probabilius dicunt debere elici ex intentione confessionis;* quia alias non est actio sacramentalis; ergo non censebitur subjici formae, tamquam pars materialis et determinanda: sicut *ablutio* facta sine intentione baptizandi, quamvis immediate post referretur ad Baptismum, et adderetur forma, non esset actio sacramentalis, nec pars Baptismi. »

Quam sententiam fuse vindicat, et demum n. 696. concludit: « Quamvis concederemus, quod sententia dicens *non requiri,* ut dolor sit elicitus ex intentione confitendi, esset probabilior; tamen *ejus praxis foret illicita, et damnata est ab Innocentio XI. in 1. propositione;* nam hic agitur de valore Sacramenti: ergo, cum sententia illa non sit certa, nostra, quae tutior est, debet in praxi teneri, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. »

3. Similiter *Mazzotta, S. J.* [6] ait: « Haec secunda sententia videtur *probabilior,* adeoque *in praxi sequenda.* »

4. Item *Reuter, S. J.,* [7]: « *Practice loquendo* (dolor) *debet elici ex intentione confessionis,* hancque et absolutionem praecedere. Ratio primae partis est: quia dolor, ut Sacramentum constituat, debet ad id ordinari; non videtur autem ad id ordinari, nisi per intentionem Sacramenti suscipiendi: nam ex natura sua eo non ordinatur, cum possit elici de venialibus, et peccatis alias confessis, cum intentione non confitendi. Ita Dicastillus, La Croix et alii; quorum sententia, cum *probabilis* sit, et agatur de valore Sacramenti, *in praxi tuenda.* »

5. Nec aliter *Antoine, S.J.* [8]: « Ubi agitur de Sacramentorum valore, tenemur sequi partem *tutiorem,* quamvis esset minus probabilis. Ob hanc rationem, *in praxi elici debet contritio ex intentione confessionis* vel absolutionis; et qui nihil cogitans de confessione, contritionem elicuit, *debet aliam denuo elicere.* Quia est tutius, et probabile est id requiri, ut aliqui docent: tum, quia pars debet referri ad compartem et illi moraliter uniri, ut totum cum illa constituat: tum, quia contritio sine relatione ad Sacramentum, non esset actio sacramentalis. Et quamvis forte contrarium, quod docet de Lugo, es-

1) De poenit. n. 289. — 2) Tr. de poen. c. 4. §. 11. — 3) Lib. 6. p. 2. n. 687. — 4) Disp. 6 dub. 13. — 5) Lib. 1. p. 2. n. 53. — 6) De contrit. c. 1. §. 3.— 7) De poenit. c. 2. q. 11. — 8) De poenit. c. 1. art. 1. q. 6. resp. 3.

set probabilius, tamen non est omnino certum. »

6. *Billuart* [1] similiter scribit: « Quidam tamen non improbabiliter tenent, quod, si sine ullo respectu ad confessionem elicita fuerit contritio, sed tempore confessionis poenitens dolorem prius habitum ad hanc confessionem revocet, id sufficiat propter moralem doloris et confessionis unionem. At *si contritio praecedens nullo modo referatur ad confessionem,* ut si hodie dolens non cogites de confessione crastina, nec cras confitens recorderis doloris hesterni, *invalide confiteris, nisi novum dolorem concipias;* quia pars debet referri ad compartem, et confessio sacramentalis et valida debet esse dolorosa, qualis non potest esse nisi per dolorem aliquo ex his modis ad se relatum. »

SIT IGITUR QUAESTIONIS CONCLUSIO:

Cum sententia *affirmans,* dolorem eliciendum esse cum intentione confessionis, intrinsece et extrinsece probabilis sit, cumque agatur *de valore Sacramenti,* S. Alphonsus recte docet, eamdem *in praxi esse tenendam.* Hinc rejicienda est opinio contraria, a cl. Professore propugnata.

QUAESTIO III.

An, si quis statim post absolutionem confitetur peccatum oblitum, teneatur novum elicere dolorem.

(S. Alph. Lib. VI. n. 448. — P. Ball. Tom. II. n. 448.)

Quaestionem propositam S. ALPHONSUS, Lib. VI. n. 448. quaer. 12. sic solvit:

« *Prima* sententia communior *negat;* et hanc tenent Lugo, Anacletus; Viva cum Perez, Henriquez et communi; Roncaglia, qui vocat moraliter certam; Sporer; Elbel putat probabilissimam cum Gobat, Dicastillo, Henriquez, Bosco, etc.; item apud Croix, Ledesma, Salas, Escobar, et Moya, qui dicit esse indubitatam apud omnes, sed immerito ut videbimus. – Ratio, quia prior dolor se extendit etiam ad peccata oblita, quae dum poenitens immediate confitetur, fit unum moraliter; recte enim potest una materia proxima partialis plura constituere Sacramenta; unde, sicut cum una aqua plures possunt fieri Baptismi, ita cum uno dolore, qui adhuc perseveret (ut hic supponitur), plura possunt constitui Sacramenta poenitentiae.

» *Secunda* vero sententia *affirmat;* » et hanc tenent Bonacina, Vasquez, » Filliuccius. Ratio, quia per primam » absolutionem jam completum est » judicium; ergo si impertienda est » nova absolutio, nova requiritur » materia proxima. Et quamvis dolor in se moraliter perseveret, non » tamen perseverat in ordine ad secundam absolutionem; ut enim supra diximus in praecedenti quaestione 11., probabiliter ad valorem » Sacramenti requiritur, ut dolor » non solum sit elicitus, sed etiam » elicitus in ordine ad absolutionem.- » Cum ergo haec secunda sententia » sit probabilis, *imo probabilior, in* » *praxi omnino sequendam* esse dicunt Croix et Concina; *ego saltem* » *tutius censeo tenendam.* »

P. Gury, T. II. n. 448. pag. 332. [2] eamdem quaestionem perpendens, quaerit: « An requiratur novus actus doloris ad novam absolutionem recipiendam, quando poenitens statim

1) De poenit. diss. 4. art. 8. q. 3. — 2) In altera edit. pag. 264.

post absolutionem peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur? » et respondet:

« Controvertitur. *Prima sententia communior et multo probabilior negat;* quia certo perseverat prior contritio, quae, utpote universalis, extendebatur ad omnia peccata, etiam omissa ex oblivione; nec requiritur, ut contritio explicite ordinetur ad Sacramentum. Praeterea videtur haberi dolor explicitus in actu illud peccatum accusandi. Lugo, Roncaglia, Reuter, etc., cum S. Lig. n. 448. – *Secunda sententia affirmat;* quia per absolutionem completum est judicium; ergo si impertienda sit nova absolutio, nova requiritur materia proxima; et quamvis dolor in se perseveret, non tamen perseverat in ordine ad secundam absolutionem. Bonacina, etc. *Haec sententia levi fundamento innixa videtur.* »

P. Ballerinio plane probatur istud judicium Patris Gury, quod nempe: « *haec sententia* (affirmans, quam tuetur S. Alphonsus) *levi fundamento innixa videtur* »: et idcirco aperte eam impugnat. In longiori namque Adnotatione 1. Asserit, eidem opinioni non suffragari *Auctoritatem;* 2. nec ullam *solidam rationem.* 3. Ipsa eo minus admittenda est, quia plures Auctores nequidem admittunt necessitatem iterandi dolorem in iteranda *eorumdem* peccatorum confessione. 4. Quae doctrina multum conferre potest *ad sedandos scrupulos* de doloris defectu, illorum praesertim, qui peccata venialia ordinaria confitentur, una cum peccato mortali jam alias confesso.

Quid igitur de hisce assertis sentiendum sit, per partes examinabimus.

Articulus I.

Spectata gravi Auctoritate extrinseca, sententiam affirmantem S. Alphonsus merito probabiliorem vocat.

Adnotationem suam, ultimis verbis Patris Gury appositam, cl. Ballerinius [1] sic exorditur: « Reipsa *Card.* » *De Lugo* (de Poenit. disp. 14. » n.28-30.) negat, partialem aliquam » materiam proximam non posse eam» dem duplici formae deservire. Or» dinationem vero doloris ad confes» sionem, superius jam dictum est, » necessariam non esse. Sed insuper » negandum est, ejusmodi ordinatio» nem hic deesse; nam qui de peccatis » dolet cum intentione confitendi, » satis ordinat singulorum dolorem » ad eorumdem confessionem et ab» solutionem. – Adde ulterius, *pro* » *secunda ista sententia perperam* » *allegari* (apud *S. Alphons.* Lib. 6. » n. 448. ex Croix Lib. 6. p. 2. n.711.) » *Vasquez, Bonacina et Filliuccium.* » Hi enim, cum dolorem iterandum » dicunt, non de peccatis ex oblivione » omissis, sed de iterata *eorumdem* » peccatorum confessione disputant. » *Neque auctoritas igitur, neque* » *solida ratio ulla suffragatur isti* » *opinioni.*

» Contra vero, pro *priori* senten» tia, quam S. Alphonsus (l. c.) ap» pellat *communem*, et *moraliter* » *certam* a Roncaglia, *probabilissi» mam* a Sporer cum Elbel et aliis » multis, ac demum *indubitatam* » *apud omnes* ab aliis dici testatur, » *stat,* ut ait Lugo (l. c. n. 27.), *et* » *communis praxis. Nam, licet unus* » *vel alius Confessarius fortasse ad» moneat poenitentem in praedicto* » *casu de renovando dolore, alii* » *tamen omnes communiter id non* » *faciunt.* De qua communi Confes» sariorum praxi testatur et Dica» stillus (De Sacram. tr. 8. disp. 6. » dub. 22. n. 160.).... »

I. Judice itaque cl. Ballerinio, *Vasquez, Bonacina* et *Filliuccius* perperam a S. Doctore allegantur. « Hi enim (ait), cum dolorem iteran» dum dicunt, *non de peccatis ex* » *oblivione omissis,* sed *de iterata* » *eorumdem peccatorum confessione* » disputant. » Nulla igitur auctoritas opinioni affirmanti suffragatur.

1) Ibid. pag. 265.

1. Verum *Filliuccius, S. J.,* [1] expressis verbis de peccatis oblitis loquitur; scribit enim: « In ordine ad peccata commissa ante receptionem Sacramenti, sed *omissa ex oblivione* vel alia legitima causa, *etiam potest iterari* hoc Sacramentum, *imo debet;* quia omnia peccata debent subjici clavibus per confessionem, ut pluribus *Suarez.* » [2] – Si autem iterari debet Sacramentum, iterari debet etiam *materia proxima;* et, quemadmodum materia remota, scilicet peccata oblita, in praecedenti Sacramento nonnisi implicite ministrata, nunc explicite ministrari debet, ita etiam materia proxima.

2. Idem l. c. dicit *Suarez, S. J.,* « Quia tenemur omnia peccata subjicere clavibus per confessionem: haec autem obligatio non fuit impleta integre quoad talia peccata: ergo manet obligatio illa confitendi. Item illa non fuerunt directe remissa per claves, nec de illis fuit latum judicium sacramentale: ostensum est autem, hoc judicium esse medium necessarium ad remissionem *cujuscumque* peccati mortalis. Potest ergo et debet nova confessio fieri talium peccatorum, ad quam absolutio consequatur: ex illis vero necesse est fieri *novum sacramentum* numero distinctum a praecedente, quia constat distincta materia et forma, et distinctum habet effectum, quem significat. »

3. *Vasquez* et *Bonacina* utique non de peccatis oblitis, sed de jam confessis loquuntur; at S. Doctor noster id non ignoravit, sed eos citat, quia *eadem ratio* currit in utroque casu; quemadmodum etiam observat Lacroix. [3]

4. Audiamus de hac re *Cardinalem de Lugo, S. J.,* [4] qui quaestionem proponit: An *novus actus doloris* requiratur, si quis statim post absolutionem peccatum oblitum confitetur? et dicit: « De hoc puncto non loquuntur expresse Doctores. Aliqui tamen, cum de reiteratione confessionis agunt, videntur supponere, ad secundam absolutionem ab *eisdem* peccatis praerequiri novam confessionem, et novum dolorem: ita *Bonacina* [5] et alii, qui dum fatentur, posse eadem peccata iterum esse materiam secundae confessionis, dicunt rationem esse, quia peccata sunt materia remota in hoc Sacramento: materia autem remota potest eadem deservire ad duo Sacramenta, ut eadem aqua ad duplicem baptismum, licet eadem materia proxima non possit. *Unde videntur supponere, dolorem,* qui est materia proxima, *non posse eumdem deservire* ad duplex Sacramentum Poenitentiae; et clarius *P. Vasquez* [6] dicit, quando repetuntur *eadem* peccata in nova confessione, *debere repeti novum dolorem,* quia materia proxima debet esse nova pro Sacramento novo. »

Deinde adfert sententiam *Henrici Henriquez, S. J.,* [7] qui dicit, novum dolorem non requiri, si quis peccata *oblita* confitetur; secus autem, si peccata *jam confessa* denuo confitetur, quia in hoc casu attritio non fuit informata per Sacramentum directe. – Sed hanc distinctionis rationem non admittit Lugo, et fusius refellit: « *Non ergo video rationem discriminis sufficientem,* cur valeat confessio secunda in priori casu absque novo dolore, et non in posteriori. » Unde concludit, in neutro casu novum dolorem requiri. At vero huic conclusioni aliam difficultatem objicit S. Alphonsus, quam infra exponemus. – Ceterum Lugo sententiam, novum dolorem de peccatis oblitis non requiri, nequaquam absolute sustinet, sed tantum *satis probabilem videri* dicit. Pro certa ergo eam non habet; at de hoc, an *certa* sit, unice hic agitur. Satis probabilem esse

1) Tr. 6. n. 76. — 2) Disp. 18. sect. 4. n. 7. — 3) Lib. 6. p. 2. n. 711. — 4) Disp. 14. sect. 3. num. 24. — 5) De Sacram. disp. 5. q. 4. punct. 4. n. 1. — 6) Q. 92. art. 3. dub. 5. n. 10. — 7) De Poenit. lib. 4. c. 26. n. 7.

eamdem sententiam, nec ipse S. Alphonsus diffitetur.

II. Sunt autem *plures recentiores DD.*, qui eamdem sententiam negantem non certam censent, et ideo *in praxi* oppositam *affirmantem tenendam* esse dicunt.

1. *Concina,* [1] a S. Alphonso citatus, ait: « Quamvis probabilia haec sint, *tuta* tamen dici nequeunt. Ideo, cum in Sacramentorum administratione tutiora sequi debeamus, *ad novam absolutionem renovandus dolor est:* eo vel maxime, quod absque ullo gravamine poenitentis, id fieri possit. Renovatio haec instantanea est, et breviori intervallo renovari dolor potest, quam peccatum confiteri. Missis itaque casuisticis tricis, *tutiora in hoc summo negotio sequere:* et poenitentem novum delictum confitentem, novaque absolutione indigentem, ad renovandum novi manifestati peccati dolorem urge. »

2. *Lacroix, S. J.,* [2] similiter a S. A. citatus, scribit: « Praxis sententiae, quam a num. 707. defendimus, est illicita et damnata ab Innocentio XI., uti constat ex dictis: sententia enim illa non est certa, et agitur de valore Sacramenti; ergo in praxi eligenda est opposita tutior. Unde, si quis etiam statim post absolutionem recordans peccati, illud addat, debeatque ab eo absolvi, *tenebitur prius renovare dolorem;* alioqui haec secunda absolutio exponetur periculo nullitatis, ideoque peccabitur mortaliter. »

3. *Holzmann* [3] quaestionem proponit: « An una eademque contritio ad duo (vel plura) numero Sacramenta Poenitentiae sufficere possit? » et respondet *affirmative.* At subdit: [4]

« Sed petes, an nostra sententia et resolutio sit moraliter certa, atque ideo *citra peccatum practicabilis?* Respondetur *negative.* Ita P. Lacroix, [5] P. Herzig [6] et alii. Ratio est: quia opposita sententia est probabilis, tam in-quam extrinsece: ergo nostra non potest dici moraliter certa; consequenter, *cum minus sit tuta, ac opposita, et concernat valorem Sacramenti, non potest licite practicari extra casum necessitatis, ob prop. ord. 1. inter 65 ab Innoc. XI. damnatas,* juxta quam illicitum est sequi opinionem probabilem (vel etiam probabiliorem aut probabilissimam, ex dict. part. 1. n. 150.) tutiore relicta in Sacramentis, ubi de valore agitur. - Antecedens autem ostenditur. Nam imprimis ea sententia est *intrinsece* probabilis; cum innitatur fundamentis non spernendis, quorum duo a nobis adducta sunt, et probabilius quidem, non tamen evidenter soluta aut enervata. *Extrinsece* probabilis est eadem sententia; quia nititur auctoritate gravium DD., qui eam docent ut probabilem, vel etiam ut probabiliorem: quemadmodum docent Vasquez, Bonacina, Amicus, Mastrius [7] et alii apud ipsum. - Nec dicas cum P. Viva, [8] nostram sententiam esse certam ex praxi Confessariorum. Contra enim est, neg. assumpt. *Nam peritorum Confessariorum praxis potius facit in contrarium,* utpote qui a poenitentibus, unum vel alterum mortale confiteri oblitis, et post jam acceptam super aliis absolutionem primum recordatis, atque ideo pro nova confessione ad confessionale reversis, *novum dolorem* et propositum exigere, novamque imponere satisfactionem solent. Ita excepi ex ore plurium, quos desuper ex professo interrogavi. Horum proin exemplar et tu imitare (prout facile poteris), nisi Sacramentum periculo frustrationis citra necessitatem exponere malis, non sine gravi peccato sacrilegii. »

4. *Reiffenstuel:* [9] « Qui, peracta

1) De Poenit. diss. 3. c. 1. n. 5. — 2) Lib. 6. p. 2. n. 712. — 3) De poenit. n. 511. — 4) Ibid. n. 512. — 5) Lib. 6. p. 2. n. 711. et seq. — 6) In Manual. Confess. p. 2. c. 3. n. 62. — 7) In 4. disp. 5. n. 338. — 8) Super cit. prop. n. 26. in fin. — 9) Tr. 14. dist. 6. n. 62.

confessione, iterum confitetur aliqua peccata, quorum antea fuit oblitus, *probabilius* non tenetur elicere novum actum doloris ante ea generaliter concepti de omnibus peccatis; sed potest absolvi virtute prioris doloris, adhuc virtualiter permanentis. » Ergo oppositam sententiam *probabilem* censet.

5. Idem dicit *Billuart:* [1] « Utrum qui immediate post confessionem accusat peccatum oblitum, teneatur ad novam contritionem? Resp. probabilius negative... Alii tamen censent, toties renovandum esse dolorem, quoties est renovanda absolutio, quae sententia (cum agatur de valore Sacramenti) *videtur tenenda utpote tutior, et insuper gravi innititur fundamento.* Renovata enim absolutione, novum fit Sacramentum. Atqui novum Sacramentum videtur requirere novam partem, nedum formalem, sed etiam materialem. Ergo.»

6. Scribit *Antoine, S. J.:* [2] « In praxi requiritur nova contritio, quoties datur nova absolutio: quia oppositum non est omnino certum, et nova forma exigit novam materiam proximam. Quare, si quis statim post absolutionem recordans mortale, illud addat, debet ante novam absolutionem *renovare contritionem.* »

7. *Reuter, S. J.:* [3] « Idem dolor, etsi physice praeteritus, si moraliter perseveret, sufficit pro pluribus absolutionibus; *in praxi tamen renovandus est:* uti si quis cum universali dolore confessus, aliquod mortale fuisset inculpabiliter oblitus, et postea ante communionem ejus memor, ab eo vellet absolvi. »

8. Similiter *Voit, S. J.:* [4] « In praxi tamen praestat novum elicere dolorem, ut *tutius* procedatur in iis, quae pertinent ad valorem Sacramenti. »

Haec de Auctoritatibus sententiae affirmanti suffragantibus. Videamus nunc de Rationibus intrinsecis.

Articulus 2.

Eidem sententiae affirmanti, quam S.A. tuetur, non desunt solidae Rationes intrinsecae.

In adnotationis principio jam supra relato, cl. Ballerinium dicentem audivimus: « ... Ordinationem vero doloris ad confessionem, superius jam dictum est, necessariam non esse. *Sed insuper negandum est, ejusmodi ordinationem hic deesse;* nam qui de peccatis dolet cum intentione confitendi, satis ordinat singulorum dolorem ad eorumdem confessionem et absolutionem ... Neque auctoritas igitur, *neque solida ratio ulla suffragatur isti opinioni...* » – Ad haec paucis respondebimus.

1. Ratio, quam S. Doctor pro affirmativa sententia allegat, haec est: Per primam absolutionem, *judicium sacramentale completum fuit:* ut autem novum Sacramentum perficiatur, nova requiritur materia proxima. – Plures responsiones habentur apud adversarios, quibus probabiliter quidem, vel etiam probabilius haec difficultas solvitur et enervatur, sed non evidenter, ut recte advertit Holzmann supra citatus.

2. Quoad substantiam, istae responsiones eo recidunt, quod *dolor moraliter perseveret* et confessionem dolorosam reddat, et ideo omnia adsint, quae ad validitatem Sacramenti requiruntur. – Sed non tollit difficultates haec ratio. Utique dolor *implicite* perseverat; sed *ad novum Sacramentum* perficiendum non sufficit confessio implicite dolorosa, sed requiritur *explicite dolorosa,* i.e. actus formalis doloris.

3. Porro, dolor ille moraliter perseverans ideo non sufficit, quia *non perseverat in ordine ad secundam absolutionem.* Et haec est altera ratio. Sententia autem, ad valorem Sacramenti requiri dolorem in ordine

1) Summa Summ. (edit. Romana 1834.). De poenit. diss. 3. art. 8. n. 3. — 2) De poenit. c. 1. art. 1. q. 6. resp. 3. — 3) De poenit. n. 287. — 4) De poenit. n. 508.

ad absolutionem elicitum, satis probabilis est, prout jam supra demonstravimus.

Non desunt ergo huic sententiae solidae rationes intrinsecae.

Articulus 3.

Perpenditur alia quorumdam Auctorum sententia a cl. Ballerinio relata, videlicet, novum dolorem nequidem necessario eliciendum esse in iterata eorumdem peccatorum confessione.

Adnotationem suam P. Ballerini sic prosequitur: « Duo autem hic » omittenda non sunt. Primum est, » praemissam doctrinam ex communi » sententia valere non modo in casu, » qui frequentior esse solet, alicujus » peccati, quod quis in confessione » obliviscitur, et mox deinde post » absolutionem, vel paulo post con- » fitetur; sed etiam duobus aliis in » casibus, nempe, tum quando *mo- » ribundus* propter instantis mortis » periculum absolvendus est uno vel » altero peccato audito, ac dein pro- » sequenda est confessio de reliquis; » tum etiam quando quis, *dimidiata » confessione* (qui tamen casus rari- » simus accidet, ut suo loco dicetur), » a Superiore absolvatur solum a re- » servatis, et dein a non reservatis » absolvatur ab alio. »

Quibus praemissis, cl. Professor ad urgendam improbabilitatem sententiae S. Alphonsi, sic pergit: « Alte- » rum est, *ne praedictam quidem » Vasquezii, Bonacinae ac Filliuccii » sententiam* de necessitate iterandi » dolorem in iterata *eorumdem* pec- » catorum confessione, *juxta plures » necessario admittendam esse.* - Et » sane, *Card. De Lugo* plane con- » trarium sentit. Ac primo quidem » hoc menti DD. consentaneum sic » innuit (l. c. n. 34.): *Licet Aucto- » res non agant expresse de hoc pec- » cato, ex modo tamen, quo loquun- » tur, videntur hoc insinuare . . . » Imo P. Joann. Salas in Mss. de » Poenitentia, q. 84. art. 10., re- » lata sententia aliquorum recentio- » rum, qui dicebant, requiri novum » dolorem sicut novam confessionem » ad valorem secundi Sacramenti, » ipse dicit, contrarium esse verius, » et sufficere, quod partes sensitivae* » (nempe confessio, et in ipsa con- » fessione doloris expressio) *sint no- » vae*, etc. Mentem vero suam (ib. » n. 31.) sic aperuerat: *Si vera sunt* » (inquit) *quae adduximus in con- » firmationem primae partis, non » apparet, cur aliquando circa ea- » dem etiam peccata non possit re- » peti confessio et absolutio nova, in » virtute doloris praecedentis, per- » severantis adhuc moraliter et vir- » tualiter* (scil. non retractati). Et » (seq. n. 32.) concludit: *Ratio vi- » detur eadem pro utroque casu.* - » His autem praeiverant tum Joann. » De la Crux, et Petrus de Ledesma » (ap. Diana Tom. I. tr. 3. res. 88. » n. 1.), qui insuper testatur, doctri- » nam hanc esse *communem*. Istis » vero accessit et Dicastillus (apud » Diana, l. c.) cujus est haec thesis: » *Asserendum est, non solum quan- » do novum peccatum quis fatetur, » quod oblivione non dixerat, sed » quando eadem omnino peccata no- » vae confessioni subjiciuntur, suf- » ficere antiquum dolorem vel phy- » sice vel moraliter adhuc manen- » tem.* Et quidem rationibus a Dica- » stillo allatis debetur, quod Diana, » qui huic doctrinae adhaerere prius » cunctabatur (Vid. l. cit. res. 89. » n. 3.) deinde eam absolute ample- » xus fuerit. Post descripta enim » Dicastilli argumenta (l. c. res. 88. » n. 4.) concludit: *Huc usque Dica- » stillus; cui ego nunc absolute ad- » haereo.* Tum vero addit, non modo » id ipsum sensisse alium doctorem » Salmanticensem (Vid. ibid. res. 90. » n. 2.), sed praeterea se quoque au- » ctore in eandem concessisse Lean- » drum; de quo (ibid. res. 95. n. 4.) » scribit: *Idem Leander* (De Sacram. » Tom. I. tr. 5. disp. 7. q. 4.) *docet, » etiam me citato et Cardinali Lugo, » quod quando quis confitetur ea- » dem peccata, a quibus jam directe*

» *fuerat absolutus, non tenetur ha-* » *bere novum dolorem eorumdem* » *peccatorum; quia repetita confes-* » *sione vocali, repetitur saltem vir-* » *tualiter dolor praecedentis confes-* » *sionis, perseverantis adhuc mo-* » *raliter et virtualiter.* His demum » adde Thomam Tamburinum (Meth. » Confess. Lib. I. cap. 2. §. 5. n. 7.), » qui pro eadem doctrina laudat Jo- » sephum De Januario: *Lege* (inquit) » *Januarium* (P. 1. res. 30.), *qui* » *docet, eum qui peccata alias rite* » *confessa et absoluta confitetur, non* » *teneri iterum elicere actum do-* » *loris, si prior habitualiter (idest* » *non retractatus) vel virtualiter* » *perseverat ...* »

Verum istae Auctoritates a clar. Professore allatae sententiam affirmantem S. Alphonsi haud infirmant.

1. In primo Articulo jam ostendimus, *Filliuccium* expressis verbis de peccatis *oblitis* loqui. – Similiter vidimus, *Vasquezium* et *Bonacinam* recte a S. Doctore allegari, licet isti loquantur « de necessitate iterandi » dolorem in iterata *eorumdem* pec- » catorum confessione. »

2. Sed, juxta plures (objicit P. Ballerini) ne ista quidem necessitas admittenda est. « *Et sane Card. de* » *Lugo plane contrarium sentit.* » *Lugo,* l. c.[1] revera quidem allegat Joannem de Salas, qui, relata sententia aliquorum recentiorum, requiri novum dolorem sicut novam confessionem ad valorem secundi Sacramenti, contrarium verius esse dicit. Item Magistrum Salmanticensem, qui hanc sententiam non improbabilem videri indicavit, et demum Petrum de Ledesma et Joannem de la Cruz, qui clarius et expresse eam docent. – At vero in fine concludit Lugo: « Apud alios nihil invenio pro hac parte, nec etiam contra illam, *quam quidem ego non auderem reprobare.* » Ergo nequaquam « *plane contrarium sentit.* »

3. Quoad auctoritates Dicastilli, Dianae, Leandri, Josephi a S. Januario, et Thomae Tamburini a cl. Professore adductas, paucis advertimus, istas non ejusmodi esse, ut haec sententia probabilior dici posset; eo magis quia ipse Tamburini eam solummodo *probabilem* vocat.

4. E contra, oppositam, praeter Vasquez, Bonacinam, Filliuccium et Henriquez jam citatos, tenent Aversa, Bernal,[2] Joannes Sancius,[3] quos Lacroix allegat. Imo *Sancius* hanc sententiam communem vocat: « *Requiri tamen novum dolorem, communiter docent DD.* Vasquez;[4] licet Ledesma et Joannes de la Cruz contrarium censeant probabilius. Quibus non assentior. »

5. Inter *recentiores* autem, multi DD. sententiam, *novum dolorem* requiri, probabiliorem aut saltem probabilem censent, et ideo *in praxi tenendam esse docent.* – Quemadmodum Lacroix, Concina, Holzmann, Antoine, Reuter, locis supra citatis.

6. Porro *Sporer:*[5] « Ut tamen peccata *jam semel legitime confessa,* valide et fructuose iterum subjiciantur clavibus, omnino requiritur nova dispositio poenitentis, *novus dolor* et confessio, et re ipsa nova materia proxima Sacramenti: cum novum et iteratum Sacramentum debeat constare nova et iterata materia et forma... *51.* Scio docere recentiores, et nominatim Tamburinum, sufficere novam confessionem dolorosam, at non per novum dolorem elicitum, sed per priorem dolorem in priori confessione habitum, et adhuc virtualiter durantem in hac iterata confessione. Quod fateor speculative verum esse. Sed displicet speculatio in re tam morali, et tanta facilitate novum dolorem eliciendi. »

7. Item *Mastrius:*[6] « *Longe probabilior* est opinio opposita asserens, non sufficere ad novum Sacramentum conficiendum novam tantum addere confessionem *eorumdem* peccatorum

1) De poenit. disp. 14. n. 34. — 2) De Sacram. disp. 6. n. 74. — 3) Disp. 1. n. 22. — 4) De poenit. q. 92. art. 3. n. 9. — 5) De poenit. n. 50. — 6) De poenit. n. 114.

jam confessorum, sed requiri praeterea *novum dolorem* de iisdem peccatis, quae iterata confessione subjiciuntur clavibus. »

8. Similiter *Flavianus Ricci,* in Additionibus ad Anacletum Reiffenstuel: [1] « Caeterum, in praxi necessaria mihi videtur semper *nova contritio,* quoties nova datur absolutio. Ita, praeter alios, Antoine, Cuniliati et Franzoia; quia opposita sententia, quamvis probabilior aliquo sensu admitteretur, tamen non est omnino certa, adeoque in praxi non satis tuta; ubi autem agitur de valore Sacramentorum, *tutiora* eligenda sunt. Deinde hic ponitur nova forma; ergo requiritur etiam nova materia proxima. »

Articulus 4.

Examinatur, an sententia a cl. Ballerinio superius exposita, revera conferat ad sedandos scrupulos.

Cl. Professor demum adnotationem sic concludit: « Caeterum, ejusmodi » doctrina non eatenus ad praxim » deservire debet aut potest, quatenus aut Confessarii aut poenitentes etiam in confessione peccatorum alias jam rite Sacramento expiatorum minus solliciti de excitando dolore esse debeant. Absit hoc sane. – Verumtamen utilis quandoque esse potest, quatenus ope illius, » ut ait Diana (l. c. Res. 89. n. 2.) » *Confessarii sedabunt multos scrupulos, praesertim illorum, qui confitentur de peccatis venialibus ordinariis, et cum illis de aliquo peccato mortali alias confesso et absoluto.* Nam, etsi timendum admodum non sit, ne dolor de gravibus praeteritis illi desit, qui alioqui affert solum venialia, atque adeo, qui animum a culpa gravi aversum, tentationes constanter vincendo, manifestat; scrupuli tamen de doloris defectu haud raro anxios quosdam habent, praesertim si quempiam concionatorem forte audire contingat, qui *zelo forte minus discreto* contra iteratas sine dolore veterum culparum confessiones vehementer declamet. *Has porro anxietates,* cum aliis admiculis, *tum etiam praesentis sententiae praesidio, Confessarius compescere opportune poterit.* »

1. Sed non comprehendimus, quo pacto doctrina, novum dolorem de peccatis jam confessis non requiri, sedare possit scrupulos eorum, qui peccata venialia ordinaria confitentur una cum peccato alias confesso. Quippe qui non de *iteratione* doloris anguntur, sed de *sufficienti* dolore, existimantes, quod nunquam actum sufficientis doloris de pristinis peccatis mortalibus elicuerint, et satis de hisce peccatis non doleant.

2. E contra, doctrina *S. Alphonsi* aptissima est ad sedandos scrupulos quoscumque, tam poenitentis, quam Confessarii. Moneat Confessarius poenitentem, ut novum actum doloris de peccato oblito, sive de peccatis jam confessis eliciat: et scrupulis locus non erit. Qua methodo, facilior et expeditior cogitari non potest; nam, ut bene advertit Concina supra citatus, « renovatio instantanea est, et breviori intervallo renovari dolor potest, quam peccatum confiteri. »

ITAQUE CONCLUDIMUS:

1. S. Alphonsus docet, novum eliciendum esse dolorem, si quis statim post absolutionem confitetur peccatum oblitum. Spectatis tum gravi *auctoritate* extrinseca, tum solidis *rationibus* intrinsecis, S. Doctor hanc sententiam *affirmantem* merito probabilem, imo et *probabiliorem* vocat. – Hinc P. Ballerini immerito asserit: « *Neque auctoritas, neque solida ratio ulla suffragatur isti opinioni.* »

2. Cum insuper sententia negans, licet communior, certa non sit, et agatur *de valore Sacramenti;* S. Do-

1) De poenit. n. 83.

ctor, posita vera probabilitate sententiae affirmantis, rectissime censet, *eamdem in praxi tutius esse sequendam.*

3. Haec demum S. Alphonsi doctrina *sapientissima* est, et ad scrupulos sive poenitentis, sive Confessarii, sedandos aptissima.

QUAESTIO IV.

An in confessione sufficiat Attritio ex metu poenarum temporalium, prout infliguntur a Deo.

(S. Alph. Lib. VI. n. 443. — P. Ball. Tom. II. n. 452. q. 7.)

Lib. VI. n. 443., S. ALPHONSUS ad propositam quaestionem sic respondet: « *Prima sententia affirmat ;* » et hanc tenent Lugo, Suarez, Spo» rer, Anacletus, Viva; Elbel, qui » cum Gobat vocat moraliter certam ; item Granadus, Reginaldus, » Moya, Aversa, etc. cum Croix, qui » vocat probabilissimam. Ratio, quia » Tridentinum, sess. 14. cap. 4., in» ter motiva attritionis ad Sacra» mentum sufficientis, dicit: *ex metu* » *gehennae et poenarum:* ubi per tò » *gehennae* intelligitur poena aeter» na, per tò autem *poenarum* vide» tur intelligi poena temporalis, cum » ibi Concilium adducat exemplum » poenitentiae Ninivitarum, quae con» cepta fuit ob metum excidii suae » civitatis: sicut enim Deus commi» natur poenas aeternas, sic tempo» rales ad peccatores absterrendos. - » *Secunda sententia* vero *negat,* et » hanc tenent Concina, Canus; item » Hurtadus, Pasqualigo apud Diana. » Et Cardenas dubitat, an prima sen» tentia sit moraliter certa. Ratio, » quia licet Tridentinum dicat ex » metu *gehennae et poenarum,* non » tamen distinguit gehennae *vel* poe» narum ; unde probabiliter ponit » utrumque pro eodem ; cum enim » poena peccati mortalis sit aeterna, » de malo aeterno poenitens timere » debet.

» *Prima* sententia *videtur proba» bilior ;* nam *gehenna* cunctas com» plectitur aeternas poenas; et ideo, » dicente Concilio: *et poenarum,* » aliquid aliud praeter poenam ae» ternam intelligendum est. At, *cum* » *secunda non careat sua proba» bilitate, saltem extrinseca, puto* » *tutius in praxi eam servandam* » *esse.* »

P. Gury, Tom. II. n. 452. q. 7. pag. 937.,[1] eamdem quaestionem proponit, et respondet: « *Affirmative probabilius,* modo sit supernaturalis. Ratio est, 1°. quia constare videtur ex verbis Tridentini, ubi dicit: *Attritio ex metu gehennae, et poenarum concipitur:* distinguit enim inter poenas gehennae et alias poenas; 2°. quia in ejusmodi metu omnes verae attritionis conditiones adesse possunt. - *S. Lig. n. 443.* »

Ad haec verba P. BALLERINI sequentia notat: « Licet S. Alphonsus » n. 443. non diffiteatur, hanc senten» tiam (scilicet affirmantem) ab aliis » *probabilissimam,* ab aliis *morali» ter certam* censeri (ex Croix, a quo » ea sumpsit, addi poterat, eandem » ab aliis dici *omnino certam*); at» tamen tria in contrarium advertit: » 1°. quod Cardenas dubitet, *an sit* » *moraliter certa;* 2°. quod contra» rium senserint Canus, Pasqualigus, » et Hurtadus apud Diana; 3°. quod » Tridentinum *copulative* dicat *ge» hennae et poenarum,* non vero *dis» junctive* distinguat *gehennae vel* » *poenarum.* Unde concludit: *Cum* » *secunda* (sententia) *non careat sua* » *probabilitate, saltem extrinseca,*

1) In altera edit. pag. 272.

» *puto tutius in praxi eam servan-*
» *dam esse* ... Exinde etiam Auctor
» (P. Gury) *probabiliorem* tantum
» dicit sententiam quam proponit. –
» Sed reipsa rationes istae S. Al-
» phonsi, nec quidpiam detrahunt
» firmitati doctrinae, quam ex com-
» muni DD. Auctor refert, *nec ullam*
» *vel tenuem probabilitatem* opposi-
» tae conciliare possunt.

» Quod itaque attinet ad *primum,*
» *Cardenas,* in hac operis sui parte
» posthuma et sane secundis curis
» indiga, se remque totam, lapsus
» memoria, misere implicavit. Nam
» *(Cris. part. 4. In Prop. 1. Inno-*
» *centii XI., disp. 2. q. 2. n. 69.)* vi-
» detur utique loqui de poenis, quae
» ceu a Deo inflictae concipiantur;
» sed mox *(ibid. n. 70.)* lectorem re-
» mittit ad Disp. 73. partis 3. Porro
» hic loquitur profecto de iisdem poe-
» nis, sed non uti a Deo inflictis; et
» idcirco *(n. 14-16.)* concludit, hunc
» timorem non esse donum Spiritus
» Sancti, qualem exigit Tridentina
» Synodus. Quidquid ergo hic dixe-
» rit, ad rem non facit. – Quoad *se-*
» *cundum* vero, notissimum est, *Ca-*
» *num* (Vid. Faure, *Dubitat. theol.,*
» *dub. IV. sect. IV.*) et *Hurtadum*
» in contraria, ac S. Alphonsus di-
» cat, sententia fuisse, adeo ut Diana,
» ad quem ipse remittit, imo doctri-
» na Hurtadi ad communem senten-
» tiam confirmandam utatur. *(Vid.*
» *Tom. 1. tr. 3. resol. 108. n. 2.).*
» Pasqualigum vero Diana ne nomi-
» nat quidem; nec Pasqualigus [1] ul-
» lum de hac controversia verbum
» habet. Quocirca *totum, quantum*
» *est, deficit fundamentum, cui ex-*
» *trinseca illa probabilitas super-*
» *struebatur.* Caeterum falsas istas
» allegationes non ex se S. Alphon-
» sus protulit, sed bona fide sumpsit
» ex *Croix* (Lib. 6. p. 2. n. 884.),
» qui, sive indiligenter has ipse ad-
» notaverit, sive aliunde sit mutua-
» tus, parum nostra nunc refert. –
» Quoad *tertium* denique patet, *eam*
» quoque *rationem omni destitui*
» *efficacia; et contra communem*
» *omnium sensum* per se evinceret,
» ad attritionem non sufficere metum
» gehennae, nisi insuper accederet
» metus malorum temporalium.

» Quod vero subindicat *(ibidem)*
» S. Alphonsus, in Tridentini Con-
» cilii contextu vocem *poenarum* non
» significare nisi poenas inferni, *id*
» *manifeste repugnat eidem contex-*
» *tui;* mox enim ibi subjicitur exem-
» plum timoris, quo concussi Nini-
» vitae, ad Jonae praedicationem
» plenam terroribus, poenitentiam
» egerunt. Porro praedicatio Jonae
» plena terroribus juxta sacram Scri-
» pturam *(Jon. 3. 4.)* haec fuit: *Ad-*
» *huc quadraginta dies, et Ninive*
» *subvertetur.* »

Ergo juxta P. Ballerini, 1. sententia negativa, quam S. A. tutius in praxi servandam esse putat, nulla, ne tenui quidem probabilitate nititur; e contra, sententia affirmativa, ex communi DD., dicenda est moraliter certa; – 2. S. A. pro sua sententia, plures Auctores falso allegat; – 3. Explicatio quam tradit verborum Tridentini, admitti nequit, etc.– Utrum autem haec omnia tam fidenter asserta, revera ita se habeant, sedulo examinabimus.

Itaque, 1°. Praemissis quibusdam *principiis* et observationibus generalibus; 2°. Vindicabimus *Auctores* a S. A. pro sententia negativa citatos; 3°. *Alios,* quos S. Doctor praetermisit, Auctores eidem sententiae suffragantes, allegabimus; 4°. *Rationes* intrinsecas perpendemus.

Articulus 1.

Praemittuntur quaedam generalia.

1. « *In collatione Sacramentorum*
» (ait S. Alphonsus, lib. I. n. 48.)
» *nequit minister uti opinione nec*
» *probabili, nec probabiliori circa*
» *eorum valorem; sed tenetur sequi*

1) In altera edit. additur: « *quoad inspectis ejus scriptis nosse licuit.* »

» *sententiam tutam, quae est illa,* » *quae vel est tutior, vel moraliter* » *certa. Constat id ex propositio-* » *ne 1. ab Innocentio XI. proscri-* » *pta, quae dicebat:* « Non est illi- » citum in Sacramentis conferendis, » sequi opinionem probabilem de va- » lore Sacramenti, relicta tutiore ; » nisi id vetet lex, conventio, aut » periculum gravis damni incurren- » di. Hinc sententia probabili tantum » utendum non est in collatione Ba- » ptismi, Ordinis sacerdotalis vel » episcopalis. »

2. Haec igitur sola ratio est, cur S. Doctor noster *negativam* sententiam *tutius in praxi servandam* esse putat. Agitur enim in praesenti quaestione de *validitate* Sacramenti Poenitentiae; negativa autem sententia probabilitate sua non caret: ergo tutius est, eam in praxi servare. – Addit S. A. « *saltem extrinseca* »; quo indicat, hanc sententiam, etiamsi de ejus probabilitate intrinseca dubitaretur, satis tamen probabilem reddi auctoritatibus extrinsecis. Quidnam vero sub *auctoritatibus* hic intelligat, manifeste patet ex modo dictis: videlicet, non illos tantum DD. qui negativam absolute tenent, sed etiam omnes qui eam probabilem censent. – Quapropter etiam inter DD., quos pro sententia affirmativa allegat, illos distinguit, qui eam moraliter certam vocant, juxta Gobat et Elbel. De caeteris enim affirmativae patronis, qui simpliciter eam tenent, at nec moraliter certam, nec in praxi tutam dicunt, supponendum est, quod speculative tantum loquantur: quod de illis saltem certum est, qui post damnationem praefatae propositionis scripserunt.

3. Aliam adhuc explicationem praemittere juvat. S. Doctor quaestionem ponit: « An in confessione » sufficiat attritio ex metu poenarum » temporalium, *prout infliguntur a* » *Deo?* » Ergo de poenis temporalibus *hujus vitae* loquitur, non autem de temporalibus purgatorii in altera vita. Qui enim poenas purgatorii timet, aliter ipsas timere nequit, quam prout a Deo infligendas. Ceterum, attritio *ex metu purgatorii* alioquin, ut per se intelligitur, nonnisi de peccatis *venialibus* haberi potest. – Quibus praemissis, ad objectiones cl. Ballerinii accedamus.

Articulus 2.

Vindicantur Auctores a S. A. pro sententia negativa allegati.

Auctores, quorum sententiam ad examen revocare juvat, sunt *Pasqualigus, Hurtado, Diana, Canus, Cardenas et Concina.*

I. De *Pasqualigo* loquens, ait P. Ballerini: « *Pasqualigum Diana ne* » *nominat quidem, nec Pasqualigus* » *(quoad inspectis ejus scriptis nosse* » *licuit) ullum de hac controversia* » *verbum habet... Caeterum, falsas* » *istas allegationes non ex se S. Al-* » *phonsus protulit, sed bona fide* » *sumpsit ex Croix (Lib. 6. part. 2.* » *n. 884.)* ... »

1. Citatum igitur textum Patris Lacroix ex integro et ad verbum adferri necesse est.

Loco cit. *Croix, S. J.,* quaerit: « *An hactenus dicta valeant etiam de attritione ex metu poenarum temporalium?* » et respondet: « *Probabilissimum* est, quod ad Sacramentum Poenitentiae *sufficiat* attritio concepta ex metu poenarum temporalium, etiam hujus vitae, ut infligendarum a Deo; hoc tamen *non est omnino certum....* Pars secunda etiam probatur; nam licet Gobat [1] putet non esse dubitandum de attritione ex metu poenarum temporalium, et Arriaga [2] dicat esse omnino certum, quod sufficiat saltem ex metu poenarum purgatorii; tamen universaliter de attritione ex metu poenarum temporalium negant Canus, *Pasq.,* [3] Hurtadus apud Dianam; [4] et talem attritionem vocat

1) T. 6. n. 47.— 2) D. 11. n. 2. — 3) Q. 92. art. 1. dub. 3.— 4) P. 9. tr. 9. res. 51.

suspectam Coninchius: [1] ideoque Cardenas n. 72. et Gormaz supra dicunt, sententiam illam de attritione, absolute ex metu poenarum temporalium, non esse certam, sed videntur intelligere poenarum hujus vitae. Ratio autem est, quia, quamvis Tridentinum ponat ex metu gehennae, *et* poenarum, tamen non dicit gehennae *vel* poenarum; hinc forte ponit tò *gehennae et poenarum* pro eodem, subintelligendo: *et poenarum gehennae:* vel fortasse per tò *gehennae,* intelligit poenam damni, per tò *poenarum,* poenam sensus in inferno. Quamvis autem talis attritio ex metu poenarum etiam temporalium, possit esse honesta, supernaturalis et efficax respectu venialium; tamen aliunde non constat certo, quod Christus voluerit sufficere, sufficitque certo alia attritio respectu venialium, nempe concepta ex motivo turpitudinis peccati. Ergo. »

2. P. Ballerini objicit, *Pasqualigum* ne verbum quidem habere de hac controversia. - Verum est, quod dicit; nec ulla *Quaestio 92.* in Pasqualigo occurrit. Sed simplicissima est hujus difficultatis solutio. Pasq. erratum typographicum est, pro quo legi oportet Vasq. i. e. *Vasquez,* qui utique *Q. 92. art. 1. dub. 3.* negativam sententiam tenet, et pro eadem a Diana et ab aliis allegatur.

3. Ibidem *Vasquez* dubium proponit: « Ex quo motivo debeat esse attritio, ut sit dispositio ad hoc Sacramentum ? » et exposita sententia Dominici Soti, addit:

« Insuper, in ejus sententia, attritio erit non tantum dolor de peccato, propter poenas inferni, et propter turpitudinem peccati, sed etiam propter poenas temporales, ut famae, salutis, etc., quia, inquit, timor ille est bonus, quia et illa mala vere a Deo inflicta sunt. *Haec tamen sententia mihi non probatur;* sed eam existimo veram attritionem, quae necessaria est, ut dispositio, saltem in hoc Sacramento ad gratiam obtinendam, quam Concilium illo cap. 4. sess. 14. descripsit, quae scilicet, aut ex turpitudine peccati, vel ex gehennae et poenarum metu concipitur: adde etiam, vel ex damno spirituali amissionis beatitudinis et gratiae; denique ex aliquo aeterno motivo: et ita, cum in Concilio dicitur « *ex gehennae et poenarum metu* », intelligitur nomine poenarum, aut poenae ipsius gehennae, ut *idem sit dicere ex metu gehennae et poenarum,* aut nomine gehennae intelligatur *ipsa sensus poena,* nomine vero poenarum aliae poenae damni aut amissionis gloriae et gratiae... Haec sententia probatur; quoniam sicut timor, qui est poenae temporalis, dicitur mundanus, qui ita de se est principium boni sicut mali, ita et dolor hujus rationis: unde altior debet esse ratio, quae moveat ad attritionem, ut sit dispositio cum Sacramento ad impetrandam gratiam. »

4. Ex textu allato Patris Lacroix simul patet, veram non esse cl. Professoris assertionem (in princ. adnotationis), quod S. Alphonsus, praeter Gobat, ex Lacroix alios adhuc addere potuisset, qui sententiam affirmativam *omnino certam* dicunt. Lacroix, ut vidimus, praeter Gobat, solum Arriagam allegat, at cum restrictione: « *saltem ex metu poenarum Purgatorii* », de quibus hic non agitur. [2]

II. Ad *Hurtadum* et *Dianam* quod attinet, scribit cl. Professor: « *No- » tissimum est, ... Hurtadum in con- » traria, ac S. Alphonsus dicat, sen- » tentia fuisse, adeo ut Diana, ad » quem ipse remittit, imo doctrina*

1) Disp. 4. n. 39.

2) *Viva* et *Mazzotta* sententiam affirmativam non certam, sed probabilissimam tantum dicunt; nihilominus autem putant, eam in praxim deduci posse. Verum hoc repugnat damnationi propositionis memoratae, qua in conferendis Sacramentis, usus opinionis minus tutae, quantumvis probabilis, reprobatur, nisi moraliter certa sit.

» *Hurtadi ad communem senten-* » *tiam confirmandam utatur.* »

1. *Gaspar Hurtadus, S. J., solummodo dicit, aliquos merito docere,* attritionem ob malum temporale cum respectu ad Deum, a quo immissum aut immittendum est, sufficere ad effectum Sacramenti Poenitentiae : et quonam sensu id dicat, infra in textu Dianae videbimus.

2. *Diana* autem, infra allegandus (pag. 434.) censet, hanc sententiam *etiam probabilem* esse.

III. Quoad *Melchiorem Canum,* pariter affirmat P. Ballerini: « *No-* » *tissimum est, Canum* (Vid. Faure, » Dubitat. theol. dub. IV. sect. IV.)... » *in contraria, ac S. Alphonsus di-* » *cat, sententia fuisse...* »

1. Sed hoc notissimum esse nequit, quia non est verum. Siquidem *Canus* [1] dicit: « Secundum genus imperfectae displicentiae est, quae oritur a timore poenarum. Poenas vero intelligo *spirituales vel aeternas, quae lumine fidei cognoscuntur:* et hanc Doctores Scholastici omnes attritionem vocant, atque de ea *D. Augustinus* [2] loquitur, tractans illa verba Ezechielis: *Quacunque hora peccator ingemuerit, et conversus fuerit, vita vivet.* Conversum ait, non tantum versum, vita vivere. Vertitur a peccato, qui jam vult dimittere peccatum; convertitur, qui jam totus omnino vertitur, qui jam non solum poenas timet, sed ad bonum Domini contendere festinat. Dixerat autem poenitentiam, quae impetrat vitam, non a solo timore, sed a charitate proficisci. Hanc etiam attritionem, tanquam insufficientem rejicit *D. Ambrosius.* » [3] – Et P. 6. scribit: « Deinde etiam attritio efficax *ex timore poenarum supernaturalium,* idonea dispositio est ad Sacramentorum Baptismi et Poenitentiae gratiam percipiendam; ut, cum quis detestatur omnia peccata mortalia, et propterea confitetur, *ne per peccatum excludatur a gloria, vel ne in infernum ignem conjiciatur.* Qui etiam, si cognoscat, se non habere contritionem, sed solam attritionem, licite accedit ad Baptismi et Poenitentiae sacramenta suscipienda. »

2. Manifeste ergo *Canus* attritionem ex metu poenarum a Deo infligendarum, nisi supernaturales, spirituales vel aeternae sint, quae lumine fidei cognoscuntur, non admittit. – Pater Faure [4] in alium finem alium locum allegat, in quo Canus de quaestione prorsus diversa agit, quae nihil ad rem nostram facit: nimirum *P. 5.,* ubi dicit, attritum quocunque attritionis genere, si existimat, se praestitisse, quod necessarium erat, ignoretque invincibiliter se non habere sufficientem dispositionem, valide Sacramentum suscipere, quia obicem non ponit et bona fide accedit.

3. Caeterum haec opinio Melchioris Cani et aliorum antiquiorum jam dudum rejecta et relegata est, atque inter recentiores, praeter Patrem Faure, vix quis reperietur, qui eam tueri audeat. – *Suarez* [5] ipsam adducit, suumque judicium hisce verbis profert: « Haec vero sententia sine dubio falsa est; nam ad consequendam remissionem peccati mortalis per hoc Sacramentum, necessaria est vera Attritio in re ipsa existens. » Quod deinde diffuse, praesertim ex Concilio Tridentino, probat.

IV. Singularem operam impendit cl. Professor in impugnando *Cardenae, S. J.,* testimonium. Siquidem ipsi summopere displicet assertio Cardenae, *damnationi Innocentii XI. subjacere, qui diceret, sententiam affirmativam in praxim deduci posse.* Unde mirum non est, quod jam in antecessum ejusdem auctoritatem extenuare conetur. Hinc contendit, Opus posthumum [6] Cardenae, labente

1) Relect. de poen. p. 3. — 2) De vera et falsa poenitentia, c. 17. — 3) Lib. 2. de poenit. c. 9. — 4) Dubitationes theol., dub. 4. sect. 4. — 5) De poenit. disp. 20. sect. 2. n. 3. — 6) Sci-

jamjam memoria conscriptum, *secundis sane curis indiguisse.*

1. Sed aliter sonat judicium *Collegii Hispalensis,* eidem operi praefixum: « Equidem authoris nomen adscribi, fere otiosum censuimus; adeo parentem refert suum, ut fortasse tanquam senectutis filius *(Genes. 37. 3),* teneriori dignus amore videatur, majorisque commendationis omen prae se ferat, utpote quem non ingenii effervescentis audacia, aut calami prurientis impetus effuderit; sed severior judicii lima perpoliverit, animique gravitas, immensaque lectionis assiduitate fecunda mens conceperit, aluerit, ediderit.» — Collaudatur imprimis « *multiplex eruditio, solida doctrinae copia, ingens cum acumine conjuncta dexteritas, dilucida explicandi distinguendique difficultatum nodos ferme inextricabiles, methodus.* » - Similibus laudibus idem Opus extollitur in adnexa censura, ex mandato supremi Senatus Castellae; et revera, quicunque librum sine partium studio perlegit, judicio P. Ballerini nullatenus subscribet.

2. Audiamus ergo *Cardenam.* In ejus Opere posthumo, seu *secunda Crisi theologica* [1] dicit: « *Num. 69.* Inquiritur secundo. An opinio, quae docet licitum esse, quod quis in confessione utatur attritione, ex timore poenarum temporalium, quae a Deo, eamquam a delictorum vindice infliguntur; *an haec,* inquam, *opinio subjaceat huic damnationi?* - *70.* Et quidem plures et gravissimi sunt doctores, qui dicunt, eam attritionem modo explicato conceptam, esse sufficientem ad valorem et effectum Sacramenti. Ita P. Suarez, [2] P. Lessius, [3] qui asserit, hoc esse satis probabile. Item P. Granada, P. Gaspar Hurtado, P. Reginaldus, Lugo Card., Mag. Candidus, M. Prado, et plures alii, quos refert et sequitur doctissimus P. Matthaeus de Moya, diligens indagator mentis Authorum. [4] Quia tamen non desunt Authores, qui eum modum attritionis *negant esse sufficientem;* et opinio *affirmativa* non nititur fundamento infallibiliter certo, sed *solum satis probabili,* ut supra notavi ex P. Lessio, et ego tamquam probabile obiter docui, *3. part. Cris. theol., disp. 71. cap. 1. n. 2.* Ideo restat inquirere, *an et quomodo haec opinio subjaceat huic damnationi?* »

» *N. 71.* Dico primo. Haec opinio de attritione ex timore poenarum temporalium, modo explicato, *speculative sumpta,* quatenus docet validum esse illud Sacramentum, *non subjacet damnationi.* Patet: quia hoc decretum non damnat opiniones speculativas circa valorem Sacramenti, quin potius supponit, illas esse probabiles et gravibus fundamentis innixas. - *72.* Dico secundo. Si haec sententia doceat, esse licitum *deducere ad praxim* id genus attritionis, ita ut dicatur, esse licitum confiteri advertenter cum ea sola attritione (quod non asserunt Authores hujus opinionis), *subjacet damnationi.* Patet conclusio: Illa opinio subjacet huic damnationi, quae versatur circa valorem Sacramenti, et est minus tuta, docetque licitum esse eam deducere ad praxim: sed haec opinio de tali attritione versatur circa valorem Sacramenti; cum illa attritio sit pars essentialis Sacramenti, et illa quidem est minus tuta; nam si coram Deo non est vera, Sacramentum Poenitentiae frustratur: ergo si docet, licitum esse eam deducere ad praxim, subjacet huic damnationi. - *Itaque huic opinioni non remanet probabilitas practica,* ut quis advertenter confiteatur cum illa sola attritione; remanet tamen illi probabilitas practica ad hoc, quod si bona fide confessus est cum ea

cet *quarta Pars* Operum, de propositionibus damnatis tractans, quae communiter citatur: *Crisis secunda,* quia priores tres partes similiter *Crisis theologica* inscribuntur.

1) Dissert. II. in prop. 1. ab Innoc. XI. damnatam.— 2) Tom. 4. in 3. part., disp. 7. sect. 2. n. 15. — 3) 3. part. q. 1. dub. 5. n. 18. — 4) Tom. 1. selectar., tr. 3. disp. 9. q. 4.

sola attritione, non teneatur postea repetere illam confessionem: quia quando probabile est, fecisse bonam confessionem, non tenetur illam repetere. »

3. Ex quibus patet, Cardenam non tantum de poenis, quae ceu a Deo inflictae, concipiantur, loqui *videri,* ut dicit cl. Ballerinius; sed indubitate de iisdem poenis disserit, cum adjungat verba: « *quae a Deo, tamquam a delictorum vindice infliguntur.* » Nec Cardenas lectorem pro uberiore explicatione remittit ad Disp. 71. Partis 3.; sed solummodo observat, se in priore opere, cui etiam titulus est *Crisis theologica, 3. part. disp. 71. cap. 1. num. 2.* obiter docuisse, sententiam affirmativam probabilem esse.

4. In hac Disputatione *71.* Cardenas quaestionem pertractat: « An attritio sufficiens ad valorem et effectum Sacramenti, possit esse naturalis, et ex motivo humano et naturali? » – et cap. 1. n. 2. statum quaestionis explicans, dicit: « Praemitto, dolorem peccatorum, qui elicitur ex timore malorum temporalium, *quatenus a Deo infliguntur* in poenam peccati, non elici ex motivo humano: id enim motivum est supernaturale. Et ideo attritio habita ex eo motivo, sufficiens est ad valorem et effectum Sacramenti poenitentiae. De quo videndi sunt P. Suarez et P. Coninchius. » – Si autem distinctione hac praemissa, n. 14-16. docet, attritionem naturalem et ex motivo *naturali* elicitam, nec ad consequendam gratiam nec ad valorem Sacramenti sufficere, quia non est donum Dei et impulsus Spiritus Sancti: nonne vana et inepta, ne plura addamus, dicenda est assertio cl. Ballerinii, Cardenam *memoria lapsum* et oblitum esse, quae Disp. 71. Partis 3. n. 14-16. docuerat, nihilque ad rem facere, quidquid in Opere posthumo dixerit?

5. Insuper in eodem Opere posthumo, id est in *secunda Crisi,* Dissert. 36. ubi agit de damnata propositione 57.: « Probabile est, sufficere attritionem naturalem modo honestam », Cardenas disertis verbis dicit n. 1.: « *Et quidem in 3. parte Cris. theol. disp. 71. per totam, debellavi propositionem hanc.* » Et distinctione facta, ait n. 2.: « Dolor autem de peccatis, ex terrore malorum temporalium, *quatenus a Deo infliguntur* in poenam peccati, *non elicitur ex motivo mere humano,* id enim est motivum supernaturale; quia respicitur Deus, ut justus vindex peccati. » - Et demum n. 6. dicit: « Respondeo, latissimum esse discrimen inter utramque propositionem; nam quae respicit Deum, ut ultorem peccati per poenas temporales, *est probabilis;* quamvis, quia versatur circa valorem Sacramenti et est minus tuta, non possit assumi ad recipiendum valide Sacramentum. »

6. Nequaquam ergo Cardenas memoriae infirmitate laboravit, et prorsus commentitia est illa exprobratio Ballerinii: « *quod se remque totam, lapsus memoria, misere implicaverit.* » Misere potius calumniatum dices Cardenam, quam misere implicatum.

V. Demum S. Doctor *Concinam* allegat, cujus testimonium in dubium revocare cl. Professor prudenter praetermisit. Siquidem Concina [1] quaestionem examinat, an sufficiat dolor conceptus ex motivo damni temporalis, si hujusmodi mala timeantur ut a Deo inflicta vel infligenda; et de sententia *affirmativa* dicit: « *Hanc opinionem existimo, non modo falsam et laxam, sed contentam in decreto Innocentiano.* Fatetur ibi Tamburini, Doctores oppositum docere. Ergo opinio est controversa. *Ergo tutior amplectenda.* - Opponit Tamburinus: Tridentinum non definit dolorem concipiendum ex timore solum gehennae, vel alterius poe-

1) De poenit. lib. 1. diss. 3. n. 8., et succincte in Compend. lib. 11. diss. 1. c. 8. n. 5.

nae spiritualis seu aeternae, sed addit in universum: ex timore poenarum. Evidenter fallitur Tamburinus cum aliis. Concilium dicit: ex gehennae et poenarum metu. Propositio est copulativa. Cur ergo mittis gehennam primo loco positam, ac per particulam *et*, copulatam cum poenis? Poena mortali peccato debita, est aeterna. Ergo de malo aeterno, a Deo infligendo, dolere peccator debet. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus..., sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Matth. 10. Sic Evangelistae, sic Tridentinum. Ergo evidenter falsa est opinio Tamburini, Viva et aliorum. »

Praeter Auctores a S. Alphonso citatos, adhuc plures et quidem graviores sunt DD., tam antiquiores, quam recentiores, qui sententiam *negativam* aut absolute tenent, aut saltem probabilem aestimant. Ut igitur scrupulis cl. nostri Professoris plenius satisfiat, quosdam citare placet.

Articulus 3.

Confirmatur sententia negativa S. A. aliis quibusdam Auctoritatibus.

1. Cardinalis *Toletus, S. J.*, [1] differentiam inter contritionem et attritionem explicans, dicit: « Primo ex parte objecti, quando detestatur peccatum cum reliquis conditionibus, sed non quia offensa Dei; verum, aut quia est quoddam malum animam foedans et deturpans, faciensque servam diaboli; aut quia ei debetur poena aeterna; aut quia ex eo secutum est malum aliquod temporale: quacunque ratione harum detestatur peccatum, attritio est. » – Et explicans, quaenam attritio sufficiens sit ad effectum Sacramenti consequendum, dicit *n. 8.*: « Prima quidem attritio, si talis sit, ut cognoscat poenitens, se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, *sed tantum ut est alicujus mali causa et poenae inferni,* [2] quamvis bonus actus iste sit, tamen non sufficit ad Sacramentum; imo qui sic accederet, peccaret denuo, et non impleret praeceptum: sed esset repetendum Sacramentum. Aliquando quoque talis attritio, etiam secundum se mala esset, quando quis peccatum detestaretur propter malum, ut ultimum finem, puta cum talis est, quod non detestaretur, nisi esset propter malum, tunc actus malus est: at absolute detestari peccatum propter malum illatum, bonus actus est, sed, ut diximus, insufficiens. »

Cum ergo Toletus non admittit attritionem conceptam *ex timore poenae aeternae*, quae aliter cogitari nequit quam a Deo infligenda: tanto minus admittit attritionem *propter malum temporale*, etiamsi hoc malum consideretur ut a Deo inflictum vel infligendum. Ceterum, quoad quaestionem, de qua hic agimus, jam sufficeret textus ille corruptus (in nota allegatus), utpote de solo quidem malo temporali, at indistincte loquens.

2. *Suarez, S. J.*, [3] scribit: « Ad tertiam Vega concedit, detestationem ob metum aliarum poenarum, esse attritionem, et contineri sub primo membro: nam Concilium utrumque

1) Summa, lib. 3. c. 4. n. 6.

2) Sic legitur in editione Lugdunensi, Mediolanensi et Antverpiensi de anno 1599. (Toletus obiit anno 1596.), in Romana de a. 1600. collata cum autographo, prout Editor exresse testatur, in Antverpiensi et Constantiensi de eodem a. 1600., et in Veneta, Placentina et Coloniensi de a. 1601. — At in Romana, de a. 1601., interpolator aut incautus glossator textum mutavit, et legitur: « *sed tantum ut est alicujus mali temporalis causa.* » quam editionem postea secutae sunt aliquae recentiores, ut Romana de a. 1611., Coloniensis de a. 1614. et 1619. ac Veneta 1667. Corruptum esse hunc textum, jam ex eo patet, quia Toletus non detestationem peccati propter malum *aeternum* opponit detestationi propter malum *temporale*; sed motivum propter *offensam Dei*, motivo propter *malum quodcumque*, cujus causa peccatum est.

3) Disp. 5. sect. 2. n. 15.

conjunxit, scilicet: *Ex metu gehennae et poenarum.* Quae sententia vera erit, si intelligamus illum timorem non esse mere humanum et naturalem, sed divinum et supernaturalem. Itaque, quamvis poenae temporales sint, si tamen considerentur, *ut inflictae a Deo*, et ut nobis indicant iram ejus, *et quodammodo inchoant divinum supplicium, nisi emendemur;* sub ea ratione possunt movere ad supernaturalem attritionem, quae optime reducitur ad illam, quae est ex metu gehennae: sicut sperare a Deo bona temporalia, sub aliqua habitudine ad vitam aeternam, seu ad specialem vel supernaturalem Dei providentiam, ad virtutem spei pertinet. »

Bene notanda sunt, quae Suarez hic exigit: videlicet, ut poenitens poenas temporales non solum a Deo inflictas consideret, sed etiam aeternorum suppliciorum memor sit, quorum istae poenae jam quaedam inchoatio sunt, nisi emendetur. Nam attritio, tam in *principio,* quatenus dispositio ad justificationem ab auxilio gratiae pendet, quam in *motivo,* supernaturalis esse debet, i. e. ex motivo elicienda est, quod ex lumine fidei cognoscitur. At vero, Deum malorum operum vindicem esse, et impios saepissime in hac vita poenis temporalibus punire: lumine naturali cognoscitur, et jam Ethnici cognoverunt; cujus rei evidens testimonium cultus est, quem Numini ultrici sub titulo Nemesis exhibuerunt. - Ideo attritio ex metu poenarum temporalium, etiamsi ut a Deo inflictae vel infligendae considerentur, *in se* supernaturalis et sufficiens non est, nisi accedat consideratio veritatis, quae solo fidei lumine cognoscitur. Cujus generis est consideratio, poenis temporalibus quodammodo aeterna supplicia inchoari. Unde concludit Suarez, hanc attritionem ad illam, quae est ex metu gehennae, optime reduci.

3. *Tanner, S. J.:*[1] « Talis denique etiam probabiliter videri potest poenitentia de peccato ob poenas temporales, si considerentur ut a Deo irato et per peccatum offenso inflictae, adeoque ut inchoatio quaedam justi supplicii. » - Dicit: *etiam probabiliter videri potest;* ergo oppositam ut longe probabiliorem tenet.

4. *Diana*[2] quaestionem ponit: «*An ad Sacramentum Poenitentiae sufficiat attritio de peccatis ob malum temporale?* » - et ait: « Ob infamiam, v. gr. vel ob nocumentum salutis, vel ob poenam, sive pecuniariam, sive corporalem, qua peccator damnatus est, vel damnandus a judice humano, vel ob similia. Et *negative* respondet Vasquez,[3] Suarez,[4] et alii, quibus adde Sylvium[5]: alioquin sequeretur, quod solis naturae viribus posset peccator sufficienter se disponere ad Sacramentum et Sacramenti effectum. - *Mihi vero contraria sententia modo, quo infra, explicanda, etiam probabilis videtur,* quam docet Aegidius de Coninch et Petrus de Ochagavia, quos citat et sequitur *Gaspar Hurtado,*[6] ubi sic ait: « Aliqui docent et merito, attritionem et dolorem peccatorum *ob malum temporale cum respectu ad Deum,* a quo immissum aut immittendum est in poenam, i. e. dolorem de peccato, quia Deus ob illud immisit aut immittet dictum malum (ut vere fieri potest, quia quodcunque malum, quod non sit culpae, a Deo immittitur) sufficere ad effectum Sacramenti Poenitentiae, *non vero ob malum temporale, ut aliunde eveniens aut eventurum absque respectu ad Deum.* - Ratio *prioris* partis est, quia dolor ob malum temporale modo dicto respiciens Deum (qua ratione quodammodo est *aeternum*,. et ad alteram vitam pertinens) ex se non solum est

1) De poenit. q. 6. dub. 4. n. 91. — 2) P. 4. tr. 4. res. 193. — 3) In 3. P. tom. 4. q. 92. art. 1. dub. 3. — 4) Disp. 20. sect. 2. — 5) In 3. P. supplem. D. Thom. q. 1. art. 3. in fine. — 6) De Sacram. disp. 6.

honestus, sed etiam habet motivum, quod tantum est ad dolendum de peccato, et non ad dolendum de bono opere; et excludit affectum peccandi, quia Deus etiam eo malo punit peccatum, et non opus bonum. Et confirmatur haec ratio: quia dolor iste ut sic, oritur ex displicentia aut ex metu *poenarum divinarum*, quem Tridentinum supponit sufficere ad effectum hujus Sacramenti. – Ratio vero *posterioris* partis est, quia dolor ob malum temporale ut non respiciens Deum ut punitorem, sed ut aliunde proveniens, quamvis possit esse honestus, habet tamen motivum, quod potest esse ad dolendum de bono opere, quia etiam opus bonum potest esse occasio talis mali; et ob id, ex se non excludit affectum peccandi, quod Tridentinum requirit in dolore, ut sufficienter disponat ad gratiam hujus Sacramenti. Ita Hurtado. »

Diana ergo *utramque* sententiam *aeque probabilem* aestimat. *Hurtado* autem tantum admittit, quod Coninchius et Ochagavia docent; et quatenus rationem addit, quod malum temporale Deum respiciens quodammodo aeternum sit, et ad alteram vitam pertinens, sententiae *Suarez* assentitur. Nam malum temporale, etiamsi Deus ut punitor respiciatur, in se nullo modo aeternum et alteram vitam respiciens est, quin potius ratio aeterni ex hypothesi exoriditur. Si vero poenitens malum temporale ut initium supplicii consideraret, motivum doloris proprie in metu mali aeterni residet.

5. *Coninchius, S. J.,*[1] supra citatus, admittit quidem sufficere, si quis peccatum detestatur propter malum aliquod temporale, quod sibi timet a Deo immittendum. Nihilominus subjungit, *ejusmodi attritionem merito suspectam esse posse,* quia timendum est, ne desit extensio poenitentiae ad omnia caetera peccata, et propositum vitandi in posterum omnia peccata mortalia, praecipue autem ne desit requisitum poenitentiae supernaturalis.

6. *Lugo, S. J.,*[2] dicit: « *Videtur* etiam poenarum nomine, de quibus in universum postea (Concilium Tridentinum) meminit, comprehendi in primis poena purgatorii, cujus terrore, potest non solum de venialibus dolere homo, sed etiam de mortalibus, quae post justificationem, purgatorii poena puniuntur: in quo non placet *Vasquez* infra, quaest. 92. art. 2. dub. 3., *ubi videtur exigere semper aliquod motivum aeternum, ad veram attritionem.* Eodem modo censeo, posse concipi attritionem, ex metu pestis vel alterius damni temporalis, quo Deus solet punire peccata etiam in hac vita: quod *videtur* esse juxta mentem Tridentini; nam adducitur ibi in exemplum poenitentia Ninivitarum, quae concepta fuit ob metum excidii suae civitatis, quod Deus comminatus fuerat: et quidem, sicut Deus comminatur poenas aeternas, sic etiam comminatur poenas hujus saeculi, ad terrendos homines; ergo ejusmodi motivum bonum est, et honestum, et sufficiens ad veram attritionem, ut fatetur Suarez. »

Cum ergo *Lugo,* de mente Tridentini loquens, iteratis vicibus dicit: *videtur,* hanc sententiam non absolute tenet, sed probabilem tantum censet.

7. *Tamburini, S. J.,*[3] dicit: « Inter motiva attritionis, de quibus n. 4. diximus, licet aliqui non admittant aliud quartum, id est, timorem mali temporalis, atque adeo quo peccata execraretur, propter timorem infamiae, carceris, aegritudinis et similium, quae propter peccata incurri solent; legitimum dolorem pro Sacramento Confessionis, per hos Doctores non afferret, *quia hujusmodi dolor naturalis est (ajunt), non autem supernaturalis,* et prout oportet, ad gratiam supernaturalem obtinen-

1) Disp. 4. n. 39. — 2) De poenit. disp. 5. n. 137. — 3) Method. conf. lib. 1. c. 1. §. 4. n. 11.

dam. Tamen in sententia probabilissima, etiam hoc motivum est sufficiens, si hujusmodi mala temporalia timeantur, ut a Deo inflicta seu infligenda. »

8. *Roncaglia:* [1] « Solum ergo dolor ex motivo mere naturali ortus non erit sufficiens ad Sacramentum Poenitentiae; ut, si quis doleret de peccato propter exilium, seu mortem a judice infligendam. Caeterum, quidquid alias dixerim in Quaesitis Dogmaticis, [2] *non nego posse esse* dolorem supernaturalem illum, qui conciperetur ex timore poenarum temporalium, ut infligendarum a Deo, Vindice peccati. Ratio est, quia cum S. Scriptura tam saepe doceat, multoties Deum etiam in hoc mundo punire nostra crimina, jam timor talium poenarum regulari *potest* a lumine fidei, adeoque esse supernaturalis. »

Verissimum est, quod hic dicit Roncaglia. Timorem talium poenarum regulari *posse* a lumine fidei, nemo negat; at quaestio est de attritione ex metu poenarum temporalium a Deo infligendarum *in se spectata,* nulla alia consideratione, quae ad veritates revelatas pertinet, accedente.

9. *Leonardus Jansen:* [3] « Sed quid de dolore concepto ex metu poenarum temporalium, ut a Deo in hac vita infligendarum? R. Etsi hic dolor *speculative videatur sufficere,* si ejus motiva per fidem proponantur, quia tunc potest esse honestus, supernaturalis et efficax modo explicato, et *salubriter concussi Ninivitae plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a Deo impetrarunt,* Trid. l. c.; quia tamen id *Canus, Hurtadus, Vasquez* [4] probabiliter negant, *in praxi adhibendus est dolor certe sufficiens,* ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. - Si quis cum tali dolore bona fide confessus est, secundum Tamburini, Lugo, Sporer, [5] La Croix, [6] non tenetur confessionem repetere, quia dolor ille probabilissime est sufficiens; at oppositum mihi magis probatur, quia legi certae non satisfit per solutionem incertam, ut ostendi Cas. 5. a n. 18. »

10. *Reuter, S.J.,* [7] quaestionem proponit: « An ad Sacramentum Poenitentiae sufficiat etiam attritio, concepta ex metu poenarum temporalium a Deo infligendarum in hac vita? » et respondet:

« *N. 280. Probabilissime sufficit* talis attritio, si efficax et supernaturalis sit; *in praxi tamen,* ea concepta ex metu poenarum hujus vitae temporalium, *non debet esse contentus poenitens.* - *Primam partem* docent Auctores plurimi et gravissimi cum Suarez, Lugone, etc. Ratio est, quia Tridentinum inter motiva sufficientia ponit gehennam et poenas; ubi per *gehennam* intelligitur poena aeterna, per *poenas* praescinditur ab aeterna et temporali; *potestque* talis attritio *esse* supernaturalis et efficax. - *Ratio secundae partis* est: tum quia aliqui talem attritionem habent *suspectam;* tum quia sic difficilius vitae aeternae aderit amor, possetque esse forte actus fugae tantum; tum quia motivum actus supernaturalis debet cognosci per fidem, vel lumen aequivalens; saepe autem incertum est, an mala infligenda sint propter peccata, an vero probationis causa, poenis in futurum reservatis. »

« Dixi: *Concepta ex metu poenarum temporalium hujus vitae:* nam non videtur dubitandum, quin pro *venialibus* in Sacramento remittendis sufficiat attritio, concepta ex metu poenae damni et sensus in purgatorio: ut, si quis doleat, quia meruit ad tempus a beatitudine excludi, et plecti poena sensus; tunc enim motivum cognoscitur per fidem, adestque amor Dei ut finis ultimi; et alioquin non posset homo de ve-

1) De poenit. q. 2. c. 1. reg. 1. — 2) Tr. 6. c. 6. n. 11. — 3) T. 2. cas. 96. n. 16. — 4) Q. 92. art. 1. — 5) Num. 242. — 6) Num. 884. — 7) De poenit. c. 2. q. 10.

nialibus sufficienter pro confessione dolere ex metu poenarum, quod videtur inconveniens, et repugnare Tridentino; nam frustra adderet: *et poenarum,* cum per gehennam intelligatur poena aeterna. »

« *Dices* cum Arriaga: *Tridentinum* non dixit, sufficere attritionem, conceptam ex jactura beatitudinis aeternae, et tamen non dubitamus de ejus sufficientia; ergo nec dubitare debemus de sufficientia attritionis ex metu poenarum temporalium hujus vitae. - Resp. Neg. conseq. Nam hoc ipso, quod docuerit, attritionem ex metu *inferni* sufficere, satis significat, sufficere attritionem conceptam *ex jactura vel spe beatitudinis;* tum quia haec attritio est perfectior, tum quia metus gehennae saltem ordinarie movet, quia illa est privatio beatitudinis, adeoque ex amore beatitudinis procedit. Idem enim est aversari privationem boni, et hoc desiderare. »

11. *Henno:* [1] « Dolor ille debet esse supernaturalis, tum ex parte *principii,* saltem partialis, tum ratione *motivi.* - *Prob. 1. pars:* quia docent Scriptura, Concilia, Patres contra Semipelagianos, neminem posse disponi ad gratiam solis naturae viribus: ergo ille dolor, qui disponit ad gratiam in Sacramento suscipiendam, non potest esse a solis naturae viribus, sed debet etiam procedere a principio supernaturali, id est auxilio gratiae... *Prob. 2. pars:* quia debet concipi ex motivo per fidem proposito; quandoquidem debeat esse cum aliquo respectu ad Deum, supernaturalium bonorum largitorem et poenarum inflictorem: quae motiva, lumine naturali cognosci non possunt. » - Ex qua propositione sequentes resolutiones deducit:

« Detestationem peccati, propter ipsius *foeditatem* convictui humano repugnantem, *non sufficere* ad dispositionem sacramentalem; quia mere naturalis est, ac nullatenus tollit aversionem a Deo. Idem dic de odio furti praecise, quia opponitur justitiae; de dolore fornicationis, propter *infamiam,* pudorem aut morbum sordidum inde provenientem: quia talia motiva non convertunt hominem ad Deum: unde, quando Trid. assignat pro motivo attritionis *turpitudinem peccati,* per eam intelligit injuriam, irreverentiam, inobedientiam, seu offensam contra Deum lumine fidei cognitam. »

« *Supernaturalem* esse detestationem peccati, *ex metu efficaci gehennae, seu purgatorii;* quia dolor conceptus ex illis motivis pertinet ad spem theologicam, per quam, sicut Deum tamquam donum nobis concupiscimus, sic ejus indignationem ad alteram vitam spectantem detestamur. »

« *Supernaturalem* esse dolorem de peccato, adeoque hujus Sacramenti dispositionem, si fiat *ob amissionem gratiae sanctificantis,* familiarioris accessus ad Deum, juris ad beatitudinem, meritorum et aliorum *bonorum spiritualium;* quia omnia illa motiva sunt supernaturalia. »

12. *Billuart:* [2] « Contritio debet esse *supernaturalis.* » Quod probat ex Tridentino, Sess. 6. can. 3.; ex propositione 57. damnata ab Innocentio XI., et ex ratione: « quia nulla est relatio, nulla connexio ordinis naturalis cum supernaturali, ad quem spectat justificatio hominis. » - Et subjungit:

« Hinc inferes quod, qui dolet de peccato, quia repugnat rationi, vel convictui humano, sive quia ex illo sequitur dispendium famae vel bonorum temporalium, et similibus motivis *naturalibus,* insufficienter et infructuose conteratur; secus si doleat de peccato ut est *contra legem divinam* (sic enim intelligitur ejus turpitudo, de qua Concilium Tridentinum, Sess. 14. c. 4.), vel ut est inductivum poenarum purgatorii, inferni, amissionis gratiae, gloriae etc.:

1) De poenit. disp. 4. q. 2. concl. 2. — 2) De poenit. diss. 4. art. 1.

haec enim pertinent ad ordinem supernaturalem, nec nisi fide supernaturali cognosci possunt. Et ideo, quamvis hujusmodi contritio non sufficiat ad justificationem etiam cum Sacramento, nisi interveniat aliquis amor Dei benevolus, ut dicemus infra, ad illam tamen disponit. »

13. *Amort:* [1] « Quaeritur sexto: Utrum in Sacramento Poenitentiae requiratur dolor supernaturalis quoad substantiam, ex motivo supernaturali? Respondeo. Affirmative. Dixi: *quoad substantiam* supernaturalis: hoc est, talis qui in nullis circumstantiis *ex suo genere* est elicibilis ex motivo mere naturali; sicut in genere miraculorum, illud solum dicitur esse miraculosum quoad substantiam, quod in nullis circumstantiis potest produci a natura, v. g. resuscitatio mortui. Hinc ea, quae in aliis circumstantiis producuntur a natura, v. g. productio rosae in hyeme, tantum dicuntur miraculosa *quoad modum*... Hinc inferes: Non esse sufficientem dolorem in Sacramento Poenitentiae, si rusticus doleat de peccatis ob grandinem vel morbum, quos per fidem agnoscit esse immissos a Deo... Quamvis enim in priori casu, per modum causae influat principium supernaturale fidei, ille tamen actus *ex suo genere* est elicibilis in aliis circumstantiis, ex puro lumine et dictamine naturali; quod Deus sit vindex malorum. In altero vero casu, aeternitas poenarum inferni, quas natura horret, supponitur cognosci ex solo principio supernaturali. »

Articulus 4.

Exponuntur solidae Rationes sententiae negativae faventes.

Audiamus denique objectiones, quibus P. Ballerini probasse sibi videtur, rationes pro sententia negativa militantes omni vel tenui probabilitate destitutas esse.

I. Ait itaque: « Quod subindicat » *S. Alphonsus,* in Tridentini Con» cilii contextu vocem *poenarum* non » significare nisi poenas *inferni; id* » *manifeste repugnat eidem contex*» *tui;* mox enim ibi subjicitur exem» plum timoris, quo concussi Nini» vitae ad Jonae praedicationem ple» nam terroribus, poenitentiam ege» runt. Porro praedicatio Jonae ple» na terroribus juxta Sacram Scri» pturam (Jon. 3. 4.) haec fuit: *Ad*» *huc quadraginta dies, et Ninive* » *subvertetur.* »

Sed haec argumentatio nequaquam omni exceptione major est. Solide enim inter alios eam refutat *Lacroix,* qui [2] rationes adfert, quibus sententiae *affirmativae* patroni eamdem tuentur: « Tridentinum etiam non expressit motivum attritionis *ex spe praemii aeterni vel beatitudinis;* et tamen non dubitamus de illius sufficientia. Deinde Tridentinum ibi expressit, quod Ninivitae *timore poenae temporalis* perculsi poenitentiam egerint, et misericordiam a Deo impetrarint; ergo sufficienter innuit, etiam sufficere ad impetrandam veniam in Sacramento. » Et respondet:

« *Ad primum.* Hoc ipso, quod expresserit attritionem *ex metu gehennae,* satis significat sufficere attritionem *ex spe beatitudinis;* tum quia haec attritio est perfectior, tum quia metus gehennae saltem plerumque movet, quia est privatio beatitudinis: idem enim videtur esse timere privationem boni, et desiderare bonum, uti recte Lugo. [3] – *Ad secundum.* Nego consequentiam; nam secundum dicta n. 837., Tridentinum, sess. 14. de Poen. c. 4. in fine, loquens de Ninivitis, non amplius habet sermonem de Sacramento Poenitentiae, sed iterum redit ad probandum principale intentum, quod erat, *timorem servilem posse esse honestum et supernaturalem:* quod inde probat, quia a Deo meruit liberationem ab eversione urbis; certum enim est, poe-

1) Tr. 13. *s.* 2. — 2) Lib. 6. p. 2. n. 886. — 3) Disp. 5. n. 132.

nitentiam illam servilem *non meruisse remissionem peccatorum,* cum neque esset contritio, neque attritio conjuncta cum Sacramento; et vix est credibile, inquit *Herincx,*[1] omnes Ninivitas, qui ab eversione urbis liberati sunt, etiam eo tempore esse a peccatis liberatos. »

II. Advertit insuper P. Ballerini, quod, juxta S. Alphonsum, « Tridentinum *copulative* dicat: gehennae » *et* poenarum, non vero *disjunctive* distinguat gehennae *vel* poenarum. » – Et subjungit: « *Patet, eam quoque rationem omni destitui efficacia;* et, contra communem omnium sensum *per se* evinceret, ad attritionem non sufficere metum gehennae, nisi insuper accederet metus malorum temporalium. »

1. Sed haec conclusio nihil evincit; triplex enim apud DD. habetur responsio, et omnes tres satis probabiles sunt. *Prima* est: Concilium sub poenis, ipsius *gehennae* poenas intellexisse, ut dicit Vasquez. *Secunda* est: Concilium supplicia, in altera vita subeunda comprehendere voluisse, et sub poenis, illas *purgatorii* intellexisse: ut etiam quoad peccata venialia locus sit attritioni ex metu poenarum, quemadmodum cum aliis sentit Reuter. *Tertia* est, quam habent Vasquez, Lacroix et alii: Concilium sub *gehenna,* utpote loco, ubi reprobi a beatifica possessione summi Boni in aeternum exclusi existunt, *poenam damni,* et sub *poenis* illas intellexisse, quae *poenae sensus* vocantur, utramque autem poenam eum in finem separatim commemorasse, ut a motivis sufficientis attritionis metus poenarum sensus non excludatur.

2. Haec ultima interpretatio similiter probabilitate sua non caret. Notabile namque inter attritionem ex metu poenae damni, et ex metu poenarum sensus discrimen subsistit. Qui de peccatis dolet propter poenam *damni,* implicite possessionem summi Boni et aeternam Beatitudinem desiderat, et ideo non solam poenam timet. Qui vero propter poenas *sensus* dolet, solam poenam timet, et aliud non desiderat, nisi ut a poenis istis liberetur. Unde *Eusebius Amort*[2] tenet, quod attritio ex metu *inferni* concepta, sed tantum sub ratione poenae sensus, non sufficiat ad fructum Sacramenti impetrandum, nisi conjungatur cum amore Dei praedominante et vere principali. – Cum ergo adsint *rationes dubitandi, an talis attritio sufficiat,* bene praesumi potest, S. Synodum speciatim poenas *sensus* commemorare voluisse.

3. Praefata argumenta ad interpretationem Concilii Tridentini spectant; sed alia adhuc ratio intrinseca sententiam negativam tuetur, quam P. Ballerini non tantum non refutat, sed nequidem attingit. Certum est, S. Synodum Sess. 14. cap. 4. non loqui nisi de attritione *supernaturali,* quae elicitur ex motivo, quod lumine fidei cognoscitur. Atqui attritio *ex metu poenarum temporalium in hac vita,* etiamsi ut a Deo inflictae vel infligendae considerentur, *supernaturalis non est;* quemadmodum jam supra demonstravimus: ergo Concilium hanc attritionem non admittit, aut saltem non admittit nisi aliud motivum accedat, quod lumine fidei cognoscitur. In quo casu, attritio hoc altero motivo sufficiens redditur, et ideo ad aliam speciem reducenda est.

SIT IGITUR QUAESTIONIS CONCLUSIO:

1. Cum pro *negativa* sententia *solidae rationes* militent, quas evertere adversariis numquam successit, S. Alphonsus recte ipsam *probabilem* dicit.

2. Etiamsi autem de probabilitate intrinseca dubitaretur, de *extrinseca* nullatenus dubitare licet: cum tot

1) Disp. 2. n. 43. — 2) Tr. 13. *s.* 8. q. 10.

graves DD. eam aut absolute teneant, aut saltem probabilem censeant, et pauci oppositam moraliter certam existiment.

3. Unde si P. Ballerini persuasum habet, negativam ne tenuiter quidem probabilem esse, sensu suo abundet: *at in praxi omnino haec negativa, ut tutior, tenenda est,* uti recte docet S. A., et constat ex damnatione propositionis primae inter proscriptas ab Innocentio XI.

QUAESTIO V.

An prudenter credi possit, quod firmum habeat Propositum poenitens, qui asserit nolle amplius relabi, sed certo credit se relapsurum.

(S. Alph. Lib. VI. n. 451. — P. Ball. Tom. II. n. 461.)

Lib. VI. n. 451. S. ALPHONSUS de firmo proposito haec scribit: « Pro» positum firmum importat, ut poe» nitens habeat voluntatem omnino » deliberatam non recidendi, et sit » animo ita dispositus, ut nullius » mali timore et nullius boni cupi» dine, peccatum in posterum ad» mittere velit. - Sed hic dubium fit, » an prudenter credi possit, quod » firmum habeat propositum poeni» tens, qui asserit nolle amplius re» labi, sed *certo credit* se relapsu» rum. - *Prima sententia affirmat,* » et hanc tenent Navarrus (qui asse» rit communem), Laymann, *Sporer,* » Palaus; item Suarez, Sylvester, » Coninchius, Henriquez, Vega, Di» castillus, apud Salmanticenses. [1] » Ratio, quia propositum voluntatis » non relabendi, bene consistere pot» est cum judicio intellectus de lapsu » futuro ex cognita fragilitate.

» Sed pace tantorum DD., *omni*» *no sequendam puto oppositam sen*» *tentiam,* quam tenent Busembaum, » Concina et *Croix.* Non nego, quod » *speculative* loquendo, bene posset » consistere firmum propositum vo» luntatis cum cognitione relapsus; » sed *cum quis* CERTO CREDIT *se re*» *lapsurum, practice certam suspi*» *cionem praebet, propositum suae* » *voluntatis non esse satis firmum;* » impossibile est enim, ut quis firmi» ter proponat se emendare, sciens » quod Deus suam gratiam coadjuvan» tem non denegat facienti quantum » in se est, et his non obstantibus, » *credat certo* se ad sua peccata red» iturum. Unde recte ait Croix, quod » talis poenitens, priusquam absol» vatur, disponi debet, ut speret, non » per vires suas, sed per Dei auxi» lium a peccatis liberatum iri. - *Se*» *cus vero dicendum, si poenitens* » *ex sua praeterita fragilitate* TI» MERET *relapsum;* communiter enim » dicunt DD., cum Navarro, Croix » et aliis, quod *ad serium proposi*» *tum non requiritur, ut credatur* » *nullus relapsus secuturus, sed satis* » *est nunc adesse seriam voluntatem* » *non relabendi;* nam bene potest » consistere voluntas resipiscendi, » cum timore lapsus ex mutatione vo» luntatis. Hinc recte inquit Gerson, » quod poenitens confessario interro» ganti: *Credis tu quod nunquam ca*» *des in tale peccatum?* respondeat: » *Ego fragilis, formido lapsum, non* » *tamen volo nunc casum; de futu*» *ro, misericordiae Dei me commen*» *do, deprecans ut me custodiat a* » *peccato; quod si ceciderit fragi*» *litas mea, deprecor ut resurgam.*»

Ex his patent sequentia: 1°. S. A. non dicit, poenitentem, qui se rela-

1) Tr. 6. c. 5. p. 4. n. 53.

psurum *certo credit,* firmum propositum habere non posse; sed tantum dicit, quod *certam suspicionem* praebeat, propositum suae voluntatis non esse satis firmum. – 2°. Nec dicit, hunc poenitentem sine absolutione dimittendum, sed tantum antea *disponendum esse,* ut per Dei auxilium speret, a peccatis liberatum iri. – 3°. Omnino concedit, in poenitente *non certo credente,* sed tantum ex fragilitate praeterita *timente,* bene consistere posse voluntatem resipiscendi cum timore lapsus ex mutatione voluntatis.

P. Gury, T. II. n. 461. pag. 348. [1] quaestionem ponit: « An *firmum* censeri queat propositum illius, qui habet quidem animum non peccandi, *pertimescit* tamen [2] se relapsurum? » Et respondet: « *Affirmatur generatim;* non enim impedit sinceram voluntatem timor, qui ex praeterita fragilitate, et humanae voluntatis inconstantia ingeritur. »

Ad confirmandam hanc sententiam, P. Ballerini, in subjecta adnotatione, adducit auctoritatem Croix et Sporer: « *Croix* (Lib. 6. p. 2. n. 1822.) » *ita scribit:* « Ostendi n. 1733, ad serium propositum etiam circa mortalia, non requiri, ut credatur relapsus non secuturus; sed satis est nunc adesse seriam voluntatem, cum qua, quamdiu stabit, stare non » possit voluntas relabendi, quamvis » forte praevideatur per fragilitatem » immutanda. Sicut S. Petrus non » ideo judicatus est indispositus ad » communionem, quod a Christo sciretur relapsurus; ita nec consuetudinarius censendus est indispositus ad absolutionem, quamvis moraliter sciatur, esse relapsurum. » » *His gemina habet Sporer* (de Poenit. n. 310.): « Propositum *(inquit)* » firmum voluntatis tantum non peccandi de caetero requiritur, non » item necessario credulitas vel persuasio certa ex parte intellectus, » ut nimirum poenitens certo credat, » vel animo sibi persuadeat, se non » amplius peccaturum, aut hoc vel » illud peccatum non amplius patraturum, ut notant DD. communiter.... » *Potest enim quis vere dolere et detestari peccatum, ac vere et absolute proponere, se de caetero non » peccaturum...*; *tametsi* valde timeat, aut etiam existimet, imo » *certo credat,* se ob expertam voluntatis suae inconstantiam, et fragilitatem suam, *denuo relapsurum,* » non omnia peccata mortalia, vel » ne hoc quidem certum peccati genus evitaturum. » - *Quae cum ita » sint, vix apparet, cur S. Alphonsus* (Lib. 6. n. 451.) *dicat, se non » acquiescere sententiae (quam communem dici non diffitetur) cum » aliorum gravissimorum DD., tum » etiam* Sporer; *sed malle se cum » Croix sentire. Nam si Croix haec* (l.c.) *addidit:* « Si tamen consuetudinarius ipse desperet de sua emendatione, difficulter habebit verum » propositum; hinc priusquam absolvatur, disponi debet, ut speret, non » per vires suas, sed per Dei gratiam, » cui si cooperetur, poterit, ut docuerunt innumera exempla ipsi similium »; *etiam Sporer* (l. c.) *ista » subjecerat:* « Caeterum *si poenitens, » spectata sua fragilitate, inveterata prava consuetudine, omnino impossibile judicet, ut de caetero ab » aliquo vel aliquibus peccatis mortalibus abstineat,* inducendus efficaciter erit a Confessario; et attenta divinae gratiae efficacia, omnino sibi persuadere debet, non esse » impossibile, atque in divina gratia » sola, non in se confisus, firmum propositum concipere de caetero abstinendi, dicens cum Apostolo: Omnia » possum in eo, qui me confortat... » Quod si hoc facere nequeat, vel potius nolit, cum revera possit, jam » tamquam vera contritione destitu-

1) In altera edit. pag. 278. — 2) Ibidem cl. Ballerinius addidit: « *et quodammodo praevidet.* »

» tus, de gratia Dei desperabundus, » adeoque ad justificationem et Sa- » cramentum indispositus, absolvi » non poterit ex propria culpa. »

I. Paucis itaque hanc animadversionem perpendamus.

1. Recta sunt quodammodo quae P. Ballerini circa *Patritium Sporer* advertit. Libenter concedimus, S. Doctorem in hac re accidentali errasse; at nonnisi in suum detrimentum: cum potius pro sua sententia hunc Auctorem allegare potuisset. – Verbis quidem Sporer non obscure pugnat: dum absolute scribit, verum haberi posse propositum, etiam si quis *certo credat* se relapsurum. Attamen, cum poenitentes id ideo credere soleant, quia « *spectata sua fragilitate, inveterata prava consuetudine,* omnino impossibile judicant, ut de caetero ab aliquo vel aliquibus peccatis mortalibus abstineant »: hac ratione, sententia Patritii Sporer cum doctrina S. Alphonsi tandem in praxi convenit.

2. Ultro etiam fatemur, quosdam alios Auctores pro prima sententia allegatos minus recte citari. Istas allegationes S. Doctor a Salmanticensibus desumpsit, non satis advertens, ipsos non de poenitente *certo credente* loqui, sed solummodo de *timente* aut *existimante*. – Dicunt enim l. c. Salmanticenses: « Potest tamen saepe fieri, ut, licet aliquis absolutum et sufficiens propositum habeat, vitandi sive veniale, sive mortale; nihilominus *timeat,* vel etiam *existimet* se non vitaturum: quia hoc judicium et timor consistere potest cum efficaci voluntate actuali, id peccatum pro viribus fugiendi; uti recte notarunt *Sylvester, Lopez, Navarrus, Henriquez, Coninchius, Vega,* quos refert et sequitur *Laymann,*[1] *Palaus* dict. n. 15., *Diana,*[2] et cum *Suario Dicastillus.*[3] Quamvis autem id locum habeat, non in venialibus tantum, sed etiam in mortalibus, pro confessione tamen venialium id frequentius potest accidere. » – Et reapse isti Auctores hanc solam quaestionem pertractant.

3. Nihil ergo S. Alphonso objici potest, nisi quod minus recte aliquos Auctores allegaverit, quos sibi contrarios putavit, qui autem potius cum ipso concordant. Quem errorem nihil ad rem facere, alioquin manifestum est. – Quinimo iterum demirari licet, quam parum S. Doctor ab aliorum opinionibus pependerit, ubi videbat suam sententiam validis rationibus firmari. Arbitrans enim graves nec paucos Auctores sibi adversari, non ideo a sua doctrina recessit; sed extrinsecis Auctoritatibus sapienter rationes intrinsecas praeferens, ait: « *Pace tantorum Doctorum, omnino sequendam puto oppositam sententiam.* » Et jam antea generatim protestatus erat: « *Pro viribus sum conatus, semper rationem auctoritati praeponere; et ubi ratio me convicit, non renui Auctoribus plurimis contraire.* »[4] – En itaque novum argumentum, quo mire confirmantur assertiones cl. Ballerinii, passim affirmantis, S. Alphonsum sola Doctorum auctoritate, ad plures sive approbandas, sive rejiciendas sententias, inductum fuisse!

4. Addit cl. Professor: S. Alphonsus primam sententiam « *communem dici non diffitetur.* » Ex quibus verbis, lectores facile credent, eamdem sententiam communem censeri ab ipso S. Doctore, aut talem dici a pluribus Auctoribus, cum a solo Navarro dicatur communis. Id exinde colligas, a S. Alphonso, pro mira sua sinceritate in exponendis sententiis, nihil reticeri, quamvis minus sibi faveat. Utinam et idem semper fecisset cl. Professor noster!

II. Post relata verba Patritii Sporer, P. Ballerini subjungit: « *Videsis* » *penes Lacroix* (l. c. n. 1823. 1824.)

1) Cap. 4. n. 8. — 2) 3. P. tr. 4. res. 117. — 3) Disp. 6. dub. 14. n. 246. — 4) Theol. mor. lib. 3. n. 547.

» *solutos cavillos, quibus Juvenin et* » *Genettus communem doctrinam* » *impetebant.* »

Quid cl. Professor intendere videatur hac additione (quam alibi disertis verbis enuntiat), infra videbimus in exponenda S. Alphonsi doctrina de *Recidivis.* [1] Interim tantum advertimus, longe a vero aberrare qui putet, S. Doctorem sententiis istorum Auctorum favere. Nam eosdem cavillos Juveninii et Genetti, quos Lacroix, etiam S. Alphonsus citat, solvit et eodem modo rejicit.

QUAESTIO VI.

An in Sacramento Poenitentiae sufficiat Propositum virtuale sive implicitum, inclusum in dolore.

(S. Alph. Lib. VI. n. 450. — P. Ball. Tom. II. n. 462.)

S. Alphonsus, Lib. VI. n. 450. enunciatum dubium sic solvit: « *Prima* » *sententia negat,* et hanc tenent » Suarez, Bellarminus, Bonacina; » Concina cum Scoto, Cajetano, Cano, etc.; [2] item Valentia, Toletus, » Reginaldus, Henriquez, etc. apud » Croix, qui ait oppositam non esse » certam. Ratio quia, licet dolor includat necessario propositum, tamen Tridentinum, Sess. 14. cap. 4., » requirit propositum formale, dicens: *cum proposito non peccandi* » *de caetero.* [3]

» *Secunda sententia affirmat, dummodo dolor eliciatur ex motivo* » *universali;* et hanc tenent Lugo, » Cardenas (qui vocat moraliter certam), Laymann, Anacletus, Viva; » Elbel, cum Mastrio, Sporer, Gobat, etc.; ac Salmanticenses, cum » Navarro, Filliuccio, Villalobo, etc. » Ratio, quia Concilium l. c. subdit, » quod attritio, si voluntatem peccandi excludit cum spe veniae, dis- » ponit hominem ad impetrandam » gratiam in Sacramento; ergo quoties has requisitas conditiones habuerit attritio, jam sufficienter dis- » ponit ad Sacramenti valorem. — » *Tertia* vero *sententia,* quam tenet » Holzmann, asserens hanc esse communem, cum Suarez, Bellarmino » et Bonacina, *dicit, quod si poeni-* » *tens cogitet de vita futura, debet* » *formaliter proponere emendatio-* » *nem;* quia (juxta Tridentinum) » quisque per poenitentiam debet novam inchoare vitam; unde non videtur satis poenitere, qui cogitans » de vita futura, expresse non pro- » ponit emendari. Neque huic obstat » dicere cum Viva, quod Concilium » tres tantum partes Sacramenti as-

1) Cfr. in sexta Operis Parte, cap. I. *s.* 1. art. 6.

2) S. Alphonsus, brevitatis causa, non omnes Auctores a *Concina* (de poenit. lib. 1. diss. 3. c. 1. n. 15.) citatos, nominatim allegat. Sunt autem isti: *S. Thomas, Albertus Magnus, Durandus, Scotus, Cajetanus, Canus, Soto* (Dominicus) et *Card. Bellarminus* (vid. infra, pag. 455. n. 2.).

3) Hanc primam sententiam, S. Doctor in *Opere dogmatico,* scilicet in Expositione Concilii Tridentini, anno 1769. evulgata, *communem* vocat cum D. Thoma, ac *tenendam.* Ait enim (l. c. in sess. 14. c. 4. n. 38.): « Non ha dubbio che nella contrizione s'include necessa- » riamente anche il proposito di far vita nuova; ma questo proposito non è parte del Sa- » cramento, egli va unito colla contrizione. — Se poi il proposito debba essere *esplicito,* » vi sono più Autori, i quali dicono bastar che sia implicito; nondimeno *il Bellarmino* » *con Pietro Lombardo, Alessandro de Ales, S. Tommaso, Scoto, e colla sentenza co-* » *mune, tiene che dee esser esplicito e formale;* E QUESTA DEE TENERSI, mentre si tratta » di valore di Sacramento, secondo la proposizione 1. dannata da Innocenzo XI. Tanto » più che il Concilio, come vedremo, definendo la contrizione, vi esprime anche il propo- » sito: *Contritio est detestatio* etc., *cum proposito non peccandi de caetero.* »

» signat, scil. contritionem, confessionem et satisfactionem; unde si requireretur etiam propositum formale, partes non tres, sed quatuor essent. Nam bene respondet P. Concina, quod contritio duobus constat, nempe dolore et proposito explicito. Secus vero, si poenitens nihil cogitet de futuro, puta si quis sit in extremo vitae constitutus; revera enim in quocumque dolore, propositum necessario continetur, patetque quod taciti et expressi eadem est efficacia.

» *Hae duae ultimae sententiae sunt quidem probabiliores; sed quia prima non caret sua probabilitate, in praxi, ante factum tutius sequenda est,* ut recte dicunt Bonacina, Croix. Dico *ante factum;* nam dicunt Croix,[1] Viva,[2] Elbel,[3] Gobat; et Bonacina cum Bellarmino, Suarez, Vasquez, Reginaldo, Henriquez, quod *si bona fide, cum vero dolore confessus fueris sine proposito formali, non teneris confessionem repetere;* quia, esto *communius non liceat Sacramentum suscipere cum opinione, quae non sit moraliter certa, ne Sacramentum exponatur periculo frustrationis:* tamen non teneris repetere confessionem, si probabiliter valide es jam confessus, cum praefatum periculum tunc amplius non adsit. – *Nihilominus, nec etiam valeo huic sententiae acquiescere; ratio, quia cum prima opinio sit sufficienter probabilis, poenitens qui gravem culpam et certam perpetravit, tenetur de ea confessionem explere, non tantum probabiliter, sed etiam certe validam.*»

Rectam atque sapientem esse hanc S. Doctoris nostri sententiam, quisque prudens sane admittet, qui consideraverit, hic iterum agi *de valore Sacramenti.*[4] Unde Auctoritatibus *primae* sententiae neganti suffragantibus non tantum illi DD. accensendi sunt, qui absolute negant, propositum implicitum sufficere, aut hanc sententiam probabiliorem dicunt; sed etiam ii, qui sententiam affirmantem pro moraliter certa non habent, et idcirco eo ipso tenent (aut saltem admittere debent), in praxi ipsa uti non licere.

At vero hanc doctrinam acriter impugnat P. Ballerini, T. II. pag. 940.,[5] in pluribus Adnotationibus, quas ad textum Patris Gury n. 462. adjicit. – Nam 1. cum eodem dicit, pro prima sententia S. Doctoris paucos stare Auctores; 2. Affirmat, Auctores a S. A. pro eadem sententia citatos, prorsus abs re allegari; ac pariter impugnat tertiam sententiam a S. Doctore allatam; 3. Objicit, S. Alphonsum, dum primam sententiam de iteranda confessione tuetur, sibi contradicere; 4. Affirmat, omnes DD., tum primae, tum secundae, tum tertiae sententiae, consentire in neganda necessitate repetendi confessionem; 5. Addit, ipsum S. A. istud fateri quoad patronos primae sententiae; 6. Affirmare non dubitat, sententiam S. A. niti falsis allegationibus a Croix desumptis, et falso supposito; 7. Asserit, eamdem S. Alphonsi sententiam contradicere doctrinae Concilii Romani sub Benedicto XIII; 8. Demum concludit cum Lugone, argumentum ex Concilio Tridentino desumptum, primae sententiae non modo non suffragari, sed ex eodem contrarium plane evinci.

P. Ballerinio itaque judice, doctrina S. A. nihil prorsus habet quo sustentetur, nec auctoritatem extrinsecam, et ne rationem quidem intrinsecam sufficientem. Miserandus profecto S. Doctor noster, si haec ita se haberent! Longiore ergo sermone nobis opus est, ut tot assertiones fidenter prolatas singillatim propulsemus. – Quamobrem 1. Probabimus, *primam* sententiam immerito dici

1) Lib. 6. p. 2. n. 680. — 2) In prop. 65. Innoc. XI. n. 10. — 3) De poenit. pag. 216. n. 84. — 4) Cfr. supra, pag. 427. art. 1. — 5) In altera edit. pag. 280.

doctrinam *paucorum;* 2. *Auctoritates* a S. A. pro eadem allegatas vindicabimus ; 3. Eamdem quibusdam *aliis Auctoritatibus* confirmabimus; ac breviter respondebimus ad impugnationem *tertiae* sententiae; 4. Ostendemus, praesentem S. A. sententiam *nullatenus repugnare* doctrinae ab ipso alibi traditae; 5. Qua occasione, memorabimus recens *S. Inquisitionis Decretum* super integra confessione exigenda; 6. Respondebimus ad objectionem, *omnes DD.* convenire in neganda necessitate repetendi confessionem; 7. Probabimus, falsum esse quod ipse S. A. *fateatur,* a primae sententiae patronis doceri confessionem non esse iterandam; 8. Propulsabimus assertum, doctrinam S.A. fundari in *falsis allegationibus* et falso supposito; 9. Ostendemus, ipsam nullatenus adversari doctrinae *Concilii Romani* sub Benedicto XIII; 10. Tandem perpendemus argumentum ex *Concilio Tridentino* desumptum.

Articulus 1.

Prima sententia negans, quam S. A. cen tutiorem in praxi tenendam docet, immerito dicitur doctrina paucorum.

Hanc quaestionem exponens, ait P. *Gury:* « Juxta S. Lig. (n. 450.) triplex est sententia. *Prima, quam pauci quidam tenent,* absolute affirmat » (requiri sc. propositum explicitum). – Ad haec autem verba, scribit cl. Ballerinius: « Bene Auctor » hanc opinionem *paucis* tribuit. Nam » allegari utique pro ea vides *Pe*» *trum Lombardum, S. Thomam,* » *Alensem, Albertum, Scotum, Du*» *randum.* Verum vel *Bellarminus* » ipse (De Poenit. lib. 2. cap. 6.) fa» tetur ingenue, vetustiores illos as» seruisse utique necessitatem alicu» jus propositi, non distinxisse tamen » inter *formale* et *virtuale.* Quocirca » gratis pro hac potius, quam pro » illa sententia allegantur... »

1. *Paucos* igitur Auctores pro prima sententia stare, asserit cl. Ballerinius; sed contrarium aperte testatur *Bellarminus, S. J.:*[1] « Catholici Scriptores in eo quidem consentiunt, ut ad veram contritionem, et peccati detestatio et vitae melioris propositum requiratur; sed in eo non conveniunt, utrum hoc propositum expresse et formaliter necessarium sit, an sufficiat virtuale atque implicitum. Neque enim dubitari potest, quin is, qui serio peccata sua odit ac detestatur, et ob ea perpetrata dolet, cupiat simul ac velit, saltem implicite et virtualiter, ut sic loquamur, deinceps in melius vitam mutare. Et quidem *veteres Theologi,* ut *Petrus Lombardus, Alexander Alensis, S. Thomas, Scotus, Durandus, Albertus et alii,* simpliciter docent, de ratione contritionis esse, cum detestationem peccati, tum propositum bene vivendi: et quamvis non distinguant inter formale et virtuale propositum, *tamen satis aperte indicant, de* FORMALI *esse loquutos.* Id quod *apertius* postea docuerunt *Hadrianus Pontifex VI., Thomas Cajetanus, Dominicus a Soto* et *Melchior Canus.* Non defuerunt tamen *pauci quidam, qui contra disputaverint,* ac virtuali proposito, quod in peccatorum detestatione includitur, contenti, formale propositum necessarium esse, et in ratione contritionis includi negaverint. In iis fuerunt Joannes Major et Jacobus Almaynus, et qui eos secutus est Andreas Vega. *Sed nobis communis, ac trita a veteribus via, semper visa est tutior et commodior.* » – Disertis ergo verbis Bellarminus dicit, Antiquiores aperte indicare, de proposito *formali* se esse locutos; et e contra, *paucos* tantum fuisse, qui necessitatem propositi expliciti negaverint.

2. Similiter *Dominicus Soto* et *Valentia*[2] dicunt, omnes Theologos antiquiores « de formali omnino et explicito proposito intelligi debere, ut vocabulum ipsum sonat. »

1) De poenit. lib. 2. c. 6. — 2) Cfr. infra, pag. 452. ad IV.

3. Idem testatur *Lugo, S.J.*:[1] « Denique quod attinet ad actum propositi, *Theologi communiter requirunt, illum esse explicitum et formalem*, propter verba Tridentini, Sess. 14. cap. 4. ubi dicitur, contritionem esse detestationem cum proposito; et Florentini in decreto Eugenii, ubi dicitur, ad contritionem pertinere dolorem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero; et propter multa loca Sacrae Scripturae et Patrum, quibus hoc propositum exigitur. Hanc communem sententiam temperat Suarez, sect. 3., ut procedat per se loquendo: per accidens tamen dicit, sufficere propositum virtuale, quod includitur in detestatione peccati commissi, propter motivum universale: nam qui dolet de commissis propter Deum, virtualiter vult ea iterum non committere: quod eodem modo probatur, quo detestationem virtualiter inclusam in amore sufficere. »

Nec obstant, quae Lugo alibi[2] dicit, ubi solummodo advertit, mitigationem istam, quam Suarez introduxit, a recentioribus Theologis communiter receptam esse. Testatur ergo Lugo, primam sententiam communem fuisse, non tantum inter antiquiores, sed etiam saeculo 16. usque ad initium saeculi 17., quo Suarez opus de Poenitentia edidit.

4. Ex hisce testimoniis satis patet, nequaquam *paucos* pro prima sententia stare. – Cum autem P. Ballerini speciatim testimonia a S. Doctore allata impugnet, speciali et quidem longiore responsione supersedere non possumus.

Articulus 2.

Vindicantur Auctoritates a S. A. pro prima sententia allegatae.

Post verba superius citata, cl. Professor adnotationem suam sic prosequitur: « *Item apud S. Alphonsum* » (n. 450.) citantur pro eadem opinione *Suarez, Cajetanus, Bonacina, Henriquez, Valentia, Reginaldus*, et *Toletus*. Atqui *Suarez* (De Poenit. disp. 20. sect. 4. n. 34.) thesim contradictoriam statuit; itemque *Cajetanus* (Sum. V. Confessio, n. 12.) et *Bonacina* (Disp. 5. q. 1. sect. 1. punct. 3. n. 9.) plane oppositum docent; *Henriquez* vero (Sum. lib. 4. cap. 24. n. 2.) tertiam sententiam expresse tradit; et *Valentia* (Disp. VII. q. 8. punct. 6.) diserte affirmat, *expressum istud propositum non requiri necessitate medii ad justificationem, sed quandoque peccatorem posse cum implicito tantum ejusmodi proposito justificari*; et dicit *quandoque*, quia singularissima opinione censuit, necessarium esse *explicitum* quando urget *positivum* poenitentiae praeceptum: quasi scilicet ad implendum poenitentiae praeceptum, non sufficeret poenitentia, quae ad justificationem sufficit! *Reginaldus* denique et *Toletus* non ita primam praeferunt, ut alteram rejiciant. »

I. Ergo juxta P. Ballerinium, «*Suarez thesim contradictoriam statuit*»: videamus, an ita se res habeat.

1. *Suarez, S. J.*, l. c. quaestionem proponit: « *Sitne propositum non peccandi de ratione attritionis necessariae ad valorem Sacramenti?* » – et respondet: « *N. 31.* Ulterius vero dubitabit aliquis: an propositum non peccandi sit etiam de ratione hujus attritionis necessariae ad Sacramentum. In quo duae videntur esse extremae sententiae. Prior est *affirmans*, aeque necessarium esse propositum, ac dolorem. Quod sentit Medina.[3] Et favent illi Concilium Florentinum et Tridentinum. Nam Florentinum ait, primam partem hujus materiae esse contritionem, ad quam pertinet dolor de peccato cum

1) De poenit. disp. 5. n. 97. — 2) Disp. 14. sect. 5. n. 51. — 3) Cod. de Confess. q. de confess. ficta iteranda.

proposito non peccandi de cetero: quod etiam dicit Concil. Trid. cap. 4. *Alia* vero sententia nec virtuale propositum requirit. Quod sentiunt Auctores citati in opinione impugnata sect. praecedente circa finem: et aperte Soto, [1] dum ait, confessionem nunquam esse fictam ex defectu propositi, si tamen poenitens suum defectum confiteatur. »

« *N. 32.* Dicendum vero existimo, propositum saltem virtuale esse de essentia hujus Sacramenti. Hoc constat ex supra dictis; quia absoluta et efficax detestatio peccati est de essentia hujus Sacramenti: constat autem, hujusmodi efficacem detestationem includere saltem virtuale propositum nunquam simile committendi. Unde, ulterius addo, si confessio sit de *mortalibus* peccatis, *per se loquendo, necessarium esse propositum formale* vitandi illa; quia revera tale propositum est per se loquendo necessarium, ad habendam veram poenitentiam et attritionem de tali peccato, ut ex dictis constat. Unde fit, ut si aliquis sciens et videns confiteatur de hujusmodi peccato, sine tali proposito, et in ea dispositione velit absolutionem recipere, sine dubio graviter peccet, et consequenter Sacramentum sit nullum, juxta principia supra posita. »

Deinde Suarez sententiam Petri Soto speciatim confutat, et sic prosequitur: « *N. 33.* Ultimo vero addo, *formale* propositum non *videri* mihi tam necessarium, quam formalem dolorem, et *maxime quando materia est venialis.* Unde si quis bona fide vere detestetur peccatum, quod confitetur, et non advertat ad formale propositum in futurum, ita ut in omittendo non peccet: existimo Sacramentum esse validum, et sufficere propositum virtuale in dolore inclusum. Ratio *esse potest*, quia Concilium Tridentinum, loquens de attritione, non tam expresse requirit formale propositum, sed solum dolorem illum, qui voluntatem peccandi excludat: praedictus autem dolor revera excludit hanc voluntatem, cum includat virtuale propositum contrarium. Item, quia attritio formaliter consistit in dolore, seu retractatione peccati commissi, et cum confessio consistat in accusatione de commisso peccato, maxime intrinsece requirit detestationem ejusdem peccati: unde dispositio in futurum non *videtur* esse tam intrinseca: et ideo non *videtur* esse omnino eadem ratio. »

Suarez igitur nequaquam *thesim contradictoriam* statuit; sed, quoad peccata mortalia, *per se loquendo et regulariter* propositum *formale* necessarium esse affirmat; et, quod exceptionem per accidens attinet, dubitanter loquitur, iteratis vicibus dicendo: *videtur;* porro: *maxime quando materia est venialis;* et: *ratio esse potest.* Quibus locutionibus aperte indicat, quod hanc opinionem quidem censeat probabilem, at eam absolute tueri non audeat.

2. Insuper idem *Suarez* de hac quaestione alibi disserit, [2] ubi ad illud dubium: « *Utrum propositum formale non peccandi in futurum, sit de ratione contritionis, et consequenter, an contritio esse possit unus simplex actus?* » – sic respondet: « *1.* Haec quaestio similis est praecedenti, et eadem proportione definienda, et ideo brevius expediri potest. Antiqui ergo Theologi omnes requirunt propositum vitae futurae ad contritionem. D. Thomas saepe hac quaest. [3] et Albertus Magnus, [4] ubi Bonaventura [5] et Alensis. [6] – *Moderni autem distinctius explicarunt, hoc propositum debere esse formale et expressum: Cajetanus* [7] et *Soto,* [8] ubi contrarium vocat perniciosum errorem. Idem tenet *Ca-*

1) Dist. 17. q. 1. art. 2. — 2) Disp. 4. sect. 3. — 3) Q. 85. et 86.; et 3. contra Gentes' c. 158.; et lib. 4. c. 2.; et in 4. d. 17. q. 2. — 4) D. 14. art. 11.— 5) 2. P. art. 1. q. 1.— 6) 4. P. q. 12. et 16. — 7) Tom. I. Opusc. tr. 4. q. 1. — 8) In 4. d. 15. q. 1. art. 2.; et d. 17. q. 2. art. 1. et 2. de natur. et grat. c. 14.

nus, [1] *Ruardus* [2] et *Bellarminus;* [3] et *Gerson* [4] dicit, hanc sententiam esse probabiliorem, licet contraria mitior sit. - Fundamenta hujus sententiae sunt, *primo* locutiones Scripturae, in quibus ad veram poenitentiam nova vita postulatur, Ezech. 18. et 33., et Ps. 50., ac denique Apocal. 2.: *Et nova opera fac.* Haec autem nova vita non potest postulari ad poenitentiam, ut actu exercenda, quia hoc pendet ex futuro tempore: ergo postulatur propositum ejus. *Secundo,* eodem modo afferuntur testimonia Sanctorum, qui propterea in definitione verae poenitentiae ponunt hoc propositum: ut videre licet in Magistro, hic d. 14.; et in C. *Poenitentia,* et C. *Poenitentiam,* de Poenit. d. 3. ex Gregorio, [5] et Ambrosio, [6] Isidoro [7] et Augustino. [8] *Tertio* magis urget Tridentinum; nam Sess. 6. cap. 6., in dispositione ad gratiam ponit hoc propositum, ut distinctum ab amore Dei, et odio ac detestatione peccati. Unde Sess. 14. cap. 4. concludit, contritionem esse detestationem cum proposito. Concilium Florentinum, in decreto Eugenii, ait, primam partem poenitentiae esse contritionem, ad quam pertinet dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. - *Quarto* adjungitur ratio; quia hoc propositum est necessarium ad perfectam et ultimam dispositionem ad gratiam: ergo ad contritionem. Consequentia est clara ex dictis, quia omnis contritio, de qua agimus, est ultima dispositio ad gratiam: ergo, quidquid est de necessitate dispositionis ultimae, est etiam de necessitate contritionis. Antecedens praecipue debet auctoritate fundari, quia modus dispositionis requisitae ad gratiam, maxime pendet ex ordinatione et voluntate divina: et ideo, qualis ille sit, praecipue debet nobis constare divina revelatione, quae auctoritate proponitur. Possumus tamen rationem et congruentiam hujus ordinationis afferre, scilicet, quia dispositio ad gratiam debet esse per conversionem perfectam voluntatis: non convertitur autem perfecte per solum recessum a malo, quod facit per detestationem, nisi etiam convertatur ad bonum, quod facit per propositum. Quia, cum illi sint tamquam duo termini a quo, et ad quem, non minus requiritur ad perfectam conversionem, formalis accessus ad bonum per propositum, quam recessus a malo per detestationem. Unde Augustinus: [9] *Convertitur* (inquit), *qui jam totus et omnino vertitur.* Et confirmatur: nam quod Deus maxime intendit in justificatione peccatoris, est rectitudo vitae futurae; ergo non minus postulavit formale propositum illius, quam detestationem vitae praeteritae. »

Deinde in *n. 2.* Suarez citat illos Auctores, qui existimant, ad contritionem *sufficere virtuale propositum,* quod in efficaci et perfecta detestatione includi putant. Et expositis rationibus pro hac sententia militantibus, sic pergit: « *3.* Hae sententiae *probabiles* sunt; inter eas vero censeo judicandum, sicut de amore in praecedente sectione dixi. Itaque primo asserendum est, *formale propositum,* per se loquendo, necessarium esse ad consequendam gratiam et remissionem peccati. *Est enim haec pars securior, et ita populo praedicanda.* Et testimonia adducta satis illam confirmant, si considerentur quae in simili dixi praecedente sectione; nam revera simpliciter et absolute requirunt hoc propositum. Necessitas autem talis actus, auctoritate magis, quam ratione probanda est, cum ex divina ordinatione simpliciter pendeat. Possunt autem hujus ordinationis non leves congruentiae ex dictis sumi. - *Prima* est,

1) Relect. de poenit. p. 1. — 2) Art. 8. contra Lutherum. — 3) 1. de poenit. c. 6. et 7. — 4) Alphabet. 15. litt. *G.* — 5) Lib. 9. Registri Epistol. 39., et Homil. 34. in Evangelia. — 6) Lib. 2. de poenit. c. 5. — 7) Lib. 2. de poenit. c. 16. — 8) Serm. 66. de tempore. — 9) De vera et falsa poenit., c. 17.

quia unus ex praecipuis finibus poenitentiae, est correctio et emendatio vitae praeteritae: merito ergo praecipitur peccatori, ut voluntatem et intentionem expressam habeat corrigendi mores, et servandi mandata; nam ad assequendum finem aliquem, nullus actus aptior est, quam intentio et definitum propositum obtinendi illum. Unde unum ex mediis utilioribus, ad emendationem peccatoris, est hoc propositum formale: merito ergo ei praecipitur. – *Secunda,* quia hic actus, ex natura rei, est valde proportionatus ad recompensandum in suo ordine divinam injuriam: quid enim est magis consentaneum humanae naturae et rationi, ad impetrandam veniam injuriae factae, quam ut is, qui illam intulit, proponat omnino a similibus injuriis abstinere? merito ergo exigit Deus a peccatore hujusmodi actum. – *Tertia,* quia, ut ostendimus, peccator, ut in Dei amicitiam redeat, illum debet amare super omnia, proprio et formali amore, per se loquendo: hic autem amor, prout a nobis in hac vita exerceri potest, vix intelligi aut esse potest perfectus, sine formali proposito servandi divina mandata, aut (quod idem est) placendi Deo in omnibus, vel implendi ejus voluntatem; quia hic amor non est tantum simplex complacentia de bonis Dei in se, quam etiam peccatores habere possunt, sed esse debet amor obedientialis, qui voluntatem Dei, praesertim praecipientem, praefert rebus omnibus: includit ergo talis amor propositum formale implendi hujusmodi voluntatem. »

Et in *n. 4.* sic concludit: « Unde observare oportet, assertionem propositam proprie habere locum, et intelligendam esse, quando ipse amor Dei non ita exercetur, ut satis formaliter contineat hoc propositum: nam amor Dei in hac vita, ut dixi, esse debet *obedientialis;* qui habet adjunctam voluntatem placendi Deo in omnibus, ejusque voluntatem implendi, quae voluntas est sufficiens propositum non peccandi de caetero. Quando vero contingit habere formalem amorem, scilicet non hunc obedientialem, sed benevolentiae aut complacentiae in Deo et bonis ejus; tunc, per se loquendo, ut dicebam, requiritur hoc propositum. Deinde observo, hoc videri intelligendum regulariter, quando reliquum est aliquod tempus praesentis vitae: nam si homo *in ipso mortis articulo* poenitentiam agat, non est quod de proposito vitae futurae sollicitus sit. »

3. Ex hisce textibus tria patent: 1°. Suarez sententiam, propositum *formale* et expressum esse debere, *probabilem* censet. 2°. *Partem securiorem, et ita populo praedicandam* illam dicit, quae docet, *formale* propositum, *per se loquendo,* necessarium esse ad consequendam gratiam et remissionem peccatorum. 3°. Explicando verba: *per se loquendo,* duos tantum casus admittit, in quibus propositum formale de vita futura non requiritur. Primus est: si quis amorem Dei *obedientialem,* qui voluntatem Deo in omnibus placendi includit, *satis formaliter* exercet, ita ut hoc actu formali propositum de vita futura contineatur. Alter est: si homo *in ipso articulo mortis* poenitentiam agit; quia in sensu morali, tempus futurum pro ipso non amplius exstat.

II. De *Cajetano* similiter contendit P. Ballerini, quod « *thesim contradictoriam* » statuat, et citat *Summam, V. Confessio, n. 12.* – Suarez autem, ut supra vidimus, cum aliis Cajetanum illis Doctoribus accenset, qui *primam* sententiam tenent, et *Opusc. T. 1. tr. 4. q. 1.* citat. Verum Cajetanus non tantum hoc loco, sed etiam illo, quem citat P. Ballerini, manifeste primam sententiam profitetur.

1. Haec enim habet *Summa, V. Confessio, n. 12.:* « XII. Conditio: *lacrymabilis,* hoc est contrita, hoc est cum displicentia omnium peccatorum mortalium commissorum su-

pra omne odibile, et cum proposito vitandi omne peccatum mortale supra omne vitabile. Has enim duas conditiones exigit contritio humana, alioquin contritio non est. Verum quia de contritione in ordine ad confessionem praesens est doctrina, scito multipliciter admitti confessionem pro lacrymabili. In *primo* gradu lacrymarum sunt confitentes cum vera contritione, hoc est humana, formata charitate... In *secundo* gradu sunt confitentes vere contriti contritione humana, qui, sicut nihil sibi conscii sunt, ita nec olei in propriis vasis sunt conscii, exeuntes obviam sponso et sponsae. Et hos credimus fieri de attritis contritos, contritione formata virtute clavium : ita quod si contingit hos confiteri informes, absoluti tamen formati regulariter sunt. – In *tertio* gradu sunt confitentes cum attritione quidem laudabili, contritione autem ambigua. Et hi sunt, tam illi, *qui dicunt* displicere sibi offensas patratas in Deum et *intendere in futurum cavere a peccatis mortalibus secundum posse suum*, quam illi, qui ita se habent ad Deum confitendo, sicut se habent ad homines majores offensos, quum petunt veniam, dicentes : Displicet mihi quia te offendi, amplius te non offendam, parce mihi. Utrique enim dolent de praeterito et intendunt vitare futurum. Sed quoniam potest animus eorum dupliciter esse affectus (vel ita ut virtualiter intendant peccata vitare supra omne vitabile, et similiter, quod virtualiter displiceat eis mortale commissum supra omne odibile ; vel ita ut virtualiter non se extendat ad haec, quia nec dilectio Dei acquisita, seu humana tantum dominatur in corde, ut praeponat vere Dei amorem et obedientiam omnibus delectabilibus, honorabilibus et utilibus) ideo dubia est eorum contritio. Nam si primo modo sunt affecti, essent contritione saltem humana : si vero secundo modo, non essent etiam humana contritione contriti. Utrorumque tamen confessio ab Ecclesia ut lacrymabilis admittitur ; non audeo tamen dicere, quod ultimo modo dispositi regulariter fiant, virtute clavium, de attritis contriti. Non sunt autem poenitentes in tentationem praecipitandi a confessore nimis zelante, et imprudenter investigante an displiceant sibi commissa supra omne odibile in particulari, puta mortem, paupertatem, etc. ; aut si intendit vitare mortalia supra omne vitabile, puta direptionem, occisionem, etc... »

In *quarto* demum gradu, juxta Cajetanum, sunt illi, quibus displicent peccata praeterita, et qui vellent vitare futura, non vera voluntate, sed tantum quadam velleitate : ut sunt usurarii, concubinarii, alienum retinentes, et similes, quorum confessio ab Ecclesia ad absolutionem non admittitur.

Claris ergo et distinctis verbis Cajetanus supponit, quod in *tertio* gradu constituti propositum *explicitum* non peccandi in futurum eliciant : « *Qui dicunt, intendere in futurum cavere a peccatis mortalibus secundum posse suum.* » Solummodo non requirit, ut *explicite* etiam sibi proponant, vitare peccata *super omne vitabile,* et Dei amorem et obedientiam praeponere omnibus delectabilibus, honorabilibus et utilibus; dummodo *virtualiter* id intendant.

2. Uberius hanc doctrinam Cajetanus explicat *Opusc. T. 1. tr. 4. q. 1.* : « An attritio fieri possit contritio? Ex tribus constat hujusmodi perfecta displicentia. Primum est ipsa displicentia peccati ; secundum est propositum de cetero non peccandi mortaliter ; tertium est, quod sit charitate informata... Si secunda defecerit conditio, tripliciter hoc contingere potest. » Et quidem primo, si quis contrarium propositum ponit in actu ; et tunc non locum habet attritio. Secundo, si quis non intendit actualiter committere peccatum mortale, sed non intendit statum suum mutare. Tertio, si quis explicite affirmat displicentiam, et

explicite negat intentionem peccandi, at propositum non peccandi de cetero nonnisi in confuso habet. – His et ceteris conditionibus explanatis, concludit :

« Ex quibus omnibus colligere possumus, duplicem esse attritionem et duplicem contritionem. *Prima attritio* est displicentia peccati cum velleitate non peccandi, in statu tamen peccati; et haec est attritio meretricum, usurariorum et aliorum hujusmodi, et haec vocatur attritio *impoenitentium*. – *Secunda attritio* est displicentia peccati cum non voluntate peccandi, et cum voluntate non peccandi in confuso; et haec est attritio poenitentium, qui sic in confuso tam totum tempus futurum, quam comparationem peccati ad alia odibilia, quam etiam comparationem Dei ad alia amabilia, in voluntate sua habent; et haec vocatur attritio *imperfectorum*. »

« *Prima* vero *Contritio* est acquisita displicentia peccati supra omne odibile, cum proposito vitandi peccatum supra omne vitabile, ex amore Dei supra omne amabile; et haec vocatur contritio *informis*. – *Secunda* autem *Contritio* est haec eadem displicentia, cum dicto tam proposito quam amore, charitate informata; et haec vocatur contritio *formata*. »

Ideoque Cajetanus differentiam inter contritionem et attritionem in eo reponit, quod *attritus* propositum explicitum non peccandi de cetero eliciens, tam tempus futurum, quam comparationem peccati ad alia odibilia, nec non comparationem Dei ad alia amabilia non distincte recogitat, sed nonnisi *in confuso* habet. – Hanc differentiam non approbat *Suarez*, [1] inquiens : « Non satis exponitur hoc discrimen per ordinem ad peccata confuse aut distincte recogitata, ut Cajetanus indicavit; quia, ut etiam ostendimus, sine illa expressa recogitatione potest esse vera contritio, et cum illa fieri potest, ut sit sola attritio. » – Sed quidquid sit de illa sententia Cajetani, certum est, quod propositum *explicitum* exigit.

III. Testante cl. Professore, « *Bonacina* (Disp. 5. q. 1. sect. 1. punct. 3. n. 9.) *plane oppositum docet*. » – Videamus igitur an recte sentiat.

1. *Bonacina* (De poenit. disp. 5. sect. 1. *punct. 8.*) quaestionem ponit: « *Utrum ad contritionem requiratur propositum non peccandi in futurum?* » In prima Propositione asserit, sententiam affirmativam esse communem inter DD. – Sequitur deinde : « *Secunda Propositio :* Probabile est, ad contritionem sufficere propositum implicitum vitandi peccata in futurum, et non requiri explicitum. Ratio est, quia dari potest casus, ut quis detestetur peccata super omnia, nihil advertens ad futuram vitam : sed hic dicitur habere actum contritionis, sine proposito explicito : ergo ad contritionem, non videtur requiri propositum explicitum vitandi peccata in futurum. »

« In Propositione dixi : *probabile est,* ut adverterem, circa propositam difficultatem, duplicem extare Doctorum opinionem. – Prima est *Valentiae,* [2] Bellarmini, [3] Soti, [4] *Henriquez,* [5] *Suarez,* [6] *Reginaldi,* [7] Nugni, [8] *Toleti* et aliorum asserentium, *requiri propositum explicitum* vitandi peccata. Ratio est, tum quia Florentinum, in Decreto Eugenii asserit, primam partem poenitentiae esse contritionem, cum proposito non peccandi de cetero; tum quia in Tridentino l. c. dicitur, ad justificationem hominis requiri propositum, etc. ; cum autem verba accipienda sint, prout sonant, sequitur, requiri propositum explicitum, et non sufficere implicitum, cum implicitum non videatur propositum proprie acce-

1) Disp. 5. sect. 1. n. 9.— 2) Tom. 4. disp. 7. q. 8. punct. 6. ad finem.— 3) Lib. 2. de poenit. c. 6. et 7. — 4) Dist. 15. q. 1. art. 2. — 5) Lib. 4. c. 24. n. 2. — 6) De poenit. disp. 4. sect. 3. n. 3. — 7) Lib. 5. n. 8. — 8) 3. P. tom. 2. de 3. parte Sacram. poenit. q. 1. art. 1. dub. 3. et 5.

*

ptum. – *Secunda* sententia est Medinae, [1] Coninchii, [2] Pesantii, [3] Navarri, [4] Filliuccii, [5] Majoris et aliorum, apud Suarez et apud Bellarminum loco cit., et apud Vasquez, [6] affirmantium, *sufficere propositum virtuale et implicitum,* quod in ipso contritionis actu continetur: quatenus contritus implicite diligit Deum super omnia, et vult ipsi placere in omnibus. Ratio est, tum quia non potest afferri ratio sufficiens ad probandum, requiri propositum expressum et explicitum; ergo sufficere videtur implicitum: tum quia Tridentinum ita exigit propositum bene vivendi, seu praecavendi peccata in futurum, sicut exigit propositum confitendi; sed sufficit ad contritionem, propositum implicitum confitendi et suscipiendi Sacramentum poenitentiae, ut superius ostendimus: ergo sufficit etiam propositum implicitum bene vivendi, seu praecavendi peccata in futurum. – Ad rationem primae sententiae responderi potest, Concilium Tridentinum et Florentinum intelligi posse de proposito implicito et virtuali; hoc enim est proprie propositum, sed implicitum. »

« Utraque opinio probabilis est; *in praxi* tamen consulendum est *propositum actuale,* cum hoc sit *tutius et securius remedium ad justificationem, et usu magis receptum:* quamquam non videtur existimandum invalidum Sacramentum, susceptum ab eo, qui bona fide detestatur peccatum, illudque confitetur absque formali proposito. »

2. Cum *Bonacina* hoc loco quaestionem de proposito explicito *ex professo* pertractet, non obstant, sed ex loco modo citato explicanda sunt, quae antea *Punct. 3. n. 9.* (a cl. Professore allegato) obiter, et uberiorem expositionem reservans, dixerat: « Observa tamen, sufficere propositum virtuale, quo quis ita detestatur peccata, ut si menti occurrerent peccata futura, firmum eliceret propositum illa praecavendi in futurum: nam aliquis potest efficaciter dolere de peccatis, cum proposito virtuali, non advertens ad peccata in futurum. »

IV. De *Valentia, S. J.,* loquens, ait clar. Professor: « *Et Valentia* » (Disp. VII. q. 8. punct. 6.) *diserte* » *affirmat,* expressum istud propo» situm non requiri necessitate me» dii ad justificationem, sed quando» que peccatorem posse cum impli» cito tantum ejusmodi proposito » justificari; *et dicit,* quandoque, » *quia singularissima opinione cen» suit, necessarium esse* explicitum, » *quando urget* positivum *poeniten» tiae praeceptum: quasi scilicet ad » implendum poenitentiae praece» ptum non sufficeret poenitentia, » *quae ad justificationem sufficit!* »

1. Valentiam igitur audiamus. Loco cit. dicit: « Postremo assero, eodem praecepto, quo tenetur aliquis veram poenitentiam agere, obligari etiam, *ut habeat propositum explicitum* non peccandi de caetero. Ita *Ruardus Tapper,* [7] *Sotus,* [8] *Canus* [9] et *omnes Theologi antiquiores,* qui cum passim asserant, requiri in poenitentia istud propositum, *de formali omnino et explicito proposito intelligi debent,* ut vocabulum ipsum sonat. Praesertim cum nunquam de implicito proposito, suam illi sententiam interpretentur, ut recte urget Sotus. *His igitur Authoribus potius assentior,* quam Joanni Majori [10] et Joanni Medinae, [11] qui contrarium senserunt. »

« *Probatur primo Assertio.* Nam Scriptura ubique indicat, poenitentiam talem esse oportere, ut in ea contineatur quaedam ratio conversionis in Deum, per voluntatem cu-

1) C. de poenit. tr. 1. q. 3. sub. fin. — 2) De poenit. disp. 2.— 3) In additionibus ad 3.[am] part. q. 1. art. 5. disp. 4. dub. 6. n. 58.— 4) Cap. 2. n. 18.— 5) Tr. 6. c. 7. q. 5. n. 176.— 6) De poenit. q. 86. art. 2. dub. 4. n. 3.— 7) Art. 4. fol. 131.— 8) D. 15. q. 1. art. 2.— 9) In relect. de poenit. p. 1. q. 2. — 10) D. 15. q. 1. — 11) Tr. 1. de poenit. q. 3.

stodiendi omnia illius mandata: quod explicite et formaliter, ut sonat, intelligi debet. Ut Ezechiel 18. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, et custodierit praecepta mea, vita vivet et non morietur;* et Joel 2. et Zachar. 1. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* – *Secundo* probatur. Nam ejusmodi propositum est etiam unus quidam praecipuus actus virtutis poenitentiae, pertinens omnino ad placandum iratum Deum, ut supra q. 3. p. 1. explicuimus. Ergo cadit in poenitentiae praeceptum. – *Tertio* accedit, quod in Concilio Tridentino et Florentino absolute dicitur, contritionem habere etiam propositum non peccandi de cetero. Ea vero, quae Major et Medina afferunt pro sua opinione, tantummodo evincunt, non requiri expressum istud propositum, necessitate etiam medii, ad justificationem; sed quandoque posse peccatorem, cum implicito tantum ejusmodi proposito, quod ipsa videlicet detestatione peccati praeteriti contineatur, justificari: nempe extra tempus praecepti; vel etiam praecepti tempore, si tum aliquis subitaneo casu praepediatur, quo minus de futuro cogitare possit. »

2. In quantum ergo Valentia, saltem quando praeceptum poenitentiae urget, necessitatem propositi formalis affirmat, hac saltem ratione pro prima sententia allegari potuit; et adcirco non tantum Lacroix, sed etiam Bonacina et alii ipsum allegant.

3. P. Ballerini hanc Valentiae sententiam pro absona habere videtur; exclamat enim: « *Quasi scilicet ad* » *implendum poenitentiae praece-* » *ptum non sufficeret poenitentia,* » *quae ad justificationem sufficit!* » Verum Valentia distinguit inter requisita ad *validitatem* Sacramenti, et *praeceptum* poenitentiam agendi, quod accedentem ad Sacramentum Poenitentiae aliquando obligat, sed non semper. – Si quis peccata *mortalia nondum confessa* confitetur, poenitentiam agere tenetur. Atqui ad poenitentiam veram et coram Deo acceptam, non tantum requiritur, ut poenitens *formaliter* doleat de offensa divinae Majestatis, sed etiam ut *formaliter* emendationem pro futuro promittat. Unde si emendationem pro futuro non formaliter sibi proponit, non justificatur: non quidem ideo, quia propositum explicitum absolute, necessitate medii, ad justificationem requiritur; sed quia praecepto poenitentiam agendi non satisfacit, nisi subitaneo casu praepediatur, quominus de futuro cogitare possit. Secus, si quis peccata *mortalia jam confessa, aut venialia* confitetur; quia de illis jam debitam poenitentiam egerat, et pro his *praeceptum* poenitentiam agendi non existit, quamvis etiam venialia sine dolore et proposito non remittantur.

4. Haec est Valentiae argumentatio; et ratio, quam adfert, eadem est, quam *Suarez* [1] inter congruentias recenset: « Secunda: quia hic actus, ex natura rei, est valde proportionatus ad recompensandum in suo ordine divinam injuriam: quid enim est magis consentaneum humanae naturae et rationi, ad impetrandam veniam injuriae factae, quam ut is, qui illam intulit, proponat omnino a similibus injuriis abstinere? merito ergo exigit Deus a peccatore hujusmodi actum. » – Idem dicunt Reginaldus et alii. Valentia autem hanc rationem, quando praeceptum poenitentiam agendi urget, non tantum ut meram congruentiam, sed ut argumentum positivum et certum considerat.

V. Pergit P. Ballerini: « *Reginal-* » *dus denique et Toletus non ita* » *primam* (sententiam) *praeferunt,* » *ut alteram rejiciant.* »

Mira objectio! Ut auctor aliquis pro quadam sententia stare dicatur, certe non requiritur, ut alteram ceu

1) Cfr. supra, pag. 449.

improbabilem omnino rejiciat. Et prorsus inepta est haec objectio in casu nostro, ubi sola quaestio est, an prima sententia *omni* probabilitate destituta, et opposita *moraliter certa* sit.

1. *Toletus, S. J.,* [1] dicit: « Et hoc propositum debet esse *expressum.* Et hoc est *probabilius* ..... quamvis aliqui dicant sufficere primum actum; sed quod diximus *securius* est. Et ita habet Concilium Florentinum. »

2. *Reginaldus, S. J.,* [2] post quaestionem propositam, dicit, diversos auctores in utramque partem a Bellarmino et Suarez referri. Dein sic prosequitur: « Quamvis autem pars negans non sit omnino rejicienda, cum et auctores et rationes satis probabiles habeat, faveatque humanae infirmitati: affirmans tamen *videtur sequenda in praxi, et poenitenti consulenda;* nempe exercitium praedictum requirere *propositum actuale* non peccandi de cetero. Ratio est, tum quia *id et securius est et magis receptum:* quod maxime attendendum est in re maximi momenti, qualis est contritio necessaria necessitate medii, ut in seq. cap. docebitur, ad exeundum a miserrimo statu peccati: tum quia *magis est Sacrae Scripturae et Sacris Conciliis consentanea.*»

« Nam in contritione seu conversione ad Dominum, pariter conjungunt detestationem perpetratorum peccatorum, et propositum novae vitae, seu observationis divinorum mandatorum: ut cum Ezech. 18. dicitur: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est* (quod detestationem), *et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit judicium et justitiam* (quod novae vitae propositum indicat); *vita vivet et non morietur.* Iterum in eodem cap. *Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* Et ad Ephes. 4. *Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem.* - Praeterea ex Concilio Florentino, in instructione Armenorum, et ex Concilio Tridentino, Sess. 14. c. 4., prout jam attigimus, *Contritio* definitur: animi dolor ac detestatio de peccato, *cum proposito non peccandi de cetero.* Quae posteriora verba, si de proposito *virtuali* intelligerentur, frustra superflueque adderentur; quandoquidem hoc ipso, quod contritio dicitur detestatio de peccato commisso, satis intelligitur esse cum proposito virtuali non peccandi de cetero: si cognoscatur, quid significetur nomine istiusmodi propositi. Deinde, sicut actualis detestatio peccati, virtualiter includit propositum non peccandi: sic etiam vice versa, actuale propositum non peccandi, virtualiter includit detestationem peccati; et nihilominus ad contritionem, praeter dictum propositum, requiritur actualis detestatio, ut in cit. cap. 4. declaravit Concilium Tridentinum his verbis: *Declarat igitur sancta Synodus, contritionem, non solum cessationem a peccatis et novae vitae propositum; sed etiam veteris odium continere.* Cur igitur non dicemus pari ratione, praeter actualem detestationem, requiri *actuale* propositum?»

« Et certe videmus in humanis usuvenire, ut domini a servis, parentes a filiis, quibus post offensionem reconciliantur, exigant non tantum detestationem et dolorem de peccato perpetrato; sed etiam, imo et praecipue, propositum *expressum* melioris vitae: idemque in reconciliatione peccatoris cum Deo usuvenire debere, *natura ipsa suggerit.* Addi potest in confirmationem, quod Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 6., in dispositione peccatoris ad justificationem, ponat istiusmodi proposi-

1) Summa, lib. 3. c. 4. n. 2. — 2) Prax. lib. 5. c. 1. sect. 2. n. 7-10.

tum, tanquam distinctum ab amore Dei, et ab odio seu detestatione peccati. Item, quod nihil magis usitatum sit in debita administratione hujus Sacramenti, quam exigere a fidelibus propositum cavendi de cetero peccata, et qui illud non habere cognoscuntur, non absolvantur tanquam non contriti. - *Quae in contrarium objici possent*, recte solvuntur a *Bellarmino*, in seq. cap. 7., quem qui volet, consulat; in illis enim haerere, Scholastici potius, quam praesentis instituti est. »

VI. Non superest nisi *Henriquez*, de quo cl. Professor asserit: « *Henriquez vero* (Sum. lib. 4. cap. 24. n. 2.) *tertiam sententiam expresse tradit.* »

1. Tradit quidem *Henriquez, S.J.*, hanc sententiam, sed non sine reservatione. Etenim loco cit. scribit: « Curandum est Confessario, ut poenitentes inducat ad hoc *formale* propositum emendationis et novae vitae, injungatque medicinalem poenitentiam, ut assuescat in bonis operibus ambulare creatus in gratia. Ephes. 2. Nam, ut actus explicitae fidei in Christum et formalis dolor, ita id formale propositum firmum emendationis et vitandi peccata super omne evitabile, videtur ei, qui potest et recordatur, *medium necessarium*, sine quo homo non justificatur, neque est completa ratio contritionis. Quare, qui meminit propositi, et tamen scienter omittit habere formale propositum, accedit indigne, licet defectum propositi confiteatur; fieri tamen potest, ut ex inadvertentia, aut quia nihil meminit futurae vitae, qui est in articulo mortis, habeat veram dilectionem et contritionem, excluso omni affectu virtuali peccati, et justificetur absque dicto formali proposito, quod satis includitur in eo, qui non recordatur. Quare, cum poenitentia sit praeteritorum, magis includit formalem dolorem, quam propositum. Homo vero justus saepe habet actum dilectionis et contritionis, sine cogitatione aut formali proposito futurorum; et in his *certius* est valere absolutionem, quamvis non habet formale propositum vitandi venialia. Qui enim diligit, ut in virtuali proposito servat omne praeceptum, ita et *praeceptum* doloris formalis, *propositi* et recipiendi Sacramentum. »

2. Cum itaque Henriquez dicat, absolutionem *certius* valere in justis, satis indicat, quod *minus certum* id censeat in peccatoribus, qui peccata mortalia confitentur. Quod etiam ex eo patet, quia primum dicit, propositum formale *medium necessarium* videri, sine quo homo non justificatur, et deinde de justis agens, *de praecepto* propositi formalis loquitur.

VII. Demum S. Alphonsus auctoritatem *Melchioris Cani* et *Concinae* pro eadem prima sententia adducit. Et recte quidem; nam

1. *Canus* [1] ait: « Nec potest dici, Concilium loqui de proposito *implicito* »; et addit, quod *vana esset haec interpretatio.*

2. *Concina* [2] quaestionem pertractat: « *Requiriturne propositum formale et explicitum non peccandi de cetero?* » et de sententia negativa dicit: « Hanc opinionem docent Diana, Gormaz, Lugo, Vasquez, et plures alii. *Sed falsa aperte est;* oppositum enim docent S. Thomas, Albertus Magnus, Durandus, Scotus, Cajetanus, Cano, Soto, Card. Bellarminus, qui [3] haec scribit: « *Sed nobis communis, ac trita a Veteribus via semper est tutior ac commodior. Probatur igitur, ad contritionem requiri explicitum et formale propositum vitae melioris.* » - Utinam hanc tritam a Veteribus viam calcare omnes vellent! Tridentinum, praeter dolorem efficacem et

1) Relect. de poenit. p. 1. prope med. — 2) De poenit. lib. 1. diss. 3. c. 1. n. 15.; et brevius in Compendio, lib. 11. diss. 1. c. 8. n. 11. — 3) Lib. 2. de poenit. c. 6.

universalem, *in quo sane continetur propositum virtuale*, requirit propositum non peccandi de cetero. Si sufficeret propositum virtuale, contentum in dolore efficaci, *superfluum foret, quod Concilium requireret propositum, praeter dolorem efficacem.* Contra clamat aliquis: Si praeter dolorem efficacem universalem, requireretur propositum, non tres, sed quatuor essent Poenitentiae partes. Inane sophisma est. Tres sunt Poenitentiae partes. Sed contritio duobus constat, dolore nempe de peccato commisso, et proposito non peccandi de cetero. - Contingere tamen potest, ut poenitens ita vehementi dolore abreptus sit, ut de proposito non cogitet; at si adverteret, firmissimam resolutionem conciperet non peccandi de cetero. Sermo nunc est, de his quae communiter et passim contingunt, non de aliquo raro et repentino casu. »

Cum autem plures alii sint DD. *recentiores*, qui primam sententiam tenent, aut saltem probabilem censent, quosdam allegare juvat.

Articulus 3.

Confirmatur doctrina S. A. quibusdam aliis recentioribus Auctoritatibus.

I. - 1. *Tamburini, S. J.*, [1] scribit: « Propositum *explicitum* de caetero non peccandi; licet laudabiliter adatur, et *in sententia multorum necessario;* lege Bellarminum [2] contra Vegam: at in *probabili* aliorum opinione satis est *implicitum*, hoc est, illud quod involvitur in ipso actu detestationis, seu displicentiae. Vega; [3] eamdem sententiam Reginaldus [4] ait esse probabilem, et idem Bonacina. [5] Nam qui ex corde dicit: *Mihi peccatum displicet*, implicite involvit, se nolle amplius illud committere. Nemo enim vult committere, quod ipsi displicet. » - Fatetur itaque ipse Tamburini, sententiam affirmantem esse tantum probabilem; aliam vero negantem « *in sententia multorum, necessario* » tenendam esse.

2. *Ven. Paulus Segneri, S. J.*, [6] expressis verbis dicit, propositum emendationis, juxta probabiliorem sententiam, explicitum esse debere: « Questo proponimento, *secondo la più probabile opinione*, deve essere *espresso;* atteso che un fine principale della penitenza, è emendar la vita del peccatore con questa risoluzione di volontà. »

3. *Roncaglia* [7] ait: « Dolorem pro confessione necessarium comitari debet sincerum propositum, in posterum peccata praecavendi; neque etenim potest quis magnum dolorem habere de offensis Deo factis, quin simul intendat non amplius velle peccare. Quamvis nihilominus in omni vero peccatorum dolore, virtualiter hujusmodi propositum contineatur, *puto, ordinarie loquendo, necesse esse quod sit explicitum et formale;* neque enim videtur dari posse efficacem peccatorum detestationem, quin simul voluntas proponat non amplius peccare. Quod si nihilominus detur casus, in quo quis, tota mente occupatus in detestandis praeteritis peccatis, nil cogitaret de futura emendatione, atque ita sine proposito explicito reciperet Sacramentum Poenitentiae, putarem ipsius virtute justificari. »

4. Similiter scribit *Billuart:* [8] « Istud autem propositum videtur *per se loquendo* debere esse *explicitum;* quia alias frustra Concilium Flor. in Compendio fidei, Tridentinum, loco cit., S. Thomas cum Theologis, illud in definitione contritionis addidissent, nisi intellexissent, illud debere esse explicitum: quia *implicitum* continetur in priori illa parte: *dolor de peccato commisso...* »

5. Idem sentit *Thomas ex Char-*

1) Method. conf. lib. 1. c. 1. §. 3. n. 7. — 2) Tr. 3. lib. 2. de poenit. c. 6. et 7. — 3) In Trid. lib. 13. d. 31. — 4) Tom. 1. lib. 5. de contrit. — 5) De poenit. disp. 5. q. 5. sect. 1. n. 8. — 6) Opusc. cui tit. *Il penitente istruito*, c. 8. — 7) Tr. de Sacr. Poenit. q. 2. c. 1. quaer. 2. — 8) Summa Summ. de Sacr. Poenit. diss. 3. art. 1.

mes: [1] « Circa hanc quaestionem disputant Theologi; *longe verior* nobis videtur sententia eorum, qui propositum *formale et explicitum* desiderant. Prob. Tum quia de illo proposito expressam mentionem facit Scriptura, Ezech. 18. *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* Tum quia Conc. Trid. (Sess. 14. c. 4.), postquam definivit contritionem, addit: *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem, non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* Ergo contritio eodem modo continet propositum novae vitae, ac veteris odium; atqui continet veteris odium formale et explicitum; ergo et propositum formale et explicitum non peccandi de cetero. – *Dices:* Dolor ac detestatio de peccato includunt virtuale propositum non peccandi; ergo non requiritur aliud propositum formale. *Resp. nego conseq.* Alioqui haec verba: *cum proposito non peccandi,* essent superflua... »

6. *Leonardus Jansen* [2] dicit, probabilius sufficere propositum virtuale, inclusum in dolore universali; at subjungit: « *In praxi tamen adhibendum est propositum formale,* quo voluntas explicite et serio dicat: nolo peccare in futurum; quia agitur *de valore Sacramenti,* et est incertum, an propositum virtuale sufficiat; nam Concilia Florentinum et Tridentinum non minus expressam mentionem faciunt propositi, quam doloris; et si sufficeret propositum implicitum, praeter dolorem non requireretur propositum, quia ipse dolor est propositum implicitum. »

7. *Antoine, S. J.:* [3] « Ad valorem et effectum Sacramenti, requiritur contritio formalis... Item, *saltem in praxi* requiritur, praeter dolorem, etiam *propositum formale et expressum;* nam non est certum sufficere virtuale: imo Conc. Florentinum, explicando contritionem requisitam, expresse commemorat dolorem et propositum, et illa tanquam duo requirit. Et a Conc. Tridentino contritio definitur: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero.* At definitur per partes essentiales, alioqui dolor et detestatio non essent etiam partes essentiales: nam Concilium non requirit simpliciter propositum, et particula *cum* significat conjunctionem, etc. Hinc non sufficit perfecta dilectio, quia non est contritio formalis, sed solum virtualis. »

8. *Amort:* [4] « Quaeritur 12.: *An detur obligatio ponendi propositum explicitum?* Respondeo. Propositum explicitum servandi mandata non solum exigitur necessitate praecepti, si ea obligatio memoriae occurrat, sed etiam *necessitate Sacramenti,* ita ut, eo deficiente, Sacramentum ne quidem sit validum. Voco autem propositum *explicitum* tendentiam voluntatis ad implenda mandata, distinctam formaliter a tendentia aversativa peccati, et prosecutiva finis ultimi, quamvis observatio mandatorum non sub formali ac explicito termino, sed sub aliquo termino convertibili ac implicito attingi possit; v. g. in hoc, si poenitens explicite velit *placere Deo, se subjicere motioni gratiae, se conformare voluntati divinae in omnibus, ducere vitam vere christianam, recte vivere,* etc.; haec enim omnia sunt termini convertibiles cum observatione mandatorum. »

II. Ex omnibus hucusque discussis evidenter liquet, S. Doctorem nostrum jure merito docere « *in praxi* » *ante factum tutius sequendam es-* » *se primam sententiam negantem.* » Praeterea, ex omnibus allatis docu-

1) Tr. de sacr. diss. 5. c. 8. q. 1. quaer. 2. — 2) T. 2. c. 96. n. 25. — 3) De poenit. c. 1. art. 1. q. 6. — 4) Tr. 18. §. 8.

mentis, quisque attentus lector facile judicabit, quid sentiendum sit de assertione cl. Ballerinii: *paucos* tantum Auctores pro prima sententia stare; et Doctores, a S. Alphonso pro eadem allegatos, vel *thesim contradictoriam* statuere, vel *plane oppositum* docere. – Quibus positis, priusquam ad alia transeamus, breviter examinabimus quae idem cl. Professor dicit de *tertia* sententia a S. Alphonso relata.

P. Gury, loco cit. pag. 941. [1] de hac sententia loquens, ait: « *Tertia* sententia, quam communem dici testatur *S. Ligor.*, docet, *quod si poenitens cogitet de vita futura, debet formaliter proponere emendationem.* » – Verum, nec ista sententia cl. Ballerinio probatur. Unde ipsam ea ratione infirmare conatur, quod obligationem, propositum formale eliciendi, otiose imponat, et ideo omni substrato careat. Siquidem dicit: « *Haec obligatio prorsus inutiliter videtur inculcari.* Nam si » cogitatio de vita futura oboritur, » frustra fit sermo de obligatione; » quandoquidem, ut inquit *Bellarminus* (De Poenit. lib. 2. cap. 6.), » *fieri non potest, ut verus sit in animo dolor de peccatis admissis, quin continuo* (de futura vita cogitanti) *oriatur etiam propositum vitandi futura.* Si vero de futuro » cogitatio non occurrat, frustra inculcatur obligatio, cujus nulla adest advertentia. »

1. Sed claudicat hoc dilemma. In poenitente, vere de peccatis admissis et de vita futura cogitante, utique orietur propositum vitandi futura; at vero fieri potest, ut obiter tantum et in confuso, futura vitare sibi proponat, quin propositum *formale* eliciat, de quo hic quaeritur. – Caeterum cl. Professor nequaquam exacte citat *Bellarminum*, quippe qui l. c. solummodo dicit: « Neque enim dubitari potest, quin is, qui serio peccata sua odit ac detestatur, et ob ea perpetrata dolet, *cupiat* simul *ac velit*, saltem implicite et virtualiter, *ut sic loquamur*, deinceps in melius vitam mutare. »

2. Porro hic non agitur *de obligatione imponenda*, sed de quaestione, an propositum implicitum *ad validitatem Sacramenti* sufficiat. Si explicitum requiritur, certissime non peccat poenitens actum explicitum ex inculpabili inadvertentia omittens; at Sacramentum non suscipit.

Hisce breviter perpensis, videamus an revera prima sententia a S. A. propugnata repugnet doctrinae alibi ab ipso traditae.

Articulus 4.

Doctrina de iteranda confessione a S. Alphonso in hac quaestione tradita, nullatenus repugnat doctrinae quam S. Doctor alibi tradit.

In citato num. 450., S. Alphonsus, ut vidimus, docet, primam sententiam negantem in praxi ante factum tutius sequendam esse. Deinde subjungit: « Dico *ante factum:* nam di» cunt Croix, Viva, Elbel, Gobat; » et Bonacina cum Bellarmino, Sua» rez, Vasquez, Reginaldo, Henri» quez, quod *si bona fide, cum vero* » *dolore confessus fueris, sine pro» posito formali, non teneris con» fessionem repetere;* quia, esto com» munius non liceat Sacramentum » suscipere cum opinione, quae non » sit moraliter certa, ne Sacramen» tum exponatur periculo frustratio» nis: tamen non teneris repetere » confessionem, si probabiliter valide » es jam confessus, cum praefatum » periculum tunc amplius non adsit. » *Nihilominus, nec etiam valeo huic* » *sententiae acquiescere; ratio, quia* » *cum prima opinio sit sufficienter* » *probabilis, poenitens qui gravem* » *culpam et certam perpetravit, te» netur de ea confessionem explere,* » *non tantum probabiliter, sed et» iam certe validam.* »

1) In altera edit. pag. 280.

Sed haec S. Alphonsi conclusio minime probatur cl. Ballerinio. Loco cit. pag. 942. [1] *P. Gury* scribit: «Cum autem, S. Alphonso teste (l. c.), plerique etiam eorum, qui pro prima sententia allegantur, consentiant, quod *si bona fide, cum vero dolore confessus fueris, sine proposito formali, non teneris confessionem repetere;* patet, in hanc conclusionem, quae unica ad praxim deservit, sententias demum omnes, atque DD. omnium suffragium convenire. »

Ad quae verba, P. Ballerini scribit: « Solus S. Alphonsus, licet alioquin adnotaverit, etiam auctores primae sententiae in hanc conclusionem convenire, subdit tamen, se non posse ipsi acquiescere. Ita ipse: *Nihilominus, nec etiam valeo huic sententiae acquiescere...* Ast haec aperte repugnant doctrinae quam alibi ipse tradit (Lib. 6. n. 505.) hisce verbis: *Hic sedulo advertendum, non esse cogendos poenitentes ad repetendas confessiones, nisi moraliter certo constet, eas fuisse invalidas, ut recte dicunt Croix, Gobat etc. cum communi, contra Antoine, qui inter rigidos auctores nostri temporis, non infimum habet locum.* – At vero in casu potius quam certo constet, confessionem fuisse invalidam, contra merito dices, moraliter certo constare, confessionem validam fuisse: quippe in neganda necessitate repetendi confessionem consentiunt, *ipso fatente,* tum primae, tum secundae, tum tertiae sententiae Auctores. Porro hanc necessitatem non negarent, nisi confessionem validam censerent. Doctores ergo *moraliter omnes* confessionem esse validam affirmant. Unanimis autem Doctorum consensus, ex canone ab omnibus recepto, moralem certitudinem parit. Ergo, etc. »

Sed pace cl. Professoris, nullatenus vera est haec tam fidenter prolata assertio, S. Alphonsum sibi contradicere, et conclusionem S. Doctoris in fine num. 450., aperte repugnare doctrinae, quam tradit n. 505.

I. Verba ista: « *Nihilominus nec etiam valeo huic sententiae acquiescere....* » non reperiuntur in quinque prioribus editionibus Theologiae moralis; et S. A. ea nonnisi in editione sexta, anno 1767. evulgata, ad *n. 450.* adjecit. [2] Quod vero S. Doctor ultima haec verba non inconsiderate adjecerit, evidenter patet ex alia immutatione in eadem quaestione facta. Siquidem in prioribus editionibus, S.A. omnino sentiebat cum DD. qui tenent, confessionem bona fide cum vero dolore, sed absque proposito formali peractam, non esse repetendam. Unde de hac sententia loquens, scripserat: « Dico ante factum: nam *optime docent* Croix, Viva.... » In sexta autem editione, re melius perpensa, non amplius ipsi probatur praedicta sententia; et ideo simpliciter de illa scribit: « Dico ante factum: nam *dicunt* Croix, Viva... » – Cum ergo S. Doctor noster sententiam, quam antea tenuerat, post maturam deliberationem mutaverit, jam a priori rejicienda est suppositio, quod obli-

1) In altera edit. pag. 281.

2) Eadem verba desunt in Compendiis: *Istruzione e pratica,* Cap. 16. n. 26. (circa an. 1756), *Homo Apostolicus*, Tr. 16. n. 26 (1759); *Confessore della gente di compagna*, Cap. 15. n. 8. (1764). Sed cum haec Compendia ante sextam editionem Theologiae moralis, anni 1767. evulgata fuerint, nullum profecto ex iis argumentum, contra cit. editionem in casu deduci potest. — Recte igitur advertunt editores Mechliniensis (1845) et Taurinensis (1847), in adnotatione ad hunc num. 450. apposita: « *Contrariam* (S. Alphonsus) *stabilit sententiam in Hom. Ap. tr. 16. n. 26. Ast, cum constet, Auctorem magnam Moralem prae textu Hom. Ap. semper curasse, eamque in dies ad finem vitae usque emendasse (quod de Hom. Ap. dici nequit) ipsa utique textui Hom. Ap. praeferenda, ac proinde in quaestione praesenti, sententia Auctoris in magna Morali tenenda est.* » — Eodem modo praesentem quaestionem solvit *Scavini* (Cf. edit. 10. Mediolanens. 1865. Tom. 3. n. 347. pag. 255). — Vid. tertiam Append. in fine hujus Operis.

tus sit quae *n. 505.* docuerat; [1] et nullam plane repugnantiam inter utramque doctrinam subsistere modo a posteriori demonstrabimus.

II. S. Alphonsus, Lib. VI. art. 4. n. 498-505, de confessionibus iterandis agit. - N. 501. textum *Busembaumii* affert: « Secundo invalida est » (confessio) ex parte poenitentis, si » fuit excommunicatus, de quo infra; » si mortale tacuit, vel de eo se falso » accusavit; si mortaliter negligens » fuit in examinanda conscientia; » item si non fuit attritus (quod pa- » tere solet inde, si sponte quaesierit » confessarium surdum, indoctum, » caecum, etc.); si nolit tollere oc- » casiones, etc... » — N. 502-504., Dubia examinat, an confessio invalida apud eumdem confessarium repetenda sit; an confessarius distinctam notitiam status poenitentis habere debeat; et an rustici, qui bona fide, speciem et numerum peccatorum non explicaverunt, ad confessiones repetendas teneantur.

Et demum, *n. 505.* dicit: « Caete- » rum hic sedulo advertendum, *non* » *esse cogendos poenitentes ad re-* » *petendas confessiones, nisi mora-* » *liter certo constet, eas fuisse in-* » *validas;* ut recte dicunt Croix, » Gobat, Holzmann, Mazzotta, et » Elbel cum Filliuccio, et communi » (contra Antoine, qui inter rigidos » auctores nostri temporis, non in- » fimum habet locum). *Ratio, quia* » *possessio stat pro valore confes-* » *sionum praeteritarum, quamdiu* » *de earum nullitate non constat.* - » Dices: Quando extat praeceptum, » et dubitatur de ipsius impletione, » possidet obligatio praecepti; ergo » in dubio de valore confessionum » praeteritarum, possidet obligatio » eas repetendi. Sed respondetur, » quod regula praefata tum currit, » cum adest praeceptum, et dubita- » tur an actus impletionis fuerit po- » situs vel ne; cum vero talis actus » jam bona fide fuerit positus, et » postea dubitatur an fuerit validus » vel invalidus, tunc ille ut validus » est reputandus; tunc enim currit » aliud principium, nempe quod *in* » *dubio standum est pro valore a-* » *ctus,* ut communiter tradunt DD. » cum Laymann, ex Glossa, Croix, » Sporer, Mazzotta qui asserit com- » munem, et Navarro qui dicit: *Prae-* » *sumptio pro actus valore praepon-* » *derat aliis.* - Et quoad obligatio- » nem repetendi confessiones recidi- » vorum, de quarum valore saepe » dubitari potest, hanc regulam op- » time tradit Habert, sic dicens: *Si* » *poenitens, aliquamdiu post con-* » *fessionem, dignos poenitentiae fru-* » *ctus fecit, hoc est, strenue adver-* » *sus tentationes et peccandi occa-* » *siones pugnaverit, confessarius ju-* » *dicabit validam fuisse confessio-* » *nem. Secus, si paulo post confes-* » *sionem seu data prima occasione,* » *lapsus fuerit.* Tunc enim, ego addo, » revera moraliter certum est, con- » fessiones fuisse nullas; nam ille, » qui in confessione vere dolet et » proponit emendationem, *saltem per* » *aliquod tempus a peccato se abs-* » *tinet, saltem aliquem conatum* » *adhibet ante relapsum;* unde qui » post suas confessiones, ut plurimum » cito et sine aliqua resistentia ite- » rum cecidit, certe censendus est, » nullum vel nimis tenuem habuisse » dolorem vel propositum. Aliter ve- » ro dicendum, si per aliquod tem- » pus perseveraverit, vel ante ca- » sum, aliquam saltem resistentiam » praestiterit. »

III. Ex verbis S. Doctoris duo concludi possunt: 1°. Quod praefata regula: *Standum pro valore actus,* applicari nequeat, nisi quando actus quo satisfit praecepto, est *certe positus* seu substantialiter certus, et tantum dubitatur de *modo,* seu de aliqua secundaria conditione actus: uti fert communis DD. interpretatio.

1) Cfr. pag. 462. *nota 1.*

2°. Quod S. Doctor non eodem plane modo hanc regulam applicet in utroque sibi proposito casu, in dubio scilicet circa *integritatem* confessionis et in dubio circa *propositum*. Etenim

1. *In primo casu,* nempe quando v. gr. dubitatur, an peccata certe confessa quoad substantiam, fuerint *satis* declarata, aut satis intellecta a Confessario, absolute applicatur praefatum principium; et ideo tunc nulla est obligatio integre repetendi confessionem, nisi *positive* constet numerum vel species explicatas non fuisse. Sic expresse docet S. Alphonsus, lib. 6. n. 500. et n. 479. in fine. Nec S. Doctor (n.471.) in hoc sensu reprobat id quod tradit *Busembaum* de poenitente conscientiam suam examinante: « Post mediocrem autem istam diligentiam, non tenetur de anteacta vita ulterius cogitare; et si quid occurrat, quod *videatur* non esse in confessione *explicatum,* potest sibi persuadere, cum caeteris id memoratum fuisse. » – Ratio est, quia integritas materialis confessionis est ex veri praecepti positivi; unde, post certum, quando jam certum est, certum, quo satisfit legi, fuisse substantialiter positum, et dubitatur tantum de modo, de perfectione actus: etsi dubium sit positivum (sic innuit verbum: *videatur*), legitime et sine restrictione applicari potest regula juris: *Standum pro valore actus.*

2. At vero *in secundo casu,* quando agitur de contritione, seu de dolore aut proposito, non eodem modo applicatur praedicta regula. Quoties enim positive dubitatur de *valore contritionis* aut de *efficacia propositi,* S. Doctor exigit in praxi *indicia positiva* in contrarium: nempe, quod quis « *saltem per aliquod tempus a peccato se abstinuerit, saltem aliquem conatum ante relapsum adhibuerit* » (cfr. supra, tit. n. 505. in fine). – Similiter lib. 6. n. 444. in fine, de dolore dixerat: « *Caeterum, semper consultum est ut dolor eliciatur ex motivo generali* » (quamvis sufficiat attritio ex motivo particulari pro remissione unius peccati); « *imo* (addit) *et* NECESSARIUM, *casu quo homo advertit,* POSSE *habere in anima alia mortalia oblita.* »

3. Ex his manifestum est, diversam esse, ex mente S. Doctoris, obligationem reparandi *defectum integritatis,* ab obligatione reparandi *defectum doloris et propositi.* Si quis enim advertit, possibile esse quod non omnia bene explicaverit in confessione, quoad species et numerum, non tenetur integram repetere accusationem; ex principio: Standum pro valore actus. — Si quis autem advertit, possibile esse quod non omnia peccata recordatus ac detestatus fuerit, tenetur novum doloris actum ex motivo universali elicere. Ratio, quia contritio (dolor ac propositum) non est tantum de praecepto, sed est de necessitate medii ad salutem; cum nemo, post peccatum mortale commissum, justificari possit et salvari, nisi de peccato sincere doleat et ab ipso penitus avertatur. Nemo igitur, quoad contritionem (sive perfectam extra Sacramentum, sive imperfectam cum Sacramento) sequi potest opinionem probabilem; sed tenemur ad tutiorem, qualis pro foro confessionis reputatur ea, quae est moraliter certa, aut positive et unice probabilis, contra quam non militant indicia positiva (Lib. 6. n. 461.; cfr. infra, Part. 6. cap. I. in princ.). Et revera, si quis forsan de aliquo peccato certe commisso nunquam in tota vita actum verae contritionis elicit, is nunquam etiam, neque nunc, neque in posterum, nec in Sacramento, nec extra Sacramentum, remissionem peccati consequetur; ergo, sive ante, sive post Sacramentum, homo tenetur ad partem tutiorem circa dolorem et propositum de peccato commisso. » [1]

1) Addere juvat, quae hac de re egregie scribit cl. vir *Joseph Grassi,* in *Universa Theol.*

IV. Hisce praemissis circa legitimum sensum praefatae regulae: *Standum pro valore actus,* stabilitoque principio, quod saltem renovari debeat actus doloris ac propositi, cum non fuerit satis certo elicitus: propius accedamus ad quaestionem *de proposito formali et explicito, an* scilicet *confessionem iterare debeat, qui advertit hujusmodi propositum certo sibi defuisse?* – Affirmat S. Doctor: quia sententia prima, negans sufficere propositum virtuale sive implicitum, inclusum in dolore, sufficienter probabilis est, et consequenter obligat tum ante, tum post susceptionem Sacramenti. Et rectissime quidem: etenim

1. Huic solutioni obstare nequit axioma: *Lex dubia non obligat;* et minime objici potest: Lex de proposito explicito dubia est: ergo nulla confessionem repetendi existit obligatio. – In collatione enim Sacramentorum, etiam lex dubia seu probabilis certe obligat: quia opinionibus, quantumvis probabilibus, at non moraliter certis aut saltem tutioribus, uti non licet. – Sacramentum vero Poenitentiae hoc habet speciale, quod subjectum non simpliciter *suscipit* Sacramentum; sed ipse, ad instar ministri in aliis Sacramentis, *materiam etiam subministrat,* nempe actus proprios, et Sacerdos solam formam profert. Itaque poenitens qui, praestando materiam Sacramenti, dolorem scilicet aut propositum, usus est opinione probabili minus tuta, certam violavit legem, seu certe legem non implevit. – Nec excusari potest a repetenda confessione, eo quod egit *bona fide:* quia bona fides, in hoc casu, nihil confert ad validitatem Sacramenti: siquidem semper verum est, etiam stante bona fide, certo defuisse propositum explicitum, et ideo Sacramentum omnino dubie, et ideo *per se* illegitime collatum fuisse.

2. Nec magis invocari potest alterum axioma: *In dubio, praesumptio stat pro valore actus.* Etenim, quicumque post baptismum grave peccatum perpetravit, confessionem *validam* de eo explere tenetur. Si quis confessus est, et dubitat an peccata fuerint *satis* explicata, confessionem illam iterare non tenetur: quia certo constat peccata fuisse confessa, nec defuisse materiam Sacramenti; dubitat tantum de *modo* implendi praeceptum: ac proinde valet praefata regula: *standum pro valore actus.* – Si vero *certum* est, propositum *explicitum* defuisse, dubitatio, an propositum explicitum ad valorem Sacramenti requiratur, ab obligatione confessionem iterandi non eximit: quia ille *qui subministrat materiam Sacramenti,* ut peccator afferens dolorem aut propositum, non tantum conditiones quae certo, sed etiam quae probabiliter ad Sacramentum valide suscipiendum divino jure praescriptae sunt, certe adimplere tenetur. – Imo, juxta sententiam supra expositam, propositum formale et explicitum dici nequit simplex conditio actus, sed potius ejusdem *substantia;* quia hujusmodi propositum requiritur *uti actus distinctus,* non secus ac ipse dolor. Ut itaque certo impleatur poenitentiae praeceptum, hic actus cum tota confessione, a qua separari non debet, repetendus est, seu potius *ponendus,* dum ipsa repetitur confessio et absolutio. [1]

mor. juxta doctrinam S. Alphonsi, Vol. 3. pag. 266.: «*Est iteranda confessio,* quando dubitatur de illius validitate, et dubium cadit *circa existentiam alicujus requisiti confessioni essentialis,* v. gr., an Confessarius posuerit formam, an poenitens habuerit *dolorem ac propositum:* quia incerta positio rei praeceptae sat non est implendo praecepto certo. Quod si certo posita fuerint essentialia confessioni, sed dubitatur de *modo,* an scilicet rite, et prout de jure, ea posita fuerint, tunc non est repetenda confessio: nam haec sufficit pro implendo praecepto praemittendi confessionem susceptioni Eucharistiae; attamen pro reverentia et dignitate communionis insuper requiritur status gratiae certo acquisitus per contritionem: ratio fundatur in principio, quod *in dubio standum est pro valore actus.*»

1) In eadem 6. editione Theologiae moralis de anno 1767, in qua S. Doctor, sese refor-

3. Demum advertere juvat, illam conclusionem S. Alphonsi omnino concordare cum principio, quod S. Doctor in eadem sexta editione Theol. mor. stabilivit, videlicet: *Non satisfit legi certae per impletionem dubiam;* seu: *probabilis satisfactio legis non sufficit* (cfr. supra, de Systemate mor., pag. 18. ad II.).

V. Caeterum, necessitas iterandi confessionem, propter propositum explicitum bona fide praetermissum, *raro occurret:* tum, quia fideles non mere peccata sua recitare, sed formulam quamdam doloris et propositi adjungere solent; tum quia poenitentes, qui debito modo de peccatis commissis dolent, non facile actum explicitum propositi omittunt, praesertim cum minime requiratur, ut hujusmodi actus ore proferatur, nec certa quaedam formula praescripta sit. — In praxi, qui *gravia* accusarunt, si vere ac sincere dolent, vix aliquam obliviscentur propositum; imo ordinarie prius de proposito cogitabunt, quam de dolore: difficultatem enim affert propositum vitandi occasiones et adhibenda remedia, non dolor; qui vero propositum explicitum omittunt vitandi occasiones et adhibendi remedia, ordinarie nec veram et sufficientem dolorem habent. Contra, qui *levia* tantum accusarunt bona fide, cum levia non sint materia necessaria confessionis, ad nihil tenentur. [1]

Articulus 5.

De recenti S. Congregationis S. R. U. Inquisitionis Decreto.

Non abs re erit, hoc loco subjungere novissimum S. Rom. et Univ. Inquisitionis Decretum, a SS. D. N. Pio IX. approbatum et confirmatum, quo denuo definitur, integram confessionem sacramentalem exigendam esse ab Haereticis, qui in sinum Catholicae Ecclesiae redeuntes, sub conditione rebaptizantur.

1. *P. Gury* Tom. II. num. 419. pag. 306., sequentes proponit quaestiones: « *Quaer. 2. An adultus baptizandus sub conditione, in dubio Baptismi praecedentis, peccata jam accusata confiteri debeat?* Resp. *Negative.* Ratio est, quia illa peccata jam remissa sunt per Sacramentum Poenitentiae, si validus fuit prior Baptismus; si autem non fuit validus, non sunt materia confessionis, et per secundum Baptismum remittentur ... — *Quaer. 3. An adultus praefatus accusare debeat peccata nondum confessa, seu ab ultima confessione commissa?* Resp. [2] *Con-*

ens, docet, repetendas esse confessiones, licet bona fide factas, ob defectum certum propositi expliciti, alia similis doctrina habetur quoad eum, qui ignorat mysteria SS. Trinitatis Incarnationis Jesu Christi.— In editione 5. de anno 1763, S. Alphonsus, lib. II. n. 2. in fine censuerat cum Viva, *« probabiliter non esse necessario repetendas confessiones factas cum ignorantia praedictorum mysteriorum;* cum ex praefata opinione jam *probabile sit fuisse validas, si ignorantia fuerit inculpabilis ...* » — At vero in 6. editione, Doctor sequentia adjecit: « Caeterum, *opinio P. Viva mihi non est satis probabilis:* Quamvis enim poenitens probabiliter validam confessionem expleverit, ita ut videatur deinde possidere exemptionem ab iteranda confessione, cum prius *bona fide* confessus fuerit; attamen *respectu ad eum qui certo graviter peccavit, semper urget, ac possidet antecedenter obligatio explendi confessionem, non tantum probabiliter, sed certo validam.* Quapropter, cum ipse adverterit, confessionem suam ob ignorantiam mysteriorum SS. Trinitatis, aut Incarnationis Jesu Christi, fuisse probabiliter validam, sed etiam probabiliter nullam, *tenetur, postquam de illis mysteriis instructus fuerit, confessionem iterare.* » Hinc sophistica dices quae P. Ball. in fine Adnot. ad n. 196. T. I. profert.

1) « Caeterum (ait *Scavini*, Tom. 3. n. 347.) hoc inquietare non debet; cum vix eveniat, quod poenitens *vere contritus* propositum etiam *explicitum* omittat; etsi ad hoc non reflectat, quod non est necesse. » — Scitissime tamen in aduotatione subjungit sequentia *S. Alphonsi* verba (lib. 6. n. 451.): « Hic ante omnia advertendum, *rem valde difficilem esse, quod peccatores frequenter ex consuetudine in mortalia labentes, cum vero proposito ad confessionem accedant;* quapropter in hoc Confessarius sedulo incumbere debet, maxime si poenitens alicui vitio magnam habuerit adhaesionem. »

2) In altera editione, pag. 245., post novissimum S. Officii Congr. responsum, cl. Balle-

trovertitur. Prima sententia probabilis negat; quia, posita probabili prioris Baptismi invaliditate, peccata ista probabiliter non sunt materia capax Sacramenti Poenitentiae; ergo etiam probabiliter non sunt clavibus subjicienda: obligatio enim confitendi peccata sequi non potest, nisi consequenter ad Baptismum rite collatum. Hinc, si forte haec peccata non remittantur per secundum Baptismum invalidum, ob prioris validitatem, remitti poterunt, sive per contritionem perfectam, sive *indirecte* per absolutionem cum attritione... *Secunda* sententia etiam *probabilis affirmat;* quia urget obligatio confitendi peccata, quoties non constat, ea ante Baptismum validum commissa fuisse. In praxi confessio admodum suadenda est. »

2. Ad quem textum, cl. BALLERINIUS loco cit. pag. 307. sequentem adnotationem apponit: « Haec praxis » insuper est conformior Instructio- » ni, quam alias dedit S. Officii Con- » gregatio, dum ordinem in recon- » ciliandis hisce adultis servandum » docebat. Hujusmodi autem Instru- » ctio, *sin minus necessariam,* sal- » tem opportunissimam supponit con- » fessionem. Verumtamen, si reipsa » probabilis est prima sententia, quae » alioqui consentanea apparet gene- » rali principio, de non imponenda » confessionis obligatione, quando » moraliter *(ut ait S. Alphonsus, » Lib. 6. n. 505.)* de ea non constat; » *committendum non esset, ut ad » confessionem non necessariam ille » urgeretur, cui ipsa tam dura ap- » pareret, ut forte difficultate vi- » ctus, a reconciliatione absterreri » posset.* »[1]

3. At vero, contra hanc doctrinam nuperrime reclamarunt *Rmus Archiepiscopus Westmonasteriensis, et Rmi Episcopi Angliae.* En exordium supplicis Libelli, quo enixe rogant, ut Sanctitas Sua mentem Ecclesiae, hac super quaestione gravissima, declarare dignetur: « Inter » decreta primae Synodi Provincia- » lis Westmonasteriensis sub C. XVI. » n. 8., ubi sermo est de abjuratione » Protestantium adultorum, et de » baptismate sub conditione eis con- » ferendo, additur: *Confessio etiam » sacramentalis semper in tali casu » est exigenda.* In adnotationibus, » quas adjecit *P. Ballerini* editioni » romanae Theologiae moralis P. Gu- » ry, dicitur, hanc confessionem esse » *conformiorem* Instructioni, a su- » prema S. Officii Congregatione, su- » per modo reconciliandi haereticos » editae, ex qua Instructione dedu- » citur, *opportunam* esse integram » peccatorum confessionem. — In te- » xtu, *P. Gury* tuetur, eam esse » *suadendam* in praxi. Quum vero

rinius textum *Patris Gury* sic immutavit: « Controversum hucusque inter scriptores fuit. *Prima* sententia probabilis *negabat;* quia (inquiebant) posita probabili... *Secunda* sententia etiam probabilis *affirmabat:* quia urget... commissa fuisse. Concludebat porro Auctor, in praxi confessionem admodum suadendam esse. Nunc vero fac attendas ad novissimum Sac. Congr. responsum, quod anno 1868. labente de hac re editum est. »

1) Praefatam adnotationem cl. Professor sequenti modo immutavit: « Haec praxis in praec. » editione exhibebatur insuper uti conformior instructioni, quam alias dederat S. Officii » Congregatio, dum ordinem in reconciliandis hisce adultis servandum docebat. Quae qui- » dem instructio, sin minus necessariam, saltem opportunissimam supponebat confessionem. » Verumtamen addebatur, quod si reipsa probabilis esset prima sententia, quae alioquin » consentanea videri potuit generali principio de non imponenda confessionis obligatione, » quando moraliter (ut ait S. Alphonsus, lib. 6. n. 505.) de ipsa non constat; committendum » non fuisset, ut ad confessionem non necessariam ille urgeretur, cui ipsa tam dura appa- » reret, ut forte difficultate victus, a reconciliatione absterreri posset. — Nunc vero *pro » secunda sententia accessit S. Inquisitionis responsum* 17. Dec. 1868. Ad Postulatum enim » nomine Episcoporum Angliae oblatum: *An debeat... confessio sacramentalis a neo-con- » versis in Anglia exigi, et an debeat esse integra?* Ad utramque dubii partem responsum » est: *Affirmative; et dandum esse Decretum latum sub feria V. die 14. Junii 1715.* Quod » quidem responsum non spectare solum ad specialia Angliae adjuncta, evincit praecedens » Responsum anni 1715... » (Sequitur dein textus ejusdem Responsi).

» hic Auctor, tam in Theologia, quam » in Casibus conscientiae, citaverit » opinionem aliorum Auctorum do- » centium, propter existentiam dubii » de primo baptismate, a neo-conver- » sis tempore infantiae suscepto (adeo » ut si nullum id fuerit, vera ba- » ptismi susceptio sit ea, quae occa- » sione abjurationis, sub conditione » traditur), *dubiam esse obligatio- » nem* peccata integre confitendi ante » hoc baptisma conditionatum; non- » nulli Confessarii in Anglia censue- » runt, eos auctores secuti, *dubiam* » confessionis integrae obligationem, » esse *nullam* obligationem: ac pro- » pter repugnantiam conversorum ad » eam faciendam, et propter pericu- » lum confessionis imperfectae, vel » etiam sacrilegae, omnino expedire, » ut conversi *aliqua tantum peccata* » Confessario exponant, ut ab eo ab- » solutionis sacramentalis, si forsan » ea opus sit, beneficium impetrent. »

4. S. Inquisitio autem, Decreto de die 17. Decembris 1868, praefatam doctrinam reprobavit, Decreta Synodi Provincialis Westmonasteriensis, jam a S. Sede approbata, denuo confirmavit; simulque antiquiorem quam cl. Ballerinius sine dubio nesciebat) Decisionem ejusdem tenoris, de die 17. Junii 1715., adjunxit. [1]

5. Casus, de quo hic agitur, utique disparatus, et cum illo, de quo tractamus, non confundendus est. Nihilominus Decretum S. Inquisitionis probat, regulam generalem, quam *P. Ballerini* ex loco cit. S. Alphonsi *Lib. 6. n. 505.* deducit, non semper et indistincte locum habere, nec *dubiam* confessionis obligationem semper pro *nulla* esse habendam.

Repulsa exprobratione, S. Alphonsum sibi contradicere, ad caetera convertamur, quae cl. Professor contra sententiam S. Doctoris de iteranda confessione urget.

Articulus 6.

Falso asserit P. Ballerini, omnes DD. convenire in neganda necessitate repetendi confessionem.

In praecedenti Adnotatione, ut vidimus (pag. 459.), cl. Professor dicit: « *In neganda necessitate repeten- » di confessionem consentiunt, ipso* » (S. Alphonso) *fatente, tum primae, » tum secundae, tum tertiae senten- » tiae Auctores.* » – Verum,

1. De *nullo Auctore* nobis constat, qui quaestionem proponeret: an confessio sine proposito explicito peracta, iteranda sit; aut *directe et expresse* assereret, hujusmodi confessionem non esse iterandam. Si autem aliqui forte nihilominus existunt, perpauci certe sunt. Illos autem, qui *indirecte* id affirmant, infra allegabimus.

2. Ex hac falsa suppositione concludit P. Ballerini: « Porro (omnes » DD.) hanc necessitatem non nega- » rent, nisi confessionem validam » censerent. *Doctores ergo moraliter » omnes confessionem esse validam » affirmant.* Unanimis autem Docto- » rum consensus, ex canone ab omni- » bus recepto, moralem certitudinem » parit. »–Verum haec conclusio non tantum falsa est, sed etiam (ut locutione cl. Professoris utamur) absurdum quid sonat. Quomodo enim, ut de vetustioribus taceamus, illi Auctores, qui post Concilium Tridentinum absolute docuerunt, *propositum explicitum ad validitatem Sacramenti requiri*, quemadmodum Melchior Canus, Ruardus Tapperus, Dominicus Soto, qui contrariam sententiam perniciosum errorem vocat: quomodo, quaerimus, isti DD. existimare potuissent, confessionem *absque* proposito explicito peractam *validam* esse? Quomodo Recentiores, qui eamdem sententiam tenent, quemadmodum Amort, qui expressis verbis dicit, deficiente proposito expli-

1) Cf. *Acta ex iis decerpta, quae apud S. Sedem geruntur.* Fascicul. 42. Vol. 4. Mense Decembr. 1868. p. 320. — et cl. Ballerinium, l. c.

cito, Sacramentum *invalidum* esse? Quomodo demum illi Auctores, qui primam sententiam probabiliorem, aut saltem probabilem dicunt, existimare possent, confessionem, omisso proposito explicito peractam, non tantum probabiliter, sed *certe validam* esse?

3. Sunt quidem aliqui Auctores, qui *primam* sententiam *improbabilem*, et oppositam in aliquibus casibus moraliter certam dicunt, et consequenter confessionem in hisce casibus validam censent; sunt autem *pauci*. — Sic *Cardenas* moraliter certum esse dicit, sufficere propositum virtuale, quod continetur in contritione vel attritione ex motivo universali habita; secus, si dolor ex motivo speciali procedit. *Viva* ait, moraliter certum videri, propositum formale non requiri, sed virtuale sufficere. *Mazzotta* censet, non dubitandum esse de veritate sententiae, sufficere virtuale, si poenitens dolet ex motivo universali et de vita futura non cogitat. *Stoz* utramque sententiam probabilem, nihilominus autem affirmantem, sufficere virtuale, in praxi tutam dicit, dummodo poenitens ex motivo universali doleat.[1] Et demum *Elbel*, qui eamdem sententiam in praxi vere tutam esse, et damnationi non subjacere affirmat. — De alio Auctore, qui assereret, primam sententiam improbabilem, et oppositam moraliter certam vel in praxi tutam esse, nobis non constat.

4. Porro confessionem sine proposito explicito peractam, validam censet *Petrus Soto*, tenens, ad validitatem Sacramenti nullum propositum, nec formale, nec virtuale requiri; et si qui alii sunt, qui in hanc opinionem inclinant: ut Suarez[2] advertit. Nec non pauci illi Auctores, qui tenent, propositum formale solummodo de *praecepto* esse, a quo inadvertentia vel temporis defectus excusat, et quos in Art. 8. allegabimus.

Articulus 7.

Pariter falsum est, quod ipse S. A. fateatur, etiam a primae sententiae patronis doceri, confessionem non esse iterandam.

In eadem Adnotatione dicit P. Ballerini: « *Non satis advertit* (S. Alphonsus), *primae illius sententiae patronos, quotquot demum sint,... simul cum aliis*, IPSO FATENTE, *docere, confessionem non esse repetendam...* »

1. At vero iterum falsa est haec assertio. S. Doctor, ut vidimus (p. 444.) tres Auctores cum locis allegat, videlicet *Dominicum Viva, Croix* et *Elbel*, qui omnes tres primam sententiam non tenent, et quaestionem, an *iteranda* sit confessio sine proposito *explicito* peracta, non attingunt.

Viva, S. J.,[3] haec habet: « Hinc sequitur, non esse rejiciendam, nec favere huic thesi proscriptae opinionem laudatam Marchantii, quod scilicet non sint repetendae confessiones ab eo, qui ignorabat mysteria Trinitatis et Incarnationis: quamvis enim non absolvatur licite, qui ea ignorat; at probabile est, quod absolvatur valide: quoties autem probabile est, confessionem praeteritam fuisse validam, ea non est repetenda. »

Croix, S. J.,[4] de defectu doloris et propositi universalis loquitur: « Quando Sacramentum Poenitentiae fuit invalidum, nunquam reviviscit, quia non exstitit. E contra, si fuit validum et informe, postea, sublato obice, reviviscit ad causandam gra-

1) Notandum tamen, Matthaeum Stoz anno 1651. scripsisse; ergo ante propositionem primam ab Innocentio XI. damnatam. — 2) Cfr. supra, pag. 447. in princ.

3) In prop. 65. Innoc. XI. *n. 10.* — In posterioribus editionibus Theol. mor. S. Alphonsi, citatur *n. 16.*: quod non nisi mendo typographico tribuendum est, quia in dicta propositione undecim tantum numeri habentur. In secunda editione vero Theol. mor. (1753–1755.) recte allegatur *numerus 10.*

4) Lib. 6. part. 2. n. 680.

iam, uti explicatum est in parte I. a n. 201. Et per talem confessionem quamvis informem, satisfit praecepto confessionis annuae; nec postea est obligatio repetendi peccata in tali confessione explicata, sed tantum omissa, uti suis locis dicetur. »

Similiter *Elbel,* [1] de Sacramento valido et informi disserens, ait: « Dixi: dolor particularis probabiliter non erit sufficiens. Fatendum quippe est, opinionem contrariam, quam tenent Gobat, Illsung, Cardenas, Lacroix, cit. n. 672., aliique sat multi et graves DD., sua non carere probabilitate. Ex qua controversia speculativa, colliges tandem septimo loco praxi, eum, qui cum tali dolore bona fide fuit confessus et absolutus, non amplius teneri eamdem confessionem repetere. Ratio ex jam dictis n. 74. colligi potest: quoties enim probabile est, absolutionem valuisse, toties poenitens liberatur ab onere, eadem peccata denuo subjiciendi claribus; atqui probabile est, absolutionem valuisse, non obstante dolore particulari: ergo etc. Vid. Gobat, tr. 6. num. 179. Lacroix num. 680. »

Gobat, S. J., autem, l. c. dicit: « Supposita veritate speculativa notrae doctrinae, sequitur hoc corollarium practicum, propter quod sum disserui de tacta controversia: od scilicet necessarium non sit, i qui confessus est sine alio defeta, quam doloris dimidiati, ut ita quar, seu restricti ad quaedam, non xtensi ad omnia mortalia, cognito efectu, repetat confessionem crimium, ad quae se extendebat ille dor; sed dumtaxat illorum, de quibus evera non fuit dolitum. »

2. Ibidem S. A. alios DD. addit, uta *Bonacinam, Bellarminum, Suaez, Vasquez, Reginaldum et Henriquez,* qui similiter nihil habent de raedicta quaestione, et quos ea sola atione allegat, quatenus omnes afrmant, dari Sacramentum validum et informe, et sublato obice reviviscere.

3. Si autem quaeris, quo pacto S. Alphonsus asserere potuerit, Auctores citatos negare necessitatem iterandi confessionem bona fide, absque proposito explicito peractam: responsio patet ex textibus allegatis. Quia scilicet, iidem Auctores de casibus similibus loquuntur, in quibus *eadem ratio* currit; atque *Viva, Elbel* et *Gobat,* regulam generalem statuunt, confessionem non esse repetendam, *quoties probabile est,* ipsam fuisse validam.

Articulus 8.

Immerito prorsus asseritur, doctrinam S. A. fundari in falsis allegationibus, et falso supposito.

Post tot impugnationes et falsas assertiones, cl. Ballerinius eamdem Adnotationem *(pag. 942.)* [2] audacter sic concludit: « Caeterum, quod S. Al- » phonsus ad *singularem* illam con- » clusionem [3] deflexerit, duplex vi- » detur causa extitisse. Nam primo » quidem *deceptus a Croix,* primam » illam sententiam pluribus adscri- » psit, qui eam nullatenus habent, » uti (in praec. nota) jam vidimus. » Deinde vero non satis advertit, pri- » mae illius sententiae patronos, » quotquot demum sint, dum simul » cum aliis, ipso fatente, docent con- » fessionem non esse repetendam, » haudquaquam existimasse, propo- » situm explicitum *necessitate medii* » (ut inquit *Valentia*) esse necessa- » rium, et idcirco ipsos ad tertiam » potius sententiam pertinere, adeo » ut *prima* illa sententia, prouti a » tertia distinguitur, *reipsa vix ul- » lum patronum habeat, et idcirco » nonnisi ex falso supposito aliqua » ipsi probabilitas tribuatur.* »

1. Ante omnia quaeri posset, quisnam cl. Ballerinio jus contulit sententiae S. Doctoris notam *singula-*

1) De poenit. conf. 3. n. 83. — 2) In altera edit. pag. 281. — 3) Cfr. pag. 458. verba: « *Nihilominus, nec etiam valeo...* »

ritatis affigere, postquam ipsa Sedes Apostolica doctrinas S. Alphonsi ab omni censura immunes, sanas tutasque declaravit. – Sed ulterius progrediamur.

2. S. Alphonsum hic iterum cl. Professor velut falsis allègationibus Patris Lacroix misere deceptum exhibet. Quo jure et qua fide, vidimus. S. Doctor *undecim* Auctores nominatim citat, at *quatuor tantum ex Croix* sumpsit: Valentiam, Toletum, Reginaldum et Henriquez; inter quos Toletus et Reginaldus, citra omnem objectionem et dubitationem, primam sententiam ut probabiliorem et tutiorem tenent.

3. Porro dicit, S. Alphonsum « *non* » *satis advertisse,* primae sententiae » patronos, dum ipso fatente docent, » confessionem non esse repetendam, » haudquaquam existimasse, propo- » situm explicitum necessitate medii » esse necessarium. » – Sed primae sententiae patroni non docent, confessionem non esse repetendam; nec S. A. id fatetur, nec isti Auctores existimarunt, propositum explicitum *necessitate praecepti tantum* necessarium esse.

4. Sunt aliqui, qui hanc sententiam tenuerunt, sed pauci. Jam supra exposuimus opinionem *Valentiae,* [1] qui obligationem propositum eliciendi, quoad peccata mortalia, ex praecepto poenitentiam agendi repetit; quam P. Ballerini singularissimam vocat. *Henriquez* [2] e converso, quoad mortalia dicit, propositum formale ei, qui potest et recordatur, medium necessarium videri, sine quo homo non justificatur; et quoad venialia, de praecepto formalis doloris et propositi loquitur, cui justi actibus dilectionis satisfaciunt. *Navarrus* et *Aversa* indistincte tenent, propositum formale solummodo de praecepto esse, a quo inadvertentia et defectus temporis excusat. Idem sentit *Gobat;* et addit, non dubitandum esse de veritate doctrinae, sine expresso et formali proposito remissionem peccatorum obtineri, si cogitatio de proposito formando non occurrat, aut periculum mortis inevitabilis instet. Inter recentiores accedit *Billuart,* et si forte alius quis existit.

Verum nec ista sufficiunt cl. Professori; invenit enim, contrariam doctrinam fuisse traditam a Concilio Romano sub Benedicto XIII. Quare et istud assertum paulisper examinabimus.

Articulus 9.

Doctrina a Concilio Romano sub Benedicto XIII. tradita, nullatenus adversatur sententiae S. Alphonsi.

I. S. Doctor noster, ut vidimus (pag. 444.) docet, tutius sequendam esse *primam* sententiam, quia ista « *non caret sua probabilitate.* » – Quocirca cl. Ballerinius pag. 942. [3] advertit: « Caeterum, nota ipsi (S. Al- » phonso), ut videtur, non fuit op- » posita doctrina tradita, uti dicemus, » in Synodo romana a Benedicto XIII, » et quidem in Catechismo pro pueris » conscripto. »

Mirum est, quod cl. Professor de hac re dubitet: cum in Opere: *Homo apostolicus,* [4] quod ipse probe novit et saepius citat, S. A. disertam hujus Synodi mentionem faciat; imo subjungat, in *Instructione ad populum* dici: « quod, qui saltem non ha- » bet attritionem cum firmo proposi- » to, saltem implicito, amplius non » peccandi, remissionem non obtinet. »

II. Uberius autem P. Ballerini, pag. 943. [5] de hac Synodo disserit, dicens: « In Concilio Romano, a Be- » nedicto XIII, in Basilica Latera- » nensi celebrato, anno universalis » Jubilaei 1725. (*Titul. XXXII.* » *Cap. 3.*) legitur: *Instructiones ad* » *Sacramentorum Poenitentiae et* » *Eucharistiae, a pueris primo sus-*

1) Vid. pag. 453. n. 3. — 2) Pag. 455. VI. — 3) In altera edit. pag. 281. — 4) Tr. 16. n. 26. — 5) In altera edit. pag. 281.

» *cipiendorum usum et cultum per-* » *tinentes, breves simul et claras da-* » *bimus in nostri hujus Concilii fi-* » *ne.* - Porro, in Instructione pro » pueris ad Sacramentum Poenitentiae accessuris, quae ad calcem ejusdem Concilii subjecta cernitur, » haec *(Part. III. pag. 303.)* habentur: « Penitente. *Chi si confessa* » *senza dolore de' peccati, e senza* » *proposito di non peccar più, ri-* » *ceve il perdono?* Confessore. *Se* » *non ha almeno il dolore imperfet-* » *to, cioè l'attrizione, col fermo pro-* » *posito,* almeno implicito, *di non* » *peccare mai più, certamente, se* » *si confessa, la confessione non va-* » *le, e non riceve il perdono de' pec-* » *cati.* »- In quibus manifeste, ut sufficientia simul aequiparantur tum » dolor imperfectus, seu attritio, tum » propositum implicitum. »

1. Sed contrarium potius manifestum est. Si in hoc Catechismo dicitur: *saltem dolor imperfectus, i. e. attritio,* sensus est: Exoptandus quidem est dolor perfectus, at sufficit imperfectus. Si vero dicitur: *saltem propositum implicitum,* sensus alius non potest esse, praeterquam: Regulariter propositum formale requiritur; attamen aliquando implicitum sufficit: quod etiam S. A. admittit.[1] - Si enim Synodus dolorem imperfectum et propositum implicitum, ut sufficientia, aequiparasset, omnes tres sententias, tum primam, tum secundam, tum tertiam damnasset, declarando: propositum implicitum semper sufficere, etiamsi dolor non ex motivo universali elicitus fuerit, vel poenitens de vita futura cogitans, nihilominus actum propositi formalis omiserit. Sed nihil minus sane Synodo in mentem venerat, quam dirimere quaestionem inter gravissimos Theologos controversam, et quidem dirimere in Catechismo pro pueris conscripto. Paucis verbis, ut Catechismum decet, Synodus indicavit, *propositum implicitum aliquando sufficere posse,* uberiores explicationes necessarias, quae ad praxim spectant, Parocho vel Catechistae relinquens.

2. Idcirco *Benedictus XIV.,* quem Instructio illa a Concilio romano edita non latuit, quia eidem Concilio interfuit, [2] in opere suo: *De Synodo dioecesana* disserit de necessitate propositi firmi et universalis utpote de re certa et explorata; quaestionem autem de proposito *explicito* vel *implicito* pratermittit. - *Lib. 7. cap. 13. n.4.* dicit: « Imperfecta pariter est Contritio, quae ab aliquo dumtaxat peccatorum genere, non ab omnibus, voluntatem avertit: evenire enim potest, ut quis, ex speciali affectione erga aliquam virtutem, peccata eidem opposita detestetur, quin tamen propositum habeat cetera praecavendi, quae aliis virtutibus adversantur. Ac demum imperfectissima erit, nec contritionis nomen ea merebitur, quae non procedat ex deliberata voluntate, sed potius sit quaedam velleitas, seu sterilis atque inefficax displicentia de peccato, absque absoluto proposito in posterum non peccandi. Evidens porro est, neutram ex his posterioribus contritionibus, ad justificationem prodesse; quia neutra excludit voluntatem peccandi, sicut Tridentinum exposcit; neque ad illam pertinet poenitentiam, quam a nobis exigit Dominus, Ezechielis cap. 18: *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiri-*

1) Cfr. supra, pag. 443. *Tertia sententia,* in fine, et *not. 3.*

2) Iteratis vicibus id commemorat in eodem opere. - *Lib. 2. c. 2. n. 6.* ait: « Indubitatum est, vere, proprie et stricte Provinciale fuisse Concilium a S. M. Benedicto XIII. habitum in Basilica Lateranensi, anno 1725., *cui nos interfuimus uti Doctor in Decretis, seu Canonista.* » Et *Lib. 5. c. 3. n. 7.*: « Superius diximus, *nos interfuisse Concilio Romano sub Benedicto XIII.* Jam vero, integro fere anno, qui Concilio praecessit, plures habitae sunt *Congregationes praesynodales, quibus pariter praesentes fuimus.* »

tum novum.» - Ex qua omissione patet, Benedictum XIV. quaestionem de proposito *explicito* vel *implicito,* illis quaestionibus dubiis atque controversis adnumerasse, a quibus dirimendis, prout saepius inculcat, Synodi dioecesanae omnino abstinere debent.

3. Unde etiam *plures Auctores recentiores,* quos supra citavimus, longo intervallo post praefatam Synodum romanam, sententiam, propositum *formale* ad Sacramenti *validitatem* requiri, absolute, aut saltem ut securiorem et in praxi tenendam defenderunt. - Speciatim *Eusebius Amort,* [1] cujus Theologia, ipso petente, jussu Benedicti XIV. a Theologis romanis revisa et emendata fuit. Addimus *Edmundum Voit, S.J.,* qui [2] dicit: « Per se loquendo, ad consequendam gratiam et remissionem peccati in confessione, *necessarium est formale propositum,* quo quis, per expressum voluntatis actum, peccata vitare statuit. » Et subjungit: « *Est haec sententia securior, et ita populo praedicanda.* »

Nihil nobis superest, nisi ut argumenta examinemus, quibus P. Ballerini probabilitatem primae sententiae penitus destrui putat. Sit ergo,

Articulus 10.

Probabilitas primae sententiae, quam tuetur S. A., evincitur ex verbis Tridentini.

S. Alphonsus, ut vidimus in principio quaestionis, ait: « *Prima sententia negat* », sufficere scilicet propositum virtuale sive implicitum, inclusum in dolore. « Ratio quia, licet dolor includat necessario propositum, » tamen *Tridentinum* requirit propositum formale, dicens: *cum proposito non peccandi de caetero.* »-Hoc autem non probatur cl. Ballerinio; unde pag. 941. [3] advertit: « *Argumentum, quod pro ista opinione desumitur ex verbis Concilii Tridentini, plane infirmum esse ostendit Lugo* (de poenit. disp. 14. n. 53.), *qui* (ibid.) *praeterea palam facit, ex doctrina Tridentini contrarium plane evinci.* »

I. *Lugo, S. J.,* ad praedictum argumentum confutandum, l. c. n. 53. duabus argumentationibus contrariis utitur. Prima est: « Non obstant verba Conciliorum Florentini et Tridentini, quae exigunt cum dolore propositum non peccandi: illa enim intelliguntur de proposito formali, vel virtuali et implicito; quia nimirum potest esse dolor aliquis, ut diximus, qui non affert secum tale propositum *universale;* ideoque explicuerunt Patres dolorem, *non utcumque,* sed cum proposito non peccandi, *sive formali, sive virtuali.* »

1. Sed haec argumentatio nihil evincit; hypothesis enim clarissimi Cardinalis omni solido fundamento destituta est. Nullus ante Concilium Tridentinum Theologus reperitur, qui in praesenti quaestione distingueret, utrum poenitens ex motivo *universali,* an ex *particulari* dolorem de peccato commisso elicuerit; et ideo verosimile non est, quod Patres Tridentini de hac distinctione cogitaverint, et verba: « *cum proposito non peccandi de cetero* » addiderint, ut provisum sit necessitati propositi explicuti in illo casu, quo quis de peccato commisso ex motivo particulari dolet.

2. Cum insuper tempore Tridentini, et usque ad saeculum 16. *communis DD. sententia* fuit, semper propositum *explicitum* requiri, verosimile potius est, Patres Tridentinos indistincte propositum explicitum intellexisse et intendisse.

II. Altera argumentatio, qua *Lugo* utitur, haec est: « Quod autem *virtuale* etiam sufficiat, colligi potest ex eodem Tridentino, illa Sessione 14. cap. 4. ubi dicitur, attritionem ex gehennae metu, v. g. *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae,* peccatorem disponere ad reci-

1) Cfr. supra, pag. 457. n. 8. — 2) De poenit. n. 511. — 3) In altera edit. pag. 280.

piendam gratiam justificationis cum Sacramento Poenitentiae : ubi non requiritur alia conditio ad hunc effectum, nisi quod attritio sit talis, quae voluntatem peccandi excludat: ergo quoties hoc habuerit attritio, disponit sufficienter ad valorem Sacramenti. Dolor autem ille *universalis* a nobis explicatus excludit omnem voluntatem peccandi, ut constat; ergo juxta Tridentinum, ille sufficit ad effectum hujus Sacramenti; et per consequens id, quod superius dictum fuerat in eodem capite, contritionem esse dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero, intelligi debet *de proposito, sive incluso in eodem actu doloris, sive non incluso,* ut constat ex verbis posterioribus, quae adduximus. »

1. Sed hoc nequaquam constat ex verbis posterioribus, et altera argumentatio similiter nihil plane evincit.-Concilium Tridentinum *(Sess. 14. cap. 4.)* utique docet, contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, poenitenti viam ad justitiam parare: at non explicat, an actus voluntatis non peccandi *explicitus* requiratur, utrumve sufficiat *in actu doloris inclusus*. Solutio autem hujus dubii a definitione pendet, quam S. Synodus paulo ante, in initio ejusdem Capitis quarti, praemisit: « *Contritio, quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero* », et ab interpretatione hujus definitionis. Si, juxta *primam* sententiam, Concilium hic de proposito *explicito* loquitur, absque dubio in altero loco *similiter de explicito* actu voluntatis sermo est; nam actus voluntatis et propositum non peccandi de cetero unum idemque sunt, et nonnisi verbis discrepant. Et ideo locus citatus nihil probat.

2. *Lugo* ordinem invertit, et priorem locum ex posteriore explicat, sed minus recte invertit. Si enim in quacumque materia definitio rei praemittitur, dubium de aliquo consectario exortum, ex ipsa definitione, quae vim canonis habet, non autem definitio ex consectario explicari oportet. – Insuper locus citatus jam ea ratione nihil probat, quia argumentatio Lugonis in se vitiosa est, et petitione principii innititur. Nemo quippe negat, aliam conditionem non requiri, praeterquam *quod voluntas peccandi excludatur cum spe veniae.* Nec quispiam negat, actum doloris *universalis* hanc voluntatem excludere. Si autem Lugo affirmat, nihil requiri nisi actum voluntatis *implicitum* et in actu doloris inclusum, id ipsum, de quo controvertitur, et quod probandum est, tamquam certum et exploratum supponit.

SIT IGITUR QUAESTIONIS CONCLUSIO:

I. Doctrina S. Alphonsi circa propositum formale in Sacramento Poenitentiae requisitum, tota nititur principio, quod *in collatione Sacramentorum,* non liceat uti opinione probabili de valore Sacramenti, sed *tenenda sit sententia tutior aut moraliter certa* (Cfr. supra, pag. 412. art. 1.).

2. Porro, ex omnibus in longiori hac quaestione discussis patet, *primam* sententiam, *quae negat sufficere propositum virtuale* sive implicitum, inclusum in dolore, non solum *extrinsece* probabilem esse, quia tot graves DD. eam aut absolute tenent, aut saltem probabiliorem vel probabilem censent; sed etiam *intrinsece,* quia rationes, quae pro ea militant, ab adversariis nequaquam profligantur, nec ulla ratio contraria convincens ab ipsis affertur. – Idcirco concludimus: Si P. Ballerini persuasum habet, primam sententiam omnino improbabilem esse, sensu suo abundet; *in praxi* tamen, *ante factum, omnino tenenda est haec sententia,* prout rectissime docet S. A., et certum est ex allata propositione prima ab Innocentio XI. damnata.

3. Ex eodem principio, S. Doctor recte concludit, hanc primam sententiam negativam, etiam *post factum* esse tenendam; ac proinde *iterandam esse confessionem*, licet bona fide cum vero dolore, sed *absque proposito formali* peractam. Supponit enim S. A., *certo defuisse* in poenitente *propositum explicitum*. Cum vero hoc propositum probabiliter sit de essentia Sacramenti Poenitentiae, scilicet *quaedam proprietas, probabiliter ex jure divino ad valorem hujus Sacramenti requisita,* sequitur quod, ea deficiente, confessio non certe, sed probabiliter tantum valida sit. At « *poenitens* (ait S. A. in cit. » n. 450), *qui gravem culpam et certam perpetravit, tenetur de ea confessionem explere non tantum probabiliter, sed etiam certe validam.* » - In praxi tamen raro eveniet, ut quis, ob explicitum propositum bona fide praetermissum, confessionem repetere teneatur: prout jam supra (pag. 463. ad V.) adnotavimus.

4. Ex dictis patet, hanc doctrinam S. Alphonsi de iteranda confessione *ob certam deficientiam propositi formalis,* minime repugnare (ut contendit cl. Ballerinius) iis quae S. Doctor dicit *in num. 505.* Ibidem enim aperte supponit, nullam defuisse ex essentialibus conditionibus ad Sacramentum Poenitentiae requisitis, sed tantum *dubitari de earum valida impletione;* ac proinde rectissime docet : « *cum talis actus jam bona* » *fide fuerit positus, et postea du-* » *bitatur an fuerit validus vel in-* » *validus, tunc ille validus est re-* » *putandus* »; juxta regulam, quod cum lex sit certo adimpleta, sed dubitetur de ejusdem valida impletione, *standum sit pro valore actus.*

5. Quae autem cl. Professor contra singulas hujus doctrinae partes asserit et opponit, vana et falsa esse, abunde demonstravimus, et nulli attento lectori non patebit.

QUAESTIO VII.

An qui confessus est aliquod peccatum mortale uti dubium, teneatur postea illud repetere, quando uti certum agnoscit.

(S. Alph. Lib. VI. n. 478. — P. Ball. Tom. II. n. 480.)

Hanc quaestionem solvens, sic docet S. Alphonsus Lib. VI. n. 478.: « *Prima sententia negat,* et hanc » tenent Tamburini, Holzmann, Spo- » rer cum Arriaga, Pellizzario, *etc.;* » Escobar, Elbel cum Bosco, Stoz, » Herincx, *etc.,* et hanc patrocinatur » Lugo. Ratio, quia peccatum illud » jam explicatum fuit, uti erat in » conscientia tempore confessionis, » jamque directe absolutum fuit.

» *Secunda* vero *sententia communis (quam sequimur) affirmat;* et » hanc tenent Busembaum, Bonacina, » Sanchez, Roncaglia, Concina, Viva, » Diana *cum aliis communiter,* Car- » denas qui vocat oppositam impro- » babilem; et Lugo, quamvis primam » sententiam tutatus fuerit, tamen » sic concludit: *Caeterum, quia in* » *re morali non est facile receden-* » *dum a communi sententia, nolo in* » *hoc puncto aliquid definire, sed se-* » *curiorem partem consulere.*- Ratio » hujus sententiae est, quia, licet » peccatum fuerit directe absolutum, » non tamen fuit expositum uti erat » in conscientia, prout praecipit Tri- » dèntinum, nec explicata fuit *sub-* » *stantia* peccati, quae consistit in » ejus cognita gravitate; ideoque ad » supplendam integritatem confes- » sionis, opus est illud ut certum » manifestare. - Nec obstat id quod » opponit Sporer, nempe quod si quis » confiteretur se fornicatum fuisse *de-*

» *cies plus minus*, si postea certo » adverteret *undecies* peccasse, te- » neretur iterum confiteri. Nam re- » spondetur cum Roncaglia, Diana » et aliis, quod dispar currat ratio » inter primum et secundum casum; » in hoc enim secundo casu, non ita » *notabiliter* judicium Confessarii va » riatur, sicut in primo: nam hic er- » ror numeri moraliter non est circa » substantiam, quia juxta humanum » modum loquendi, in numero deci- » mo, addita illa dictione plus minus, » moraliter includitur undecimus; et » ideo sic habet communis praxis fi- » delium, qui non putant se esse » obligatos ad explicandum *modicum* » numerum, quando illum cum in- » certitudine, dicendo *plus minus*, » exposuerint. In primo vero casu, » quando quis confessus est peccatum » ut dubium, et deinde certum agno- » scit, error est circa *substantiam*, » quia in accusatione dubia, nullo » modo includitur certa, nec humano » modo unquam dubia accusatio de- » licti tamquam certa accipitur.

» *Probabilissime* autem dicunt San- » chez, Bonacina, et Salmanticenses » cum Suarez, Coninchio, Nugno, » Dicastillo, Valero, Corduba, Victo- » ria, etc. *communissime*, quod si » quis confitetur peccatum, *quod nec* » *ipse, nec Confessarius sciebat esse* » *mortale*, et postea novit esse mor- » tale ex genere suo, *non tenetur* » *iterum illud confiteri*. Ratio, quia » hoc casu, jam poenitens exposuit » Confessario suum peccatum, uti in » sua conscientia erat tunc, et nunc » est; et in praesenti nihil novi oc- » currit, nisi quod cognoscat nunc, » materiam illius peccati esse gra- » vem, quod prius nesciebat. »

T. II. n. 480. pag. 362. [1] *P. Gury* eamdem quaestionem pertractans, sententiam affirmantem vocat probabiliorem et communem, et oppositam negantem satis probabilem dicit.

Animadvertit autem P. Ballerini, secundam sententiam *affirmativam*, quam sequitur S. Alphonsus, ab ipso immerito vocari communem: « *Com-* » *munis dici haec opinio olim po-* » *tuit, quando, ut Lugo* (De poenit. » disp. 16. n. 92.) *scribit*, aliqui viri » docti probabile judicarunt, non te- » neri postea poenitentem confiteri » ut certum, quod prius ut dubium » confessus fuerat... In quibus erat » Rm̃us P. Nicolaus Ricchardius, » S. Palatii Magister, cum quo pri- » vatim rem hanc contuli; et ipse » privatim etiam respondit, valde » probabile sibi videri, non adesse » talem obligationem; id quod alii » etiam judicarunt. – *At secus de* » *sequenti aetate dicendum, adeo* » *ut S. Alphonsus plures DD. pro* » *opposita, quam pro sua, ut dicit,* » *communi sententia alleget. Et sa-* » *ne, ut inquit dolens et fere indi-* » *gnabundus Cardenas, vir placitis* » *suis plus aequo forte addictus* » (Disp. 51. n. 4.): Vix noster Lugo » hanc rimulam aperuit, cum Recen- » tiores, agmine facto, eam putarunt » ostium amplissimum, per quam in » eam sententiam tuto ingrederen- » tur. *Et subdit mox horum DD.* » *catalogum, in quo septem appa-* » *rent omissi a S. Alphonso, qui* » *alioquin alios decem nominat.*

» *Caeterum Cardenas, ad solven-* » *da argumenta Card. de Lugo,* » *coactus est, contra S. Alphonsi* » *imo et communem sententiam, af-* » *firmare, etiam illum, qui incertus* » *de numero dixerat,* se decies cir- » citer pl. min. peccasse, *teneri post-* » *ea ad numerum certum, si dete-* » *gatur, confitendum. – Insuper ra-* » *tio ab eo prolata pro sua opinione,* » *quod nempe* ex Tridentino exprimi » oporteat illam culpae gravitatem, » e qua dijudicetur de poena secundum » aequitatem imponenda, *jam pro-* » *sterneret doctrinam, quam S. Al-* » *phonsus (n. 478.)* probabilissimam » et communissimam *dicit, scilicet,* » *non teneri quempiam ad confiten-*

1) In altera edit. pag. 292.

» *dum iterum peccatum, quod nunc* » *ut grave cognoscit, cum tamen* » *nec ipse, nec confessarius uti gra-* » *ve, cum facta est confessio, no-* » *visset.* »

Rursus hic cl. Professor arithmetice probare conatur, sententiam, quam S. A. communem dicit, ipso fatente, revera communem non esse. – Placet itaque respondere tum arithmetice, tum theologice, adducendo scilicet pro sententia affirmante Doctores et numero *plures*, simul et *graves*, tam antiquiores, quam recentiores; dein breviter validissimas subjungemus *rationes*, pro eadem sententia militantes.

Articulus 1.

Probatur, sententiam affirmantem revera semper communem fuisse et esse.

I. Concedit P. Ballerini, sententiam affirmantem, *tempore Lugonis* vocari potuisse *communem*. Et recte quidem; imo dicere debuisset, ipsam tunc temporis fuisse *unicam*. Anno namque 1638., quo Lugo opus de Poenitentia edidit, haec sententia non tantum communis vocari potuit, sed, nemine dissentiente, revera unica et unanimis fuit. Siquidem ipse Lugo testatur, quod nullum Scriptorem pro altera parte invenerit; illos autem, qui hanc quaestionem attigerunt, in contrarium inclinare viderit.

II. Advertit autem cl. Ballerinius: « *At secus de sequenti aetate dicendum* »: quam assertionem probare contendit ex facto, quod ipse « *S. A.* » *plures DD. pro opposita, quam* » *pro sua, ut dicit, communi sen-* » *tentia alleget.* » Liceat itaque paulisper sequi cl. Professorem in numerandis Auctoribus, *Lugoni posterioribus*. Ante omnia vero notandum, quod S. A., dum pro sententia aliqua auctores citat, nunquam omnes et singulos DD. qui hanc quaestionem pertractant, colligere intendit, nisi id disertis verbis adnotet; et ideo plerumque expresse addit: *etc.* vel: *cum aliis*. Sic etiam in praesenti quaestione procedit; addit enim, quoad negativam sententiam: *etc. etc.*, et quoad affirmativam dicit: *cum aliis communiter*. His praemissis,

III. Ad *negativam* sententiam quod attinet, S. Doctor non distinguit inter Auctores a se allegatos, quorum aliqui non definitive eam profitentur. Sic, testante Croix,[1] *Bosco* eam postea « revocat in dubium »; et *Herincx* « absolute nihil videtur determinare. »[2] – Nec mirum: siquidem S. Doctori non tantae curae fuit, singulorum Auctorum sententias minutim referre, quam potius rationes perpendere, et suam de proposita quaestione sententiam proferre. In praefatione enim ad Theologiam moralem, expressis verbis dicit: « *Caete-* » *rum sategi, ut plurimum meam* » *exponere sententiam, justum pon-* » *dus tribuendo majoris, vel aequa-* » *lis, vel minoris probabilitatis,* » *cuique sententiae, prout meae im-* » *becillitati visum fuit; ne ancipi-* » *tem relinquerem lectorem, more* » *aliquorum, qui sententias aliorum* » *tantum referentes, non parum* » *exosos legentibus se praebent.* »

IV. Ex adverso autem, S. A. complures alios Auctores, tam antiquiores quam recentiores, nominatim adducere potuisset, qui sententiam *affirmantem* tenent et propugnant. – Ex quibus, illos tantum *antiquiores* allegabimus, qui *post Card. de Lugo* scripserunt.

1. *Vincentius Candidus*,[3] Magister S. Palatii sub Innocentio X.: « Qui confessus est, quod sit furatus, vel aliud peccatum mortale, sub dubio: *si postea certus sit* de consensu in furtum, vel in aliud peccatum mortale sub dubio confessum, *tene-*

1) Lib. 6. part. 2. n. 615. — 2) Auctores quos Cardenas pro eadem sententia negante allegat, sunt: *Caramuel* (quem S. A. Laxistarum principem vocat), *Leander*, *Merolla*, *Verde* in Apologia contra Anti-Caramuel, *Vericelli*, *Bresserus*, *Pellizzarius*, *Tamburini* et *Tancredus*. — 3) Disquis. mor. *(1629.)*, disq. 3. art. 37. n. 2.

tur illud iterum confiteri, quia id peccatum nondum plene in confessione fuerat expressum. »

2. *Sylvius:* [1] « Qui confessus est aliquod peccatum tale ut dubium, dicendo v. g. dubito, utrum peccatum mortale fecerim, si postea habeat notitiam certam vel probabile judicium, quod fecerit, *tenetur illud confiteri ut tale:* quia peccatum explicandum est in confessione, prout est in conscientia poenitentis. Sed in ejus conscientia est ut certum, seu quasi certum, et ut tale non fuit confessum: ergo nunc est sic confitendum. »

3. *Dicastillus, S.J.:* [2] « Itaque propter efficax argumentum, quo probatur esse eandem rationem de peccato dubio et de numero incerto, magis rationi consonum existimo, etiam talem numerum esse explicandum, si postea constet certo quantus determinate fuerit ille numerus, vel saltem certo constet, fuisse majorem; quam dicere, peccatum semel dictum ut dubium, non debere iterum ut certum explicari; *id enim est inauditum in Ecclesia Dei;* ideo merito ipse Card. Lugo non vult, ut ipse ait, in re morali discedere a communi sensu, si postea certo constet de numero. Rationes vero et discursus noster satis declarant, quam sit rationi et institutioni consonum, peccata dicta semel ut dubia, si postea deprehendantur certa, *debere iterum ut certa subjici absolutioni.* »

4. *Matthaeus Moya, S. J.,* [3] licet alias benignioribus opinionibus nimis addictus, eamdem sententiam tenet, eamque *certam,* et *communi totius Ecclesiae praxi conformem* dicit.

5. *Martinus Perez, S. J.:* [4] «*Communis* Doctorum sententia supponit ut *certum*, peccatum confessum ut dubium, si postea inveniatur ut certum, iterum confitendum; quia peccatum ut dubium antea, non fuerat tunc plene expressum. »

6. *Andreas Mendo, S. J.:* [5] « *Tenenda est sententia affirmans,* debere peccatum, quod quis, prout in sua erat conscientia, ut dubium erat confessus, si comperiat, certum esse, iterum confiteri. »

7. *Salmanticenses:*[6] «Observandum vero est primo: mortale dubium confitendum esse ut dubium, et nullo modo ut absolute certum: id enim postulat veritas confessionis naturaque judicii. Si autem post confessionem peccati *sub dubio:* an illud commiserit, noverit quis, aut meminerit, se *certo* peccasse, *tenetur illud postea iterum certo confiteri:* debet enim peccatum explicare, prout est in conscientia; quando ergo jam est certo cognitum, sic debet explicari, ut bene docent Sanchez et Dicastillus, et cum Diana *Gabriel a S. Vincentio, Stephanus a S. Paulo,* contra Caramuel et alios. »

8. *Ludovicus de Schildere, S. J.:*[7] « Is, qui peccatum mortale confessus est ut dubium, et postea recordatur, se certe fecisse, *debet illud iterum confiteri* tamquam certo commissum. *Est communis.* »

9. *Gobat, S.J.:* [8] «Hae rationes efficiunt, ut credam, esse *probabilius,* quod sit in praedicto casu (quo quis post absolutionem recordatur, se certo peccatum commisisse, quod ut dubium confessus est) repetenda absolutio. »

10. *Illsung, S. J.:* [9] « Quae obligatio constat *ex unanimi consensu DD.,* iis exceptis, qui propter rationem a nobis sufficienter solutam, novissime recesserunt. »

11. *Lacroix, S. J.,* [10] utraque sententia exposita, affirmativae omnino adhaeret, dicens: « Omissis autem aliis rationibus, quae vel nimium probant, vel facile retorquentur, pro-

1) In P. 3. S. Thomae *(1645.)*, de poenit. q. 6. art. 4. q. 5. — 2) De poenit. *(1652.)* disp. 9. n. 141. — 3) De poenit. tr. 3. disp. 1. q. 6. num. 1. apud Croix et Ferraris. — 4) De poenit disp. 21. sect. 5. n. 2. — 5) Statera opinionum, diss. 10. q. 3. n. 70. — 6) Tr. 6. c. 8. n. 47.— 7) De princip. consc. formandae, tr. 6. n. 47.— 8) Tr. 7. n. 215.— 9) De poenit. *(1693.)*, disp. 6. n. 117. — 10) Lib. 6. p. 2. n. 615.

batur ex dictis n. 610., quia in illis, quae pendent a voluntate Christi, uti hic est, tenendum est hoc, quod dicunt plerique; sed *plerique dicunt, peccatum tale esse repetendum;* ergo. Deinde, ab initio erat obligatio assertive illud confitendi tanquam certum, etiam ideo, quia notabiliter immutatur judicium Confessarii, debetque alia ferri sententia et alia imponi satisfactio, si assertive proponatur ut certum, quam si ut dubium; ergo cessante dubio, quod per accidens tantum suspendebat et tollebat obligationem, redit obligatio assertive confitendi ut certum. » – Et rationes, quas adversarii adducunt, diffuse refellit.

12. *Wigandt:* [1] « Peccatum mortale dubium..., si post confessionem deprehendatur fuisse certum, *probabilius et tutius est,* quod homo teneatur illud confiteri ut certum. Ratio: homo tenetur confiteri mortalia, prout illa habet in conscientia; sed peccatum antea dubium, comperta certitudine, non est amplius dubium, sed certum. Ergo confitendum denuo est certum. »

13. *Felix Potestas:* [2] « Qui confessus est peccatum dubium, si postea reperiat certo aut probabiliter illud commisisse, *tenetur iterum illud ut certum fateri.* » – Et alibi [3] idem dicit de peccato reservato, quod quis ut dubium confessus est: « At *absolute dico cum aliis,* quod sit obligatus, ut dictum est de peccato dubio, postea cognito ut certo. »

14. *Henno:* [4] « Peccatum confessum ut dubium, *debet postea declarari ut certum;* nisi fuisset explicata tota actio peccaminosa, ut in se deliberate facta est: licet esset dubium sive confessario sive poenitenti, an illud totum sit peccatum mortale, aut veniale. »

15. *Collet:* [5] « Quaeres, an qui confessus est mortale ut dubium, illud subinde ut certum confiteri debeat, si certum vel multo probabilius deprehenderit? Respondeo cum eodem (Francisco Sylvio): *affirmative.* »

16. *Paulus Mezger:* [6] « Si post confessionem peccati dubii sub dubio factam, postea deprehendas, te illud certo commisisse, *probabilius est,* te esse obligatum, ut in nova sequenti confessione illud peccatum exponas ut certum, quod prius sub dubio exposuisti. »

17. *Antoine, S. J.:* [7] « Qui mortale ut dubium confessus est, si postea certo norit, illud a se commissum esse, *tenetur iterum illud confiteri ut certum;* quia ex institutione Christi, poenitens tenetur omnia mortalia confiteri, prout sunt in ejus conscientia, et eo modo, quo Sacerdos recte censere possit de eorum gravitate, et poena convenienti imponenda. »

18. *Mazzotta, S. J.:* [8] « Dico quarto: Mortale dubium, confessum ut tale, si deinde deprehendatur ut certum, *probabilius* tenemur iterum confiteri ut certum: *ita communis sententia.* »

19. *Cuniliati:* [9] « Si, postquam confessus fuit peccatum dubium ut tale, comperiat fuisse certum, tenetur iterum illud ut certum confiteri: ut docet *communior* etiam inter Probabilistas. Et ratio fundatur primo in verbis Concilii jubentis peccata confitenda, *quorum conscientiam* habet; valde autem est diversa conscientia peccati dubii, et conscientia peccati certi. »

20. *Babenstuber:* [10] « Qui bona fide confessus est peccatum mortale dubium, si postea deprehendat, esse certum, tenetur illud iterum confiteri. *Ita communis sententia.* »

21. *Billuart:* [11] « Si peccatum declaratum ut dubium, postea ut certum deprehendatur, *probabilius est et tutius,* declarandum esse ut certum.

1) Tr. 13. Exam. 4. q. 2. n. 53. — 2) T. 1. n. 3045. — 3) Ibid. n. 3312. — 4) De poenit. disp. 5. q. 8. concl. 2. — 5) De poenit. p. 2. n. 370. — 6) Theol. thomistica, T. 4. disp. 47. art. 3. n. 11. — 7) De poenit. art. 2. q. 7. — 8) Tr. 6. disp. 1. q. 4. c. 5. — 9) De poenit. c. 4. §. 4. n. 3. — 10) De poenit. disp. 2. art. 2. n. 45. — 11) De poenit. diss. 6. art. 1. §. 4.

Quia 1°. juxta Tridentinum, peccatum debet declarari, prout est in conscientia; ergo quod non est declaratum ut certum, si postea habeatur in conscientia ut certum, debet ut tale declarari... »

22. *Ferraris:* [1] « Qui confessus est peccatum aliquod mortale ut dubium, si postea reperiat illud certum, seu certo illud commisisse, *tenetur illud denuo ut certum confiteri.* » Et inter alios pro hac sententia citat *Turrianum, Hurtadum* et *Rosignolium.*

23. *Amort:* [2] « Pro hac sententia *sensus potior Doctorum* ac fidelium, et praxis ac consuetudo communior Ecclesiae. »

24. *Thomas Ex-Charmes:* [3] « Quaeres, utrum peccatum confessum ut dubium debeat iterum confiteri, si postea cognoscatur certum? Resp. *Affirmative.* Quia non sufficit, peccatum subjicere clavibus Ecclesiae, sed requiritur, ut subjiciatur prout cognoscitur, ut Sacerdos de ipso judicium certum ferre possit. »

25. *Voit, S. J.:* [4] « Juxta *communissimam* sententiam, qui confessus est peccatum mortale ut dubium, si postea deprehendat, esse certum peccatum, tenetur illud iterum confiteri. Ratio est: tum, quia peccatum jam ut certum est in conscientia; tum quia, postquam peccatum certo cognoscitur esse commissum, lex confitendi est certa: an autem satisfeceris obligationi, dum illud confessus es ut dubium, est plane dubium; ergo lex certa confitendi est in possessione. »

26. Accedit *Clemens Piselli ab Olivano,* Cler. Reg. Minorum, in Romano Sapientiae Archigymnasio professor, dicens: [5] « Si (poenitens), dum ex oblivione certum (peccatum) confessus est tanquam *dubium,* non redit ad confitendum ut certum quando recordatur, *non sufficit:* quia non est fidelis *quoad materiam necessariam.* »

V. Quid demum *nostrae aetatis* probati Auctores de hac quaestione sentiant, breviter videamus.

1. *Cardinalis Gousset* [6] absolute sententiam affirmativam tenet, quia in materia confessionis essentiale discrimen subsistit inter peccatum certum et peccatum dubium. Ait enim: « Si celui qui a déclaré une faute comme douteuse, vient à découvrir qu'il l'a réellement commise, *il doit s'en accuser de nouveau comme d'une faute certaine;* car il y a *une différence essentielle,* en matière de confession, entre une faute certaine et une faute douteuse. »

2. *Frassinetti,* [7] quamvis probabilem esse sententiam negativam admittat, nihilominus dicit, peccatum dubium, postea ut certum cognitum, juxta veram et communissimam sententiam denuo confitendum esse: « Chi ha confessato un peccato come dubbio, e poscia avverte che era certo, deve *secondo la vera e comunissima sentenza,* confessarlo di nuovo. »

3. *Martinet,* [8] etsi negativam censeat speculative probabiliorem, affirmativam tamen vocat communiorem et in praxi consulendam: « Sententia affirmans... est quidem *communior...* Secunda sententia (negans) speculative probabilior, tuto teneri potest in praxi cum poenitentibus solitis diligens examen praemittere confessioni. Quia vero de hujusmodi diligentia non semper constat, *prior sententia ut securior consulenda est.* »

4. *Grassi* [9] absolute affirmat: « Qui confessus est peccatum aliquod mortale uti dubium, si postea illud noverit uti certum, *est illud repetendum uti tale:* quia nondum erat expositum prout habetur in conscientia,

1) V. *Poenitentiae Sacramentum,* art. 2. n. 131. — 2) Tr. 13. *s.* 10. q. 6. — 3) De poenit. c. 4. art. 1. concl. 2. — 4) De poenit. n. 553. — 5) Theol. mor. Summa, Venetiis 1790. Tom. 2. pag. 79. — 6) De poenit. c. 3. art. 3. n. 426. — 7) Compendio della Teol. mor., 3. ediz. Genova 1867. n. 398. pag. 482. — 8) Theol. mor. tom. 2. lib. 3. art. 11. *s.* 4. pag. 368. — 9) Universa Theol. mor., Aesii 1853. Vol. 3. pag. 192.

nec antea fuerat patefacta substantialis peccati gravitas, quae in accusatione dubia non includitur. »

5. *P. Gabriel de Varceno,* Ord. Capuccin.: [1] « Si (dubium) versetur circa existentiam (peccati), nempe, an fuerit commissum nec ne, tunc *debet iterum confiteri ut certum:* quia, licet remissum, tamen non fuit declaratum prout erat. Ita *communissime,* ait Scavini. »

6. Demum *Scavini* [2] absolute dicit: « Peccatum uti certum est declarandum *juxta communissimam et veram sententiam;* etenim non fuit explicata tota peccati substantia, nam fuit tantum declaratum uti dubium, cum tamen sit certe commissum. »

VI. Hisce auctoritatibus maxima demum auctoritas *S. Congregationis Indicis* accedit, quae « Manuale Regularium » *Francisci Pellizzarii, S.J.,* libris prohibitis accensuit, donec aliquae opiniones deleantur, inter quas Tr. 5. cap. 3. n. 56. est illa, quod non detur obligatio denuo confitendi peccatum, quod quis ut dubium confessus est, et postea ut certum cognoscit.

Sed etiam rationes intrinsecas perpendere juvat.

Articulus 2.

Perpenduntur validissimae Rationes pro sententia affirmativa militantes.

I. Objectionem adversariorum, quam S. A. refert, diverso modo refutant sententiae affirmativae defensores.

1. *Cardenas,* a cl. Professore allegatus, *Billuart* [3] et *Cuniliati* [4] respondent, illum, qui decies plus minus graviter peccasse confessus est, et postea undecies peccata commisisse certo cognoscit, utique undecimum ut certum confiteri teneri. [5] – *S. Alphonsus* vero cum aliis respondet, rationem esse disparem; quia in illo casu, quem adversarii objiciunt, error non est circa *substantiam,* utique autem in altero.

2. Verumtamen diversa haec responsio nullatenus afficit solutionem quaestionis propositae. Utique enim conveniunt in argumento praecipuo, ex Concilio Tridentino repetito. Quemadmodum Cardenas, Billuart et Cuniliati urgent obligationem iterandae confessionis, quia ex praecepto Concilii omnia peccata confiteri tenemur, *quorum conscientiam habemus:* ita etiam S. Alphonsus. In casu proposito, poenitens nunc conscientiam peccati habet, quod antea pro dubio habuit: ergo idem peccatum ut certum confiteri tenetur. Nec confessio anteacta ab hac obligatione ipsum liberat, quia accusatio dubia nullo modo certam accusationem includit. Eodem argumento in substantia, aliis tantum verbis, utuntur qui, ut Lacroix [6] et alii dicunt, cessante dubio, redire obligationem peccatum istud assertive ut certum confitendi.

II. Affirmat P. Ballerini: « Ratio » (quam profert *Cardenas*), quod nem» pe ex *Tridentino exprimi opor» teat illam culpae gravitatem, ex » qua dijudicetur de poena secun» dum aequitatem imponenda,* jam » prosterneret doctrinam, quam S.A. » probabilissimam et communissi» mam dicit, scilicet *non teneri* » quempiam ad confitendum iterum » peccatum, quod nunc ut *grave* co» gnoscit, cum tamen *nec ipse, nec* » *Confessarius uti grave, cum facta*

1) Compendium Theol. mor., Viterbii 1870. pag. 528. — 2) Cfr. edit. 10. Mediolan. 1865. Tom. 3. n. 364. pag. 276. — 3) De poenit. diss. 6. art. 1. *§.* 5. — 4) De poenit. c. 4. *§.* 4. n. 4.

5) Idem tenent et alii, ut videre est apud Lacroix (Lib. 6. p. 2. n. 616.). Quamvis autem opposita sententia (cfr. pag. 472. textum S. Alphonsi) communis sit, etiam hujus sententiae patroni concedunt, confessionem iterandam esse, si excessus est *notabilis;* quia in hoc casu, judicium Confessarii de peccatoris reatu et de poena injungenda notabiliter variat; secus, secundum humanum modum et communem aestimationem, si excessus est exiguus. In principio ergo omnes conveniunt.

6) Cfr. pag. 475. n. 11.

» *est confessio, novisset.* » Sed gratis hoc asserit.

1. *Cardenas* non loquitur de gravitate peccatorum, quae quis confitetur, sed de gravitate *culpae*, in quantum *major numerus peccatorum* culpam seu reatum poenitentis graviorem reddit, et graviorem poenam exigit: Confessarius autem aliud judicium fert de peccato dubio, et aliud de certo.

2. *Billuart*, qui cum Cardena sentit, similiter l. c. dicit, certitudine facti, peccatum commissum fuisse, peccatum non quidem absolute *per se* aggravari, utique autem relate ad *judicium* Confessarii: « Fit enim (inquit), quod poenitens appareat judicio magis peccator, severiori poenitentia et acriori correctione dignus, efficaciorique remedio indigens: necesse est autem, quod Confessarius rectum de peccatis ferat judicium. » – Nihilominus eamdem doctrinam profitetur, quam S. Doctor communissimam et probabilissimam vocat, et differentiam praeclare explicat. Dicit enim in fine: « Notandum tamen, hanc conclusionem intelligendam esse *de dubio circa substantiam actus tantum.* Si enim certus sit poenitens actum perpetrasse, illumque integre cum omnibus necessariis circumstantiis exposuerat, remaneat autem *solum dubium penes ipsum vel confessarium, an sit mortale vel non; nihil est amplius repetendum,* etsi forte postea certo dignoscatur esse mortale: quia tunc nulla esset nova circumstantia notabiliter aggravans, quae non fuisset in priori confessione explicata, ut suppono; nec ad confessionis integritatem et valorem necessarium est, quod poenitens vel confessarius dicat aut sciat determinate, hoc peccatum confessum in individuo esse mortale: id enim etiam doctioribus est valde difficile, propter varias circumstantias occurrentes; sed sufficit, ut poenitens exponat factum cum omnibus suis circumstantiis, prout in conscientia habet. » – Ideoque difficultates, quas fingit P. Ballerini, in veritate non subsistunt.

SIT ERGO HAEC NOSTRA CONCLUSIO:

1. Sententia affirmativa, quam tenet S. Alphonsus et communem dicit, reapse *communis* dicenda est; et quidem jam *arithmetice:* quatenus eadem sententia usque ad medium saeculum 16. unica et unanimis fuit, atque a saeculo 18. *inter recentiores communissima est,* et ideo numerus Auctorum, qui oppositam tenent, longe superatur.

2. Potiore autem jure communis dicenda est, quatenus Auctores non numerantur, sed *ponderantur*, et rationes *intrinsecae* evidentes et convincentes perpenduntur. Et *in praxi* omnino amplectendam esse sententiam affirmantem, ceu securiorem, ipse *Lugo* fatetur, qui oppositam primus invexit, addita tamen discreta et prudenti reservatione, quam alii, ipsum sequentes, addere neglexerunt. Unde non immerito conqueritur Cardenas, quod, rimula a Lugone aperta, aliqui recentiores eam putaverint ostium amplissimum, quo in hanc sententiam tuto ingrederentur. [1]

1) Hic locus esset confutandi alias duas Adnotationes sat magni momenti.

I. — *P. Gury*, T. II. n. 421. pag. 307. (in altera edit. pag. 246.) quaerit: « An peccatum accusatum *in genere tantum*, aliquando sit materia sufficiens ad confessionis validitatem vel liceitatem, v. g. si quis dicat: *Peccavi* vel *me accuso de omnibus peccatis meis?* » Et respondet: « Quoad *validitatem*, 1°. Affirm. certo in casu *necessitatis*... 2°. Affirm. saltem multo probabilius *etiam extra casum necessitatis*, si materia necessaria seu in specie declaranda deficiat... Resp. 2. Etiam quoad *liceitatem*, affirm. saltem probabiliter... » — Porro, in subjecta adnotatione, cl. BALLERINIUS similiter ac strenue quidem contendit, confessionem in *genere* factam, peccatorum sive *venialium*, sive *gravium* alias per absolutionem remissorum, esse materiam sufficientem Sacramenti Poenitentiae, non solum in casu necessitatis;

QUAESTIO VIII.

An distincte et explicite repetenda sint in confessione omnia peccata, quae antea eidem Confessario mere historice extra confessionem enarrata fuerint.

(S. Alph. Lib. VI. n. 502. — P. Ball. Tom. II. n. 514.)

Lib. VI. n. 502. dub. 1. S. ALPHONSUS quaestionem proponit: « *Dubium* » *est, an repetenda sit confessio* » *apud eumdem Confessarium, quando confessio fuit invalida?* » Ad quam sic respondet:

« *Prima sententia probabilis,* » quam tenent Suarez et Coninchius, » distinguit, et dicit, quod si confessio fuit nulla *defectu alicujus* » *partis essentialis in Sacramento,* » nempe quia defuit dolor, aut intesed etiam per se loquendo extra hunc casum. Et haec quidem profert, « *non modo ut sua* » *veritati jura serventur, sed etiam quia aliquando praxi deservire utiliter possunt.*»

Ab ista singulari doctrina uberius confutanda abstinemus, quum fusiori jam calamo et egregie diluta habeatur in docta Ephemeride, cui tit. *Nouvelle Revue théologique*, Tournai 1869. Tom. 1. pag. 67. et seqq., ad quam lectores libenter remittimus. — Ibidem namque validis rationibus praecipue demonstratur: 1°. Argumentationem cl. Professoris (cum Dicastillo a se allegato) *vitio logico laborare.* Etenim, ex eo quod absolutio detur absolute moribundis, aut militibus instante praelio, qui nonnisi tunsione pectoris, aliove modo generali sese accusare valent, minime sequitur, validam licitamque esse istam generalem accusationem extra casum necessitatis. Quinimo natura Sacramenti, quod per modum judicii exercetur, potius contrarium exigit, nempe ut materia omnino determinata sit per distinctam peccatorum accusationem, quoties id non est impossibile. — 2°. Praefatam doctrinam, etiamsi vere probabilis esset, nihilominus *in praxim deduci non posse:* tum quia iste confitendi modus (qui alioquin protestanticum usum redolet) et poenitentis et Confessarii laxitati ac negligentiae favet; tum maxime, quia obstat damnatio propositionis ab Innoc. XI. profligatae: « *Non est illicitum, in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore...*»

Id tantum adjicere liceat. Inter alia argumenta, cl. Professor sequentem rationem adducit: « *quia confessio venialis peccati in specie non magis conscientiam declarat, quam* » *si quis in genere se peccasse venialiter dicat, nec magis variat judicium confessarii.* » — Sed hoc falsum utique dices. Nam ex confessione *venialium in specie*, judicium Confessarii reipsa ita variari potest, ut quandoque absolutionem ista venialia accusantibus denegare debeat; v. gr. si in hisce peccatis, quae sola afferuntur, sint recidivi (cfr. *S. Alph.* lib. 6. n. 432. *Dico* 2.), vel si Confessarius mortale et animae valde periculosum judicet, id quod poenitens nonnisi veniale censebat. Insuper, ita variari potest judicium Confessarii, ut quandoque sub conditione tantum et justa de causa absolvere possit; si nempe judicet, ista venialia (v. gr. in pueris aut in personis timoratis) non esse satis certa, nec sufficientem praebere materiam ad Sacramentum administrandum (cit. n. 432. in fine).

II. — Iisdem ferme argumentis evinci potest altera Adnotatio, quam cl. Professor pag. 383. (in altera edit. pag. 309.) *numero 504. q. 9.* Patris Gury subnectit. — S. ALPHONSUS (lib. 6. n. 479. ad 2.) postquam generatim dixerit, confessionem *per interpretem* nunquam exigi, et probabiliter *ne in mortis quidem articulo*, cum Viva limitat: « *nisi infirmus dubius sit* » *de contritione; sufficit tamen tunc dicere unum veniale.* » — Haec autem limitatio non probatur cl. BALLERINIO, qui reponit: » *Verum ista Vivae exceptio pertinet ad opinionem* » *jam antiquatam, quae nempe dubium habet Sacramenti valorem etiam in mortis ar-* » *ticulo, nisi aliquod peccatum speciale clavibus subjiciatur...* »

Sed falsum cum vero miscet. Utique *jam antiquata* dici potest opinio, quae *in omni casu*, etiam in mortis articulo, dubium habet Sacramenti valorem. nisi aliquod peccatum speciale clavibus subjiciatur; nec eam veram censet S. Doctor (lib. 6. n. 480.); quia in certis casibus, v. gr. in moribundis usu linguae destitutis, in militibus instante praelio, etc., cum *impossibilis* sit distincta et explicita peccatorum accusatio, certo nihil amplius requiritur; atque « eo casu fertur absolutio, cognita causa, meliori modo quo potest. » — E contra, opinio, quae requirit, ut aliquod peccatum *speciale* clavibus subjiciatur, *quoties id impossibile non erit*, nullatenus antiquata est; ut patet ex dictis, atque ex auctoritate gravium Doctorum, qui in praelaudata Dissertatione Ephemeridis Tornacensis allegantur.

» gritas in poenitente, aut jurisdictio » in Confessario, tunc tota repetenda » est. Ratio quia, eo casu, confessio » non fuit sacramentalis. Et huic » sententiae consentiunt in parte Pa» ludanus, Adrianus, Moya, et Ill» sung apud Croix, scilicet casu, quo » confessio fuit irrita *defectu juris» dictionis* in Confessario, quia tunc » fuit facta non judici. – Secus vero, » si confessio fuit invalida *ex parte » Confessarii, ratione tantum sui » muneris,* nempe, quia ipse non bene » pronunciaverit formam, vel non ha» buerit intentionem absolvendi. Et » hoc est commune apud omnes (ut » ait Croix), modo Confessarius re» miniscatur status poenitentis.

» *Secunda* vero *sententia communior et non minus probabilis,* quam » tenent Navarrus, Lugo, Tambu» rini, Diana cum communi; Lay» mann cum Sà, S. Antonino, Syl» vestro, Medina, Vasquez; item Bo» nacina, Valentia, Aversa, et alii » apud Croix, dicit, quod *undecum» que defectus evenerit,* sive ex par» te Confessarii, quia defuit jurisdi» ctio, sive ex parte poenitentis, quia » defuit dispositio aut integritas, non » est opus repetere confessionem; sed » sufficit, si Confessarius recordetur » status poenitentis, vel resumat no» titiam ejus in confuso, et poenitens » in communi se accuset de omnibus » prius confessis. – Ratio quia, licet » prima confessio non fuerit sacra» mentalis, utpote sacrilega, vel fa» cta non judici; tamen ratificatio » illius, dum poenitens deinde in ge» nerali se accusat de culpis confes» sis, conjuncta cum notitia antece» denter habita a Confessario, bene » sufficiens reputatur. Item, quia (ut » probabiliter censet Croix) talis con» fessio, cum facta fuerit *in ordine » ad absolutionem recipiendam,* suf» ficienter dicitur etiam sacramenta» lis, quatenus ipsa etiam ad sigillum » sacramentale obstringit. »

Quibus expositis, S. Doctor sequentia addit ad quaestionem nostram directe spectantia: « *Non autem placet » sententia Lugonis,* quam sequitur » *Aversa* apud Croix, nempe, quod » si poenitens *ex mera narratione* » dixerit Confessario peccata sua, et » postea de illis in communi se ac» cuset, tum pariter sufficiet, quod » Confessarius de ipsis in confuso re» cordetur. – *Sed verius dicendum » cum Croix,* [1] *tunc omnino repe» tendam esse confessionem.* Ratio, » quia nulla confessio tunc adfuit » sacramentalis, nec prima, nec se» cunda; non prima, quia peccata » non fuerunt manifestata *in ordine » ad absolutionem,* ita ut de illis » Confessarius non teneretur ad si» gillum sacramentale; non secunda, » quia peccata non sunt *singillatim* » confessa, ut requiritur in Triden» tino, ubi dicitur, quod in confes» sione sacramentali debent explicari » omnia et singula peccata. » [2]

Lacroix autem a S. Doctore modo allegatus, dicit: « Si prior confessio nullo modo fuisset sacramentalis, uti si quis *pure historice, sine intentione absolutionis* tibi narrasset sua peccata, quamvis postea, dum confuse tantum recordaris istorum peccatorum, ipse tibi diceret: accuso me de peccatis, quae tibi nunc dixi; *probabilius videtur* contra Aversam supra, *hoc non fore satis, quia distincta illa narratio peccatorum nullo modo fuit sacramentalis.* Neque plus evincunt argumenta, quae adducit Illsung supra; [3] nego autem, confessiones distincte factas ex intentione absolutionis, non posse dici

1) Lib. 6. part. 2. n. 1217.

2) In Opere cui tit. *Homo Apost.* Tr. 16. n. 44. S. Doctor addit: « *Tantum hoc posset » admitti, si Confessarius, dum poenitens se accusat de peccatis narratis, distinctam » eorum haberet notitiam.* »

3) *Illsung*, l. c. (de poenit. n. 151.) dicit, non sufficere recordationem in confuso, sed requiri distinctam notitiam quoad species et numerum, non solum si poenitens antea historice tantum peccata sua narraverit, sed etiam si prior confessio invalida fuerit propter defectum jurisdictionis Confessarii.

sufficienter sacramentales: cum etiam obligent ad sigillum sacramentale, quamvis fuerint invalidae, ut dicetur n. 1940. »

Praemissa hac S. Alphonsi et Croix doctrina, Patrem *Gury* audiamus. - T. II. n. 514. pag. 392. [1] quaerit: « *An repetenda sint explicite omnia peccata, quae antea Confessario mere historice extra confessionem enarrata fuerint?* » et respondet:

« 1°. *Negative, si Confessarius eorum adhuc recordetur;* tunc enim sufficit, si poenitens generaliter ea confiteatur, dicendo: Accuso me de iis omnibus, quae tibi jam enarravi. Ratio est, quia peccata illa per confessionem summariam sacramentaliter subjiciuntur Confessario ut judici, in ordine ad absolutionem; et Confessarius de omnibus hic et nunc sacramentaliter judicat, cum de iisdem recordetur. - *Affirmative, si Confessarius non clare et distincte omnium meminerit,* etiamsi illorum in confuso vel ex parte recordetur. Ratio patet ex dictis. Ita S. Lig. n. 502., et alii communiter. »

Ad quem textum, P. Ballerini adnotat: « Ex adverso Card. De Lugo » *(de Poen. disp. 16. n. 637-638.)* » ceu *communem* exhibet oppositam » sententiam. Et ad rationem, qua » permoveri se S. Alphonsus *(Lib. 6.* » *n. 502. dub. 1. in fin.)* indicat, » nempe quod *cum confessio praece-* » *dens non fuerit facta judici, non* » *videatur habenda esse ejus ratio,* » *sed denuo facienda sit confessio* » *sacramentalis distincta, cum prior* » *illa non fuerit sacramentalis.* Respondet: *In contrarium tamen est* » *auctoritas et praxis communis.* » *Nam Doctores fere omnes univer-* » *saliter dicunt, sufficere postea eam* » *memoriam confusam, undecum-* » *que processerit defectus confessio-* » *nis prioris ... Idem usus apparet,* » *quando aliquis extra confessio-* » *nem narravit sacerdoti amico,* » *consilii petendi gratia, aliqua* » *peccata, et postea confitetur eidem* » *accusans se breviter de iis omni-* » *bus, quae extra confessionem di-* » *xerat: quo etiam casu non adest* » *nunc in sacerdote tam exacta et* » *distincta notitia, qualis esset, si* » *nunc se distincte poenitens accu-* » *saret: et quidem prior illa nar-* » *ratio non fuerat illo modo sacra-* » *mentalis, nec accusatio facta ju-* » *dici, sed narratio facta amico.* » *Fatendum est ergo, confessionem* » *etiam non sacramentalem priorem* » *perseverantem in memoria non* » *omnino distincta, posse aliquo* » *modo fieri sacramentalem per ac-* » *cusationem subsequentem taliter,* » *ut possit ad sacramentum deser-* » *vire. Non quod illa prior narra-* » *tio vere fiat accusatio sacramen-* » *talis; sed quatenus posterior accu-* » *satio, relate ad memoriam, quam* » *habet Confessarius de illis pecca-* » *tis prius distincte auditis, sit suf-* » *ficiens notitia, qualis in Confes-* » *sario desideratur.* Ita ex communi » sententia Lugo, qui deinde aliter » opinantium dubia apte dissolvit. »

At vero, nullatenus admittenda sunt ista: I. nec ipsa sententia *Lugonis,* a cl. Professore propugnata; II. nec assertio P. Ballerinii, eamdem esse *communem,* et dubia aliter opinantium a clarissimo Cardinali *apte* fuisse soluta.

I. Ad primum quod attinet,

1. *Lugo, S. J.,* Disp. 16. n. 634-637. quaestionem pertractat: *An recordatio confusa etiam sufficiat, quando confessio invalida fuit propter defectum jurisdictionis ex parte Confessarii?* - et rationibus pro *negativa* sententia expositis, dicit *n. 638.*: « In contrarium tamen est auctoritas et praxis communis: nam *Doctores fere omnes universaliter* dicunt, *sufficere* postea illam memoriam *confusam,* undecumque processerit defectus confessionis prioris:

1) In altera edit. pag. 317.

usus etiam communis, ut dicebam, ita habet, ut si hodie confessionem audisti cum peccatis reservatis, cras, obtenta facultate, absolvas, praemissa brevi accusatione poenitentis, qui se iterum de omnibus, quae dixerat, accusat: quo casu Sacerdos, moraliter loquendo, non retinet memoriam adeo distinctam, ut posset peccata pridie audita singillatim referre. »

2. Nimium est, quod dicit Lugo, « Doctores fere omnes universaliter » oppositum docere; cum non tantum *Suarez,* sed et *Coninchius et alii graves DD.* sententiam *negativam* propugnaverint. – Sed quidquid sit, S. Alphonsus in hoc non dissentit, quia eamdem sententiam, quam Lugo tuetur, communiorem, et non minus probabilem vocat.

3. Contendit autem P. Ballerini, « rationem, qua permoveri se *S. Alphonsus* (Lib. VI. n. 502. dub. 1. in fin.) indicat », eam esse, « quod » *cum confessio praecedens non fuerit facta judici, non videatur habenda esse ejus ratio, sed denuo facienda sit confessio sacramentalis distincta, cum prior illa non fuerit sacramentalis.* » – Ast haec verba frustra quaeres apud S. Doctorem. Numerum *502. dub. 1.* in extenso allegavimus; et nihil hujusmodi habet. E contrario S. Alphonsus probabile censet, quod affirmat La Croix, scilicet, confessionem invalidam propter defectum jurisdictionis Confessarii, sufficienter sacramentalem dici.

4. Miram hic cl. Ballerinius ingessit confusionem. Verba quippe S. Alphonso adscripta *apud Cardinalem de Lugo n. 637.* reperiuntur, qui eadem verba ceu argumentum adversariorum profert. – Deinde autem Lugo l. c. *n. 638.* alteram quaestionem proponit de poenitente, qui antea, « *extra confessionem, narravit sacerdoti amico, consilii petendi gratia, aliqua peccata.* » Quoad hanc quaestionem, nihil dicit de communissimo vel communi Doctorum consensu; nec potuisset, quia ipse primus, nemine praeeunte, hanc quaestionem proposuit, et etiam in hoc casu memoriam confusam sufficere propugnavit. Dicit solummodo, quod « *idem usus (communis) apparet* »; sed, pace tanti Doctoris, hoc gratis dicit. Raro namque occurrit, quod quis Sacerdoti amico peccata aliqua, consilii petendi gratia, enarret, et deinde eidem peccata haec brevi accusatione confiteatur; et rarius adhuc occurrit, quod non statim confiteatur, sed post aliquod temporis intervallum, quo distincta memoria Confessario excidit. – Quomodo ergo, quaerimus, clarissimus Cardinalis *communem Confessariorum praxim* eruere potuit *in casu rarissimo,* qui inter innumeros quasi Confessarios uni alterive tantum obtingit?

II. Post relatam Lugonis sententiam, P. Ballerini subjungit: « *Ita, ex communi sententia, Lugo, qui deinde aliter opinantium dubia apte dissolvit.* » – Verum, nec ista admittenda sunt.

1. Sententia, quam Lugo tuetur, nec antea, nec postea *communis* dicenda est. *Non antea,* quia primus eam proposuit; *non postea,* quia nemo, quod sciamus, praeter Aversam, eam secutus est; et si forte alii quoque, pauci certe sunt.

2. Nec ad « *dubia aliter opinantium* » Lugo respondet; sed ipse sibi dubia objicit. At vero haec dubia non tantum apte non solvit, sed potius *plane insoluta* relinquit.

3. Argumentatio, qua utitur *n.640.,* haec est: « Confessarius ex se facit utrumque judicium, per notitiam de peccatis, quam ipse habuit; quam, licet non habuerit quando erat judex, nihil refert: non est enim necessarium, quod *tota notitia,* a qua dirigitur ad hoc judicium, fuerit sacramentaliter accepta: nam si Confessarius aliunde vidit vel cognovit distincte peccatum, potest poenitens se accusare, dicendo: Accuso me de illo peccato, quod tu scis, me fecisse: quae confessio sine illa notitia praecedente

*

non sufficeret, sed cum illa sufficit, ut Confessarius ex se possit judicare. Itaque quod omnino requiritur, est, quod accusatio sit sacramentalis: quod vero accusatio secundum se det notitiam distincte de peccatis, non requiritur, nisi quando Confessarius aliunde non habet notitiam distinctam: si enim illam habet, sufficit accusatio sacramentalis, quae se remittat ad illam aliam notitiam aliunde habitam. Potest ergo, in casu nostro, Confessarius prudenter et licite absolvere, quia jam ponitur nova accusatio sacramentalis coram judice, et notitia, quae remanet ex cognitione distincta, quam prius habuit: quae, licet non sit modo memoria distincta, est tamen judicium sufficiens, formatum ex illa distincta cognitione, quae praecessit de illis peccatis. »

4. At vero nemo negat, Confessarium uti posse notitia, quam non ex sacramentali poenitentis confessione sibi comparavit; quod et Suarez [1] concedit. Ideoque non de hac re quaeritur; sed *utrum Confessarius etiam notitia ex simplici narratione acquisita uti possit, quando distinctam memoriam non amplius habet.* – Si *distinctam* habet, S. Alphonsus consentit; si *confusam* tantum, negat, et quidem rectissime: quia simplex illa narratio non est confessio sacramentalis, et ex nulla parte *sacramentalis* dici potest: quod et Lugo concedit. Brevis autem poenitentis accusatio sacramentalis de praesenti non sufficit; quia, ut ex Concilio Tridentino constat, in confessione sacramentali *omnia et singula peccata mortalia, secundum speciem et numerum,* explicanda sunt; et ideo Confessarius integram confessionem a poenitente exigere tenetur, quoties *distincta* memoria narrationis praecedentis defectum integritatis non supplet.

5. Nec dicendum, quod Confessarius, licet confusam tantum memoriam habeat, judicium de peccatis poenitentis, quod antea sibi formaverat, ratificare possit. Etenim, dum poenitens peccata sua *mere historice* enarravit, Confessarius aut nullum judicium, aut saltem judicium distinctum sibi non formaverat, quemadmodum ad absolutionem impertiendam requiritur. Aliter autem se res habet, quando non *simplex narratio,* sed *confessio in ordine ad absolutionem sacramentalem* recipiendam, licet invalida, praecessit.

EX PRAEMISSIS IGITUR CONCLUDIMUS:

1. S. Doctor merito dicit, sibi non probari sententiam *Lugonis,* « nempe, quod si poenitens *ex mera narratione* dixerit Confessario peccata » sua, et postea de illis in communi » se accuset: tunc sufficiet, quod » Confessarius de ipsis *in confuso* » recordetur. » Recte igitur docet, « *tunc omnino repetendam esse confessionem;... quia nulla confessio tunc adfuit sacramentalis.* »

2. Singularem itaque opinionem clarissimi Cardinalis de Lugo, P. Ballerini infausto omine post duo saecula resuscitavit.

1) Disp. 22. sect. 6. n. 7.

QUAESTIO IX.

An liceat administrare Sacramentum Poenitentiae cum Jurisdictione tantum probabili.

(S. Alph. Lib. VI. n. 573. — P. Ball. Tom. II. n. 549. q. 4.)

Hanc quaestionem S. ALPHONSUS, Lib. VI. n. 573. sic solvit: « Adsunt » tres sententiae.

» *Prima negat*, et hanc tenent » Concina, Antoine et Elizalde. Ratio, quia ex Prop. 1. damnata ab Innocentio XI.,[1] in administratione » Sacramentorum non licet uti opinione probabili, ne Sacramentum » exponatur periculo frustrationis.

» *Secunda* vero sententia *communis* docet, *licitum* esse absolvere » cum probabili jurisdictione, *modo* » *opinio sit vere probabilis, gravi* » *fulcita ratione et auctoritate;* ita Sanchez, Lugo (qui putat tutissimam), Bonacina, Palaus, Lessius, Coninchius, Filliuccius, Croix, Tamburini, Viva, Cardenas; item Hozes, Filguera, Corella et Lumbier; et Salmanticenses cum Turriano, Villalobos, Reginaldo, Aversa, Salas, Dicastillo, Herincx, Bonaspe; et Salmanticens. scholast. cum Maldero, Granado, Henriquez et Gabriele. Et eam vocant moraliter certam Sanchez, Tamburini et Cardenas; ac Dicastillus, Illsung, Gormaz, Stoz, etc. apud Croix. – *Ratio 1.* quia error communis, etiamsi non adsit titulus coloratus, praebet jurisdictionem, modo opinio ab omnibus teneatur ut probabilis; nam si alii sapientes dubitarent de probabilitate et coram Deo falsa esset, error esset, sed non communis. Verum haec ratio non convincit; nam, licet praefata opinio (quod, existente errore communi, Ecclesia supplet jurisdictionem) non sit improbabilis, ut diximus in quaestione praecedenti; tamen non est certa, ut requiritur ad licite minis» strandum Sacramentum. – *Ratio 2.* » quia, cum quilibet Sacerdos habeat » potestatem directam super venia» lia, poenitentes, qui bona fide con» fitentur sacerdoti habenti jurisdi» ctionem tantum probabilem, jam » valide absolvuntur eo casu, directe » a venialibus, et indirecte a morta» libus. Sed opinio illa, quod confes» sio venialium apud simplicem sa» cerdotem sit valida, nec etiam est » certa, ut diximus n. 543.; unde nec » etiam haec ratio convincit. – *Ra» tio 3.*, quia Ecclesia supplet juris» dictionem ex ratihabitione de prae» senti, cum videat sic communiter » practicari, et ob bonum animarum » annuit. – *Ratio 4. et potior est,* » quia in Ecclesia adest *universalis* » *consuetudo fere omnium Confessa» riorum* absolvendi cum jurisdictio» ne probabili, ut testantur commu» niter Suarez, Lugo, Cardenas, Ar» riaga, Diana, Croix, et omnes alii » Auctores citati pro hac secunda » sententia. *Communis autem sen» tentia Doctorum fundat moralem* » *certitudinem de praefata consue» tudine;* et licet contrarii illicitum » putent absolvere cum jurisdictione » probabili, praescindunt tamen, nec » possunt negare, hanc consuetudi» nem adesse, saltem apud partem » longe majorem Confessariorum. – » Posita igitur ut certa hac consue» tudine, certum est, licitum esse » Sacramentum ministrare cum ju» risdictione probabili; cum ipsa con» suetudo jurisdictionem praebeat, » prout docent Suarez, Navarrus, ubi » ait: *Hanc jurisdictionem magna* » *ex parte introductam vel auctam* » *esse consuetudine, quae vim habet*

1) Cfr. supra, pag. 412. art. 1.

» *dandi jurisdictionem;* Barbosa, » Cardenas, Quaranta, Pellizzarius. » Idque probant ex cap. *Cum contin-* » *gat* 1. de foro compet., ubi dicitur: » *Nisi forte hi, quibus delinquentes* » *ipsi deserviunt, ex indulgentia,* » *vel consuetudine speciali jurisdi-* » *ctionem hujusmodi valeant sibi* » *vindicare.* Ubi Glossa ait: *Quod* » *consuetudo dat jurisdictionem.* – » Nec obstat Prop. 1. damnata; ete- » nim respondent Viva et Wigandt » cum Gonet: Propositio loquitur de » opinionibus circa ea, in quibus ni- » hil potest Ecclesia, id est circa » materiam et formam, non vero cir- » ca jurisdictionem, quae bene ab » Ecclesia suppleri potest, et mora- » liter certo praesumitur suppleri in » hoc casu ad bonum animarum: un- » de Confessarius absolvendo, non » absolveret cum sola opinione pro- » babili, sed moraliter certa, non di- » recta, sed reflexa.

» *Tertia sententia, quam ample-* » *ctor,* et tenent Suarez, Holzmann, » Marchantius et Gobat, Wigandt, » Sporer, et Elbel cum Bardi, San- » cio et Babenstuber, dicit, *licitum* » quidem esse ministrare hoc Sacra- » mentum Poenitentiae cum jurisdi- » ctione probabili, sed *nonnisi quan-* » *do adest causa gravis necessitatis* » *aut magnae utilitatis,* ut ajunt El- » bel et Wigandt, *vel causa ratio-* » *nabilis,* ut inquiunt Suarez et Spo- » rer. – Ratio hujus limitationis est, » quia, licet Ecclesia eo casu, ob bo- » num animarum, bene censeri possit » jurisdictionem supplere, tamen non » praesumitur, nulla justa causa ac- » cedente, velle connivere merae li- » bertati Sacerdotum. – *Hujusmodi* » *autem causa* (ut censent Sporer et » Holzmann) *accidit:* 1°. Quando poe- » nitens indigeat auxilio sive consilio » illius confessarii. 2°. Si complex » peccati poenitentis sit notus apud » confessarium, qui certa pollet ju- » risdictione, et ignotus apud con- » fessarium habentem solam probabi- » lem. 3°. Si confessarius, qui habet » jurisdictionem probabilem, pruden- » ter timeat, poenitentem non factu- » rum confessionem integram apud » eum, qui certam habet. 4°. Addit » Sporer, ne poenitens incidat in ali- » quam aversionem, vel damnosam » suspicionem confessarii certi. 5°. Si » urgeat praeceptum confessionis, aut » singularis Indulgentia lucranda, » vel quia diu quis non poterit con- » fiteri. »

P. Gury, T. II. n. 549. q. 4. p. 946.[1] eamdem quaestionem proponit: « An liceat absolvere cum jurisdictione probabili? » et quae S. Doctor hac de re dicit, simpliciter refert.

Ad quam expositionem, P. Ballerini plures adnotationes adjicit, quas, claritatis causa, particulatim examinabimus. – Siquidem 1. Quaedam praemittit circa primam sententiam *negantem* a S. Alphonso relatam. 2. De *tertia* loquens, quam S. Doctor tuetur, ait, *Elbel* et *Suarezium* haud recte citari. 3. Ad hanc sententiam infirmandam asserit, eamdem primo invectam fuisse a *Marchantio,* et a *Sporer* tribus falsis allegationibus communitam, quibus ipse S. A. quartam addidit. 4. Ejusdem sententiae infirmitas exsurgit ex *contraria universali consuetudine,* ita ut corruat limitatio a S. Doctore cum citatis AA. posita; eo magis, quia limitatio ista a Marchantio invecta, fundatur in confusione inter jurisdictionem *dubiam* et *probabilem.* 5. Demum, si haec quaestio *practice* spectetur, sententia ista limitans inutiliter secundae communissimae opponitur; quia gravis causa, imo et iis gravior quas S. Alphonsus post Sporer rationabiles ac sufficientes existimat, in praxi nunquam deerit.

Ad haec autem objecta, respondebimus: 1. Perpenduntur quae P. Ballerini circa *primam* sententiam negantem dicit. 2. Pro *tertia* sententia, S. Doctor recte allegat *Elbel* et

1) In altera edit. pag. 346.

Suarium. 3. Confutantur asserta cl. Professoris *de origine et falso fundamento* ejusdem sententiae. 4. S. Alphonsus optimo jure docet, tunc tantum *licitum* esse uti jurisdictione probabili, quando adest *causa gravis, aut saltem justa et rationabilis*. 5. Haud recte affirmat cl. Ballerinius, *quoad praxim*, praefatam limitationem inutiliter a S. Doctore appositam fuisse.

Articulus 1.

Perpenduntur quae cl. Ballerinius circa primam sententiam negantem dicit.

In solvendo dubio: « An liceat absolvere cum jurisdictione probabili? » *P. Gury* ait: « Resp. Cum S. Alphonso, Lib. 6. n. 573.: *Sententia communis docet, licitum esse absolvere....* »

Quocirca P. Ballerini sequentia advertit: « E tribus sententiis, quas de » hac re S. Alphonsus (l. c.) recenset, » hanc secundo loco ponit. *Prima,* » quam ipse tribuit Concinae, Antoine et Elizalde, negat licere, *quia* » *ex Propos. 1. damnata ab Innoc. XI., in administratione Sacramentorum non licet uti opinione probabili, ne Sacramentum exponatur periculo frustrationis.* » Hanc porro prorsus rejicit *(ibid.)*, » et advertit cum Viva, Wigandt et » Gonet, quod *propositio loquitur* » *de opinionibus circa ea, in quibus* » *nihil potest Ecclesia..., non vero* » *circa jurisdictionem, quae bene* » *ab Ecclesia suppleri potest: et moraliter certo praesumitur suppleri* » *in hoc casu, ob bonum animarum.* » Huc faciunt illa Croix (Lib. 6. p. 1. » n. 117.): *Quandocumque datur opinio probabilis.... pro jurisdictione....., communissima sententia* » *est cum Suar., Kon., Fill., Regin., Less., Bonac., Diana, Aversa, quod* » *etiam tum suppleat Ecclesia..., si* » *forte absit jurisdictio. Et hoc in* » *praxi tutum, aut moraliter certum esse dicunt Sanchez, Verricelli, Dicast., Tamb., Carden.,* » *Arsdekin, Sporer, Gormaz, Stoz,* » *Laurentius.* »

I. Ait itaque cl. Professor, *primam* sententiam a S. Alphonso *tribui* Concinae, Antoine et Michaeli Elizalde: quo innuere videtur, rem non omnino sic se habere.

1. At vero praefati tres Auctores utique hanc sententiam tenent; et in primis *Concina*[1] fuse ac strenue eam propugnat, hanc adducens rationem, quod cum patet aditus ad habendam jurisdictionem certam, *nequaquam praesumi potest, supplere Ecclesiam,* quae nonnisi in necessariis succurrit, ut saluti periclitanti filiorum praesidium afferat.

2. Porro, etiam plures Auctores antiquiores, quos citat *Joannes Sancius,*[2] censuerunt, Ecclesiam non supplere. Ait enim: « Quamvis verisimile sit, Summum Pontificem conferre jurisdictionem utenti opinione probabili, *id tamen certum non est,* cum viri maxime sapientes oppositum censeant, in sui auxilium adducentes Cardinalium declarationes, quas refert *Garcia;*[3] et illam docent ipse *Garcia,*[4] *Guttierez,*[5] *Zerola,*[6] *Sorbo,*[7] *Rodriquez,*[8] *Vega,*[9] *Aegidius,*[10] *Vasquez.* »[11]

3. Item Salmanticenses[12] citant *Didacum Nugnum, Joannem de Salas, Peregrinum,* et *Philippum de SS. Trinitate,* negantes, absolvere licere, quando sub opinionum probabilitate est, an Confessarius habeat jurisdictionem, et alius haberi possit certa jurisdictione praeditus.

4. *Tamburini, S. J.,*[13] quaestionem proponit: « An Sacerdos, ex opinione probabili putans, se posse mini-

1) De poenit. lib. 2. diss. 2. c. 5. — 2) Disp. 44. n. 10. — 3) 1. Tom. de beneficiis, part. 5. c. 8. n. 87. et 132. — 4) Ibid. — 5) Quaest. canon. lib. 1. c. 27. — 6) In praxi poenitentiali, c. 16. q. 3. — 7) In Compend. mendicantium, V. *Absolutio;* in Resolutionibus absolutionum, pag. 62. — 8) In explicat. Bullae Cruciatae, §. 9. n. 5. — 9) In respons. Casuum consc. part. 4. cas. 20. — 10) De Sacram. tom. 2. disp. 8. n. 52. — 11) Tom. de poenit. q. 93. art. 3. dub. 4. n. 1. et 3. — 12) De poenit. c. 11. n. 73. — 13) De poenit. c. 4. §. 8. n. 1.

strare Sacramentum Poenitentiae..., valide administret? » – et licet sententiae affirmativae adhaereat, dicit: « *Negative* respondent non pauci, ut *Salas*, [1] *Joannes Sancius*, [2] *Suarez*, [3] *de Lugo*, [4] *Oviedo*, *Bardi*, *Marchantius*, *aliique apud Verricellium* mox citandum ; ita ut non nemo ex illis dicat, contrariam opinionem esse valde dubiam, non nemo autem, nullo fundamento probari. »

II. Textum ex *Claudio Lacroix*, *S. J.*, allegat P. Ballerini; sed *conditiones* omittit, quas Croix l. c. addit, ut prudenter judicari possit, Ecclesiam supplere, quando est ejusmodi opinio probabilis, praeter potestatem supplendi.

Ait namque Croix: « 1°. Ut opinio dicens, adesse potestatem vel abesse impedimentum, sit *certo et absolute probabilis*, et velut talis communiter admittatur a viris sapientibus.... 2°. Ut praxis operandi secundum talem opinionem probabilem, *non sit contra stylum Curiae Romanae*.... 3°. Ut opinio probabilis sit *circa communem quaestionem juris*, et non pure facti privati.... 4°. Ut sit *rationabilis causa* operandi secundum talem opinionem, secundum dicta n. 109. » Ubi dixit: « Nam non operatur prudenter, si absque causa omittat tutiora. »

Articulus 2.

S. Alphonsus pro tertia sententia recte allegat Elbel et Suarium.

S. Doctor, sententiam suam exponens, ait: « Tertia sententia, quam » amplector,... dicit, licitum quidem » esse ministrare hoc Sacramentum » Poenitentiae cum jurisdictione pro- » babili, sed nonnisi quando adest » *causa gravis necessitatis aut ma-* » *gnae utilitatis*, ut ajunt *Elbel* et » Wigandt, vel *causa rationabilis*, » ut inquiunt *Suarez* et Sporer... »

I. Quocirca P. Ballerini primum adnotat: « *Elbel* (Conf. XII. n. 311.) » non exigit *causam gravis necessi-* » *tatis*, sed *justam et gravem cau-* » *sam*. »

1. *Elbel*, l. c. scribit: « Cum multi DD. de hoc dubitent, simulque aliunde notum sit, ubi de valore Sacramenti agitur, consulto ac studiose sequenda esse tutiora; hinc cum P. Sporer, [5] Marchantio, [6] Bardi, Joanne Sancio, Gobat, Babenstuber, [7] et aliis pluribus censeo : *sine gravi causa*, praesertim quando obtineri posset jurisdictio certa, aut Confessarius certa jurisdictione praeditus, nunquam esse absolvendum cum sola jurisdictione probabili; non enim supponi potest, aut debet, Ecclesiam supplendo jurisdictionem velle connivere merae libertati, vel etiam praesumptioni cujuslibet Sacerdotis, sed *solum congruae necessitati vel utilitati fidelium*, tunc videlicet, quando Sacerdos utitur jurisdictione probabili *ex justa causa magnae utilitatis aut necessitatis*, item quando de facili obtineri non posset jurisdictio certa. »

2. *Wigandt* [8] autem a S. A. una cum Elbel allegatus, dicit: « Probabilius est, quod *in casu necessitatis* etiam non extremae, sed *gravis*, valide absolvat Sacerdos cum jurisdictione tantum probabili, id est, quam probabiliter putat se habere, licet revera non habeat. »

3. Recte ergo citat S. Doctor; nam causa *gravis necessitatis* ad Wigandt, et *justa causa magnae utilitatis aut necessitatis* ad Elbel spectat. – Et hujusmodi quisquilias proferre P. Ballerini non dubitat!

II. Cl. Professor insuper advertit: « *Suarez nihil ejusmodi habet.* » – Sed habet utique, et quidem claris ac disertis verbis.

1. Etenim, *Disp. 26. sect. 6.* de hac quaestione tractans, dicit: « *N.6.* Propter hanc difficultatem videri for-

1) P. 2. t. 1. tr. 8. de consc. sect. 27. n. 286. et alibi. — 2) In Select. disp. 44. n. 3. — 3) De poenit. disp. 26. sect. 6. n. 8. — 4) De poenit. disp. 19. n. 29. *Dubitans*, etc. — 5) Num. 717. — 6) Tr. 7. tit. 3. q. 4.— 7) Tr. 8. p. 6. disp. 6. art. 3. n. 8. — 8) Tr. 13. exam. 5. n. 91.

tasse alicui potest, per se loquendo, illum ordinem necessario esse servandum, ut si possit haberi minister, certam et indubitatam habens jurisdictionem, ille eligatur: si autem ille haberi non possit, tunc possit alius eligi, qui juxta opinionem probabilem, jurisdictionem habeat, ita tamen ut securius, atque adeo, quod probabilius est, eligatur. Dico autem, *per se loquendo;* quia, si *aliqua gravis causa* intercederet, posset interdum prudenter hic ordo immutari: quia illa certitudo, aut securitas intelligenda videtur moraliter, ac ceteris paribus. Et hic quidem dicendi modus est securior et certior. - Arduum tamen, et praeter consuetudinem, etiam timoratorum virorum, esse videtur, omnes homines ad hoc obligare. Et ideo, ad expediendam aliter difficultatem positam, duae viae excogitari possunt, quibus defendamus, non obstante diversitate opinionum circa jurisdictionem, semper esse certum practice, Sacramentum validum fieri: hoc enim necessarium esse videtur ad recte solvendam difficultatem positam. »

« *N.* 7. Primus ergo modus dicendi esse potest: hoc ipso, quod minister, juxta probabilem Doctorum sententiam, censetur habere jurisdictionem ad ministrandum hoc Sacramentum, *quandocumque* illa utitur, re vera illam habere ex tacita Ecclesiae concessione.... Sic ergo in praesenti, quia probabilis opinio sufficit ad hanc communem existimationem, *verisimile est, Ecclesiam supplere defectum,* si fortasse aliquis in re manet... Et confirmatur ex universali Ecclesiae consuetudine, quae est sufficiens signum jurisdictionis, ut supra dictum est. Est autem universalis Ecclesiae usus, ut Sacerdotes secure utantur hujusmodi jurisdictione, in administratione hujus Sacramenti. Secundo confirmatur; quia ad convenientem et prudentem Ecclesiae gubernationem pertinet, ut non permittat, Sacramentum tam necessarium frequenter esse incertum et dubium, quantumcunque existat sub opinione probabili... Ergo, cum Ecclesia possit subvenire huic incommodo, et tollere hanc incertitudinem dando jurisdictionem, verisimile est hoc in casu illam conferre. »

« *N.* 8. Est quidem hic dicendi modus *probabilis, non tamen certus;* et hoc ipso non omnino tollit dubium, nec dat rei certitudinem, quam quaerimus. Et ideo alius modus dicendi est: in omni confessione, quae fit hujusmodi ministris, *semper intervenire materiam aliquam, circa quam habeant certam et indubitatam jurisdictionem, scilicet, aliqua peccata venialia;* et hoc satis esse, ut confessio bona fide facta semper sit rata, ita ut, data absolutione, verum conficiatur Sacramentum, etiamsi contingeret, opinionem probabilem, in qua fundatur Confessor ad audiendam talem confessionem, in re ipsa falsam esse... Sacramentum factum re vera tenebit, quamvis per illud non tam per se, quam per accidens remittentur peccata mortalia, si re vera minister super illa jurisdictionem non habuit; et si postea, quacumque ratione et via hoc certo constaret, deberet poenitens illa iterum confiteri; tamen ad tollendum morale periculum satis est, quod sit moraliter certum, Sacramentum ipsum perfici et justificare hominem, si dispositus sit... »

Et tandem *n.* 9. concludit: « Haec via mihi videtur vera; nam principium, in quo fundatur, est satis certum. Ac denique, si haec omnia conjungantur, efficiunt sufficientem moralem certitudinem, ut propterea licitum sit uti opinione probabili in usu hujus jurisdictionis. *Semper tamen ego admonerem* tam ministros, quam poenitentes, ut *certiori,* vel *saltem probabiliori via* uterentur, *nisi aliqua causa gravis vel rationabilis urgeat.* »

2. Cum ergo Suarez *certiorem aut saltem probabiliorem* dicat sententiam, *non licere* cum jurisdictione probabili Sacramentum Poenitentiae

ministrare illudque periculo frustrationis exponere, *nisi aliqua causa gravis vel rationabilis urgeat:* S. Doctor ipsum optimo jure pro tertia sententia allegat. Quivis namque auctor, qui sententiam aliquam probabiliorem dicit, recte pro ea citatur, etiamsi oppositam probabilem censeat.

Articulus 3.

Confutantur asserta cl. Ballerinii de origine et falso fundamento tertiae sententiae.

Pergit P. Ballerini in suis adnotationibus: « *Primus, ut videtur,* » *S. Alphonsus fuit,* qui hanc praecedentis seu secundae sententiae » (prout ipse eam appellat) *limitationem* ceu quandam *tertiam* sententiam a secunda diversam distincte proposuit. – Verum (si theoretice res spectetur) dum haec ipsa » tamquam secundae opposita exhibetur, *enervari* forte cuipiam potius videbitur. [1] Nam si praecedens » sententia, ipso fatente, *communis* » est, imo *communissima,* et *tutissima,* et *moraliter certa* a Theologis primae notae habetur et dicitur, quid enimvero deferri poterit *oppositae opinioni, quam, nemine praeeunte, Marchant* (Tom. 1. tr. 2. q. 4.) *invexit, et Sporer* (de Poen. n. 718.) *nonnisi praesidio trium falsarum allegationum denique communivit,* nempe Francisci Bardi, Joan. Sanchez et Georgii Gobat *(quarta itidem falsa allegatio Suarezii apud S. Alphonsum additur)* qui nihil tale docuerunt? »

I. Advertit ergo cl. Professor, *S. Alphonsum,* ut videtur, *primum* fuisse, qui secundae sententiae *limitationem* ceu quamdam *tertiam* proposuit. – Quid sibi velit hac observatione, non comprehendimus. Cum multi et graves DD. propositioni generaliter affirmanti, absolvere licere cum jurisdictione probabili, conditionem necessitatis aut justae et rationabilis causae addiderint; S. Doctor noster apposite, clarioris sane dispositionis gratia, hanc limitationem ceu tertiam sententiam distinxit. Et illa propositio *generaliter affirmans,* opposita *generaliter neganti,* utique sententia communis est, ut dicit S. A.; at vero sententia id licere *indistincte* sine ulla necessitate aut causa rationabili, nequaquam communis et tanto minus communissima est, ut ex seq. Art. patebit.

II. Nec verum est, *Petrum Marchantium* primum fuisse, qui « *nemine praeeunte* » istam limitationem invexit. Etenim,

1. *Antiquiores illi DD.,* a Sancio [2] citati, qui negabant Ecclesiam supplere, consequenter censuerunt, non licere absolvere cum jurisdictione probabili, praeter casum necessitatis.

2. *Suarez,* ut vidimus, [3] sententiam, non licere, nisi necessitas aut justa et rationabilis causa urgeat, certiorem aut saltem probabiliorem judicavit.

3. Idem dicit *Reginaldus, S. J.,* [4] (an. 1615.), Suarium citans: « Quamquam, quia in re tanti momenti convenit tenere certum, et relinquere incertum, bene monet idem Auctor: *nisi gravis rationabilisque causa urgeat,* tam Confessario quam poenitenti utendum semper esse illa meliori ac tutiori via, ut Confessarius certam aut probabiliorem habens jurisdictionem, praeferatur dubiam aut minus probabilem habenti. »

4. *Coninchius, S. J.,* in seq. Art. allegandus, anno 1616. (ergo etiam ante Marchantium, qui an. 1643. scripsit) absolute docuit, non licere absolvere, nisi adsit congrua aliqua necessitas.

1) In altera edit. pag. 347. haec propositio sic legitur: « *Verum, si theoretice res spe-* » *ctetur, ista sententia, hoc ipso quod secundae opposita censetur, infirmior forte vi-* » *deri debet.* »

2) Cfr. supra, pag. 487. n. 2. — 3) Pag. 489. in fin. — 4) Praxis Lib. 1. n. 103.

5. Sententiam *Joannis Sancii*, qui anno 1639. scripsit, modo exponemus.

III. Subjungit P. Ballerini, *Patritium Sporer* sententiam Marchantii « nonnisi praesidio *trium falsarum* » *allegationum* communivisse, nempe » *Francisci Bardi, Joannis Sancii* » et *Georgii Gobat*, qui nihil tale » docuerunt. »

1. *Sporer* [1] justas causas enumerat, quas sufficientes censet ad utendum jurisdictione probabili. Quibus expositis, subdit: « Hujusmodi autem justis seu rationabilibus causis seclusis, dico: Cum sola jurisdictione probabili, relicta certa facile habenda, *absque ulla rationabili causa, ex mera libertate*, absolvens (sicut et scienter se absolvi faciens) peccat mortaliter, saltem contra charitatem. Sic recte *Marchantius,* [2] *Franciscus Bardi, Joannes Sanchez,* eosque sequens *Gobat* n. 115. »

In praecedenti *num. 716.* autem, ubi quaestionem proposuit, an Sacerdos, *ex opinione vere probabili,* valide et licite Sacramentum Poenitentiae ministrare et poenitentem absolvere possit, dicit: « *Negant simpliciter multi DD.,* Vasquez, Coninck, Rodriquez, alii, et saltem probabiliter Suarez, Salas, Bardi, Oviedo *apud Dianam* [3] *qui addit, hanc sententiam in praxi non esse deserendam. Lugo* [4] *subdubitat.* »

2. *Joannes Sancius,* ut ex textu supra allato [5] patet, *pro certo non habet, Ecclesiam supplere.* - Eodem loco quaestionem examinat, an contra Religionem peccet et sacrilegium committat, qui *opinione probabili* utitur in ministrandis Sacramentis, sive a solo Christo, sive ab Ecclesia in jurisdictionis collatione eorum validitas pendeat: et sic distinguit. Ex principiis *intrinsecis* dicendum esse, *sacrilegium committi,* quoties in administratione, via certa pro dubia *sine causa* commutatur. Ex principiis *extrinsecis* autem *negandum*, quia plures arbitrantur, in materia Sacramentorum opinione probabili uti licere. [6] Attamen Confessarium in administratione Sacramenti Poenitentiae, inscio poenitente, opinione probabili utentem, contra charitatem et justitiam peccare. Et subjungit: « *Nec prudenter agit, qui viam certam ad aliquid operandum deserit, et absque causa dubiam seu incertam eligit.* »

3. *Gobat, S. J.,*[7] sententiam *affirmativam* ejusque fundamentum adfert, scilicet Ecclesiam seu Summum Pontificem jurisdictionem eodem modo supplere, quo supplent in errore communi; et subjungit: « Tametsi data responsio est probabilissima, haud tamen possum integre assentiri Raslero pronuntianti, esse moraliter certam; *opposita enim est vere probabilis propter numerum, gravitatem et rationes Auctorum,* vel adhaerentium illi, vel habentium illam pro probabili. »

Unde concludit *n. 115:* « Hinc infero, *peccare, per se loquendo,* saltem contra charitatem, illum confessarium, qui absolvit poenitentem, sequendo opinionem de sua jurisdictione minus tutam, si opposita sit probabilis, nisi *prudenter* credat, talem absolutionem esse non ingratam ipsi poenitenti, aut *alia peculiaris ratio* suadeat sectationem mitioris. *Atque ita sentiunt Marchant, Bardi, Joan. Sanchez, Oviedus,* contra plures alios. Ratio est, quia nequit adferri causa, cur ex omnium sententia delinquat graviter contra charitatem proximo debitam, qui in ceteris Sacramentis administrandis utitur materia aut forma probabiliter ineptis, dum potest adhibere certo idoneas, et non etiam delinquat in hoc nostro casu. - Dixi autem: *per se loquendo* tunc peccari; nam *per accidens* fit, ut Deus talem administrationem non reputet in peccatum,

1) De poenit. n. 717.— 2) Cit. tr. 2. tit. 3. q. 4. — 3) P. 8. tr. 7. res. 5.— 4) Disp. 19. Poenit. a num. 29. — 5) Pag. 487. n. 2. — 6) Sed hanc sententiam postea damnavit Innocentius XI. in prop. 1. jam pluries commemorata. — 7) Tr. 7. n. 113.

quia scilicet permulti DD. probabilissime negant, intervenire ullum hic delictum; atqui non peccat coram Deo exercens actionem, quam probabilissima sententia negat esse peccaminosam, seu asserit, esse licitam omnibus consideratis. »

Articulus 4.

S. Alphonsus optimo jure docet, tunc tantum licitum esse uti jurisdictione probabili, quando adest causa gravis aut saltem justa et rationabilis.

S. Doctor, ut vidimus, refert secundam sententiam communem, quae docet « licitum esse absolvere cum » probabili jurisdictione, *modo opinio sit vere probabilis, gravi fulcita ratione et auctoritate.* » - Hanc autem sententiam ipse limitat, dicendo: « *Tertia* sententia, *quam amplector,....* dicit, *licitum* quidem » esse ministrare hoc Sacramentum » Poenitentiae cum jurisdictione probabili, sed *nonnisi quando adest causa gravis necessitatis* aut *magnae utilitatis,...* vel causa *rationabilis...* Ratio hujus limitationis » est, quia, licet *Ecclesia* eo casu, » ob bonum animarum bene censeri » possit *jurisdictionem supplere;* tamen non praesumitur, *nulla justa causa accedente,* velle connivere » merae libertati Sacerdotum... »

Cl. Ballerinium jam audivimus Auctoritates a S. Doctore pro tertia sententia adductas, impugnantem. Sed ulterius progrediens, ad ipsam penitus infirmandam, alia adhuc objicit, nempe: I. Praefata limitatio adversatur *universali consuetudini contrariae,* testantibus *Suario, Lugone,* et ipso *S. Alphonso;* II. Contra se habet *communissimam DD. sententiam;* III. Fundatur in *confusione* a Marchantio invecta inter jurisdictionem *dubiam* et *probabilem;* IV. Sufficit jurisdictio probabilis, absque praefata limitatione; hoc enim, secundum *Suarez,* pertinet ad prudentem et convenientem Ecclesiae gubernationem; et sic, juxta *Croix,* exigit Christi institutio. Admissa namque praedicta limitatione, Sacramentum tam necessarium non solum frequenter esset *incertum et dubium;* sed insuper ejusdem administratio evaderet *odiosa, scrupulisque ac difficultatibus obnoxia.* - Singula igitur examinanda sunt.

I. Pergit itaque cl. Professor: « Et quidem hujus causae infirmitas » exsurgit et proditur ex eodem il- » lo principio, quod communissi- » mae prioris sententiae fundamen- » tum est, *ex consuetudine nimirum* » (verba sunt S. Alphonsi) *fere* » *omnium confessariorum absolven-* » *di cum jurisdictione probabili.* » Hanc sane consuetudinem sic testa- » tur *Suarezius* (de Poen. disp. 26. » sect. 6. n. 6.): *Arduum tamen est,* » *et praeter consuetudinem etiam* » *timoratorum virorum esse vide-* » *tur, omnes homines ad id obliga-* » *re,* scilicet, *ut, si possit haberi,* » *minister eligatur habens certam* » *et indubitatam jurisdictionem.*

» Eandem consuetudinem sic testa- » tur et *Card. de Lugo* (de Poen. » disp. 19. n. 34.): *Usus plane omnium* » *Confessariorum hoc habet, ut am-* » *plectantur sententias probabiles* » *circa absolutionem a censuris vir-* » *tute Bullae Cruciatae, vel Jubilaei,* » *vel alterius facultatis: et ita absol-* » *vunt, non imponentes, quod ante* » *mortem faciant se iterum absolvi* » *ab alio, qui habet certam potesta-* » *tem... Cum ergo ex hoc usu commu-* » *ni omnium sequatur manifestum* » *periculum omnium poenitentium,* » *qui existimantes se jam absolutos,* » *non curant amplius de absolutio-* » *ne ab illa censura, et remanerent* » *incapaces absolutionis sacramen-* » *talis, fatendum est, Ecclesiam,* » *propter hunc communem errorem,* » *ad impedienda illa damna confer-* » *re jurisdictionem, vel certe sen-* » *tentias illas, in quibus fundatur* » *illud periculum, non esse veras.*

» Sed et ipse *S. Alphonsus* (cit. » n. 573.) de universali ejusmodi

» consuetudine haec habet: *In Ec-
» clesia adest universalis consuetu-
» do fere omnium Confessariorum
» absolvendi cum jurisdictione pro-
» babili, ut testantur communiter
» Suarez, Lugo, Cardenas, Arria-
» ga, Diana, Croix, et omnes alii
» Auctores citati pro hac sententia.
» Communis autem sententia Docto-
» rum fundat moralem certitudinem
» de praefata consuetudine.*

» Porro, en argumentum, quod
» exinde ducit *(ibid.)* ipse S. Alphon-
» sus: *Posita igitur ut certa hac
» consuetudine, certum est, licitum
» esse Sacramentum ministrare cum
» jurisdictione probabili; cum ipsa
» consuetudo jurisdictionem prae-
» beat, prout docent Suarez, Na-
» varrus, Barbosa, Cardenas, Qua-
» ranta, Pelizzarius; idque probant
» ex jure Canonico,* etc. – Quod idem
» sic brevius adhibet *Suarezius* (l. c.
» n. 7.): *Et confirmatur ex univer-
» sali Ecclesiae consuetudine, quae
» est sufficiens signum jurisdictio-
» nis, ut supra dictum est. Est au-
» tem universalis Ecclesiae usus, ut
» Sacerdotes secure utantur hujus-
» modi* (scilicet probabili) *jurisdi-
» ctione in administratione hujus
» Sacramenti.* »

1. Quid proprie *Suarez* circa hanc quaestionem doceat, supra vidimus (pag. 488. art. 2. ad II.).

2. *Lugo, S. J.,*[1] autem quaestionem proponit: « *An sufficiat jurisdictio delegata, dubia vel probabilis, ad ministrandum hoc Sacramentum?* » et *n. 29.* dicit: « Difficultas tota est, quando est sub opinione, an Confessarius habeat jurisdictionem, quibusdam affirmantibus, quibusdam negantibus, et *utrisque probabiliter:* in quo casu *P. Suarez*[2] dicit, *securius* esse quaerere Confessarium habentem *certam* potestatem: concludit tamen, *licitum* esse, tam ex parte Confessarii, quam ex parte poenitentis, ministrare et recipere hoc Sacramentum cum jurisdictione probabili. » – Et exposita duplici ratione, quam Suarez adfert, pergit: « De soliditate hujus fundamenti adhuc dubitat Salas;[3] quia utrumque illud caput non est certum, sed sub opinionum diversitate: ergo semper relinquetur dubius valor Sacramenti, et per consequens poenitens periculo exponitur damnationis, si forte opiniones illae non sint verae. » – Ergo hanc sententiam Lugo ea ratione tutissimam censet, quia proximus nulli aut certe exiguo periculo exponitur, etiamsi Ecclesia non suppleat, nec Confessarius indirecte poenitentem a peccatis mortalibus absolvere valeat. Quod utique *probabile* censet, quia jam in prooemio altèram sententiam aeque probabilem esse concessit. Sed haec ratio solummodo probat, Confessarium *non peccare contra charitatem* erga proximum, aut saltem non graviter delinquere.

Deinde *n. 31. 32.* et *33.*, Lugo quaestionem examinat, utrum, si confessio fit in mortis periculo, et dubium sit de potestate Confessarii circa aliquod peccatum *reservatum sine censura,* Confessarius amplecti posset opinionem probabilem dantem illi jurisdictionem circa illud peccatum. – Et demum *n. 34.*, loco a P. Ballerini citato, quaerit, utrum idem valeat, quando de peccato *reservato cum censura* agitur; quatenus plures DD. sentiunt, excommunicatum, durante excommunicatione, non posse recipere validum Sacramentum Poenitentiae?

3. In quantum denique *S. Alphonsus* dicit, « in Ecclesia adesse univer-
» salem consuetudinem fere omnium
» Confessariorum absolvendi cum ju-
» risdictione probabili », *generatim* loquitur, non distinguendo, utrum Confessarii sine ulla necessitate aut causa rationabili absolvant, an cum hac limitatione. Quod clare ex eo patet, quia deinde *tertiam* sententiam

1) De poenit. disp. 19. sect. 2. — 2) Disp. 26. sect. 6. n. 6. et sequentib. — 3) In 1. 2. q. 21. tr. 8. disp. unica, sect. 10. n. 101. et sect. 27. n. 286. et 287.

adfert, hanc limitationem docentem, et ipsi adhaeret.

II. Dein P. Ballerini sic prosequitur: « Praestituta porro communi » hac et certa doctrina, *jam facile* » *per se corruit quidquid Sporer et* » *Elbel post suum Marchant adstru-* » *xerunt,* quasi scilicet Ecclesia tri- » buere jurisdictionem non velit, nisi » ad usum probabilis jurisdictionis » causa cogat ab eis excogitata ali- » cujus necessitatis aut utilitatis, etc. » Ex praemissis enim, jurisdictio » consequitur universalem consuetu- » dinem. *Atqui universalis consue-* » *tudo, qualis per communissimam* » *sententiam nobis exhibetur,* et » qualis jam extabat vel antequam » Marchantius nasceretur (ut patet » ex Lessii, Suarezii, Sanchezii, etc. » testimonio), ad probabilis jurisdi- » ctionis licitum usum *nuspiam gra-* » *vem illam necessitatis seu magnae* » *utilitatis causam requisivit.* Ergo » sine causa Sporer et Elbel timorem » injecerunt, ne, deficientibus forte » istiusmodi causis, periculo frustra- » tionis ob defectum jurisdictionis » Sacramentum exponatur, atque » adeo probabilis jurisdictionis usus » propter hanc rationem evadat illi- » citus... »

Sed minime admittenda sunt quae cl. Professor hic asserit. Nequaquam enim *communissima* est sententia, quod, *sine ulla necessitate, aut causa justa et rationabili,* cum jurisdictione probabili absolvere liceat; *nec verum est, talem consuetudinem DD. communissime testari.* – Quod ut clarius pateat, Auctoribus jam citatis, qui *congruam necessitatem* aut *causam rationabilem* requirunt, aliquos alios addere juvat.

1. Sic *Coninchius, S. J.,* [1] dicit: « *Concl. I.* Quando quacumque ratione est vere incertum, an confessarius habeat *veram* jurisdictionem in ullum peccatum ex iis, quae poenitens confitetur; *non videtur unquam licite dari absolutio.* Quia, cum Sacramentum essentialiter pendeat a jurisdictione confessarii, quando haec dicto modo est incerta, absolvens exponit se probabili periculo conferendi Sacramentum invalide; quod, *extra casum magnae necessitatis,* sacrilege fit: ut communiter Doctores fatentur: et per se patet. Hic autem non videtur posse occurrere ulla necessitas; quia poenitens semper potest confiteri aliqua venialia aut mortalia, quae semel confessus est, in quae confessarius habet certam jurisdictionem: nisi contingat, eum post confessionem unius peccati mortalis statim amittere sensum, et incidere in periculum mortis; quo casu certum est, sacerdotem habere jurisdictionem in omnia peccata. Quare in sequentibus conclusionibus solum loquemur de casu, in quo sacerdos habet certam jurisdictionem in aliqua peccata poenitentis. »

« *Concl. II.* Quando sacerdos est *moraliter quasi certus,* se habere veram jurisdictionem in *omnia* peccata confitentis, *etiamsi de aliquibus paululum dubitet,* licite absolvit. Quia, secundum communem Doctorum sententiam, cum tali scientia licite operamur. Quia alias vix unquam possemus aliquid facere. Nam in plurimis rebus passim occurrentibus, non possumus habere majorem certitudinem. Haec autem maxime vera sunt, cum in eo casu omnino certum sit, eum habere jurisdictionem in aliqua peccata, et consequenter Sacramentum esse validum. »

« *Concl. III.* Quoties sacerdos *vere dubitat,* an habeat *veram* jurisdictionem in *omnia* peccata poenitentis, *nunquam licite absolvit, nisi occurrat aliqua necessitas.* Ita P. Suarez. [1] Et ratio est, quia hoc fit cum aliqua irreverentia ipsius Sacramenti. Nam si revera non habeat jurisdictionem in aliqua peccata, ipse ab iis solum absolvet indirecte; quod est contra integritatem in hoc Sacramen-

1) De poenit. disp. 8. n. 41–44. — 2) Disp. 26. sect. 6.

to requisitam, quam tenetur procurare tam ipse, quam poenitens, quantum commode possunt. »

« *Concl. IV.* Quando sacerdos jam ante *bona fide* credidit, se habere jurisdictionem in omnia peccata, quae poenitens ei confitetur, et jam *incipit dubitare,* an eam habeat, *tenetur antequam ea jurisdictione utatur, adhibere diligentiam, ut veritatem cognoscat,* quantum hic et nunc fieri potest; qua adhibita, si res adhuc maneat dubia, si absolvat, non peccat usurpatione alienae jurisdictionis: quia, cum hanc jam inceperit bona fide possidere, non tenetur se abdicare, donec ei aliquo modo constet, se eam non habere. Exigit tamen reverentia Sacramenti, ut quando *nulla* eum *necessitas* compellit ad audiendas confessiones, *ab iis abstineat:* quia alias, sine causa exponit se periculo, ne a multis peccatis solum indirecte absolvat, quod *sine rationabili causa* non est faciendum. »

Et in fine addit: « Nota. Quo probabilius est sacerdotem habere jurisdictionem, eo minorem necessitatem sufficere, ut licite absolvat. Atque ita in priore casu quartae conclusionis, nisi occurrant graves valde rationes dubitandi, non ita magna requiretur necessitas, ut sacerdos possit licite absolvere. »

Sententia igitur *Coninchii* haec docuit. Confessarius *moraliter quasi certus* esse debet, se habere *veram* jurisdictionem in omnia peccata confitentis, etiamsi de aliquibus paulum dubitet, ut ipsi *sine necessitate aut causa rationabili* poenitentem absolvere liceat. Et quidem *directe certus* esse debet, non autem ex principio reflexo, scilicet, quod opiniones solide probabiles amplecti liceat. Dicit enim *veram jurisdictionem*, et non tantum probabilem; et nec *consuetudinem* commemorat, propter quam Ecclesia suppleret, nec admittit, Confessarium propter certam jurisdictionem, quam in *venialia* habet, licite poenitentem absolvere posse, *nisi adsit causa rationabilis.*

2. *Collet*[1] pariter dicit: « *Fatentur omnes,* neminem jurisdictione tantum probabili uti posse *citra gravem causam.* »

3. Item *Gonet:*[2] « Quaeres, utrum ministrans Sacramentum cum jurisdictione tantum probabili, valide absolvat? Respondetur, validam esse absolutionem, si Sacramentum ministret *in casu necessitatis....* Dixi, si ministret in casu necessitatis, *quia nunquam Ecclesia supplet jurisdictionem, nisi sit necessitas.* »

4. *Henno*[3] quaestionem proponit: « An liceat uti jurisdictione probabili, et an Ecclesia suppleat defectum jurisdictione carentis? » et duas conclusiones habet:

« Conclusio I. *Nullo casu licet uti jurisdictione probabili, sine sufficienti necessitate.* Ratio clara est; quia exponitur Sacramentum periculo nullitatis, fitque gravis injuria poenitenti. Dixi: *sine necessitate;* sub qua non comprehendo articulum aut periculum mortis, cum tunc quilibet Sacerdos, approbato deficiente, habeat jurisdictionem certam; sed cum quis v. g. peccato gravatus non posset per annum integrum confiteri; vel etiam si debeat mercator iter satis periculosum conficere, vel Sacerdos indispensabiliter celebrare, nec tamen reperiatur, qui habeat jurisdictionem certam; vel si reperiatur, non expedit tamen ipsi confiteri propter rationes justas et fundatas, v. g. quia cognosceret complicem, quia revelaret sigillum, aut excitaret poenitentem ad peccatum, aut excitaretur ipsemet. His autem casibus et similibus, non exponeretur Sacramentum periculo nullitatis; quia utentis ex justa causa jurisdictione probabili defectum supplet Ecclesia, conferendo ipsi pro illo actu jurisdictionem, si non habeat. »

« Conclusio II. *Ecclesia non sup-*

1) De poenit. p. 2. c. 7. n. 145. — 2) T. 5. disp. 9. n. 47. — 3) De poenit. disp. 8. q. 5.

plet jurisdictionem illius, qui revera illam non habet, si vel sine causa, vel relicta certa, utatur jurisdictione probabili. Ratio est; quia nemini Ecclesia patrocinatur in iis, quae sunt irrationabilia: irrationabile autem est, quod quis pro suo libitu, et ex praesumptione suae opinionis amplectatur jurisdictionem forte falsam: *unde hoc condemnavit Innocentius XI.,* dum proscripsit usum sententiae probabilis, relicta tutiori, quando agitur de valore Sacramentorum. »

5. Similiter *Holzmann:* [1] « Quaeres, an liceat quempiam absolvere cum jurisdictione de se vere probabili? Respondetur, licere, si una concurrat *titulus coloratus, vel necessitas aliqua, saltem congrua;* secus non licere. »

6. Nec aliter *Billuart:* [2] « *Probabile* est, esse licitum et validum uti jurisdictione probabili, *urgente aliqua gravi causa.* »

7. *Amort* [3] quaerit: « An ad licite absolvendum sufficiat approbatio probabilis seu dubia? Respondeo: *Non sufficit.* Ratio est, quia probabilitas approbationis non tollit periculum nullitatis in absolutione; quia non eo ipso Ecclesia confert aut supplet prudenter defectum approbationis, quod quis habeat probabilem rationem de approbatione. Ergo, cum nunquam licet Sacramentum, extra casum necessitatis, exponere periculo nullitatis, nec licebit, *extra casum gravis necessitatis,* uti approbatione praecise probabili. »

8. *Cuniliati* [4] similiter dicit: « *Longe probabilius est, mihique verum,* graviter peccare Confessarium illum, qui, approbatione et jurisdictione tantum probabili, *extra necessitatis casum,* audet ministrare Sacramentum. Quia absque necessitate exponit Sacramentum periculo nullitatis; cum enim jurisdictio sit dumtaxat probabilis, sicut probabile est, quod illam habeat; ita quoque probabile, quod illam non habeat. *Et hic defectus ab Ecclesia non suppletur,* cum jura de hocce casu altum silentium teneant; et affirment, Ecclesiam dumtaxat jurisdictionis defectum supplere in casu supra indicato tituli colorati cum errore communi: proinde asserere hujusmodi supplementum etiam in hoc casu, est omnino arbitrarie divinare. Praeterea, *juxta doctrinam Innocentii XI.* reprobantis thesim 1., non licet sequi sententiam probabilem, relicta tutiore, quoties agitur de valore Sacramenti; cum igitur, dum disputatur de jurisdictione, agatur de re maxime spectante ad valorem Sacramenti, non licebit sequi doctrinam, modo traditae oppositam. »

9. Conveniunt ergo in hac doctrina Auctores tam rigidiores, quam *benigniores,* prout certe sunt Marchantius, Gobat, Sporer, Croix, Elbel, Holzmann. Omnesque modo et supra citati, non tantum non testantur universalem consuetudinem absolvendi cum jurisdictione probabili, sine causa rationabili, sed potius *testes sunt consuetudinis contrariae.* Certe namque innumeri Confessarii secuti sunt doctrinam, quam tradiderunt tot Auctores tam benigniores, quam rigidiores, quorum opera undique pervulgata fuerunt. - Quibus accedunt illi Auctores, qui, ut *Suarez, Reginaldus, Bassaeus,* etc., Confessarios monent, ut *tutiorem* et *probabiliorem* viam eligant, et non absolvant, *nisi causa gravis vel rationabilis urgeat.*

10. Quod autem illos Auctores attinet, qui simpliciter affirmant, jurisdictione probabili uti licere, inde non sequitur, quod omnes censuerint, jurisdictione probabili eodem plane modo, quo certa, sine ulla causa rationabili uti licere. Et quamvis non omnes expressis verbis fateantur, causam rationabilem requiri, ut ait Collet, nullus tamen, quod sciamus,

1) De poenit. n. 683. — 2) De poenit. diss. 6. art. 4. *s.* 4. — 3) Tr. 13. *s.* 16. q. 36. — 4) De poenit. *s.* 7. n. 1.

reperitur, qui expressis verbis contrarium doceat.

III. Contra eamdem S. Alphonsi doctrinam, seu potius, « *theoriam, quam, nemine praeeunte, Marchant invexit* », cl. BALLERINIUS insuper addit: « *Sed Marchantium in transversum egit,* ut videtur, *confusio* inter jurisdictionem *dubiam* ac *probabilem;* nec satis ille advertisse videtur, ad probabilem jurisdictionem requiri, ut quis non temere, sed solida ratione innixus prudenter judicet, sibi jurisdictionem non deesse. »

Verum gratis, et sine ullo fundamento hoc asserit.

1. *Marchantius* nihil confundit; sed [1] accuratissime utramque distinguit; et ad quaestionem: « *Quae sit jurisdictio dubia?* » respondet: « Jurisdictio dubia est, quae, ob diversitatem rationum, in aliquam partem practice animum non inclinat, sed illum suspensum et anxium detinet in ordine ad actum, sive jurisdictionis usum. Talis esset jurisdictio ejus, qui vere et in praxi dubitaret de titulo, delegatione vel approbatione sua, ita ut ad unum probabiliter se determinare non posset. Dixi: *qui vere et in praxi dubitaret;* ad excludendos simplices timores, turbationes mentis, et dubia mere speculativa, de quibus dicemus, quando de conscientia scrupulosa et dubia agemus. Potest sane fieri, ut qui timore, scrupulis ac dubiis speculativis in mente agatur, ad unum tantum in praxi se determinet, propter probatorum virorum resolutiones, et praxes inter timoratos, probos et doctos usurpatas, quibus, non obstantibus scrupulis, dubiis et variis ratiocinationibus in intellectu existentibus, credendum in praxi decernit, et proprio judicio quantumvis apparenti cedendum. »

2. Deinde [2] examinat, an et quando uti liceat jurisdictione *probabili;* ac demum, [3] an et quomodo jurisdictione *vere et practice dubia* uti liceat.

3. Marchantius igitur jurisdictionem probabilem et dubiam eodem modo distinguit, quo *Suarez*, qui [4] dicit: « In qua re oportet distinguere *dubium proprie dictum*, quod est pure negativum, quia in neutram partem potest intellectus determinari per judicium positivum et probabile, sed suspensus est et anceps: et *dubium improprie dictum,* solum ratione formidinis, quamvis determinate possit ferre judicium probabile, licet incertum. »

IV. Sed pergit P. BALLERINI: « Accedit ratio, quam *Suarez* (l. c.) suppeditat. *Ad convenientem* (inquit) *et prudentem Ecclesiae gubernationem pertinet, ut non permittat, Sacramentum tam necessarium frequenter esse incertum et dubium, quantumcunque existat sub opinione probabili.* - Et huc pariter facit, quod habet *Croix* (Lib. 6. p. 1. n. 119.) inquiens: *Certum est, Christum ita instituisse Sacramenta, ut noluerit eorum administrationem aut susceptionem esse moraliter impossibilem, et odiosam fidelibus ministraturis aut suscepturis. Ergo certum est, quod administratio aut susceptio obnoxia nimiis scrupulis aut difficultatibus, non sit secundum institutionem Christi; ergo si non sit alius modus vitandi talem administrationem aut susceptionem, nisi quis operetur secundum sententiam tantum probabilem, licitum est secundum hanc operari.*

» Et hinc duplex adversus illam Marchantii theoriam argumentum. Nam quis neget, plus quam probabilem esse communissimam sententiam, quae invectam a Marchantio conditionem non requirit? Ergo *ad prudentem et convenientem Ecclesiae gubernationem pertinet* (ut ait Suarez), et (ut habet Croix)

1) Tr. 2. tit. 3. q. 2. et 3. — 2) Ibid. q. 4. et 5. — 3) Ibid. q. 6. — 4) Disp. 26. sect. 6. n. 1.

» exigit Christi institutio, ut secundum eam liceat operari. Rursus: » quis non videt, *innumeris scrupulis et difficultatibus obnoxiam* » *fieri* Sacramentorum administrationem, quando, ne frustrationis » periculo exponatur, perpendendus » quoque sit gradus aut necessitatis, » aut utilitatis, quae ad usum probabilis jurisdictionis ex hujusmodi » theoria exigitur? Atqui ad convenientem et prudentem Ecclesiae » administrationem pertinet, ne Sacramentum tam necessarium frequenter sit incertum et dubium; » nec institutio Christi patitur, ut » administratio Sacramenti hoc pacto tum ministraturis, tum susceptoris evadat odiosa, scrupulisque » ac difficultatibus obnoxia. Ergo. »

Sed hoc argumentum nihil probat, et auctoritates, quas citat P. Ballerini, ipsi non favent.

1. *Suarium* citat, qui eamdem rationem adfert, at *verisimile*[1] tantum censet, Ecclesiam idcirco jurisdictionem conferre; et demum *certius* aut *saltem probabilius* esse dicit, *non licere* uti jurisdictione probabili, *nisi aliqua causa gravis vel rationabilis urgeat.*[2]

2. *Claudium Croix* citat, qui autem, ut supra vidimus, conditionem adjicit: « *Ut sit rationabilis causa operandi secundum talem opinionem.* »[3] - Ergo non censet, ad prudentem et convenientem administrationem pertinere, ut *etiam deficiente causa rationabili,* Ecclesia jurisdictionem suppleat. - Et quidem rectissime. Si enim Ecclesia supplet, quoties *causa justa et rationabilis* adest, satis provisum est, et nihil desideratur, quod ad prudentem et convenientem gubernationem spectat. *Deficiente autem ejusmodi causa,* nihil est, quod rationabiliter Confessarios ad utendum jurisdictione tantum probabili impellere posset. Abstineant ergo, relinquant poenitentes Confessario certam jurisdictionem habenti, et Sacramentum tam necessarium numquam incertum et dubium erit. - Cum ergo via plana et simplicissima pateat, qua dubia Sacramenti administratio evitetur: quomodo praesumi potest, Ecclesiam nihilominus Sacerdoti, ex mero arbitrio, absolvendi jurisdictionem collaturam esse?

3. Nec verum est, quod « *innumeris scrupulis et difficultatibus* » obnoxia fieret Sacramentorum ad» ministratio »: quia scilicet « gradus » aut necessitatis aut utilitatis, quae » ad usum probabilis jurisdictionis » *ex hujusmodi theoria* exigitur », perpendendus esset. - S. Alphonsus, cum aliis DD., *causas rationabiles,* quas sufficientes judicat, enumerat. Qui ergo hanc suam doctrinam sequitur, numquam de gradu necessitatis vel utilitatis anceps haerebit. Ceterum alioquin casus, in quibus jurisdictio controversa et tantum probabilis est, nequaquam frequenter, sed raro potius occurrunt.

Articulus 5.

Haud recte affirmat cl. Ballerinius, quoad praxim, praefatam limitationem inutiliter a S. Alphonso appositam fuisse.

P. Ballerini tandem Adnotationes suas sic concludit: « Et haec quidem, ut dixi, *si res theoretice spectetur.* Nam quod *ad praxim attinet,* licet cum S. Alphonso quis » mallet, probabili jurisdictione utendum non esse, nisi rationabilis aliqua causa hoc exigat, verissimum » est, quod advertit *Georgius Gobat* » (Theol. experim. lib. 7. n. 120.), » *ejusmodi causam nunquam non* » *adesse.* Probabiles enim de jurisdictione opiniones fere versantur, » circa absolvendi facultates concessas aut vi *Privilegiorum,* aut indulto *Bullae Cruciatae,* aut occasione alicujus *Jubilaei,* etc. Quo» circa hic casus fere contingit, *quan-*

1) Cfr. supra, pag. 489. n. 7. — 2) Ibid. n. 8. in fine. — 3) Pag. 488. ad II.

» *do* (ut inquit idem Gobat) *postquam* » *bona fide coepisti audire confiten-* » *tem, oritur tibi dubium circa* » *unum vel alterum peccatum;* ac » proinde quando, nisi hac doctrina » utaris, poenitens cogeretur confes- » sionem apud alium iterare. Atqui, » ut notum est, *onus bis confitendi* » *eadem peccata* Doctoribus nunquam » non visum est gravissimum, adeo » ut, hac de causa, a praemittenda » sacrae Communioni confessione, aut » saltem ab integritate confessionis » excusent.

» *Ergo, etiamsi horum paucorum* » *sectari opinionem velis, gravis* » *causa, imo et iis gravior, quas* » *S. Alphonsus post Sporer ratione-* » *biles ac sufficientes existimat,* » *nunquam tibi deerit.* »

I. Sed verum non est, « *probabi-* » *les* de jurisdictione opiniones fere » versari circa facultates absolven- » di » *a casibus reservatis,* « con- » cessas aut *vi Privilegiorum,* aut » indulto *Bullae Cruciatae,* aut oc- » casione alicujus *Jubilaei.* » – Plures enim opiniones controversae et solum *probabiles* versantur *circa jurisdictionem in genere;* et in hisce materiis nulla quaestio esse potest « *de onere* eadem peccata bis confitendi », quia Confessarius, jam antequam ad confessiones excipiendas accedat, sibi conscius est, jurisdictionem suam, et potestatem quoscunque poenitentes absolvendi *probabilem tantum* esse.

II. Verum non est, *onus eadem peccata bis confitendi* esse causam « iis *graviorem,* quas S. Alphonsus » rationabiles ac sufficientes existi- » mat. » – Nec verum est, idem onus « Doctoribus nunquam non visum es- » se *gravissimum,* adeo ut, *hac de* » *causa, a praemittenda sacrae Com-* » *munioni confessione, aut saltem* » *ab integritate confessionis excu-* » *sent.* »

1. Casus, ad quem cl. Professor hic alludit, spectat ad quaestionem particularem. – Quaeritur nempe: An habens peccatum *reservatum,* deficiente Confessario qui praeditus sit *facultate* ab eo absolvendi, teneatur Confessario *simplici* confiteri, ut ad sacram Communionem accedere possit? (Cfr. S. Alph. lib. 6. n. 265.) – Conveniunt DD., non teneri, si, praeter reservatum, alia peccata mortalia reservata non habet, et sufficere contritionem. Si vero alia mortalia habet, DD. variant. Prima sententia probabilis negat, altera probabilior affirmat.

2. Sed quaeritur ulterius: *An poenitens etiam peccatum reservatum confiteri teneatur?* Rursus duae sententiae aeque probabiles adsunt. *Prima,* quam Lugo satis communem vocat, negat. *Altera* affirmat, pro qua Lugo hanc rationem allegat: quia poenitens, quoad peccatum reservatum, copiam legitimi judicis non habet, utique autem quoad peccata non reservata; et ideo, urgente praecepto confessionis, haec peccata confiteri tenetur. Aliqui aliam rationem adjiciunt, dicentes: tum, quia alias poenitens peccata reservata bis confiteri teneretur primo inferiori, et deinceps superiori; tum, quia nulla videtur obligatio confitendi peccata illa, super quibus Confessarius nequit esse judex, cum nullam super eis jurisdictionem habeat.

3. Sed nec isti Auctores poenitentem in hoc casu *ab integritate confessionis* excusant, quia onus eadem peccata bis confitendi *gravissimum* est; sed ideo, quia poenitens, cum Confessarius potestatem ipsum directe absolvendi non habeat, *inutiliter* peccata reservata confiteretur. – Indirecte enim absolvitur, sive haec peccata confiteatur, sive secus; et ideo necessarium non est, ipsum obligare ad eadem peccata bis confitendum. Nec talis obligatio ex praecepto confessionis praemittendae deduci potest; nam Concilium Tridentinum confessionem quidem praecipit, at non materialiter integram. Quemadmodum, ut bene advertit Lugo, certe praecepto Concilii satisfacit, qui, propter causam legitimam, peccatum

aliquod mortale reticet. – Attamen quoad hanc secundam sententiam, S. Doctor noster merito excipit, si confessio peccati reservati *necessaria* est, ut Confessarius de *dispositione* poenitentis recte judicare possit.

4. Immerito ergo, ex casu particulari modo exposito, et ex ratione quam aliqui Auctores adferunt, concludit P. Ballerini : « onus eadem » peccata bis confitendi Doctoribus » numquam non visum esse gravissi- » mum. »

III. Tandem cl. Professor quasi sibi consentientem adducit *Georgium Gobat, S. J.,* lib. 7. n. 120; sed iterum haud recte; nam Gobat l. c. potius oppositum testatur.

1. Scribit enim: « *N. 120.* Sciens, te habere jurisdictionem in *aliqua* peccata poenitentis, dubitans autem, an in *omnia*, peccabis absolvendo: *nisi te excuset aliqua necessitas,* ut quando, postquam coepisti bona fide audire confitentem, oritur tibi dubium circa unum alterumve peccatum; aut quando poenitens deberet, nisi absolvas, communicare sine omni confessione, aut omittere confessionem annuam, vel diu manere in statu peccati mortalis. In his tamen eventibus erit monendus poenitens, ut postea accedat ad alium Confessarium habentem certum jus absolvendi. »

2. Dicit hic Gobat, Confessarium *indirecte* absolvere posse, si, coepta bona fide confessione, dubium ipsi oritur de facultate sua, poenitentem a peccato reservato, quod confitetur, absolvendi; et quidem ea ratione, quia Confessarius in possessione est, ut etiam Coninchius et alii dicunt. At vero *nonnisi indirecte;* et nequaquam eximit poenitentem ab obligatione peccatum reservatum iterum apud facultate praeditum, et consequenter *bis* confitendi. – Porro hypothesis, quam ponit Gobat, raro continget. Solent enim Episcopi aliquibus Confessariis aut *omnes* casus reservatos committere, aut si unum alterumve excipiunt, clare exprimere, *quinam* sint casus excepti. Unde haud facile Confessario, coepta jam confessione, dubium superveniet de facultate, poenitentem a peccato, quod confitetur, absolvendi.

3. Si vero Confessarius solummodo *dubitat, an poenitens reservationem contraxerit,* i. e. utrum mortaliter peccaverit, vel utrum peccatum quod confitetur sit reservatum; alioquin *tuto absolvere potest,* quin ulla necessitas vel causa requiratur, secundum communem Doctorum sententiam, cui adhaeret S. Alphonsus Lib. 6. n. 600.

SIT IGITUR QUAESTIONIS CONCLUSIO:

1. S. Alphonsus rectissime docet, licitum quidem esse ministrare Sacramentum Poenitentiae cum jurisdictione probabili, « sed nonnisi » quando adest *causa gravis neces-* » *sitatis aut magnae utilitatis* », vel saltem « *causa rationabilis.* » – Ratio « quia, licet Ecclesia eo casu, ob » bonum animarum, bene censeri pos- » sit *jurisdictionem supplere,* tamen » non praesumitur, *nulla justa cau-* » *sa accedente,* velle connivere me- » rae libertati Sacerdotum. »

2. Huic doctrinae cl. Ballerinius immerito objicit *universalem consuetudinem contrariam,* et *communissimam DD. sententiam.* – Nullatenus enim *communissima* dici potest sententia, quod *sine ulla necessitate, aut causa justa et rationabili*, absolvere liceat cum jurisdictione probabili; nec verum est, *Doctores communissime* talem *consuetudinem* testari.

3. Nec insuper objici potest, ex hac limitatione Sacramentum Poenitentiae *saepe incertum et dubium fieri,* et ejusdem administrationem *innumeris scrupulis et difficultatibus* obnoxiam esse: tum quia *casus,* in quibus jurisdictio controversa et tantum probabilis est, *raro potius* occurrunt; tum maxime, quia *ipse*

S. Doctor causas recenset, quas, ad usum jurisdictionis probabilis, rationabiles et sufficientes existimat.

4. Plura igitur, quae P. Ballerini doctrinae S. Alphonsi opponit, aut falsa, aut vana sunt, vel saltem ejusmodi, quae ipsam infirmare nullatenus valent.

QUAESTIO X.

An Sacerdos simplex possit poenitentem absolvere moribundum, etiam praesente Confessario approbato.

(S. Alph. Lib. VI. n. 562. — P. Ball. Tom. II. n. 551. q. 8.)

Propositam quaestionem S. Alphonsus Lib. VI. n. 562. et 563. fusius sic exponit et solvit: « *Prima* sententia *communissima negat;* et » hanc tenent Sanchez, Suarez, Molina, Azorius, Bonacina, Cardenas, » Antoine, Palaus; Lugo cum Sylvestro, Soto, Armilla, Covarruvias, Rosella, Graffio, etc.; Mazzotta cum Vasquez, Coninchio et » Laymann; ac Salmanticenses cum » pluribus aliis. Probatur ex Tridentino, Sess. 14. cap. 7...

» *Secunda* vero sententia *affirmat;* » et hanc tenent Sà, Sayrus, Navarrus; Barbosa cum Vega, Ledesma, » Reginaldo, Valero, Homobono, Bossio, etc.; item Comitolus, Henriquez, Villalobos, Angles, Corradus, Diana, Marchinus, etc. apud » Lugo. Atque probabilem putant » Viva, Sporer, Elbel et Lugo, qui » improperat Turrianum, qui vocat » eam improbabilem... »

Expositis autem rationibus, quas utriusque sententiae patroni allegant, S. Doctor judicium suum sic enuntiat:

« *His tamen non obstantibus* (rationibus pro secunda sententia), » *puto non recedendum a prima* » *sententia,* [1] *ob auctoritatem Ritualis Romani* (De Sacr. Poenit. » sub init.) ubi sic dicitur: *Sed si periculum mortis immineat, approbatusque* (nota) *desit Confessarius,* » *quilibet Sacerdos potest a quibuscunque censuris et peccatis absolvere.* Possunt igitur simplices Sacerdotes absolvere, *si desit approbatus Confessarius;* ergo non possunt, si adsit approbatus. – Quo in- » super Rituale clare videtur astruere, hanc fuisse priscam Ecclesiae » consuetudinem, dum Paulus V. in » sua Bulla, per quam hoc Rituale » approbat, dicit: *Restabat, ut uno* » *volumine comprehensi, sacri et* » *sinceri Catholicae Ecclesiae ritus,* » *qui in Sacramentorum administratione servari debent, Apostolicae Sedis auctoritate prodirent.* » Deinde asserit, se *receptos et approbatos Catholicae Ecclesiae ritus, suo ordine digestos conspexisse.* Tandem sic concludit: *Hortamur in Domino Patriarchas, Episcopos, Parochos, etc., ut in posterum Ecclesiae Romanae constituto* » *Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti,* » *quae Catholica Ecclesia, et ab ea* » *probatus usus antiquitatis* (nota) » *statuit, inviolate observent.* Ergo, » hoc quod praescribitur in Rituali » de absolutione moribundi, satis » declarat Pontifex *a probato usu* » *antiquitatis* statutum fuisse. – Accedit Catechismus Romanus *(de* » *Poen.* §. *55.),* ubi ait, Concilium

1) Et in priori Elencho quaestionum reformatarum, secundam sententiam S. Doctor expresse rejicit. Ait enim n. 82.: « An simplex Sacerdos possit absolvere moribundum, praesente Confessario approbato? In priori libro (col. 752. litt. D.) relata est sententia *affirmans, quam hic rejicimus,* lib. 6. n. 562. »

» docere, quemlibet Sacerdotem posse absolvere ab omni peccato et censura, *si mortis periculum imminet, et proprii Sacerdotis* (nota) *facultas non datur.*

» Id clarius et fortius probatur ex eo, quod praefata verba Tridentini: *Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possint* (ut recte dicunt Fagnanus, Petrocorensis, et Auctor *de offic. confess.* apud Croix), non jam referuntur ad quoscumque Sacerdotes, sed ad eos tantum, de quibus antecedenter loquitur Concilium, nempe de illis, qui *ordinariam aut subdelegatam habent jurisdictionem.* Et hoc declaravit S. C. generalis Concilii apud Fagnanum, ubi dixit: *Caput* 7. *Trident. de casuum reservatione referendum ad eos Sacerdotes, qui habent ordinariam vel delegatam potestatem.* – Ergo omnino dicendum est, Concilium in hoc puncto non condidisse jus novum, sed tantum antiquam Ecclesiae consuetudinem declarasse, nempe quod *nulla sit reservatio in articulo mortis,* respectu ad solos Sacerdotes, qui ordinariam vel delegatam potestatem absolvendi habent. Quod autem *simplices Sacerdotes...* possint valide et licite absolvere in articulo mortis ab omnibus peccatis et censuris, id non habetur ex Tridentino, sed aliunde, nempe ex C. *Presbyter* 26. q. 6.; item ex Rituali Romano, et ex declaratione ejusdem S. C. Concilii apud Fagnanum, et ex communi Ecclesiae consuetudine.

» *563. Probabiliter* tamen simplices Sacerdotes possunt absolvere tempore mortis, *etiam praesente Confessario approbato, in sequentibus casibus:* 1°. Si approbatus *nollet, vel non posset* audire confessionem; quia tunc idem accideret ac si deesset; ita communiter Sanchez, Lugo, Renzi, et Salmanticenses cum Aversa. – 2°. Si approbatus sit *nominatim excommunicatus, vel suspensus;* quia tunc praeferendus est simplex Sacerdos. Sanchez, Suarez, Renzi cum Hurtado, et Mazzotta cum Bonacina. Et hoc est certum, juxta dicta n. 560. – 3°. Si approbatus esset *alienae dioecesis;* quia iste, respectu ad infirmum, minime dicitur approbatus; ita probabilius Lugo, Salmanticenses cum Trullencho; item Henriquez, Aversa et Diana apud Croix; contra Suarez et Sanchez cum Zambrano. – 4°. *Si moribundus ita horreret manifestare sua crimina Confessario approbato,* ut esset in periculo confitendi sacrilege; tunc enim Sacerdos simplex bene posset eum absolvere, adhuc praesente approbato: quia hoc valde consonum videtur benignitati Matris Ecclesiae, *ne hac occasione aliquis pereat,* ut dicitur in Tridentino; forte enim poterit accidere, quod approbatus sit inimicus, consanguineus, aut objectum peccati, et tunc non censetur Ecclesia in tanta necessitate velle infirmum obligare ad ei tantum se confitendum. Ita probabiliter Mazzotta cum Croix ex D. Thoma, et Sporer. Qui idem censet procedere, si infirmus non posset confiteri approbato, sine magna difficultate aut incommodo, vel si ille simplex Sacerdos esset ei manifeste magis idoneus ac utilis futurus, quam parochus rusticus. – 5°. *Si Confessarius approbatus superveniat, jam incepta confessione cum Sacerdote simplici;* quia tunc compleri debet judicium jam inceptum; ita communiter Sanchez, Lugo, Mazzotta, Renzi, Croix cum Sylv.; et Salmanticenses cum Granado, Henriquez, Diana, Aversa, Praeposito, Trullencho, etc. Hinc probabiliter dicunt Sanchez, Renzi, et Salmanticenses cum Lugo, Diana et Aversa, quod si confessio facta Sacerdoti simplici fuerit invalida, etiam superveniente approbato, bene poterit infirmus primo Sacerdoti confiteri, quia revera ille habuit jurisdictionem ad

» priorem confessionem, quae non » censetur finita, cum invalida fuerit » absolutio impertita. - 6°. Et ultimo, » casu quo Sacerdos approbatus fu- » isset *complex infirmi in peccato* » *turpi;* tunc omnino debet praefer- » ri Sacerdos simplex, juxta dicta » n. 553... »

P. Gury autem, num. 551. q. 8. pag. 948.[1] eamdem quaestionem proponit, et respondet, Doctores inter se dissentire; S. Alphonsum vero censere, a prima sententia negativa non recedendum esse, ob auctoritatem Ritualis Romani; at subjungit: « *Ita S. Ligorius, qui alioquin, licet sententiam suam dixerit* communissimam, *tamen etiam pro opposita* affirmante, *sexdecim expresse, aliosque tacite Doctores allegat; quibus novem alii ex Lugo, Diana, Barbosa et Salmanticensibus adjungi facile possunt.* » - Et addit: « *Qui* (Auctores) *negantem* (sententiam) *praeferunt, ultro concedunt probabilitatem affirmantis, aut implicite,* dum propriam opinionem mere probabiliorem dicunt; *aut etiam explicite,* ut Lezana, et Stephanus a S. Paulo apud Salmanticenses, ac Viva, Sporer, Elbel et Card. de Lugo apud S. Alphonsum. »

Quocirca P. Ballerini sequentia adnotat: « *Aegre profecto intelligi* » *potest, quomodo* communissima *di-* » *ci queat opinio, adversus quam,* » *ut in praesenti, produci facile* » *queant vigintiquinque ad minus* » *Doctores!* Sed et aliud haec tot » Doctorum dissensio evincit, nempe[2] » *haud invicti roboris* esse argumen- » tum, quod in hanc rem ex *Rituali* » *Romano* petitur. Neque enim sup- » poni potest, illum textum tot Docto- » ribus fuisse *ignotum;* neque tamen » minus propterea probabilem cen- » suerunt affirmantem illi quoque, » qui neganti potius adhaeserunt. Et » vero, cum plura in romano quoque » Rituali sint, quae ad definitas sen- » tentias pertinent; ast alia quoque » reperiuntur, de quibus *libera dis-* » *putandi in Scholis facultas* Do- » ctoribus per Ecclesiam conceditur. » Quinimo cum *Card. de Lugo ar-* » *gumenta undequaque exquisita* » *corrogaverit,* quibus eandem opi- » nionem negantem, a se adoptatam, » communiret, *rationem istam nul-* » *latenus commemorat.* »

Ex textibus PP. Gury et Ballerinii modo allegatis patet, ipsis haud probari quae S. Alphonsus de sententia *negante* dicit. Etenim 1. P. Ballerini in dubium vocat, hanc sententiam dici posse *communissimam,* eo quod Doctores dissentiant; 2. Haec ipsa dissensio, subjungit, valde infirmat robur argumenti quod S. Doctor ex *Rituali Romano* petit; 3. Demum, cum Patre Gury affirmat, ab ipsis sententiae *negantis* defensoribus *probabilitatem affirmantis ultro concedi.* - Quid de singulis istis sentiendum sit, paulisper examinare juvat.

Articulus 1.

Sententiam negantem S. Alphonsus merito communissimam dicit.

S. Doctor, ut vidimus, dicit: « Prima sententia *communissima* negat. » - Judice autem cl. Ballerinio: « Ae- » gre profecto intelligi potest, quo- » modo *communissima* dici queat » opinio, adversus quam, ut in prae- » senti, *produci facile queant vigin-* » *tiquinque ad minus Doctores!* » Ergo actum est de assertione S. Alphonsi.

I. Sed pace cl. Professoris, ante omnia iterum advertimus, Doctores non arithmetice numerandos, sed *ponderandos* esse, et negativam sententiam *ab omnibus fere illustrioribus* teneri ac propugnari.

II. Insuper, abstrahendo etiam ab hac regula, numerus Auctorum non

1) In altera edit. pag. 350. — 2) Ibidem, pag. 351. principium adnotationis sic legitur: « *Ita* » *que viginti quinque minimum, Doctores produci possunt, qui oppositam sententiam* » *sequuntur. Quae Doctorum consensio evincit, haud invicti roboris...* »

absolute, sed *relative* est perpendendus; et quemadmodum S. Doctor non omnes pro affirmativa sententia allegavit, sic *nec omnes negativam* tenentes adducit.

1. Etenim permulti ab ipso praetermissi citantur a Sanchezio, [1] Lugone [2] et Salmanticensibus; [3] uti sunt *Simanchas, Corduba, Guttierez, Zambranus, Hugolinus, Valentia, Vivaldus, Benzonius, Bartholomaeus de Ledesma, Gratianus, Petrus de Ochagavia, Turrianus, Didacus Nugnus, Puteanus, Sanctorius, Aversa, Granadus, Avila, Sanctarellius, Franciscus Bonaespei.* - Quibus accensendus est *Filliuccius.* [4]

2. Porro accedit *Reginaldus,* quem aliqui (quos secutus est S. Alphonsus), nonnisi per errorem pro sententia affirmante citant. Ipse namque [5] cum Suarez absolute docet, simplicem Sacerdotem, praesente approbato, non posse absolvere; et insuper *Franciscum de Victoria* [6] pro hac sententia adfert.

3. Similiter pro sententia affirmante minus recte citatur *Henriquez,* qui [7] eo tantum casu admittit, simplicem Sacerdotem absolvere posse morti vicinum, si ante coeptam confessionem adsint Episcopus vel Parochus, et Sacerdos simplex audire parati, sed subest causa urgens, cur expediat quaedam peccata non manifestare Parocho vel Episcopo, et petitus hic negat injuste licentiam.

4. Ad recentiores vero Auctores quod attinet, quos S. Alphonsus praetermittit, singulis allegandis supersedemus; quia *Recentiores sententiam negativam communissime tenent.* - Pauci enim sunt, et quod sciamus, tres tantum, nempe Tamburini, Illsung et Viva, qui oppositam propugnant, nullam autem Ritualis Romani mentionem faciunt.

Articulus 2.

Optimo jure S. Alphonsus praecipuum argumentum pro sententia negante ex Rituali Romano petit.

Ait S. Doctor: « His tamen non » obstantibus, puto non recedendum » a prima sententia *(negante),* ob » auctoritatem *Ritualis Romani,* ubi » sic dicitur: « *Sed si periculum mortis immineat, approbatusque* (nota) » *desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere.* Possunt » igitur simplices Sacerdotes absolvere, *si desit approbatus Confessarius;* ergo non possunt, si adsit approbatus... »

I. Objicit autem primo cl. Professor: « Sed et aliud haec tot Doctorum dissensio evincit; nempe *haud invicti roboris* esse argumentum, » quod in hanc rem ex *Rituali Romano* petitur. *Neque enim supponi potest, illum textum tot Doctoribus fuisse ignotum....* » - Verum ipsa potius objectio « *haud invicti roboris* » dicenda est.

1. Plures utique Doctores sententiam affirmantem tenent, non obstante auctoritate *Ritualis Romani;* uti *Navarrus, Emmanuel Sà, Josephus Angles, Petrus de Ledesma, Emmanuel Rodriquez, Vega, Villalobos, Corradus, Sayrus, Coriolanus* et *Comitolus.* Ipsis tamen cl. Professor nobiscum veniam dabit; scripserunt enim *ante annum 1614., quo Paulus V. Rituale Romanum promulgavit.* Hinc facile « *supponi* » *potest,* illum textum tot Doctoribus fuisse *ignotum.* »

2. Idem dicendum est de *Henriquez* et *Reginaldo;* qui alioquin, ut jam vidimus, minus recte pro sententia affirmativa citantur.

3. Quo praecise tempore scripserint *Joannes Valerus, Zerola, Finelius, Marchinus* et *Barbosa,* quos

1) In Dec. lib. 2. c. 13. n. 7. — 2) De poenit. disp. 18. n. 23. — 3) De poenit. c. 11. n. 29. — 4) Tr. 7. num. 220. — 5) Lib. 1. num. 61. — 6) De Sacram. num. 156. — 7) Lib. 6. c. 12. num. 1.

Lugo citat, eruere omisimus. Etenim pro certo habemus, argumentum, quod ex Rituali Romano petitur, ipsis non fuisse propositum; quia ipse *Lugo*, qui anno 1638. opus *de Poenitentia* edidit, istud argumentum non commemorat.

II. At vero P. Ballerini contrarium inde concludit, quasi nempe *Lugo* idem argumentum nullius momenti esse censuerit, et idcirco afferre omiserit. Ait enim: « Quinimo, » *cum Card. de Lugo argumenta* » *undequaque exquisita corrogave-* » *rit*, quibus eandem opinionem *ne-* » *gantem*, a se adoptatam, commu- » niret, *rationem istam nullatenus* » *commemorat.* »

Sed istud argumentum « *aegre profecto intelligi potest.* » Nonne, eo ipso quod *Lugo* longe lateque hanc quaestionem pertractat, et pro sententia negativa a se propugnata « *ar-* » *gumenta undequaque exquisita* » *corrogavit* », evidens signum est, ipsum prae oculis non habuisse Rituale Romanum, quod adhuc nemo allegaverat? Secus enim tantus Vir, qui, ad sententiam negativam firmandam, non modo diligenter argumenta collegit, sed, testante cl. Professore, ea « *undequaque exquisita corrogavit* », certo non omisisset argumento uti, quod sane gravitate caetera omnia superat; et verosimiliter probabilitatem oppositae sententiae non concessisset.

III. Instat tamen P. Ballerini, « *haud invicti roboris esse* » argumentum ex Rituali petitum. Quamvis enim « plura in Romano Rituali » sint, quae ad definitas sententias » pertinent; ast alia quoque reperiun- » tur, *de quibus libera disputandi* » *in scholis facultas Doctoribus per* » *Ecclesiam conceditur.* »

Hoc quidem verum est; nemo tamen negat, *auctoritatem* Ritualis Romani summam esse, et talem, cui *nulla auctoritas privata*, quibuscunque rationibus innixa, opponi potest. Et tanto minus in praesenti quaestione, quia *jam antea* omnes fere insigniores Doctores, uti *Vasquez*, *Valentia*, *Suarez*, *Sanchez*, *Laymann*, *Reginaldus*, *Coninchius* (omnes e Soc. Jesu), eamdem sententiam *negantem* tenuerant et propugnaverant. – Qua ratione recte dicit *Billuart*, [1] utcunque sententia affirmans in se spectata probabilis sit, ex verbis *Ritualis* Pauli V. haberi, *oppositam esse certam et ideo in praxi tenendam.*

Articulus 3.

Minus recte PP. Gury et Ballerini asserunt, probabilitatem opinionis affirmantis ultro et simpliciter concedi ab ipsis sententiae negativae patronis.

Ait *P. Gury*: «.... Qui negantem praeferunt, *ultro concedunt probabilitatem affirmantis*, aut implicite, dum propriam opinionem mere *probabiliorem* dicunt, aut etiam explicite, ut Lezana, et Stephanus a S. Paulo apud Salmanticenses; ac Viva, Sporer, Elbel, et Card. de Lugo apud S. Alphonsum... » Assentit et *P. Ballerini*, dum dicit: «... Neque tamen » minus propterea *probabilem* cen- » suerunt *affirmantem* illi quoque, » *qui neganti potius adhaeserunt.* » – Verum haud recta est hujusmodi generalis assertio.

I. *Antiquiores simpliciter et absolute negativam* tenent et propugnant; perpaucis exceptis, qui eam nonnisi probabiliorem dicunt, uti Lezana et Stephanus a S. Paulo a Salmanticensibus allegati; item Palaus et Trullenchus, et si quis alius est.

II. Inter Recentiores, *Stoz*, *S. J.*, affirmativam explicite probabilem censet. – Sunt quidem et plures alii recentiores; sed solummodo in quantum *gravis causa* adest, propter quam Sacerdos simplex approbato praeferendus esset: quod et S. Alphonsus cit. *n. 563.* admittit.

1. Sic *Herincx*, [2] de casibus re-

1) De poenit. art. 8. — 2) De poenit. disp. 6. n. 18.

servatis agens, ait, *non improbabile esse,* in articulo mortis Sacerdotem simplicem ab omnibus casibus reservatis *absolvere posse, licet adsit approbatus;* quia Concilium Tridentinum generaliter dicit, quod nulla sit reservatio in articulo mortis: « Nec ratio Tridentini est solum defectus Confessarii alias habentis jurisdictionem, sed ne hac ipsa occasione reservationis, si tunc esset, aliquis pereat. Quod adhuc non raro subesse posset *ob difficultatem aut speciales rationes,* quae mente et corpore infirmos possent deterrere a confessione instituenda apud Ordinarium, vel habentem alias jurisdictionem. Jura etiam, quae alii allegant, non urgent, nec loquuntur de praesenti casu. Signanter *Rituale Romanum* exponi posset de eo, quod communiter fit, et *quando non esset specialis ratio,* cur infirmus detrectet confiteri approbato praesenti. »

2. Item *Sporer* [1] ait: « Oppositam *affirmativam,* fateor, *probabiliter* omnino tenent multi gravesque Doctores.... Quamvis *in praxi omnes sententiam nostram consulant.* Et huic ipsi probabili sententiae in praxi locus est, quando poenitens rationabiliter nolit, vel non possit, *sine difficultate, horrore, vel incommodo aliquo,* confiteri Sacerdoti proprio, aut alteri delegato curato, sed potius huic Sacerdoti simplici: aut quando Sacerdos simplex manifeste esset magis idoneus ac utilis futurus moribundo, quam Parochus rusticus etc.; tunc enim adhuc locum habet aliquo modo causalis Concilii: *Ne hac occasione homo pereat.* »

3. *Elbel* [2] scribit: « Utraque haec sententia mihi videtur vere probabilis; priorem tamen, velut tutiorem, in praxi sequendam existimo et consulo. Idcirco, si moribundus erga Sacerdotem approbatum nullam ostendat *displicentiam aut diffidentiam,* suaviter inducendus est, ut sua peccata Sacerdoti approbato potius, quam simplici deponat. »

4. Similiter *Reuter, S. J.:* [3] « Opposita sententia nihilominus probabilis est, quia Ecclesia voluit prospicere saluti pro omni casu; posset autem contingere, ut moribundus *aegre confiteretur approbato,* v. g. Pastori suo, et anima periclitaretur. »

5. *Billuart,* [4] ad objectionem, contingere posse, quod moribundus Sacerdotem *horreret, et ipsi confiteri omnino detrectaret,* respondet: « Neque absolute negamus, in hoc casu, propter probabilitatem hujus sententiae, poenitentem posse absolvi a non approbato, secundum ea, quae dixi supra de usu probabilis jurisdictionis *ex gravi causa.* »

6. *Lacroix, S. J.,* [5] sententiam negativam non certam, sed tantum longe communiorem et probabiliorem dicit; sed nihilominus [6] non admittit, simplicem Sacerdotem absolvere posse, *si adest alius, licet in aliena dioecesi approbatus.*

EX DICTIS CONCLUDIMUS:

1. S. Doctor merito ceu *communissimam* tuetur sententiam, quae *negat,* Sacerdotem simplicem, *absque gravi causa,* absolvere posse moribundum, etiam praesente Confessario approbato; et rectissime simul docet, ob auctoritatem speciatim *Ritualis Romani,* ab ista sententia negante non esse recedendum.

2. Ex quibus patet, antiquam illam opinionem contrariam, quam P. Ballerini resuscitat, omnino rejiciendam esse.

1) De poenit. n. 725. — 2) Conf. 12. n. 328. — 3) De poenit. n. 343. ad 4. — 4) De poenit. diss. 6. art. 8. — 5) Lib. 6. p. 2. n. 1562. — 6) Ibid. n. 1563.

QUAESTIO XI.

An Episcopus, sub poena invaliditatis, prohibere possit, ne dioecesani pergant ad confitendum extra dioecesim Confessariis saecularibus.

(S. Alph. Lib. VI. n. 569. — P. Ball. Tom. II. n. 555.)

Lib. VI. n. 569. S. ALPHONSUS sequentem allegat textum *Busembaumii*: « Cum jurisdictio acquiratur ratione domicilii, vel quasi domicilii, vel etiam actualis habitationis; hinc ii, qui duobus locis habent domicilium vel quasi, possunt utrobique absolvi: ut scholares, milites, mercatores; item vagi et peregrini possunt absolvi a parocho loci, in quo versantur... »

Ad quem textum ipse S. DOCTOR addit: « *Communiter docent DD., » peregrinos, spectata consuetudine » et tacito consensu Episcoporum, » posse confiteri cuilibet approbato in » loco, ubi reperiuntur.* Ita Palaus, » Lugo, Concina, Salmanticenses, Bonacina cum Suarez, Vasquez, etc. Limitant tamen praefati Auctores, » dummodo ipsi peregrini ex industria non discedant e proprio domicilio, ut extra confiteantur. - Sed Tamburini, Renzi, et Mazzotta cum Pontio, Filliuccio, et aliis, verius dicunt, quod praedicta limitatio non est necessario servanda, » *ex illa regula generali Juris, quod » nullus videtur fraudulenter agere, qui utitur jure suo;* nec autem » aliunde habetur, quod *Ordinarii* » in praedicto casu *signum aliquod » unquam dederint sui dissensus.* » Hasque sententias recte dicunt » praefati Auctores, valere etiam » pro implenda confessione praecepti » paschalis. Vide dicta *n. 564 v. Ex » concessione. Et hoc hodie non est » amplius dubitandum ex praesenti » consuetudine universali.* - Per » Bullam tamen Clementis X., vetitum est poenitentibus, accedere » ad alienam dioecesim pro confessione *in fraudem reservationis* » suarum culparum. De hoc vide dicenda infra *n. 589.* »

P. Gury autem T. II. n. 555. pag. 434.,[1] quaestionem ponit: « *An Episcopus possit sub poena invaliditatis prohibere, ne dioecesani pergant ad confitendum extra dioecesim?* » et respondet:

« 1°. *Negative*, si pergant ad confitendum extra dioecesim apud Confessarios *regulares*, qui habent privilegium audiendi confessiones omnium fidelium undequaque venientium.... 2°. *Affirmative*, si in alia dioecesi sacerdotibus *saecularibus* confiteantur. Ratio est, quia, ut inquit Fagnanus, de jure communi nullus Sacerdos potest absolvere poenitentem non sibi subditum, etiam in illa dioecesi, in qua est approbatus; nec supponi potest in casu tacitus consensus Episcopi poenitentium, cum ex hypothesi ipse sit invitus. »

Et ad hunc textum, P. BALLERINI adnotat: « Hoc sensu intelligendi » sunt Palaus, Lugo, Salmanticenses, Bonacina, Suarez, Vasquez, etc. quos *S. Alphonsus* » (Lib. 6. num. 569.) allegat, ceu » facultatem peregrinis concessam » confitendi cuilibet approbato loci, » in quo reperiuntur, ea conditione » limitantes: *dummodo ex industria » non discedant e proprio domicilio, ut extra confiteantur.* Et cum » hoc sensu ii DD. loquantur, *non*

1) In altera edit. pag. 354.

» *potest admitti,* quod S. Alphonsus » cum Tamburini et Mazzotta *contra* » *eos urget,* generalem juris regulam » esse, quod nullus videtur fraudu- » lenter agere, qui utitur jure suo. » Jus enim confitendi extra dioece- » sim, Ordinario proprio invito, nul- » lum est, nec potest contraria con- » suetudo induci, obstante illa Con- » stitutione (C. *Si Episcopus 2.* De » Poen. et Remiss. in VI.): *Nulla* » *quoque potest consuetudine intro-* » *duci, quod aliquis, praeter sui* » *Superioris licentiam, confessorem* » *sibi eligere valeat, qui eum possit* » *solvere vel ligare.*

» Cujus quidem Constitutionis hanc » rationem luculentissimam DD. af- » ferunt, quod ejusmodi consuetudo » repugnet *juri divino* statuenti, ut » nemo solvi aut ligari queat, nisi » a proprio judice. Ita *Suarez* (de » Poenit. disp. 27. sect. 3. n. 5.): » *Respondetur, eligere confessorem* » *sine licentia proprii Episcopi,* » *repugnare juri divino; et ideo* » *significasse Pontificem* (Bonifa- » cium VIII.) *in illo textu* (C. Si » Episcopus), *non posse consuetu-* » *dinem praescribere contra hoc jus;* » *in quo multum differt haec con-* » *suetudo a quacumque alia lege* » *humana.* Eadem habes ex *Domi-* » *nico Soto* (In 4. disp. 18. q. 4. » art. 2. concl. 1.) *Vasquez* (In 3. P. » q. 93. art. 2. dub. 2. n. 5. 6.), et, » aliis omissis, ex *Melch. Cano,* qui » (Relect. de Poen. P.VI.) sic paucis » rem conficit: *Exploratum haberi* » *debet, praeceptum de confitendo* » *proprio sacerdoti, divinum esse...* » *Quapropter, sine hujusmodi com-* » *missione* (delegatione Ordinarii) » *sacerdos alienus non est hujus sa-* » *cramenti minister; atque proinde* » *jure divino tenemur proprio sa-* » *cerdoti confiteri. Nam confessio* » *quae fit alteri ex facultate pro-* » *prii sacerdotis, proprio fieri cen-* » *setur.* Et hinc repetit, *quod nulla* » *consuetudine introduci potest, ut* » *aliquis, praeter sui superioris li-* » *centiam, confessorem sibi eligere* » *valeat* etc., ut habet cit. C. *Si* » *Episcopus.* Ut enim Canus subdit, » *Si esset solum de jure positivo,* » *aliqua consuetudo posset praeva-* » *lere.* Et (N. B.) concludit: *In hanc* » *sententiam conveniunt omnes scho-* » *lastici Auctores, atque adeo B. Tho-* » *mas,* etc. – Caeterum non videtur » S. Alphonsus Auctores praedictos » eo sensu accepisse, quasi tractent » de peregrinis, qui e dioecesi dis- » cedant ad confitendum alienis con- » tra voluntatem Ordinarii, et sic » nihilominus utantur jure suo. Adeo » enim non agit de Ordinariis invi- » tis, ut supponat, *Ordinarios si-* » *gnum aliquod numquam dedisse* » *sui dissensus.* »

Sed valde confusa sunt, quae cl. Professor hic profert, et nec statum quaestionis, nec sententias Auctorum citatorum, nec mentem S. Alphonsi recte explicavit; nam verba: « *Or-* » *dinarios signum aliquod num-* » *quam dedisse sui dissensus* », non sua sunt, sed *Tamburini,* cujus sententiam adducit. – Idcirco, 1. Sententias *Auctorum* perpendemus; 2. Doctrinam *S. Alphonsi* exponemus; 3. Ostendemus, cl. Ballerinium ex Constit. Bonifacii VIII. *Si Episcopus* nihil deducere posse, quo sententia sua probetur.

Articulus 1.

Perpenduntur sententiae Auctorum a cl. Ballerinio haud recte explicatae.

P. Gury, ut vidimus, dicit, *invalidam* esse confessionem, quae, *invito proprio Ordinario,* a dioecesanis fit extra dioecesim Confessariis *saecularibus;* et ad hujusmodi confessionis validitatem ait, requiri consensum saltem tacitum proprii poenitentium Episcopi.

Cui opinioni subscribit P. Ballerini, et subjungit: « *Hoc sensu in-* » *telligendi sunt Palaus, Lugo, Sal-* » *manticenses, Bonacina, Suarez,* » *Vasquez,* etc. quos S. Alphonsus » allegat, ceu facultatem peregrinis » concessam confitendi cuilibet ap-

» probato loci, in quo reperiuntur, » ea conditione limitantes: *dummodo* » *ex industria non discedant e proprio domicilio, ut extra confiteantur.* » – Quid ergo citati Auctores sentiant, breviter examinabimus.

1. Prae caeteris allegandus est *Suarez, S. J.*, qui primus istam conditionem adjecit. – Dubium proponit, [1] an *iter agentes vel peregrinantes* confiteri possint parocho vel alteri sacerdoti jurisdictionem ab Episcopo habenti *in loco, ubi versantur.* Et citatis Paludano, S. Antonino et Navarro, qui id jure ordinario negant, primum concedit, hanc sententiam in rigore juris veram videri. – Unde ait: « Juxta generalem regulam Cap. *Omnes utriusque sexus,* non videntur posse confiteri alieno, etiam in locis distantibus sine licentia proprii: et ideo olim fideles facultatem petebant a suis propriis Sacerdotibus ad agendum iter: et in illa facultate censebatur dari licentia confitendi alteri in itinere, si opus esset. Nunc autem, cum jam cessaverit illa consuetudo, *dicunt graves Auctores, jure ordinario et sine privilegio non posse* hujusmodi peregrinos aliis confiteri. *Ita Paludanus,* [2] *Antoninus,* [3] *et Navarrus,* [4] *et in rigore juris videtur verum.* »

Ibidem vero subjungit: « *Tamen, spectata consuetudine et tacito consensu parochorum, censeo probabilem et veram contrariam sententiam:* scilicet, posse has personas confiteri vel parocho illius loci, ad quem perveniunt, vel sacerdotibus ibi habentibus jurisdictionem delegatam ab Episcopo loci. » – Pro qua sententia citat Sylvestrum, Sotum et Ledesma.

Dein l. c. *n. 8.* sic pergit: « Eamdem sententiam significat *Cajetanus.* [5] Et refert, Eugenium IV. hoc declarasse etiam *in annua confessione vel communione:* quam intelligo esse *extensionem, non limitationem;* nam si de aliqua dubitari poterat, maxime de illa: quia in eo tempore videtur esse maxima obligatio confitendi proprio sacerdoti: *si ergo tunc fieri potest alteri, etiam poterit quocumque alio tempore,* maxime si aliqua necessitas, vel specialis utilitas occurrat. – Ratio a priori est, quia haec existimatur esse quaedam implicita licentia proprii sacerdotis, quia occurrit causa maxime rationabilis, et moraliter necessaria propter itineris occasiones et pericula. Unde hic confessor non tam ordinarius videtur esse, quam delegatus: vel ex concessione Summi Pontificis allegata a Cajetano, vel ex consuetudine. Quia vero non censetur haec facultas data respectu cujuscumque, sed respectu tantum proprii sacerdotis illius loci, in quo quis peregrinatur, vel ejus, qui vicem illius habet, ideo censetur ille sacerdos loco proprii, et hac ratione hoc loco numeratur. – Advertere autem oportet, necessariam hic esse *bonam fidem:* nam si quis ad hoc tantum iter ageret, *ut haberet occasionem confitendi alteri,* et non proprio sacerdoti, jam illa non esset *necessitas,* sed voluntas, et non esset juxta *intentionem Pastorum,* nec juxta *consuetudinem Ecclesiae;* et ideo non esset valida confessio. »

Sed haec ultima sententia difficiles explicatus habet. Ipse *Suarez* dicit: [6] « Ex his infertur, *non posse Parochum prohibere* parochianum suum, quominus confiteatur Religioso habenti privilegium ad audiendas confessiones, *vel alteri Sacerdoti* ab Episcopo exposito et ab illo jurisdictionem habenti. » – Atqui, cessante consuetudine facultatem itinerandi a proprio Parocho petendi, *Episcopi tacite consenserunt,* ut dioecesani itinerantes in aliena dioecesi confiteri valeant, et tacite Confessariis alienis jurisdictionem ad hoc tribue-

1) De poenit. disp. 25. sect. 2. n. 7. — 2) D. 17. q. 8. — 3) Dicto tit. 17. c. 4. — 4) Dicto *Placuit,* n. 68. — 5) V. *Absolutio,* 2. — 6) Disp. 26. sect. 1. n. 12.

runt. Ergo non amplius *de intentione Parochorum* quaerebatur, qui dissentire nequibant, etiamsi parochianus iter suscepisset, ut alibi confiteretur.

Porro dicit, id esse contra consuetudinem Ecclesiae. – Verum *Eugenius IV.* concessioni citatae hanc exceptionem non adjecit. Sed nec Episcopi signum aliquod dederunt, quod in hoc casu non consentiant; et jam eo tempore, et tanto magis postea, Confessarii ubique locorum peregrinos absolverunt, non inquirentes, an proprium sacerdotem evitare intenderint.

2. Suarium secutus est *Palaus, S. J.*: [1] « Si ad hoc tantum iter susciperes, ut alteri confiteri posses, *vitaresque* confessionem faciendam proprio Parocho, uti non posses praedicto privilegio et facultate: quippe ejus usus tibi necessarius non est, neque ex tacito consensu proprii Parochi habitas, neque Ecclesiae intentioni te conformas. »

3. *Bonacina* [2] dicit: « Qui solum ad hunc finem iter agit ut evitet proprium Parochum et alteri confiteatur, non potest valide confiteri coram Parocho seu Sacerdote illius loci, ad quem pervenit, ut bene observat Coninchius, *Vasquez,* Suarez, Reginaldus et alii recentiores: hoc enim non fieret juxta intentionem et concessionem Summi Pontificis, seu juxta consuetudinem, per quam a Summo Pontifice confertur jurisdictio ad absolvendum iter agentes, qui ad aliquem locum bona fide pervenerunt *absque animo evitandi* proprium Parochum seu proprium Sacerdotem. »

4. *Lugo, S. J.,* [3] breviter dicit: « Qui peregrinantur et iter faciunt, possunt jam ex voluntate tacita suorum Pastorum, confiteri etiam Parocho illi, quem in eo loco inveniunt, in quo sunt, dum tamen ex industria non discesserint a suo domicilio, *ut occasione itineris* alteri confiterentur. »

5. Omnes isti Auctores scripserunt ante Declarationem *S. Congregationis Concilii* de die 16. Sept. 1649., in qua de illis tantum itinerantibus dicitur, quod non absolvi possunt, qui *fraudulenter* eum in finem iter susceperunt, ut in aliena dioecesi absolvantur a peccato in propria *reservato.*

6. *Salmanticenses* [4] idem iisdem verbis dicunt, quod Cardinalis de Lugo, et nonnisi Auctores modo allegatos et alios antiquiores citant.

7. *Concina* [5] demum dicit: « Qui peregrinantur et iter agentes, quamvis proprium domicilium et parochum habeant, possunt confiteri vel Parocho loci, ad quem perveniunt, vel cuilibet Confessario ex approbatis. Et hoc ex consuetudine et consensu tacito suorum Pastorum patet; dummodo tamen *in fraudem* et ex industria non discesserint a proprio domicilio ut alibi confiterentur. » – Sed haec ultima verba necessario de illis intelligenda sunt, qui casum *reservatum* habent. Nam, secundum modernam disciplinam Declarationibus S. Sedis confirmatam, quam P. Concina certe non ignoravit, omnibus fidelibus proprium Parochum evitare licet, et cuilibet Confessario *in eadem dioecesi* approbato confiteri, etiam tempore paschali et invito Parocho. [6] – Nulla igitur ratio cogitari potest, quae quempiam movere posset ad confitendum *extra dioecesim,* praeterquam si casum *reservatum* evitare intenderet. Idcirco ipse P. Concina [7] de quaestione agens, an peregrinus absolvi possit a peccato in sua dioecesi, non autem in illa Confessarii, reservato, respondet posse; et hanc tantum conditionem addit: « Dummodo *bona fide,* seclusa fraude, peregrinus in tali dioecesi, *in qua peccatum non est reservatum,* reperiatur. »

1) De poenit. punct. 13. n. 12. — 2) De poenit. disp. 5. q. 7. p. 2. n. 6. — 3) Disp. 19. n. 7. — 4) De poenit. c. 11. p. 3. n. 53. — 5) De poenit. lib. 2. diss. 2. c. 4. n. 20. — 6) Cfr. S. Alph. lib. 6. n. 564. — 7) Loco cit., c. 6. §. 2. n. 4.

ARTICULUS 2.

Recte docet S. A., ex consuetudine universali ab Ecclesia probata, Peregrinos cuilibet Confessario loci approbato, etiam saeculari, confiteri posse: modo alienam dioecesim non adeant in fraudem reservationis.

P. Ballerini hanc doctrinam impugnans, ait: « Et cum hoc sensu » ii DD. (supra citati) loquantur, » *non potest admitti, quod S. Alphonsus* cum Tamburini et Mazzotta *contra eos urget,* generalem » juris regulam esse, quod nullus » videtur fraudulenter agere, qui » utitur jure suo. *Jus enim confitendi extra dioecesim, Ordinario proprio invito, nullum est, nec potest contraria consuetudo induci* ... »

Respondemus, istam potius assertionem cl. Professoris admitti non posse.

1. In quantum *Suarez* dicit, non esse juxta consuetudinem, quod advantur peregrini, qui cum intentione proprium Parochum evitandi, a dioecesi discesserunt; jam *Filliuccius, S. J.,* [1] oppositum probabile censuit, dicens: « Probabile tamen est, *consuetudinem* etiam induxisse, ut, non obstante ejusmodi intentione, confessio valida sit. »

2. *Tamburini, S. J.,* [2] autem absolute affirmat, consuetudinem cuilibet indistincte facultatem tribuere, quum locum adeundi, quo peccata sua confiteatur, et ideo non dici posse, quod fraudulenter agat, si re suo utitur: « Tametsi (ait) nonnulli doceant, si quis in aliam dioecesim se consulto transferat, ut absolvatur a peccatis per alium, quam per suum proprium Pastorem, cui non vult sua peccata exponere; nonnulli, inquam, doceant, hunc nulliter absolutionem recipere, quia in hoc casu, ajunt, ubi intervenit mala fides et dolus, non praesumitur consensus proprii Pastoris, cum nemini sua fraus patrocinari debeat; tamen merito Pontius l. c. cum aliis satis probabiliter docet, et valide et licite hunc absolutionem recipere, ductus ex illa regula juris: *Nullus videtur dolum facere, quando utitur jure suo.* Cum ergo unusquisque jus habeat adeundi alium locum a suo, ibique se in statu gratiae ponendi, qui id facit, nulla fraude, dolo utitur nullo. Adde, *Episcopos* numquam sui hujus dissensus in dicto casu, nec exiguum quidem signum ostendisse. »

3. Ipse vero S. Doctor merito dicit: « *Et hoc hodie non est amplius* » *dubitandum ex praesenti consuetudine universali.* » Quod fusius explicat cit. Lib. VI. n. 588., dicens: « *Peregrini, stante hodierna con*» *suetudine,* ... nempe quod absol» vuntur ubique a quocumque Con» fessario approbato, *hodie non am*» *plius absolvuntur ex voluntate* » *suorum Episcoporum, sed ex vo*» *luntate Ecclesiae, quae talem con*» *suetudinem approbando, tribuit* » *facultatem, ut habeantur ipsi tam*» *quam incolae loci ubi confiten*» *tur* ... » (Vid. infra, Quaest. XIII.)

4. Et recte dicit S. Doctor. Suo enim tempore, imo jamdudum ante, Confessarii non tantum in aliquibus locis, provinciis aut regnis, sed in toto orbe terrarum, *poenitentes quoscumque* accedentes indiscriminatim receperunt, et eodem modo quo *incolas* tractaverunt: non inquirentes, an peregrini sint, vel si id per accidens cognoverunt, an eorum Episcopus consentiat et non reclamaverit; nec investigantes, quanam intentione iter aggressi sint. — Et universalem hanc consuetudinem Ecclesia approbavit; numquam enim Summi Pontifices eamdem praxim, etiam Romae sub eorum oculis vigentem, vel minime reprehenderunt. Nemo autem negat, *consuetudinem universalem ab Ecclesia approbatam vim legis habere,* et quidem eamdem, quam habet lex scripta.

1) Tr. 7. c. 7. n. 195. — 2) De poenit. c. 4. s. 3. n. 12.

Et ideo non amplius quaeritur, *an aliquis Episcopus signum dissensus dederit;* nullus enim Episcopus potestatem habet, legi universali, sive scripta, sive non scripta sit, contradicendi.

5. Idcirco jam *Bonacina* [1] tenuit, facultatem istam non amplius ex tacito Episcoporum consensu, sed ex concessione Summi Pontificis procedere. – Idem dicit *Mazzotta, S. J.:* [2] « Sacerdotes *saeculares,* cum constituuntur Confessarii, habent jurisdictionem sibi delegatam ab Episcopo eos approbante. Hac ergo habita, jure non possunt absolvere subditos alterius dioecesis ad se accedentes; sed hodie possunt *ex consuetudine, et tacito simul consensu Ordinariorum, vel potius Papae,* quo subditi alterius dioecesis per delegationem subduntur illis, dum ad eos accedunt. »

6. Sed S. Alphonsus insuper Bullam Clementis X. *Superna,* editam die 21. Junii 1670. allegat, in qua, ut dicit, « vetitum est poenitentibus » accedere ad alienam dioecesim pro » confessione *in fraudem reservationis* suarum culparum. » – Tenet ergo S. Doctor, Constitutionem Clementinam in hac parte non solis *Regularibus* privilegium speciale concessisse, sed Declarationem generalem esse, quae *ad omnes Confessarios,* sive regulares, sive *saeculares,* omnesque poenitentes spectat. Tenet itaque, Clementem X. consuetudinem universalem directe approbando, facultatem tribuisse, ut peregrini quoad Sacramentum Poenitentiae *tamquam incolae* habeantur, eo solo casu excepto, quo *in fraudem reservationis* ad alienam dioecesim pro obtinenda absolutione migraverint. – Et ita non tantum S. Doctor noster, sed et permulti graves Auctores sentiunt, speciatim Benedictus XIV., et quidem jure optimo, prout in Quaestione XIV. uberius demonstrabimus.

Articulus 3.

Ex Constit. Bonifacii VIII. cl. Ballerinius nihil deducere potest, quo sententia sua probetur.

Judice cl. Professore, doctrina S. Alphonsi « *non potest admitti...* » Jus enim confitendi extra dioecesim, Ordinario proprio invito, nullum est, *nec potest contraria consuetudo induci,* obstante illa Constitutione (C. *Si Episcopus* 2. de poenit. et remiss. in VI.): « *Nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis, praeter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.* » Cujus quidem Constitutionis hanc rationem luculentissimam DD. afferunt, quod ejusmodi consuetudo repugnet *juri divino* statuenti, ut nemo solvi aut ligari queat nisi a proprio judice. Ita *Suarez... Melchior Cano...* »

I. Jure divino requiri, « *ut nemo solvi aut ligari queat nisi a proprio judice* », nemo dubitat; et jam idcirco certum est, quia absolutio sacramentalis, ex definitione Concilii Tridentini (Sess. 14. can. 9.) actus judicialis est, quem ideo nemo valide exercere potest, nisi jurisdictionem ordinariam vel delegatam in sibi subjectos habet. – Sed nihil inde cl. Professor deducere potest, quo propositio, quam propugnat, probetur.

II. P. Ballerini speciatim *Suarium* allegat, ac proinde quid hic proprie dicat, uberius explicandum est.

1. *Suarez,* l. c. sect. 3. quaestionem proponit: « *Utrum aliqui habeant vel habere possint facultatem eligendi Confessorem ex sola consuetudine?* » Et respondet:

« *N. 1. Ratio dubitandi* sumitur ex C. 2. de poen. et rem. in 6., ubi dicitur, nulla consuetudine introduci posse, ut aliquis valeat sibi eligere Confessorem sine licentia proprii Sacerdotis; et supra reddebamus rationem, quia hoc est contra jus divi-

1) Cfr. pag. 510. n. 3. — 2) De poenit. disp. 2. q. 1. c. 2. *s.* 2. n. 2.

num, quod nulla consuetudine revocari potest. Atque ita simpliciter tenuit D. Antoninus. [1] »

« *N. 2. In contrarium autem esse videtur usus in multis casibus;* nam Parochi utuntur hac facultate *sine speciali licentia Episcoporum:* unde, cum non habeant a jure, videntur habere *ex consuetudine.* Idem videtur esse de *simplicibus Sacerdotibus,* et de quibusdam aliis personis in dignitate constitutis. Item confessionem venialium, et jurisdictionem ad illam, multi putant esse sola consuetudine introductam. Et confirmatur, quia *consuetudo potest dare jurisdictionem,* juxta C. *Cum contingat,* de foro compet., et sumitur ex C. *Dilecti,* de Arbitris. Sicut e contrario, consuetudo aufert jurisdictionem; unde aliqua peccata dicuntur esse consuetudine reservata. - Propter haec ergo, *posteriorem* hanc sententiam secuti sunt Hostiensis, Raymundus, Alensis, Gerson, Guillelmus de Monte Lugduno, quos refert Gabriel; et ipse admittit, hanc sententiam esse magis piam, et sufficientem ad excusandum, quamvis alteram dicat esse tutiorem. Hanc etiam sententiam sequitur Navarrus, [2] sumitur ex Cajetano, [3] et Soto. [4] *Et mihi etiam probatur, si recte explicetur.* » - Et sequitur *Assertio:*

« *N. 3.* Dicendum ergo censeo, ubi constiterit talem *consuetudinem* introductam esse, et videntibus ac tacentibus ordinariis Pastoribus, bona fide exerceri, *eam sufficere,* ut poenitentes secure possint uti hac facultate, quamvis haec non tam per ipsam consuetudinem detur, quam data significetur. - Prior pars satis probatur argumentis secundo loco factis. Posterior vero suadetur prioribus argumentis; quia sola consuetudo, per se sumpta, non habet unde possit hanc facultatem tribuere: ergo, si proprie loquendum est, solum est signum sufficiens facultatis concessae a Pastoribus, et numquam revocatae, sed quasi per tacitum consensum perpetuo durantis. Non est enim verisimile, illam consuetudinem inchoatam esse per confessiones sacrilegas, et re ipsa nullas, et per eas solas introductam esse: hoc enim juri divino repugnat: *signum est ergo, praecessisse facultatem aliquam, saltem generalem, numquamque fuisse revocatam:* et ita, ex vi talis concessionis quasi continuatae, consuetudine fuisse introductam. »

2. Fusius deinde Suarez exponit, hanc suam assertionem *non adversari* Constitutioni: *Si Episcopus;* et *n. 5.* dicit: « Unde (etiamsi formaliter ad verba textus attendamus) per talem consuetudinem non introducitur, *quod aliquis, praeter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare:* sed introducitur, ut aliquis censeatur habere a suo Superiore talem facultatem, modo explicato. - Dices: quid ergo speciale declarat ibi Pontifex de hac facultate? nam id commune est cuicumque legi, quod non derogetur consuetudine, nisi quatenus Superior videns et tacens consentire videtur. Respondetur, eligere Confessorem, sine licentia proprii, repugnare juri divino, et ideo significasse Pontificem in illo textu, non posse consuetudinem praescribere contra hoc jus, in quo multum differt haec consuetudo a quacumque lege mere humana. »

« Ex quo infero (quod magis illam decisionem declarat), facultatem hanc consuetudine obtentam talem esse, ut semper pendeat a voluntate proprii Sacerdotis, ita ut, non obstante consuetudine, *semper sit in ejus potestate illam revocare,* si velit; quia alias talis consuetudo formaliter ac directe esset contra jus divinum: quandoquidem, ex vi illius, posset subditus Confessorem eli-

1) Supra, c. 19. *s.* 19. — 2) In C. *Placuit*, n. 30. et seqq.— 3) V. *Absolutio*, 2.— 4) Dist. 18. q. 4. art. 2.

gere, etiam proprio Pastore repugnante. »

3. Quod iterum uberius explicat, et demum *n.7.* subjungit: « Advertere autem oportet, *ex cujus Pastoris voluntate manaverit consuetudo:* nam ex illius vel Superioris arbitrio revocari poterit, non tamen ab inferiori; ut si verum est, consuetudine introductum esse, ut quilibet Sacerdos absolvere possit a venialibus peccatis: quia illa consuetudo vel ab Apostolis, vel a Summis Pontificibus originem duxit, aut confirmata est, ideo sine illorum consensu revocari non poterit ab inferioribus Praelatis. Consuetudo autem, ut Parochi eligant Confessorem, solum ex consensu Episcoporum creditur manasse; et ideo non dubito, quin possit Episcopus in suo Episcopatu hoc mutare, vel generatim pro omnibus Parochis, vel specialiter pro aliquo, prout expedire censuerit. »

III. Tria igitur sunt, quae *Suarez* hic docet:

1. *Solam consuetudinem per se sumptam* non posse tribuere facultatem Confessarium eligendi; utique autem, quatenus *signum sufficiens est, Episcopum tacite consentire.* – Quod omnes dicunt, aut saltem subintelligunt, etsi generatim dicant, facultatem praedictam consuetudine acquiri posse.

2. *Episcopos* tacitum hunc consensum *semper revocare posse,* in quantum facultas eligendi Confessarium *ex solo hoc consensu* procedit. In quo similiter omnes conveniunt.

3. *Episcopos* consuetudinem eligendi Confessarium *a Summis Pontificibus confirmatam, nec abrogare nec limitare posse.* In quo similiter omnes conveniunt. – *Atqui* (adjungimus) *consuetudo, de qua hic agitur, a Summis Pontificibus confirmata est:* ergo nullus Episcopus dioecesanis suis facultatem extra dioecesim apud Confessarios loci, in quo versantur, more incolarum confitendi, denegare aut limitare potest.

IV. P. Ballerini insuper testimonium *Melchioris Cani* adducit, at inutiliter prorsus et otiose: nam quae Canus dicit, omnes dicunt. Et in quantum iste, l. c. discussionem concludit: « Erroneum igitur est, hac tempestate asserere, *Sacerdotem simplicem* jurisdictionem habere, potestatemque solvendi »; et addit: « In hanc sententiam conveniunt omnes Scholastici Auctores, atque adeo D. Thomas »: nos ex parte nostra addimus: Nec non omnes recentiores, nemine excepto.

QUAESTIONEM ITAQUE CONCLUDIMUS:

1. Ex praemissis satis patet, nullatenus admittendam esse istam propositionem Patrum Gury et Ballerinii, Episcopum *sub poena invaliditatis* prohibere posse, ne dioecesani (qui non abeunt in fraudem reservationis) pergant ad confitendum *extra dioecesim* Confessariis *saecularibus:* quippe quae adversatur universali consuetudini contrariae, ab ipsa Ecclesia approbatae.

2. De exemplo, recentioribus scilicet temporibus, nobis non constat. Si autem reapse aliquis Episcopus id tentaret, et recursus fieret ad S. Sedem, pro certo haberemus, quod haec prohibitio, ceu potestatem Episcopi excedens, annullaretur.

3. Insuper talis prohibitio non ad aedificationem esset, sed ad destructionem: nostra quippe aetate, sensus et sapientissima Ecclesiae mens ea est, quod Fidelibus, quantum fieri potest, amplissima confitendi copia, et maxima Confessarium eligendi libertas concedatur.

QUAESTIO XII.

An ignorantes invincibiliter reservationem, excusentur ab incurrendis casibus ab Episcopo reservatis.

(S. Alph. Lib. VI. n. 581. — P. Ball. Tom. II. n. 571.)

Lib. VI. n. 580. S. ALPHONSUS quaerit: « *An ignorantes reservationem alicujus casus, ab ea excusentur?* » Et respondet: « Hic distinguendum » inter casus reservatos a Papa, et » reservatos ab Episcopo. Si casus sit » *papalis,* commune est inter DD..., » ignorantes a reservatione *excusari*... Ratio, quia casus papales principaliter reservantur *propter censuram,* a qua certe excusat ignorantia... Et licet in casibus papalibus non reservetur tantum censura, » sed etiam peccatum, ut verius et » communius docent Sanchez, et Suarez cum D. Thoma....; attamen, » quia in casibus Papae reservatis » immediate reservatur censura..., » et mediate peccatum quod est censura ligatum; ideo, cum peccatum » sit indivisibile a censura, reservata » censura, etiam peccatum manet reservatum... »

Deinde quaestionem supra propositam pertractans, S. Doctor *n. 581.* sequens Dubium ponit: « *An ignorantes invincibiliter reservationem, excusentur ab incurrendis casibus etiam ab Episcopis reservatis?* » Et respondet: « Adsunt » tres sententiae.

» *Prima universe affirmat;* et hanc » tenent Ciera; item Paludanus, Graffius, Quintanadvenas, etc. apud Salmanticenses; item Reginaldus, Malderus, Bassaeus, Coriolanus etc. » apud Mazzotta; ac probabilem putat Lugo. Ratio, ut ajunt, quia » reservatio habet rationem poenae, » a qua excusat ignorantia. Hanc sententiam probabilem quoque putant » Salmanticenses et Roncaglia, (et » idem sentiunt Elbel, Gobat, et Sporer cum aliis, dum inquiunt, ignorantem pro prima vice posse absolvi). Verum Salmanticenses et » Roncaglia diversa ratione utuntur: » fatentur enim, reservationem non » esse meram poenam; sed dicunt, » quod habet rationem poenae medicinalis, ut illius timore retrahantur homines ab atrocioribus peccatis; at nullo modo retrahi possunt a peccando per reservationem, » qui eam ignorant; unde, cessante » fine adaequato reservationis in ignorantibus, cessat etiam reservatio. – » *Secunda sententia,* quae parum differt a prima, et quam tenent Joseph de Januario, et probabilem » putant Viva, et Diana cum Graffio » et Navarro, distinguit, et dicit, *incurri* quidem reservationem factam » ab Episcopo *per praeceptum particulare; secus vero, si facta fuerit per legem generalem,* aut Statutum » synodale, prout sunt casus reservati, qui adnotantur in Tabella. » Ratio, quia in *primo* casu, reservatio habet rationem *medicinae,* » et directe respicit Confessarios; in » *secundo* autem casu, cum reservatio fiat in Statuto, habet rationem » *poenae,* et directe respicit poenitentes.

» *Tertia* vero sententia *communior, cui subscribo, universe negat, » posse absolvi ignorantes reservationem;* et hanc tenent Sanchez, Palaus, Holzmann, Wigandt, Tamburini, Antoine, Concina, Viva, et Croix » cum aliis *communissime.* – Ratio, » *quia reservatio non est quidem » poena respiciens poenitentes, sed » restrictio jurisdictionis respiciens » Confessarios; et de hoc non videtur dubitandum;* nam Tridentinum » (Sess. 14. c. 7.) ad ostendendum,

» quod *Sacerdotes nihil possint in* » *casibus reservatis* (ut ibi in fine » declarat), haec verba praemittit: » *Nullius momenti absolutionem es-* » *se debere, quam Sacerdos in eum* » *profert, in quem ordinariam aut* » *subdelegatam* (nota) *non habet ju-* » *risdictionem. Magnopere vero ad* » *christiani populi disciplinam per-* » *tinere SS. Patribus nostris visum* » *est, ut atrociora quaedam crimina* » *non a quibusdam, sed a summis* » *dumtaxat Sacerdotibus absolve-* » *rentur.* Ideo igitur nihil possunt » Sacerdotes in reservatis, quia ca- » rent jurisdictione super illis, cum » Episcopi, ob publicum bonum, quo- » rumdam graviorum criminum ju- » dicium sibi reservent. Patet ergo, » quod reservatio directe respicit Con- » fessarios, non poenitentes. – Nec ob- » stat dicere, quod, licet reservatio » respiciat Confessarios, eorumque » limitet jurisdictionem, finis tamen » reservationis directe respicit poe- » nitentes, cum tantum ad poenitен- » tium remedium reservatio instituta » sit, ut nimirum a culpis atrocio- » ribus retrahantur: unde, cessante » fine adaequato reservationis in eam » ignorantibus, cessat etiam reser- » vatio. Nam respondetur, quod *finis* » *reservationis non est tantum, ut* » *fideles a culpis gravioribus abster-* » *reantur, sed etiam* (prout recte » dicit Fagnanus cum aliis) *ut reci-* » *piant a Superioribus poenitentias* » *et monita, ac remedia opportunio-* » *ra,* quae nonnisi a prudentioribus » applicari expedit; ergo, cum in » ignorantibus non cesset adaequate » finis reservationis, reservatio non » cessat. »

Hanc tertiam sententiam S. Doctor expressis verbis confirmat in primo Elencho Quaestionum reformatarum, *n. 83.* ubi dicit: « *An ignorans reser-* » *vationem casus episcopalis eam in-* » *currat?* In priori Libro diximus pro- » babilem sententiam negativam. *Sed* » *hic eam reprobamus,* lib. 6. n. 581. »

P. Gury, T. II. n. 571. pag. 454.[1] generatim quaerit: « *An ignorantia reservationis vel censurae ab ea in-* *currenda excuset?* – Resp. 1°. *Affir-* *mative quoad censuram...* Resp. 2°. *Quoad reservationem,* controvertitur. *Negat S. Lig.* cum aliis non paucis; ratio, quia (ajunt) reservatio restringit potestatem Confessarii. Verum sententiam affirmantem censent probabilem Salmanticenses, Lugo, Sanchez, Sporer, Roncaglia, Viva, Burghaber, Quarti, Quintanadvenas, Joseph de Januar., Joan. Marin, Beati, Jacobus Graffius. Adde Mazzotta, Diana, etc. »

Ad quem textum, P. Ballerini duplicem adnectit Adnotationem. – Et primam quidem ad sententiam negantem S. Alphonsi, in qua dicit: « *Haec ratio,* quae pro ea opinione, » vel unica, vel saltem ceu potissima » afferri solet, *nihil concludit.* Quod » enim reservatio sit restrictio juris- » dictionis, dicimus omnes; sed quod » reservatio seu lex reservans com- » prehendat etiam peccatum cum re- » servationis ignorantia factum, sicut » et patratum ex gravi metu, vel » commissum extra territorium, etc., » hae quaestiones non solvuntur ex » eo, quod reservatio sit limitatio » jurisdictionis. Paucis: quod reser- » vatio sit restrictio jurisdictionis » (quae est reservationis definitio) » nihil confert ad decernendum, ad » quos casus ea restrictio sese por- » rigat, seu *quaenam peccata sint* » *reservata,* ut bene observat Viva » (de Poen. q. IX. art. 3. n. 3.); non » secus ac scilicet ex eo quod *lex vim* » *habeat obligandi,* perperam con- » cluderetur, hunc aut illum casum » ipsa lege comprehendi. – *Alios quos-* » *dam movebat timor,* ne per hoc » disciplina tum christiana, tum re- » ligiosa laxaretur. *Sed et ista dif-* » *ficultas admodum levis est.* Cum » primo enim poenitens eam culpam » confitebitur, de reservatione a Con- » fessario monebitur, et sic discipli-

1) In altera edit. pag. 368.

» nae relaxandae aditus praecludetur » in posterum : quoad praeteritum » vero, in neutra sententia obtineri » potest, ut reservatio ignorata frae» num injiciat. »

Alteram vero Adnotationem P. BALLERINI apponit voci: « *Jacobus Graffius* », dicens: « Hic Auctor Theolo» giae et SS. Canonum scientia no» tissimus de re praesenti haec habet: » *Non ligantur ignorantes Consti*» *tutionibus seu Statutis Episcopo*» *rum, quamvis poenis aliis obligen*» *tur...., et consequenter nec hac* » *reservatione casus, cum sit poe*» *na.... Faciunt quae dixit Navar*» *rus in cap. 27. n. 80. Et ratio est,* » *quia ignorantia contingens in eo,* » *cujus causa reservatio facta est,* » *omnino ab ea reservatione excusat.* » Quod vero quidam distinguentes » inter reservationes *poenales* et *me*» *dicinales*, excusarent ignorantes » ab incurrendis prioribus, non item » a posterioribus, *difficile aliis vi*» *detur*. Ut enim, juxta communem » sententiam, advertunt Acta Syn. » Tuscul. an. 1763. (Part. 3. cap. 10. art. 9. n. 2.), *mixtae videntur esse* » *reservationes omnes, sive Pontifi*» *ciae, sive Episcopales,* idest poe» nales simul et medicinales. – Hinc *Salmanticenses* (Tr. 18. c. 6. n. 12.): » *Secunda sententia omnem reser*» *vationem esse poenalem dicit, et* » *sic ab omni reservatione ignoran*» *tiam... excusare. Huic sententiae* » *adhaeremus.* Et quidem ea ratione moveri se dicunt, quia in casu, reservatio ne medicinalis quidem dici possit; *quia* (inquiunt) *respectu* » *illius, qui nesciret peccatum esse* » *reservatum, reservatio a commis*» *sione illius nullo modo cohiberet,* » *et finis intentus a Superiore in* » *tali reservatione omnino cessaret.* » *Ergo, sicuti respectu ignorantis* » *cessat finis reservationis, nec ista* » *est medicina retrahens a peccato* » *respectu illius: ita respectu illius* » *cessat reservatio.* Quinimo hac de » causa *Joan. Marin* (Th. specul. » et mor. disp. XI. sect. 2. n. 113.) » censuit, argumentum in adversa» rios retorqueri posse. *Ideo igno*» *rantia* (ait) *non excusat juxta ad*» *versarios, quia reservatio est me*» *dicinalis.... Sed quod reservatio* » *sit medicinalis, probat, eam non* » *incurri ab invincibiliter ignoran*» *te;* et concludit verbis Sanchezii » (De Matr. lib. 9. disp. 32. n. 13.) » circa censuras: *Non esset medici*» *na, sed potius obesset, si ignorata* » *incurreretur.* »

Ut in hac quaestione investiganda ordinatim procedamus, 1. Juvat *Notitias historicas* praemittere; 2. Ad argumenta *cl. Ballerinii* respondebimus; 3. Diversas *Auctorum* sententias perpendemus.

ARTICULUS 1.

Praemittuntur notitiae historicae.

1. Exceptio a reservatione propter *ignorantiam*, ut recte advertit Amort,[1] *usque ad saeculum 17. penitus ignota fuit.* In omnibus antiquis Ritualibus et Synodorum Decretis, in quibus de casibus reservatis agitur, absolutio a casu reservato invalida declaratur, sine ulla exceptione ignorantiae, quantumvis frequentissimae. Nec ullus Auctor reperitur, qui docuisset, ignorantiam excusare a reservatione, cui censura non est adnexa. Quinimo plures nequidem admiserunt, ignorantiam *invincibilem* a censuris incurrendis excusare. – Versus finem saeculi 16. *Jacobus de Graffiis* primus fuit, qui id asseruit, quippe quod reservatio poena sit.[2]

1) Theol. eclect. de poenit. disp. 9. q. 21.

2) Diana et alii etiam *Navarrum* pro hac sententia allegant, quia Graffius dicit: « *Faciunt quae dixit Navarrus in cap. 27. n. 80.* »; sed immerito. Navarrus enim l. c. ait, ab excommunicatione propter manuum injectionem in clericum eximi, qui id fecit probabili ignorantia clericatus, aut noctu percussit. — P. Ballerini nuncupat *Graffium* « auctorem Theologiae et SS. Canonum scientia notissimum. » Quod in genere non negamus; at in hac re talem se non exhibuit.

2. Eodem tempore *Joannes Corradus* in Responsionibus moralibus, anno 1596. editis, indirecte saltem oppositum docuit. *N. 174.* quaerit: « An ego aliquid agens, quod est sub excommunicatione latae sententiae prohibitum, si hanc ignorem censuram, incidam in eam ? » – et respondet: « Quidam dixerunt, si, quod ago, est illicitum, licet ignorem ibi esse censuram, tamen incurro. *Sotus* vero [1] aliter sentit, *quod mihi magis placet.* »

Exempla dein adfert ignorantiae juris et facti invincibilis, et pergit: « Profecto si ignorantia sit *inculpabilis,* in foro *Dei* non incurrunt censuras, sed in foro *Ecclesiae* non admitteretur, vel de difficili foret, ut non puniretur. Et valde notandum est, hoc peculiare et proprium *excommunicationis* esse, neminem nisi inobedientem vincire; ideo necesse est, ut praecedat monitio, ut dictum est; reliquae vero poenae sequuntur naturam delicti, cui per legem decretae sunt, licet lex illa poenalis ignoretur. »

Deinde vero rationem reddit, cur id *excommunicationi* peculiare et proprium sit. Veram namque esse illam regulam generalem: Qui non excusatur a culpa, non excusatur a poena imposita, si de poenis communibus et ordinariis agitur; et ideo *interdictum, irregularitatem,* aut *suspensionem* incurri etiam ab ignorantibus poenam impositam. At vero *excommunicationem* esse poenam exorbitantem et extraordinariam, et hac ratione excipiendam.

3. Idem tenet *Suarez* [2] quoad *irregularitatem ex delicto.* Et hujus assertionis fundamentum esse dicit, quia ignorantia solius poenae eam non excusat, quia non excusat culpam, et consequenter nec reatum culpae. Aliter autem de *censuris* esse judicandum, quia poenae *medicinales* sunt, quae formaliter propter contumaciam feruntur. – De casibus autem *ab Episcopis sine censura reservatis* alibi tractat; [3] et quamvis more solito omnes etiam subtilissimas quaestiones, quae ad hanc materiam spectant, late et erudite investiget, *nihil* tamen dicit de quaestione, *an ignorantes a reservatione excusentur.* Signum evidens, ipsum pro certo et explorato habuisse, de quo nemo dubitet, ignorantes reservationem incurrere.

4. *Saeculo 17.* aliqui Doctores distinguere coeperunt inter reservationem *poenalem* et *medicinalem;* et alii tertiam speciem, *mixtam* scilicet, adjecerunt. – Ut ipsa rei natura docet, quaelibet reservatio quodammodo *poena* et *poenalis* dici potest, in quantum res odiosa est poenitenti, difficultates experiri, et non absolvi posse a quovis Confessario approbato, quemadmodum ceteri Fideles. Similiter et *medicina* seu *medicinalis* dici potest, quatenus Fideles ab atrocioribus culpis eo magis retrahuntur, quo absolutio ipsis difficiliór redditur. Cumque utraque ratio semper concurrat, quaelibet reservatio *mixta* dici potest, prout bene advertit Lacroix. [4]

5. Haec per se clara sunt, et citra controversiam. Verum Doctores isti distinguentes praefatam distinctionem alio sensu acceperunt. Non quidem una eademque omnium mens fuit in hac re; attamen communiter, paucis exceptis, convenerunt, reservationem *poenalem* esse, quando Episcopus peccatum aliquod speciali lege prohibet, et reservationem adnectit; non poenalem vero seu *medicinalem,* quando peccatum propter bonum commune Ecclesiae, et in rectam illius gubernationem reservatur, nulla speciali prohibitione addita. Communes esse hasce notiones inter Doctores distinguentes, infra ostendemus.

1) Dist. 22. q. 1. art. 2. — 2) De cens. disp. 40. sect. 5. n. 10. — 3) De poenit. disp. 29. 30. et 31. — 4) Lib. 6. p. 2. n. 1602.

Articulus 2.

Perpenduntur cl. Ballerinii argumenta.

I. Cl. Professor dicit, definitionem *reservationis,* quod sit *restrictio jurisdictionis,* nihil conferre ad decernendum, ad quos casus ea restrictio sese porrigat, seu quaenam peccata sint reservata; et ideo rationem, quam afferunt S. Alphonsus et alii, *nihil concludere.*

1. At vero, in cujusvis rei definitione ejus essentia continetur; unde tam in theologicis, quam in caeteris disciplinis, rei, de qua tractandum est, definitio praemitti solet, et quaestiones ad hanc materiam spectantes inde evolvuntur. Sic et in nostra materia. – *Reservatio* non definitur, quod sit poena certorum criminum, sive per modum vindictae, sive per modum medicinae imposita; sed, juxta Concilium Tridentinum, quod sit *restrictio jurisdictionis Confessariorum,* qua summi Sacerdotes judicium de atrociorum criminum reis sibi reservare intendunt. Ex hac ergo essentiali et characteristica nota, quaestio de qua sermo est, rite et recte solvitur.

2. Cum, ut omnes fatentur, reservatio sit jurisdictionis restrictio, qua Confessariis omnis potestas poenitentes a certis peccatis absolvendi adimitur, et Episcopi absolute, indistincte et sine exceptione judicium de hisce peccatoribus sibi reservent; quaestio est: *An tituli legitimi existant,* quibus intercedentibus, Confessarii nihilominus aliquando valide absolvere queant. Existunt utique, et quidem quatuor: 1°. *Declaratio Ecclesiae seu S. Sedis,* Confessarios in certis casibus absolvere posse. 2°. *Tacita Ecclesiae vel S. Sedis approbatio.* 3.° *Consuetudo,* seu potius *tacitus Episcoporum consensus,* cujus signum et testis est Consuetudo, quod scilicet Episcopi videant, Confessarios absolvere, et taceant.

4°. *Vera probabilitas* gravi ratione et auctoritate suffulta, Episcopos, in certis casibus seu circumstantiis, peccatum alias reservatum sub reservatione comprehendere aut non posse aut non velle.

3. *Nullus* autem ex quatuor hisce titulis in favorem *reservationem ignorantium* intercedit: nec declaratio, nec approbatio Ecclesiae, nec consuetudo, aut tacitus Episcoporum consensus. – Quin potius *contraria consuetudo et praxis universalis* est, ut ignorantes reservationem non absolvantur: quod passim et patroni oppositae sententiae fatentur, prout *Sporer:*[1] « Hanc sententiam (ignorantiam, etiam vincibilem, excusare a reservatione) Diana censet satis probabilem, imo verissimam, si restringatur ad casus reservatos in poenam delicti: quales sunt, qui habent annexam excommunicationem. Quoad reliquos casus mere reservatos in cautelam et ad rectam gubernationem, *fateor, videtur repugnare judicium Superiorum Ecclesiasticorum, Regularium, praximque communem Confessariorum,* qui sciunt, passim ignorari a poenitentibus, hoc vel illud peccatum esse reservatum, *tamen perinde cum ipsis procedunt, ac si nossent reservationem,* ut bene observat Gobat. » – Mirum autem, quod non obstante hac concessione, Sporer affirmare audeat, ignorantes reservationem prima vice absolvi posse.

4. Nec ulla vel tenui probabilitate probari potest, quod *Episcopi* eos, qui reservationem ignorant, sub reservatione comprehendere aut non possint, aut nolint. – *Possunt* certe, quod nemo negat. *Volunt* certe; quia secus, nostris saltem temporibus, quoad maximam partem *inutiliter* peccata sibi reservarent: quippe quod, praeter Sacerdotes, rarissime quis laicus reperiatur, qui casus reservatos noverit. Volunt certe; quia secus *finis primarius reservationis*

1) De poenit. n. 735.

frustraretur. Primarius namque finis, cur, juxta Concilium Tridentinum, ab antiquo tempore judicium de causis criminum graviorum et atrociorum inferioribus Sacerdotibus subtrahebatur, et summis reservabatur, ille est, quem S. Alphonsus cum Fagnano, Cardinale de Lugo et aliis indicat: « *ut recipiant a Su*» *perioribus poenitentias et monita,* » *ac remedia opportuniora, quae* » *nonnisi a prudentioribus appli*» *cari expedit.* » Et ideo finis primarius in irritum caderet, si ignorantes a quovis Confessario inferiore absolvi possent.

5. Ex his patet, falsam esse argumentationem *Salmanticensium* (a cl. Professore cum P. Gury citatorum), dum dicunt: [1] « *Huic sententiae* (ab omni reservatione ignorantiam saltem inculpabilem excusare) *adhaeremus, non ob fundamentum illius, quod quaelibet reservatio est poena, quae non incurritur ab illam ignorante,* quia hanc rationem numero praecedenti refutavimus; *sed quia est poena medicinalis.* » – Quam rationem ex eo probant, quia ille, qui reservationem nescit, non cohibetur a peccato reservato perpetrando, et ideo finis a Superiore in tali reservatione intentus omnino cessat.

6. Sed multiplici capite errant. 1°. Quia *retrahere Fideles a criminibus gravioribus* nec unicus finis reservationis est, nec primarius, sed *secundarius;* et ideo deficere potest, et nostra aetate plurima ex parte reapse deficit, imo jam dudum ante defecerat. 2°. Quia finis hic secundarius *bonum commune et rectam gubernationem Ecclesiae* respicit; et ideo obtinetur, etiamsi multi propter ignorantiam reservationis non retrahantur. 3°. Quia, quod bonum particulare singulorum poenitentium attinet, ratio *medicinae* in eo reponenda est, quod remedia opportuniora et salubriora a prudentioribus et expertioribus ipsis praeparentur. Quae ratio eadem est, sive sciverit, sive ignoraverit poenitens reservationem.

II. Advertit insuper P. Ballerini: « *Alios quosdam movebat timor, ne* » *per hoc disciplina,* tum christia» na, tum religiosa, *laxaretur. Sed* » *et ista difficultas admodum levis* » *est.* »

An sint, qui hujusmodi timore moventur, nescimus. Certum autem est, quod, admissa sententia affirmativa cl. Professoris, disciplina reservationis non solum laxaretur, sed penitus fere e medio tolleretur: quia inter *laicos* perpauci sunt, qui casuum reservatorum notitiam habent, uti jam supra (n. 4.) dictum est. Unde *sola Theologorum peccata reservata essent;* quemadmodum scite observat Leonardus Jansen, infra allegandus.

Articulus 3.

Perpenduntur variae Auctorum sententiae.

Nec S. Doctor noster, nec P. Gury Auctores, qui de hac quaestione scripserunt, exacte citant, in quantum *distinctiones,* quas singuli adhibent, non satis explicent. Unde praecipuos saltem allegare juvat.

I. Primus, qui *indiscriminatim affirmavit,* ignorantiam a quavis reservatione excusare, cum omnis reservatio sit poena, *Jacobus de Graffis* fuit.

II. Ex iis autem, qui inter *poenales* et *non poenales* distinxerunt,

1. Primus fuit *Thomas Sanchez, S. J.,* qui [2] propositionem defendit, non tantum excommunicationem, sed etiam suspensionem, interdictum et irregularitatem ex delicto, ab ignorantibus poenam non incurri.

Et l. c. *n. 18.* subdit: « Hinc deducitur, dum in nova Constitutione reservatur absolutio alicujus peccati, in odium illius, ut fecit Sixtus V. contra male promotos ad Ordines, ignorantem invincibiliter eam Con-

1) Loc. cit. tr. 18. c. 4. p. 1. n. 18. — 2) De matrim. lib. 9. disp. 32. n. 17.

stitutionem non incurrere hanc reservationem, quamvis se delinquere norit. Quia ea reservatio est poena statuta in odium delinquentis... Nec obstat, si objicias, per reservationem tolli jurisdictionem absolvendi: et ita ignorantiam non efficere, ut absolutio illa sit valida, sicut si bona fide quis simplici Sacerdoti fateretur. Dicendum enim est, aliud esse in reservatione *simpliciter facta,* quae ad bonam Ecclesiae gubernationem refertur, ut graviora delicta Superioribus reserventur: aliud vero de reservatione *praecepta in lege,* quae est poena et accessoria, atque adeo sequitur naturam principalis et poenae. »

2. Sanchezium secutus est *Palaus, S. J.:* [1] « Secundo infero, reservationem absolutionis factam *in odium alicujus peccati, non contrahi ab ignorante; secus vero, si ob commune bonum Ecclesiae,* et rectam illius gubernationem reservetur: tunc autem intelligi debet reservari ob commune bonum praecise, quando per se et ratione sui reservatur, nulla speciali Constitutione peccatum illud prohibente: at quando reservatur Constitutione aliqua specialiter prohibitiva et punitiva delicti, ut fecit Sixtus V. contra male promotos ad Ordines, et Gregorius XIII. contra dantes et recipientes pecunias, pro gratia a Sede Apostolica obtinenda, non contrahitur ab ignorante talem poenam. Sic Sanchez. » [2]

3. Idem sentit *Lugo, S. J.,* [3] ubi de quaestione agit, an peccata *puerorum* sint reservata; et sententiam Dianae refert, qui cum aliis negat: quia, sicut minor aetas in foro externo excusat a poena ordinaria, ita et in animae judicio. - Dein addit: « Haec tamen ratio ad summum probat de reservatione, quae statuitur, ut *poena;* non de ea, quae non est ut poena, sed ut *medicina.* Quare ratio illa non probat de casu ibi proposito; quando scilicet *peccatum sodomiae* est reservatum in aliquo Episcopatu; nam reservatio illa non est poena, sed est lex determinans casus, in quibus, pro meliori remedio applicando, debet recurri ad Praelatum pro absolutione: *si autem esset poena, non incurreretur ab ignorantibus reservationem,* ut statim videbimus, et docet idem Diana cum aliis. *Certum autem est, illam reservationem afficere eam ignorantes;* ut constat ex praxi omnium Religionum, in quibus ignorantia reservationis non tribuit facultatem absolvendi poenitentem, qui reservationem ignoravit. »

Et *n. 11.* dicit: « Secundo dubitari potest *de ignorantibus reservationem poenalem,* an illam incurrant: de quo late *Thomas Sanchez,* [4] ubi refert plures dicentes, ad incurrendam poenam Ecclesiasticam non requiri scientiam prohibitionis juris positivi. Alii dicunt, eam scientiam requiri: quam sententiam ipse sequitur: et num. 18. dicit, in terminis reservationem, quae imponitur in poenam delicti, quod prohibetur aliqua Bulla Pontificia, non incurri ab ignorante invincibiliter illam Ecclesiae prohibitionem. »

4. Eandem sententiam tenent duo Auctores, qui benignioribus opinionibus favere solent: Tamburini et Stoz.

Tamburini, S. J., [5] praemissa definitione reservationis, quod sit *restrictio jurisdictionis,* per quam Confessarii non valeant aliqua peccata sacramentaliter absolvere, quaestionem ponit: « *An reservatio liget etiam ignorantes?* » et respondet:

« *N. 2.* Ex hac descriptione colligitur primo, *etiam eos incidere in casus reservatos, qui illos esse reservatos ignorant* (quidquid, nullam afferens rationem, videatur docere Quintanadvenas; sed multas, at non efficaces, adducens Januarius apud

1) Tr. 2. disp. 1. p. 17. n. 8. — 2) Loco cit. — 3) De poenit. disp. 20. n. 9. — 4) Lib. 9. de matrim. disp. 32. a n. 15. — 5) De poenit. tr. de cas. res. c. 1. n. 1.

Dianam). *Reservatio enim non est poena, cui certe non subjacet, qui illam nescit;* sed, ut diximus, est limitatio potestatis Confessariorum facta, ob bonum publicum, ut scilicet Fideles a peccatis illis reservatis committendis absterreantur, dum vident, ea non posse ab ordinariis Confessariis absolvi, sed solum a Superiore, seu ab illo, cui reservantur.»

« *N. 3.* Fateor tamen cum Sanchez, de Lugo aliisque, *interdum reservationem esse poenam;* quando scilicet Superior prohibet aliquod peccatum, et in ejus odium infligit reservationem. Ponit Sanchez exemplum de peccato ex mala promotione ad Ordines, quod, quia reservatum est a Sixto V. in odium talis peccati, *non incurritur* ab ignorante ejusmodi reservationem, quamvis peccare se cognoscat. »

« *N. 4.* Quando autem reservatio sit in poenam committentis peccatum, quando sit ob bonum publicum limitatio jurisdictionis, ex verbis legis est colligendum. Ergo certe, ut innuit ibidem Sanchez, semper censeo, *reservationem simpliciter factam, esse limitationem jurisdictionis;* regulariter enim sic solent ab Ecclesia reservari casus, et solum tunc censuerim esse meram poenam, quando expresse ex tenore legis poenam esse significetur. »

5. *Stoz, S. J.,* [1] cum Palao docet, reservationem pro *poenali* habendam esse, quando fit per talem legem, per quam simul specialiter ipsum delictum prohibetur et punitur; pro *non poenali* autem, quando lex simpliciter tantum loquitur, reservando quidem delictum, sed non simul specialiter illud prohibendo. Poenalem in hoc sensu non incurri ab ignorantibus, dicit, utique autem non poenalem; et subdit:

« *Nonnulli apud Dianam* (cit. Res. 42.) *putant, omnem reservationem esse poenalem* (quibus quoad hoc consentit Fagundez, [2]) *adeoque nullam*, quae per legem quamcumque fit, *incurri ab ignorantibus;* idque multis rationibus probare conatur Joseph a S. Januario, apud Diana (cit. Res. 63.), et ipse Diana ibid. fatetur hoc esse satis probabile; *sed, ut ego intelligo, ad summum speculative tantum, et non practice:* quia nostram sententiam, quae affirmat, reservationem *non poenalem incurri etiam ab ignorantibus,* agnoscit cit. Res. 42. esse *communem,* a Lugone dici *certam,* et omnium Religionum praxi receptam; contrariam quoque opinionem ab Hurtado censeri improbabilem. Unde, non attenta probabilitate, quam contrariae sententiae antea tribuerat, merito ait, *se nostrae adhaerere, nec audere se ab ea recedere.* »

6. Eamdem distinctionem tenent *Wiestner, Pichler* et *Schmalzgrueber,* e Societate Jesu.

7. Omnes autem Auctores modo citati nequaquam admittunt nec probabile censent, reservationem ignorantes *generatim* excusari; sed tantum admittunt, si peccatum aliquod specialiter prohibetur, et reservatio adnectitur. Ceterum distinctio haec, in praesenti saltem, momentum practicum non habet; nam Episcopi simpliciter casus aliquos sibi reservare solent, et vix occurret, quod Episcopus specialiter peccatum aliquod prohibeat, et reservationem addat.

1) Trib. Poenit. lib. 2. n. 59.

2) Sed *Fagundez, S. J.,* l. c. *(Praec. 2. lib. 8. c. 1. n. 28.)* oppositum potius inde concludit. Dicit enim, Confessarium, qui reservationem alicujus peccati ignorat, et bona fide ab eo absolvit, invalide absolvere: « Est enim diversa ratio in reservatione peccati, et in aliis poenis irregularitatis et excommunicationis; quia, cum reservatio nihil aliud sit, quam *privatio jurisdictionis,* inde est, quod ex defectu jurisdictionis Sacerdos ignorans peccatum aliquod esse reservatum, invalide absolvat, cum tamen a peccato excusetur propter ignorantiam; nam ex defectu jurisdictionis, non manet poenitens illius subditus quoad praedictum peccatum reservatum. »

8. *Gobat, S. J.*, similiter auctor benignus, advertit, [1] aliquos Auctores apud Dianam scientiam reservationis requirere, et Quintanadvenam rotunde scribere: « Ignorantia reservationis, sive juris, sive facti, etiamsi sit vincibilis, excusat a reservatione. » – Et dicit: « Habetque Diana pro satis probabili et pro verissima, si restringatur (de quo vide De Lugo [2] consentientem) ad casus reservatos in poenam delicti, sicuti sunt, meo judicio, soli habentes annexam censuram; *de aliis non assentior*, videns, judicium Superiorum Ecclesiasticorum et Regularium, *praximque communem repugnare*. Sciunt Superiores, norunt subditi et horum Confessarii, *ignorari a plerisque*, si non ab omnibus expertibus Theologiae, reservationem impositam huic aut illi peccato; *et tamen, tam Confessarii, quam Superiores, procedunt perinde, ac si compertum haberent, fuisse cognitam reservationem.* »

Et quoad Regulares subjungit, quod Confessarius regularis, qui, ex opinione Quintanadvenae, poenitentem absolveret et de reservatione non moneret, sed in ignorantia sua relinqueret, contra fidelitatem Praelato suo debitam peccaret: « Nec censeo, Confessarium regularem praestiturum fidelitatem, quam debet suo Praelato, si nactus poenitentem implicitum tali casu, ignarumque reservationis, absolvens ex opinione Quintanadvenae, non dicat expresse: Te quidem absolvam hac vice; scito autem, te imposterum non posse a me absolvi, sine expressa facultate Superioris. »

III. Porro permulti DD. *indistincte et absolute* docent, omnem casum reservatum, cui censura non est adnexa, *incurri ab ignorantibus*.

1. *Lacroix, S. J.*, [3] quaestionem proponit: « *An incurrat reservationem, qui ignorat, illam esse peccato suo adnexam?* » Primo sententiam Sanchezii, Palai et aliorum adducit, qui negant, quando reservatio est pure poenalis; et dicit: « Haec sententia procedit ex suppositione, quod detur reservatio pure poenalis: quod n. 1602. negavi. » – Deinde sententiam aliquorum adfert, qui dicunt, reservationem non incurri, ea ratione ducti, quod reservatio simul sit medicinalis; et demum concludit: « *Sed absolute tenendum est cum communissima, incurri;* quod clarum esse et in praxi notum, dicit Aversa [4]; putantque Hurtado et alii, *oppositum esse improbabile;* quia per talem reservationem, quae potius est medicina, quam poena, absolute et antecedenter tollitur jurisdictio a Confessario propter bonum commune. »

2. *Leonardus Jansen:* [5] « Idem Sporer dicit, posse absolvi poenitentem, si ignoret, suo peccato esse annexam reservationem: *sed nec hoc videtur admitti posse*, maxime si reservatio non sit mere poenalis, sed simul medicinalis, qualis semper esse praesumitur; et *praxis est contraria;* ignorantia enim poenitentis non facit, ut Confessarius accipiat jurisdictionem in peccatum, in quod alias non habebat; et certo si haec sententia teneret, *sola peccata Theologorum essent reservata*, cum hi soli sciant casus in specie reservatos. »

3. *Cuniliati* [6] ait: « Ignorantia, quamvis invincibilis, reservationis simplicis non excusat a reservatione incurrenda; quia reservatio est ablatio potestatis, ad absterrendum a peccato illo committendo; et propterea intentio reservantis non est, ut dumtaxat scientes reservationem non absolvantur, sed ne absolvatur quicunque illud peccatum perpetraverit; non enim reservatio est poena, postulans contumaciam, sed remedium, ut dixi, ad impedienda peccata gra-

1) Tr. 7. n. 360. — 2) Disp. 20. sect. 2. — 3) Lib. 6. p. 2. n. 1607. — 4) Q. 17. sect. 1. — 5) T. 2. cas. 99. n. 10. — 6) De poenit. s. 10. n. 3.

viora. Hinc non est admittenda quorumdam Scriptorum opinio, dicentium, pro prima vice posse absolvi ignorantem reservationem; tum quia id affirmatur absque gravi ullo fundamento, tum quia, cum agatur de valore Sacramenti (agitur namque de jurisdictione ad absolvendum) tutior pars est eligenda, posthabita probabili; eo magis, quia *opinio contraria neque probabilitatis confinia attingere videtur*. Dixi: *reservationis simplicis;* nam de reservatione illa, quae est adnexa *censurae*, et quae peccatum reservat ratione censurae adnexae, aliter dicetur suo loco. »

4. Eamdem sententiam (supposito, quod peccatum reservatum sit *sine censura*) indistincte et absolute tenent et propugnant *Illsung,* [1] *Mendo,* [2] *Herincx,* [3] *Felix Potestas,* [4] *Concina,* [5] *Holzmann,* [6] *Engel,* [7] *Antoine,* [8] *Ferraris,* [9] *Voit,* [10] *Reuter,* [11] *Collet,* [12] qui dicit, saniorum Theologorum hanc esse sententiam; et *Amort,* [13] qui ait, Theologos alioquin minime rigidos censere, *nullam aut nonnisi tenuem probabilitatem dari sententiae oppositae.*

EX PRAEMISSIS ITAQUE CONCLUDIMUS:

I. S. Alphonsus rectissime docet, *Ignorantiam invincibilem* casus ab Episcopo reservati, ab incurrenda reservatione *non excusare;* et vere concludens est ratio a S. Doctore allata « quia reservatio non est quidem poena respiciens poenitentes, » sed *restrictio jurisdictionis respiciens Confessarios* »; ac merito addit: « *de hoc non videtur dubitandum.* »

II. Haec sententia negans optimo jure *communior,* imo et *communissima* dici potest. – Etenim 1. *Permulti graves DD.* indistincte et absolute eam tuentur. 2. Eidem etiam adscribi possunt *Sanchez, Palaus, Lugo* et caeteri, qui dumtaxat prohibitionem specialem cum adnexa reservatione excipiunt; siquidem ista exceptio, saltem juxta praesentem disciplinam, practicum momentum non habet. 3. Quia *pauci* sunt oppositae sententiae *affirmantis* defensores; et plerique ex ipsis, uti Josephus a S. Januario, Quintanadvenas, Burghaber, Marin, Beati, inter clariores et notiores, majoreque auctoritate pollentes, non numerantur. 4. Quia *Suarez* et *Antiquiores* hanc quaestionem nequidem attigerunt; quod signum evidens est, ipsos minime dubitasse, reservationem ab ignorantibus incurri.

III. Nec objici potest, *quod Ecclesia suppleret,* etiamsi sententia affirmans falsa esset. Ecclesia enim jurisdictionem non supplet, nisi *in errore communi;* hic autem non de communi, sed de *paucorum* errore agitur.

IV. Demum, cum agatur de valore Sacramenti, saltem in casu, quo poenitens solum confiteretur peccatum reservatum, opinio tutior absolute tenenda est.

1) De poenit. n. 223. — 2) Epitome, V. *Reserv. cas.* n. 5. — 3) De poenit. disp. 6. n. 20. — 4) Ex. eccl. T. 1. n. 3299. — 5) De poenit. diss. 2. *s.* 1. n. 7. — 6) De poenit. n. 687. — 7) Man. Par. p. 3. c. 2. *s.* 2. — 8) De poenit. art. 2. q. 1. — 9) V. *Reservatio,* n. 39. — 10) De Sacram. n. 837. — 11) De poenit. n. 361. — 12) De poenit. p. 2. n. 215. — 13) Tr. 13. *s.* 22. q. 21.

QUAESTIO XIII.

An possit absolvi a simplici Confessario Peregrinus habens peccatum, quod est reservatum in illa dioecesi, sed non in patria.

(S. Alph. Lib. VI. n. 588. — P. Ball. Tom. II. n. 573.)

Lib. VI. n. 588. S. ALPHONSUS praefatum Dubium sic solvit: « *Prima* » sententia *affirmat*, quam tenent » Fagundez et Stoz apud Croix, ac » Sotus apud Viva (qui probabilem » putat), et alii apud Suarez. – Ratio, » quia peregrinus debet judicari » juxta leges Superioris sui, cujus » tacito consensu Confessarius loci » eum absolvit.

» *Secunda* vero sententia *negat;* » et hanc tenent Suarez, Lugo, Bonacina, Concina, Wigandt, Ciera, » et Salmanticenses cum Villalobos, Diana, Aversa et Dicastillo; ac probabilem etiam putat Viva. – Ratio, » tum *quia peregrinus debet se conformare legibus loci*, in quo se subjicit judicio sacramentali; tum quia, sicut talis poenitens sentit commodum, ut possit a quolibet Confessario absolvi de peccatis reservatis tantum in sua patria, prout dicemus in dubio sequenti: ita debet sentire incommodum, ut non possit absolvi a peccatis reservatis in loco confessionis. Et sic resolvit S. *Congregatio Episcoporum* 17. Novembr. 1616., apud Pittonium. – Haec sententia est quidem *communior et longe probabilior;* quia peregrini, *stante hodierna consuetudine* (ut mox infra dicetur) nempe quod absolvuntur ubique a quocumque Confessario approbato, hodie non amplius absolvuntur ex » voluntate suorum Episcoporum, » sed *ex voluntate Ecclesiae,* quae, » talem consuetudinem approbando, » tribuit facultatem, ut habeantur » ipsi *tamquam incolae loci, ubi* » *confitentur;* cum autem reservatio » (ut probavimus n. 581. [1]) respiciat » Confessarios, non poenitentes, *Con-* » *fessarius loci nequit absolvere eos* » *a peccato, in quo sibi limitata est* » *jurisdictio a suo Ordinario.* » [2]

P. Gury, T. II. n. 573. pag. 457. [3] similiter quaerit: « Utrum absolvi possit subditus alterius dioecesis, si casus est reservatus tantum in loco confessionis? » Et respondet: « *Communius recentiores negant.* Ratio eorum est, quia Confessarius habet jurisdictionem a proprio Episcopo restrictam. – *Affirmant* tamen alii *cum antiquorum communissima sententia.* Ratio horum est, quia Confessarius absolvit hunc poenitentem jurisdictione indirecte communicata ab hujus Ordinario; et cum hic peccatum illud non reservaverit, eo ipso jurisdictionem non restrinxit. Sic Armilla, Cajetanus, Navarrus, Ugolini, Bartholomaeus Medina, etc.»

Ad hunc autem textum, P. BALLERINI duplicem longiorem Adnotationem adnectit, in qua sententiam *negativam,* quam S. Alphonsus ceu communiorem et longe probabiliorem tuetur, pluribus argumentis impu-

1) Vid. Quaest. praeced.

2) In primo Elencho Quaestionum reformatarum, *n. 86.* S. Doctor scribit: « An possit absolvi a simplici Confessario peregrinus habens casum reservatum in loco confessionis tantum, et non in patria? *In Libro priori* (i. e. in prima edit. Theol. mor.) *relata est opinio affirmativa. Sed hic eam refutamus,* lib. 6. n. 588. »

3) In altera edit. pag. 371.

gnat. Quae hunc in finem profert, ad sequentia capita reduci possunt: 1. Marcus Struggl testatur, sententiam *affirmativam* esse communem; 2. Et recte quidem; haec namque nititur axiomati penes omnes recepto, videlicet, Jurisdictionem dari debere a Superiore ejus, qui absolvendus est; 3. Eidem sententiae Auctores communiter adhaerent.

In iis quae a cl. Professore exponuntur, aliqua quidem vera sunt, plura autem falsa, aut saltem nihil ad rem faciunt. Hinc sequentia probanda suscipimus: 1. Doctrina, quam P. Ballerini instar *axiomatis* apud omnes haberi dicit, admittenda non est; 2. Auctoritates et argumenta allata sententiam *negantem* nullatenus infirmant; 3. Haec eadem sententia merito cum S. A. *communior* dicenda est.

Articulus 1.

Immerito asserit cl. Professor, instar Axiomatis penes omnes haberi doctrinam, quod Jurisdictio dari debeat a Superiore ejus, qui absolvendus est.

Ad citata verba Patris Gury: «*Ratio horum* (qui affirmant) *est* », cl. Ballerinius alteram longiorem Adnotationem, in qua verum quaestionis statum haud recte exponit, sic exorditur: « Ratio petitur ex doctrina, quae *instar axiomatis penes omnes est,* quod nempe *Jurisdictio dari debet a Superiore ejus, qui absolvendus est,* ut ait Dicastillus, Tr. 8. disp. 10. n. 245. »

Sed haec doctrina nequaquam *axiomatis* instar apud omnes est, nec unquam fuit, et in praesenti nullatenus admittenda est. Etenim

1. S. Alphonsus, cit. Lib. VI. *n.548.* dubium proponit: «*A quonam Ordinario habenda sit approbatio?* » et tres sententias adducit:

« *Prima* sententia docet, habendam esse *ab Ordinario poenitentis:* quia ad illum spectat, cui vult, suas oves committere, et erga ipsas jurisdictionem concedere... *Secunda* docet, requiri approbationem *ab Ordinario sacerdotis...*

» *Tertia* sententia, quam probabiliorem putant Croix, et Cardenas cum Navarro, Barbosa et pluribus aliis apud Salmanticenses, docet, ex communi praxi fidelium, approbationem petendam esse *ab Ordinario loci, ubi confessiones excipiuntur.*-Nec obstat dicere, quod jurisdictio erga poenitentes non conceditur, nisi ab ipsorum Episcopis. Nam *hoc ipso, quod quis vult confiteri in aliquo loco, quoad hoc subditus fit Ordinarii illius;* vel saltem hoc valet *ex consensu universali sive conniventia Episcoporum,* a quibus data praesumitur jurisdictio erga proprias oves, ob bonum ipsarum, cuicumque Sacerdoti approbato ab Episcopo loci, ubi confessio fit. Ita Viva, Salmanticenses. *Et haec ultima sententia hodie est omnino tenenda* cum Roncaglia, ex Bulla: *Cum sicut* Innocentii XII., edita anno 1700. die 19. Aprilis (relata per extensum apud Salmanticenses), ubi sic sancitum fuit: *Confessarii tam saeculares quam regulares, quicumque illi sint, in vim.... Bullae Cruciatae... nullatenus confessiones audire valeant sine approbatione.... Episcopi.... loci, in quo ipsi poenitentes degunt, et Confessarios eligunt... Nec ad hoc suffragari approbationem, semel vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum dioecesum obtentam, etiamsi poenitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios approbassent, subditi forent.* Deinde Pontifex declarat, alias confessiones fore invalidas, et Confessarios suspensos, etc., *reprobata tamquam falsa et temeraria quacumque contraria opinione.* Et constat ex eadem Bulla, Pontificem locutum fuisse ex cathedra, ut ostendunt Salmanticenses. Bullam Innocentii nuper confirmavit Summus Pontifex Benedictus XIV., per aliam Bullam, quae incipit: *Apostolica...* »

2. Idem docet *P. Gury*, cit. T. II. n. 540. pag. 423. [1]; et ipse *P. Ballerini* in fine adnotationis ibidem adjectae, dicit: « *Ex quibus omnibus* » *manifeste patet, primam ac secundam ex recensitis superius* (a » S. Alphonso) *sententiis jam pro* » *antiquatis habendas esse.* » – Scite autem P. Gury ad n. 539. advertit: « *In praxi, juxta praesentem Ecclesiae disciplinam, approbatio et jurisdictio simul eodem actu a Praelato sacerdotibus conferri solent,* exceptis Regularibus exemptis. Olim, ante Tridentinum scilicet, cum approbatio Episcopi necessaria non esset, jurisdictio communiter a Parochis concedebatur. Nunc autem, Episcopi jurisdictionem simul cum approbatione tribuunt, et proinde facultas delegandi in Parochis vix exercitium habet. Hinc jurisdictio nsu communi etiam *approbatio* dicitur. » .

3. Nullus ergo Episcopus confessarios *in aliena dioecesi* delegare potest, ut dioecesanos suos a peccatis absolvant, quae Ordinarius loci sibi reservavit; nec efficere potest, ut absolutio valida sit, quam Constitutio Innocentii XII. invalidam declaravit. Imo, etiamsi Confessarius aliquis ab alieno Episcopo non tantum facitam, sed expressam et formalem approbationem et jurisdictionem in ejus dioecesanos obtinuisset, nihilominus, juxta eamdem Constitutionem, ipsos valide absolvere nequiret a peccatis, quae *Ordinarius loci* sibi reservavit.

4. Insuper falsa *de facto* est illa suppositio, Episcopos tacite Confessarios in aliena dioecesi delegando, intendere, ut dioecesanos suos etiam a peccatis Ordinario loci reservatis absolvant. Episcopi potius dioecesanos suos, in aliena dioecesi versantes, quoad Sacramentum Poenitentiae, jurisdictioni Ordinarii loci et confessariorum, quos approbavit, subjicere intendunt, vel rectius intenderunt; nam in praesenti, ut jam supra [2] exposuimus, peregrini non amplius ex mera Episcoporum voluntate, sed *ex voluntate Ecclesiae*, quoad Sacramentum Poenitentiae, *tamquam incolae* habendi sunt.

5. Praeclare istam intentionem paucis verbis explicat *Coninchius, S.J.:* [3] « Quando Episcopus aut Pastor alicui peregrinanti dat facultatem, ut possit eligere Confessarium, electum eum posse absolvere ab omnibus casibus, a quibus suos subditos potest absolvere, etiamsi aliqui in poenitentis dioecesi reservati sint. Et similiter, si aliqui casus sint *reservati in dioecesi Sacerdotis,* ita ut hic non possit alios ab iis absolvere, *nec hunc poenitentem poterit ab iis absolvere, etiamsi in ejus dioecesi non sint reservati.* Quia, qui dedit poenitenti eam facultatem, per eam non auxit nec minuit potestatem ipsius Confessarii circa peccata remittenda; sed solum poenitentem ipsius jurisdictioni subjecit, ut, pro potestate quam in eo foro habet, eum absolveret. Idemque dicendum est de *peregrinantibus, etiam sine tali speciali licentia.* Quia, ut ostendi n. 61., *ex communi Pastorum consensu* possunt confiteri Confessariis loci, in quo pro tempore subsistunt. »

Articulus 2.

Auctoritates et argumenta a cl. Ballerinio contra sententiam negantem allata, eamdem nullatenus infirmant.

I. Postquam P. Ballerini immerito, ut vidimus, asseruit, « *instar* » *Axiomatis penes omnes* esse, quod » *Jurisdictio dari debet a Superiore* » *ejus, qui absolvendus est* », eamdem Adnotationem sic prosequitur: « Quisnam autem sit hic Superior, » *Fagnanus* (In C. Omnis utriusque, » n. 52. et seq.) sic exponit: *Nota,*

1) In altera edit. pag. 341. — 2) Cfr. Quaest. XI. art. 2. n. 3. et seqq. pag. 511. — 3) De poen. disp. 8. n. 86.

» *confessionem sacramentalem faciendam proprio sacerdoti dumtaxat, et non alieno, nisi de proprii sacerdotis licentia.... Quia confessio sacramentalis est actus judicialis... Natura autem et ratio judicii postulat, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, cum non a suo judice ligari nullus valeat vel absolvi... Unde persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et Tridentina Synodus verissimum esse confirmavit...., nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Et quidem haec *ex jure divino* tenenda esse, indicatum fuit sup. in nota ad n. 555.

» Hinc consectarium idem deducit (ibid. n. 70.) *Fagnanus*, de jure communi peregrinos *per se* non posse absolvi: *De jure communi nullus sacerdos potest absolvere poenitentem sibi non subditum, etiam in illa dioecesi, in qua est approbatus.* Exinde *Eusebius Amort* (Theol. mor. tr. 13. §. 17. q. 5. 6.) ad quaestionem: *An Episcopus aut alius confessarius habeat jurisdictionem in dioecesanos alterius Episcopi*, sine ambagibus respondet (q. 6.): *Non habet, nec eam potest aliis delegare in alterius Episcopi subditos, sine expressa vel tacita illius Episcopi concessione... Patet ex Actis Conciliorum, ubi prohibetur.... Episcopis, ne recipiant alienum.... dioecesanum ad Sacramentum, sine proprii Episcopi... consensu.* Et praemiserat de eadem re: *Probatur ex constantia observantiae Ecclesiae, quae viguit in toto orbe usque ad saeculum XV.*, etc. Absolvi itaque advenae possunt tantummodo auctoritate, quae ratione aliqua a poenitentis Ordinario sit delegata. Unde *Pichler* (Lib. 5. tit. 38. n. 14.): *Potestatem sibi tacite delegatam obtinent, qui peregrinos et advenas... confitentes absolvunt.*

» At vero, si Sacerdos peregrinos absolvit potestate ab Ordinario poenitentis delegata, quantam hic sibi communicaverit, debet attendere, non vero qualem et quantam dioecesanus proprius pro suis subditis sibi concesserit. Egregie *Schmalzgrueber* (Lib. 1. tit. 29. n. 31.): *Delegati potestas ex auctoritate et potestate delegantis metienda est, et ex mandato concesso. Nam delegatus in jurisdictione sibi concessa vices delegantis gerit.* Jurisdictionis ergo major minorve restrictio, modus nempe ac mensura reservationis, quando de advena seu peregrino absolvendo agatur, *e legibus dioecesis, ad quam hic pertinet*, desumi debet; minime vero e legibus reservationis, quas Ordinarius sacerdotis pro suis subditis praestituerit... »

1. Principia generalia, quae cl. Ballerini hic adfert, certa atque explorata, et ab omnibus recepta sunt, nemine contradicente. Unde opus non fuit, singulorum Auctorum testimonia pro ipsis adducere.

2. Nec decuit istos Auctores afferre: quia lectores, qui ipsos non revolvunt, credent, citatos sententiae cl. Professoris adhaerere: quod autem non ita se habet. – Etenim *Fagnanus* quaestionem hanc specialiter non proponit; at in allegato Cap. *Omnis utriusque* [1] docet, et fusius probat, *casuum reservatione solam personam Confessarii, cujus jurisdictio restringitur, affici*, et nonnisi indirecte poenitentem, in quantum iste non a quolibet Confessario absolvi potest. Ex qua propositione necessario sequitur, simplicem Confessarium, cui, circa certa peccata, jurisdictio absolute et indistincte ablata est, nullum plane poenitentem, ejusmodi peccata confitentem, absolvere, nullamque *alieni*

1) Num. 78. et seq.

Episcopi delegationem, sive tacitam, sive formalem, acceptare aut exsequi posse. – *Amort* [1] et *Schmalzgrueber* [2] *absolute negant,* peregrinos a Confessario simplici absolvi posse a peccato reservato in hac dioecesi, licet non in illa poenitentis. *Pichler* demum l. c. hanc eamdem sententiam saltem *probabiliorem* dicit.

II. Sic autem pergit cl. Ballerinius: « Quae quidem principia, divinae Sacramenti hujus oeconomiae plane cohaerentia, *Joannes Stoz* (Trib. Poenit. lib. 2. q. 2. §. 5. n. 64.) ad casum peccati reservati in dioecesi Confessarii, non vero in dioecesi poenitentis, aptissime sic applicat: *Confessarius viatorem ex aliena dioecesi venientem absolvit per jurisdictionem ab Episcopo vel Parocho viatoris, ex recepta consuetudine delegatam. Atqui* (ex hypothesi) *haec non est ab iis ullo modo restricta. Ergo, etsi Confessarius, vi suae ordinariae jurisdictionis* (quam nempe habet ab Ordinario suo), *non possit a casu in sua dioecesi reservato subditum suum absolvere; potest tamen, vi jurisdictionis delegatae, absolvere viatorem ex alia dioecesi, in qua casus ille non est reservatus.* »

1. Sed cl. Professor non ex intento, et ideo minus recte *Joannem Stoz, S. J.,* citat, qui l. c. dicit: Quodsi e contra aliquis peccatum in sua dioecesi non reservatum contrahatur in aliena, ubi est reservatum, non potest ibi absolvi, quia Confessario illius loci est per reservationem ablata necessaria jurisdictio, ita Tamburini, [3] Laymann [4], cum aliis. – Sed quoad hoc non consentio. Quia, quia reservatio fit ab Episcopo non nisi in bonum propriae dioecesis; ergo illa se non extendit ad peccatum ab aliquo viatore extra dioecesim commissum. Sicut enim hoc peccatum nihil obest bono dioecesis, ita etiam ejusdem reservatio nihil prodest. Tum, quia Confessarius viatorem ex aliena dioecesi venientem absolvit per jurisdictionem ab Episcopo, v. g. vel Parocho viatoris, ex recepta consuetudine delegatam: Laymann. [5] Atqui haec, ut ponitur, non est ab iis ullo modo restricta: ergo, etsi Confessarius, vi suae ordinariae jurisdictionis, non possit a casu in sua dioecesi reservato, subditum suum absolvere; potest tamen, vi jurisdictionis delegatae, absolvere viatorem ex alia dioecesi, in qua casus ille non est reservatus, venientem. Vide Dicastillo. [6] – Loquor autem hic de *viatore* tantum, et non de *peregrino.* Iste enim, cum in loco peregrinationis habeat quasi domicilium, est subjectus ordinariae jurisdictioni illius loci, et secundum leges loci illius debet judicari: quod solum Laymann, Tamburini et alii urgent. »

2. Distinguit igitur Stoz inter *viatores* seu transeuntes, et *peregrinos,* qui in aliquo loco peregrinationis diutius commorantur; et viatores, vi jurisdictionis ab Episcopo poenitentis Confessario delegatae, absolvi posse dicit, secus vero peregrinos. In contextu de illis tantum loqui videtur, qui peccatum in dioecesi aliena reservatum in eadem dioecesi commiserunt; verumtamen in initio generatim casum ponit, quo aliquis peccatum in sua dioecesi non reservatum confiteatur in aliena. Insuper *ratio,* quam affert, scilicet peregrinos in loco peregrinationis quasi domicilium habere, et ideo secundum leges loci judicandos esse, eadem est, sive in sua propria dioecesi, sive in aliena, peccatum a poenitente commissum fuerit.

III. Hisce praemissis, P. Ballerini, ad probandam sententiam affirmantem, ex Ugolino, Arriaga, Cardinali de Lugo et Eusebio Amort,

1) De poenit. tr. 13. §. 22. q. 26. — 2) Lib. 5. tit. 38. n. 58. — 3) Tr. de cas. reserv., cit. c. 1. — 4) Cit. n. 10. — 5) Lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 9. — 6) De poenit. disp. 11. n. 244.

plures textus allegat, qui tamen nihil ad rem faciunt; ac dein subjungit: « *Pulchre autem Engel* oppositae » sententiae patronos *(Man. Paroch.* » *part. 3. cap. 2. n. 7.)* sic perstringit: *Quaero: quando casus poenitentis non est reservatus in propria dioecesi ipsius, an debeat remitti ad Episcopum proprium, vel ad Episcopum loci, ubi confitetur? Non ad proprium, quia ille casum sibi non reservavit; non etiam ad Episcopum loci, ubi confitetur, quia non est ipsi subditus, et reservationes casuum tantum intelliguntur circa subditos* (Trid. Sess. 14. c. 7.); *sunt enim introductae, ut quilibet Episcopus suos, non alienos subditos, in officio contineat.* » – Et addit textum ex Theologia scholastica *Pauli Mezger,* qui eamdem argumentationem iisdem fere verbis profert.

Sed pulchrius respondet *Voit* : [1] « Neque dicas cum P. Engel: [2] Talis peregrinus nec remittendus est ad suum Episcopum, utpote a quo hoc peccatum non est reservatum; neque ad Episcopum loci, ubi confitetur, cum non sit illius subditus: ergo. – Respondeo. Vel potest remitti ad quemlibet Confessarium *propriae* dioeceseos, ubi facile absolvetur, cum non habeat casum ibi reservatum; vel potest in aliena dioecesi, ubi commoratur, remitti *ad alium Confessarium,* qui habet facultatem absolvendi a reservatis; vel saltem a Confessario petenda esset licentia ab Ordinario, pro hoc casu absolvendi a reservato. »

IV. Ideo, ex omnibus Auctoribus a Patre Ballerini citatis, quatuor tantum remanent, qui sententiam affirmativam absolute tenent et propugnant, videlicet *Engel, Mezger, Babenstuber* et *Struggl* (de quo infra, pag. 531. sermonem faciemus).

Articulus 3.

Sententia negativa a S. Doctore merito communior dicitur.

I. P. Gury dicit, *affirmativam* sententiam *inter Antiquiores communissimam* esse; sed hujusmodi assertio prorsus a veritate abhorret. Nec cl. Professor noster, alias promptissimus ad allegandos Auctores suis sententiis faventes, ullum antiquiorem affert. Ratio est, quia nullus existit.

1. Omnes namque Veteres persuasum habuerunt, a peccatis, quae Episcopus sibi reservat, nec Parochos, nec alios Confessarios in sua dioecesi approbatos quemcumque poenitentem, quisquis sit, absolvere posse, nisi licentiam ab eodem Episcopo, vel speciale privilegium a Summo Pontifice obtinuerint, prout olim Mendicantes.

2. Ut ex antiquis Summistis unum saltem adferamus, Auctor *Summae Angelicae* [3] quaestionem proponit: « Utrum *peregrini et viatores,* qui de licentia proprii Sacerdotis confitentur alteri, *qui habet tamen casus reservatos Episcopis,* possint ab eo, quem elegerunt Confessorem, absolvi? » Et respondet: « Quod sic, maxime si institerit tempus generalis confessionis, ut in Paschate. Debet tamen ei injungi, quod, cum habebit copiam sui Episcopi, iterum ei confiteatur illud peccatum reservatum, et ab eo recipiat *poenitentiam* de illo. » – Eousque ergo praedictum axioma extendit, ut, licet peccatum, quod peregrinus confitetur, in hac dioecesi non sit reservatum, nihilominus necessarium judicet, ut Confessarius absolvens a suo Episcopo facultatem acceperit a casibus reservatis absolvendi.

3. Eamdem conditionem *Navarrus* et *Jacobus de Graffis* adjiciunt, ut in seq. Quaest. XIV. uberius exponemus.

1) De poenit. n. 840. — 2) In Man. Par. p. 3. c. 2. s. 2. — 3) Joannes de Clavasio, Verb. *Confessio,* art. 5. n. 12.

II. Porro, cl. BALLERINIUS ad verba Patris Gury: « *Affirmant tamen alii* », advertit: « *Marcus Struggl*, » egregius ex Ordine Serv. B. Virg. » Theologus, et S. Alphonso coaevus » (Th. mor. tr. XI. q. 3. art. 4. n. 48.) » ita de hac re ex communi, ut in- » quit, sententia: *Poenitens pere- » grinus potest a quolibet legitimo » Confessario absolvi, quando affert » casum in dioecesi Confessarii re- » servatum, non vero in dioecesi » poenitentis. Ita cum Mezger et » aliis communiter Babenstuber.* - » Oppositam autem sententiam *ra- » tionibus sane infirmis* primus in- » vexit *Suarez*, qui idcirco ne unum » quidem, quem pro ipsa allegaret, » auctorem habuit. »

1. Num sententia negativa « *rationibus sane infirmis* » sustentetur, jam superius vidimus; unde supervacuum sane foret, ulterius in hoc cl. Professoris judicio immorari.

2. Ad testimonium *Marci Struggl* quod attinet, id unum respondemus, Auctorem istum hac in re in manifesto errore versari, quia Doctores revolvere praetermisit. Sententia, quam propugnat, non tantum non communis, sed *opposita* potius *communis, imo communissima* est, ut ex modo dicendis patebit.

3. P. Ballerini sedulo in Auctores inquirit, quos pro sententia sibi contraria Salmanticenses et S. Alphonsus citant, ut quempiam minus recte citatum deprehendat, et saepissime falsas allegationes immerito ipsis exprobrat. Hic vero auctorem suae sententiae faventem citat, qui sententiam communem dicit, cujus opposita communissima est; at hunc errorem non solum non corrigit, sed potius in suum commodum convertit.

III. Quibus praemissis, dicimus, sententiam *negativam* inter Recentiores certe *communiorem* esse, si eam *communissimam* vocare nolis. Etenim,

S. Doctor, ut vidimus, pro ista allegat *Suarium, Lugonem, Bonacinam, Concinam, Wigandt, Ciera*, et *Salmanticenses* cum *Villalobos, Diana, Aversa* et *Dicastillo*.

Praeter istos Auctores, aliosque a nobis supra citatos, scilicet *Coninchium, Schmalzgrueber, Amort* et *Pichler*, permulti remanent, qui eamdem tenent et propugnant: ut signanter *Reginaldus, Filliuccius, Vincentius Candidus, Tamburini, Trullenchus, Bassaeus, Billuart, Illsung, Tournely, Collet, Felix Potestas, Roncaglia, Antoine, Flavianus Ricci, Laymann, Cuniliati, Franciscus Henno, Mastrius*, etc.

Eorumdem DD. textus breviter adducere juvat.

1. *Reginaldus, S.J.*,[1] dicit: « Quamvis legitimus Confessarius possit peregrinos absolvere a peccatis ubicumque commissis...., tamen, quia subduntur legibus dioecesis, cui applicuerunt, dum habent casum ibidem reservatum Episcopo, non possunt absque ejusdem licentia absolvi: quod majore ratione dicendum est de habentibus in utraque dioecesi reservatum. »

2. *Filliuccius, S. J.*, [2] quaestionem ponit: « An subditus unius Episcopi, iter agens per dioecesim alterius, possit absolvi a casu reservato....? » - Et in fine respondet: « Ii confessarii, qui non habent (auctoritatem absolvendi a reservatis), si quidem sit casus reservatus etiam in eo loco (Confessariorum scilicet), utique non poterunt (absolvere); si non est, quamvis sit in alio, poterunt. »

3. *Vincentius Candidus:* [3] « Si peccata sint reservata in illo episcopatu, in quo poenitens, viator et peregrinus confitetur, non autem in suo; tunc talis poenitens, cum judicetur ut subditus et incola illius loci, in quo versatur, non poterit absolvi a Confessariis ordinariis. »

4. *Tamburini, S. J.*:[4] « Si quis com-

1) Praxis, lib. 8. c. 5. n. 68. — 2) Tr. 7. c. 10. n. 283. — 3) De poenit. disq. 3. art. 23. ad 3. — 4) Lib. 5. de cas. res. c. 1. n. 7.

mittat peccatum, quod non est reservatum in sua dioecesi, et accedat ad locum, ubi est reservatum, non potest absolvi in eo loco, quia ibi Confessario est restricta potestas. »

5. *Trullenchus:*[1] « Si casus sit reservatus Episcopo peregrini et Episcopo loci, ubi reperitur, aut tantum Episcopo loci, non poterit eo in loco absolvi a reservatis a quolibet approbato, nisi habeat facultatem ab Episcopo loci ad absolvendum a reservatis. »

6. *Bassaeus:*[2] « Si peregrinus, aut iter faciens habeat casus reservatos Episcopo loci in quo confitetur, qui non sint reservati Episcopo proprii domicilii, non potest a quolibet simplici Confessario absolvi; quia judicandus est juxta leges loci in quo reperitur. »

7. *Billuart:*[3] « E contra (quilibet Confessarius communis) non potest eos (scil. itinerantes) absolvere, si habeant casus reservatos in dioecesi, in qua est tantum communiter approbatus, licet non sint reservati in dioecesi ex qua veniunt. »

8. *Illsung, S. J.:*[4] « Etsi quis commisisset peccatum in alia dioecesi, ubi ipsum non erat reservatum, juxta tamen communem sententiam non posset ab inferiori Confessario in illa dioecesi absolvi, ubi esset reservatum sine censura; posset vero absolvi, si esset reservatum non sine censura reservata, quia poenam hanc alibi peccans non incurrisset. »

9. *Tournely:*[5] « Si (Fidelis) confiteatur in aliena dioecesi, in qua peccatum aliquod sit Episcopo reservatum, quod tamen reservatum non sit in sua dioecesi, tenetur adire Superiorem, aut aliquem ab eo delegatum, a quo possit absolvi. »

10. *Collet*[6] quaestionem ponit: « An Confessarius communis seu pro reservatis minime approbatus, poenitentem alterius dioecesis absolvere possit... a casibus, qui in dioecesi poenitentis reservati non sunt, sunt vero reservati in dioecesi Confessoris? » – Et respondet: « Negative, 1°. quia tota Confessarii jurisdictio ab eo dimanat, cujus in dioecesi confessiones excipit; atqui is nullam pro praesenti casu jurisdictionem tribuit; 2°. quia qui in certa hypothesi commodum sentit, in alia incommodum sentire debet. »

11. *Felix Potestas:*[7] « Vagi et peregrini, si discedant a loco, ubi peccatum non est reservatum, et accedant ad alium locum, ubi est reservatum, non possunt ab eo absolvi: quia vagi et peregrini... ubique sortiuntur forum. »

12. *Roncaglia,*[8] proposita quaestione: « An peregrini et vagi subjecti sint reservationi? » – sic respondet: « Vel peregrini commiserint peccatum ex reservatis, dum erant intra dioecesim reservantis, vel illud commiserint in alia dioecesi ubi non erat reservatum, adhuc reservatione ligantur, dum petunt absolutionem intra dioecesim, in qua est reservatum. »

13. *Antoine, S. J.:*[9] « Si casus non sit reservatus in dioecesi poenitentis, sed solum in dioecesi Confessarii, hic non potest illum absolvere: nam per reservationem ei sublata est potestas absolvendi a tali peccato. »

14. *Flavianus Ricci:*[10] « Ex quo illud sequitur, viatorem non posse absolvi in alia dioecesi a reservatis ibidem, quamvis in propria dioecesi non reserventur. »

15. *Laymann, S. J.:*[11] « Solus Episcopus, vel qui ab ipso potestatem habet, peregrinos a reservatis absolvere poterit... tametsi peccatum reservatum non sit in dioecesi, ubi peregrinus proprium domicilium habet, sed solum in dioecesi ubi confitetur. »

16. *Cuniliati:*[12] « Quando poenitens

1) De poenit. lib. 4. c. 10. dub. 4. n. 6. — 2) Verb. *Cas. reserv.*, n. 11. — 3) Summa Summae, de poenit. art. 5. §. 3. — 4) Tr. 6. disp. 6. q. 6. n. 223. — 5) De poenit. q. 10. art. 4. q. 7. — 6) De poenit. c. 9. §. 5. q. 1. — 7) Examen eccl. P. 4. n. 3307. — 8) Tr. 19. q. 7. c. 2. q. 1. — 9) De poenit. c. 3. q. 6. — 10) Tr. 14. dist. 9. q. 1. n. 2. — 11) Lib. 5. c. 10. n. 10. — 12) De poenit. app. 1. c. 1. n. 2.

gravatus (peccato) in sua dioecesi non reservato, accedit ad Confessarium dioecesis, in qua est reservatum, nequit ab hoc Confessario absolvi, absque prius obtenta facultate. »

17. *Franciscus Henno:* [1] « Contra non potest (Sacerdos non habens jurisdictionem in reservata) eum absolvere (sc. poenitentem venientem ad se ex alia dioecesi), si habeat casum hic reservatum, licet non sit reservatus in loco illius poenitentis. »

18. *Mastrius:* [2] « Quando casus est reservatus in loco ubi peregrinus versatur, et non in loco suae patriae, reservatio in tali loco etiam peregrinos comprehendit; iique non possunt a peccatis ibi absolvi: quia peregrini in hoc sacramentali foro reputandi sunt incolae ejusdem loci. »

SIT IGITUR QUAESTIONIS

CONCLUSIO:

1. P. Ballerini adnotationem suam his verbis absolvit: « Haec porro de » isto argumento pro modulo nunc » sufficiant, licet, pro quaestionis » gravitate, nimis pauca. *Difficul-* » *tates enim, quibus rem per se et* » *penes antiquiores simplicissimam* » *recentiores obruerunt et implica-* » *runt,* longioris tractationis mate- » riam operae pretio sane dignam » suppeditarent. » – Optime sane; parcat itaque cl. Professor operae inutili; quae namque circa hanc materiam exaravit, abunde sufficiunt: eo magis, quia graves difficultates, quae sententiae suae obstant, ipse non modo non solvit, sed nequidem attigit. Si quis autem suspicaretur, ipsummet « *rem per se et penes antiquiores simplicissimam* » falsis deductionibus ex veris principiis « *obruisse et implicasse* », forsitan nimis a vero non aberraret.

2. Rectissime itaque docet S. Alphonsus, *longe probabiliorem et communiorem* esse sententiam, quae *negat,* absolvi posse a simplici confessario Peregrinum, habentem peccatum, quod est reservatum in illa dioecesi, sed non in patria. – Conveniunt namque in hac doctrina Auctores, tam benignioris quam rigidioris notae; et praeter hunc concentum et longe praeponderantem Auctorum numerum, sententia negativa jam ea ratione *communissima* dici potest, quia inter ejus propugnatores vix ullus ex clarioribus Doctoribus desideratur.

QUAESTIO XIV.

An a quovis Confessario, sive regulari, sive saeculari, absolvi possit Peregrinus, irretitus peccato, quod in ipsius tantum Dioecesi, non autem in loco confessionis, reservatum est: modo non agat in fraudem reservationis.

(S. Alph. Lib. VI. n. 589. — P. Ball. Tom. II. n. 573. q. 5.)

In praecedenti Quaestione, cum S. Alphonso contra cl. Ballerinium probavimus, longe probabiliorem et communiorem esse sententiam, quae tenet, a simplici Confessario absolvi non posse peregrinum, qui irretitus est peccato, in illa dioecesi, sed non in patria reservato. – Nunc autem casus conversus examinandus est.

Ante omnia S. DOCTOREM nostrum audiamus. Lib. VI. n. 589. Dubium proponit: « *An possit absolvi Pere-*

1) De poenit. disp. 8. q. 8. art. 4. concl. 4. — 2) Theol. mor. disp. 21. n. 229.

» *grinus irretitus peccato, quod est* » *tantum in sua patria reservatum?* » – *Prima* sententia *negat;* et hanc » tenent Auctor *de offic. Confess.* » apud Croix; item Vega, Comitolus, » Nugnus et Megala, apud Diana; » et Soto, Fagundez, Graffius, etc. » apud Salmanticenses. Ratio quia, » cum peregrinus absolvatur ex li- » centia sui Episcopi, non videtur » credibile quod Episcopus, qui in » sua dioecesi casum reservat, non » reservet etiam extra.

» *Secunda* vero sententia *commu-* » *nissima et verior affirmat;* eam- » que tenent Lugo, Suarez cum Ca- » jetano, S. Antonino, et Paluda- » no; Concina, Roncaglia, Mazzot- » ta, Croix; Cabassutius cum Vas- » quez, Bonacina; ac Salmanticenses » cum Praeposito, Gabriele, Henri- » quez, etc. – Ratio, quia sic habet » *universalis consuetudo,* ut peregri- » ni quoad confessionem reputentur » *uti incolae loci* ubi versantur. » *Haecque consuetudo approbata est* » *consensu Praelatorum, et maxime* » *Eugenii IV.,* qui (uti ferunt Lu- » go et Salmanticenses) approbavit, » quod ii, qui in alieno episcopatu » bona fide versantur, se gerant in » ordine ad confessionem sicut inco- » lae illius loci. *Valde autem ratio-* » *nabilis est talis consuetudo:* alias » Confessarii vix possent ullum per- » egrinum absolvere, *cum saepis-* » *sime accidat, quod neque poeni-* » *tentes neque Confessarii sciant* » *casus in aliena dioecesi reserva-* » *tos.* – Idque confirmatur ex Bulla: » *Superna* Clementis X. edita 21. Ju- » nii 1670. (relata in extensum apud » Croix), in qua sic dicitur: *Posse* » *autem regularem Confessarium in* » *dioecesi, in qua est approbatus,* » *confluentes ex alia dioecesi a pec-* » *catis in ipsa reservatis, non au-* » *tem in illa, ubi idem Confessa-* » *rius est approbatus, absolvere;* » *nisi eosdem poenitentes noverit in* » *fraudem reservationis ad alienam* » *dioecesim pro absolutione obtinen-* » *da migrasse.* Quae limitatio valet » non solum pro Confessariis regula- » ribus; sed etiam (imo tanto magis) » pro *saecularibus,* ut recte dicunt » Croix, Viva et Roncaglia, ex de- » claratione S. C. apud Dianam. »

Hanc vero doctrinam, licet eam S. Doctor ceu communissimam et veriorem tueatur, cl. Ballerinius acriter, ne dicamus audacter, impugnat. Hic iterum correctoris munus sibi adscribit; et clarissima Theologiae lumina, Suarezium et Lugonem, imo et ipsum S. Alphonsum, modo Scriptoris catholici haud digno increpare non veretur. Quonam autem jure id fecerit, infra videbimus.

Quae in duplici longiori ac fastidiosa adnotatione cl. Professor affirmat, ad sequentia breviter contrahi possunt: 1. Sententia *negativa* inter *Antiquiores communissima* fuit. – 2. Primus *Henriquez,* « at non alia su- » pellectile, quam *fallacium allega-* » *tionum congerie* fretus », opinionem *affirmantem* invexit; ipsum secutus est *Suarez,* et sic fallaces illae allegationes ab Auctoribus ad S. Alphonsum usque bona fide transcriptae sunt. – 3. Sed et alii, nominatim *Lugo* et *S. Alphonsus* adhuc ulterius progressi sunt; et « *novam theoriam* » statuerunt, scilicet potestatem advenas absolvendi repetendam esse, non a proprii Pastoris licentia (quemadmodum Henriquez et Suarez) sed *a consuetudine,* quam, « *incredibili anachronismo* », ab Eugenio IV. probatam dixerunt; licet « *ejusmodi theorias ne per somnium* » *quidem ullus hominum cogitave-* » *rit.* » – 4. Demum, de Constit. *Superna* Clementis X. fusius disserens, cl. Professor probare contendit, vi citatae Constitutionis, a solis *Regularibus,* minime vero a quibuscunque Confessariis *saecularibus* absolvi posse peregrinum irretitum peccato, quod est tantum in sua patria reservatum; et addit, hanc esse sententiam communem, cui etiam adhaeret S. Alphonsus.

At vero, 1. Immerito cl. Professor

asserit, sententiam *negativam* inter Antiquiores fuisse *communissimam*. 2. *Henriquez* et *Suarez* immerenter impugnantur; 3. quod a fortiori dicendum est de *Lugone* et *S. Alphonso*. 4. Sententiam *affirmativam* S. Doctor optimo jure *communissimam* dicit. 5. Demum, concessio a Clemente X. in Constitut. *Superna* facta, non est privilegium specialiter *Regularibus* concessum, sed ad omnes Confessarios etiam *saeculares* extendenda est.

Articulus 1.

Immerito cl. Ballerinius asserit, sententiam negativam inter Antiquiores fuisse communissimam.

P. Gury, Tom. II. n. 573. q. 5. pag. 459. [1] quaestionem proponit: « An absolvi possit subditus alterius dioecesis, quando peccatum reservatum est in ipsius dioecesi, non autem in loco confessionis? – *Resp.* 1°. Absolvi potest a *Regularibus*, vi privilegii ipsis concessi in Constit. *Superna* Clementis X. *Resp.* 2°. Quoad Confessarios *saeculares*, negant communissime antiquiores Theologi, ex Constit. *Si Episcopus, 2. de Poenit. in 6* ... »

Ad quae verba, P. Ballerini priorem suam Adnotationem hisce verbis exorditur: « Textum hunc habes sup. » *in not. ad n. 558. res. 4.*, [2] ubi statuitur, in generali concessione facultatis audiendi confessiones (quae » est *directa* jurisdictionis delegatio), » aut eligendi Confessarium (quae est » delegatio jurisdictionis *indirecta*, » et in rem praesentem facit), nunquam, nisi exprimatur, comprehendi facultatem absolvendi etiam a » casibus reservatis. Porro, ut bene » arguit Card. Cajetanus (Summa, » V. *Absolutio*), *Si licentia* (scil. eligendi Confessarium) *explicita non* » *comprehendit casus reservatos*, » *multo minus licentia implicita* » (quae nimirum *tacite* conceditur » exeuntibus e dioecesi) *ad illos se* » *extendit*.

» Quî vero factum sit, ut a *communissima omnium sententia* plures recesserint, brevem habe historiam. Cum consentirent universi, *neminem ab alieno Sacerdote* » *valide absolvi posse sine proprii* » *Ordinarii licentia*, hanc autem ad » casus reservatos non extendi, nisi » exprimeretur; excipiebant tamen » *casum necessitatis*, ad quam revocabant etiam obligationem *praecepti paschalis;* et tunc peregrinum » a casu quoque episcopali posse absolvi docebant. – Ita *Paludanus* » (In 4. dist. 17. q. 3. art. 3. concl. 4.), » *S. Antoninus* (Part. 3. tit. 17. » cap. 4.), *Summa Rosella* (V. Confessio III. n. 32.), *Summa Tabiena* » (V. Confessio I. n. 41.), *Cajetanus* » (Sum. V. Absolutio, 2.), etc.

» Plerique tamen addebant, a Confessario injungendum esse poenitenti, *ut, cum habuerit copiam sui* » *Episcopi, iterum confiteatur ei illud peccatum, et ab eo recipiat* » *poenitentiam*. – Ita *Joannes De* » *Friburgo*, Mag. gen. Ord. Praed. » (Lib. 3. tit. 34. q. 39.), *Summa Pisanella* (V. Confessio III.), *Summa* » *Astensis* (Lib. 5. tit. 14.), *Summa* » *Angelica* (V. Confessio V. n. 6.), » *Summa Sylvestrina* (V. Confessor » I. §. 17.), *Summa Corona* (De Sacr. » Poenitent. n. 51. dub. 3. §. Quarto » quando), et *Cosimus Philiarchus* » (De offic. Sacerd. p. 2. lib. 2. c. 26.). » Et quidem tres postremi expresse » dicunt, ideo iterandam confessionem reservatorum, ut directe *absolvantur*, utpote ab alieno *non* » *absoluta*.

1) In altera edit. pag. 372.

2) In nota allegata, P. Ballerini dicit: « Sic diserte Bonifacius VIII. (C. *Si Episcopus* 2. » de poenit. et remiss. in VI.): *Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem; ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem: Cum in generali concessione illa non veniant, quae non esset quis verisimiliter in specie concessurus.* »

» Denique *Cajetanus* (l. c.) praxim obtinendi in *paschate* absolutionem etiam a casu episcopali confirmari putavit quodam Eugenii IV. *vivae vocis oraculo*, quod sic refert: *Memini, alias me legisse, Eugenium IV. concessisse seu declarasse vivae vocis oraculo, viatores, ubi se invenerint in paschate, censendos tamquam adeptos incolatum quoad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae.* Cui tamen declarationi (omissis nunc gravibus de ejusdem fide dubiis) non eam vim sensumve tribuerunt uterque *Sotus* (*Dominicus*, in 4. Dist. 18. q. 4. art. 2.; *Petrus*, De Instr. Sac. lect. 5. de Confess.) et *Navarrus*; sed ea mere praescriptum censuerunt, ne viatores aliis, quam plebanis seu parochis locorum confiteri possint. – Hucusque communissima omnium veterum ... »

Verum haec doctrina *nequaquam « communissima omnium Veterum »* est; prout ex testimoniis *Summae Angelicae*, *S. Antonini* et *Paludani*, *Cajetani* et *Navarri* patebit.

I. Non est, quod in omnes veteres Summistas inquiramus, quos cl. Professor abundantius citat. Sufficiat Summa illa celebratissima Joannis de Clavasio, vulgo *Angelica* dicta.

1. *Clavasius*, loco cit. [1] dubium proponit: « Utrum Episcopus concedens licentiam alicui, ut eligat sibi Confessorem idoneum, eo ipso concedat licentiam absolvendi a casibus suis dicto Confessori electo? Respondeo, quod non, nisi hoc exprimat, vel evidenter constet per alia signa, quod hoc in speciali voluit concedere. C. *Si Episcopus, de poen. 6.* »

2. Loquitur hic de subdito in dioecesi sui Episcopi manente; nam de *peregrinis* et *viatoribus* specialiter alibi agit, [2] ubi quaestionem proponit: « Utrum peregrini et viatores, qui de licentia proprii Sacerdotis confitentur alteri, qui tamen habet *casus reservatos Episcopis*, possint ab eo quem elegerunt Confessorem, absolvi? » Et respondet: « *Quod sic*, maxime si institerit tempus generalis confessionis, ut in paschate. Debet tamen ei injungi, quod, cum habebit copiam sui Episcopi, iterum ei confiteatur illud peccatum reservatum, et ab eo recipiat poenitentiam de illo. »

3. Possunt ergo hujusmodi *peregrini* et *viatores* absolvi *a Confessario in aliena dioecesi*, dummodo casus reservatos a suo Episcopo habeat, et non tantum in aliqua necessitate aut tempore paschali; dicitur enim: *maxime*, quia hoc tempore omnes Fideles generaliter confitentur. Et quidem *directe* absolvi possunt: nam obligatio peccatum reservatum iterum Episcopo proprio confitendi, ea sola ratione ipsis injungenda est, ut *poenitentiam* de illo accipiant.

II. *S. Antoninus*, quem cum *Paludano* P. Ballerini prae ceteris allegat, l. c. [3] haec habet: « De peregrinis quidem dicendum est, quod, si sine licentia Curatorum et Episcoporum profecti sunt, nil privilegii habent in hoc. Concordant in hoc scilicet, quod peregrini et negotiatores et alii viatores, si non habent licentiam a suis Curatis vel Episcopis, vel sine licentia eorum iter arripiunt, non possunt ab aliis absolvi. Innocentius, Hostiensis et Guillelmus. Si autem de licentia eorum profecti sunt, eo ipso habent interpretativam licentiam confitendi, cum sine confessione digne peregrinari non queant. Si etiam veniat Pascha, communicari possunt propter eamdem licentiam implicitam, et de casu episcopali absolvi; quia Episcopus, non retinendo sibi auctoritatem licentiandi peregrinos, ex hoc ipso videtur eis dare licentiam confitendi de casibus episcopalibus, sicut Curatus de parochialibus. »

1) V. *Confessio*, art. 5. n. 6. (alias, n. 41.). — 2) Ibid. art. 5. n. 12. — 3) P. 3. tit. 17. c. 4.

Nequaquam ergo S. Antoninus (prout asserit cl. Professor) absolutionem a peccatis Episcopo reservatis ad *casus necessitatis* restringit, nec obligationem *praecepti paschalis* ad casum necessitatis revocat; sed potius expresse dicit, peregrinantes *communicari posse,* etiam si veniat Pascha, quamvis hoc tempore major et strictior sit obligatio proprio Sacerdoti confitendi, et Communionem in parochia recipiendi. – Et idem l. c. dicit *Paludanus.*

III. Quod *Cajetanum* attinet, cl. Professor disjecta fragmenta allegat, et ideo textum ex integro adferre juvat.

1. *Cajetanus* itaque l. c. [1] dicit: « Licentia dupliciter datur. Vel *explicite,* quum Curatus in communi dicit populo: Quilibet vadat ad confitendum cui vult; aut specialiter alicui dicit: Confitearis cui vis; et hoc nihil aliud est, quam dare licentiam eligendi sibi Confessorem. – Vel *implicite.* Et hoc contingit primo, *licentiando subditos ad peregrinandum.* In hac enim peregrinationis licentia, implicite claudi creditur licentia confitendi, quia confessio comes esse debet viatorum. Et hoc intelligo cum duabus limitationibus. Altera est, quoad confessiones et communiones necessarias, ut paschales, aut solitas, quoad eos qui saepe consueverunt confiteri et communicare, aut celebrare. Et haec limitatio intelligitur amplectendo tutiorem partem. Quia enim ista licentia a Doctoribus potius quam a jure proficisci videtur, timeo illam extendere ultra solita, tamquam praecogitata. Altera, quoad Confessores, qui scilicet in locis illis Confessores sunt aliorum: hujusmodi enim implicita licentia non videtur amplianda, ut faciat viatores melioris conditionis quam incolas, ut scilicet possint sibi eligere in Confessorem quem velint; sed sufficit, quod provideat viatoribus quum extra sunt, ut possint *tanquam incolae* confiteri et communicare. Unde et in jure providetur de ministro Eucharistiae, pro peregrinis procul dubio licentiatis a suis Curatis, ut patet in cap. *Presbyter,* de celebr. Miss. »

« Secundo, *sciendo et tacendo,* ut, quum Episcopus scit consuetum esse, ut Canonici seu Curati sui invicem se absolvant, et tacet. Quamvis enim nulla consuetudine introduci possit, ut quis possit sibi eligere Confessorem (ut dicitur in Cap. *Si Episcop.* de poen. et remiss. in 6.); ex hoc tamen, quod Episcopus scit et tacet, tenetur providere illis de Confessore, et tacita episcopali licentia, robur dat absolutionibus, et consuetudo non concurrit nisi ut testis licentiae implicitae. *Et ob hujusmodi implicitam licentiam, viatores, sine licentia Curati, possunt in Paschate confiteri et communicare ubi se invenerint, sicut licentiati,* si et ubi Curatus consuevit scrutari quis parochianus defuerit poenitentiae et communioni, et viatorum dicentium se, ubi se invenerunt, confessos fuisse et communicasse, factum probare: attestatur siquidem hujusmodi *consuetudo* implicitae licentiae et piae menti Curati, qua voluit implicite suos confiteri et communicare extra, in casu, quo festa Paschalia contingeret extra peragere. »

« Memini alias me legisse, *Eugenium quartum* concessisse seu declarasse vivae vocis oraculo, viatores, ubi se invenerint *in Paschate,* censendos tamquam *adeptos incolatum,* quoad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae; et secundum hoc, non est opus in Paschate hujusmodi interpretativa licentia; sed *possunt tunc ab illis Confessoribus, a quibus incolae absolvuntur, absolvi etiam a casibus episcopalibus,* prout Episcopus *loci* disponit. – In reliquis autem omnibus supradictis licentiis explicite vel implicite ab Episcopis seu Curatis, non approbo, posse li-

1) Summa, V. *Absolutio,* 2.

centiatos absolvi a casibus reservatis Episcopo, quia hoc est contra juris dispositionem, in 6. de poen. et rem., Cap. *Si Episcop.*, ubi dicitur, quod, Episcopo dante licentiam alicui quod confiteatur, non propterea concedit casus reservatos. Si ergo licentia explicita non comprehendit casus reservatos, multo minus licentia implicita ad illos se extendit. »

2. In quantum vero *Eugenius IV.* declaravit, viatores *in Paschate* quoad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae *tamquam incolatum adeptos* censendos esse, jam supra [1] *Suarium* allegavimus, qui recte dicit, *expressam Paschatis commemorationem non esse limitationem, sed extensionem.* Si enim viatores tempore paschali, quo obligatio proprio Sacerdoti confitendi strictissima est, tamquam *incolae* habendi sunt, idem a fortiori valet de aliis anni temporibus.

IV. Quae autem doceat *Navarrus*, modo videamus.

1. In *Commentariis* ad C. *Placuit*, de poenit. dist. 6. *n. 62.* ait: « Infertur, peregrinos, *qui cum facultate Parochorum peregrinantur*, posse confiteri his, quibus confitentur illius oppidi vel pagi homines, in quem se receperint. Faciens enim peregrinandi facultatem, ea quoque videtur concedere, sine quibus ea peregrinatio fieri nequit. »

« *N. 63.* Adde, quod *si Episcopus fecerit peregrinandi facultatem*, videtur quoque fecisse, ut *ab episcopalibus casibus* absolvi possit, secundum *Paludanum*, [2] quem ad litteram sequitur *Antoninus*; [3] non autem si a *Parocho*, secundum eosdem. Quae tamen distinctio displicet; nam expressa eligendi Confessarium facultas ab Episcopo concessa non includit casus reservatos. Textus expressus est, et singularis C. 2. de poen. et remiss. 6. »

« Advertendum tamen, quod inter hanc eligendi *tacitam*, et illam *expressam* licentiam, secundum Thomam a Vio (Cajetanum) magna est distantia. Primo, quod habens expressam deligere potest Sacerdotem quemlibet idoneum, etiamsi alioquin animarum curam non exerceat; qui vero tacitam, minime. Deinde, quod qui tacitam habet, solum eligere potest eis temporibus, quibus jure tenetur confiteri vel communicare, vel quibus solitus est id facere, non tamen aliis. Pro Thoma facit, quod ait, alicubi se legisse, vivae vocis oraculo declarasse *Eugenium*, viatores eo loco quo invenirentur, quoad Sacramenta Eucharistiae ac Poenitentiae censendos esse tamquam incolas illius loci. Cum igitur incolae non aliis, quam suo Parocho, confiteri possent, sequitur, neque peregrinis aliud concedendum. Facit etiam, quod concessio implicita non est adeo late ac explicita extendenda ... Has tamen hujus viri doctissimi novas licentiae de Confessario eligendo limitationes, et novas inter expressam et tacitam concessionem differentias, non satis probare possum. Primo, quia novae sunt, et nullo solido fundamento nituntur; nullus enim est pro illis textus, nulla item, quae illas necessario ponendas concludat, ratio. Facit, quod ipse subdubitare de illis videri potest, dum de illarum altera dixit, se illam intelligere partem amplectendo tutiorem. »

« Neque obstat, quod de Eugenio se legisse ait; nam illud de *viatoribus* fuit declaratum; nos vero de *peregrinis*, qui facultate ad id faciendum accepta, in loca sanctis sacra, ea visitandi gratia, concedunt, loquimur. Non ergo mirum, quod minus viatoribus liceat, quam peregrinis. Nam et peregrinis nil esse privilegii, nisi quando cum facultate Episcopi aut Parochi peregrinantur, ipsemet Paludanus cum Antonino et aliis est testis. »

« Non obstat, quod tacita facultas

1) Cfr. Quaest. XI. art. 1. pag. 509. — 2) In Dist. 17. q. 4. — 3) 3. P. tit. 17. c. 4.

non operatur quantum expressa; quia id regulariter est falsum, saltem ubi ratio par invenitur, sicut in casu nostro. Quamquam, ubi diversa ratio militat, nonnunquam plus expressum quam tacitum, et e contrario tacitum plus operetur expresso, juxta resolutionem Philippi Decii ... Cum igitur nulla ratio diversitatis in hoc casu reddi possit, justum fuerit, ne diversum quoque jus in eo ponamus. »

2. Exprobrat hic Navarrus *Paludano* et *S. Antonino,* quod C. *Si Episcopus* non meminerint; sed immerito. Celeberrimum istum textum non obliti, sed aliter interpretati sunt, et quidem recte. Etenim, ut advertit Lugo, [1] Bonifacius VIII. loquitur *de subdito manente in* SUA *dioecesi,* [2] non autem de peregrinantibus vel itinerantibus, qui in hunc finem specialem licentiam petierunt. Sic et alii praefatum textum intellexerunt, signanter, ut vidimus, Clavasius. [3]

3. In quantum porro Navarrus *Cajetanum* impugnat, ea sola ratione impugnat, quod *novis limitationibus* coarctaverit facultatem, ad libitum et cuilibet Sacerdoti idoneo, etiam non approbato, confitendi, quam habent peregrinantes cum licentia Episcopi. Declarationem *Eugenii IV.* in dubium non revocat, nec infitiatur, ex hac Declaratione viatores *tamquam incolas* esse habendos, et ideo a peccatis suis Episcopis reservatis absolvi posse. Id tantum negat, peregrinantibus cum licentia Episcopi non licere alteri quam Parocho confiteri, quia viatores, sine hac licentia itinerantes, Parocho loci confiteri tenentur.

V. Quae modo citavimus, in Commentariis Navarri habentur.

1. In alio autem opere: *Manuale Confessariorum,* Cap. 27. n. 261. dicit: « Ad quaestionem de Parocho habente facultatem absolvendi a casibus reservatis Episcopo suo, an possit absolvere poenitentem *alterius episcopatus,* cum justa licentia sibi concessa, a peccatis reservatis suo Episcopo? respondi posse. Tum quia Glossa C. *Placuit* 16. q. 1., et clarius per multa Panormitanus in C. *Cum contingat* n. 29. de foro competenti, habent, Confessarium legitimum unius parochiae posse absolvere confessum *a peccatis ubicumque commissis:* et Episcopi videntur *tacite* velle dicere, ut idem sit, de peccatis eis reservatis, quando confessio fit habenti facultatem absolvendi a reservatis suo Episcopo. Tum quia id videtur habere *consuetudo:* numquam enim intellexi, ullum Confessarium legitimum, cui esset praefata facultas, remisisse quem ad Episcopum alterius episcopatus. *Et consuetudo ampliare potest jurisdictionem, immo dare non habenti:* C. *Duo simul,* cum Glossa de off. ord. »

2. Hanc autem ultimam propositionem, scilicet consuetudinem dare posse jurisdictionem non habenti, jam in *Commentariis* propugnavit l. c. n. 32, ubi docet, Sacerdotes Confessarium sibi eligere valere; et advertit, obstare videri C. *Si Episcopus,* in quo dicitur: « Nulla potest consuetudine introduci, quod aliquis, praeter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui possit eum solvere et ligare. »

3. Qua difficultate uberius exposita, ait: « Respondeo, hoc facere Presbyteros *de facultate tacita, vel expressa Superiorum.* Videns enim hoc Papa, videntes Episcopi, Archiepiscopi et eorum Vicarii, videntes item alii Praelati et Parochi, Sacerdotes omnes deligentes sibi passim Confessarios, qui eos et ligent et absolvant, neque ullatenus repugnantes, *tacite videntur velle, ut id fiat....* Circa tamen decisionem praedictam illius *C. 2. de poen. et remiss. l. 6.* maxima mihi dubitatio est. *Nam consuetudo jurisdictionem dare potest etiam alias nullam habenti:* C. *Cum*

1) De poenit. disp. 20. n. 70. — 2) Cfr. supra, pag. 535. not. 2. — 3) Vid. pag. 536. ad i.

contingat, de foro compet., ubi ab omnibus haec conclusio recipitur. Quare igitur consuetudo hanc jurisdictionem dare nequit?»

Articulus 2.

Perpenditur doctrina Henriquezii et Suarii a cl. Ballerinio impugnata.

Postquam immerito asseruit« *communissimam omnium Veterum*» fuisse sententiam negativam, P. Ballerini sic prosequitur: « At ecce » primo quidem *Henricus Henriquez* » (Sum. theol. mor. lib. 6. cap. 14. » n. 8.) *non alia sane supellectile,* » *quam fallacium allegationum con-* » *gerie, fretus,* quod Veteres de casu » necessitatis seu paschalis praecepti » a regula generali exceperant, hoc » ipsum ad normam generalem tra- » ducit; primusque infert canonem, » *absolvi peregrinum posse a pecca-* » *to in dioecesi sua reservato, si* » *reservatum in Confessarii dioecesi* » *non sit.* - Succedit Henriquezii di- » scipulus, *Suarez,* arreptisque e » magistro tribus fallacibus allega- » tionibus, *Paludani* scilicet, *S. An-* » *tonini* et *Cajetani* (quas dein vide- » sis a longa Auctorum serie ad *S. Al-* » *phonsum* usque bona fide transcri- » ptas) non modo canonem illum re- » petit, sed insuper *novum, inaudi-* » *tumque ad eam usque aetatem,* » *inversum canonem,* primus statuit » de peregrino subjiciendo reserva- » tionibus dioecesis, cujus subditus » non est, si in hac confiteri velit, » prout diximus in *not. ad qu. praec.*[1]- » Verumtamen *neuter horum adhuc* » *ausus fuit penitus abdicare prin-* » *cipium, quo oeconomia seu potius* » *essentia judicii hujus sacramen-* » *talis continetur,* diserteque Hen- » riquez supponit, *haberi proprii* » (poenitentium) *pastoris licentiam,* » et *alienum ex tacita proprii Epi-* » *scopi commissione, quae jurisdi-* » *ctionem tribuat, absolvere.* »

Ad singula respondebimus:

1. *Henriquez, S. J.,* pauca tantum habet de hac quaestione. Loco cit. dicit: « Episcopus alienus peregrinum, dum in ejus dioecesi negotium habet, posset absolvere *a reservatis proprio Episcopo,* ex tacita proprii ratihabitione, praesertim si proprius longissime distat, ut qui ab India huc venit nominatim denunciatus de excommunicatione. » - Pro qua propositione, in adnotatione citat Paludanum, S. Antoninum, Sotum, Navarrum et alios, qui favent; et advertit, illos qui oppositum significant, interpretandos esse, quod alienus Episcopus non potest *proprio jure,* sed cum onere, ut pro excommunicatione proprio Episcopo se praesentet.

Deinde vero subdit *Henriquez:* « Si autem casus ille, qui a proprio Episcopo erat in sua dioecesi reservatus, non reservetur in dioecesi, ubi adest peregrinus, posset illum Parochus absolvere; *quia reus judicari solet secundum leges et consuetudines loci, ubi praesens adest.* » - Et pro hac propositione citat in nota Sotum, Cajetanum declarationem Eugenii IV. adferentem, Navarrum, Manuel, et alios recentiores, quos non nominat. Quocumque vero sensu haec propositio accipiatur, id certum est: quod *Henriquez primus non fuit,* qui doctrinam intulit, absolvi posse peregrinum a peccato in dioecesi sua reservato, si reservatum non sit in dioecesi Confessarii.

2. *Suarez, S. J.,* [2] autem haec habet: « Quae diximus de concessione jurisdictionis directe facta Confessori, cum eadem proportione locum habent in facultate concessa poenitenti ad eligendum Confessorem: quia s. generatim solum detur, et non sufficienter, ac specialiter explicetur dar cum extensione ad reservata, illa non comprehendit, imo de hac facultate expresse loquitur dictum C. *S Episcopus.* Hinc vero orta est con

1) Cfr. Responsum in praec. Quaest. XIII. — 2) De poenit. disp. 30. sect. 1. n. 4.

troversia inter Auctores de illo speciali casu, in quo subditus unius Episcopi iter agens per illam dioecesim, confiteri potest ex tacita facultate, consuetudine introducta, Confessoribus illius episcopatus, an possit ab eis absolvi a casibus reservatis suo Episcopo. »

Pergit Suarez inquiens, aliquos esse qui absolute negant, posse absolvi ibi ab hujusmodi casibus, ut Dominicus Soto, et indicat Navarrus in C. *Placuit,* at vero Cajetanum, Paludanum et S. Antoninum contrarium tenere. Quos itaque hic rectissime citat; nam, ut ex textibus supra allatis patet, omnes tres absolute non negant. *Paludanus* et *S. Antoninus* affirmant quoad peregrinantes cum licentia Episcopi, ex facultate tacite concessa. *Cajetanus* affirmat ex declaratione Eugenii IV.

Deinde vero Suarez suam sententiam explicat: « Fundamentum est, quia ille, qui sic versatur in alieno episcopatu, non ideo ibi confiteri et absolvi potest, quia utitur facultate eligendi Confessorem; sed quia *hoc ipso, quod versatur in alieno episcopatu, potest ibi absolvi more incolarum illius dioecesis, et ita se gerere, ac si esset subditus Episcopi illius loci:* hoc enim sensu intelligi debet *consuetudo* supra declarata, et *ab Eugenio IV. approbata.* Quia Confessores alterius dioecesis non tenentur scire, quinam casus reservati sint alteri Episcopo: ergo debent hunc audire et judicare, juxta ritum sui episcopatus: ergo et facultas ab alio data, seu consuetudo, quae in hac parte praevaluit, in hunc modum interpretanda est. »

Addit *n. 5.,* fundamentum hujus sententiae concedi a *Navarro;*[1] attamen non requiri, ut Confessarius facultatem a suo Episcopo habeat a casibus reservatis absolvendi, « quia talis poenitens judicandus est *ut incola illius dioecesis,* et juxta forum ejus. »

3. Quoad « *Canonem novum inauditumque ad eam usque aetatem* », quem Suarez statuisse contendit P. Ballerinius, nihil est quo plura dicamus. Satis enim de hac re in praecedenti egimus Quaestione XIII.

Articulus 3.

Vindicantur S. Alphonsus et Lugo ab injuriosis cl. Professoris impugnationibus.

Patrem Ballerinium audivimus dicentem: « *Verumtamen neuter horum* (Henriquez et Suarez) *adhuc ausus fuit penitus abdicare principium, quo oeconomia seu potius essentia judicii hujus sacramentalis continetur.* » – Audiamus ergo, quinam sint temerarii, qui id ausi sunt.

« Verum (sic prosequitur cl. Professor) ne hos quidem terminos alii (Vid. *Lugo,* de Poenit. disp. 20. n. 70., et *S. Alphons.* lib. 6. n. 589.) servaverunt; utque se expedirent difficultate, quam C. *Si Episcopus* objiciebat *novae ipsorum theoriae,* advenas nempe secundum leges loci, in quo confitentur, judicandos esse, potestatem eos absolvendi non a proprio eorum Pastore, sed a *consuetudine* repetendam esse statuerunt: *quam quidem consuetudinem incredibili anachronismo, quando scil. ejusmodi theorias ne per somnium quidem ullus hominum cogitaverat, probatam ab Eugenio IV. dixerunt:* e cujus vivae vocis oraculo, si quod existit, insuper alii (Vid. Villalobos, Sum. tom. 1. tr. 9. diff. 59. n. 4.) mirabili vi phantasiae, Decretalem extravagantem fabricarunt. »

I. Judice itaque cl. Professore, quod non ausi sunt Henriquez et Suarez, ausi sunt Lugo et S. Alphonsus per novam invectam theoriam. Piget sane haec ipsius cl. Ballerinii ausa confutare, de quibus, praeter ipsum,

1) Man. c. 27. n. 261.

forsitan « ne per somnium quidem ullus hominum cogitasset. »

1. Quid *Henriquez* et *Suarez* dicant, jam in praecedenti Articulo audivimus.

2. *Lugo, S. J.*, autem l. c. dicit: « Respondeo, poenitentem in nostro casu non habere facultatem ab Episcopo eligendi Confessarium, sed habere facultatem *consuetudine et approbatione Praelatorum* introductam, quam Eugenius IV. Papa approbavit, qua potest, dum in alieno episcopatu bona fide versatur, gerere se in ordine ad confessionem sicut alii, qui sunt incolae illius loci.»

3. Similiter S. Doctor noster, cit. *n. 589.* dicit: « Ratio, quia sic habet » universalis consuetudo, ut peregri- » ni, quoad confessionem, reputentur » uti incolae loci, ubi versantur. » Haecque *consuetudo* approbata est » *consensu Praelatorum,* et maxime » *Eugenii IV.* qui (uti ferunt Lugo et » Salmanticenses) approbavit, quod » ii, qui in alieno episcopatu bona » fide versantur, se gerant in ordine » ad confessionem, sicut incolae il- » lius loci. » - Et addit, hanc consuetudinem confirmari ex Bulla Clementis X: *Superna.*

In praecedenti autem *n. 588.* praemiserat (ut jam in superiori Quaestione satis exposuimus), stante hodierna consuetudine universali, peregrinos *jam non ex voluntate Praelatorum, sed ex voluntate Ecclesiae* absolvi. Ecclesia namque, approbando consuetudinem universalem, Praelatorum consensu introductam, qua peregrini quoad Sacramentum Poenitentiae velut incolae loci considerantur, ipsos quoad hoc subditos facit Ordinarii loci et Confessariorum ab eodem approbatorum. Et ideo peregrinis confitentibus facultatem tribuit, absolutionem more incolarum recipiendi, Confessariis autem facultatem, omnes poenitentes accedentes indiscriminatim secundum leges loci absolvendi.

II. Cardinalem de Lugo, S. Alphonsum, omnesque Doctores consentientes, cl. Professor arguit « *incredibilis anachronismi* »; sed gratis arguit.

1. *Eugenius IV.* qui anno 1447. obiit, declarationem istam pronuntiavit ad instantias aliquorum Praelatorum: quod ideo certum est, quia *vivae vocis oraculo* declaravit. Cumque iidem Praelati ipsam pervulgarent, magis magisque invaluit *consuetudo*, qua peregrini, quoad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, incolis loci aequiparantur; et saeculo elapso, jam adeo universalis fuit, ut *Navarrus* de ea loquatur tamquam *de praxi, in qua omnes conveniunt Confessarii.* [1]

2. Quod autem Navarrus in Hispania, idem in Italia testatus est *Jacobus de Graffiis,* Congregationis Cassinensis, Poenitentiarius Major in civitate Neapolitana, in Decis. aur.[2] anno 1596. editis: « Rursum quid de eo, qui facultatem habet a reservatis a suo Episcopo: An possit absolvere subditos alterius Episcopi ab ei reservatis in sua dioecesi? Respondeo; *quod sic...;* ita etiam videtur se habere *consuetudo,* quae est optima legum interpres, ff. de legib. l. si de interpretatione: *quia videmus peccatorem peccata, quae toto terrarum orbe commisit, uni sacerdoti confiteri, et eos nunquam remitti ad sacerdotes locorum, in quibus deliquerunt pro absolutione:* nisi ratione excommunicationis, vel nisi peccatum esset notorium, quo casu remittuntur aliquando causa satisfactionis, vel scandali emendandi, et non ratione absolutionis. »

Articulus 4.

Sententiam affirmativam S. Alphonsus optimo jure communissimam censet.

Eamdem Adnotationem P. Ballerini tandem concludit: « *Haec vicis-* » *situdinum hujus controversiae,*

1) Cfr. supra, pag. 539. ad V. n. 3. — 2) Lib. 1. c. 13. n. 48.

» *immensaeque confusionis in eam* » *inductae genuina historia est.* »- Sed, pace cl. Professoris, non est quod de hujusmodi spuria historia glorietur; siquidem, ex praemissis, incriminatio «immensae confusionis» in hanc quaestionem inductae, in ipsum potius redundat.

Nihil ergo nobis reliquum est, nisi ut probemus, doctrinam quam S. Alphonsus veriorem et communissimam dicit, reapse *communissimam* esse.

Ipse S. Doctor, ut vidimus, pro sententia affirmante plures Auctores allegat, videlicet, *Card. de Lugo, Suarium, Concina, Roncaglia, Mazzotta, Croix, Cabassutium, Bonacina, Salmanticenses*, cum pluribus aliis.

Praeter istos, permulti alii eamdem sententiam tenent et propugnant; quos inter, *Coninchius, Tanner, Filliuccius, Vincentius Candidus, Trullenchus, Clericatus, Pontas, Laymann, Mendo, Gobat, Reginaldus, Illsung, Petrocorensis, Pichler, Schmalzgrueber, Tournely, Collet, Felix Potestas, Antoine, Wigandt, Flavianus Ricci, Mastrius, Billuart, Diana, Ferraris, Leonardus Jansen, Cuniliati, Franciscus Henno, Voit*, etc.

Attenta quaestionis gravitate, non taedeat istorum Auctorum verba paucis excipere.

1. *Coninchius, S. J.,* [1] ait: « Nota 2°. Quando Episcopus aut Pastor alicui peregrinanti dat facultatem ut possit eligere Confessarium, electum eum posse absolvere ab omnibus casibus, a quibus suos subditos potest absolvere, etiamsi aliqui in poenitentis dioecesi reservati sint.... Idemque dicendum est de peregrinantibus etiam sine tali licentia, quia, ut ostendi n. 61., ex communi Pastorum consensu possunt confiteri Confessariis loci, in quo pro tempore subsistunt. »

2. *Tanner, S. J.:* [2] « Quando habens casum Episcopo proprio reservatum venit ad dioecesim, in qua non est reservatus Episcopo, tunc potest absolvi etiam a Parocho et alio Confessario jurisdictionem habente, modo absit fraus et dolus. »

3. *Filliuccius, S. J.,* [3] quaestionem ponit: « An subditus unius Episcopi iter agens per dioecesim alterius, possit absolvi a casu reservato suo Episcopo? » - Et breviter indicata opinione negativa Soti, affirmativam longius probat, et a variis objectionibus defendit.

4. *Vincentius Candidus:* [4] « Dico secundo: Viatores et peregrini bona fide iter agentes, habentes casus reservatos in propria dioecesi, possunt absolvi ab ordinariis Confessoribus dioecesis, in qua versantur, si alias non sunt reservati per Episcopum loci illius, in quo morantur; quia tales viatores et peregrini sunt judicandi ut incolae illius dioecesis, et juxta forum ejus. »

5. *Trullenchus:* [5] « Si casus sit reservatus proprio Episcopo peregrini, seu iter agentis, non vero Episcopo loci, ubi reperitur, potest ibi absolvi a parocho, seu quocumque approbato, ab eo vel illis casibus, quamvis non habeant auctoritatem absolvendi a reservatis. »

6. *Clericatus:* [6] « Peregrinus, qui habet peccata reservata in sua dioecesi, accedens ad aliam dioecesim, in qua illa peccata non sunt reservata, potest a quocumque inferiori Confessario absolvi; dummodo non venerit in fraudem sui Ordinarii, sed ex aliqua legitima causa. »

7. *Pontas* [7] casum ponit poenitentis, qui peccata commisit, in sua dioecesi reservata, et migrat in aliam dioecesim ubi scit, ea peccata non esse reservata; et respondet: « Distinctione opus est; nam vel in alia dioecesi eorum fit casuum confessio bona fide, ut si poenitens eo se contulisset ob legitimas rationes, v. g. commercii....; vel si huc poenitens

1) De poenit. disp. 8. dub. 12. n. 86. — 2) De poenit. disp. 6. q. 9. dub. 4. n. 87. — 3) Tr. 7. c. 10. n. 283. — 4) De poenit. disq. 3. art. 23. ad 3. — 5) De poenit. lib. 4. c. 10 dub. 4. n. 5. — 6) De poenit. decis. 45. n. 16. — 7) Verb. *Cas. reserv.*, cas. 15.

consulto ivisset, ut facta confessione, absolutionem facilius impetraret. In prima hypothesi valida est confessio. »

8. *Laymann, S. J.:*[1] « Adde, probabilius esse, quod docet Cajetanus, Henriquez, Suarez..., peregrinos etiam absolvi a peccatis in propria ipsorum dioecesi Episcopo reservatis... Si enim in dioecesi, ubi confitentur, reservata non sint, tunc omnes expositi Confessarii absolvendi potestatem habent, quandoquidem ipsi judicare et absolvere solent secundum leges et consuetudines suae, et non alterius dioecesis. »

9. *Mendo, S. J.:*[2] « Qui habet peccata reservata in una dioecesi, nequit data opera pergere ad aliam, in qua non sunt reservata, ut ibi absolvatur...; secus est de peregrinis et exteris bona fide confitentibus reservata in sua dioecesi. »

10. *Gobat, S. J.:*[3] « Quivis praeditus potestate in mortalia advenae vel peregrini, potest eum absolvere a reservatis in sola patria peregrini: quia Confessarius judicat juxta leges sui, non alieni domicilii. »

11. *Reginaldus, S. J.,*[4] ad mentem suam aperiendam, *Henriquezium* adducit, et sic scribit: « Quod si casus reservatus in dioecesi peregrini, non sit reservatus in alia, in qua vult confiteri, ipse potest absolvi a parocho loci ubi tunc est. »

12. *Illsung, S. J.:*[5] « An quando peccatum in poenitentis dioecesi, ubi illud commisit, est reservatum, possit is valide absolvi in alia dioecesi, ubi non est reservatum? Resp. cum communi sententia, posse; nisi poenitens propterea sit nominatim excommunicatus ab homine, et nisi in illam aliam dioecesim accesserit in fraudem reservationis. »

13. *Petrocorensis*[6] ad nostram quaestionem sic respondet: « Respondetur, Doctorum in hac re contentiones terminasse *Clementis X.* declarationem. Tales enim ex aliena dioecesi advenientes absolvi posse declarat: *nisi eos Confessarii noverint in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse.* » Ac deinde rationes evolvit.

14. *Pichler, S. J.:*[7] « Potestatem sibi tacite delegatam obtinent, qui peregrinos et advenas, in quorum dioecesi, non autem in dioecesi ad quam veniunt, datur reservatio certi peccati, bona fide egredientes, et sibi tale peccatum confitentes absolvunt. »

15. *Schmalzgrueber, S. J.,*[8] proposita sibi quaestione nostra, ad ejus solutionem *Suarium* inducit contra Sotum, sic definientem: « hujusmodi peregrinum ab ita reservatis per hujusmodi ordinarios Confessarios posse absolvi: quia talis poenitens judicandus est ut incola illius dioecesis, et juxta forum illius. »

16. *Tournely*[9] quaerit: « Utrum Fidelis possit in aliena dioecesi absolvi a casibus, quos proprius ejus Episcopus sibi reservavit? » - Et respondet: « Affirmative. Ratio est, tum quia reservatio non afficit presbyterum, sed poenitentem; tum quia sequitur ille loci, in quo confitetur, disciplinam et leges. »

17. *Collet*[10] ad eamdem quaestionem affirmative respondet: « quia opinio haec jam ab omnibus passim tenetur, et ut minimum nititur tacita Episcoporum approbatione. »

18. *Felix Potestas:*[11] « Vagi et peregrini... si bona fide discedant e loco, ubi peccatum est reservatum, et accedant ad locum, ubi non est reservatum, possunt ibi a Confessario communi ab eo absolvi. »

19. *Antoine, S. J.,*[12] quaerit: « An Confessor *regularis* approbatus in una dioecesi, potest absolvere in ea subditos alterius dioecesis, pro qua non est approbatus? » - Et respondet:

1) Lib. 5. c. 10. n. 10. — 2) Verb. *Reserv. cas.*, n. 5. — 3) Tr. 7. n. 376. — 4) Praxis, lib. 8. c. 5. n. 68. — 5) Tr. 6. disp. 6. q. 6. n. 224. — 6) De poenit. tr. 1. c. 7. q. 6. — 7) Lib. 5. tit. 38. n. 14. — 8) Lib. 5. tit. 38. n. 58. — 9) De poenit. q. 10. art. 4. q. 7. — 10) De poenit. c. 9. s. 5. q. 1. — 11) Examen confess. P. 4. n. 3307. — 12) De poenit. c. 3. q. 6.

« Potest, etiam a casibus ibi reservatis, sed non reservatis in dioecesi, in qua est approbatus, nisi eos noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim migrasse. » - Et in fine subjungit: « Idem dicunt de Sacerdote *saeculari* approbato, ob tacitum Episcoporum consensum, communi consuetudine confirmatum. »

20. *Wigandt:* [1] « Peregrini et vagi judicandi sunt juxta reservationem casuum illius dioecesis, in qua versantur. »

21. *Flavianus Ricci:* [2] « Viator habens casum reservatum in sua dioecesi, veniensque in aliam dioecesim, ubi casus ille non est reservatus, si ibi confiteatur, absolvi potest a quolibet simpliciter approbato Sacerdote, dummodo hunc transitum non faciat in fraudem legis. »

22. *Mastrius:* [3] « Si casus erat reservatus in loco e quo peregrinus discessit, sed non in loco, in quo invenitur, dum confiteri vult... potest poenitens de eo peccato libere confiteri et absolvi in loco, ubi reservatum non est, accedens ad quemlibet communem Confessarium. »

23. *Billuart:* [4] « Quilibet Confessarius communis, alias nullam habens jurisdictionem in reservata, potest absolvere poenitentes ad se ex alia dioecesi venientes a casibus in illa dioecesi reservatis, si non sint reservati in dioecesi, in qua est approbatus et confessiones excipit; nisi noverit eos venire in fraudem reservationis. »

24. *Diana:* [5] « Verius et magis probabiliter dicendum mihi videtur, subditum unius Episcopi iter agentem per aliam dioecesim, non solum confiteri posse Confessoribus illius Episcopatus, sed etiam a casibus reservatis absolvi, licet Confessarius non habeat in illo Episcopatu facultatem circa peccata reservata; dummodo peccatum non sit reservatum in utroque Episcopatu, ut non erat in casu nostro » (in quo nempe agebatur de Panormitano quodam, iter agente per aliam dioecesim, et peccatum habente quod quidem in patria, non vero in loco peregrinationis reservatum erat).

25. *Ferraris:* [6] « Poenitentes confluentes ex alia dioecesi cum peccatis in ea reservatis possunt absolvi a Confessario *regulari* in dioecesi, in qua est approbatus, si in ipsa, talia peccata non sint reservata... An autem possint similiter dicti poenitentes confluentes ex alia dioecesi sic absolvi a Confessario *saeculari?* Negant cum aliis Fagnanus...At vero affirmat jam communis Doctorum sententia cum Cajetano, Henriquez, Suarez, Vasquez, Bonacina, Cabassutio, ubi solidas adducit rationes, ac dicit quod constans usus et regula receptissima est, in omni causa delicti judicandum esse reum secundum jura ipsius loci, ubi judicatur idem reus... Et sic Pontas, Felix Potestas, *Matthaeuccius,* et alii passim, ac servat universalis praxis et consuetudo, quae est optima legum interpres. »

26. *Leonardus Jansen:* [7] « Reservatio tantum habet vim in dioecesi reservantis; hinc, si poenitens habens reservatum peregrinetur in aliena dioecesi, in qua non est reservatus, ibi potest absolvi, saltem si non iverit illuc in fraudem legis. »

27. *Cuniliati:* [8] « Hinc inferas, reservationem directe afficere Confessarium, cujus auctoritas limitatur..., et indirecte dumtaxat poenitentem; qui, si fateatur casum reservatum, extra suam dioecesim, seu in alia in qua non sit reservatus, valide et licite absolvitur, dummodo non exierit in fraudem reservationis. »

28. *Franciscus Henno:* [9] « Potest Confessarius non habens hic jurisdictionem in casus reservatos, absolvere poenitentem legitime venien-

1) Tr. 14. exam. 2. n. 58. — 2) Tr. 14. dist. 9. q. 1. n. 2. — 3) Theol. mor. disp. 21. n. 229. — 4) Summa Summae, de poenit. art. 6. *§.* 3. dico 2. — 5) Part. 1. tr. 17. res. 56. — 6) Verb. *Res. cas.* n. 4. et 5. — 7) Cas. 99. q. 6. — 8) De poenit. append. 1. c. 1. n. 2. — 9) De poenit. disp. 8. q. 8. art. 4. concl. 4.

tem ad se ex alia dioecesi, a casu in dioecesi ipsius poenitentis reservato, si non sit hic reservatus. »

29. *Voit, S. J.*:[1] « An peregrinus habens casum reservatum in sua dioecesi, et confitens in alia dioecesi, ubi ejus peccatum non est reservatum, ibi possit absolvi a quovis Confessario approbato? Resp. Affirmative, dummodo non in fraudem reservationis e sua dioecesi exierit. »

Conveniunt ergo et in hac doctrina Auctores tam benignioris, quam rigidioris notae; et similiter (prout jam in praecedenti Quaestione advertimus) inter hujus sententiae propugnatores, vix ullus desideratur e clarioribus Doctoribus, qui classicis accensentur.

Hisce expositis, ad alteram Adnotationem perpendendam accedamus.

Articulus 5.

Probatur, Peregrinos, modo non abeant in fraudem reservationis, absolvi posse non solum a Regularibus, sed ab omnibus Confessariis etiam saecularibus: et quidem ex universali consuetudine ab ipsa Ecclesia approbata.

Loco supra citato,[2] *P. Gury* dicit: « Quoad Confessarios *saeculares*, negant communissime antiquiores Theologi, ex Const. *Si Episcopus* de Poenit. in 6. » – Et addit: « *Recentiores tamen commune Confessariis saecularibus fecerunt privilegium Regularium; et stante communi consuetudine*, contra quam Ordinarii non reclamant, censendum est, *per ratihabitionem de praesenti* hujusmodi peregrinum valide atque etiam licite absolvi. Excipe in utroque casu,[3] nisi quis ex propria dioecesi ad aliam *in fraudem reservationis* se contulerit. »

Ad quem textum, P. Ballerini pag. 462.[4] alteram longiorem Adnotationem apponit, in qua summatim haec profert: 1°. Facultas peregrinos a casibus reservatis absolvendi, ex Const. *Superna* solis *Regularibus* concessa est; 2°. Quod constat, tum *ex textu et titulo* citatae Const., tum ex sententia *communi* DD., ipsius etiam *S. Alphonsi*. 3°. Quod si *nonnulli* eamdem facultatem ad omnes Confessarios etiam *saeculares* extenderunt, hoc tribuendum est primo, novae theoriae ab *Henriquezio* et *Suario* invectae; deinde, « oppor- » tuno argumento, quod ex eadem » Constitutione deducitur, ne absolvi » advena a reservato queat, quoties » in *utraque* tum poenitentis, tum » Confessarii dioecesi casus reserva- » tus fuerit. » 4°. Unica ratio, cur etiam Confessarii *saeculares* peregrinos in casu absolvere possint, est *ratihabitio de praesenti*, seu consensus saltem tacitus *Ordinarii poenitentis*, quatenus consuetudinem hanc absolvendi sciat, et taceat. 5°. Demum cl. Professor advertit, peregrinos *in fraudem reservationis* alienam dioecesim petentes absolvi non posse, nec a Confessariis *saecularibus*, quia consensus Ordinarii ipsius poenitentis nullatenus supponi potest; nec a *Regularibus*, ex interdicto Sedis Apostolicae.

Ad haec breviter sequentia respondemus: I. Facultas peregrinos in casu absolvendi non est merum privilegium Regularium, sed eadem gaudent omnes Confessarii etiam *saeculares*. II. *Rationes* a cl. Ballerinio pro sua sententia allatae, haud probant; eadem sententia *communis* non est, et plures *Auctores* citati oppositum potius tenent, speciatim *S. Alphonsus*. III. Quae profert circa *originem* et *fundamentum* nostrae sententiae, haud admittenda sunt. IV. *Verum fundamentum* quo haec nostra sententia innititur, est *universalis consuetudo*, non quidem qua talis, sed quatenus *ab ipsa Ecclesia approbata* est. V. Perpenditur ratio diversa pro Confessariis regularibus et

1) De Sacram. n. 839. — 2) Cfr. supra, pag. 535. art. 1. — 3) Videlicet, pro confessione peregrini apud Confessarium, sive *regularem*, sive *saecularem*. — 4) In altera edit. pag. 374.

saecularibus a cl. Professore allata, curnam absolvi nequeant peregrini *in fraudem reservationis* alienam dioecesim petentes.

Singula itaque separatim examinabimus.

I. Ad primum quod attinet, P. Ballerini dicit: « Quod in Constit. *Superna* agatur mere de privilegio » *Regularium*, patet... »

1. Inter Auctores in praecedenti Articulo citatos, qui post ann. 1670. scripserunt, plerique tenent, concessionem quoad casus in dioecesi Confessarii non reservatos, quae in Constitutione *Superna* habetur, non esse privilegium specialiter Regularibus concessum, sed ad omnes Confessarios etiam *saeculares* extendendum esse; et quidem rectissime.

2. Qua ratione, prae ceteris allegare juvat, quae *Benedictus XIV.* [1] circa hanc quaestionem dicit: « Praeterea haec olim opinio multorum mentes invaserat, liberum cuique esse, ex propria dioecesi, ubi in casum reservatum inciderat, ad aliam, in qua reservatus non esset, ad hunc finem commeare, ut inibi a simplici Confessario absolveretur: sed *Sacra Congregatio* probe noscens, per hanc opinionem factas ab Episcopo reservationes penitus eludi atque inutiles reddi, in causa *Compsana* die 16. Septembris 1649. (lib. 18. decretor. pag. 677.) declaravit: *Absolutionem poenitentibus indultam, qui fraudulenter, et sub eo fine, in aliam dioecesim se transtulerunt, non sustineri.* Quam declarationem postmodum confirmavit et roboravit *Clemens X.* in laudata Constitutione, decernens: *Posse Regularem Confessorem in ea dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere: nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim, pro absolutione obtinenda, migrasse.* – Atque hoc Pontificium Decretum ab Auctore Theologiae moralis, in usum Seminarii *Petrocorensis* editae, commendatur sequentibus verbis: *Hac convenienti moderatione contendentium Theologorum rationibus satisfecit. Sic enim secundum exterorum leges judicare non tenebimur, ut quidam opponebant. Sic etiam Episcopi casum reservantis piae intentioni sufficienter consulitur, ut alii volebant. Quis enim conqueratur, si ipsius subditus bona fide in aliam dioecesim transiens, secundum illius loci leges Sacramenta recipiat? Receptissima siquidem consuetudo est, ut viatores, mercatores, aliique, qui propter negotiorum necessitatem, vel ob pium alium finem, in alienas dioeceses transeunt, ibi possint sacramentaliter absolvi.* Ita legitur apud eumdem Auctorem. » [2]

3. Generaliter igitur, et non distinguendo inter Confessarios regulares et saeculares, *S. C. Concilii* anno 1649. declaravit, invalidam esse absolutionem, si poenitens *fraudulenter,* ad evitandam reservationem, ex sua dioecesi discessit. – Ex qua declaratione necessario colligendum est, absolvi posse poenitentes, qui in alium finem, et non ad evitandam reservationem discesserunt; secus enim S. C. omnem absolutionem in aliena dioecesi invalidam declarare debuisset. Cumque Confessarii hujusmodi poenitentes non ex jure communi, sed ex consuetudine universali cum consensu Praelatorum introducta absolverent, S.C. eamdem consuetudinem approbavit, et solummodo ejus abusum damnavit.

4. Hanc autem generalem declarationem *Clemens X.* anno 1670. confirmavit et roboravit. Nec objici potest, quod Summus Pontifex supervacue rem planam explicasset, quae per se intelligitur; cum nemo dubitet, Confessarios *regulares,* qui alioquin

1) De Synod. lib. 5. c. 5. n. 8. — 2) Tom. 4. lib. 2. tr. 1. de poenit. c. 7. q. 6.

quoad administrationem Sacramenti Poenitentiae amplioribus facultatibus potiuntur, idem posse, quod possunt *saeculares*. Nam Pontifex in Constitutione *Superna,* ut in prooemio dicit, ad sedandas dissensiones inter Episcopos et Regulares et pacem restituendam, summatim definire voluit, quid *Regulares* possint et quid non possint; et pariter, quid *Episcopi* statuere, exigere aut prohibere possint et quid non possint; unde explicatio ista necessario addenda erat. – Insuper haec explicatio non tantum necessaria, sed alia ratione etiam opportuna fuit, quatenus scilicet paulo ante, anno 1665., Alexander VII. propositionem: « *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate* » indistincte damnaverat, et ideo aliquam saltem dubitandi copiam praebuerat.

II. Sententiam suam cl. Ballerinius sic probat: « Quod in Const. » *Superna* agatur mere de privilegio » *Regularium,* patet 1°. Ex verbis » ipsis, sup. relatis: *Posse* regulaREM *Confessarium*, etc.; 2°. Ex » *titulo* seu argumento Constitutio» nis, quod ejusmodi est: *Constitu» tio, in qua Regularium privile» gia, quoad praedicationem verbi » Dei et Sacramenti Poenitentiae » administrationem declarantur;* » 3°. Ex *communi DD. sententia:* » qua de re videri possunt *Simmonet* » (Tr.XV.disp.9. art.6.resp.7.),*Elbel* » (Confer. XIV. n. 376.), *Roncaglia* » (Tr. XIX. q. 7. cap. 2. q. 1. resp. 2.), » *Platelius* (Synop. part. 5. n. 909.), » *Ferraris* (V. Reservatio casuum, » n. 4.), *Viva* (de Poenitent. q. 8. » art. 1. n. 5.), *Antoine* (de Poenit. » c. 3. art. 1. q. 6.), *Collet* (de Poenit. » cap. 8. part. 2. n. 560.), *Eusebius* » *Amort* (de Poenit. disp. 9. q. 25.), » *S. Alphonsus* (Lib. 6. n. 589.), ac » demum *Fr. Antonius a S. Joseph* » (Tr.27.n.389.), qui, sedente Pio VI., » Compendium Salmanticensium Ro» mae 1789. edidit... »

1. At vero *rationes,* quas P. Ballerini pro sua sententia affert, nullius momenti sunt. Verbum: *posse,* et *Titulus* citatae Constitutionis nihil probant, ut ex supra dictis patet. In Constitutione Clementina, non tantum favores et privilegia Regularium, sed etiam declarationes, imo et restrictiones multaque ipsis onerosa habentur.

2. Nec verum est, sententiam *communem* esse, in eadem Constitutione mere de privilegio Regularium agi. Non pauciores, sed longe plures Auctores ipsam ad *omnes Confessarios* extendendam esse censent. Id manifestum est, ex textibus Auctorum, quos pag. 543. et seqq. adduximus. Ibi enim, aliqui Auctores, uti *Ferraris* et *Antoine,* potestatem de qua agitur, nominatim Sacerdotibus saecularibus tribuunt. Ceteri vero verbis adeo generalibus utuntur, ut aeque comprehendant utriusque Cleri sacerdotes. Tribuunt namque potestatem peregrinos in casu absolvendi, « *cuilibet Confessario simpliciter approbato* » – « *cuivis potestate praedito confessiones ordinarias excipiendi* » – « *Parocho aut inferiori Confessario* » etc. – Quo sane loquendi genere, non minus Confessarii saeculares, quam regulares designantur.

3. Insuper P. Ballerini pro sua sententia plures Auctores citat, qui *potius oppositam* tenent. Sic Continuator Tournely *(Collet)* l. c. dicit: « Quae porro ibi (in Constitutione *Superna*) dicta sunt de Regularibus, ad alios extendi jubent causae paritas et *consuetudo.* » – Similiter l. c. *Ferraris:* « Tum quia in hoc par videtur ratio de Confessario saeculari ac de regulari: si ergo id potest regularis, poterit etiam Confessarius saecularis, quia ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio. » – Item *Roncaglia* l. c.:« Non poterunt vero absolvi, si eo processerunt in fraudem reservationis; unde illos non posse absolvi declaravit Clemens X. in Bulla *Superna,* §. *Regularis.* Quamvis autem ibi Pontifex de Con-

fessariis regularibus loquatur, nihilominus, cum id prohibuerit, quia nulli licet in fraudem legis operari, cum fraus et dolus nemini debeant suffragari, consequens est, nec posse absolvi a Confessariis saecularibus, *ut patet etiam ex declaratione S. Congregationis apud Diana.* »[1] – *Viva, S. J.*, demum l. c. de alia quaestione tractat. Bullam Clementinam allegat, quatenus Summus Pontifex ibidem declarat, Regularem in una dioecesi approbatum non posse audire in alia dioecesi confessiones, *ne illorum quidem poenitentium, qui subditi sunt illi Episcopo, a quo fuerat approbatus talis Regularis.* Et hanc tantum declarationem ad solos Regulares spectare existimat; quippe qui facile ex uno loco in alium se transferant, et jurisdictionem immediate habeant a Pontifice.

4. Nec verum est, etiam *S. Alphonsum* n. 589. istam sententiam profiteri. Claris namque verbis dicit, consuetudinem universalem confirmari ex Bulla Clementis X. *Superna.* In quantum vero ibidem subjungit, limitationem: nisi poenitens in fraudem reservationis migraverit, non tantum pro Confessariis regularibus valere, « sed etiam, *imo tanto magis pro saecularibus* », haec verba ea ratione adjecit, quia Regulares in genere ampliores facultates habent.

III. Sic autem prosequitur cl. BALLERINIUS: « Quod ergo *nonnullis* videri potuerit, ea particula Constitutionis *Superna* commune quoddam principium contineri, quod instar legis *pro omnibus Confessariis etiam saecularibus* valeret, tribuendum id est primo quidem *invectae ab Henriquez et Suarezio* atque a pluribus exinde receptae *theoriae,* de qua in not. praec.; deinde vero opportuno quoque argumento, quod ex eadem Constitutione deducitur, ne absolvi advena a reservato queat, quoties in *utraque,* tum poenitentis, tum Confessarii dioecesi, casus reservatus fuerit.

» Hac enim conditione circumscriptam esse etiam facultatem *Regularibus* tributam per ea verba: *Non autem in illa, ubi idem Confessarius est approbatus,* ne scilicet absolvant a reservatis in utraque dioecesi, *communis est DD. sententia*, quam vide penes *La-Croix* (Lib. 6. part. 2. n. 1631.), *Ferraris* (l. sup. cit.), *Euseb. Amort* (l. sup. cit. q. 26.), *Marc. Struggl* (de Sacr. Poenit. q. 3. n. 48.), *Reuter* (de Poenit. num. 371.), *Mazzotta* (Tr. 6. disp. 2. q. 3. §. 2. n. II.), *Viva* (de Sacr. Poenit. q. 9. art. 3. n. 4.), *Platelium* (l. sup. cit.), *Roncaglia* (l. sup. cit.),[2] *Emman. Thesaurus* (de Poen. part. 2. v. Absolutio, cap. 3.), *Giordanini,* vulgo Auctor oper. *Istruzione pei novelli Confessori* (Vol. II. n. 503.), *Wageman* (Synops. Theol. part. 3. tr. 2. cap. 5.), *Illsung* (de Poenit. n. 224.), *Gobat* (Tr. VII. n. 376.), *Antoine* (de Poenit. cap. 3. art. 1. q. 6.), etc.; e quibus illud etiam manifestum fit, inaniter quempiam suspicari posse, ea Clementis X. verba ad casum spectare, in quo peccatum in alterutra tantum dioecesi reservatum sit... »

Sed vana et sophistica sunt, quae cl. Professor hic profert.

1. Sententia, Confessarium peregrinos absolvere non posse, quoties casus *in utraque dioecesi* reservatus est, non tantum communis, sed unanimis est, et unanimis fuit jam ante Constitutionem *Superna.* – *Suarez*[3] dicit: « Aut enim peccatum est reservatum in utroque Episcopatu: et *tunc omnes fatentur,* non posse remitti a tali confessore; quia a neutro Episcopo habet delegatam jurisdictionem, ut constat. »

2. At vero Clementem X. oppositum declarasse, nemo rationabiliter

1) T. 1. tr. 5. res. 49. — 2) In altera edit. deest *Roncaglia.* — 3) Disp. 30. sect. 1. n. 6.

suspicari potuit; cum Pontifex expressis verbis declaret, Confessarium absolvere posse confluentes *ex alia dioecesi* a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessarius approbatus est. Idcirco plerique Auctores simpliciter idem repetunt; casum autem, quo peccatum in *utraque* dioecesi reservatum est, nequidem specialiter proponunt. Qui autem hunc casum commemorant, ut *Lacroix* et *Amort*, in alium finem commemorant.

3. *Lacroix, S. J.*, l.c. dicit: « Reservatio Episcopalis habet vim tantum *intra dioecesim reservantis;* hinc, si peregrinus habens reservatum confiteatur *in dioecesi, ubi non est reservatum, potest ibi a quovis approbato absolvi,* sine onere sistendi se suo Episcopo, uti declarat Clemens X., qui tamen excipit casum, *nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse:* tum enim Episcopus ipsius non censetur consentire. Et ibidem declarat, si casus sit reservatus in dioecesi, in qua Confessarius audit, talem peregrinum non posse absolvi sine facultate hujus Episcopi: quod certum est, si talis casus sit reservatus in dioecesi tam poenitentis, quam Confessarii; si autem casus non sit reservatus in dioecesi poenitentis, sed tantum in dioecesi Confessarii, de hoc casu nihil expresse declarat Clemens; nam tantum loquitur de veniente cum casu in sua dioecesi reservato; plerique tamen cum *Suarez, Lugo, Coninchio, Bordono, Marchantio, Aversa* putant, Confessarium hic non posse absolvere, et *Diana* dicit esse rem claram, quia Episcopus hujus dioecesis directe sustulit illi jurisdictionem respectu talis peccati. » - Recte ergo hic advertit, ex Constitutione Clementina colligi non posse, quod peregrinus a peccato in dioecesi Confessarii reservato absolvi nequeat; et hac sola ratione subjungit, certum esse, peregrinum absolvi non posse, si peccatum in *utraque* dioecesi reservatum est.

4. Similiter *Amort,* qui l. c. quaestionem proponit: « Quid agendum, si peregrinus aut vagus afferat casum *reservatum in dioecesi Confessarii?* » et respondens, non posse absolvi, concludit: « Ergo ubi Episcopus in reservatione casuum vagos et peregrinos non excipit, etiam ii in reservatione casuum generali comprehensi censentur. Alii hanc resolutionem probant ex praefata Bulla Clementis X. Verum ex illa nihil argumenti solidi erui posse censeo; quia Pontifex non negat, peregrinos absolvi posse a peccatis in Dioecesi Confessarii tantum reservatis; sed praecise negat, eos absolvi posse a peccatis, si *in propria et aliena Confessarii* dioecesi simul reservata sunt. »

IV. Pergit autem P. Ballerini: « Caeterum *ratio* ab Auctore (P. Gury) » prolata, cur Confessarii quoque » *saeculares,* licet privilegium Re» gularibus a Sede Apostolica con» cessum non habeant, tamen con» fluentes ex alienis dioecesibus et» iam ab istarum reservatis, non » obstante Bonifacii VIII. Const. *Si* » *Episcopus* possint absolvere; *unica* » reipsa est, quae cohaereat cum es» sentialibus judicii sacramentalis » principiis a Synodo Tridentina so» lemniter definitis, et rursus a » Pio VI. in Const. *Auctorem fidei* » n. 37. contra technas jansenianas » inculcatis, statuentibus scilicet, » neminem a *judice non suo* solvi vel » ligari posse, ac nullius momenti » absolutionem esse, quam Sacerdos » in eum proferat, in quem *ordina*» *riam aut delegatam non habeat* » *jurisdictionem.* Constitutio enim » *Si Episcopus* eatenus obstat, qua» tenus statuit, licentiam (tacitam » vel expressam) eligendi Confessa» rium a proprio Ordinario concessam, nullatenus includere facultatem etiam pro reservatis. Quoties » ergo signo aliquo constet, Ordina-

» rios, simul cum praedicta licentia, » etiam in facultatem pro reservatis » consentire, jam satis Decretalis Bo» nifacii VIII. servatur. Atqui si» gnum hujus Ordinariorum consen» sus sufficiens est, quod consuetu» dinem hanc absolvendi sciant et » taceant; inde enim illa *ratihabitio* » *de praesenti,* quae in casu ad ab» solutionis valorem sufficit. Huc fa» ciunt ea *Reginaldi* (Lib. 1. n. 70.): » *Tenendum est, jurisdictionem....* » *sufficientem acquiri per licentiam* » *tacitam quae habetur ex ratihabi*» *tione de praesenti, tunc contingen*» *tem, quando videnle, et sciente, ac* » *tacente Sacerdote proprio, qui pot*» *est contradicere, Sacramentum* » *Poenitentiae administratur.* Valet » igitur de reservatorum absolutione » id ipsum, quod Card. *Cajetanus* » *(Summ.* V. *Confessio 2.),* generatim » de confessione, ex tacita licentia » proprii Sacerdotis, facta in dioe» cesi aliena, sic ajebat: *Tacita* » *Episcopalis licentia dat robur* » *absolutionibus, et consuetudo non* » *concurrit nisi ut testis licen*» *tiae...* »

1. Concedit ergo hic P. Ballerini, peregrinos a peccatis in propria dioecesi reservatis absolvi posse, in quantum Episcopi consuetudinem absolvendi videant et taceant: quippe quod videre et tacere sit signum sufficiens consensus et ratihabitionis de praesenti. – *Solam consuetudinem per se sumptam non sufficere,* certum et exploratum est; et nullus ex omnibus Auctoribus in praecedenti Articulo citatis id affirmat. Quin potius aliqui *Antiquiores,* quos allegat Suarez,[1] uti Hostiensis, Raymundus, Astensis, Gerson, Guillelmus de Monte Lugduno, Gabriel, indistincte affirmarunt, consuetudinem jurisdictionem dare posse. Attamen, ut Suarez recte eos explicat, tacitum consensum Superioris subintellexerunt. Unde cl. Ballerinius falso et injuste *Recentiores* accusat, quod « *immensam confusionem* » in hanc quaestionem induxerint.

2. Cl. Professor *Cajetanum* citat; at idem dicit Suarez,[2] scilicet, *consuetudinem* nonnisi *signum sufficiens* esse facultatis a Superioribus concessae, nec revocatae, et ideo tacite perdurantis. – Insuper *Reginaldum* citat (L. 1. n. 70.): qui autem ibidem de ratihabitione in casu particulari loquitur, et dicit: « Ratio est: quia scientia et patientia in iis, quae sunt modici praejudicii, operantur consensum. » Et addit, idem valere, quando ratihabitio est de praeterito; at vero in utroque casu valere tantum pro hac vice, et de hoc solo actu. *N. 74.* autem de consuetudine agens, idem dicit, quod Suarez,[3] quem citat: « Itaque consuetudo tantum est testis tacitae licentiae a proprio Sacerdote sufficienter concessae, nec revocatae, sed, prout continuatio consuetudinis ostendit, continuatae cum ipsius tacito consensu. »

3. Quamvis autem omnes Auctores citati conveniant, *solam consuetudinem* per se jurisdictionem conferre non posse; attamen, *plerique saltem,* quoad consuetudinem absolvendi peregrinos a peccatis in propria dioecesi reservatos, tenent, *hanc consuetudinem confirmatam esse auctoritate* Episcopis majore, nimirum *S. Sedis,* et quidem Declaratione *Eugenii IV.,* et postea Declaratione *S. Congregationis Concilii,* de anno 1649. et Constitutione *Clementis X.* – In quo solo discrepant a cl. Ballerini, qui contendit, Confessarios non posse absolvere, nisi in quantum Episcopi vident et tacent; et ideo non posse absolvi peregrinum, cujus Episcopus tacitum consensum revocavit vel *signum dissensus* dedit. Etenim ipse Declarationem Eugenii IV. in dubium revocat, illam S. Congregationis silentio praeterit, et Clementem X. speciale privilegium solis Regularibus concessisse existimat.

4. Oppositum jam satis demonstra-

1) Disp. 27. sect. 3. n. 2. (cfr. supra, pag. 513.). — 2) Vid. l. c. *n. 3.* — 3) Loco cit.

vimus. Sed etiam abstrahendo ab istis declarationibus et Bulla Clementina, *certum est, quod Ecclesia consuetudinem universalem,* peregrinos a peccatis in propria tantum dioecesi reservatis absolvendi, *indirecte saltem confirmavit:* quatenus approbavit, quod peregrini, quoad Sacramentum Poenitentiae, velut domiciliantes considerentur, et *incolis aequiparentur.* Quo peregrini, ipso facto et de jure, a peccatis in loco confessionis non reservatis absolvi possunt.

5. Nec dicendum, praesumi non posse, Sanctam Sedem *juri Episcoporum* certa peccata sibi reservandi praejudicare voluisse. S. Sedes huic juri non praejudicat, nec reservationibus Episcoporum derogat; sed, approbando consuetudinem ipsorum Episcoporum tacito consensu introductam, peregrinos jurisdictioni Ordinarii loci subjicit, et huic subjectioni vim legis tribuit. Ceterum, apud omnes in confesso est, Sanctam Sedem etiam directe, et, Episcopis invitis, facultatem a reservatis absolvendi Sacerdotibus impertiri posse, qui eam ab ipsis non receperunt, imo et casus reservatos limitare vel restringere, ut de facto constat. Vide Lugo [1] et Benedictum XIV. [2] Et quoad *peregrinos,* S. Sedes id tanto magis directe disponere posset, quia Episcopi alioquin jam propter ovium bonum spirituale consenserunt et consentiunt, et nonnisi unus alterve forte invitus esset.

V. Concludit denique P. Ballerini suam adnotationem: « Et cum his » quidem aptissime connectitur, quod » Clemens X. cavendum *Regularibus* » edixerat, et modo (*a fortiori,* ut » ait S. Alph. n. 589.), ad Confessarios etiam *saeculares* transferri ob » novam hanc praxim inductam oportet, nempe excipiendos ab ea lege » poenitentes, qui *in fraudem reservationis,* ad subterfugiendum » scilicet proprii Sacerdotis judicium, » in alienam dioecesim ad confitendum se conferant. In hisce enim » adjunctis, consensus Ordinarii, e » quo jurisdictio ad absolvendum profluit, supponi nullatenus potest. » Huc itaque redit, quod Thh. (cohaerentes ne sibi omnes, alii viderint) de simplici confessione extra dioecesim facienda communiter » statuunt, validam scilicet absolutionem fore, *modo* (utar verbis *Bonacinae,* de Poen. disp. 5. q. 7. » punct. 2. n. 6.) *iter non faciant in fraudem legis, ea solum de causa, ut... evitent proprium Pastorem, et alteri confiteantur..., ut bene observant Coninck, Vasquez, Suarez, Reginaldus et alii recentiores.* Eandemque conditionem apponit *Lugo* (de Poen. disp. 19. n. 7.): *dum tamen* (inquit) *ex industria non discesserint a suo domicilio, ut occasione itineris alteri confiteantur.* Quod et recentius repetit *Concina* (de Poen. Lib. 2. diss. 2. c. 4. n. 20.) valide absolvi negans, *si industria discesserint (subditi), ut alibi confiteantur.* Vid. supra n. 555.

» Licet vero haec ratio valere non videatur quoad *Regulares,* qui, cum jurisdictionem non habeant ab Episcopis, sed *a Sede Apostolica,* eo ipso videntur non indigere delegatione illa jurisdictionis, quae *tacito Ordinariorum consensui,* seu *ratihabitioni de praesenti* inest; ast alia quoad ipsos adest ratio, *interdictum* scilicet *Sedis Apostolicae,* quae, dum privilegium illis concessum hac conditione circumscribit, pari efficacia ordini prospicit, disciplinamque ita tuetur, ut nihil sit, quod Episcopos a regenda et corrigenda sua cujusque plebe impediat. »

1. Quid *Bonacina* dicat, et quomodo *Concina* intelligendus sit, jam supra exposuimus. [3] - Modo autem ipse P. Ballerini fatetur, peregrinum absolvi posse, etiamsi ex industria

1) De poenit. disp. 20. n. 227. — 2) De Synod. lib. 5. c. 5. n. 4. — 3) Vide pag. 510. n. 3. et 7.

discesserit, ut alibi confiteatur et proprium Pastorem evitet, dummodo id non fiat *in fraudem reservationis,* quam evitare intendit. At vero addit, Confessarios *saeculares* hujusmodi peregrinum absolvere non posse, quia in hisce adjunctis, consensus Ordinarii, e quo jurisdictio ad absolvendum profluit, supponi nullatenus potest; Confessarios autem *regulares,* propter interdictum Sedis Apostolicae, quippe qui jurisdictionem a Sede Apostolica et non ab Episcopis habent, quia S. Sedes absolutionem in hoc casu specialiter ipsis interdixit.

2. *Regulares* utique jurisdictionem a Summo Pontifice habent, sed eam quoad *saeculares* exercere nequeunt, nisi accesserit *approbatio Episcoporum.* Si ergo *Confessarii saeculares* peregrinum, qui in fraudem reservationis discessit, ideo absolvere nequirent, quia ejus Ordinarius invitus censendus est; idem plane de Confessariis *regularibus* dicendum esset, quia similiter censendum est, quod Ordinarii ipsos pro subditis in aliena dioecesi versantibus approbare non intendant, si subditus in fraudem reservationis d scessit.

3. Verumtamen, ut jam satis probavimus, in praesenti *peregrini non amplius ex tacito Episcoporum consensu absolvuntur, sed ex voluntate S. Sedis,* quae peregrinos, quoad Sacramentum Poenitentiae, Ordinario loci et Confessariis ab ipso approbatis subjecit. [1] Et *in fraudem reservationis* discedens, idcirco nec a Saecularibus, nec a Regularibus Confessariis absolvi potest; quia S. C. anno 1649. generaliter et indistincte declaravit, hujusmodi peregrinum invalide absolvi, et Clemens X. in Const. *Superna* hanc declarationem confirmavit.

SIT IGITUR TOTIUS QUAESTIONIS CONCLUSIO:

1. S. Doctor optimo jure ceu *veriorem et communissimam* propugnat sententiam, quae docet, absolvi posse Peregrinum peccato irretitum, quod in ipsius tantum dioecesi, non autem in loco confessionis reservatum est: modo non in fraudem reservationis alienam dioecesim petat.

2. Hujusmodi Peregrinos absolvere possunt, non solum *Regulares* (uti certum est ex Const. *Superna* Clementis X.), sed omnes Confessarii etiam *saeculares:* et quidem ex *universali consuetudine,* qua peregrini, quoad confessionem, aequiparantur incolis loci ubi versantur. — Quae

1) *P. Ballerini*, in adnotatione ad n. 332. T. I. Patris Gury, pag. 366. (in altera edit. pag. 279.) jam quaesierat, an Episcopus possit in votis et juramentis dispensare etiam cum peregrinis: et concluserat dicendo: « *Nihil certi et solidi de ejusmodi quaestionibus concludi unquam poterit, nisi inquiratur diligentius, utrum et quousque jurisdictio aliqua exerceri possit in eos, qui subditi non sunt, atque adeo circa quos nulla inest* ordinaria *potestas. Qua de re mirum sane, quantum Theologi quidam, recentiores praesertim, a trita veterum via aberrantes, totam hanc materiam inextricabilibus nodis implicaverint. Sed haec commodius ad* Tractatum de Poenitentia, *ubi de potestate absolvendi peregrinos, reservantur.* »

Verum, ex omnibus hucusque discussis, tam in praesenti quaestione, quam in 11. et 13. (pag. 507. et 525.) simplex patet responsio ad solvendos « inextricabiles nodos. » — Episcopus nihil potest proprio jure in peregrinos, nec pro absolutione peccatorum aut censurarum, nec pro dispensatione votorum et juramentorum, nec pro relaxatione a legibus, nisi peregrini *aliqua ratione* fiant *subditi.* — Porro, pro *legibus, votis* et *juramentis,* peregrini non fiunt subditi, nisi ratione *domicilii*, aut *quasi-domicilii:* juxta sententiam communiter receptam (S. Alph. lib. 1. n. 158.). Pro absolutione vero *peccatorum et censurarum,* subditi fiunt, ex voluntate Ecclesiae, *eo ipso quod in sacro tribunali Episcopo loci vel ejus delegato se sistunt.* Ratio autem, cur potius faveatur peregrinis in hoc ultimo casu, egregie traditur a S. Alphonso (Lib. 1. App. de Privil. n. 32.): « *quia absolutio sacramentalis requirit praesentiam.* » — Unde mirum non est, si haec absolutio a peccatis dari potius debeat *ab Episcopo loci,* dum absolutio seu relaxatio a votis et juramentis dari potest *ab Episcopo proprio peregrini*, etiam longe distante; nam « dispensatio potest etiam absentibus dari. et » (generatim) jurisdictio voluntaria potest etiam extra proprium territorium exerceri. »

consuetudo, licet *per se* ad conferendam jurisdictionem certo non sufficiat, vim tamen legis habet, non tam ex consensu Ordinariorum, quam potius ex confirmatione *S. Sedis;* uti patet ex declaratione Eugenii IV., ex alia declaratione S. C. Concilii de anno 1649., et ex citata Constit. *Superna* Clementis X.

3. Quae autem cl. Professor huic doctrinae objicit, aut immerito proferuntur, aut saltem ejusmodi sunt, quae ipsam infirmare nullatenus valent.

QUAESTIO XV.

An, stante impedimento Episcopum adeundi, et urgente gravi causa, praeter mortis periculum, possit simplex Confessarius directe absolvere a peccatis et censuris, quae Episcopus sibi reservavit.

(S. Alph. Lib. VI. n. 585. etc. — P. Ball. Tom. II. n. 575.)

Praefatam quaestionem S. ALPHONSUS sic exponit et solvit:

Lib. VI. n. 585. ait: « Quando adest impedimentum, et urget *gravis causa* confitendi, quivis Confessarius potest *indirecte* absolvere a casibus reservatis ab Episcopo (et etiam a reservatis a Papa, si Episcopus non possit adiri, ut diximus *n. 563. dub. 2.*). Ita communiter Laymann, Suarez, Palaus, Concina, Wigandt, Viva, Elbel, Bonacina et Ciera; Salmanticenses cum Coninchio, Rodriquez, Henriquez, etc. – Et hoc, etiamsi peccatum sit reservatum cum excommunicatione, ut dicunt Suarez, Filliuccius, Salmanticenses, Ciera cum Lugo, et Bonacina cum Vasquez, Cano et Ledesma (contra Navarrum, Sà, etc.). Vide dicta, *n. 265. q. 3.*

» Diximus 1. Si adsit *gravis causa;* nempe si nequeat adiri Superior sine scandalo, aut nota infamiae (ut ajunt Concina et Wigandt), vel sine magna difficultate; puta, si habens facultatem longe distet (ut dicunt Laymann, Elbel et Bonacina), et ex alia parte urgeat necessitas communicandi, vel implendi praeceptum annuae confessionis, aut ne diu poenitens maneat in peccato mortali; ut dicunt communiter omnes praefati Auctores. – Diximus 2. *indirecte;* unde (juxta sententiam probabiliorem allatam n. 265. q. 1.) tenetur poenitens Confessario non habenti facultatem in reservata, confiteri alia mortalia non reservata, ut directe ab his absolvatur, et indirecte a reservatis; ac deinde *tenetur, cessante impedimentō, reservata confiteri Confessario habenti potestatem,* juxta dicenda in *dub. seq.* et *de Cens. lib. 7. n. 91.* Et sic pariter, si non habeat aliud mortale non reservatum, et dubitet de contritione, urgente praecepto confessionis, tenetur confiteri saltem aliquod veniale vel mortale alias confessum. Vide dicta d. n. 265.

» Dubitatur 1. An si impedimentum adeundi Superiorem sit *perpetuum,* possit tunc inferior *directe* absolvere peccatum *reservatum sine censura,* ita ut poenitens deobligetur in posterum ab adeundo Superiore, si postea cessabit impedimentum? – Affirmant Sanchez et Salmanticenses; quia (ut dicunt) nullo jure cavetur, adesse onus se praesentandi ad Superiorem pro peccatis sine censura reservatis, quae supponuntur eo casu directe absoluta. – Sed *verius* docent *Suarez, Laymann* et Ciera *cum communi,* quod, *extra articulum mor-*

» *tis, nullus inferior Sacerdos pot-* » *est directe* absolvere a reservatis: » *Extra quem articulum* (dicit Tri- » dentinum, Sess. 14. c. 7.), *Sacer-* » *dotes nihil posse in casibus reser-* » *vatis.* – Hoc vero procedit *in ca-* » *sibus Episcopalibus;* nam in Pon- » tificiis, regula juris est (ut bene » ait Suarez) quod, quoties non pa- » tet aditus ad Pontificem, potest » poenitens directe absolvi ab Epi- » scopo; vel, cum etiam adsit im- » pedimentum adeundi Episcopum, a » quolibet Confessario, cum onere in » posterum se praesentandi ad Pon- » tificem, quando poterit, si impedi- » mentum non est perpetuum; nam » si est perpetuum, omnino libera- » tur, juxta dicenda Lib. 7. n. 88. » De absolutione autem horum ca- » suum papalium pro eis, qui sunt » impediti Pontificem adire, vide alia » dicenda de Cens. lib. 7. ex n. 84. »

Et *Lib. VII. De Censuris, cit. n. 91.*, S. Alphonsus speciatim tractat *de peccatis Episcopo reservatis absque censura:* « Quaeritur 7. An, quando » ob mortis periculum, vel ob aliud » impedimentum, absolvitur ab in- » feriore peccatum reservatum, sed » absque censura, imponendum sit » onus poenitenti, ut Superiori se » praesentet? – Negant Sanchez cum » Corduba, Zambrano; item Salman- » ticenses, qui citant Suarezium, sed » non bene, ut infra videbimus. Ra- » tio (ut ajunt), tum quia eo casu » directe absolvitur peccatum, tum » quia nullo jure cavetur tale onus » comparendi. – Sed omnino distin- » guendum: si peccatum sit absolu- » tum *in articulo sive periculo mor-* » *tis,* tunc *nulla remanet obligatio* » *se praesentandi ad Superiorem,* » quia tunc vere *directe* peccatum » fuit absolutum; cum eo casu ces- » set omnis reservatio, ut recte do- » cent Suarez, et Salmanticenses cum » Paludano et Navarro, ac Diana cum » Granado, Praeposito, Hurtado, etc. » *Secus vero,* si peccatum est abso- » lutum ab inferiore, propter aliquod » impedimentum adeundi Superiorem » *extra mortis articulum;* quia tunc » nullus inferior potest directe absol- » vere a reservatis, sed tantum *in-* » *directe,* juxta dicta, Lib. 6. n. 585. » v. Dub. 1. *Unde poenitens, ut post-* » *ea directe a Superiore absolvatur,* » *omnino, cum convaluerit, tenetur* » *eum adire;* ita *communissime* Sua- » rez, Laymann cum Navarro, Soto, » Coninchio, Richardo, etc.; et Ciera » cum communi, ut asserit. »

Demum S. Doctor, *cit. Lib. VII. n. 92. in fine,* quaestionem proponit *de casibus Episcopo reservatis cum censura.* Ibidem quaerit: « *Si quis* » *autem est impeditus adire Episco-* » *pum, an possit simplex Confessa-* » *rius eum absolvere a casibus et* » *censuris ab eodem Episcopo reser-* » *vatis?* – Respondet Roncaglia cum » Hurtado et Diana, quod si impedi- » mentum esset diuturnum, poterit » absolvi, cum obligatione tamen » comparendi coram Superiore, ces- » sante impedimento. Si vero impe- » dimentum sit perpetuum, poterit » absolute absolvi. – Attamen *Lay-* » *mann cum Suario, Soto, Conin-* » *chio,* etc., dicunt, *casu, quo urgeat* » *necessitas, et Episcopus longe di-* » *stet, simplicem Confessarium posse* » *poenitentem absolvere directe tan-* » *tum super non reservata, et indi-* » *recte super reservata.* »

P. Gury, T. II. n. 575. quaestionem perpendit: « An aliquando simplex Confessarius possit absolvere a peccatis reservatis, etiam extra mortis periculum? » et pag. 470. [1] concludit, dicendo: « Quae autem de reservatione *Pontificis* dicuntur, *ad reservata Episcopalia extendi possunt.* »

Ad haec autem verba, P. Ballerini sequentia adnotat: « *Reservata* » *Episcopalia,* ut videtur, ab Aucto- » re dicuntur peccata, quae sibi Epi- » scopus reservat; circa quae *S. Al-*

1) In altera edit. pag. 380.

» *phonsus* (Lib. 6. n. 585.) *uti verius* » *censet, non valere regulam, quae* » *de reservatis Pontificiis traditur;* » verum (Lib. 7. n. 92.) deinde pro- » ponit doctrinam *Roncagliae* (Tr. 4. » q. 1. cap. 6. q. 5.) qui statuit ge- » nerale hoc principium : *Quae dicta* » *sunt de reservatis S. Pontifici, ex* » *paritate rationis extendi possunt* » *ad reservata Episcopalia,* etc., qui- » bus gemina habet et *Sporer* (de Poe- » nit. n. 750.). – Quod vero S. Al- » phonsus Roncagliae opponat *Lay-* » *mann, Sotum, Coninck* et *Suare-* » *zium,* quorum auctoritate prius » motus fuerat ad censendam *verio-* » *rem* primam sententiam, *nihil re-* » *ipsa est.* Ex his siquidem *tres prio-* » *res hanc quaestionem nullatenus* » *tangunt; Suarez* vero (de Poenit. » disp. 30. sect. 3. n. 11. 12.) allatis » pro utraque opinione rationibus, » mere dicit, *se magis inclinare* in » eam partem, ne in re adeo gravi » absque sufficienti fundamento ea fa- » cultas tribuatur. – At enim suffi- » ciens fundamentum adesse, alii me- » rito putant in C. *Eos qui* 22. De » Sent. excomm. in VI., quod sic de- » finit: *Eos, qui a sententia cano-* » *nis vel hominis (cum ad illum, a* » *quo alias de jure fuerant absol-* » *vendi, nequeunt, propter immi-* » *nentis mortis articulum aut aliud* » *impedimentum legitimum, pro ab-* » *solutionis beneficio habere recur-* » *sum) ab alio absolvuntur,* etc.; » hic namque agitur de quocumque » Superiore, non autem de solo Ro- » mano Pontifice. Id ipsum erui pot- » est etiam ex C. *Nuper* De Sent. » excomm., in quo expresse quaestio » fit de quolibet Praelato. – Neque » vero solus est in ea doctrina Ron- » caglia cum Sporer; nam ipse Hur- » tadum et Dianam allegat; Diana » vero *(T. 1. tr. 5. resol. 18. et 19.)* » addit Palaum, Henriquez, Mar- » chant, Coelestinum, Gamachaeum, » Granadum. Et *(resol. 18. num. 7.)* » concludit: *Et haec omnia satis* » *probabilia et tuta existimo; et* » *maxime notentur a Confessariis,* » *quia in Authoribus non passim* » *obvia, sed in praxi quotidiana.* »

Quae cl. Professor hic asserit, ad duo praecipua capita reduci possunt. 1. S. Alphonsus pro sententia *negativa* falso adducit auctoritatem *Laymanni, Soti, Coninchii et Suarezii;* 2. Merito dici potest, sententiae *affirmanti* sufficiens adesse fundamentum. – Quid igitur de utroque asserto sentiendum sit, breviter examinare juvat.

Articulus 1.

S. Alphonsus Auctores pro sententia negativa citatos, recte allegat.

S. Doctor, ut vidimus, Lib. 6. n. 585. ait: « *Verius* docent *Suarez,* » *Laymann,* ... quod, extra articu- » lum mortis, nullus inferior Sacer- » dos potest *directe* absolvere a re- » servatis ... Hoc vero procedit in » casibus *episcopalibus.* » Et Lib. 7. n. 92., adducta sententia affirmante Roncagliae, scribit: « Attamen *Lay-* » *mann* cum *Suarez, Soto, Conin-* » *chio,* etc., dicunt, casu quo urgeat » necessitas, et Episcopus longe di- » stet, simplicem Confessarium posse » poenitentem absolvere *directe tan-* » *tum super non reservata, et indi-* » *recte super reservata.* » – Haec au- tem cl. Professori nostro non pro- bantur; unde objicit: « *Quod vero* » *S. Alphonsus Roncagliae opponat* » *Laymann, Sotum, Coninck et Sua-* » *rezium, quorum auctoritate prius* » *motus fuerat ad censendam* verio- » rem *primam sententiam, nihil re-* » *ipsa est.* »

I. Et primum quidem, quod S. Doctor adducat *Laymannum,* testante cl. Ballerinio « *nihil reipsa est* », quia iste « *hanc quaestionem nul- latenus tangit.* » Videamus an tan- gat, nec ne.

1. *Laymann, S. J.,* de Poenit. cap. 12. haec habet: « *N. 9.* Quaestio quinta. *Quid agendum sit Confes- sario, si poenitens inter alia con- fiteatur peccatum reservatum Su- periori?* – Respondeo, et dico I. *Or-*

dinarie non debet illum absolvere, sed ad Superiorem mittere, vel ab eodem facultatem absolvendi petere. Ita (Petrus) Sotus, [1] Adrianus, [2] Canus, Finellius, Llamas, [3] Suarez, [4] Philiarchus, [5] Coninck. [6] Quod et Tridentinum Concilium significat, cit. Sess. 14. c. 7. Cum Sacerdotes nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant. Ratio est; quia ad integritatem sacramentalis confessionis pertinet, ut de omnibus mortalibus peccatis fiat, coram legitimo judice; qualis ille tantum est, qui potestatem habet de integra causa cognoscendi, ut absolutio ab eo rite pronuntietur. »

« *N. 10.* Dico II. *Si aliqua necessitas urgeat,* v. g. si poenitens longe distet ab Episcopo, *tunc Confessarius absolvere potest poenitentem,* ita ut absolutio *directe* cadat *super non reservata,* tametsi solum venialia sint; *indirecte* vero *super reservata; imposito onere poenitenti, praesentandi se Superiori, ut a reservatis quoque directe absolvatur:* nisi malit ipsemet Confessarius a Superiore impetrare absolvendi licentiam, persona non nominata. Quae est sententia Richardi, [7] Navarri, [8] Soti, Philiarchi, Suarez, Coninck, Llamas, [9] Rodriquez. [10] – Ratio patet ex supra dictis. Talis autem necessitas est, si Sacerdos sacrificare debeat, vel laicus communicare; et Superiorem distantem, aut valde occupatum eo tempore adire non possint. Pertinet enim, tum ad dignitatem ac reverentiam sacrae Eucharistiae, tum ad suscipientis securitatem, ut, si conscius sit peccati mortalis, ab eo prius sacramentalem absolutionem accipiat. Adde, idem in tali casu dicendum esse, tametsi censura excommunicationis, v. g. propter occultam Clerici percussionem, reservationi annexa sit, sicuti docent Henriquez, [11] Suarez, [12] Llamas, [13] Coninck. [14] Cum enim excommunicatio jure tantum positivo Ecclesiastico arceat ab usu S. Eucharistiae ac Poenitentiae, cessat ejus obligatio in casu magnae necessitatis: quare si excommunicatus, ob vitandam infamiam, S. Eucharistiam suscipere potest, multo magis in tali casu a peccatis absolvi, non obstante excommunicatione. Verum, extra necessitatis casum, sacramentalem absolutionem excommunicato dandam non esse, constat ex iis, quae dixi. [15] Licet contrarium sentiat Angelus, [16] quem refutat Navarrus.» [17]

2. Duas itaque propositiones Laymann hic tenet et propugnat. 1°. *Simplex Confessarius* (excepto mortis periculo, de quo speciatim agit n. 13. et 14.) *numquam poenitentem directe absolvere potest a peccato Episcopo reservato;* quia, secundum Concilium Tridentinum, Sacerdotes nihil possunt in casibus reservatis. Ideo, aut poenitentem ad Superiorem mittere, aut facultatem absolvendi a Superiore petere debet, si poenitens impedimento perpetuo, vel diuturno, ab adeundo Superiore detineretur. – 2°. *Si aliqua necessitas urget,* poenitentem a peccato reservato *indirecte* absolvere potest; verumtamen, aut obligationem coram Superiore comparendi ipsi injungere, aut facultatem absolvendi a Superiore impetrare debet. Ratio eadem est, videlicet, quia Sacerdotes nihil possunt in casibus reservatis. Et demum subjungit, idem dicendum esse, si reservationi censura adnexa est.

3. Quoad reservationes *Pontificias* autem dicit *n. 15.*: « Ad extremum moneo, etiam extra periculum mortis, si moralis impossibilitas sit ad-

1) Cit. a. 5. — 2) Q. 4. de confess. — 3) Locis cit. — 4) Disp. 37. sect. 2. n. 3. — 5) Tom. 1. p. 2. lib. 2. c. 26. — 6) Disp. 8. dub. 13. concl. 3. — 7) In 4. dist. 17. art. 2. q. 8. ad 2. — 8) In cit. Cap. *Consideret, §. cautus,* n. 13. — 9) Locis supra cit. — 10) Cit. q. 21. art. 5. — 11) In fine c. 15. — 12) Sect. 3. num. 6. — 13) Loco cit. — 14) Num. 107. — 15) Lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 1. — 16) V. *Confessio*, 5. §. 10. — 17) C. 9. n. 4. et in C. *Fratres*, n. 40. d. 5. de poen.

eundi Sedem Apostolicam pro absolutione a peccato reservato Summo Pontifici; sed neque Episcopus, aut Vicarius ejus, ad quem in tali casu per accidens absolutionis facultas devolvitur, adiri; neque privilegiatus aliquis haberi possit: tum probabile valde est, quod tradit Felicianus, [1] Sotus, [2] Sylvester, [3] Suarez, [4] Filliuccius, [5] quod etiam Parochus, aliusve inferior legitimus Confessarius absolvere possit v. g. Monialem in clausura. Imposita tamen obligatione, seu potius monito poenitente de obligatione, si impedimentum adeundi Papam amoveri contingat, quod se sistere eidem debeat; non ut iterum absolvatur, cum vere et *directe* absolutus fuerit, sed ut mandatum satisfaciendi, etc. accipiat.»

4. Rectissime ergo *Laymann* a S. Alphonso allegatur, tum Lib. 6. n. 585. quoad casus Episcopo sine censura reservatos, tum Lib. 7. n. 92. quoad illos, quibus censura adnexa est.

II. Similiter *Coninchius, S. J.*, (qui, judice cl. Ballerinio, « *hanc quaestionem nullatenus tangit* ») claris et disertis verbis docet, simplicem Confessarium, praeter mortis periculum, nunquam absolvere posse poenitentem a casibus Episcopo reservatis.

1. Scribit enim: [6] « Nota quarto, C. *Mulieres* 6., C. *Ea noscitur*, 13., et C. *Quamvis* 58. de sent. excomm., concedi Episcopis, ut varias personas impeditas adire *Sedem Apostolicam*, qui inciderunt in excommunicationem, cap. *Si quis suadente*, possint cum certis conditionibus ab ea *excommunicatione* absolvere, ad evitanda pericula animarum, in quae incurrerent, si absolutio deberet diu differri. Quae ratio cum militet etiam in aliis casibus *Pontifici* reservatis, Auctores communiter etiam ad hos eandem facultatem extendunt. Sed hac de re pluribus agemus in materia de censuris, loc. cit. ».

« Addunt alii, idem dicendum esse de *Pastore*, respectu casuum *Episcopo* reservatorum, quando hic non posset adiri; *sed non satis probant: et vix potest talis contingere necessitas*, cum facile ab Episcopo possit obtineri facultas ab iis absolvendi: *nisi forte in necessitate aliqua subita*, in qua, quid agendum sit, dicemus dubio sequenti. »

2. Absolute ergo Coninchius docet, nec Pastorem (et idcirco tanto minus alium Confessarium) absolvere posse a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi poenitens quocunque impedimento impeditus Episcopum adire nequiret. Si vero urgeret aliqua *subita necessitas*, posse quidem sacramentaliter absolvere, sed *directe solummodo de aliis peccatis;* secus invalide, ut ex sequentibus patet.

3. *Dubio 13. n. 99.* quaestionem ponit: « Utrum is, qui non habet potestatem absolvendi a reservatis, possit extra periculum mortis ab aliis peccatis absolvere eum, qui tales casus habet? » et quatuor sententias adducit. Primam absolute negantem, id nunquam fieri posse. Secundam indistincte affirmantem. – « Tertia sententia docet, in casu necessitatis id fieri posse, si poenitens non habeat excommunicationem reservatam: si autem habeat, negat fieri posse, quia nec Confessarius potest eam excommunicationem tollere, nec, ea non sublata, valide poenitentem absolvere. Ita Soto. [7] - Quarta sententia docet, urgente necessitate, etiam talem posse sacramentaliter absolvi, modo confiteatur aliqua peccata non reservata. Ita P. Henriquez [8] citans alios, et P. Suarez. » [9]

Et concludit *n. 100:* « Qui non habet potestatem absolvendi a peccatis non reservatis, *nullo modo potest*

1) De cens. col. 129. 139.— 2) In 4. dist. 22. q. 2. n. 3. concl. 5. — 3) V. *Absolutio* 4. n. 5.— 4) Tom. 4. disp. 39. sect. 3. n. 8. et seqq. — 5) Tom. 1. lib. 7. c. 10. q. 2. n. 274. argum. c. *Nuper*, de sent. excom. — 6) De poenit. disp. 8. dub. 12. n. 88. — 7) In 4. dist. 18. q. 2. art. 5. propos. 2. ad 1. — 8) Lib. 6. c. 15. n. 1. — 9) Disp. 31. sect. 3. n. 2.

directe ab iis absolvere : quia deest illi necessaria ad hoc jurisdictio, quae per reservationem ei subtrahitur : ut aperte insinuat Trident. sess. 14. c. 7. Unde docet, talem in haec peccata nihil posse, scilicet directe et per se ea remittendo. Unde sequitur, eum qui tali confitetur *sola peccata reservata, invalide omnino ab eo absolvi,* quia nullam ei materiam suggerit, in quam, tanquam legitimus judex, possit ferre sententiam. »

Porro concludit *n. 105:* « *Urgente aliqua necessitate,* quae sufficeret ad non integre confitendum aut ad communicandum sine confessione, habens casus reservatos licite etiam scienter confitetur ei, qui solum habet potestatem in peccata mortalia non reservata, *liciteque ab eo absolvitur,* cum onere tamen peccata reservata secundo confitendi habenti directam in ea potestatem, quia *ab his tantum indirecte absolvitur.* »

Et demum *n. 107.* addit, id extendendum esse ad casum, in quo poenitens excommunicatus esset excommunicatione reservata; attamen majorem aliquam necessitatem requiri, quam si non esset excommunicatus.

III. *Dominicum Soto* S. Alphonsus solummodo Lib. 7. n. 91. (et quidem nonnisi indirecte, ex Laymanno) allegat, ubi de reservationibus sine censura agit; et hoc loco recte. Quamvis enim Soto admittat, poenitentem in casu necessitatis a peccato reservato directe absolvi posse, id tamen negat, si reservationi excommunicatio adnexa est, ut patet ex loco a Coninchio citato.

IV. De *Suarezio* demum affirmat cl. Professor: « *Suarez* vero (de poe» nit. disp. 30. sect. 3. n. 11. 12.) al» latis pro utraque opinione rationi» bus, mere dicit, *se magis inclina» re* in eam partem, *ne in re adeo* » *gravi absque sufficienti fundamen» to ea facultas tribuatur.* »

1. Hac autem assertione, P. Ballerini clare ostendit, se sententiam Suarii non examinasse. Ipsimet accidit, quod passim, at perperam, S. Alphonso exprobrat, quasi nempe Auctores caecus exscripserit. Ipse namque deceptus est a *Cardinali de Lugo,* qui [1] ait: « P. Suarez, dicta sectione 3. n. 11., rationes pro utraque parte affert; ipse tandem in partem negantem *magis inclinat,* ne in re adeo gravi absque sufficienti fundamento tanta facultas tribuatur. »

2. Verum *Suarez* nequaquam mere in sententiam negativam inclinat, sed hanc *absolute tenendam* esse dicit.

Etenim *Disp. 30. sect. 3. n. 10.,* de casibus *Pontificiis* disserens, regulam statuit, impeditum adire Summum Pontificem absolvi posse ab Episcopo, et si recursus ad Episcopum fieri non posset, ab inferiore sacerdote. Et *n. 11.* ad alteram quaestionem transit, dicens: « Difficultas vero superest, *an haec regula locum habeat in casibus reservatis aliis Praelatis inferioribus, in his praesertim, qui non habent censuram annexam:* nam de his nihil jura disponunt: nec Doctores communiter hanc extensionem faciunt. »

Duas rationes pro sententia negativa adfert, quas autem non cogentes esse dicit; et demum *n. 12.* concludit: « Sed, licet haec videantur rem facere dubiam, nihilominus in re morali et adeo gravi, non possumus hanc licentiam dare sine majori fundamento. *Et ideo absolute dicendum censeo, inferiores Sacerdotes non habere jurisdictionem in hos casus reservatos, extra articulum mortis, ex vi juris communis:* quia Pontifices solum loquuntur de casibus sibi reservatis, in quibus est specialissima ratio, quae jam tacta est. Et praeterea declarari potest, quia ad curam ipsorum Pontificum pertinuit,

1) De poenit. disp. 20. n. 224.

jurisdictionem hanc in suis casibus committere : in inferioribus autem Praelatis non fuit necessarium hoc statui jure communi ; sed, sicut ab eis reservatio fit per statuta particularia vel dioecesum vel religionum ; ita eorum curae et prudentiae committitur, ut eam faciant modo accommodato saluti animarum: ideoque in hujusmodi statutis fere semper declarari solet, ut quoties fuerit difficilis aditus ad Praelatum, possit aliquo modo obtineri ab aliis absolutio, ne nimium poenitentia differatur. Et ideo addidi in praedicta exceptione, *nisi a jure, vel per aliam declarationem reservantis, jurisdictio concedatur.* Prior enim particula, *a jure,* posita est propter casus Pontificios: posterior vero propter reliquos. - Et huic sententiae non parum favet *Conc. Trid.* Nam, si jure communi vel consuetudine esset concessa hujusmodi facultas omnibus ordinariis Confessoribus, Concilium non tam absolute dixisset *extra articulum mortis, Sacerdotes nihil posse in casus reservatos:* quod tamen non limitavit in casibus Pontificiis ; quia, vel illi non sunt aliter reservati, quam in jure explicatum sit, et locutio Concilii intelligenda est cum distributione accommoda, scilicet, nihil posse in singulos casus reservatos, eo modo, quo reservati sunt: vel certe nullam exceptionem fecit de casibus Pontificiis, quia in eis facta est in jure, propter excommunicationem, quam regulariter habent annexam. - Denique, cum constet, *jurisdictionem esse sublatam per reservationem, et nullo fundamento sufficienter constet esse restitutam pro his opportunitatibus;* non possumus id asserere, propter solas congruentias, quae ostendunt quidem esse congruum, si fiat, non tamen ostendunt factum esse, cum hoc pendeat ex voluntate concedentis. »

Porro *Disp. 31. sect. 3.* quaestionem pertractat, an *in casu aliquo necessitatis,* praeter mortis periculum, Sacerdos inferior absolvere possit a peccato *Episcopo* (vel alii Superiori, praeter Summum Pontificem) reservato ; et sententiam illorum adducit, qui affirmant, posse et quidem *directe* absolvere, attamen imposita poenitenti obligatione coram Superiore comparendi. – Quocirca dicit n. 2.: « *Haec sententia est mihi maxime dubia, et in rigore non videtur vera,* propter dicta in praecedente disput. sect. 3.; ibi enim *probabilius duximus, extra casum articuli mortis, non habere inferiores Sacerdotes hujusmodi licentiam, nisi in casibus Pontificiis,* qui in jure exprimuntur ; ubi etiam declaravimus, hoc esse *magis consentaneum Concilio Trid.,* et *nullum esse fundamentum sufficiens* ad id asserendum ; et *solae conjecturae* in re tam gravi, et quae pendet ex libera voluntate concedentis hanc jurisdictionem, non sufficiunt. Melius ergo et probabilius asseritur dicta sententia posteriori modo »; i. e. poenitentem nonnisi *indirecte* a peccato reservato absolvi posse.

3. Cum ergo Suarez sententiam, in casu necessitatis poenitentem directe absolvi posse, maxime dubiam et in rigore non veram dicat; tanto magis, ut per se intelligitur, directam absolutionem reprobat, ubi nulla adest necessitas.

Articulus 2.

Immerito contendit P. Ballerini, sententiae affirmanti sufficiens adesse fundamentum.

I. De sententia affirmativa cl. Professor dicit: « *At enim sufficiens fun-* » *damentum adesse alii merito pu-* » *tant* in C. *Eos qui,* 22. de sent. » excomm. in VI. »

1. Sed immerito putant ; ut patet ex rationibus, quibus *Suarez* in textu supra allato extensionem ad reservationes inferiorum Praelatorum impugnat.

2. *Lugo* autem, *de Poenit. disp. 20. sect. 10.* speciatim demonstrat, verba praedicti Capitis: *Eos qui,* sententiae

affirmativae sufficiens fundamentum non subministrare:

« *N. 230.* Primo, quia non est necesse, quod utraque illa ratio absolvendi mortis periculi et alterius impedimenti legitimi, verificetur de singulis membris excommunicationis a *jure,* vel ab *homine* supra propositis: nam, licet *ab excommunicatione inferioris Praelati reservata, nunquam absolvi possit subditus directe per inferiorem, nisi in mortis periculo;* verum adhuc est, loquendo de utrisque simul, eos, qui a censura Pontificis vel Episcopi v. g. absolvuntur per inferiorem, absolvi propter mortis periculum, vel propter aliud impedimentum: nimirum, qui a censuris reservatis Episcopo absolvuntur, propter periculum, saltem mortis; qui vero a Pontificiis, vel propter illud, vel propter aliud impedimentum. Voluit ergo Pontifex utrosque comprehendere sub illa disjunctione, ut legem, quam de novo condebat, communem utrisque faceret. »

« *N. 231.* Secundo possumus aliter dicere, ibi sub sententia lata ab homine non solum comprehendi censuram Episcopi v. g., sed etiam Pontificum, quae non feratur per legem, sed ab homine: quare de utroque membro censurae, nempe et *canonis* et *hominis,* verificatur, quod absolvatur ab alio inferiori aliquando propter periculum mortis, aliquando propter aliud legitimum impedimentum, licet id non competat omnibus censuris contentis sub illo membro: sed aliquibus ab homine, scilicet pontificiis, et aliquibus etiam a jure, nempe solis pontificiis: *quia censurae, etiam a jure Episcopo reservatae, non tolluntur ab inferiori, nisi in mortis periculo.* »

II. Subjungit P. Ballerini: « *Id* » *ipsum erui potest etiam ex* C. Nu» per, de sent. excomm., *in quo* » *expresse quaestio fit de quolibet* » *Praelato.* » - Sed in hoc Capite aperte de solis reservationibus *pontificiis* sermo est; quia dicitur: « *a suo absolvatur Episcopo vel proprio Sacerdote.* »

III. Cl. Professor demum invocat auctoritatem *Dianae,* qui sententiam affirmativam *tutam* existimat. - Verum auctoritas hujus Theologi, undique notissimi propter nimiam ad benigniores opiniones propensionem, tanta non est, ut quis tuto ipsi acquiescere possit.

EX PRAEMISSIS ITAQUE

CONCLUDIMUS:

1. Attentis tum Auctoritatibus a S. A. recte allegatis, tum solidis rationibus, quibus sufficiens responsum non datur, S. Doctor *veriorem* censet sententiam *negantem,* videlicet, in casibus et censuris *ab Episcopo reservatis* simplicem Confessarium, praeter mortis periculum, nunquam directe, sed *indirecte* tantum absolvere posse; etiamsi urgeat necessitas confitendi, et tunc impedimentum adsit Episcopum adeundi.

2. Quae autem P. Ballerini S. Alphonso objicit, aut falsa, aut ejusmodi sunt, quae sententiam negativam nullatenus infirmare valent.

QUAESTIO XVI.

An, qui censura Pontificia ligati, et impediti sunt Romam adire, a quolibet Confessario absolvi possint, casu quo etiam Episcopum adire sint impediti.

(S. Alph. Lib. VII. n. 92. — P. Ball. Tom. II. n. 575.)

Lib. VII. n. 84-90. S. ALPHONSUS quaestionem pertractat: An Episcopi absolvere possint a censuris Bullae Coenae Domini, et speciatim a censuris propter haeresim contractas, impeditos Romam adire; [1] et sententiam affirmativam contra negantes tuetur. - *Num. 92.* autem, generaliter de his et de aliis censuris *Pontifici* reservatis loquens, sequentem quaestionem proponit:

« Quaeritur 8. *An impediti adhuc* » *Episcopum adire pro his censu-* » *ris vel aliis reservatis, possint a* » *quocumque Confessario absolvi?* - » *Negant communius Suarez,* Lugo, » Becanus, etc. apud *Viva;* quia hoc » in jure conceditur tantum Episco- » pis, nec in lege positiva valet ar- » gui a pari. - Sed *probabiliter af-* » *firmant (cum onere tamen compa-* » *rendi ad Episcopum, cessante im-* » *pedimento)* Roncaglia, Palaus, Spo- » rer; Croix cum Navarro, Abbate, » Angelo et Tabiena; Salmanticenses » cum Tannero, Sylvestro, Henri- » quez; Viva cum Perez, Hurtado, » Granado, Dicastillo, Bossio et Coele- » stino. Ratiõ, tum quia ubi eadem est » ratio, idem jus debet esse, ut dicit » Glossa in C. *Cum dilecta,* de confir.; » tum quia non deest lex hoc expresse » indulgens: nam in C. *Nuper* 29. de » sent. excom. habetur, ut supra ad- » notavimus, quod impeditus ex justa » causa adire Superiorem jus haben- » tem absolvendi a censura, *a suo* » *absolvatur Episcopo vel proprio* » *Sacerdote.* Sub nomine autem *pro-* » *prii Sacerdotis* venit quidem qui- » libet Confessarius, ut notat ibi Glos- » sa ex C. ult. q. 26., et recte infe- » runt Salmanticenses ex C. *Omnis* » de poen. et rem., ubi praecipitur, » quemque semel saltem in anno con- » fiteri *proprio Sacerdoti,* qui com- » muniter intelligitur *quivis Confes-* » *sarius,* ut probavimus Lib. 6. n. 564. » et 670. Si igitur non potest veri- » ficari casus, quod Sacerdos absol- » vat reum a censuris Pontifici reser- » vatis, quando Episcopus adiri pot- » est, saltem verificari debet, quando » Episcopus adiri non potest, ut recte » arguunt Roncaglia, et Salmanti- » censes cum Henriquez et Diana. » Imo *Palaus* dicit, ex vi praedicti » textus, *impeditum adire Papam* » *posse indistincte absolvi a proprio* » *Sacerdote.*

» *Sed probabilius puto* cum Spo- » rer, Salmanticensibus, Roncaglia, » et aliis *communiter,* ut supra, *hoc* » *non admittendum, nisi quando* » *non patet facilis recursus ad Epi-* » *scopum;* nam tò *a suo Episcopo vel* » *proprio Sacerdote,* communissime » DD. interpretantur non disjuncti-

1) Dum P. Ballerini doctrinam S. Alphonsi de censuris passim impugnat, ipsa S. Sedes eamdem commendat, consulentes ad Ipsum delegando, ceu patet ex sequenti Responsione. — *Consultatio.* « Beatissime Pater. Episcopus N. in Gallia... humiliter exquirit... 2°. An im- » pediti adire Romam in persona, teneantur adire saltem per epistolam aut procuratorem, » ad absolutionem a casibus Sedi Apostolicae reservatis impetrandam?» — *Responsum.* « Fe- » ria IV. die 18. Julii 1860. In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisi- » tionis habita,... Emi ac Rmi DD. mandaverunt rescribi... Ad secundum dubium. Consulat » probatos auctores, inter quos *S. Alphonsum Mariam de Ligorio*, lib. 7. cap. I. dub. 5. » *de censuris*, n. 84. ad 92.» (Cfr. *Revue des sciences ecclés.*, Tom. 3. 1861. p. 366.; et *Nouvelle Revue théologique*, Tournai, 4. année, n. 3. pag. 245.)

» ve, sed *subrogative,* nempe quando » Episcopus nequit adiri. Tanto ma- » gis, quod in C. *De cetero* 11. et » C. *Ea noscitur* 13., expresse dis- » ponitur, quod *cum non potest adi- » ri Pontifex, adeatur Episcopus...»*

Quocirca P. Ballerini, T. II. pag. 471. [1] adnotationem in praecedenti Quaestione allatam prosequens, advertit:

« Eadem porro quaestio fit de iis, » qui censura Pontificia ligati et im- » peditі Romam adire, absolutionem » ab Episcopo quaerere deberent; *an » si etiam ad Episcopum se conferre » sint impediti, absolvi a quolibet » Confessario possint.* - Respondet » *S. Alphonsus* (Lib. 7. n. 92.): *Ne- » gant communius Suarez, Lugo, » Becanus, etc. apud Vivam* (de » Poen. q. 9. art.2.n.9.), *quia hoc in » jure conceditur tantum Episcopis, » nec in lege positiva valet argu- » mentum a pari.* At in hoc *deceptus » fuit a Viva,* qui eo loci distinctas » male confundit quaestiones; et *Sua- » rez* contra adeo affirmativam tenuit » sententiam, ut eum hac de causa » impugnare conatus sit *Lugo* (de » Poen. disp. 20. n. 228. 229.). Cae- » teroquin autem jura manifesta sunt, » non solum in cit. C. *Eos qui,* sed » et in C. *Nuper,* in quo facultas et- » iam aliis praeter Episcopum fit, » hisce verbis: *Verum si difficile sit » ex aliqua justa causa, quod ad » ipsum excommunicatorem absol- » vendus accedat, concedimus indul- » gendo, ut (praestita juxta formam » Ecclesiae cautione, quod excom- » municatoris mandato parebit) a » suo absolvatur Episcopo vel pro- » prio Sacerdote.* - Quam sententiam, » ut inquit S. Alphonsus (l. c.) DD. » *communissime* interpretantur non » disjunctive, quasi nempe perinde sit » vel Episcopum, vel alium Confessa- » rium adire, sed *subrogative,* nem- » pe quod tunc possit ab alio Confes- » sario absolvi, quando Episcopus adi- » ri non potest. Porro, si *commu- » nissime* DD. id eruunt ex Canone, » quomodo *communius negant,* ab » alio praeter Episcopum, absolvi im- » peditum posse? Et reipsa idem S. Al- » phonsus (l. c.) multo plures pro » secunda sententia, quam pro prima » illa affert. »

Ad hanc cl. Professoris adnotatio- nem sequentia breviter respondemus: I. *Suarez* utique sententiam affir- mantem tenet; II. sed non adeo, ut hac de causa *Lugonis* impugnatio- nem mereatur; III. Ex allatis tex- tibus Juris, eidem sententiae *af- firmanti* grave quidem, sed *non manifestum* argumentum accedit: IV. *S. Alphonsus* nullatenus sibi con- tradicit. - Quod patebit ex dicendis.

I. S. Doctor, ut vidimus, patronis sententiae negativae accenset Sua- rium, dicendo: « *Negant communius » Suarez... apud Viva...* » - Advert- tit autem P. Ballerini: « At in hoc » deceptus fuit a Viva...; et *Suarez » contra... affirmativam tenuit sen- » tentiam.* »

Suarez revera *affirmativam* sen- tentiam tenet; sed id ipsum etiam *S. Alphonsus* claris et disertis verbis testatur Lib. 6. n. 585.[2], ubi scribit: « Hoc vero procedit in casibus epi- » scopalibus; nam in *Pontificiis* re- » gula juris est *(ut bene ait Suarez)* » quod, quoties non patet aditus ad » Pontificem, potest poenitens dire- » cte absolvi ab Episcopo; vel *cum » etiam adsit impedimentum adeun- » di Episcopum, a quolibet Confes- » sario,* cum onere in posterum se » praesentandi ad Pontificem, quan- » do poterit, si impedimentum non » est perpetuum; nam si est perpe- » tuum, omnino liberatur, juxta di- » cenda Lib. 7. n. 88. De absolutione » autem horum casuum papalium pro » eis, qui sunt impediti Pontificem » adire, vide alia dicenda de Cens. » Lib. 7. ex n. 84. » - Et ideo non- nisi mera inadvertentia aut lapsus

1) In altera edit. pag. 381. — 2) Cfr. supra, pag. 555.

calami est, quod S. Doctor Suarium pro *negativa* sententia alleget.

II. Subjungit cl. Professor: « *Suarez* contra *adeo* affirmativam tenuit » sententiam, *ut eum hac de causa* » *impugnare conatus sit Lugo* (de » Poenit. disp. 20. n. 228. 229.). » - Sed ipse potius P. Ballerini iterum deceptus est a Cardinali de Lugo; etenim Suarez non adeo sententiam affirmantem tenet, ut idcirco increpari mereatur, et injusta sunt, quae Lugo ipsi objicit.

1. Loco cit. *n. 228.*, Lugo dicit: « Unde obiter noto primo, *non bene retulisse hanc juris regulam Patrem Suarez* in praesenti dicta sectione 3. n. 8., dicendo, generalem regulam juris esse pro casibus pontificiis, quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel Legatum, aut delegatum ejus, nisi cum magna difficultate et mora, *posse peccatorem absolvi ab inferiori Sacerdote, cum onere comparendi coram Pontifice.* Haec regula cum ea generalitate falsa est, neque habetur in jure: sed quod possit tunc absolvi poenitens *ab Episcopo* cum illo onere. »

Regula citata utique legitur apud Suarez: sed mox *n. 10.* eam distinctius explicat, dicendo: « *Item saepius necessarium esse, recurrere ad Episcopum, prius quam ad inferiores, si fieri possit, quia jura ipsa hoc declarant.* »- Ergo in illa regula generali, sub sacerdote Summo Pontifice inferiori, tam Episcopum, quam simplicem Confessarium intelligit, ex distinctione servata, quam n. 10. explicat.

2. Et *n. 228.* Lugo addit: « Noto secundo contra eumdem, qui consequenter ad suam doctrinam videtur debuisse concedere, regulam esse generalem pro peccatis, quae reservantur etiam inferioribus Praelatis. Nam n. 9. in fine, explicans, quomodo Papa reservans aliquem casum de novo, a quo nemo absolvat, nisi in mortis articulo; adhuc non excludat casum illum necessitatis, etiam extra mortis articulum: respondit, id esse, quia exceptio ipsa mortis articuli videtur includere illam necessitatem diuturnae morae, etiam extra infirmitatem, quatenus *in diuturno tempore moraliter imminere potest periculum mortis.* Si haec autem ratio est bona, probare debet de casibus episcopalibus vel aliorum Praelatorum, quando diu exspectandum esset: quia tunc etiam in diuturno tempore, moraliter immineret periculum mortis: vel ratio ergo illa non satis probat, vel certe *de omnibus reservatis cuicumque Praelato deberet cum proportione probare, quod in casu necessitatis posset inferior ab eis directe absolvere;* quod tamen ipse Suarez non vult concedere. »

Sed injusta est haec Lugonis exprobratio; nam *in reservationibus episcopalibus vix necessitas diuturnae morae obtingere potest;* quia, ut bene advertit Coninchius,[1] facile ab Episcopo, vel ab ejus Vicario, vel a Vicario capitulari facultas absolvendi obtineri potest. Si vero *necessitas aliqua subita* urget, alioquin Confessarius *indirecte* poenitentem a peccato reservato absolvere potest. Et si demum in casu rarissimo, propter circumstantias extraordinarias, facultas absolvendi diuturno tempore obtineri nequiret, nihil sane obstaret, quominus Confessarius per epikejam poenitentem indirecte absolvat. - Et ideo ex ratione, quam adfert *Suarez* quoad reservationes pontificias, nequaquam sequitur, Confessarios, etiam praeter mortis periculum, poenitentem *directe* absolvere posse a peccato Episcopo reservato.

III. De sententia affirmativa loquens, P. Ballerini dicit: « *Caetero* » *quin autem Jura manifesta sunt,* » *non solum in cit. C.* Eos qui, *sed et* » *in C.* Nuper, *in quo facultas etiam* » *aliis praeter Episcopum fit...* »

1) Cfr. supra, pag. 558. ad II.

1. At vero, C. *Eos qui,* nihil plane probat. In hoc namque Capite, Bonifacius VIII. dicit: « *ab alio absolvuntur* », non determinando, *quisnam* iste alius sit; quia non de hac re agere intendit, sed tantummodo decernere voluit, excommunicatum ab alio absolutum, cessante impedimento, quam cito commode poterit, coram Superiore comparere teneri, ut ejus mandatum accipiat; et si hoc neglexerit, in eamdem sententiam recidere ipso iure.

2. Ex capite *Nuper,* grave quidem argumentum positivum sententiae affirmativae accedit, at nequaquam manifestum omnique exceptione majus. Etenim in hoc Capite, Innocentius III. non de excommunicatis in genere, sed dumtaxat de illo loquitur: « *qui nominatim excommunicato in crimine communicat criminoso, ei consilium impendendo, auxilium vel favorem.* » – Cumque in aliis juris dispositionibus, ut in C. *De retero* 11. et in C. *Ea noscitur* de sent. excomm. n. 13., de solo *Episcopo* sermo sit, objici potest, quod Innocentius, si hisce dispositionibus derogare voluisset, non in casum particularem descendisset, et ideo locum habere axioma: *Exceptio firmat regulam in casu non excepto.*

III. Pro coronide tandem, cl. Professor S. Doctorem contradictionis arguit. Ait enim: « Quam sententiam (sc. affirmantem), ut inquit S. Alphonsus, DD. *communissime* » interpretantur non disjunctive..., » sed *subrogative*... Porro, si *communissime* DD. id eruunt ex hoc » Canone, quomodo *communius negant,* ab alio, praeter Episcopum, » absolvi impeditum posse? » – Verum, quomodo haec proferantur, vix intelligimus.

1. Etenim, ut cujuslibet oculis occurrit, S. Alphonsus de Patronis sententiae *affirmativae* loquitur; et de his solis dicit, quod, contra opinionem Palai, communissime verba Capitis *Nuper* subrogative interpretentur. Et quomodo Patroni *negativae* sententiae, qui absolutionem impediti ab alio quam ab Episcopo nullatenus admittunt, ex praedicto Capite eruere possent, impeditum ab alio absolvi posse, si Episcopus adiri nequit? - Unde ipse potius P. Ballerini in eam incidit foveam, quam S. Doctori parare intendit.

2. Ceterum S. A. alioquin *affirmativam* sententiam *probabilem* censet; imo ipse *eidem sententiae adhaeret,* ut patet ex iis, quae Lib. 6. n. 585. [1] dicit, ubi Suarezium de censuris Pontificiis loquentem adducit et probat.

PAUCIS ERGO CONCLUDIMUS:

1. Licet S. Doctor sententiam negativam communiorem censeat, nihilominus cum Suario *affirmativam probabilem dicit ac tenet.* Ejus itaque doctrina haec est: Poenitens censuris Pontificiis ligatus, et impeditus Pontificem adire, potest absolvi ab Episcopo, cum onere se praesentandi ad Pontificem quando poterit. Casu vero, quo etiam adsit *impedimentum adeundi Episcopum,* absolvi potest *a quolibet Confessario,* cum onere se praesentandi Episcopo, cessante impedimento, si non est perpetuum, nam si est perpetuum, omnino ab onere comparendi liberatur.

2. Ad absurdam *contradictionem* quod attinet, quam cl. Professor in fine Adnotationis S. Alphonso affingit, ejusmodi exprobratio vix proferri potest, quin S. Doctor apertae imbecillitatis arguatur. Utrum autem ista agendi ratione « *veritatis jura* » serventur, cujusvis prudentis judicio remittimus.

1) Cfr. supra, pag. 563. ad I.

QUAESTIO XVII.

An qui, stante impedimento non perpetuo Pontificem adeundi, a censuris Pontificiis absolutus fuit, cessante impedimento, a tali praesentatione excusetur, si jam sit emendatus, et parti satisfecerit.

(S. Alph. Lib. VII. n. 87. — P. Ball. Tom. II. n. 576.)

Lib. VII. n. 86. S. ALPHONSUS docet, absolutum a censuris Summo Pontifici reservatis propter impedimentum, cessante impedimento, quantocius se praesentare teneri; sufficere autem, si per procuratorem se praesentet.

Dein, *n. 87.* sequens Dubium proponit: « Sed hic dubitatur: *An, si* » *aperte constet, reum esse omnino* » *emendatum et partibus satisfecis-* » *se, ipse excusetur a tali praesen-* » *tatione.* - *Prima* sententia *affir-* » *mat;* et hanc tenent Navarrus; » item Avila, Cornejo et Henriquez » apud Salmanticenses, qui putant » probabilem saltem extrinsece. Ra- » tio, quia (ut dicunt) finis Pontificis » non est alius quam emendatio rei » et partium satisfactio; idque infe- » runt ex C. *Quamvis, de sent. ex-* » *comm.*, ubi nulla alia ratio prae- » sentationis exprimitur, quam ut » reus excipiat mandatum satisfa- » ciendi: *Ad Apostolicam Sedem* » *accedant, mandatum ipsius hu-* » *militer suscepturi.*

» *Secunda* vero sententia *commu-* » *nior et probabilior negat*, quam » tenent Suarez, Sanchez, Laymann, » et Salmanticenses. Ratio, quia man- » datum, ad quod suscipiendum te- » netur reus se praesentare, *non so-* » *lum suscipi debet ad implendam* » *satisfactionem partis laesae;* obli- » gatio enim haec de ipso jure na- » turae, in omni laesione est insita; » *sed etiam ad exequenda caetera,* » *quae a Pontifice imponuntur, ad* » *cavendum idem crimen futurum,* » ut dicit Croix cum Suarez, San- » chez, etc. Tanto magis, quod in eod. » C. *Quamvis*, supponitur casus de » eo qui jam satisfecerit. Et pro ca- » sibus Bullae Coenae, id in eadem » Bulla circa finem expressum est, » his verbis: *A praedictis censuris,* » *nullus per alium quam per Ro-* » *manum Pontificem, nisi in mor-* » *tis articulo constitutus, nec etiam* » *tunc nisi de standO Ecclesiae man-* » *datis, et satisfaciendo (cautione* » *praestita), absolvi possit.* Ubi ob- » serva, bene distingui obligationem » standi Ecclesiae mandatis, et sa- » tisfaciendi, id est parti laesae. »

P. Gury autem, T. II. num. 576. pag. 472. [1] quaerit: « An absolutus a reservatis in articulo mortis a simplice Confessario, teneatur se sistere Superiori, si convalescat? - *Resp. 1°. Neg.* quoad *simplicem reservationem.* Ratio est, quia ex *Trid.*, in articulo mortis, *nulla est reservatio.* Ergo etiam nullum reservationis onus, nisi aliunde probetur. »

« *Resp. 2°. Affirmant* communiter Auctores quoad *censuras* reservationi adnexas ex *cap. Eos qui, 22. de sentent. excom. in 6.*, ubi nemo in articulo mortis a censura reservata absolvitur, nisi ea lege, ut, cum cito commode poterit, conspectui Superioris se praesentare curet, ejus mandatum humiliter suscepturus. Hinc si convalescat, ad Superiorem recurrere debet, et quidem sub poena iterum incidendi in censuras, nisi usus legitimus ab hac obligatione eximat. -

1) In altera edit. pag. 381.

Attamen nonnulli limitant obligationem se sistendi Superiori pro casu *percussionis Clerici,* aut pro alia reservatione, quam forte exceperit Legislator, uti sunt casus *Bullae Coenae.* Id eruunt autem, tum ex Concilio Tridentino, a quo declaratum fuit sine ulla restrictione, *omnem reservationem in periculo mortis cessare,* tum praesertim ex *Rituali Romano,* quod obligationem se sistendi Superiori non absolutam, sed conditionatam clare innuit: « Si vero qui » confitetur in periculo mortis incidat, absolvendus est ab omnibus » *peccatis et censuris quantumvis* » *reservatis* (cessat enim tunc omnis » reservatio); sed prius, si potest, » cui debet satisfaciat: ac si periculum evaserit, *et aliqua ratione Superiori,* a quo alias esset absolvendus, *se sistere teneatur,* cum » primum poterit, coram eo se sistat, » quidquid debet praestiturus. » – Hanc sententiam dicunt *probabilem* Navarrus, Henriquez, Avila, Filliuccius, Sporer, Gobat, Diana et alii; *neque contradicere videtur S. Ligorius.* »

Ad quem textum, P. Ballerini sequentia adnotat: « *S. Alphonsus* » (Lib. 7. n. 87.) Doctoribus ab Auctore allegatis addit Cornejum et Salmanticenses, qui (De Cens. cap. 2. » n. 66.) *ob auctoritatem* (ajunt) *tantorum virorum, probabile id judicamus;* probabilem eam sententiam » itidem habet Thomas Del Bene (De » offic. S. Inquis. part. 1. dub. 66. » n. 19.) qui praemissis AA., addit » Gambarupta; hisce Sporer (De Poenit. n. 726.) adjungit Jordanum et » Josephum De Januario; Diana denique (Tom. 6. tr. 1. res. 202. n. 2.) » scribit : *Claudius Millardus in* » *Summ. Parochorum, de Poen.* » *cap. 97. n. 10. notat, probabilissimum videri, hoc onus se praesentandi coram Superiore, si quis* » *absolutus fuerit tempore mortis ab* » *excommunicationibus reservatis,* » *non habere amplius locum et cessasse post Tridentinum...; quam* » *doctrinam Coelestinus, in Comp.* » *Theol. mor. tr. 1. cap. 7. n. 3. putat, posse tuta conscientia approbari, quando excommunicatio non* » *est notoria vel deducta ad forum* » *externum:* quod idem sentit Spo» rer, statuens (n. 752.), etiam obligationem comparendi coram Superiore ob clerici percussionem *probabilissime valere solum pro foro* » *externo, quando nempe res deducta jam fuit ad forum contentiosum.* – Adverte insuper, ex mente S. Alphonsi (Lib. 7. n. 87.) hanc » quaestionem locum habere non modo si absolutus quis fuit a censuris reservatis in mortis articulo; » sed etiam quando, ob diuturnum » impedimentum adeundi Superiorem, ab alio absolutionem est consequutus, eaque praestitit, quae » Superior exacturus ab eo fuisset. »

Ex sententia itaque Patris Gury, cui et cl. Professor subscribit, obligatio se sistendi Superiori probabiliter limitatur « pro casu *percussionis Clerici,* aut pro alia reservatione, quam forte exceperit Legislator. » Et pro ista sententia auctoritatem invocat Concilii Tridentini, Ritualis Romani, nec non plurium Auctorum, imo et ipsius S. Doctoris nostri. – Ut autem hisce allegatis satisfiat, 1. Probabimus, praefatam limitationem ex doctrina S. Alphonsi haud admittendam esse; 2. Argumenta a PP. Gury et Ballerini allata, perpendemus.

Articulus 1.

Sententiam negativam in casu proposito, S. Alphonsus merito communiorem et probabiliorem dicit.

I. P. Gury, post citatas Auctoritates opinioni suae faventes, addit: « *neque contradicere videtur S. Ligorius.* »

1. Sed S. Doctor manifeste contradicit, et optimo quidem jure. Obligationem coram Superiore comparendi uti *certam et indubitatam* supponit; et dubium, quod proponit,

eo tantum spectat, utrum ab hac praesentatione *saltem excusetur reus emendatus, qui partibus jam satisfecerit.* – Sed nec istam limitationem approbat, sententiam *negantem probabiliorem* dicit, et *oppositam ceu probabilem non admittit.*

2. Quod clare patet ex *n. 93.* prioris Elenchi *Quaestionum reformatarum:* « An absolutus ab Episcopo in » necessitate a casu papali propter » impedimentum temporale, *excuse-* » *tur ab adeundo Romam, si parti* » *jam satisfecerit?* – *In priori Libro* » (i. e. in prima editione) *dictum est,* » *probabiliter excusari* (col. 933. » quaer. 3. in fin.). *Sed hic omnino* » *teneri dicimus, lib. 7. n. 87.* »

II. P. Ballerini autem, sententiae Patris Gury subscribens, adnotat: « *S. Alphonsus* (Lib. 7. n. 87.) Do- » ctoribus ab Auctore allegatis ad- » dit Cornejum et *Salmanticenses,* » qui (de Cens. cap. 2. n. 66.) *ob au-* » *ctoritatem* (ajunt) *tantorum viro-* » *rum, probabile id judicamus.* » – Ne tamen ex ista allegatione quis putet, et ipsos *Salmanticenses* huic opinioni favere, eorumdem sententiam referre juvat, sicut et illam *Suarii, Sanchezii* et *Laymanni,* quos S. Doctor pro sententia *negativa* adducit.

1. Eamdem quaestionem, quam S. Alphonsus, *Salmanticenses* pertractant; et omnes Auctores, quos pro sententia affirmativa citant, de solo casu loquuntur, quo reus emendatus est, et partibus satisfecit. – Loco cit. sic scribunt: « Quibus Episcopus absolutionem impendit a reservatis Pontifici, debet imponere praeceptum (et secundum aliquos, juramentum ab eis accipere) quod data opportunitate, quantocius potuerint, se Pontifici praesentabunt (idem dicendum est, quando a quolibet Confessario, ratione periculi mortis, ab his casibus et censuris absolvuntur); quod si non se praesentent, in eandem incident excommunicationem, a qua fuerunt absoluti: Cap. *Ea noscitur* 13. Cap. *Quamvis* 58. de sent. excom.; sufficit tamen, quod se vel per procuratorem praesentent. Quia quod per alios facimus, per nosmetipsos facere censemur; Cajetanus, [1] Cornejus, [2] Leander, [3] Henriquez, [4] Avila. [5] – Talis praesentatio non requiritur ad obtinendam a Pontifice absolutionem (jam enim sunt vere absoluti); sed ut pareant praecepto Pontificis id praecipientis, et ut constet ipsi, satisfactam esse partem, vel emendationem secutam. Unde inferunt Avila, [6] Cornejus, [7] Henriquez, [8] cum Navarro, [9] quod *si aperte constet, partem esse satisfactam, aut reum omnino emendatum, non requiritur talis praesentatio:* quia haec est mens et finis Pontificis, ad quem magis est attendendum, quam ad illius verba. »

« *Sed nos hoc non admittimus* (licet ob auctoritatem tantorum virorum, probabile judicemus); quia non solum proponitur onus se praesentandi, ut constet Pontifici de satisfactione partis; sed *tanquam pars poenitentiae,* quae ordinatur ad specialem obedientiam et submissionem Ecclesiae praestandam. Ita *Suarez,* [10] *Sanchez* ». [11]

2. *Suarez, S. J.,* autem De Poenit. l. c. dicit: « Circa hoc advertendum est, aliud esse loqui de casibus habentibus excommunicationem annexam, ut sunt Pontificii: aliud vero de iis, qui nullam habent censuram. De prioribus verum est, secundum ordinarium jus non concedi hanc facultatem absolvendi in articulo mortis, nisi sub praedicto onere comparendi: ita ut, si postea poenitens sit in mora culpabili, in similem excommunicationem incidat, ut habe-

1) V. *Excomm.* cas. 69.— 2) De excom. disp. 11. dub. 2. in fine.— 3) Tr. 1. disp. 11. q. 21.— 4) Lib. 13. de excom. c. 29. n. 3. — 5) 2. P. c. 7. disp. 3. dub. 4.— 6) Loco cit. — 7) Dub. 2. q. 4. — 8) Num. 2. — 9) In edit. nova, c. 26. n. 27. – 10) Tom. 4. in 3. P. disp. 30. sect. 3. n. 6. — 11) Lib. 2. Summ. c. 13. n. 29.

tur in dicto C. *Eos qui,* et bene tractant Cajetanus [1] et Navarrus. [2] – *Corrigendum tamen censeo, quod ibi addit, si poenitens sufficienter satisfaciat* quantum debet coram Deo, *excusari ab illo onere comparendi,* quia jam implevit quidquid Superior juste praecipere poterat: *hoc enim non probo:* tum quia, licet finis praecepti cesset, non ideo cessat praeceptum: tum etiam, quia non est ille finis adaequatus: nam ipsummet onus comparendi est *quasi pars poenae* ab Ecclesia impositae pro tali delicto, et ordinatur ad specialem modum satisfactionis et obedientiae Ecclesiae exhibendum. Denique, quia alias adhibenda fuisset conditio in illo praecepto, scilicet, si parti laesae sufficiens satisfactio non exhiberetur: quod tamen non fit. Et ob hanc causam, dixi utile esse conferi habenti jurisdictionem, saltem ex privilegio, seu (quod perinde est) absolvi virtute alicujus Bullae concedentis tale privilegium; quia hoc est quod tunc privilegium operatur, quamvis obligationem satisfaciendi auferre non possit, cum sit jure naturali debita: de qua re dicemus plura in materia de excommunicatione. » – Omnino ergo Suarez opinionem Navarri reprobat.

3. Suario vero plane assentit *Sanchez, S. J.,* l. c.: « Secundo deducitur, *non admittendam limitationem,* quam tradunt Navarrus [3] et Henriquez, [4] nempe non injungendum esse id onus se praesentandi excommunicato huic, *si satisfecit parti,* aut cum ea se composuit. Et subjicit Henriquez, eum quoque eximi a praedicta obligatione, *si post absolutionem haec praestiterit.* Quod praesentatio haec sit, ut excommunicatus mandatum satisfaciendi plene recipiat. Cum ergo haec praestiterit, frustra est praesentatio. – *At hanc limitationem jure optimo impugnat Suarez.* [5] Quod id non sit hujus praesentationis adaequatus effectus et finis. Sed hoc comparendi onus est *quasi pars poenae* ab Ecclesia tali delicto impositae, et ordinatur ad specialem satisfactionis modum et obedientiae Ecclesiae exhibendum. Rursus, quia in absolutione cujusvis excommunicationis reservatae hoc onus imponitur, cum tamen non quaelibet satisfactionem partis annexam habeat. »

4. *Laymann, S. J.,* similiter sententiam *Suarii* omnino approbat, ut patet ex textu infra citando.

Articulus 2.

Perpenduntur argumenta a PP. Gury et Ballerini pro sententia affirmante allata.

I. P. Gury, ut vidimus, obligationem se sistendi Superiori limitat « pro casu *percussionis clerici,* aut pro alia reservatione, quam forte exceperit Legislator, uti sunt casus *Bullae Coenae.* » – Huic opinioni assentitur cl. Professor noster, imo et ipsam adhuc limitare videtur *pro solo foro externo.* Hinc ait: « Quod » idem sensit *Sporer,* statuens (de » Poenit. n. 752.), etiam obligatio» nem comparendi coram Superiore » ob clerici percussionem *probabilis» sime valere solum pro foro exter» no, quando nempe res deducta jam » fuit ad forum contentiosum.* »

1. Juvat ergo ipsum *Sporer* audire. Loco cit. n. 726. (quem cl. Professor primum allegat) dicit: « Hic Doctores *communissime* ponunt notabile discrimen inter casum reservatum, et censuram seu excommunicationem, etc. Quod absolutus *a casu reservato* tantum in articulo mortis, si postea convalescat, non teneatur amplius se sistere Superiori; quia jam directe et plene absolutus est, quippe cessante tunc omni reservatione, et plena ac absoluta jurisdictione collata Confessario, ut dictum

1) In Summa, V. *Excommunicatio,* n. 69. — 2) C. 26. n. 26. — 3) Summa latina, c. 26. n. 26. — 4) Lib. 13. de excom. c. 29. n. 3. — 5) Loco cit.

est. At vero, eo articulo absolutus *ab excommunicatione* ab eo, qui alias absolvere non potuisset, v. g. Parocho communi, si postea convalescat, tenetur comparere coram Superiore, v. g. Episcopo, aut ipso Pontifice respective: idque ex speciali dispositione SS. Canonum, Cap. *Eos qui, de sent. excom. in 6.* – Ratio specialis videtur esse: quia censura fertur principaliter ad frangendam contumaciam peccantis, et non tantum ad impediendum vel emendandum peccatum, sicut fit reservatio casuum. Debet autem absolutus a censura denuo comparere coram Superiore, non ut iterum absolvatur a censura, cum ab illa in eo articulo non amplius reservata, aeque jam directe fuerit absolutus; sed ut obedientiam praestet, ejus mandatis pareat, poenitentiam vel remedium ab ipso accipiat. Idque sub poena reincidentiae, hoc est: si postea non compareat coram Superiore, praeter novum peccatum inobedientiae in re gravi, reincidat in eandem excommunicationem, a qua fuerat in articulo mortis absolutus, prout statuunt varii Canones, cit. Cap. *Eos qui*. Item Cap. *Quamvis*, Cap. *Ea noscitur, de sent. excom.* Ita quidem, ut dixi: Communis DD., Laymann, [1] et late Lugo. [2] – Nota tamen obiter, ab illa excommunicatione reincidente, jure communi permittente, posse absolvere Episcopum, et consequenter etiam Privilegiatum Mendicantem. Verum Marchantius noster, [3] *probabilissime* docet: Hoc solum verum esse in censuris *ad forum externum contentiosum* deductis. »

2. Expositis rationibus, Sporer advertit, Januarium apud Dianam, et Jordanum apud Gobat, ipsumque Gobat huic sententiae assentire; et demum concludit: « Sed *quidquid sit*. Bonum est. Nos non concernit. Quare merito *Laymann* cit. n. 15. monet, consultius esse in mortis articulo confiteri Privilegiato (uti sumus Mendicantes), qui potestatem habeat absolvendi tanquam delegatus Papae, certe sine onere postea comparendi: servatis tamen servandis, utpote prius satisfiat parti laesae, vel de satisfacienda parte juramentum praestetur, si excommunicatio fuit incursa ob injuriam alteri illatam, v. g. percussionem Clerici etc., de quo sect. sequenti. »

3. Fatetur igitur Sporer, Doctores *communissime* notabile ponere discrimen inter *casum reservatum* et *censuram;* et Auctores, quos ipse aliique ex adverso citant, nequaquam inter classicos recensentur. Quamvis vero probabilissimam dicat sententiam Petri Marchantii communissimae contrariam, nihilominus in fine ait: *quidquid sit;* et cum *Laymanno* consultius ducit, in articulo mortis Confessario privilegiato confiteri.

4. Porro *Laymann, S. J.,* [4] sententiam *Suarii* omnino approbat, et l. c. [5] dicit: « Excipitur tamen: nisi peccato annexa sit censura excommunicationis Superiori reservata: tunc enim absolutus, cessante mortis periculo, sistere se debet Superiori, ad quem de jure ordinario absolutio pertinet: non ut iterum absolvatur, sed ut mandatum ejus accipiat, juxta C. *Eos qui, de sent. excom. in 6.*, et *Extravag. Inter cunctas*, §. *Incendiarios, de privil.* Quare, ut id obiter moneam, consultius est, in mortis articulo confiteri privilegiato, qui potestatem habeat a censuris reservatis absolvendi, tanquam delegatus Papae, sine onere postea comparendi. »

II. *P. Gury,* cum Auctoribus a se allegatis, praefatam limitationem eruit « *ex Concilio Tridentino, a quo* (Sess. 14. cap. 7.) *declaratum fuit sine ulla restrictione, omnem reservationem in periculo mortis cessare.* »

1) Cit. c. 12. n. 15.— 2) Disp. 20. n. 215.— 3) Cit. Trib. p. 1. tr. 4. tit. 4. n. 1. — 4) De cens. P. 2. c. 6. n. 4. — 5) De poenit. c. 12. n. 15.

1. At vero Concilium, sub *reservatione* nihil aliud intelligit, nisi denegationem potestatis certos poenitentes absolvendi, ut patet ex eodem cap. 7. *De casuum reservatione:* « Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur; unde merito Pontifices Maximi, pro summa potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. »

2. Si ergo simplex Confessarius poenitentem in articulo mortis constitutum a quibusvis casibus reservatis *directe* absolvit, praecise verificatur, nullam in mortis articulo esse reservationem. *Obligatio autem coram Superiore comparendi,* si poenitens convaluerit, *reservatio* dici non potest, nec in sensu Concilii, nec in sensu communi.

III. Addit demum P. Gury, praefatam sententiam *praesertim* erui « *ex Rituali Romano, quod obligationem se sistendi Superiori non absolutam, sed conditionatam clare innuit.* »

Sed istud argumentum similiter nihil probat; quia Rituale non de solis censuris reservatis, sed *de omnibus peccatis et censuris quantumvis reservatis* loquitur. Cum autem quoad peccata sine censura reservata, ut apud omnes in confesso est, nulla obligatio coram Superiore comparendi subsistat, ratio patet cur Rituale non absolute, sed conditionate, hanc obligationem imponit.

ITAQUE CONCLUDIMUS:

1. Ex praemissis patet, sententiam *negantem,* quam S. Alphonsus merito *communiorem et probabiliorem* dicit, nec solidis rationibus, nec sufficientibus auctoritatibus impugnari posse.

2. Nec timendum est, ne poenitentibus onus nimis durum imponatur; tum quia nemo *in persona* se sistere tenetur, tum quia hac ratione alioquin Episcopis amplissimae facultates concessae sunt.

3. Unum adhuc advertere juvat. S. Alphonsus, lib. 7. num. 86. ait: « ... Impeditus (Pontificem adire) non » debet absolvi, nisi *praestito prius* » *juramento,* quod, cessante impedi- » mento, ad Sedem Apostolicam quan- » tocius se praesentabit. » – Quocirca, *Viva* [1] cum aliis probabile existimat, pro foro interno sufficere promissionem, seu firmum poenitentis propositum. Et hoc etiam S. Doctor admittit; siquidem cit. Lib. 7. n. 92. dicit: « *pro foro externo,* Con- » fessarius debet exigere a poenitente » *juramentum* se praesentandi ad Su- » periorem, cum primum poterit; » sed *pro foro interno* dicunt suffice- » re *promissionem...* »

1) In prop. 3. Alexandri VII. n. 5.

QUAESTIO XVIII.

An, si poenitens confessus sit Superiori, et inculpabiliter sit oblitus peccati reservati, poterit deinde cuilibet illud confiteri et absolvi.

(S. Alph. Lib. VI. n. 597. — P. Ball. Tom. II. n. 581.)

Lib. VI. n. 597., S. Alphonsus ad hanc quaestionem sic respondet: « *Prima sententia communissima affirmat;* et hanc tenent Busembaum ut supra, Lugo (qui vocat communem) Sanchez, Palaus, Holzmann, Ciera, Viva, Salmanticenses (qui etiam asserunt communem), et Escobar, cum Cano, Filliuccio et Adriano, Covarruvias et Ledesma. Ratio, quia praesumitur Superior, poenitentem recte dispositum velle liberare ab omni vinculo peccatorum, a quo potest; idque videtur confirmari verbis illis, quae ad absolutionem praemittuntur: *In quantum possum, et tu indiges,* etc. Et hoc admittunt Palaus, Salmanticenses cum Coninchio et Aversa (contra alios), etiamsi confessio fiat apud inferiorem delegatum; quia adhuc censetur Superior velle per illam, reservationem auferre.- *Secunda* vero *sententia negat;* eamque tenent Suarez, Concina, Antoine; item Sylvester, Angelus, Rosella et Gabriel apud Lugo, et *forte probabiliorem* vocat Holzmann. Hi dicunt, non tolli reservationem, sive confessio fiat Superiori, sive delegato. Ratio est valde urgens, quia ad auferendam reservationem, requiritur ut peccatum subjiciatur judicio Superioris, eo quod finis reservationis est (ut probavimus n. 581.), nedum ut poenitentes a peccato absterreantur, sed etiam ut convenientem medicinam et poenitentiam recipiant. - Unde non censetur ablata reservatio, nisi ex aliquo positivo indicio habeatur praesumptio, voluisse Superiorem reservationem auferre, ut recte dicit Concina; vel nisi poenitens (ut ait Suarez) ad hunc finem adiverit Superiorem vel habentem facultatem, ut ab omnibus reservatis absolvatur, et hanc suam intentionem illi manifestaverit. Necnon, bene excipit Suarez, quando privilegium fuerit concessum in favorem poenitentis, prout est privilegium Jubilaei et bullae *Cruciatae.*

» Caeterum, praecisis istis tribus exceptionibus, hanc *secundam* sententiam *probabiliorem* censeo. *Licet prima videatur etiam probabilis:* tum ob auctoritatem DD., qui, ut fatetur ipse Concina, communiter eam docent (et hanc *Sylvius* [1] tenet ut veram, cum Sylvestro, Angelo, Adriano, Navarro, Covarruvias, Bonacina, Sà, Coninchio, et aliis pluribus, quibus consentit *Pontas* [2] et adhaeret *Continuator Tournelii* [3]) *: tum quia probabiliter potest praesumi Su-

1) T. 4. suppl. q. 20. art. 2. quaer. 3. in fine. — 2) Cas. 25. (et 26.). — 3) Tom. 6. part. 2. (c. 8. n. 576.) pag. 131.

* Necessarium ducimus hic advertere, aliquam inversionem a nobis factam esse in textu S. Alphonsi: cujus immutationis rationem paucis excipe.

In prima editione Theol. mor. de anno 1748., S. Doctor potius adhaerebat sententiae affirmativae; re autem melius perpensa, probabiliorem censuit negativam. Hinc in secunda editione (Tom. 2. qui anno 1755. prodiit) cit. n. 597. scripsit: « Caeterum, praecisis istis » tribus exceptionibus, *hanc secundam sententiam probabiliorem censeo.* Licet prima videatur etiam probabilis: tum ob auctoritatem DD., qui (ut fatetur ipse Concina) commu-

» perior consentire, ut auferatur » reservatio, semper ac poenitens » confitetur apud habentem potesta- » tem. – *Omnino tamen dicendum » puto, reservationem non auferri, » quando adesset positiva praesum- » ptio, quod, si Superior audivisset » peccatum reservatum, absolutio- » nem distulisset.* »

Eamdem quaestionem proponit *P. Gury*, T. II. n. 581. pag. 479.: [1] « An tollatur reservatio, si poenitens, confitendo apud Superiorem, casus reservatos obliviscatur? » – et respondet: « *Affirmative,* saltem *probabiliter;* quia recte praesumitur, Superiorem liberare poenitentem voluisse ab omni vinculo, a quo absolvere ipsum potest. Ita *Lugo, Salmant., et alii communiter;* contra *alios,* qui etiam *probabiliter negant.* – *S. Ligorius,* n. 597. dicit priorem sententiam *communissimam,* et aliam *probabiliorem.* »

Quocirca P. Ballerini adnotat: « Mirum sane, quod altera sententia » *communissima* sit, altera vero huic » adversa reperiri *probabilior* queat! » Quidquid de hoc sit, S. Alphonsus » (Lib. 6. n. 597.) non prohibet, quo- » minus quis sequatur communem » Lugonis doctrinam, non obstanti- » bus Suarezii objectionibus; sed no- » vam dumtaxat illi doctrinae exce- » ptionem sic addit: « *Omnino tamen » dicendum puto, reservationem non » auferri, quando adest positiva » praesumptio, quod si Superior au- » divisset peccatum reservatum, ab- » solutionem distulisset.* » Verum haec » hypothesis vix apparet, quandonam » habere locum posset. Nam *vix alia » ratio* absolutionem differendi ades- » se potest, *nisi quod poenitens hic » et nunc non sit dispositus.* Atqui » ipse S. Alphonsus *(ibid. n. 598. » q. IV.)* eo usque progreditur, ut con- » cedat, *reservationem tolli etiam » quando poenitens confitetur sacri- » lege.* Nulla ergo ratio elucet, cur » etiam in eo casu valere non possit » generale hujus doctrinae funda- » mentum, quod Lugo (De Poenit. » disp. 20. n. 91.) sic exponit: « *Tota » difficultas non esse debet circa pos-*

» niter eam docent: tum quia probabiliter potest praesumi... » (ut supra). — Et in eodem Tomo, in Elencho Quaestionum reformatarum *(n. 87.)* sequentia notat: « An qui confessus » est Superiori, et oblitus fuerit reservati, remaneat ab illo directe absolutus? *Hic probabilius negatur,* lib. 6. n. 597., *quidquid in priori Libro dictum sit.* »

Postea vero, S. Doctor, veritati unice studens, advertit, primae sententiae *affirmanti* novas Auctoritates (praeter alias jam allatas) suffragari. Cum itaque ageretur de sexta editione, Bassani a typographo Remondini, anno 1767 evulganda, S. Alphonsus novam propositionem: « *et hanc Sylvius . . . et adhaeret Continuator Tournelii* » (quae supra legitur parenthesi inclusa) inserendam mandavit. Quod factum est. Ast (sane per inadvertentiam typographi), illa propositio ita inserta fuit, ut, contra intentionem S. Doctoris, confirmaret sententiam *negantem,* non autem *affirmantem.* — Et sic in dicta editione (quemadmodum et in omnibus aliis hucusque evulgatis) *minus recte* legitur: « Caeterum, praecisis istis tribus exceptionibus, hanc *secundam* sententiam *probabiliorem* censeo: *et hanc Sylvius » tenet . . . Tournelii.* Licet prima videatur etiam probabilis: tum ob auctoritatem . . . eam » docent: tum quia probabiliter . . . »

Quod autem res ita se habeat, evidenter patet ex ipsius S. Alphonsi testimonio. In praefata namque editione sexta, S. Doctor novum adjecit Elenchum Quaestionum a se reformatarum; in quo, sub *n. 20.* sequentia leguntur: « An si poenitens confessus sit Superiori, et » inculpabiliter sit oblitus peccati reservati, poterit deinde a quolibet Confessario de illo » absolvi? — *Lib. 6. n. 597. probavimus sententiam* NEGATIVAM; *sed nunc, ex auctoritate » Pontas, Collet, et signanter Sylvii, qui* AFFIRMATIVAM *cum Sylvestro, Navarro, Adriano, » Angelo, Covarruvias, et pluribus aliis pro certa habet, eam reprobare non possumus.* » — Confirmatur ex textibus *Sylvii, Pontasii* et *Continuatoris Tournelii,* a S. A. directe allegatorum.

Ex praemissis concludimus: 1°. S. Doctor, praecisis tribus exceptionibus, *probabiliorem* censet sententiam *negantem:* quia pro ipsa stat « *ratio valde urgens.* » — 2°. Nihilominus admittit, sententiam *affirmantem* esse *probabilem:* tum ex probabili ratione intrinseca: tum maxime ex auctoritate extrinseca, quae communissime eidem sententiae favet. — 3°. Expresse autem docet, *omnino tenendam esse sententiam negantem, quando adest positiva » praesumptio* quod Superior distulisset absolutionem, si peccatum reservatum audivisset.

1) In altera edit. pag. 387.

» *sibilitatem, sed circa factum seu* » *voluntatem: an de facto velit Su-* » *perior tollere directe reservatio-* » *nem pro oblitis, quotiescumque* » *absolvit subditum. Et quoad hoc* » *dicimus, probabiliter praesumi a* » *communi sententia, voluntatem* » *illam in Superiore.* »

1. Exclamat P. Ballerini: « *Mirum* » *sane, quod altera sententia com-* » *munissima sit, altera vero huic ad-* » *versa reperiri probabilior queat!* » Sed (absit ulla verbo invidia), plura sunt, quae quidem cl. Professori, aliis tamen minime mira videntur.- Cum autem in secunda editione istam exclamationem omiserit, responsioni non insistimus.

Sufficiat *Suarium, S. J.*, allegare, qui [1] hanc quaestionem pertractans dicit: « Est ergo sententia *valde communis affirmans*, tunc auferri reservationem peccati. » – Inter sententiam valde communem et communissimam, vix aliquod discrimen reperiri potest. Nihilominus *eam non admittit;* sed variis argumentis in contrarium adductis, ipsam refutat, et demum dicit: « *Accedit tandem (quod me maxime movet), quia per illam confessionem, satisfactum non est intentioni reservantis:* quia nec peccatum novit, nec pro illo satisfactionem imposuit, nec medicinam adhibuit: quae sunt praecipue per reservationem intenta; ergo non est cur credamus, Superiorem abstulisse reservationem. » – Eamdem rationem adfert *Holzmann* [2] tamquam objectionem; et quamvis affirmativae sententiae adhaereat, subjungit: « Hoc argumentum (ut verum fatear), sententiam *negativam* reddit *valde probabilem, et forte probabiliorem affirmativa.* »

2. Quod vero ad ipsam doctrinam attinet, Patri Ballerinio non probatur exceptio seu limitatio a S. Doctore nostro adjecta: « *Omnino tamen dicendum puto...* » Hinc duplicem opponit rationem: 1. Quia « vix » alia ratio absolutionem differendi » adesse potest, *nisi quod poenitens* » *hic et nunc non sit dispositus.* » 2. Quia S. Doctor, hanc limitationem statuendo, *sibi contradicit;* siquidem « ipse S. Alphonsus eo usque pro- » greditur, ut concedat reservatio- » nem tolli, etiam quando poenitens » confitetur *sacrilege* »; ergo, a fortiori, idem admittere debet in casu nostro, quo poenitens *inculpabiliter* peccati reservati oblitus est. – Ad utramque rationem seorsim respondebimus.

Articulus 1.

Minus recta est assertio, vix aliam dari rationem absolutionis differendae, praeter actualem poenitentis indispositionem.

Cl. Professor, ut jam diximus, limitationem a S. A. adjectam non admittit, quia « *haec hypothesis vix* » *apparet, quandonam habere locum* » *posset. Nam vix alia ratio abso-* » *lutionem differendi adesse potest,* » *nisi quod poenitens hic et nunc* » *non sit dispositus.* »

Si P. Ballerini, dicendo, *vix* aliam rationem absolutionem differendi adesse posse, nihil aliud intelligit, nisi id *raro* obtingere: non est, quod obloquamur; sed in hoc casu argumentum suum nihil probat. Si vero intelligeret, *numquam* aliam rationem cogitari posse, falsa esset haec assertio.

1. Saeculo 18., uti Lacroix, Amort, Voit et alii referunt, in pluribus Dioecesibus blasphemia publica casus reservatus fuit; et verosimiliter etiam in praesenti non desunt dioeceses, in quibus idem crimen reservationi subjacet. Ponamus, Episcopum Confessariis nunquam facultatem concedere absolvendi hujus criminis reum, quantumvis contritum et ad omnia paratum, nisi antea scandalum reparaverit: et habemus *praesumptionem positivam in contra-*

1) De poenit. disp. 31. sect. 4. n. 12. — 2) Tr. 4. n. 697.

rium, licet poenitens ex omni parte dispositus sit.

2. Porro certum est, Confessarium, ob justam causam, poenitenti imponere posse, ut antea poenitentiam impleat; ut testatur *Lugo, S. J.,*[1] ubi propositionem, etiam poenitenti disposito absolutionem differri posse, probans, dicit:

« Confirmatur ex communi doctrina Theologorum, qui dicunt, posse Confessarium aliquando obligare poenitentem ad implendam poenitentiam ante absolutionem: quod, licet non possit facere per modum vindictae et punitionis, potest saltem facere per modum medicinae, quando judicat id esse necessarium, vel utile poenitenti: ex eo quod soleat facile omittere postea poenitentias sibi impositas, vel ut Confessarius certus sit de poenitentia impleta, vel ob alios fines, ut docent Suarez, Reginaldus et alii, quos refert et sequitur Bonacina. Imo apud Graecos sic solitum fieri, ut nemo ante expletam poenitentiam absolveretur, dicit Patatius ex Nicephoro. »

3. Ponamus, Episcopum Confessariis numquam concedere facultatem absolvendi graviorum criminum reos, quantumvis dispositos, nisi antea aliquam saltem poenitentiae partem impleverint, ut melius gravitatem sceleris agnoscant, magisque deterreantur: et rursus habemus praesumptionem positivam in contrarium, licet poenitens dispositus sit. - Quomodo autem, in hisce casibus, voluntas Superioris reservationem tollendi rationabiliter praesumi potest, cum potius moraliter certum sit, quod, cognito peccato reservato, absolutionem distulisset?

4. P. Ballerini generale sententiae affirmativae fundamentum adfert, quod *Lugo* (De Poen. disp. 20. n. 91.) tradit. Sed hoc fundamentum eo ipso, quod generale est, exceptiones *in casibus particularibus* non excludit. - Lugo l. c. n. 89. dicit: « Haec sententia *(negativa)* ingeniose excogitata est, et *argumenta habet satis solida:* non tamen cogunt, ut discedamus a *sententia communi,* quam *si possumus sustinere,* non oportet eam deserere, tum quia communis est, tum quia magis favorabilis. » At vero eam sustinere non possumus, quando obstat *praesumptio positiva in contrarium.* - Porro dicit: « *probabiliter* praesumi a communi sententia voluntatem illam in Superiore. » Verumtamen, quando obstat praesumptio positiva in contrarium, voluntas Superioris non probabiliter, sed potius irrationabiliter praesumeretur. Etenim irrationabile est, aliquid praesumere, quando oppositum verisimillimum, imo, secundum communiter contingentia, moraliter certum est. Nec ullum Auctorem novimus, qui hoc affirmare ausus esset; unde sententia communis extendi nequit ad *casus particulares,* in quibus praesumptio probabilis haberi non potest.

Articulus 2.

Praefatae limitationi minime contradicit doctrina S. A., tolli scilicet reservationem etiam per confessionem culpabiliter nullam.

I. S. Alphonsus, Lib. VI. n. 598. quaer. 3. dubium proponit: « An per » confessionem *inculpabiliter invali-* » *dam* tollatur reservatio? » Et sententiam affirmantem censet communem et probabiliorem.

Deinde in eodem numero, *quaer. 4.* aliud dubium ponit, videlicet: « An » tollatur reservatio per confessio- » nem *culpabiliter nullam?* » Et respondet: « Haec sententia (negans) » est quidem valde probabilis; sed » contraria *(affirmans) est longe com-* » *munior, nec caret sua probabili-* » *tate.* » - Attamen huic sententiae affirmativae *plures exceptiones* adjicit. Ait enim: « Recte vero excipiunt » Wigandt et Lugo, cum Suarez et

1) De poenit. disp. 14. n. 170.

» Vasquez, si poenitens *culpabiliter* » *reticeat ipsum peccatum reserva-* » *tum;* vel si (ut ait Lugo), illa sa- » crilega confessione, *inculpabiliter* » *obliviscatur confiteri peccatum re-* » *servatum:* quia minime praesumi- » tur Superior, in tali sacrilega con- » fessione, velle auferre reservatio- » nem peccati sibi non delati. Item » excipit Suarez, si poenitens *ha-* » *buerit animum non vitandi in* » *posterum peccatum illud reserva-* » *tum, vel non implendi poeniten-* » *tiam impositam;* dicit vero, tolli » reservationem, si animum mutet... » Item excipienda est (ut diximus » n. 537.) *confessio invalida, sive* » *culpate, sive inculpate facta in Ju-* » *bilaeo;* quia ibi, cum Pontifex non » praebeat facultatem absolvendi re- » servata, nisi ad finem ut fideles » lucrentur Jubilaeum, non censetur » velle auferre reservationem, si illi » Jubilaeum non lucrantur. Vide di- » cta, n. 537. q. 2. »

II. Etiam *P. Gury*, T. II. n. 580. q. 9. pag. 478. [1] quaestionem proponit: « An tollatur reservatio per confessionem *nullam aut sacrilegam?* » Et respondet: « 1. *Probabilius* tollitur per confessionem *sine culpa nullam.* Ratio est, quia reservatio principaliter ordinatur, ut peccata Superiori deferantur. *S. Lig. n.* 598. – 2. *Probabiliter* etiam tollitur per confessionem *sacrilegam,* quia eadem est ratio ac pro casu praecedenti. *S. Lig. ibid. et alii communius.* Excipe 1°. si poenitens culpabiliter reticeat ipsum peccatum reservatum, quia minime praesumitur Superior in tali sacrilega confessione velle auferre reservationem peccati sibi de industria non delati. 2°. Excipit etiam *S. Alph.,* si confessio invalida fiat in Jubilaeo, quia Pontifex non dat facultatem absolvendi a reservatis, nisi ut fideles Jubilaeum lucrentur, ac proinde secus non censetur velle eam concedere.»

III. *P. Ballerini* omnino consentit; imo in adjecta adnotatione, exceptionem quoad confessionem in Jubilaeo peractam non approbat. [2] Dum itaque dicit, ipsum S. Alphonsum eo usque progredi, « *ut concedat reservationem tolli etiam quando poenitens confitetur sacrilege* », hanc sententiam nullatenus impugnare, sed S. Doctorem *sibi contradicentem* exhibere intendit. – Hoc namque est cl. Professoris ratiocinium: Qui admittit, reservationem tolli etiam per confessionem *sacrilegam*, quamvis ex parte Superioris obstet positiva praesumptio in contrarium; ut sibi cohaereat, *a fortiori* idem admittere debet, si poenitens *valide* confitetur, at *inculpabiliter* peccatum reservatum obliviscitur, quantumvis similis praesumptio obstet.

Verum recta non est haec conclusio, quia *ratio dispar* est, et *discri-*

1) In altera edit. pag. 386.

2) *S. Alphonsus*, lib. 6. n. 537. q. 2., juxta sententiam quae sibi videtur *probabilior*, casum excipit, quo confessio *tempore Jubilaei* peracta fuerit *invalide;* et ratio quam affert, haec est: « quia, cum Pontifex concedit facultatem absolvendi a reservatis, ut fideles Ju- » bilaeum lucrentur, non praesumitur illam concedere pro iis qui nequeunt cum illa confes- » sione Jubilaeum lucrari. Idque videtur confirmari ex verbis Benedicti XIV. in dicta Constit. » *Inter praeteritos*, ubi dicit, facultates tribui *velut praeparationes ad consecutionem* » *Jubilaei;* ergo non praesumitur velle, ut facultatibus fruatur ille, cui facultates non sunt » praeparatio ad Jubilaeum lucrandum. »

At vero, hisce contradicere conatur *P. Ballerini*, cit. n. 580. q. 9., dicens: « *Haec ratio,* » *quam S. Alphonsus* (lib. 6. n. 537. q. 2.) *desumpsit ex La Croix* (lib. 6. part. 2. n. 1449.) » *nimis probat; consequens enim esset, non tolli reservationem etiam cum eis, qui prius* » *valide confessi, deinde Jubilaeum non lucrantur...* » — Sed facilis est responsio. S. Doctor non requirit, ut Jubilaeum revera lucretur, omnibus adimpletis conditionibus; sed tantum, ut confessio sit *vera praeparatio ad Jubilaeum lucrandum.* Unde potius consequens est, *tolli* reservationem cum eis qui prius valide confessi sunt, etsi deinde, aliam ob causam, Jubilaeum non lucrentur. — Si quis igitur hac in re nimis probat, utique non est S. Alphonsus.

men essentiale inter hanc et alteram quaestionem subsistit.

1. Etenim poenitens, *peccatum reservatum inculpabiliter obliviscens,* valide quidem confitetur; at vero Superior, *cujus judicio delictum non subjicitur,* nec medicinam adhibere, nec poenitentem, ut decet, admonere, nec debitam simulque salutarem poenitentiam ipsi imponere potest. Unde plures DD. indistincte existimant, nec intentioni reservantis, nec fini principali reservationis, hac confessione satisfieri. – Nihil autem ex his requisitis desideratur in confessione, quam alter, licet *invalide,* peragit; et ideo revera probabilitate sua non caret sententia affirmativa, quam S. A. *num. 598.* exponit: «Ratio, quia *pro confessione sacrilega* occurrit *eadem ratio, ac pro inculpate nulla;* alius enim est finis *confessionis,* alius *reservationis.* Finis confessionis est, ut remittatur peccatum; finis autem principalis et directus reservationis est, ut hujusmodi peccata reservata committentes *subjiciantur judicio Superioris;* ergo, cum subditus peccatum suum Superiori defert, et poenitentiam ab eo impositam acceptat, etiamsi sacrilege confiteatur, jam obtinetur finis reservationis, quamvis non remittatur peccatum. »

2. Nec verum esset dicere, in Superiore positive semper praesumenda esse intentionem non tollendi reservationem, etiamsi poenitens peccatum reservatum confiteatur, casu, quo ejus confessio alia ratione esset sacrilega: quia v. g. aliud peccatum licet, vel animum non habet occasionem proximam in alia materia inquendi, aut restitutionem debitam praestandi. – Sub hac enim hypothesi (alias S. A. in cit. n. 598. sententiam affirmativam non admittit ut probabilem) potius rationabiliter et probabiliter praesumitur, quod Superior, etiamsi cognosceret, confessionem sacrilegam esse, nihilominus poenitentem a reservatione liberaret, *ut melius dispositus, deinceps a quolibet Confessario absolvi possit;* praesertim si poenitens, ut saepissime accidit, facile redire nequiret.[1] – Nec ulla ratio existit, quae Superiorem ad retinendam reservationem cogere possit. *Dispositio* poenitentis ad *Sacramentum* suscipiendum, ad *Confessarium* attinet; et ideo Superior, ut Confessarius, advertens, poenitentem non esse dispositum, absolutionem sacramentalem ipsi denegaret. *Dispositio* vero poenitentis ad tollendam *reservationem,* spectat ad *Superiorem,* qui, ut talis, reservationem tolleret; quia poenitens revera omnia praestitit, quae hac ratione requiruntur. Quibus praestitis, Superior ipsum a reservatione liberare potest, imo regulariter debet; nisi forte dilationem expedire judicaret, ut poenitens magis conteratur et deterreatur.

3. Nullatenus ergo S. A. sibi contradicit. Ex una enim parte docet, per confessionem in qua poenitens inculpabiliter peccatum reservatum obliviscitur, reservationem non tolli, si contraria Superioris intentio praesumenda est; et ex altera, sub certis conditionibus ut probabile admittit, reservationem per confessionem sacrilegam tolli.

SIT ITAQUE CONCLUSIO:

I. Limitatio S. Alphonsi nova quidem est, utpote a nemine antea prolata, sed adeo evidens, ut etiam sententiae affirmativae patroni eam acceptassent: quippe qui in genere tantum affirmant, voluntatem Superioris praesumendam esse, quin requiratur ut ex aliquo positivo indicio

[1] S. A. n. 598. q. 3., ubi de confessione inculpabiliter invalida agit, hac ratione dicit: «Nec valet dicere, quod tam Ordinarius quam delegatus non tollunt reservationem nisi per absolutionem sacramentalem, quae hic deest, cum confessio sit nulla; nam respondetur, quod *Superior bene potest sine absolutione sacramentali*, ut fatetur ipse Conna, *reservationem auferre.* »

habeatur praesumptio, Superiorem reservationem auferre voluisse.

2. Rationes autem, quibus P. Ballerini hanc limitationem impugnat, falsis suppositionibus et conclusionibus innituntur.

QUAESTIO XIX.

An poenitens sollicitatus, facta denuntiatione, a quocumque Confessario absolvi possit ab incursa excommunicatione ob dilatam denuntiationem.

(S. Alph. Lib. VI. n. 693. — P. Ball. Tom. II. n. 590. ad III.)

Propositum dubium sic solvit S. Alphonsus, Lib. VI. n. 693.: « *Negant* » Salmanticenses, Mazzotta, Diana » cum Sancio, et Potestas cum Bordono, ex Edicto Sacrae Inquisit. » Gener. infra citando. *Affirmat vero Lupus* (cui adhaeret Roncaglia), » quia, ut ait, reservatio hujus censurae perseverat tantum durante » contumacia; unde expirat, facta » denuntiatione aut mortuo denuntiando; idque infert Lupus ex Edicti verbis, quae esse solent: *E dalla detta scomunica nessuno, se* » *non da noi, o dal supremo tribunale del S. Officio, potrà essere* » *assoluto, se prima non avrà soddisfatto al santo Officio.* Et revera, » attentis praedictis verbis, *opinio* » *Lupi satis probabilis videtur...* »

De hac vero sententia scribit cl. Ballerinius, Tom. II. pag. 488. [1]: « Porro Edicta S. Officii Inquisitionis, quoad denuntiandos sollicitantes, prouti ea refert Laurentius » Cozza *(Dub. select. circa sollicit., dub. ultim.)*, S. Officio absolutionem reservant, etiam post factam » denuntiationem; meritoque advertit idem Cozza, opinionem, quae » facultatem absolvendi reum post » denuntiationem tribuebat cuilibet » Confessario *(Vid. S. Alph. n. 693.)*, » profluxisse primitus ex sensu aequivoco, quem praeferebant verba » cujusdam Edicti, prouti a *Lupo* » compendiate referebatur... » – Ad haec breviter respondebimus.

1. In quantum *Lupus* tenuit, excommunicationem *extra Urbem* non esse reservatam, et quemcumque Confessarium ab ipsa absolvere posse, nisi Inquisitores particulares vel Episcopi eam sibi reservaverint, rectam sententiam tenuit. *Giraldus* [2] enim dicit: « Omittentes intra id respective tempus, scilicet praescriptum in Edictis Universalis Romanae Inquisitionis, vel ceterorum, tam particularium Inquisitorum, quam Episcoporum, denuntiationem *in Urbe et ejus districtu,* incurrunt excommunicationem, quae reservata est S. Inquisitioni. *Extra Urbem* vero ejusque districtum, nonnisi ab Episcopo vel peculiari Inquisitore, si tamen eam sibi et peccatum reservaverint; *alias, post denuntiationem factam, absolvi poterunt a quolibet Confessario;* quemadmodum testatur sibi responsum fuisse a P. Commissario Universalis Inquisitionis Romanae, Nicolaus Terzago, Episcopus Narniensis, in Instructione ad Confessarios suae dioecesis: §. De peccatis contra fidem. »

2. In quo sensu etiam *S. Alphonsus* sententiam Lupi admisit, dicens loco citato: « Hoc tamen procederet juxta » Edictum particulare Inquisitionis » alicujus Regni; sed in Edicto edito » a S. Inquisitione Generali, die 3. » Januarii anno 1623,.... absolute » dicitur, infra duodecim dies esse » denuntiandos haereticos seu de haeresi quomodolibet suspectos, sub ex-

1) In altera edit. pag. 396. — 2) Expos. Juris Pontif., P. 1. lib. 5. tit. 7. pag. 627.

» communicatione majori latae sen-
» tentiae, reservata Papae et eidem
» Tribunali. » – Ad hanc objectionem, a patronis sententiae negativae prolatam, duplex data fuit responsio ab adversariis. Aliqui dixerunt, praefatum Edictum nequaquam normam in perpetuum valituram, sed tantum pro hic et nunc praescripsisse; alii vero in subsidium vocaverunt aliud posterius Edictum, die 10. Martii 1677. editum, in quo quidem excommunicatio pronuntiatur contra non denuntiantes de haeresi suspectos, sed reservationis nulla fit mentio. – Unde concludit S. A.: « Hoc posito, satis
» probabile videtur mihi, et aliis
» doctis a me consultis, quod vel pri-
» mum Edictum non fuerit perpe-
» tuum; vel quod verisimilius S. In-
» quisitio, in hoc secundo Edicto,
» sicut moderavit obligationem pri-
» mi Edicti, denuntiandi infra duo-
» decim dies, ampliando illam ad
» mensem, ita etiam primum Edi-
» ctum moderavit, auferendo reser-
» vationem ab excommunicatione.
» Hoc tamen semper intelligendum,
» si jam fuerit impleta denuntia-
» tio. »

3. At vero sententiam *affirmativam* satis probabilem fuisse, jam ex eo patet, quia in praesenti, *eadem sententia certa est jure positivo.* Etenim ipsa S. Inquisitio, antiquam disciplinam in hac re moderatam fuisse, declaravit. Quod etiam P. Ballerini concedit et affirmat, allegando *Giraldum,* l. c. dicentem: «Omittens denuntiare Confessarium de sollicitatione intra dictum mensem, etiamsi postea denuntiasset, olim non poterat absolvi, nisi a dicta Inquisitione Romana; *hodie tamen, ex Decretis ejusdem an. 1735. et 1758., absolvi potest a quolibet Confessario.* »

4. Demum in Constitutione: *Apostolicae Sedis* de anno 1869. expressis verbis dicitur: « Excommunicationi latae sententiae *nemini reservatae* subjacere declaramus... IV. *Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia* in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV. Const. *Universi,* 20. Augusti 1622., et Benedicto XIV. Constit. *Sacramentum Poenitentiae,* 1. Junii 1741. »

QUAESTIO XX.

An denuntiandus sit Confessarius, mulieri sollicitanti vel simpliciter consentiens, vel eidem consentiens ob metum accusationis ab illa incussum.

(S. Alph. Lib. VI. n. 681. 687. q. 8. — P. Ball. Tom. II. n. 591. q. 2.)

Ad priorem hujus quaestionis partem quod attinet, S. Alphonsus, lib. VI. n. 681. dubium proponit: «*An sit denuntiandus Confessarius, consentiens mulieri sollicitanti in confessione?* » – Et sic respondet: *Affirmant* Salmanticenses, et ajunt, contrariam sententiam non esse probabilem post Bullam allatam *Gregorii XV.,* ubi expresse sunt denuntiandi, non solum Confessarii sollicitantes, sed etiam inhonestos tractatus habentes; et idem sen-
» tiunt Mazzotta, Concina, Potestas;
» item Salmanticenses cum Diana,
» Leandro, Sousa, etc. – *Negant* vero
» Bonacina, Palaus, Escobar cum
» Acunna, Hurtado, Sousa et San-
» ctorello; item Prado, Bordonus,
» Homobonus et Trullenchus apud
» Salmanticenses. Ac Roncaglia ad
» hanc sententiam inclinare videtur,
» dicens cum Bordono, Sanctorel-
» lo etc., quod rationi a Salmanti-
» censibus allatae responderi possit,
» verba Bullae intelligenda esse de

» tractatibus turpibus, quorum Confessarius sit auctor. Atque Diana » hanc probabilem ac tutam dicit.

» At mihi pro dicta sententia, alia » ratio occurrit, quae habetur apud » Bonacinam, et quae potior videtur. » Ratio est, quia ex Bulla eadem Gregorii mandatur Confessariis, ut » moneant de obligatione denuntiationis, non jam quoscunque poenitentes, qui cum Confessariis inhonestos tractatus habuerint, sed illos *quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos;* quare infertur, quod poenitens licite, si vellet, posset Confessarium in dicto casu denuntiare, juxta primam probabilem sententiam; *sed videtur probabilius, ad hoc poenitens non obligari:* quia, ut ipse obligationem subeat denuntiandi Confessarium, *requiritur, ut fuerit ab illo sollicitatus.* Etsi igitur Confessarius non eximatur a crimine, ob inhonestum tractatum in confessionario, eximitur tamen poenitens ab obligatione denuntiationis, dum non reperitur sollicitatus. *Et recte censetur, noluisse Pontificem obligare poenitentes ad denuntiandum Confessarios, quos ipsi tentaverint,* ob magnam difficultatem, quae deterreret poenitentes a denuntiando in isto casu, quo peccatum ab ipsis causam habuerit: tum quia, si denuntiarent, valde periclitaretur eorum fama; tum quia lex nimis ardua tunc eis redderetur.

» Quidam neotericus scripsit, praefatam opinionem fuisse proscriptam » a *Benedicto XIV.* per Bullam: *Sacramentum.* Sed perperam id asseruit; nam Pontifex ibi tantum dixit, denuntiationem esse faciendam, etiamsi *inter Confessarium et poenitentem mutua fuerit.* Longe autem differt sollicitatio mutua ab ea, quae fit a muliere, et cui Confessarius consentit: cum Doctores valde distinguant primum casum ab altero, ut observari potest apud Felicem Potestas de denunciatione n. 581., ubi dicunt, » sollicitationem *mutuam* tum evenire, cum Confessarius sollicitatus » a poenitente ad unam turpitudinis » speciem, ad aliam mulierem sollicitat (prout num. seq. dicetur); aut » etiam cum Confessarius a poenitente sollicitatus prius dissentit, » vel sermonem divertit, et deinde » post aliquod intervallum illam sollicitat; atque *in his casibus mutuae quidem sollicitationis, Auctores aliqui,* ut Castropalaus, Peyrinus et Acunna, *sentierunt, non adesse obligationem denunciandi; et haec est opinio, quae a Pontifice damnata fuit:* et quidem juste; in hujusmodi enim casibus jam verificatur, quod poenitens vere manet sollicitata, et vere Confessarius sollicitat; at in nostro casu, *cum Confessarius simpliciter sollicitationi consentit, minime verificatur, nec dici potest, quod mulier sit sollicitata.* Quando autem cooperatio Confessarii dicenda sit simplex consensio, aut etiam mutua sollicitatio, id pendet a circumstantiis sermonis et tractatus, qui inter Confessarium et poenitentem intercedunt. »

Dein *num. 687. quaer. 8.*, S. Doctor aliud dubium ponit: « *An denuntiari debeat Confessarius, qui mulieri sollicitanti consentit ob metum ab illa incussum, quod eum accusabit nisi consentiat?* » Et respondet: « *Negat* Hurtadus, quia » lex ecclesiastica non obligat, cum » metus gravis intervenit. Haec tamen ratio debilis est, quia talis » metus non censetur gravis; judices » enim non facile credunt cuique mulierculae accusanti, ut dicunt Salmanticenses cum Escobar. Sed melius dici potest, hic Confessarius » *non esse denuntiandus, quia tunc revera esset sollicitatus, non sollicitans,* juxta dicta n. 681. »

T. II. n. 591. q. 2. pag. 490.[1] *P. Gury* similiter quaerit: « *An denuncian-*

1) In altera edit. pag. 397.

dus sit Confessarius, qui consensit poenitenti sollicitanti, sed ipse non sollicitavit? » Et respondet: « *Affirmative.* Vide Decr. 9. ex 16. *S. Officii,* die 11. Februarii 1661., confirmatis a Benedicto XIV. in Bulla: *Sacramentum Poenitentiae.* »

Ad quam propositionem, P. Ballerini sequentem annotationem apponit: « Iste casus manifeste comprehenditur in illis Gregorii XV. verbis: *Aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint;* quae itidem occurrunt etiam in Constit. *Sacramentum Poenitentiae* Benedicti XIV. Indoles enim *tractatus* est, ut de re quapiam exequenda, duo vel plures inter se agant vel conveniant; nec refert, uter eorum prior rem proponat, dummodo uterque saltem de re perficienda agat, etiamsi forte in conditiones deinde ambo non conveniant. Merito ergo DD. concludunt, his verbis comprehendi Confessarium, qui non sollicitaverit poenitentem, sed mere consentiat sollicitanti: verissimo enim sensu intercedit *tractatus illicitus et inhonestus*, quo in turpitudinem uterque consentit.

» Duo autem sunt *S. Inquisitionis Decreta*, quae revocari huc possunt. Nam in secundo ex sexdecim (de quibus in not. praec.), ad Quaestionem: *An Confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus?* Responsum fuit: *incidere, et Confessarium esse denuntiandum, rejecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.* - In nono autem ex iisdem Decretis, ad Quaestionem: *An Confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitanti consentiat, sit denuntiandus?* Responsum fuit: *esse denuntiandum, et opinionem negativam non esse probabilem.* Quod autem *S. Alphonsus* (Lib. 6. n. 681. et 687. q. 8.) oppositam opinionem ceu probabilem tradat, in causa hoc tantum fuit, quod *haec decreta unquam extitisse prorsus ignoravit.* »

Cum itaque S. Sedes super hisce materiis pronuntiaverit, tria inquirenda veniunt: 1. An per praefata Decreta S. Inquisitionis, duplex quaestio proposita reapse ita *definita* sit, ut sententia negativa, quam S. Alphonsus probabiliorem censet, sustineri nequeat; 2. An duplex casus propositus jam in Bullis *Gregorii XV.* et *Benedicti XIV.* adeo manifeste comprehendatur, ut de verissimo sensu dubitari nequeat; 3. An S. Doctori vitio verti possit, quod Decreta S. Inquisitionis de anno 1661. *non noverit.*

Articulus I.

An, stante duplici allegato Decreto S. Inquisitionis, sententia negativa S. Alphonsi sustineri nequeat.

I. Dubium sub *num. II.* propositum, et Resolutio Qualificatorum a S. Inquisitione approbata, sic sonant: « An Confessarius *consentiens sollicitationi, sed statim desistens* de illa turpi materia loqui, *differendo illius complementum ad aliud tempus,* et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus? - Domini Qualificatores censuerunt, incidere et *esse denuntiandum, rejecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.* »

1. Non quaeritur hic simpliciter de Confessario sollicitationi consentiente, sed appositae sunt *plures circumstantiae:* videlicet quod Confessarius statim dissentit, non autem quia consensisse ipsum poenitet, sed *quia complementum in aliud tempus differre sibi proponit, ne in poenas statutas incidat,* et ideo poenitenti absolutionem non praebet. In

quibus circumstantiis, utpote non supervacue appositis, essentia dubii propositi reique caput est reponendum. Secus enim dubium sonare debuisset: An denuntiandus sit Confessarius, qui sollicitationi primo momento consensit, statim autem dissensit?

2. Responsiones SS. Congregationum, ut neminem latet, nunquam limites dubii propositi excedunt, et ultra hos limites extendi nequeunt. Nequaquam ergo S. Inquisitio *generaliter* definivit, denuntiandum esse Confessarium, qui sollicitationi consensit, etiamsi ex sua parte nullo modo sollicitaverit; sed dumtaxat *casum illum particularem,* quo Confessarius statim dissentit, et ab absolutione poenitentis eum in finem abstinet, ut extra confessionem tempore opportuno pravam intentionem suam compleat. – Unde, quamvis in ipsa confessione dissenserat et absolutionem non praebuerat, si postmodum poenitentem sollicitat, nihilominus denuntiandus est. In quo etiam *S. Alphonsus* consentit n. 678. dub. 2., ubi absolute probabiliorem dicit sententiam, denuntiari debere Confessarium, « qui, ob fragilitatem mulie» ris auditam in ejus confessione, » postea domi eam sollicitavit. »

3. Ideoque, salvo meliori judicio, arbitramur, *istam S. Inquisitionis Resolutionem non obstare,* quominus sustineatur sententia *negativa,* quam S. Doctor probabiliorem dicit, scilicet Confessarium, qui sollicitationi consentit, sed ipse nullo modo sollicitat, non esse denuntiandum.

II. *Dubium IX.* et ejus Resolutio sonat: « An Confessarius sollicitatus, *si metu inductus sollicitationi consentit,* sit denuntiandus? Censuerunt, *esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.* »

1. S. Alphonsus, idem dubium perpendens, in n. 687. q. 8. supra allato, censet, talem Confessarium non esse denunciandum, « *quia tunc revera* » *esset sollicitatus, non sollicitans,* » juxta dicta n. 681. » – Ratio potissima pro hac sententia militans ea est, quam S. Doctor in cit. n. 681. adfert: « Et recte censetur, noluisse » Pontificem obligare poenitentes ad » denunciandum Confessarios, *quos* » *ipsi tentaverint,* ob magnam dif» ficultatem, quae deterreret poeni» tentes a denunciando in isto casu, » *quo peccatum ab ipsis causam ha*» *buerit:* tum quia, si denuntiarent, » *valde periclitaretur eorum fama;* » tum quia *lex nimis ardua tunc eis* » *redderetur.* »

2. Huic rationi assentitur etiam *Scavini,*[1] qui ad nonam Resolutionem S. Inquisitionis sequentia adnotat: « *Hoc tamen intelligunt* (Qualificatores), *si revera fieri possit, quin periclitetur poenitentium fama; quod valde timendum est, si ipsi poenitentes tantum sollicitaverint, nec mutua fuerit sollicitatio,* id est, si Confessarius primo sollicitatus et ipse postea non sollicitet; ut esset, v. gr., si poenitens turpiter tangat Confessarium, qui nihil dicat omnino, etsi libenter id permittat. Erit complicitas, *erit consensus; non tamen talis, ut poenitens sine sui diffamatione denuntiet.* »

3. Insuper attendenda est *novissima Instructio S. R. Inquisitionis,* data ad omnes locorum Ordinarios die 20. Februarii 1867.,[2] in cujus prooemio Emi Cardinales supremi Inquisitores dicunt: « Itaque neque inopportunum, neque ipsis locorum Ordinariis ingratum fore judicarunt, si quae contra eosdem abusus ab hac suprema Congregatione, ad tramites Sacrorum Canonum decreta fuerunt, in unum collecta prae oculis habeantur. » Et sub N. 2. legitur tenor *secundi Decreti de anno 1661.,* videlicet: « *2.* Denunciare oportet quem-

1) Cfr. Tom. 3. edit. Mediolan. 1865. n. 580. pag. 456. – 2) Vide *Acta ex iis decerpta....* Romae, Vol. 3. pag. 499.

cunque Sacerdotem, etiam jurisdictione carentem, sollicitantem in confessione; vel etiam poenitentis sollicitationi consentientem, *quamvis statim dissentientem* de turpi materia loqui, *illius complementum ad aliud tempus differentem*, et non praebentem absolutionem poenitenti. » — De *nono* autem Decreto, videlicet Confessarium sollicitatum, si *metu inductus* sollicitanti consentiat, denunciandum esse, *ibidem nulla fit mentio.* Quod merae inadvertentiae tribuere non licet. Utrum autem Emi Cardinales, hac deliberata omissione, nono Decreto derogare intenderint, altiorum judicio remittimus.

Articulus 2.

An, abstrahendo a Decreto secundo S. Inquisit. de anno 1661., sententia negativa jam ex Bullis Gregor. XV. et Bened. XIV. omnino improbabilis appareat.

I. *Perpenditur Bulla Gregorii XV.*

1. Gregorius XV. in Constitutione: *Universi Dominici gregis*, §. 4. mandat, ut severissime puniantur confessarii, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta perpetranda *sollicitare vel provocare tenuerint*, aut cum iis *illicitos et inhonestos sermones sive tractatus* habuerint. Et §. 7. mandat omnibus confessariis, ut suos poenitentes, *quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos*, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu, si praefertur, tractantes.

2. Cum Pontifex, in §. 4. de Confessariis poenitentes ad inhonesta perpetranda *sollicitantibus vel provocantibus* loquatur, et immediate eodem contextu addat: *aut cum illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint:* aperte supponit, istos sermones sive tractatus *Confessario processisse* ad seducendum poenitentem, non autem a poenitente ad Confessarium seducendum. Et sensus obvius alius non est, quam, puniendos esse Confessarios ad inhonesta sollicitantes vel provocantes; sive id directe fiat, sive indirecte, cum intentione sollicitandi per sermones vel tractatus, qui sua natura ad inhonesta provocant.

3. Clarius autem id adhuc patet ex §. 7., ubi Pontifex mandat Confessariis, ut moneant poenitentes, *quos ab aliis sollicitatos noverint*, de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu, ut praefertur, tractantes. Supponit ergo, etiam *Confessarium*, qui inhonestos sermones vel tractatus habuit, *indirecte saltem poenitentem sollicitasse.* Secus enim, in eodem contextu proposito, praecedens pugnaret cum immediate subsequenti.

4. Idem patet ex Prooemio Bullae Gregorianae: « Quoniam a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, quibusdam in locis provisum fuit, ut impium ac nefandum scelus, quod non solum inter Christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur: videlicet ut aliquis Sacerdos, ad sacras audiendas confessiones deputatus, sacrosancto Poenitentiae Sacramento, *sollicitando poenitentes ad turpia*, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, et ex coelesti medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirco Nos ea, quae his perniciosissimis diaboli insidiis arcendis, certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providenda duximus. » — Quomodo ergo dici potest, quod Sacerdos abutatur Sacramento Poenitentiae sollicitando ad turpia poenitentem, si idem Sacerdos ex hypothesi *nullo modo poenitentem sollicitat*, sed poenitens potius abutitur Sacramento ad sollicitandum Confessarium, quamvis hic tentationi succumbens consentiat?

5. Si satis esset, *illicitos et inhonestos sermones vel tractatus habere*, etiamsi Confessarius his sermo-

nibus vel tractatibus non sollicitet, nec intentionem sollicitandi habeat: denuntiandus esset etiam Confessarius, qui poenitentem peccatum contra sextum confitentem, sine ulla necessitate vel causa rationabili, studiose et minutim de circumstantiis examinat; sed ex prava curiositate et complacentia de hujusmodi rebus, sine ulla intentione sollicitandi, quinimo acriter increpat et ab hisce peccatis deterret mulierem, quae rubore potius suffunditur, quam ad libidinem provocatur. Revera enim sermones inhonestos et illicitos cum poenitente habet. Porro si Confessarius tractatus inhonestos permittit, nihil dicendo et poenitentem non reprehendendo, tacite quidem consentit; sed in hoc casu, nequidem secundum literam verificantur verba illa: « aut *cum poenitentibus* inhonestos tractatus habuerint. »

6. Tandem, cum in odiosis et poenalibus simus, locus hic est Regulae Juris, legem benignius esse interpretandam, et *restringendam* potius quam ampliandam. Interpretationem vero nostram ad minus satis probabilem esse, ex rationibus modo allatis patet.

II. *Examinatur Bulla Benedicti XIV.*

1. Benedictus XIV. in Bulla: *Sacramentum Poenitentiae*, omnibus locorum Ordinariis committit et mandat, ut diligenter inquirant ac procedant in omnes et singulos Sacerdotes: « qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis, in confessionali sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, *ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare,* sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut post legendam tentaverint, *aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint:* et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate et circumstantiis, severe animadvertant per condignas poenas, juxta memoratam Gregorii praedecessoris nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus... »

2. Deinde pergit Pontifex: « *Meminerint praeterea omnes et singuli Sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari, suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere, juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis praedictis personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit.* »

3. Claris ergo et disertis verbis, Benedictus XIV. obligationem Confessarios denuntiandi *ad Confessarios sollicitantes* restringit. Primo enim dicit: « *quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos* »; quibus verbis confirmat, quae Gregorius XV. hac ratione statuerat. Ne autem de sensu ulla dubitatio remaneat, paulo post expressis verbis addit: « *personam quae sollicitationem commiserit.* » — Nec ex verbis subsequentibus: « *etiamsi sollicitatio inter Confessarium et poenitentem mutua fuerit* », contrarium inferre licet. Nam Confessarius simpliciter inhonestis propositionibus, actibus vel sermonibus *consentire* potest, quin ullo modo ex sua parte mulierem *sollicitet,* ad

turpia provocet vel animet. Si autem nullo modo sollicitat, quo pacto sollicitatio *mutua* dici potest?

4. De mutua sollicitatione mulieris sollicitantis et Confessarii sollicitati, in illis tantum casibus sermo esse potest, ubi Confessarius ab initio dissentit, at postmodum ipse sollicitat, vel mulierem ad aliam turpitudinis speciem provocat. – Cumque aliqui Auctores affirmaverint, etiam in hisce casibus nullam esse obligationem denuntiandi Confessarium, Pontifex hanc opinionem reprobavit; ut recte dicit S. Alphonsus. [1] Sollicitans et complex non unum idemque est; et Benedictus XIV. utrumque bene distinguit in Bulla: *Apostolici muneris,* ubi omnibus Sacerdotibus interdixit, ne aliquis eorum confessionem sacramentalem *personae complicis* in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso, excipere auderet; sine discrimine, utrum Sacerdos sollicitans, an sollicitatus fuerit. Unde S. A. (cit. num. 681.) sapienter concludit: « Quando autem cooperatio Confessarii dicenda sit *simplex consensio* aut etiam *mutua sollicitatio,* id pendet a circumstantiis sermonis et tractatus, qui inter Confessarium et poenitentem intercedunt. »

5. In quantum denique, in eadem Constitutione, Decreta S. Inquisitionis de anno 1661. confirmantur, haec confirmatio nihil probat: quippe quod haec Decreta a Pontifice simpliciter commemorentur, sed non explicentur, et ideo, si de eorum sensu dubitatur, eo potius sensu interpretanda sint, qui cum ipsa Constitutione concordat.

Articulus 3.

An S. Alphonso vitio verti possit, quod Decreta S. Inquisitionis de anno 1661. non noverit.

1. *Omnes Theologi et Canonistae usque ad S. Alphonsum,* praedictum Decretum *secundum* S. Inquisitionis de anno 1661. similiter *non noverunt.* Etenim, solo Cardinali *Albitio* excepto, nullus ejusdem Decreti mentionem facit.

2. Imo *Lucius Ferraris,* qui in prompta sua Bibliotheca, Constitutiones apostolicas nec non Decreta, Resolutiones et Decisiones Sacrarum Congregationum, stupenda diligentia et opera collegit, nihilominus hoc Decretum ignoravit. Dicit enim V. *Confessarius,* Art. 5. n. *32.*: « Item, propter eamdem rationem, Rossignolus, Lezana, Peyrinus, Bonacina, Sanctorellus, Sanctius, Homobonus, Donatus, Thomas Hurtadus, Portelus, Castropalaus, Freita, Bossius, Delbene, et alii citati, licet non secuti a Felice Potestate, *defendunt, quod Confessarius, feminae sollicitanti consentiens, non sit denuntiandus;* quia Bulla loquitur solum de Confessariis *sollicitantibus,* qualis non est iste. Nec consensus per ipsum praestitus feminae sollicitanti, constituit illum reum sollicitationis activae, sed reum passivae culpabilis; poenae autem inflictae contra sollicitantem activum non extenduntur ad passivum, argument. in citatis Juribus, supra n. 5. et 7. – *33.* Diana autem, Leander, Felix Potestas, Fagundez et alii tenent, talem Confessarium esse denuntiandum; quia, licet de ipso non verificetur, quod sit sollicitans, sed sollicitatus, verificatur tamen de ipso, quod cum poenitente habeat illicitos et inhonestos sermones seu tractatus, praetextu seu occasione confessionis: quod sufficit pro debito ipsum denuntiandi, ex praecisis verbis d. Gregorianae Constitutionis, ibi: *Aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint.* At vero primae negativae sententiae patroni, inter alias responsiones dicunt, talia verba seu tales tractatus intelligenda seu intelligendos esse, *quando ortum habuerunt ab ipso Confessario:* quod

1) In n. 681., in principio Quaestionis relato.

colligitur ex contextu verborum; nam Bulla dicit, denunciandos esse illos Confessarios, qui poenitentes sollicitare aut provocare tentaverint, aut cum eis, hoc est poenitentibus, illicitos aut inhonestos sermones seu tractatus habuerint. Ly autem *Cum eis*, cum sit sermo continuatus, habet connexionem cum praecedentibus, quae indicant *tentamentum factum a Confessario*, et propterea important *sermonem seu tractatum inductum in origine ab eodem Confessario:* quod non verificatur in hoc casu, cum talis illicitus aut inhonestus sermo seu tractatus inductus sit in origine a poenitente sollicitante, et non a Confessario sollicitato. »

2. Nec mirum est, quod Auctores praefata Decreta ignoraverint; nam Collectio authentica Decretorum S. Officii non existit; et quamvis Cardinalis Albitius, qui ipse praedictas quaestiones in S. Congregatione proposuerat, responsiones in libro suo: *De inconstantia in fide* attulerit, opus hoc in paucorum notitiam pervenit, brevi in oblivionem abivit, et extra Urbem raro in aliqua bibliotheca reperietur;[1] secus certo non fugisset diligentissimum scrutatorem et compilatorem, qualem Lucius Ferraris se exhibet. – Unde facile est ad explicandum, cur praedictum Decretum *omnibus Theologis delituerit;* donec recentiori tempore *P. Ubaldus Giraldi*, in Opere: *Expositio Juris Pontificii*, Romae 1769, et novissime *Scavini*, idem Decretum denuo produxerunt et publici juris fecerunt.

EX PRAEMISSIS ITAQUE CONCLUDIMUS:

I. S. Alphonsus censet, *denuntiandum non esse Confessarium*, qui, *nullo modo sollicitans*, mulieri sollicitanti vel simpliciter consentit, vel eidem consentit ob metum ab illa incussum.

II. Huic autem sententiae negativae cl. Ballerinius objicit tum Constitutiones Gregorii XV. et Benedicti XIV., tum duplex Decretum S. Inquisitionis, secundum scilicet et nonum, de anno 1661.

III. Hisce tamen non obstantibus, salvo meliori judicio, doctrinam S. Alphonsi improbabilem non censemus. Etenim 1. *Gregorius XV.* et *Benedictus XIV.* aperte supponunt *sollicitationem, saltem indirectam, ex parte Confessarii*, et non merum ejusdem consensum in sollicitationem ipsius poenitentis. – 2. In *Decreto secundo* S. Inquisitionis, non mere agitur de Confessario simpliciter consentiente; sed de alio casu, in quo Confessarius consentiens statim quidem dissentit, nec absolvit, sed eum in finem ne poenas incurrat, et idcirco pravam actionem ad aliud tempus, extra confessionem complendam, remittit: quo in casu, dum prava committitur actio, vix abesse potest *mutua* sollicitatio, occasione confessionis habita. – 3. Quoad *nonum* vero Decretum advertere sufficiat, ejusdem nullam prorsus mentionem fieri in novissima S. Inquisitionis Instructione de anno 1867, dum *secundum* ibidem expresse commemoratur.

IV. *Rationes* autem a S. Doctore pro negativa sententia allatae, solidae et convincentes videntur; iisdemque utitur Scavini, in explicando S. Inquisitionis praefato Decreto nono. – Etenim, cum in casu supposito, solus poenitens sollicitaverit, ad denuntiationem vix obligari posset, *quin propria ipsius fama gra-*

1) In Causa de Doctoratu S. Alphonsi, doctissimus Defensor *(Respons. §. 3to. pag. 140.)* hac ratione advertit: « Quin imo suspecta fides erat *Albitii* ipsius, cujus opus, Amstelodami editum, parum abfuit, quin in vetitorum librorum Indicem recenseretur. Sane in Bibliotheca Casanatensi, titulus memorati operis *cruce duplici* notatur, quasi eminenter prohibitum, et Fratres librorum distributores in pag. 1. gravibus his verbis monentur: *Non sidia* (non detur). » — In fronte alius exemplaris dicti Operis, quod prae oculis habemus, similiter sequens legitur monitio: « *Spectat ad S. Officium.* »

viter periclitaretur; hinc recte censet S. Alphonsus, Pontificem noluisse hujusmodi poenitentes obligare ad denuntiandum Confessarios ab ipsis sollicitatos. Accedit, quod, cum certum non sit casum propositum praefatis Constitutionibus et Decretis comprehendi, valeat regula, in odiosis et poenalibus legem esse restringendam, non ampliandam.

V. Quidquid sit de hac nostra interpretatione, quam altiori judicio plane remittimus, certum est, *S. Doctori nullatenus vitio verti posse,* quod Decreta de anno 1661. ignoraverit: secus omnes alii Canonistae et Theologi, istis Decretis posteriores, similiter ignorantiae vel negligentiae damnandi essent.

QUAESTIO XXI.

Quid debeat agere Confessarius cum poenitente, de quo certe cognoscat aliquod peccatum, quod ille non confitetur.

(S. Alph. Lib. VI. n. 631. — P. Ball. Tom. II. n. 619.)

Lib. VI. n. 630. S. Alphonsus textum allegat Busembaumii, qui quaestionem proponit de Confessario, cui evidenter constat peccatum poenitentis, quod hic negat. - Ad uberiorem vero ejusdem quaestionis explicationem, S. Doctor *num. 631.* sequentia addit: « Diligentius hic videndum, » quid debeat agere Confessarius cum » poenitente, de quo sciat vel suspicetur aliquod peccatum, quod ille » non confitetur. Distinguendum: Si » sciat *extra confessionem,* et noverit *ex propria scientia,* puta furantem aspiciendo, vel audiendo » blasphemantem; sine dubio non debet absolvere, si ille negat: modo » non adsit prudens dubium, an alteri fuerit confessus, vel justam » habeat causam tacendi; ita communiter omnes cum Busembaum, » Laymann, Suarez, Lugo, Concina, » Sporer, Mazzotta, Viva, Elbel, » Holzmann, et alii passim. - Si vero » Confessarius id habet ex suspicione, vel *ex aliorum relatione,* dicunt etiam communiter Suarez, » Laymann, Holzmann, Sporer et » Mazzotta, quod post diligentem interrogationem, regulariter debet » absolvere negantem; tunc enim putare debet, quod ille, aut fuerit » peccati oblitus, aut alteri confessus, vel quod habeat justam causam » reticendi, aut relatores deceptos » fuisse; quia in hoc foro (ut docent » omnes cum D. Thoma), omnino » poenitenti credendum est, tam pro » se, quam contra se. *Sed non alienum a ratione mihi videtur id » quod dicit Elbel, nempe, quod si » Confessarius notitiam habeat alicujus peccati ex certa relatione » aliorum, tunc non posset absolvere poenitentem illud negantem;* » revera enim, si istius crimen mihi » referrent *testes tam graves,* qui de » eo me redderent *moraliter certum,* » et ex alia parte certus essem quod » poenitens non potuerit oblivisci, » nec ullam causam reticendi habeat, » tunc non auderem huic absolutionem impertiri: nam regulam illam, » *quod credendum sit poenitenti, » dico procedere quidem in re dubia, » non vero in re moraliter certa:* » moralis etenim certitudo vera certitudo est.

» Si autem Confessarius noverit » peccatum *ex confessione alterius,* » tunc utique non poterit specialiter » poenitentem de illo interrogare, » nisi expressam ab illo altero licentiam habeat, sed tantum poterit

» generatim interrogare; et in hoc » dico, quod Confessarius non sit ni- » mius in interrogationibus repeten- » dis, quia in hoc etiam esset peri- » culum revelationis. Ita communi- » ter Laymann, Sporer, Busem- » baum, etc. ut supra. Non improba- » biliter tamen dicunt Navarrus cum » Sylvestro, et Laymann, Sporer ac » Holzmann, quod si aliquod pecca- » tum sit commune talibus personis, » possit de eo speciatim interrogare; » prout in sponsis, commune est pro- » labi in tactus inhonestos, vel sal- » tem in pravas cogitationes. - *An* » *autem possit Confessarius, casu,* » *quo complex se confitens neget* » *peccatum, illum absolvere?* Affir- » mant posse et debere Lugo, Ana- » cletus cum Gobat et Herincx, ac » Diana. Elbel autem censet, debere » absolvere sub conditione. *Sed me-* » *lius, meo judicio, sentit Croix,* » *citans Suarezium, Dicastillum et* » *Illsung, quod eo casu nullo modo* » *absolvat, sed tantum aliquid oret* » *ad occultandam negationem abso-* » *lutionis. Et huic adhaeret Viva,* » dum dicit quod, cum Confessarius » prudenter judicat poenitentem sa- » crilege negare peccatum, non de- » bet eum absolvere. »

Ex citato textu patet, S. Alphonsum in solvenda hac quaestione, distinguere inter certam cognitionem habitam *extra confessionem,* scilicet *ex relatione certa aliorum,* et notitiam certam *ex confessione alterius,* speciatim complicis. Utramque vero solutionem impugnat P. Ballerini, et iterum affirmare non dubitat, eam deberi S. Doctoris hallucinationi, utpote fallacibus allegationibus innixam.

Itaque duplicem hanc quaestionem et nos sedulo examinabimus, sequendo ordinem quo cl. Professor eam exponit, seu potius falso pertractat.- Sit ergo

---

1) In altera edit. pag. 417.

Articulus 1.

De certa cognitione peccati a Confessario habita, ex confessione alterius, speciatim complicis.

P. Gury, T. II. n. 619. pag. 517.,[1] in eadem quaestione citat verba S. Alphonsi supra relata: « Melius, meo » judicio, sentit *Croix,* citans *Sua-* » *rezium, Dicastillum* et *Illsung,* » quod eo casu nullo modo absolvat, » sed tantum aliquid oret ad occul- » tandam negationem absolutionis. » Et huic adhaeret *Viva...* »

Hanc vero S. Doctoris sententiam impugnat P. Ballerini, dicens: « *Pri-* » *mus hanc opinionem ac praxim* » *invexit Illsung* (Tract. 6. disp. 6. » q. 4. art. 7. §. 4. n. 128.), *innixus* » *fallaci allegationi Suarezii, qui* » (De Poenit. disp. 32. sect. 3. n. 9.) » *imo docet oppositum. Ab Illsung* » *eandem mutuatus est Croix* (Lib. 6. » part. 2. n. 1969.) *cum ficto Suare-* » *zii suffragio, addens ex inadver-* » *tentia allegationem Dicastilli,* » *quem Illsung in alium scopum ci-* » *taverat. His S. Alphonsus* (n. 631.) » *adjunxit Vivam, qui* (De Poenit. » q. 8. art. 5. n. 2.), *licet Suarezii* » *et Lugonis sententiam minus exa-* » *cte referat, illi tamen opinioni* » *nullatenus adhaeret. Ista opinio* » *igitur tota debetur hallucinatio-* » *ni, quae perperam Suarezii, Di-* » *castilli, et Vivae auctoritatem ad-* » *duxit.* »

Ante omnia, occurrendum est perversae interpretationi sententiae S. Alphonsi. - Dum S. Doctor quaestionem movet: « *An autem possit* » *Confessarius, casu, quo complex* » *se confitens neget peccatum, illum* » *absolvere?* » supponit, Confessarium *moraliter certum esse,* poenitentem mentiri et sacrilege negare. Quod patet, tam ex quaestione a Busembaumio proposita, quam ex contextu. Si enim S. A. antea dixerat, Confessarium, qui poenitentem furantem aspexerat vel blasphemantem audie-

rat, nihilominus absolvere debere, si adsit prudens dubium, an non alteri confessus sit, vel justam habeat causam tacendi: a fortiori idem supponit, quando Confessarius peccatum poenitentis, non propria experientia, sed ex confessione complicis rescivit. - Porro si antea dixerat, Confessarium moraliter certum de peccato ex relationibus aliorum, nihilominus poenitentem absolvere debere, nisi simul certus sit, quod poenitens non potuerit oblivisci, nec ullam causam reticendi habeat: idem sine dubio supponit quoad notitiam, quam Confessarius habet ex confessione complicis. Insuper idem ex eo patet, quia S. A. se cum Lacroix sentire dicit; hic autem casum ponit, in quo Confessarius moraliter certus est, poenitentem sacrilege negare, ut infra videbimus.

Qua explicatione praemissa, ad objectiones P. Ballerinii accedamus. Totam istam opinionem *hallucinationi* deberi, dicit; sed qui hallucinatur, alius revera non est quam ipse cl. Professor. - Itaque, I. Vindicabimus *Auctores* ab ipso impugnatos; II. *Alias Auctoritates* adducemus; et III. *Rationes* intrinsecas pro sententia S. Alphonsi militantes exponemus.

I. Ad Auctores quod attinet a cl. Ballerinio impugnatos,

1. Audiamus primo loco *Suarium*, qui, testante Ballerinio, « *docet oppositum.* » - *Suarez, S. J.*, [1] dicit: « Ultimo quaeri potest, quid aget Confessor, si poenitentem videat non solum tacere aliquod peccatum, quod *evidenter scit* illum commisisse, sed etiam, postquam interrogatus est, illud in confessione *negare*. Videtur enim teneri ad absolvendum illum; quia juxta communem regulam et doctrinam D. Thomae, [2] quam fere Auctores citati sequuntur, in hoc foro credendum est poenitenti, tam pro se, quam contra se loquenti; et in omni judicio, debet judex judicare secundum allegata et probata, et non juxta privatam scientiam: hic autem tota allegatio et probatio consistit in dicto poenitentis. - Respondetur: REGULARITER *standum esse confessioni et dicto poenitentis;* unde quantumcumque Confessor sciat peccatum poenitentis, ex aliorum relatione, tenetur in hoc judicio, magis credere ipsi poenitenti, propter rationem factam. Deinde, si ipse Confessor suis oculis vidit peccatum, et probabiliter existimare possit, poenitentem esse confessum alteri illud peccatum, potest dissimulare, et credere ideo tunc negare illud, quia non tenetur iterum illud confiteri. *Si autem omnino sit evidens, illum mentiri* contra integritatem confessionis, *non tenetur ita stare dictis poenitentis,* ut non possit uti scientia sua, ad convincendum et redarguendum ipsum poenitentem: praesertim quia, licet in externo et publico foro, necessaria sit scientia publica proportionata, in hoc foro secreto, et ad bonum ipsius rei ordinato, scientia privata ipsius Confessoris utilis esse potest. Unde, si evidenter videat illum esse indispositum, non debet illum absolvere, quidquid ille dicat; *idem ergo erit, si evidenter videat non integre confiteri.* »

Nequaquam ergo Suarez oppositum docet, scilicet absolvendum esse complicem, qui evidenter sacrilege peccata commissa negat. Ad quaestionem propositam respondet, *regulariter* standum esse dicto poenitentis, sive Confessarius quantumcumque ex aliorum relatione peccatum noverit, sive suis oculis viderit. Deinde vero exceptionem ab hac regula statuit: « *Si autem omnino sit evidens, poenitentem mentiri, non tenetur ejus dictis stare.* » Et demum concludit: « Unde si evidenter videat illum esse indispositum, non debet illum absolvere, *quidquid ille dicat:* idem ergo erit, *si evidenter videat non inte-*

1) Disp. 32. sect. 3. n. 9. — 2) Quodlib. 1. art. 12.

gre confiteri. » Nec excipit casum, quo Confessarius peccatum ex confessione complicis novit; dummodo evidenter videat, poenitentem non integre confiteri. Utique in hoc casu, poenitentem directe et speciatim interrogare nequit, nec directe absolutionem ipsi denegare potest, quia secus sigillum laederetur aut periculo laesionis exponeretur. Si autem hoc periculum quomodocunque evitari potest, certum est, ex sententia Suarii, Confessarium non debere absolvere poenitentem evidenter non integre confitentem.

2. Audiamus secundo loco *Jacobum Illsung, S. J.,* qui [1] sic scribit: « Utilissimam, pro coronide hujus materiae de integritate materiali, subnecto quaestionem, quam proponit et resolvit Suarez. [2] » Deinde verbotenus citat hunc Suarii textum, modo a nobis allegatum; et pergit dicens:

« *N. 128.* Ex quo patet, quid respondendum sit ad casum, qui, ut nullus dubito, non uni Confessario contigit. Confessus est sponsus et sponsa, nuptias contracturi; uterque asseruit, ultimam confessionem a se peractam esse in paschate, et quia ambae erant personae rudes, interrogavit Confessarius utramque, an non post contracta sponsalia, a tempore ultimae confessionis se mutuo usi sint, sicut conjuges, atque fornicati: cum frequenter id soleat contingere; *fassus est sponsus,* non semel, sed saepius id esse factum. *Deinde sponsa omnia negavit.* Confessarius, cum, salvo sigillo prioris confessionis, non auderet illam ulterius urgere, secum cogitavit, forsitan putare illam, propter praecedentia sponsalia de futuro, jam sibi licitum esse usum corporum; et sic sub tacita conditione absolvit. - Cum paulo post, idem casus rursum accideret, et sponsa similiter negaret plures fornicationes, quas sponsus ab eodem tempore fassus erat, a quo sponsa ultimam confessionem fecerat; interrogavit Confessarius sponsam, an si hujusmodi rem fecisset, ipsa sciret, quod esset grave peccatum, et illud confiteri teneretur. Illa hoc se bene scire affirmavit. Hinc non amplius patebat ullum effugium. Certum enim erat, quod sponsus non fuisset se accusaturus, si illas fornicationes cum sponsa non commisisset. Certum erat, quod sponsa interea non fuerit confessa. Certum denique erat, quod per ignorantiam invincibilem, non posset excusari a gravitate peccati: consequenter, *quod sacrilege peccatum mortale reticeret.* Cogitabat itaque Confessarius, si sponsam sine absolutione dimitteret, et illius loco recitaret tacite Oratiunculas: *Misereatur tui,* etc. *Indulgentiam, absolutionem* etc. (quas multi Confessarii absolutioni praemittere solent; sicut Sacerdos in Missa, confessioni generali easdem subjungit, et sicut etiam parvuli, qui nondum capaces sunt absolutionis, neque a Confessariis capaces reddi possunt, communiter his precatiunculis super illos dictis, dimittuntur sine absolutione sacramentali), quod hac ratione, neque ageret contra sigillum prioris confessionis: cum ipse usus scientiae inde perceptae, nullo modo cederet in praejudicium prioris poenitentis, et poenitens posterior eum usum nullo modo adverteret, utpote putans, se absolutionem sacramentalem accepisse; et quod neque etiam huic poenitenti ullo modo obesset: etiamsi enim putaret, sibi fuisse datam absolutionem, sciret tamen absolutionem fuisse nullam et invalidam, proinde se teneri, omnia peccata mortalia rursum confiteri. Consequens ergo erat, *potuisse et debuisse Confessarium dicto modo negare absolutionem,* ne indigno ac incapaci scienter illam impertiret. »

« Si enim probabilis est sententia *S. Thomae,* [3] et aliorum communiter docentium, [4] quod Sacerdos uti possit

1) Tr. 6. disp. 6. n. 127. — 2) Loco cit. — 3) 4. dist. 9. q. 1. art. 5. q. 1.

4) S. Thomas et antiquiores communiter eamdem sententiam utique tenuerunt; verum *S. Alphonsus* lib. 6. *n. 658.* observat: « Haec sententia (negativa) hodie omnino est tenenda,

et debeat scientia confessionis, ad negandum ipsi poenitenti, non absoluto propter perseverantiam voluntatis in gravi peccato, Sacramentum Eucharistiae, si id nemine altero praesente petat, etiamsi poenitens advertat, Confessarium uti scientia confessionis, uti fusius ostendam, acturus de sigillo confessionis; multo magis et ad minimum tunc utendum est hujusmodi scientia, si id neque poenitens, neque ullus alius advertat, neque ulli in praejudicium cedat, si adeoque absque violatione sigilli confessionis fieri possit. Itaque in hoc casu censeo, locum habuisse responsionem allatam ex *Suarez*, juncta doctrina nostri P. Joannis *Dicastillo*,[1] ubi ait: Quod aliquando Sacerdos, audiens confessiones in aliquo publico loco, coram circumfusa multitudine poenitentium, *possit simulare, se tunc absolvere poenitentem*, cui vel negat, vel differt absolutionem, sive dicendo submissa voce formulam deprecationis: *Misereatur tui*, etc., aut alias preces: *quo jure prohibeatur, non satis apparere videtur*. At si forma sacramentalis ficte et absque intentione proferretur; hanc simulationem merito improbat citatus Auctor, quia hoc cederet in gravem irreverentiam Sacramenti. »

Recte igitur et fideliter Suarium allegat *Illsung*, atque ea tantum ratione allegat, quatenus *Suarez* docet, Confessarium non debere absolvere poenitentem, *si evidenter videt, ipsum integre non confiteri;* et ex hac doctrina necessario concludi oportet, in casu proposito sponsam non esse absolvendam, quia *evidens est, ipsam non integre confiteri*. – Nec obstat sigillum; si enim negatio absolutionis *recitatione aliarum orationum* occultatur, sigilli violatio ejusque periculum omnino evitatur. Cum autem quis objicere posset, *simulationem* Sacramenti non licere, *Dicastillum* interpellat, quatenus ad occultandam absolutionis negationem, eamdem praxim observandam esse docet. Ceterum non tantum Dicastillus, sed etiam alii DD., et quidem communiter hanc praxim admittunt.

3. *Lacroix, S. J.*,[2] dicit: « *Si sponsus fassus sit* multas fornicatio-

» ex supra citato decreto Innocentii XI., ubi vetatur quilibet notitiae confessionis usus, ex » quo sequatur qualecumque poenitentis gravamen. » — Sed idcirco non omnem quemcumque usum reprobat. Etenim *n. 657.* S. Doctor scribit: « *Communiter* tamen admittunt, *posse* » *Confessarium uti notitia confessionis*, ad se cautiorem reddendum in re familiari, ad » socordiam excutiendam, ad diligentius invigilandum super gregem suum: *modo nulla* » *detur aliis suspicio peccati, neque ex hoc poenitens gravetur vel implicite redarguatur:* ita Habert, Antoine, Palaus, Viva, Sporer, et Bonacina cum Soto, et Reginaldo ex » D. Thoma, qui ait: *Potest* (Confessarius) *dicere praelato, quod diligentius invigilet* » *super gregem suum; ita tamen quod non dicat aliquid, per quod verbo vel nutu* » *confitentem prodat*. Omnia vero haec P. Concina absolute negat licere; dicens, quod » Confessarius in omnibus se gerere debeat, ac si penitus ignoraret quae ex sola confessione » dignoscit. Nulli dubium, quod in praedictis actibus, quam maxime caute Confessarius » procedere debet: cum difficile sit, in his omne periculum evitare vel revelationis vel gravaminis poenitentis. — *Caeterum generalis regula est, fere ab omnibus recepta, licitum* » *esse uti notitia confessionis, ubi nulla revelatio intervenit, nec ullum poenitenti gravamen infertur;* ita Sanchez, Lugo, Habert, Suarez, Viva, Antoine, Mazzotta, Holzmann, » et alii communiter; atque ipse Concina praefatam regulam admittit, inquiens posse Confessarium uti notitia confessionis, tum ad reformandos proprios mores, tum ad servandam propriam vitam, quando duo concurrunt, nempe si secretum custoditur, et confessio » odiosa non redditur. — Quapropter Holzmann, Antoine, Mazzotta, Viva, etc. communiter » admittunt, bene posse Sacerdotem ex notitia confessionis orare pro poenitente, vel benignius erga ipsum se gerere; item consulere libros et sapientes, rigorem temperare, ex » confessione unius dirigi ad alios interrogandos vel instruendos, nullam tamen dando prioris confessionis suspicionem; item (ut ait Holzmann cum Stoz) posse se praecavere a periculis et occasionibus damni spiritualis aut temporalis. Et sic pariter dicit Bonacina cum » Navarro, Reginaldo, Zerola, etc., posse monere etiam alios, in genere tamen loquendo, » nempe ut sibi caveant, ne exeant e domo, etc., semper tamen secluso omni periculo revelationis vel gravaminis poenitentis. »

1) Tr. 4. de Sacr. Euch. disp. 9. dub. 21. n. 491. — 2) Lib. 6. p. 2. n. 1969.

nes, a se cum sponsa commissas a paschate; *et sponsa,* dicens se in paschate ultimo confessam, *neget omnes,* sciens tamen fornicationes tales esse peccata, *absolvi non debet, sed dissimulanter super eam dici: Misereatur,* etc.; quia nec per hoc revelatur peccatum sponsi, nec hoc affert ullum incommodum sponsae, quae nihilominus deberet peccata illa, et hanc confessionem suo tempore repetere: Pastor vero, omnia dissimulando, assistat eorum matrimonio. *Suarez, Dicastillus, Illsung,* n. 128.»

Ideoque Lacroix non dicit, Patrem Illsung, *secundum Suarez et Dicastillum,* putare, in casu proposito alias orationes esse recitandas, omittens suum judicium de hac opinione pronuntiare. Nec dicit, hanc opinionem probabilem esse, propter auctoritatem istorum Doctorum. Sed *suam propriam sententiam, distincte et praecise pronuntiat:* « Absolvi non debet, sed dissimulanter super eam dici, etc. » Imo ex suis addit: « Pastor vero, omnia dissimulando, assistat eorum matrimonio. » — *Dicastillum* non ex inadvertentia, sed eadem, qua P. Illsung, ratione citat; quatenus scilicet Dicastillus docet, Confessarium sine simulatione orationem deprecatoriam recitare posse. Nec opus erat, ut hoc longe lateque explicaret, cum breviter tantum hanc quaestionem pertractet. Etiamsi autem Lacroix errasset, et nequidem Patrem Illsung recte allegasset, nihilominus sententia, quam ut suum proprium judicium profert, idcirco non esset rejicienda; et falsam esse hanc methodum, quam P. Ballerini saepissime contra S. Alphonsum adhibet, jam satis demonstravimus.

4. *Viva, S. J.,* a S. Doctore non citatur, quasi adhaereret quoad methodum, quam Illsung et Lacroix proponunt; sed tantum, *quatenus tenet, poenitentem nullo modo absolvendum esse.* - Viva namque loco cit.[1] idipsum dicit quod S. A. ipsi tribuit: « *Quod si prudenter judicet Confessarius, poenitentem negare ex erubescentia, quam superare nolit, atque adeo ex malitia,* docet Suarez,[2] et Lugo,[3] *absolvendum non esse, cum sit indispositus.* Neque dicas, in judicio debere judicem judicare secundum allegata et approbata, non vero juxta privatam suam scientiam; et in judicio sacramentali credendum esse poenitenti, sive pro se, sive contra se loquatur. Nam hoc est verum, quando aliunde non constat Confessario poenitentem esse indispositum; ut alibi ostendimus ex Prop. 60. damnata ab Innocentio XI. »

II. Sunt autem alii Auctores, S. Alphonsi coaevi, qui praxim, quam primus Illsung proposuit, sibi vindicaverunt.

1. *Babenstuber*[4] exposito casu, quem Illsung habet, et ejus resolutione, dicit: « Ita Illsung, l. c. n. 128. Aliter respondet Gobat[5] apud eundem Illsung, negando, Confessarium potuisse hanc sponsam fornicationes commissas constanter negantem dimittere sine absolutione. Ratio ipsius est, tum quia, denegando absolutionem, revelasset peccata sponsi; tum quia, esto non revelasset, non tenebatur magis credere sponso quam sponsae. Addit vero, si extra confessionem complicis Confessarius certo cognovisset, mulierem mentiri, debuisse dimittere inabsolutam: quia nempe tunc evidenter fuisset indigna absolutione. - Verum, quod hac ratione Confessarius non revelaverit ullum peccatum sponsi, ex dictis sufficienter colligitur. Deinde non apparet, unde certius cognoscere potuerit, sponsam mentiri, quam ex sponso se ipsum fide sacramentali accusante de criminibus, quae commisit cum sponsa complice. Accedit, quod

1) De poenit. q. 8. art. 5. n. 2. — 2) Disp. 32. sect. 3. — 3) Disp. 22. sect. 2. — 4) De poenit. art. 5. §. 4. n. 44. — 5) Tr. 7. n. 245.

non videatur ullatenus credibile, sponsum sine ulla causa accusasse sponsam, seque privare voluisse fructu sincerae confessionis. Itaque contra sponsam praesumptio est, quod, sacrilego pudore occaecata, negaverit peccata a se commissa. *Quare existimo, priorem resolutionem esse praeferendam.* Salvo tamen meliori judicio. »

2. *Henno* [1] quaestionem proponit: « Quid agere debeat Confessarius, ubi advertit, sponsam non se accusare de peccatis cum sponso commissis, si id tantum noverit ex confessione sponsi? » – Respondet, posse et debere ipsam caute examinare, sicut examinare solet in similibus personas ejusdem sexus, conditionis, dispositionis, etc.; et pergit:

« Sed quid, si, non obstante Confessarii examine, semper reticeat peccata illa? Volunt aliqui, esse absolvendam; *sed crediderim ego, imposita poenitentia, solam dandam esse benedictionem,* dicendo: *Misereatur tui,* etc., quasi daret absolutionem, nullatenus tamen declarando ipsi suam indispositionem, nec prohibendo Communionem, quia esset revelare complicis confessionem. Sic enim consulitur Sacramento, nec nocetur poenitenti, cum absolutio tunc foret ipsi magis nociva quam proficua. Utitur quidem tunc Confessarius notitia confessionis, sed sine poenitentis rubore, cum id ignoret, et etiam sine ullo ipsius gravamine, ut jam diximus. Ubi tamen Confessarius, audiendo confessionem sponsi, id timeret, posset a sponso licentiam necessariam exigere. »

3. Similiter scribit *Reuter, S. J.*[2]: « Si Confessario constet *ex confessione alterius,* commisisse certum peccatum poenitentem, quod nec confessus sit nec modo confiteatur, ut si sponsus confiteatur, se a Paschate confessum non esse, fornicatum autem esse cum sua sponsa post Dominicam in albis; haec dein pariter dicat, se a Paschate confessam non esse, de fornicatione autem mentionem non faciat; potest Confessarius more consueto eam examinare circa ea, quae ejusmodi interrogari solent, v. gr., an ipsam nil ultra angat, an nihil contigerit post contracta sponsalia, quod conscientiam gravare possit: quia ex scientia illa etiam sacramentali, non amisit Confessarius jus interrogandi modo ordinario; quod addo, quia ad examen extraordinarium illa uti non licet. – At si sponsa neget peccatum illud, quid agendum sit Confessario, controvertunt Auctores. *Gobat* [3] et alii putant, absolutionem dandam esse sub conditione, eo quod non minorem fidem mereatur, quam complex peccati, adeoque jus ad absolutionem habeat. Admittunt hoc alii, si sit ratio prudens excusandi, eo quod non recordetur, forte illud factum esse post ultimam confessionem, aut ex ruditate sua putet inculpabiliter licere copulam, eo quod, uti quandoque dicunt, existimarit se jam coram Deo esse conjugem, etc. Si vero tale judicium formari non possit, sitque Confessarius *certus,* quod peccatum illud clavibus non fuerit subjectum, *recte tenent, absolvendam non esse;* sed praevia admonitione ordinaria de matrimonio digne ineundo, utpote ex quo pendet pars magna felicitatis in eo expectandae, deque diligenti praeparatione, dicto: *Misereatur..., sine absolutione,* insciam, non datam esse, *dimittendam:* ne Sacramentum administretur invalide; tum quia potius accusanti se cum sui confusione, quam neganti forte ex pudore, credendum est; tum quia Confessarius, dando absolutionem, ei nihil prodest, nullumque ei commodum, nec confusio inde oritur. »

4. *Voit, S. J.,* [4] eumdem casum de sponsa proponit; et ad quaestionem [5]: « An et quomodo absolvendus sit talis

1) De poenit. disp. 10. q. 8. — 2) *Neo-Confessarius* (Colon. Agripp. 1758.) p. 1. c. 8. n. 36. — 3) Ex inadvertentia Gobat pro hac sententia citatur; quippe qui tenet, poenitentem absolute esse absolvendum. — 4) De poenit. n. 877. — 5) Ibid. n. 878.

poenitens? » sic respondet: « Si Confessarius adhuc dictamen possit formare, quod poenitens non ex malitia neget peccatum, vel non putaverit esse peccatum, vel jam confessus forte fuerit, regulariter debet saltem sub conditione absolvi: si sis dispositus; ex rationibus supra datis. Dixi iterum: *regulariter;* nam si Confessarius *evidenter sciat,* quod poenitens malitiose neget peccatum, *non potest eum absolvere;* quia nefas est ministrare Sacramentum ei, quem evidenter scio indignum. » - Deinde [1] quaestionem movet: « Sed quomodo in praxi, Confessarius dimittet poenitentem sine absolutione, ne ex negatione illius violetur sigillum? » et respondet cum Lacroix: « *Dissimulanter super poenitentem dicat:* Misereatur tui, etc., *dataque benedictione, dimittat illum.* Si poenitens quaerat, an absolutionem dederit, dicat Confessarius: Feci officium meum, ne dubita; per hoc enim nec revelatur peccatum sponsi, nec hoc affert ullum incommodum sponsae, quae nihilominus debet illa peccata et hanc confessionem sacrilegam suo tempore repetere. Addit ibid. Lacroix: *Pastor vero, omnia dissimulando, assistat eorum matrimonio.* »

III. Sed parum interest, utrum plures, an pauciores Auctores sententiam Patris Illsung approbaverint; nam S. Doctor eam non approbavit propter Auctoritates extrinsecas, sed propter *rationes intrinsecas,* quae utique evidentes et convincentes sunt.

1. Certum est, Confessarium non tantum posse, sed debere Sacramenta administrare *indigno,* quem talem esse moraliter certus est, *si secus sigillum violaretur;* quia praeceptum sigilli praevalet praecepto: « Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. [2] » Idcirco secundum sententiam, quam S. A. hodie omnino tenendam esse dicit, [3] Confessarius non potest communionem negare poenitenti, etiam occulte petenti, quem modo ut indispositum sine absolutione dimiserat. Si vero *laesio sigilli evitari potest,* pariter certum est, Confessario non licere Sacramentum frustrare et sacrilegio cooperari, et a gravissima culpa excusari non posse, si nihilominus poenitentem evidenter indispositum absolvit. - Atqui nemo negare potest, in casu proposito *evidenter constare, sponsam sacrilege confiteri;* et similiter manifestum est, *laesionem sigilli ejusque periculum prorsus evitari,* nec ullum damnum sponsae inferri, si Confessarius illam agendi rationem eligit, quam Illsung commendat. Et ideo unica quaestio est, utrum haec ratio amplectenda, an aliae praeferendae sint.

2. Tres apud DD. reperiuntur viae seu methodi, ad evitandam sigilli laesionem. - 1°. *Henriquez, S. J.,* [4] dicit, poenitenti absolutionem *colore quaesito differendam esse,* et plures DD. citat; sed haec methodus in praxim deduci nequit, nisi forte aliae rationes evidentes adsint: quia secus, poenitens facile veram dilationis causam suspicari potest. Cumque subdit, poenitentem, si ad confessionem revertitur, tandem absolvendum esse, etiamsi prudenter judicari non posset, ipsum interea peccata sua confessum esse, manifestum est, hanc difficultatem in radice non sanari. - 2°. *Elbel* et alii dicunt, poenitentem *sub conditione absolvendum esse;* et haec praxis utique approbanda est, dummodo vel aliquo modo dubitari possit, et non omnino evidenter constet, poenitentem sacrilege peccata commissa reticere. Etenim apud omnes in confesso est, graviter illicitum esse, sub conditione absolvere, si, citra omnem rationabilem dubitationem, moraliter certum est, absolutionem invalidam fore. - 3°. Et ideo in hoc casu non superest nisi tertia praxis, quam *Illsung* propu-

1) Num. 879. — 2) Matth. 7. 6. — 3) Lib. 6. n. 658. — 4) Lib. 6. c. 20. n. 6.

gnat. Cum qua in substantia conveniunt illi Auctores, qui dicunt, poenitentem *data cruce dimittendum esse*, ut *Leonardus Jansen*, qui[1] ait: « Si complex fateatur delictum, alter autem neget, negans juxta Tamburinium est absolvendus; sed si certo credatur indispositus, data cruce dimittatur, vel caute moneatur de integritate confessionis, ita tamen ut suspicari non possit, Confessarium uti scientia hausta ex confessione alterius complicis: sic enim frangeretur sigillum, ut habet communis. »

3. Quid, supposita morali certitudine, excipi possit contra rationes modo explicatas, quae principiis ab omnibus receptis innituntur, non videmus. Nec ullam rationem intrinsecam adfert P. Ballerini, cur tertia ista praxis reprobanda esset.

Articulus 2.

De certa cognitione peccati habita a Confessario extra confessionem, ex relatione certa aliorum.

Quid hoc in casu Confessario agendum sit, ex textu S. Alphonsi in principio quaestionis relato, jam vidimus. – Consentit *P. Gury*, qui T. II. cit. n. 619. pag. 517.[2] scribit: « Si Confessarius sit omnino certus de peccato a poenitente commisso, quia, v. gr. ipse furantem vidit, audivit blasphemantem, etc., vel id novit *ex certa aliorum relatione*, non potest negantem absolvere; modo certus sit, illum sui peccati non oblitum fuisse, nec ullum habere motivum illud reticendi; nam regula haec: *Credendum poenitenti*, etc., valet quidem in re minus certa, non autem in re evidenter certa. »

Quocirca P. Ballerini advertit: « *Haec verba:* si ex certa aliorum » relatione novit, etc., *inadvertenter excidisse videntur Benjamino* » *Elbel* (De Poen. conf. 13.[3] n. 454.), » *e quo ea dein sumpsit S. Alphonsus, et ab hoc etiam A. noster. Elbel siquidem subdit:* ita sentire » omnes; *cum tamen, fatente etiam* » *S. Alphonso, id falsum aperte sit,* » *atque communis illa sit doctrina,* » *quam sic effert Suarez* (De Poenit. disp. 32. sect. 3. n. 9.): Quantumcumque Confessor sciat peccatum poenitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc judicio magis » credere ipsi poenitenti, propter rationem factam. – *Quin et ipse Elbel oppositum tradit* (De Sacram. » in gen. Conf. 2. n. 44.), *ubi proponit* » *hunc casum:* Quidam sponsus fatebatur, se, nocte proxime elapsa, » turpiter egisse cum sua sponsa: et » quia Confessarius noverat illum » jam saepius relapsum, nec vitare » velle occasionem proximam, sine » absolutione dimittit. Huic proxime » succedit sponsa, Confessario optime » nota, quae tamen, forte timens negationem absolutionis, ne verbum movet de peccatis lasciviae » cum sponso commissis. Dubitat Confessarius, an debeat absolvere. *Et* » *respondet:* Si sponsa neget, se ali» quid contra castitatem deliquisse, » tenetur illam absolvere; quia poe» nitenti, ceu reo simul et actori, » tenetur adhibere fidem, tam pro se » quam contra se loquenti. »

At vera non sunt quae cl. Professor affirmat, una tantum assertione Patris Elbel excepta. – Quare, I. Examinabimus doctrinam *Benjamini Elbel;* II. Textum *Suarii*, quem P. Ballerini objicit, perpendemus; III. Doctrinam S. A. pluribus *aliis Auctoritatibus* confirmabimus; IV. Ipsam gravissimis *rationibus* sustentari ostendemus.

I. Audiatur primum ipse *P. Elbel.*

1. Loco citato, *n. 453.* proponit quaestionem: « Quid agendum, ubi poenitens reticet, vel etiam interrogatus omnino negat peccatum, quod tamen Confessarius certe novit, ab eo fuisse commissum? » et respondet: « Cum distinctione. Si enim Confes-

1) T. 2. cas. 100. n. 10. — 2) In altera edit. pag. 418. — 3) Rectius: *Conf. 17.*

sarius supponatur illud agnovisse *ex sola confessione complicis*, potest quidem, et debet saltem indirecte, et quasi a longe inquirere in illud peccatum; ne forsitan clarius inquirendo, manifestet, se hujusmodi notitiam jam comparasse ex confessione complicis; quod utique sine laesione sigilli fieri neutiquam posset. Unde etiam dum poenitens negat, se hoc aut illud peccatum perpetrasse, *absolvendus est, saltem sub conditione,* uti jam diximus; [1] quia cum poenitens in hoc foro sit actor simul et reus, eidem tam pro quam contra se ipsum loquenti, fides est adhibenda, uti recte cum communi DD. tradunt Herincx, Tannerus, Gobat et alii. »

« *N. 454.* Secus dicendum foret, casu quo Confessarius hujusmodi peccatum, non ex confessione complicis, sed aliunde, ut puta *ex certa relatione,* vel quia ipse praesens interfuit peccanti, novisset: hoc enim supposito, si poenitens interrogatus peccatum suum sine causa proterve et malitiose neget, velut indispositus et indignus, *beneficio absolutionis est privandus, secundum omnes.* »

Nequaquam ergo verba: « *si ex certa aliorum relatione novit* », Benjamino Elbel *inadvertenter* exciderunt; praemonuit enim, distinguendum esse, utrum Confessarius ex *sola* confessione complicis, an *aliunde* peccatum cognoverit. – In quantum autem in fine dicit: « *secundum omnes* », utique fallitur, et nimium dicit. Sunt enim Auctores, qui tenent, poenitentem semper absolvendum esse, si Confessarius peccatum commissum nonnisi ex aliorum relatione noverit. Tantum autem abest, ut haec sententia communis sit, quemadmodum contendit P. Ballerini, ut potius opposita cum Cardinali de Lugo communis dicenda sit.

2. Nec verum est, *S. Alphonsum id fateri;* haec enim sunt ejus verba: « Dicunt communiter...., quod » post diligentem interrogationem, » *regulariter* debet absolvere negan- » tem. » – Et utique communiter docent, *regulariter* negantem absolvendum esse; plerique autem excipiunt, si *relationes aliorum certae* et tales sunt, quae, consideratis omnibus circumstantiis, Confessarium moraliter certum reddunt, poenitentem peccatum, quod negat, commisisse.

3. Objicit insuper cl. Professor, quod « *ipse Elbel* (de Sacram. in gen. Conf. 2. n. 44.) *oppositum tradit.* » Sed et hoc falsum est. – Elbel ibidem supponit, Confessarium sponsae peccatum ex sola confessione sponsi novisse; et *Conf. 17. n. 453.* expressis verbis, ut supra vidimus, lectorem ad hunc locum delegat; ita ut vere absurdum sit dicere, quod ibidem oppositum tradat. Cum autem P. Ballerini insuper ex iis, quae Elbel ad istum casum respondet, unam solam propositionem a contextu avulsam citet, integram responsionem afferemus:

« Confessarius tenebatur sponsam a longe seu remote examinare, v. gr. interrogando, utrum nunquam cogitationibus impuris peccaverit, vel quidquam castitati contrarium admiserit? Non tamen debet dicere: numquid jam peccasti cum tuo sponso? cur hoc vis negare? hoc enim modo ageret contra sigillum. Quodsi sponsa neget, se aliquid contra castitatem deliquisse, tenetur illam absolvere; tum quia poenitenti, ceu reo simul et actori, tenetur adhibere fidem tam pro se, quam contra se loquenti; tum etiam quia potest praesumere, quod habeat *forsitan justam causam* hic et nunc peccatum negandi. Judico tamen oportere, ut illi absolutionem impertiatur *non absolute, sed conditionate,* sub conditione saltem in mente retenta, dicendo: si es disposita, ego te absolvo, etc. Ratio est: tum quia Confessarius, in his circumstantiis, *rationabiliter suspicari ac timere de-*

1) Part. 1. de ministr. Sacram. conf. 2. n. 44.

bet, ne poenitens sit indisposita, sicque Sacramentum reddatur sacrilegum; tum etiam quia Confessarii est, non solum intendere saluti poenitentis, sed etiam reverentiae Sacramenti: atqui per hujusmodi absolutionem conditionatam, satis consulitur saluti poenitentis, *modo is supponatur dispositus;* neque per hujusmodi tacitam conditionem frangitur sigillum, simulque cavetur reverentiae Sacramenti, et vitatur sacrilegium. »

4. Ideoque Elbel non tenet, sponsam absolute absolvendam esse, prout lectores ex propositione a cl. Professore citata colligere deberent, sed *sub conditione.* Porro de casu *dubio* loquitur, in quo Confessarius moraliter certus non est, sponsam sacrilege peccata negare, et ideo supponi potest, quod sit disposita.

II. Secundo loco, P. Ballerini ceu testem pro sententia opposita, quam communem dicit, *Suarium* citat; sed denuo male citat.

1. Omittit enim cl. Professor verba, quae propositionem citatam praecedunt, ubi Suarez [1] dicit, poenitentem *regulariter* absolvendum esse. – Pariter omittit, quae subsequuntur, ubi Suarez exceptionem ab hac regula statuit, et concludit, Confessarium non debere absolvere poenitentem, « *si evidenter videat* (ipsum) *non integre confiteri* », non distinguens, utrum ex aliorum relatione, an ex proprio intuitu peccatum noverit.

2. Nec obstat, quod Suarius dicit: « *Quantumcunque Confessor sciat peccatum poenitentis ex aliorum relatione.* » Quantumcunque enim relationes aliorum fide dignae, et quoad factum omni exceptione majores sint, Confessarius nihilominus ex his solis relationibus numquam moraliter certus erit, poenitentem sacrilege confiteri, quoadusque praesumi potest, quod peccatum jam alteri confessus sit, aut justam causam reticendi habeat, et de contrario evidenter non constat. Et sic Castropalaus, Sancius, Diana, Lugo, et alii communiter Suarium intelligunt.

III. Sunt autem *permulti alii Auctores,* antiquiores et recentiores, qui tenent, poenitentem non esse absolvendum, si Confessarius *extra confessionem* certo sciat, ipsum non integre confiteri, sive de hac re *certus* sit *ex propria experientia,* sive *ex aliorum relatione.*

1. *Henriquez, S. J.,* ait: [2] « Quodsi illud certo novit *extra confessionem,* et rogatus reus negat, dicens: Ne tibi sit cura de hac re, sed mihi crede; non absolvat indignum, sed propter alios circumstantes *dicat orationem deprecatoriam.* »

2. *Fagundez, S. J.,* [3] quaestionem ponit: « Quid autem dicendum est, quando Confessarius certo peccatum aliquod novit *extra* confessionem, et rogatus poenitens negat, respondens Confessario: ne tibi sit, Pater, cura de hac re, sed mihi crede: et tamen Confessarius *certus* est de publico aut secreto concubinatu poenitentis, non quidem ex relatione complicis, neque ex unico aspectu et intuitu proprio, ut numero praecedenti diximus; sed aliunde *ex publica notitia* et continuato statu poenitentis? » – Et respondet, hujusmodi poenitentem non absolvendum, sed, ut Henriquez docet, *orationem aliquam deprecatoriam* recitandam esse.

3. *Tanner, S. J.:* [4] « Quaeres denique, quid facto opus sit, si poenitens neget peccatum, quod Confessarius certo novit ab eo commissum? Respondetur, regulariter quidem talem absolvendum esse; fere enim semper praesumere potest Confessarius, poenitentem id non confiteri, aut quia jam confessus est, aut quia ex probabili putat, se non teneri; idque praecipue locum habet, si poenitens

1) Cfr. supra, pag. 589. n. 1. — 2) Lib. 6. c. 20. n. 6. — 3) De 2. praec. lib. 6. c. 4. n. 38. — 4) De poenit. q. 7. n. 99.

ratione talis silentii, non cognoscatur permanere in affectu ejusdem peccati: nihilominus tamen *in casu, quo certo scit Confessarius,* poenitentem ficte et mala fide agere, tunc, si criminis notitiam acquisivit *extra confessionem, non erit absolvendus poenitens;* quia Confessarius non tantum est judex, sed etiam medicus et doctor poenitentis, qui proinde sua scientia extra confessionem acquisita jure utitur; ut recte docent Henriquez, [1] et Suarez [2] cum Petro Soto, l. c. »

4. *Bonacina* [3] quaerit: «Quomodo se gerere debeat Confessarius erga poenitentem, cujus delictum *aliunde* novit, sed poenitens illud non fatetur? » et respondet:

« Si Confessarius certo sciat delictum poenitentis *extra confessionem,* et poenitens rogatus a Confessario nolit peccatum suum manifestare et explicare, *debet illum repellere.* Ratio est, quia poenitens indigne petit absolutionem; consequenter Confessarius debet illum repellere: cum peccatori indigne poenitenti denegandum sit Sacramentum, si illud occulte petat, ut constat ex supradictis de Sacramentis in genere. – In praxi tamen Confessarius observare debet, ut, antequam poenitentem dimittat, *dicat orationem aliquam deprecatoriam,* vel aliquid aliud faciat; ne adstantes veniant in cognitionem denegatae absolutionis, pravamque de poenitente concipiant opinionem.»

Idem dicit alio[4] loco, ubi speciatim de peccato reservato agit, quod poenitens reticet; et addit: « Nec obstat dicere, in hoc foro credendum esse poenitenti; consequenter ipsi praestandam esse fidem, quoties negat, se in casum reservatum vel in aliud peccatum incidisse. Respondetur enim, *credendum esse poenitenti, nisi veritas in contrarium evidenter constet.* »

5. *Joannes Sancius:* [5] « Non posse absolutionis beneficium impertiri poenitenti neganti scelus commissum, *judico certum.* Nam absolvere minime potest Confessarius poenitentem, quem indubitate scit non habere dolorem de peccatis, ut notavit Suarez. [6] Igitur neque et illum, quem certo tenet non adducere integritatem confessionis. Sane adeo essentialis est ad confessionem integritas formalis, sicut et dolor, docet Suarez, [7] ubi specialius casum quaestionis resolvit, dicens, poenitentem esse convincendum et redarguendum, quia, licet in externo et publico foro necessaria sit scientia publica proportionata, in hoc tamen foro secreto et ad bonum ipsius rei ordinato, scientia privata ipsius Confessoris utilis esse potest. Unde si evidenter videat, illum esse indispositum, non debet illum absolvere, quidquid ille dicat: idem ergo erit, si evidenter videat, non integre confiteri. »

6. *Diana* [8] quaestionem ponit: «An si Confessarius habeat evidentiam, quod poenitens fecerit tale peccatum, et non sit confessus, debeat illum absolvere? » et ait: «Respondendum est *negative;* quia, licet Confessarius, qui non habet evidentiam facti, sed solum novit *ex aliorum relatu,* vel vidit quidem peccatum, sed non ei constat, quod non fuerit interea confessus alteri, non potest negare absolutionem, quia poenitenti creditur pro se et contra se; secus autem, ut praesupponimus in casu nostro, *quando Confessarius scit, poenitentem peccasse et non confessum fuisse.* Et ita docent Henriquez, [9] Sylvius; [10] quia non est pronuncianda forma Sacramenti, ubi certo constat, subjectum esse indispositum; et Confessor non solum est judex, sed etiam medicus. Et hoc etiam tenent Suarez, Fagundez, et novissime Sancius.» [11]

7. *Filliuccius, S.J.:* [12] « Notandum

1) Lib. 6. c. 20. — 2) Disp. 32. sect. 3. n. 6. — 3) De poenit. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 33. — 4) Q. 7. p. 5. §. 2. n. 21. — 5) Disp. 8. n. 6. — 6) De poenit. disp. 20. sect. 5. n. 11. — 7) Loco cit., et disp. 32. sect. 3. in fine. — 8) P. 3. tr. 4. res. 105. — 9) Lib. 6. c. 20. n. 6. — 10) In addit. ad 3. P. q. 9. art. 2. quaer. 3. concl. 3. — 11) Locis supra cit. — 12) Tr. 7. n. 360.

tertio. Si constet Confessori poenitentem oblivisci alicujus peccati, per se loquendo, tenetur interrogare ob integritatem ipsius judicii: pertinet enim ad officium judicis curare, ut judicium integre fiat. Sylv. Navarrus et alii. Quod si interrogatus neget, regulariter tenetur illi credere, ex doctrina S. Thomae communiter recepta: si probabiliter existimare potest, poenitentem esse confessum alteri, dissimulet. Quodsi evidens illi sit poenitentem mentiri, si quidem sciat via *extra confessionem,* potest uti ea scientia ad illum convincendum; et si perneget, *evidenterque cognoscat illum mentiri,* et consequenter esse indispositum, *non debet absolvere:* si vero tantum id sciat via secreta, post prudentem interrogationem, tenetur judicare secundum acta et probata in illo foro. »

8. *Castropalaus, S. J.:* [1] « Secunda quaestio: An poenitenti, non solum tacenti peccatum, sed interrogata neganti, absolutio impendi debeat? Respondeo cum Suarez, [2] Laymann, [3] regulariter standum esse dicto poenitentis potius, quam aliorum relationi: quia ipse est reus et testis in illo foro, et secundum ejus probationem et allegationem sententia ferenda est. Quodsi Sacerdos evidenter sciat, poenitentem negare peccatum, quod confessus non est (quod raro continget), uti poterit notitia, quam habet, ut illum convincat, modo sit absque sigilli violatione: *et si adhuc in negatione perseverat, neganda est absolutio:* quia absolutio, cum sit actus secretus et ad bonum poenitentis relatus, concedi non potest ei, quem Sacerdos evidenter cognoscit esse indispositum, uti docuit Suarez supra, Henriquez, Laymann supra. »

9. *Lugo, S. J.:* [4] « Dubitari solet, quid facere debeat Confessarius, qui scit, poenitentem commisisse aliquod peccatum, quod neque etiam interrogatus confitetur? *Doctores communiter dicunt,* quando Confessarius id evidenter sciret, et sciret etiam evidenter, quod non fuerit prius alteri peccatum illud confessus, *non posse illum absolvere;* cum constet de defectu integritatis formalis. Ita Suarez, Henriquez, Fagundez, [5] et alii communiter. – Contrariam tamen sententiam tenere videtur Megala; [6] quia saepe contingere potest, quod poenitens habeat causam rationabilem, saltem in sua apprehensione, tacendi illud peccatum, ad vitandum, v. gr. damnum suum vel alterius: poterit ergo saepe Confessarius existimare, quod poenitens ex rationabili causa id neget, saltem existimata; atque adeo non esse defectum formalem, sed solum materialem integritatis requisitae. »

« In hoc non potest esse controversia; nec Suarez et alii negant, quod quando *dubitat* Confessarius, an poenitens licite neget, saltem juxta suam existimationem, peccatum quod commisit; possit illum absolvere. Suarez enim expresse dicit, non posse absolvi, *quando evidens est Confessario, poenitentem mentiri* contra integritatem confessionis: in praedicto autem casu non mentiretur, nec faceret contra integritatem confessionis, cum posset uti aequivocatione licita; et non violaret praeceptum integritatis, cum haberet legitimam causam excusantem, saltem juxta suam existimationem. *Omnes ergo debent convenire, quod, si Sacerdos sciat evidenter, poenitentem sacrilege negare peccatum, non potest eum absolvere;* posse vero, si hoc non sciat. »

« Petes, quid, si Confessarius *ex aliorum confessione evidenter sciat,* Petrum commisisse tale peccatum, quod ipse postea in confessione negat? Respondetur, repugnare, quod ex aliorum confessione id evidenter sciat; cum tota illa notitia resolvatur

1) De poenit. p. 18. §. 2. n. 5. — 2) Loco cit. — 3) Lib. 5. tr. 6. c. 14. q. 3. — 4) De poenit. disp. 22. n. 21. — 5) Locis supra citatis. — 6) 1. P. lib. 1. c. 2. n. 12.

in testimonium alterius poenitentis: quare magis debet credere ipsi Petro in sua causa, quam aliis. »

Tria hic bene notanda sunt. *Lugo* eodem modo, quo nos supra, *Suarium* interpretatur. Hanc sententiam *communem* esse testatur; et addit, *omnes convenire debere,* Sacerdotem non posse absolvere poenitentem, *si sciat evidenter,* ipsum sacrilege negare peccatum; non distinguendo, utrum id ex proprio intuitu, an ex aliorum relatione evidenter sciat. Solum denique casum excipit, quo ex aliorum confessione peccatum novit; et quidem ea sola ratione excipit, quod repugnet, scientiam, quae unius tantum testis, scilicet alterius poenitentis, testimonio innititur, evidentem esse.

10. *Tamburini, S. J.,* quaerit:[1] «Quid faciet Confessor, quando adverteret poenitentem aliquod peccatum commisisse, quod neque ex se, neque interrogatus confitetur? Dico: *si scit evidenter,* quod commiserit, et item evidenter novit, quod alii confessus non sit, *absolvere non potest:* quia clare ipsi tunc constat, ejusmodi poenitentem non esse rite dispositum. Sic Suarez, Fagundez.[2]-Dixi: *si scit evidenter;* si enim dubitat, vel dubitat an poenitens licite neget: potest absolvere; quia quilibet debet praesumi bonus, atque adeo recte dispositus, nisi contrarium clare constet. Quoniam igitur ea evidentia rarissima est, saepe item contingere potest, ut poenitens habeat tacendi causam rationabilem, juxta alibi dicta, ad evitandum v. g. suum vel alterius damnum: vel habeat aliquam probabilem opinionem pro se suaque actione; ideo regulariter videtur absolvendus. » – Deinde de casu agit, quo Confessarius ex aliorum confessione peccatum cognovit.

11. *Gobat, S. J.:*[3] « Si tamen (Confessarius) *aliunde,* quam ex complicis confessione, certo nosset, eum mentiri, *deberet inabsolutum dimittere;* quia nefas est, ministrare Sacramentum ullum indigno. »

12. *Stoz, S. J.:*[4] « Posterior quaestio circa integritatem confessionis est: An debeat, vel possit absolvi, qui negat se commisisse peccatum aliquod mortale, quod Confessarius novit eum commisisse? Ratio dubitandi est, quia in foro conscientiae credendum quidem est poenitenti tam pro se, quam contra se, ut habet tritum axioma. *Sed Bonacina recte ait,* id intelligendum esse tantum cum hac exceptione: *nisi evidenter constet oppositum,* notaque sit poenitentis indispositio. » – Praemittit casum, quo Confessarius peccatum ex confessione complicis novit, et deinde pergit:

« Quodsi Confessarius peccatum illud *ab aliis fide dignis extra confessionem* cognovit, vel ipse suis oculis vidit, v. g. furantem, obscena agentem, audivit blasphemantem, etc..., tunc omnino potest et debet de ejusmodi peccatis in specie interrogare poenitentem, si in confessione ipse se non accuset, ut dictum supra n. 101. Sed si iste constanter neget, debet eum plerumque absolvere... Quodsi tamen quandoque, consideratis omnibus circumstantiis, *certo constaret,* peccatum mortale esse a poenitente commissum, idque ab eo malitiose ac mendaciter negari, *tunc etiam certum est, non posse absolvi;* Dicastillo;[5] quia, cum posset et deberet, non integre confitetur; eumque absolvens peccaret graviter, et contra suum Judicis officium, et contra reverentiam Sacramenti, invalide et sacrilege administrando illud indisposito. Tamburini, Lugo, Fagundez.[6] »

13. *Herincx*[7] scribit: « Quod si Confessarius *aliunde* sciat, poenitentem commisisse aliquod peccatum, et hic de eo nihil fateatur; debet ille tunc a fortiori inquirere verita-

1) Method. confess. lib. 3. c. 9. n. 5. — 2) Locis cit. — 3) Tr. 7. n. 245. — 4) Trib. poenit. lib. 2. n. 104. — 5) De poenit. disp. 11. n. 331. — 6) Locis supra cit. — 7) De poenit. disp. 5. num. 56.

tem, etiam, dum sine alio incommodo fieri potest, insinuando suam de hoc notitiam. Quando tamen scit ex aliorum confessione, debet adeo caute procedere, ut poenitens de eorum confessione nil possit conjicere.... Porro si poenitens neget, se ejusmodi peccatum commisisse, *debetur ei fides, nisi certo constet Confessario,* eum vere commisisse, et confessum non esse, et non subesse in praesenti rationem tacendi. » – Et deinde speciatim de notitia ex confessione complicis hausta agit.

14. *Wigandt* [1] casum de sponso, qui negat, quod sponsa confessa est, proponit, et respondet: « Probabilius videtur, non posse sponso constanter neganti absolutionem negari.» – Et pergit: « Quid, si Confessarius aliunde *extra sponsae confessionem* certo sciat, sponsum in confessione mentiri? Dico: *non potest eum absolvere.* Ratio est: quia grave peccatum est, Sacramentum dare indigno. »

15. *Holzmann* [2] sequentem casum proponit: « Quando Confessarius, extra confessionem complicis, *ex aliorum fideli relatione* cognovit peccatum poenitentis, vel ipse suis oculis vidit »; et respondet, poenitentem constanter negantem plerumque absolvendum esse. At vero addit: « Dixi: *plerumque.* Quodsi enim quandoque, consideratis omnibus circumstantiis, *certo constaret,* poenitentem peccatum mortale commisisse, idque eumdem malitiose et mendaciter negare, *utique sine absolutione dimittendus esset,* ceu indispositus; et Confessarius, eum absolvendo, ageret invalide juxta ac illicite contra reverentiam Sacramenti, peccaretque peccato sacrilegii, quemadmodum et ipse poenitens. »

16. *Babenstuber:* [3] « Si Confessarius extra confessionem complicis, *ex aliorum fideli relatione,* peccatum poenitentis, quod is omittit, cognovit; vel ipse oculis suis vidit, auribus audivit, tunc eundem specialius examinare potest et debet: constanter tamen negantem plerumque tenetur absolvere. Laymann, loc. cit., Stoz, n. 104., Illsung [4].... Si Confessario, consideratis omnibus circumstantiis, *certo constet,* poenitentem peccatum mortale commisisse, idque eundem malitiose et mendaciter negare, *tunc non potest eum absolvere.* Card. de Lugo, Laymann, Stoz, Illsung, [5] et alii *communiter.* Ratio est: quia poenitens, qui, cum posset et deberet, non integre confitetur, est indispositus ad absolutionem: atqui poenitens in nostro casu ita se gerit; ergo est indispositus; et consequenter Confessarius, si eum absolveret, scienter absolveret indispositum: quod esset grave peccatum, et contra officium judicis in hoc sacro tribunali, et contra reverentiam Sacramenti. »

17. Similiter *Flavianus Ricci,* in edit. Theol. mor. *Anacleti Reiffenstuel:* [6] « Quaeritur: Quid agendum, si poenitens taceat, vel etiam neget peccatum, quod Confessarius aliunde novit eum commisisse? Respondeo I. Si poenitens dumtaxat taceat peccatum, illud non confitendo, debet Confessarius inquirere veritatem, etiam, si id absque alio incommodo fieri possit, insinuando suam de hoc notitiam... Quod si vero id resciat ex confessione alterius, v. g. complicis, oportet interrogare adeo caute, ut poenitens de alterius confessione nil penitus possit conjicere (alioquin enim frangeretur sigillum), ut puta quaerendo in communi, an nihil amplius habeat, quod conscientiam gravet? vel adhibendo consuetas ceteroquin interrogationes, et abstrahendo a notitia prioris confessionis. – Respondeo II. Quando poenitens negat, se ejusmodi peccatum commisisse, et Confessarius de hoc non est certus, potest, ni aliud obstet, absolvi... Additur: et Confes-

1) De poenit. exam. 6. n. 108.— 2) Tr. 4. n. 721.— 3) De poenit. art. 5. §. 4. n. 43.— 4) Tr. 6. disp. 6. q. 4. n. 127. — 5) Locis supra cit. — 6) Tr. 14. dist. 8. n. 41.

sarius de hoc non est certus. Nam *si Confessarius certo sciat*, poenitentem commisisse tale peccatum, prudenterque judicet, illud nunc malitiose ab eo negari; *non potest eum absolvere:* prout notant citati Authores, ac Lugo [1] et alii. Siquidem nefas est ministrare Sacramentum ei, quem prudenter scio, esse indignum, illudque nonnisi sacrilege petere. »

18. *Henno* [2] quaerit: « An absolvi possit poenitens negans peccatum, quod certo novit Confessarius? » et respondet: « Si Confessarius illud novit ex aliena confessione, debet agere ut supra (ubi casum de sponsa proposuit); si *extra confessionem*, quia illud committentem vidit, *debet illum repellere ut indignum.* Debet quidem credere poenitenti tam pro se, quam contra se loquentem, *sed quando non habet certitudinem de contrario.* – Sed quid si crimen noverit *ex alterius testimonio?* Resp. Ubi cetera sunt paria, potius credere debet poenitenti, quam alteri; cum non sit ita facile praesumendum, velle sacrilegium committere, praesertim ubi extra tempus paschale, sine ulla obligatione, sine alterius instigatione accedit ad Sacramentum. Dixi: ubi cetera sunt paria; quia videtur aliter agendum, *ubi multum praevalet fides et auctoritas*, et aliunde occurrunt rationes suspicandi contra poenitentem. »

19. *Voit, S. J.:* [3] « Ad quaestionem: quid sit agendum, si poenitens taceat peccatum, quod Confessarius scit, ab eo fuisse commissum? R. 1. Quando Confessarius extra confessionem complicis, vel alterius, *ex fideli relatione* cognovit peccatum poenitentis, vel ipse vidit v. g. furantem, turpiter agentem, vel audivit blasphemantem, etc., tunc ipsum speciatim interrogare potest et debet. Ratio est, tum quia non prohibetur Confessarius uti notitia illa, extra confessionem sacramentalem hausta, ad utilitatem poenitentis; tum quia ex officio tenetur procurare integritatem confessionis, quando moraliter et licite potest. Ita Laymann, [4] ubi addit: Si poenitens interrogatus constanter neget peccatum, Confessarius regulariter illum debet absolvere; si nimirum, stante notitia, adhuc possit sibi prudenter formare hoc vel simile dictamen: Forte poenitens hoc peccatum jam fuit alteri confessus; vel nescivit esse peccatum, saltem mortale; vel qui mihi retulerant, falsum dixerunt, etc. Ratio est, quia in foro Poenitentiae credendum est poenitenti, sicut contra se, ita et pro se loquenti. Dixi: *regulariter, et stante illo prudenti dictamine:* si enim, consideratis omnibus circumstantiis, *certo constaret,* quod poenitens malitiose et mendaciter neget peccatum, *neganda esset absolutio:* quia nec valide, nec licite certe indisposito datur absolutio. »

20. *Thomas Ex Charmes:* [5] « Quaeres 8. An absolvi possit poenitens, renuens confiteri peccatum, quod ab eo fuisse commissum novit Sacerdos extra confessionem? Resp. Si Confessarius *certo sciat* delictum poenitentis, vel quia vidit, vel audivit, vel accepit *a duobus testibus omni exceptione majoribus, debet poenitentem repellere;* quia indigne petit absolutionem: atque indigne petenti denegandum est Sacramentum. Quod si illud peccatum resciverit ab uno tantum, vel a pluribus, sed non plena fide dignis, post sufficientem probationem, potest et debet absolvere. »

IV. Haec de Auctoritatibus extrinsecis; verum sententia, quam tenet S. A., etiam gravissimis *Rationibus* intrinsecis sustentatur.

1. In textu supra allato, S. Doctor casum ponit, quo *testes graves* crimen istud a poenitente commissum

1) Disp. 22. n. 21. et 22. — 2) De poenit. disp. 10. q. 8. — 3) De poenit. n. 876. — 4) Lib. 5. t. 6. c. 14. n. 25. — 5) De poenit. c. 4. q. 3. art. 2.

Confessario retulerunt. *Testes* dicit; ergo tales, qui coram erant, et peccatum committi viderunt vel audierunt. Testes dicit *in plurali;* ergo non unum tantum. *Graves* dicit; ergo testes omnino fide digni, et hac ratione omni exceptione majores. – Quibus suppositis, quaerimus, an rationabiliter negari possit, certitudinem hanc *aliorum relationibus* acquisitam, aequiparandam esse certitudini *ex propria experientia?* Quinimo, aucto testium numero, certitudo moralis non infirmatur, sed potius confirmatur. Omnes conveniunt, poenitentem non esse absolvendum, si ipse Confessarius adstiterat, et poenitentem peccantem viderat, vel v. g. blasphemantem audierat. At vero facilius sane cogitari potest, Confessarium verba prolata male percepisse, quam duo vel tres testes omni exceptione majores et firmiter asseverantes, hallucinationem subiisse.

2. Recte autem S. A. advertit, *moralem* certitudinem esse *veram* certitudinem; alia enim, quae possibilitatem contrarii absolute excluderet, in rebus moralibus haberi nequit. Unde, suppositis conditionibus, quas S. Doctor adjicit, non videmus, quomodo sustineri possit ista distinctio, qua Confessarius, propria experientia de peccato commisso moraliter certus, poenitentem non absolvere potest; at absolvere deberet Confessarius, quem aliorum testimonia, quantumvis omni exceptione majora, moraliter certum reddunt.

SIT IGITUR QUAESTIONIS CONCLUSIO:

1. Doctrina S. Alphonsi: nullo modo dandam esse absolutionem, sed aliquid tantum orandum ad occultandam absolutionis negationem, casu quo Confessarius, *ex confessione alterius,* maxime complicis, *certo* cognoscit peccatum a poenitente negari: *sana, sapientissima, et ad minimum probabilissima* est, utpote auctoritatibus et rationibus sustentata, quibus sufficiens responsio non datur.

2. Doctrina ejusdem S. Doctoris, videlicet absolvendum non esse poenitentem, qui negat peccatum, cujus notitiam habet Confessarius *extra confessionem, ex certa aliorum relatione;* praeter complurium gravium DD. auctoritatem, innititur inconcussae rationi intrinsecae, ac proinde pariter *sana, justa, sapientissima et probabilissima est.*

3. Hinc patet, quonam jure cl. Ballerinius asseruerit, praefatam S. Alphonsi doctrinam totam deberi vel inadvertentiae, vel hallucinationi, et falsae Auctorum allegationi.

QUAESTIO XXII.

An qui, in occasione necessaria, etiam adhibitis remediis, semper eodem modo relabitur, possit absolvi, nisi prius occasionem deserat.

(S. Alph. Lib. VI. n. 457. — P. Ball. Tom. II. n. 631.)

I. – Lib. VI. n. 457. ad propositum Dubium sic respondet S. Alphonsus: « *Prima sententia,* quam » tenent Lugo, Palaus, Holzmann; » item Gobat, Fabri, Pallavicinus, » et alii apud Croix, et probabilem » putat Tamburini, *dicit, posse eum* » *absolvi toties quoties, modo habeat sufficientem dolorem et pro-* » *positum.* (Advertit tamen Lugo, » quod, cum aliquis semper immediate post confessionem facile recidit, is censetur carere vero dolore et proposito, et ideo non absolvendus). – *Secunda sententia* » tamen *verior,* quam tuentur Bu-

» sembaum, Roncaglia, Continuator » Tournelii; Viva cum Suarezio, Na- » varro et Reginaldo; Mazzotta, qui » vocat *communem;* item Cajetanus, » Tanner, Cardenas, et alii cum » Croix, qui vocat veram, *tenet, » hunc non posse absolvi, nisi occa- » sionem deserat, cum jactura ad- » huc vitae, si opus sit, quando » nulla emendatio, nec probabilis » spes emendationis appareat.* Ra- » tio, quia homo tenetur, cum omni » jactura, vitare periculum proxi- » mum peccati formalis. Et licet ali- » quando, ob justam causam, possit » permitti periculum peccati, num- » quam tamen potest permitti pec- » catum; cum autem nulla spes ap- » paret emendationis, periculum uti- » que fit formale, et a peccato se- » jungi non potest, et ideo omnino » est vitandum, cum quocumque da- » mno temporali, etiam vitae. Hic » enim currit illud Marci 9. 46.: » *Si oculus tuus scandalizat te, ejice » eum: bonum est tibi luscum in- » troire in regnum Dei, quam duos » oculos habentem, mitti in gehen- » nam ignis.* Et aliunde Matth. 16. » 26.: *Quid prodest homini, si mun- » dum universum lucretur, animae » vero suae detrimentum patiatur?*

» Dices cum Lugo: Ergo iste ne- » que prima vice poterat absolvi, » cum idem adfuerit periculum. Re- » spondeo quod dispar est ratio; » nam, cum occasio est necessaria, » ope mediorum, periculum materia- » liter proximum fit formaliter re- » motum; at cum, adhibitis reme- » diis, non adest spes emendationis, » periculum evadit formaliter pro- » ximum, et ideo omnino vitandum » cum quocumque incommodo. *Sin » autem* (ait *S. Carolus,* loquens de » puella, quae domi haberet occasio- » nem necessariam) *post similes prae- » cautiones, comperiat Confessarius, » poenitentem in illud peccatum re- » labi, deneganda prorsus est abso- » lutio, donec deseruerit proximam » peccandi occasionem, quidquid » tandem evenire debeat.* – Hinc » C. *Falsas* 6. de poen. dist. 5., et » C. *Fratres* 8. ib., dicitur, debere » dimittere sua officia milites, nego- » tiatores, curiales, etc., qui norint » illa non posse exercere sine pec- » cato. Sic enim loquitur *S. Grego- » rius VII.* in cit. C. *Falsas: Ideo- » que quicumque miles, vel negotia- » tor, vel alicui officio deditus, quod » sine peccato exercere non possit » (difficultas notatur,* advertit Glos- » sa, *non impossibilitas), si culpis » gravioribus irretitus ad poeniten- » tiam venerit, recognoscat se veram » poenitentiam non posse peragere, » nisi negotium aut officium dese- » rat.* Idem clarius confirmat *Inno- » centius II.* in dicto C. *Fratres,* di- » cens: *Falsa etiam fit poenitentia, » cum poenitens ab officio, vel cu- » riali, vel negotiali, non recedit, » quod sine peccato agi nulla ra- » tione praevalet.*

» Secus vero dicendum, cum Holz- » mann, Laymann, et Sporer cum » Sanchezio, Navarro et aliis com- » munissime, si in praesenti hujus- » modi poenitens afferat extraordi- » naria signa doloris; tunc enim jam » effulget spes emendationis. »

Tres igitur conditiones ponit S. Doctor: 1°. quod poenitens, in occasione *necessaria* constitutus, *remedia a Confessario praescripta adhibuerit;* 2°. quod nihilominus *eodem semper modo relapsus sit;* 3°. quod *non adsit spes emendationis.* In hac tertia conditione cardo rei vertitur; si enim nulla spes emendationis adest, sine dubio, ut ait S. A., *periculum fit formale, et a peccato sejungi nequit.*

II. – Exposita S. Alphonsi doctrina, ipsum cl. Ballerinium audiamus.

1. Tom. II. n. 631. pag. 532.[1] *P. Gury* sequentem ponit quaestionem: « An possit absolvi, qui existens in occasione necessaria, etiam

1) In altera edit. pag. 429.

remediis adhibitis, eodem semper modo labitur? *Resp. 1. Negari forte posset suppositum.* Vix enim fieri potest, ut, remediis adhibitis, emendatio aliqua non sequatur, si haec opportuna et circumstantiis congrua proponantur. »

Quibus verbis P. Ballerini hanc adnotationem subjungit: « S. Alphonsus (Lib. 6. n. 457.) prima fronte videtur negare, hunc poenitentem absolvi posse. Verum ex contextu patet, *eum id asserere cum Croix, quando nulla spes adest emendationis,* nempe ut ait Croix (Lib. 5. n. 261.) a S. Alphonso citatus, *cum quis nullo modo potest facere, ut cum occasione externa non sit conjunctum periculum formale peccandi;* et, aliis verbis, *nullo modo potest facere, ut proximum periculum evadat remotum.* – Haec porro hypothesis illa est, quam A. (scil. P. Gury) merito negandam dicit, tamquam *absurdam;* nam quando remedia apte suggerantur, et fideliter usurpentur, posset imo relapsus reddi moraliter impossibilis, v. gr., si, quando de peccatis externis agitur, fideliter vitetur conversatio solius cum sola. – Quod vero S. Alphonsus (l. c.) post Croix (l. c.) videatur impugnare Card. de Lugo, aliosque ibi allegatos, existimandum non est, hosce auctores aut de *absona* illa hypothesi disputasse, aut docuisse, poenitenti semper eodem modo relabenti nunquam deesse debitam dispositionem. Quinimo idem S. Alphonsus (n. 457. in fin.) demum recidit in Lugonis sententiam, quam insuper communissimam appellat, nimirum absolvi eum poenitentem posse, si cum vero dolore et proposito accedat. Sic enim etiam Lugo (De Poenit. disp. 14. n. 158.): « *Adhuc post experientiam illam nullius profectus, potest stare dolor verus et propositum requisitum, absque voluntate auferendi occasionem cum tanto detrimento. Ergo potest absolvi poenitens; nihil enim aliud requiritur, nisi confessio cum dolore et proposito.* » Quod vero stare etiam tunc possit verus dolor cum requisito proposito, etiamsi occasio perseveret, sic docet (n. 455.) idem S. Alphonsus: « *Communiter affirmant Doctores, non teneri poenitentem occasionem dimittere, si aliter grave damnum passurus sit; dummodo interim sit paratus, uti mediis praescriptis... Ratio, quia occasio peccandi non est in se peccatum, neque affert necessitatem peccandi; quapropter bene potest cum ea consistere vera detestatio peccatorum, et firmum propositum non relabendi, et adhibendi debita remedia.* » Quod autem ejusmodi dolor et propositum haberi queat, etiam post praecedentem inconstantiae experientiam, et S. Alphonsus ipse, ut supra vidimus, supponit, et res ipsa clamat. Quorsum enim, ut poenitens efficacius resistat, absolutionem suspenderes, si impossibile credis hujusmodi propositum? Sed adi ipsum Card. de Lugo (Disp. 14. n. 158. 159.), et *nullius momenti ea apparebunt, quae S. Alphonsus ex vana Croixii hypothesi objecit.* »

2. Ad eamdem quaestionem solvendam, *P. Gury* dein sic prosequitur: « *Resp. 2.* In casu adhibenda foret regula generalis, quam S. Ligorius proponit cum Auctore operis, cui titulus: *Istruzione per i novelli Confessori*, part. I. c. 10. n. 244., nimirum ut mature perpendatur, utrum in praxi difficilius sit occasionem removere, quam vitare peccatum, occasione praesente, an vero facilius. Si difficilius sit occasionem auferre, decernatur, moraliter impossibile esse eam removere. » [1]

1) Quae P. Gury hic S. Alphonso tribuit, oculorum lapsui debentur. S. Doctor nihil plane habet de ista regula generali, et praefatum Auctorem in materia occasionis proximae semel tantum allegat, n. 454., cum aliis AA., qui tenent, poenitentem, qui in occasione proxima voluntaria *in esse* versatur, « neque prima vice absolvendum esse, nisi prius occasionem amoveat. »

Et hanc solutionem iterum cl. Ballerinius longiori adnotatione explicat et defendit: « Auctor hujus operis, Romae editi primum an. 1726., dein rursus an. 1841., est Franciscus Giordanini, e Congregatione Missionis Presbyter; et normam heic propositam sumpsit, ut ipsemet fatetur, ex Opere Ven. Pauli Segneri, cui titulus: *Il Confessore istruito,* cap. 5., ubi haec habentur: « *Il precetto di fuggire l'occasione, è stato imposto dalla legge naturale, per diminuire i peccati, non per accrescerli. Adunque quando il togliere l'occasione, è più difficile in pratica, che non è difficile, posta l'occasione, l'evitare effettivamente il peccato, non vi può essere obbligazione di toglierla: altrimenti si accrescerebbe il pericolo di raddoppiare la colpa, per quei medesimi mezzi, che sono prescritti dalla legge a distruggerla.* » – Haec autem directe impetunt opinionem, quam Croix (*contra plurimos,* ut ipse fatetur Lib. 5. n. 261.) ceu verisimiliorem defendit, et in quam quasi *veriorem* inclinat et S. Alphonsus, nimirum in casu quempiam teneri ad occasionem deserendam, *etiam cum jactura omnium bonorum fortunae, famae et vitae:* pro qua insuper falso allegat nonnullos Auctores *apud Jo. Sanchez,* ut ait, et *Stoz,* quorum tamen neuter reipsa quidpiam horum habet.

» Profecto, sive cum eodem Croix *chimaericam hypothesim* fingas hominis, qui *nullo modo facere possit, ut cesset periculum proximum,* sive melius de eo loquaris, qui ideo in eadem peccata jugiter relabitur, quia ex fragilitate etiam usum mediorum intermittit; *semper verum erit, istam Croixii opinionem, nec rationi consonam esse, nec prudenter ad praxim deduci posse.* – Et sane, poenitens utique ex lege naturae, tenetur ad vitandum proximum periculum. At vero, cum id obtineri duplici modo possit, nempe, vel utendo mediis opportunis, ut periculum (uti ajunt) fiat remotum, vel removendo seu fugiendo occasionem: poenitens, ex lege naturae, ad alterutrum tantummodo tenetur. Quo ergo jure, Confessarius hoc illi potius imponet quam aliud? Numquid aliquid, ut vidimus cum Lugo (sup. not. ad n. 605.), nisi quod necessarium sit, potest Confessarius praecipere? – Praeterea, cum manifestum sit, non posse nec debere poenitenti id imponi, quod, utpote ad exequendum difficilius, censetur moraliter impossibile, numquid vero facilius erit subire discrimen bonorum omnium, ut ait Croix, *tum fortunae, tum famae, tum etiam vitae,* quam remedia quaepiam ad minuendum peccandi periculum usurpare?

» Insuper, si juxta evidentem Ven. Pauli Segneri rationem, Confessarius praeferre id debet quod poenitentem a peccandi periculo magis removet, nunquam profecto eligere id poterit, in quo poenitens certius est peccaturus. Nunquam ergo Confessarius prudenter illud praeferet, quod improbabilius videri ad exequendum debet. Atqui nonne improbabilius speratur fuga occasionis cum tanto discrimine, quam mediorum, ad minuendum periculum, usus opportunus? Et mirum sane, quod Croix (l. c.) ostendat, nihil se permoveri Pallavicinii, quem allegat, ratione, nempe quod si obligatio imponatur occasionem cum tanto discrimine vitandi, hanc ordinarie poenitens violabit, nec occasionem deseret; unde id unice *imprudens Confessarius* consequetur, ut certam occasionem praebeat plura adhuc patrandi peccata!

» Caeterum, etiamsi *indiscreta illa obligatio* non imponatur, alia tamen via praesto est Confessario, cum interim possit, ubi res postulet, suspendere absolutionem, quo poenitens ad opportuna media

» adhibenda, efficaciter permoveatur. » Ut enim inquit Joannes Sancius » (Disp. 10. n. 10.) « *judicium ferri* » *debet de his, tamquam de habentibus consuetudinem peccandi,* » *non tamquam de habentibus occasionem; cum in eorum electione* » *situm non sit eam vitare.* » Et siquidem in poenitente moralis aliqua » diligentia appareat, valebit regula Suarezii (De Poenit. disp. 32. » sect. 2. n. 4.), quod « *neque est illi* » *deneganda absolutio, etiamsi iterum atque iterum reincidat, maxime si aliquantulum se contineat, et numerum peccatorum* » *paulatim diminuat; quod notavit* » *Navarrus Cap. 3. n. 21. Interdum* » *vero differri potest absolutio, et* » *major aliqua poenitentia vel cautio adhiberi.* »

» Illud etiam addendum est, quod » si Confessarius poenitentem reperiat fragilem adeo, atque etiam » inconstantem in mediis adhibendis, » ut eum minus dispositum ad absolutionem, ob defectum efficacis » propositi judicare debeat, adhuc » *imprudenter* ab homine tam fragili, infirmo et imbecillo, id exiget, quod difficilius ac moraliter » impossibile illi est; *multoque imprudentius,* rigide ac dure eum a » se rejiciet; sic enim hoc unice consequetur, ut poenitens desperabundus, peccatis profundius immergatur. Contra vero charitas, benignitas, et patientia, in eo saepe » excipiendo et audiendo, hoc saltem » obtinebit, ut nec penitus diabolo » deseratur, nec media ac preces » omnino abjiciat, nec via illi praecidatur, qua consiliis et hortationibus juvari possit, aditumque ad » reconciliationem sciat semper sibi » facilem patere; prouti scilicet Doctores agendum monent, ubi disserunt de confessionibus meretricis, usurarii, aliorumque hujusmodi, qui non sunt sufficienter dispositi, sed emendationis seu melioris vitae desiderium aliquod minus efficax, seu velleitatem tantum habent. Nec sane in casu, » oblivisci confessarius debet sententiam, qua Suarezius (de Relig. tr. 5. » lib. 3. c. 8. n. 7.) de hoc argumento » concludit: « *Nec hujusmodi humanae infirmitates efficacius curari* » *ab homine possunt.* »

III. – Antequam gravem hanc quaestionem aggrediamur, non possumus, quin methodum notemus, quam P. Ballerini hic in impugnando S. Alphonsum observat. Licitum profecto et liberum est cuilibet, doctrinas S. Alphonsi, quemadmodum cujusvis alius Sancti, *cum debita reverentia, modeste et bonis rationibus,* ut ait Benedictus XIV.,[1] impugnare, argumenta quae affert, confutare, et oppositam strenue defendere. Sed omnino non licet ipsi *imprudentiam* exprobrare, postquam Sedes Apostolica solemniter declaravit, constare de ejus prudentia in gradu heroico: quae decisio procul dubio respicit tam exercitium virtutum, quam *regulas morum* a Sancto traditas.[2] – Hinc summopere dolendum est, cl. Professorem eo animositatis abripi, ut *hypothesim vanam, chimaericam, absonam* et *absurdam,* atque sententiam, quam tenet S. Doctor et veriorem dicit, *rationi non consonam, indiscretam et imprudentem* nuncupare non haesitet.

Itaque demonstrabimus, doctrinam S. Alphonsi non modo non irrationabilem, indiscretam et imprudentem esse, sed omnino sanam, rectam, imo et sapientissimam, atque insuper communem inter DD. – Ut autem meliori ordine procedamus, 1. Statum quaestionis a S. *Alphonso* propositae, et rationes intrinsecas exponemus; 2. Ejus doctrinam gra-

1) De Serv. Dei Beatif., lib. 2. c. 34. n. 12.— 2) Hoc evidenter constat ex Decreto S. Rit. C. de die 7. Maji 1807. (Vide infra, Part. VI. de Recidivis, *Praenotanda* n. 4.; cfr. etiam ibid. Cap. I. *s.* 3. art. 1., et Cap. II. *s.* 2. in fine).

vissimis *Auctoritatibus* fulciri probabimus; 3. Auctoritates, quas *P. Ballerini* pro sua sententia allegat, perpendemus.

Articulus 1.

Exponitur status quaestionis a S. A. propositae, cum rationibus intrinsecis pro sua doctrina militantibus.

I. Cum cl. Professor de « *hypothesi chimaerica et absurda* » loquatur, prae caeteris casum in concreto ponemus, quem, quoad substantiam, plures Auctores adducunt.

1. Adolescens, qui sui juris non est, perdite amat conjunctam, cum qua in eadem domo habitare cogitur, et simili, imo majori fervore ab ipsa amatur. Pluribus peccatis cum ipsa commissis, conscientiae stimulis agitatus, ad confessionem accedit. Confessarius, occasionem hanc necessariam esse agnoscens, remedia consueta ipsi praescribit, imprimis ut solus cum sola versari evitare studeat. Poenitens nihil praescriptorum omittit, fideliter solus cum sola esse evitat; sed non evitat complex, quae industriose eum inquirit, et blanditiis ac sollicitationibus eo perducit, ut denuo misere cadat et peccet, sin minus consummatis, saltem imperfectis actibus, aut consentiendo in motus libidinosos. Redit ad Confessarium, qui in adhibendis remediis nullatenus negligentem absolvere non haesitat. Redit iterum atque iterum, eodem modo recidivus. Non peccat, praeterquam si a complice inquiritur et sollicitatur, ita ut sensu strictissimo vera sit suppositio : *eodem semper modo*. At denique Confessarius merito de firmo proposito, et dispositione sufficienti poenitentis dubitat; et, tum hac ratione, tum ut poenitens ad majorem in resistendo energiam excitetur, absolutionem ipsi differt. Redit poenitens, verumtamen denuo eodem modo recidivus, nec ullum extraordinarium dispositionis signum praebens.

2. Habes ergo sensu strictissimo casum, quem ponit S. A., et non remanent nisi duae quaestiones: 1°. *an in hoc casu, spes emendationis adsit*, et 2°. *quid Confessario agendum sit*.

3. Certum est, hunc poenitentem sollicitationi resistere posse, et non resistere propter defectum firmi propositi; nemini enim aliqua mandata, divina adjuvante gratia, servare impossibile est; quemadmodum ex damnatione Jansenii constat. Ex altera autem parte, haud minus certum est, hunc poenitentem plenam atque perfectam intelligentiam habere, tum gravitatis et turpitudinis peccatorum, quae committit, tum manifesti aeternae damnationis periculi, nihilque magis cupere, quam liberari a miserrima hac peccati servitute; secus enim remedia non adhibuisset, nec iterum atque iterum ad Confessarium rediisset. – Quo igitur loco causa suae fragilitatis quaerenda sit, ambigi nequit; et alia non est, quam *occasio praesens*, quatenus, licet invitus, a complice inquiritur et sollicitatur. S. A. verissime dicit (Lib. 6. n. 452. in fine): « *Occasio extrinseca, praesertim ubi agitur de vitio turpi, quando praesens est, ita mentem excaecat, ut omnia proposita e memoria deleat, et ad peccata ita impellit, ut aliquis, etiamsi certam suam damnationem ab illo crimine secuturam cognosceret, adhuc a peccato non desisteret.* » Praesens occasio hominem, praesertim alioquin ardentis cupidinis fomitem secum portantem, ut in nostro casu, quasi fascinat; quemadmodum legitur Sap. 4. 12 : « *Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia.* » Cornelius a Lapide, ad Matth. 5. 29., citat S. Cyprianum dicentem : « De carbonibus scintillae dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiae pestilentiam, quam Salomon sic comparat, dicens:

De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. » Et subjungit: « Femina enim visu est basiliscus, voce siren; voce incantat, visu dementat, utroque perdit et necat. »

4. Ex his explicationibus satis patet, quid ad *primam* quaestionem supra propositam respondendum sit, videlicet: Exhaustis omnibus remediis, nec non absolutionis dilatione frustra adhibita, Confessarius nullo modo rationabiliter sperare potest, fore ut poenitens, de quo sermo est, in occasione proxima perseverans emendetur. - Patet simul responsio ad *secundam* quaestionem. Si Confessarius, propter dubiam poenitentis dispositionem, prima vice absolutionem procrastinaverat, tanto minus secunda vel tertia vice, eodem modo recidivum absolvere poterit. Iteratis autem dilationibus, poenitens certo certius, infructuosorum remediorum pertaesus, et aliam sibi viam patere, qua miserrimo suo statui evadere possit, non advertens, de emendatione sua desperans ad confessionem non redibit, et in peccatis suis marcescet.

5. Nullum ergo superest remedium, praeterquam quod Confessarius poenitentem his vel similibus verbis alloquatur: « Fili mi, experientia fragilitatem tuam satis te edocuit, et ipse persuasum habebis, emendationem tuam nullatenus esse sperandam, quamdiu in hac occasione persistis. Si ergo vis salvus fieri, age fortiter et viriliter; abscinde fragilitatis tuae causam et peccatorum radicem, relinque domum paternam, quidquid inde eveniat; Deus optimus et maximus non te derelinquet, si praestiteris, quod a te pendet, sed potenti et misericordi auxilio tibi succurret. »

6. Audita ultima hac Confessarii sententia, nequaquam timendum est, poenitentem desperaturum esse; nam aeternam suam salutem ipsi cordi esse, satis superque demonstravit. Idcirco contrarium potius optimo jure expectandum est. Clare et praecise quid sibi praestandum sit, ut animam suam salvet, prae oculis habens, aut domum paternam relinquet, aut extrema tentaturus, omnes vires et nervos contendens, atque ferventius solito et ex toto corde divinam opem implorans, sollicitationi complicis resistet, et victor tandem in hoc certamine existet. Salvus in utroque casu; alias in peccatis marcescens, et forte periturus ex culpa Confessarii. Imo, etiamsi sana haec consilia non statim iniret, nihilominus vigil conscientia in peccatis marcescere ipsum non sineret, nec clamare cessaret, donec alterutrum opere impleverit.

II. Posuimus casum, cujus adjuncta a priori omnes objectiones rescindunt; at similes quoad substantiam accidere posse, nemo negabit. - Ideoque hypothesis non est vana, chimaerica, absona, absurda; nec rationi non consona, indiscreta, imprudens doctrina S. Alphonsi, *sed potius rationi, naturae hominis et experientiae omnino consona, prudentissima et sapientissima, atque unica, qua saluti poenitentis consulitur.* - Sapienter enim monet S. Doctor, Lib. VI. n. 452. de occasione proxima disserens: « In his autem » omnibus, praesertim ubi turpium » lapsuum periculum imminet, ad» vertat sedulus Confessarius, quod » *nunquam crudelius se geret cum* » *poenitente, quam benignius agen*» *do,* et quo majorem severitatem ad» hibebit, eo melius, illius saluti con» sulet. » Et n. 456. renovat regulam, jam alio loco generaliter stabilitam: « Ego sentio et dico, quod, » ubi agitur de liberando poenitente » a peccato formali, licet permitta» tur manere in materiali, tunc Con» fessarius curare debet, in quantum » christiana prudentia concedit, uti » opinionibus benignioribus, gravi » tamen fundamento roboratis. *Ubi* » *vero opiniones benignae propin*» *quius admovent ad periculum pec-*

» *cati formalis, ut accidit in hac* » *materia occasionis proximae, di-* » *co, quod Confessario uti expedit* » *sententiis rigidioribus; sic enim* » *magis consulet suorum poeniten-* » *tium saluti.* »

III. Ceterum dantur etiam casus, in quibus poenitenti prima vice ad confessionem accedenti, *nullo praevio experimento,* imponendum est, ut occasionem deserat, quia circumstantiarum complicatione, occasio cum peccato ita coalescere potest, ut periculum formale et proximum nullo pacto in materiale et remotum converti queat.

1. Ejusmodi casum explicat *Cardenas, S. J.,* [1] quem saepius accidisse testatur: « Quaerit peccator, in fomentum suae luxuriae, puellam suis deliciis idoneam. Incidit in quamdam parentibus orbatam, prae fame fere pereuntem, et omni humana spe destitutam. Haec, post diuturnum tempus concubinatus, conscientiae morsibus lacerata, vadit ad Confessarium. Iste agnoscit necessitatem moralem persistendi in ea domo: alias fame peribit; et dum hortari conatur, ut, persistens in domo, resistat luxuriae sui complicis, et adhibeat media salutaria, propositi, orationis, etc. Respondet illi, id sibi esse impossibile; quia si resistat libidini complicis, illam certissime e domo expellet; quo facto, prae fame peribit. » – Hoc casu exposito, pergit dicens: « Respondeo, in hoc casu teneri feminam, ad assumendum illud unicum medium egrediendi e domo, etiamsi prae fame peritura sit. Atque adeo, quaestioni in titulo hujus articuli praefixae respondendum est: *cum datur ejusmodi complicatio impossibilitatis eripiendi se ab occasione proxima, et ab ipso periculo peccandi proximo, vincendam esse eam impossibilitatem moralem, deserendamque occasionem proximam, etiam cum periculo vitae, aut egrediendo, aut patiendo se expelli.* »

2. Quid autem Confessario in hoc casu agendum sit, *Cardenas* sic explicat loco cit.: « *149.* Inquires, quomodo se geret Confessarius circa absolutionem hujus feminae? an scilicet non liceat absolvere, donec ipsa sponte egrediatur domo; an potius videns Confessarius in ea propositum constans resistendi, et patiendi quod expellatur a domo, possit eam absolvere ante egressum? – *150.* Respondeo, in hoc casu habere Confessarium urgentissimum motivum ad credendum, ei feminae non inesse propositum efficax resistendi suo complici, *si nollet sponte domo egredi.* Nam cum illa videat, se ex sua resistentia certissime expellendam, et ipsa nolit sponte sua egredi; signum evidens est, quod vult persistere, non solum in domo, sed etiam in concubinatu. Quare *nullo modo est absolvenda, nisi prius domo egrediatur.* Conabiturque Confessarius illi suadere, ut in Deo confidat, qui quaerentibus regnum Dei et justitiam ejus, promittit se non defuturum; quin potius illis haec omnia temporalia adjicienda. »

Articulus 2.

Probatur, doctrinam S. A. gravissimis Auctoritatibus fulciri.

I. Doctrina S. Alphonsi non solum invictis nititur rationibus intrinsecis, sed etiam gravissimis Auctoritatibus extrinsecis sustentatur. Ac prae caeteris, *Sacris Litteris,* speciatim textu: *Si oculus tuus scandalizat te,* etc. [2] – *Cornelius a Lapide,* Matth. cap. 5. v. 29. et 30. exponens, dicit: « Patet, utramque hanc esse parabolam, a duobus membris praestantissimis et homini maxime necessariis, scilicet dextro oculo et manu petitam, qua significat, abjiciendum esse omne id quod ad peccatum nos sollicitat, quantumvis

1) Crisis secunda, diss. 40. c. 7. art. 3. n. 145. — 2) Marc. 9. 42., Matth. 5. 29. et 18. 8.

charum, pretiosum et necessarium sit. » – In eodem sensu *communiter SS. Patres* hunc textum interpretantur, signanter Hilarius, Athanasius, Pacianus, Cyrillus, Chrysostomus, Auctor operis imperfecti, Augustinus, Anastasius, Salvianus, quos citat Tanner, [1] nec non et ceteri Interpretes. *S. Thomas* [2] sensum paucis verbis comprehendens, ait: « *Scandalizat te,* id est, fit occasio ruinae tuae sive scandali; *abscinde eam,* scilicet, dimittendo vel fugiendo.»

II. Porro S. Doctor, ut vidimus, non solum *SS. Canones* et *S. Carolum Borromaeum* pro sua sententia allegat; sed insuper *plures alios Auctores,* ut sunt Busembaum, Roncaglia, Continuator Tournely, Viva, Suarez, Navarrus, Reginaldus, Mazzotta; item Cajetanus, Tanner, Cardenas cum Croix. – Et Croix, praeter Cajetanum, Tannerum et Cardenam, citat Ludovicum Lopez, Joannem Corradum, Jacobum de Graffiis, Lorcam, et alios apud Joannem Sancium et Stoz.

III. Omnes istos Auctores alto silentio praeterit *P. Ballerini,* quasi non existentes, et quasi S. Doctor suam doctrinam ex solo Croix hausisset, quem tamen ultimo loco citat, et praemissis octo aliis Auctoribus, a Croix non allegatis. – Id solum advertit cl. Professor, quod Croix perperam alleget nonnullos Auctores apud Sancium et Stoz: « *quorum tamen neuter* (affirmat P. Ballerini), *reipsa quidpiam horum habet.* » – Sed nequidem hoc verum est. Nam *Joan. Sancius* [3] *Lopezium, Medinam* et *Coriolanum* citat: « Advertas tamen, *Lopezium* rigide nimis fuisse locutum, dum ait, deserendam esse occasionem, et cum jactura existimationis et famae. Et quod magis mirandum est, idipsum dicit de personis, quae sui juris non sunt. Nec reputat impossibilem separationem: sicut licet necessarium alicui domi suae manere, si tamen incendium aut periculum mortis pateretur, viis omnibus, vel per fugam recessum sibi pararet; sic illis, qui sui juris non sunt, ut filius familias et ancilla, dum res nihilo melius se haberet, aut in pejus abiret, aut etiam spes emendationis non interveniret, neganda erit absolutio, nisi patris, aut heri sui fugiant domum. Hoc ait cap. 22. §. 3. notab. in fine; at quam rigidum sit hoc, dicimus n. 16.; unde nec credendum *Medinae,* [4] docenti eandem doctrinam quam *Lopez.* Ita etiam docet *Coriolanus.* [5] » – Et loco cit. n. 16., Sancius inter alios insuper citat *Suarez* et *Reginaldum,* quos S. Alphonsus, non autem Lacroix affert.

IV. Sunt etiam multi alii graves DD., qui eamdem doctrinam tenent ac propugnant. Aliquos saltem adducere juvat.

1. *Jacobus Marchantius* [6] scribit: « Cum ergo occasio censetur proxima alicui, talis non potest absolvi, nisi proponat tollere; si autem non sit proxima, potest absolvi. - Sed quid, si poenitens dicat, se non posse sine scandalo, vel infamia, vel gravi incommodo tollere? Hujusmodi casus sunt quotidiani, et multum timoratos Confessarios torquent. – Exemplum sit. Famulus et ancilla in eadem domo conversantes, sibi mutuo carnalium cogitationum et tactuum occasio sunt; et allegant se eam domum non posse deserere sine gravi incommodo, quia alibi ministerium non sint reperturi. – Item filius familias male conversatur cum ancilla, aut consanguinea cohabitante, vel etiam sorore; et dicit se non posse deserere paternam domum, nec idipsum fieri posse ab altera. – Item adolescens in matrimonium optat aliquam puellam, nec potest eam alloqui sine motibus carnis, in quibus

1) T. 4. disp. 6. q. 9. n. 112. — 2) Comment. in Matth. 5. — 3) Disp. 10. n. 8. — 4) Sum., fol. 63. — 5) De cas. reserv. P. 1. sect. 1. art. 14. — 6) Resol. pastorales, tr. 5. c. 2. q. 1.

*

solet delectari, et sic est in frequenti statu peccati; sed hanc familiaritatem ob matrimonium praetensum negat se posse deserere. »

« Resp. In his et similibus casibus videndum esse, an sit aliquod remedium, quod susceptum a poenitente, credatur posse ipsum cum Dei gratia praeservare a lapsu. Atque ita poenitens, si admittat tale remedium, cum proposito non consentiendi ulterius peccato, posset absolvi. » - Et expositis remediis consuetis, pergit:

« *Sed quid, si adhuc reincidat, et absolutionem iterum iterumque reincidens petat?* - Resp. non ideo negandam, si propositum firmius, quam antea repetat: praesertim si aliquantum se contineat, et diminuat numerum peccatorum, ita ut aliqua inchoatio, aut spes emendationis possit adverti. *Quod si nulla est tandem apparentia aut spes emendationis,* sed potius ruina in pejus, dicendum ei, et rememorandum illud Christi: *Si oculus tuus, aut pes, aut manus scandalizat te, projice eam.* Hoc est, licet aliquis tibi tam commodus aut necessarius videtur, quam est oculus, aut pes, aut manus, et tamen propter illum tibi ruina est salutis; melius tamen est, ut ejus emolumentis careas, quam ob illum protraharis in gehennam: ideoque separa te ab illo, quamvis conjunctissimus tibi sit et utilissimus. Sicut enim praestat, ut cum uno oculo, pede, manu, ingrediaris regnum coelorum, quam cum duobus mittaris in gehennam; ita et hic. Hic est discursus Jesu Christi, de quo supra iterum dixi, saepe repetendus, et poenitentibus in periculo agentibus fortiter inculcandus; *ut solvant vincula colli sui et colligationes impietatis, ac fasciculos deprimentes,* sive occasiones istas pertrahentes in gehennam; imploret vero Confessarius auxilium Spiritus pro illis, ac pro se, ut, juxta prudentiam spiritus, illis possit consulere et opem ferre. »

2. *Leonardus Jansen* ait: [1] « Si advertas, poenitentem esse in occasione proxima extrinseca, coge, ut eam deserat; vel, si sine gravissimo damno eam deserere non possit, faciat ex occasione proxima remotam, muniendo se per quotidianas preces, proposita, confessiones, etc. *Quodsi, etiam his non obstantibus, maneat idem periculum relabendi,* uti ordinarie manet in fornicario, qui in propria domo habet concubinam, etc., *tenetur eam tollere, etiam cum periculo famae et vitae; alias absolvi non potest* ... Sed quid, si filia habeat turpem consuetudinem cum famulo, quem nec potest dimittere, nec scelus sine infamia aperire, neque fugere sine gravissimis incommodis? R. Debet ex occasione proxima facere remotam, se in dies muniendo per proposita, cavendo ejus alloquium vel consortium, servum monendo, ut dimissionem petat, vel minando sceleris manifestationem; *si haec non juvent, debet potius* per se, vel per alium crimen patri aperire, *fugam, vel mortem eligere,* matrimonium inire, quam cum proximo periculo relabendi servo commanere. Idem est de filio familias habente consuetudinem cum famula. »

3. *Henno:* [2] « Si poenitens versetur in occasione proxima, quam nequit deserere sine gravi admodum incommodo in bonis famae aut fortunae, potest absolvi semel atque iterum, si credatur vere contritus, et ab occasione animo aversus. Nec est tam cito urgendus ad occasionis dimissionem, si velit practicare remedia contra relapsum idonea, si quae reperiri possint. »

« Ratio est, quia, ut diximus, eo ipso quo poenitens paratus est adhibere remedia ardua, ad vincendam pravam consuetudinem, occasio antea proxima, censetur jam esse remota; quia propensio in malum nunc est

1) T. 2. cas. 98. n. 21. — 2) De poenit. disp. 7. q. 1. concl. 5.

aliquo modo ligata et refraenata. Hinc, si filius familias soleat peccare cum domestica; si Parochus, ob exceptas mulierum confessiones, frequenter voluntarie polluatur; si mercator vendendo, saepe falso juret; si chirurgus, medendo secretioribus feminae partibus, pluries desideria concipiat impudica, et sic de aliis: non obligabitur statim filius domum paternam deserere, Confessarius sedile, mercator officinam, chirurgus artem suam; sed omnes, remediis convenientibus, tum a se excogitatis, tum a spirituali medico et judice suggestis et imperatis, pravae consuetudini repagulum opponent, donec penitus eam eradicaverint. Quod si inter conandum aliquoties relabantur, raro tamen, ut communi omnium fragilitati et ad peccandum fomiti adscribendum erit. »

« *Attamen, si omnibus tentatis, perseveret nihilominus occasio peccandi, obligandi sunt ad deserendam talem occasionem; nec prius absolvendi, quam deseruerint;* quia manere in ejusmodi occasione, est peccatum mortale, ob evidens peccati periculum: esto reipsa nihil mali sequeretur, nec esset peccandi intentio explicita. Unde tunc urget illud Christi, Matth. 18.: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te: bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis;* quasi diceret: Si domus paterna, officium, ars, commercia, et similia, sint tibi causa ruinae spiritualis, illa omnia desere; melius est enim, ut illis privatus ascendas in coelum, quam cum illis descendas in infernum. Honor tuus periclitatur, inquis; sed honori et quibuscumque aliis praevalet salus tua. »

« Dixi in Conclusione: Si quae remedia idonea reperiri possint: nam *si occasio esset talis, ut nulla foret spes aliqua remedia esse profutura, obligandus est, etiam prima vice, ad illius dimissionem;* sicut diximus de illo, qui remedia expertus, non potuit illam vincere. Imo nec est absolvendus, si ante confessionem noverat, se teneri ad illam occasionem deserendam, donec illam de facto dimiserit, licet cum gravi incommodo: quod accidere potest respectu adolescentis, vehementi passione puellam diligentis. »

4. *Flavianus Ricci,* in nova edit. Anacleti, [1] hanc doctrinam Francisci Henno allegat et approbat.

5. *Wigandt:* [2] « Tutius et probabilius est, quod, *qui sunt juris sui,* ita ut expellere possint personam, cum qua versantur in proximo periculo seu occasione peccandi, teste experientia, videntes se continere non posse, *teneantur eam expellere.* Si expellere eam nequeant, *ipsi abire debent, licet ex hoc infamia sui aut aliorum sequatur.* Et hoc Confessarius talibus poenitentibus tenetur consulere, nec aliter eos potest absolvere. Ita docet Angelicae puritatis Doctor Aquinas, [3] et ex eo Corradus ac alii ... Ratio: quia *praestat, famam, honorem, opes et vitam ipsam millies perdere,* quam summum Bonum offendere. »

« Cum Corrado probabilius est, quod, *qui sui juris non sunt,* v. g. filii et filiae familias, uxor, mancipia, etc., non teneantur domum relinquere. Tenentur tamen pro virili resistere, quasvis occasiones, nimirum conversationem, alloquia, etc. tollere, clamoribus, si opus fuerit, se defendere, nec ullo metu (exemplo Susannae) consentire. Quod, nisi se facturos promittant, non absolvantur. Quae omnia, si non juvent, *separationem,* quae omnino impossibilis non est, quaerere tenentur. Ratio est eadem. »

6. *Antoine, S. J.,* ait: [4] « Quod si,

1) Tr. 14. dist. 8. n. 50. — 2) Tr. 5. exam. 2. q. 10. (edit. Pisaur. 1754.). — 3) Quodlib. 11. art. 12. — 4) De poenit. c. 3. art. 3. q. 6.

mediis ad emendationem adhibitis, adhuc peccet, ut antea, tunc per *negationem absolutionis* cogendus erit poenitens ad deserendam illam occasionem, *cum quantocumque damno temporali.* Ita S. Carolus ibidem. Nam tunc ipse poenitens tenetur sub mortali eam dimittere, *etiam cum bonorum, famae, et status jactura;* juxta illud Christi praeceptum, tunc urgens: *Si oculus tuus,* etc. Idest, res charissimae et utilissimae dimittendae sunt, ad vitandam occasionem proximam peccati. Et vero, peccatorem tam fragilem, et remedia adversus relapsum praescripta saepius frustra expertum, velle adhuc permanere in tali occasione, est moraliter illum velle peccare; etenim vult aliquid cum peccato moraliter conjunctum, etsi solum respective ad se ipsum, censetur velle ipsum peccatum. Unde Concilium generale Lateranense II. can. 22.: *Falsa etiam fit poenitentia, cum poenitens ab officio vel curiali, vel negotiali, non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione praevalet.* Igitur tunc dimitti debet officium, munus, ars, mercatura, etc., si perseveret esse occasio peccandi. »

7. *Felix Potestas* [1] citat et approbat sententiam *Sierii,* qui [2] cum communi docet, versantes in occasione proxima necessaria non teneri occasionem deserere cum gravi infamia aut magno damno, et absolvi posse, dummodo remedia praescripta adhibeant. – Plura exempla adfert de filio familias, de chirurgo, de parocho, etc., et pergit:

« An autem, *si postquam adhibita sunt alia remedia,* et poenitens saepius absolutus in eadem relapsus sit peccata, *sine ulla emendatione,* possit absolvi, quamvis nolit omittere illam occasionem: est gravissima difficultas; atque ea tota pendet ab illa quaestione, an in tali casu teneatur poenitens subire illud grave damnum, ut tollat occasionem proximam. – Non teneri ad hoc, adeoque posse in praedicto casu absolvi, docet cum Vivaldo et aliis, Cardinalis de Lugo [3] ... *At oppositum docet Suarez,* [4] *cui assentior;* quia, si adhibitis omnibus aliis mediis, perseverans in illa occasione proxima, non experitur ullam emendationem, videtur, quod *remotio talis occasionis sit unicum medium* ad vitanda peccata, adeoque adsit obligatio tollendi tale periculum, *nec ab hac obligatione eximitur ratione damni,* quod passurus erit; juxta illud: *Si oculus tuus, vel pes tuus scandalizat te, erue eum:* et quidem debet homo, juxta Christi Domini praeceptum, *amittere potius omnia bona mortalia,* ne animae suae detrimentum patiatur. A fortiori dabunt hanc doctrinam *Tannerus,* [5] *Lopez,* [6] *Cajetanus* et *Corradus;* qui omnes docent, etiamsi nulla alia media fuerint inutiliter adhibita, adhuc *non obstante quocumque damno,* teneri hominem deserere occasionem proximam. – Ad argumentum pro opposita sententia respondetur: Non teneri hominem, ante adhibita alia media, subire illud grave damnum ex remotione occasionis; quia haec remotio non apparet unice necessaria ad evitanda peccata; apparet tamen unice necessaria, si, postquam adhibita sunt alia media, haec videntur insufficientia ad impediendos relapsus. Unde non est mirum, si, antequam adhibita fuerint alia media, homo sit dispositus ad sacramentalem absolutionem, non vero post adhibita inutiliter alia media; nam in primo casu, cum remotio occasionis non fuerit unicum medium, non tenebatur homo ad illud suscipiendum cum notabili incommodo: in secundo casu, cum censeatur *unicum medium,* tenetur ad illud etiam cum notabili incommodo; adeoque, si illud adhibere renuat, non est dispositus ad sacramentalem absolutionem. »

1) Exam. Conf. T. 1. n. 3659. — 2) In Opusculo de Sacr. Poenit. (in edit. anni 1698.). — 3) De poenit. disp. 14. n. 156. — 4) De poenit. disp. 32. sect. 2. — 5) Tom. 4. disp. 6. n. 112. — 6) In Instructorio, c. 8.

8. *Thomas Ex Charmes:* [1] « Iis, qui versantur in occasione *per se*, quae est necessaria et involuntaria, v. g. fratri cum sorore peccanti, differenda est absolutio, donec per executionem mediorum, ad emendationem utilium a Confessario praescriptorum, signa fidelitatis et conversionis non aequivoca dederint; nam sine absolutionis dilatione, poenitentes in tali occasione a relapsu efficaciter averti non solent, et consequenter exponerentur periculo, brevi amittendae gratiae sacramentalis. Quod si, *mediis ad emendationem adhibitis*, adhuc peccet ut antea, tunc per *negationem absolutionis* cogendus erit poenitens ad deserendam illam occasionem, *cum quantocumque damno temporali, et etiam famae et status jactura.* »

9. Similiter dicit *Reuter, S. J.:* [2] « Absolvendus est existens in occasione proxima, quam moraliter vitare non potest, puta quia alias subeunda esset gravis infamia, vel damnum valde grave, temporale aut spirituale; modo prudenter judicetur, habere dolorem seriumque propositum adhibendi omnia media, ad periculum formale destruendum necessaria. Ratio est, quia, si possit velitque ex occasione proxima facere remotam, paratusque sit praestare, quae moraliter potest, prudenter creditur esse dispositus; fieretque illi injuria, si cogeretur in tali casu occasionem deserere statim. Uti, si filius cogeretur discedere ex paterna domo; Parochus vel Chirurgus officium, quibus haec essent proxima peccandi occasio, quam serio vellent facere remotam, abdicare statim juberentur. Ratio est, quia occasio de se non est peccatum, et, ut ponitur, poenitens paratus est, vim ejus inductivam ad peccatum enervare. »

« *Attamen, si occasio esset talis, ut stante illa, sperari emendatio non posset, aut spes nulla esset, remedia esse profutura; nec prima vice absolvi posset, nisi prius eam deseruerit: quia velle manere in tali occasione, est velle peccatum;* valetque tunc illud Christi, Matth. 18: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te;* id est, abscinde occasionem illam, etsi esset tibi res cara, ut oculus, etc. Ac illud Matth. 10: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* – Similiter, si adhibitis mediis, aeque frequenter relabatur ex illa occasione, differenda est absolutio, donec emendatio appareat; nisi forte nunc aliis mediis videretur juvandus, aut alia adessent signa sinceri doloris et propositi. Si autem per media alia relapsus rarus, aut multo rarior reddetur, serioque poenitens cooperaturus divinae gratiae videretur, absolvi posset. »

10. *Amort:* [3] « Quid observare debeat Confessarius alicujus constituti in occasione proxima peccandi? Respondeo. Illum peccare, qui se exponit formali periculo, vel certo, vel etiam probabili tantum, aut qui voluntarie manet in occasione proxima peccandi: et ideo *talem occasionem esse vitandam cum quocumque incommodo, etiamsi mors esset subeunda:* ac consequenter concubinarium, vel quemcunque alium actu peccare, et *ne quidem semel absolvi posse*, qui domi retinet mulierem, ob quam ipse est in periculo vel occasione proxima peccandi. – Si tamen tunc esset nova et certa spes ex prudentibus motivis, quod illam esset proxime ejecturus, aut quod talem occasionem per aliqua media sibi suggesta redditurus esset ex proxima remotam, adeoque facturus, ut hoc, quod hactenus ipsi fuisset formale periculum, postea esset materiale tantum, absolvi posset pro illa vice: attamen non esset hoc facile credendum. Et postea, si per experientiam adverteretur, quod permaneret pe-

1) De poenit. c. 6. q. 5. *s.* 4. — 2) *Neo-Confessarius practice instructus*, P. 3. c. 1. n. 174. — 3) Tr. 13. *s.* 26. q. 12.

riculum proximum relabendi, omnino absolvi non posset, *nisi actu antecedenter removisset talem occasionem.* Si poenitens obtendat, *se non posse* vitare certam domum vel personam, dic ei: si esset periculum in domo, vel a persona illa contrahendi pestem, numquid invenires modum et praetextum vitandi? Jam multo magis, quia tibi afflabitur pestis animae, quod per experientiam scis. »

11. *Billuart:* [1] « Quando quis versatur in occasione proxima, quam sine gravi detrimento famae vel fortunae deserere non potest, ut si officium confessarii, chirurgi, mercatoris, advocati, etc., sit illud exercenti occasio proxima, aut ancilla filiofamilias in domo paterna, quam sine offensione parentum deserere non potest; Confessarius non debet prima vice eum adigere, ut deserat occasionem; sed debet illi praescribere congrua remedia, quibus occasio proxima mutetur in remotam, et ipsi, si appareat bene dispositus et ad acceptanda remedia promptus, impendere absolutionem, ut, ejus beneficio et gratiae auxilio, fortior ad superandas tentationes et occasiones evadat: si vix aut ne vix emendatus redeat, adhibitis tamen remediis, urgentiora praescribat, et iterum absolvat: *at si tandem, sive adhibitis sive neglectis remediis, nulla aut vix ulla sit emendatio, non obstante quovis incommodo, non absolvatur, priusquam occasionem deseruerit;* tunc enim urget Christi sententia Matth. 5: *Si oculus tuus dexter* (id est, si quod tibi summe est utile) *scandalizat te, erue eum et projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.*»

12. *Voit, S. J.,* inquit:[2] « Qui constitutus est in occasione proxima *involuntaria,* tunc potest absolvi, quando, praeter vera signa doloris, serium adhibet conatum ex occasione proxima faciendi remotam. Ratio est, quia haec occasio ipsi involuntaria est, et, si serium sit propositum, occasio hucusque proxima, per victoriam sui ipsius cum gratia Dei posthac illi erit remota; muniendus autem talis est bonis principiis, injungendae poenitentiae medicinales, etc. Sic filius, qui a patre nequit discedere, neque facere, ut ancilla e domo paterna expellatur, cum qua tamen hucusque frequenter peccavit, tenetur ex hac occasione proxima facere remotam, sive tollere periculum relabendi formale, muniendo se per magnam peccati detestationem, per seria proposita cavendi ancillae alloquium, nunquam solus cum sola conversandi; sic adhibeat media, quae ipsi Confessarius suggeret. Idem esto judicium de filia, quae turpem consuetudinem habet cum famulo. Addit Lacroix: *Si nihilominus manet periculum formale et proximum, tenetur talis, cum quocumque incommodo, etiam cum dispendio vitae, abire.* »

V. Porro plures Auctores pro sententia *opposita* citati, punctum quaestionis a S. Alphonso propositae non attingunt; sed sententiam illorum impugnant, qui absolute affirmant, non licere remanere in quacumque occasione proxima, etiam necessaria.

1. Sic *Palaus, S. J.,* qui [3] hanc sententiam refutat, et pluribus exemplis occasionis necessariae adductis, *n. 17.* dicit, poenitentem in occasione proxima, quam fugere non tenetur, absolvendum esse, quoties Confessarius intelligit, ipsum firmum animum emendationis habere. At subjungit: « *Expediet tamen videre, an aliqua emendatio sit: nam si nulla apparet, differenda erit absolutio;* non quia necessarium sit differri, si de firmo proposito probabiliter constat, sed ut illo intermedio tempore se amplius disponat, aliquamque poenitentiam faciat. Quan-

1) De poenit. diss. 6. art. 10. *s.* 5. — 2) De poenit. n. 733. — 3) Tr. 2. disp. 2. p. 9. *s.* 3.

do autem nulla adest emendatio, sed forte major in dies peccatorum numerus augetur : satis certo potest Confessarius inferre, non habere poenitentem verum propositum se emendandi; quia in peccatum grave non ita facile labitur quis, quando illud ex animo execratus est, majorique diligentia se praecavet, quidquid in contrarium sentiat Joan. Sancius.»

2. Cum autem in casu a S. Alphonso proposito, poenitens *semper eodem modo* relabitur, ex sententia Palai hujusmodi poenitens, qui post primam absolutionis dilationem iterum atque iterum sine ulla emendatione revertitur, iterum atque iterum non absolvendus est. Quod perinde est, ac *indirecte ipsum cogere, ut occasionem deserat*. At vero multo melius saluti poenitentis consulitur, si Confessarius, omnibus remediis opportunis, nec non exhortationibus et obsecrationibus exhaustis, *directe ipsi declarat, occasionem esse deserendam, ut animam salvet;* quia secus, ut jam supra exposuimus, timendum est, ne de sua emendatione desperans, ad confessionem non amplius revertatur, et in suis peccatis marcescat. Imo vix unquam alium exitum habebit ista methodus.

3. Unde jure optimo sententia, quam tenet S. Doctor noster, *communis* dici potest et debet, eo magis quia gravissimi DD. eam tuentur.- Nihil ergo nobis superest, nisi ut Auctoritates, quas cl. Professor pro sua sententia adducit, examinemus.

Articulus 3.

Perpenduntur Auctoritates a cl. Ballerinio pro sua sententia allatae.

I. P. Ballerini, pro sua sententia, primo loco adducit *Cardinalem de Lugo* [1] dicentem: « Adhuc post experientiam illam nullius profectus, potest stare dolor verus et propositum requisitum, absque voluntate auferendi occasionem cum tanto detrimento. Ergo potest absolvi poenitens; nihil enim aliud requiritur, nisi confessio cum dolore et proposito. » – Ad quem, quasi ad testem omni exceptione majorem, lectorem delegat P. Ballerini, his verbis: «*Sed » adi ipsum Card. de Lugo* (Disp. 14. » n. 158., 159.), *et nullius momenti » ea apparebunt, quae S. Alphon- » sus ex vana Croixii hypothesi ob- » jecit.* » Obtemperabimus, et Cardinalem de Lugo adibimus.

1. *Lugo, S. J.,* l. c. *n. 156.* quaestionem ponit: « An qui saepius absolutus propter grave detrimentum, quod sequeretur ex remotione occasionis proximae, eodem tamen modo semper relabitur, nec in eo ulla correctio reperitur, cogendus sit subire illud detrimentum, et relinquere occasionem illam proximam? » et respondet: « Sententia (negativa) in rigore verior videtur per se loquendo, licet per accidens possit prior (affirmativa) habere locum. » – Deinde argumenta', quibus prima hujus propositionis pars probatur, diffuse explicat; et demum *n. 160.* concludit: « Dixi tamen, *per se loquendo,* videri hanc partem veriorem, licet *per accidens* possit altera sententia (i. e. cogendum esse poenitentem subire illud detrimentum, et relinquere occasionem illam proximam) locum habere: *quia aliquando ex illa experientia arguetur, poenitentem carere nunc vero dolore et proposito requisito;* qui enim efficaciter proponit et serio rem aliquam, quam aliunde moraliter implere potest, non ita facile obliviscitur statim sui propositi, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius vel rarius cadit. Unde in ipsis etiam peccatis venialibus, solet aliquando argui imperfectus dolor, ex uniformi perseverantia in eisdem, sine ulla specie emendationis: in iis tamen facilius potest praesumi propositum validum, quia impossibilitas materiae facere potest, quod, non obstante

1) De poenit. disp. 14. n. 158.

repetito dolore et proposito, in eadem saepius relabamur; in peccato autem mortali, quod cum divina gratia potest non ita difficile vitari, major est praesumptio de imperfectione propositi: *quare, ex hoc capite, posset negari vel differri absolutio, ut paulo inferius dicemus de reincidente saepe in eadem peccata mortalia, absque ulla emendatione.* »

2. Ex his patet, inter Lugonem et S. Alphonsum, quod hujus quaestionis substantiam attinet, nullam dissensionem existere. Si Lugo *n. 158.* dixerat, nihil ad absolutionem requiri, nisi confessionem cum vero dolore et requisito proposito, supposuit, Confessarium probabiliter judicare posse, poenitentem vero dolore et requisito proposito non carere. Si autem Confessarius ita judicare potest, jam probabilem spem habet, emendationem poenitentis esse consecuturam. Omnino ergo consentit S. A., qui poenitentem ad dimittendam occasionem teneri, eo tantum casu asserit, quo *nulla probabilis spes emendationis* adest. – Si vero Lugo deinde *n. 160.* dicit, aliquando per accidens poenitentem ad relinquendam occasionem cogendum esse, in quantum aliquando ex illa experientia arguetur, ipsum vero dolore et requisito proposito carere, rursus ambo conveniunt. Si enim Confessarius, ex illa experientia, *defectum sufficientis propositi* arguit, jam emendationem poenitentis probabiliter sperare nequit.

3. Thesis, quam Lugo defendit et multis argumentis probat, alia non est quam: Periculum proximum peccati mortalis, *in se* nunquam sufficiens ratio esse potest, ob quam quis ad relinquendam occasionem, cum gravissimo detrimento cogendus esset; sed solummodo *per accidens*, quatenus iterati relapsus, sine ulla emendatione, defectum requisiti propositi demonstrant. Ast nec S. Doctor obligationem deserendi occasionem, ex periculo proximo deducit; sed ex eo, quod, omnibus remediis frustra adhibitis, nulla probabilis spes emendationis remaneat. – Reapse ergo nonnisi verbis discrepant, quoad substantiam autem conveniunt.

II. Citat porro P. Ballerini regulam, quam tradit *Ven. Paulus Segneri, S. J.*, dicens: « *Il precetto di fuggire l'occasione è stato imposto dalla legge naturale, per diminuire i peccati, non per accrescerli. Adunque quando il togliere l'occasione è più difficile in pratica, che non è difficile, posta l'occasione, l'evitare effettivamente il peccato, non vi può essere obbligazione di toglierla: altrimenti si accrescerebbe il pericolo di raddoppiare la colpa, per quei medesimi mezzi, che sono prescritti dalla legge a distruggerla.* »

1. Justa sane et recta est haec regula, atque adeo in ipsa rei natura posita et obvia, ut nullus Confessarius prudens et sedulus eam non prae oculis habere possit: *dummodo adsit spes emendationis.* Qua deficiente, omnibus remediis exhaustis, jam non quaeri potest de faciliori vel difficiliori, sed de *unico* remedio superstite, quo poenitens misero suo statu evadat, et animam suam salvet.

2. At vero genuinum sensum, quo haec regula accipienda sit, ipse *Ven. Paulus Segneri* explicat in iis, quae immediate sequuntur: « *In dubbio, attenetevi qui sempre alla parte più rigorosa, perciocchè questa, come abbiamo veduto, è la più favorevole al penitente:* considerando, che in un sol capo di Oloferne troncato, verrete a conseguire una intera vittoria; voglio dire a recidere infiniti peccati con un sol taglio. »[1]

III. Dicit insuper P. Ballerini, auctoritatem *Joannis Sancii* adducens:

1) « *In dubio semper elige partem rigorosam, quia haec, uti vidimus, cedit in majorem poenitentis favorem:* considerando, uno solo Holofernis capite amputato, plenam et integram victoriam reportari, uno nimirum ictu infinita peccata rescindi. »

« *Ceterum, etiamsi indiscreta illa* » *obligatio non imponatur, alia ta-* » *men via praesto est Confessario,* » *cum interim possit, ubi res postu-* » *let, suspendere absolutionem, quo* » *poenitens ad opportuna media ad-* » *hibenda efficaciter permoveatur.* » *Ut enim inquit Joannes Sancius* » (Disp. 10. n. 10.): Judicium ferri » debet de his, tamquam de haben- » tibus consuetudinem peccandi, non » tamquam de habentibus occasio- » nem; cum in eorum electione situm » non sit eam vitare. »

1. Auctoritatem valde suspectam cl. Professor hic interpellat; nam *Sancius* communiter coryphaeis Laxistarum accensetur, et quidem merito, ut ex variis ejusdem propositionibus in hoc Opere allatis, patet. - Insuper minus recte ipsum interpellat. *Sancius* nequaquam docet, poenitentibus istis absolutionem suspendendam, sed potius (n. 16.) *toties impendendam esse, quoties affirmant, quod vere* et non fictitie *emendationem sibi proponant;* et quidem, quamvis hujusmodi poenitentes *eodem semper modo,* sine ulla emendatione relabantur, et Confessarius *nullam emendationis spem* concipiat. Et idem dicit de consuetudinariis recidivis, ut infra in Parte VI., de Recidivis, uberius exponemus. Sed hanc doctrinam, praesertim post propositionem 60. ab Innocentio XI. damnatam, omnes reprobant atque rejiciunt.

2. Ceterum S. Doctor non tantum non negat, poenitenti absolutionem esse differendam, antequam dimissio occasionis imponatur, sed *dilationem absolutionis inter efficacissima remedia recenset;* et ideo dicens: « etiam adhibitis remediis », supponit, Confessarium dilationem absolutionis iteratis vicibus frustra adhibuisse.

IV. Sed cl. Professor etiam *Suarii* auctoritatem invocat.

1. Ac primo quidem dicit: « *Et* » *siquidem in poenitente moralis* » *aliqua diligentia appareat, vale-* » *bit regula Suarezii* (De Poenit. » disp. 32. sect. 2. n. 4.), *quod* « ne- » que est illi deneganda absolutio, » etiamsi iterum atque iterum rein- » cidat, maxime si aliquantulum se » contineat, et numerum peccatorum » paulatim diminuat: quod notavit » Navarrus cap. 3. n. 21. Interdum » vero differri potest absolutio, et » major aliqua poenitentia vel cautio » adhiberi. »

Leguntur haec utique apud *Suarez* l. c.; sed P. Ballerini textum mutilavit, et quae immediate in eadem propositione sequuntur, suppressit. Dicit enim Suarez: « Interdum vero differri potest absolutio, et major aliqua poenitentia vel cautio adhiberi: *quod si tandem experimento constet, haec non sufficere, cogendus erit interdum poenitens ad tollendam occasionem, etiam cum gravi temporali nocumento;* semper tamen magna prudentia necessaria est, ut scandalum vitetur. »

2. Concludit demum P. Ballerini, iterum sententiam Suarii citans: « *Nec sane in casu oblivisci Confes-* » *sarius debet sententiam, qua Sua-* » *rezius* (de Relig. Tr. 5. lib. 3. c. 8. » n. 7.) *de hoc argumento concludit:* » Nec hujusmodi humanae infirmita- » tes efficacius curari ab homine pos- » sunt. »

Haec quidem verba similiter apud Suarez leguntur, verum non de *hoc,* sed de longe *diverso argumento.* Etenim Suarez non loquitur de poenitente, qui in occasione extrinseca necessaria versatur; sed de poenitente, in quo *consuetudo temere jurandi* quodammodo in alteram naturam transivit. - Loco citato dicit: « Si saepius (iste consuetudinarius) proposuit emendari et non fecit, adhibenda sunt remedia convenientia, quae ipse tenebitur acceptare judicio Confessoris, qualia sunt frequentius confiteri, aliquam eleemosynam, vel orationem brevem facere pro singulis juramentis temere prolatis, vel similia. Denique si haec non sufficerent, interdum erit utile differre

absolutionem per aliquot dies, in quibus cogatur attentius vigilare et contrariam consuetudinem aliquo modo inchoare. Et in his non est scrupulose procedendum, sed facta morali diligentia, illa cum proposito censeri debet sufficiens. Quia non oportet, ut Confessor judicet alium non amplius pejeraturum; sed satis est, quod judicet illum in praesenti habere tale propositum, et facere, quod moraliter potest, ut efficax sit: nec hujusmodi humanae infirmitates efficacius curari ab homine possunt. »

Hujusmodi autem infirmitas utique efficacius curari nequit; quia quilibet demum occasionem extrinsecam, licet moraliter necessariam, relinquere, nemo autem *seipsum* deserere potest.

V. *Rationes intrinsecas,* quas tandem P. Ballerini pro sua sententia affert, speciatim confutare omittimus, ne laborem supervacuum subeamus; satis enim omnes istas rationes ad nihilum redigit praemissa explicatio doctrinae, quam tenet S. Alphonsus. – Unam solam speciatim attingere juvat.

Dicit cl. Professor: « Illud etiam » addendum est, quod si Confessarius » poenitentem reperiat fragilem adeo » atque etiam *inconstantem in me-* » *diis adhibendis,* ut eum minus dis- » positum ad absolutionem ob de- » fectum efficacis propositi judicare » debeat, adhuc imprudenter ab ho- » mine tam fragili, infirmo et im- » becillo id exiget, quod difficilius » ac moraliter impossibile illi est.» – Verum subtiliter hic a puncto quaestionis et ab hypothesi deflectit, quam S. A. ponit, scilicet quod poenitens in occasione necessaria, *etiam adhibitis remediis, semper eodem modo relabitur.* Si poenitens remedia *negligit,* id nequaquam tribuendum est ejus fragilitati, infirmitati aut imbecillitati; quin potius signum manifestum est, ipsum non tantum proposito efficaci, sed *omnino bona voluntate carere.* Quilibet, quantumvis fragilis, remedia adhibere potest; et si non adhibet, eo ipso in statu peccati mortalis est; quia, ut omnes conveniunt, usus remediorum, quibus occasio proxima in remotam convertitur, conditio est sine qua non, ut quis in occasione moraliter necessaria manere possit, et ab obligatione eam deserendi eximatur. – Unde S.A. recte docet, *poenitentem, qui in occasione necessaria, neglectis remediis, eodem modo relapsus est, omnino sine absolutione dimittendum esse.*

SIT IGITUR CONCLUSIO:

1. Doctrina *S. Alphonsi* non tantum evidentibus rationibus intrinsecis, sed etiam claris S. Scripturae textibus, SS. Patrum testimoniis, gravissimorum DD. auctoritate, imo communi eorum sententia sustentatur. Unde injuriosae notae, quas cl. Ballerinius huic doctrinae inurit, in omnes DD. redundant, quos allegavimus.

2. *Opposita* vero sententia omni solido fundamento caret, et *practice considerata, omnino rejicienda est:* quippe quae in praxim deducta, aeternam poenitentis salutem manifesto periculo exponit.

N. B. – Post praefatam Quaestionem, alia modo pertractanda veniret de *Recidivis;* attenta tamen ejusdem tum gravitate, tum amplitudine, ipsam ad *sextam* Operis Partem remittimus.

QUAESTIO XXIII.

Ad quid tenetur Confessarius, si erravit circa valorem Sacramenti.

(S. Alph. Lib. VI. n. 619. — P. Ball. Tom. II. n. 643.)

Ad hanc sibi propositam quaestionem, S. Alphonsus, Lib. VI. n. 619., adhibita distinctione, sic respondet: « *Si erravit sine culpa, conveniunt* » *omnes, non teneri cum gravi incommodo famae vel honoris, monere poenitentem de errore;* ita » Lugo, Salmanticenses, Sporer, Viva, Elbel, et alii passim. Ratio, quia » tunc Confessarius tenetur ad monitionem tantum *ex charitate,* quae » non obligat cum gravi incommodo. » Hoc tamen valet pro Confessario delegato; *aliter enim videtur dicendum de Parocho,* juxta dicta lib. 2. » n. 40. v. *Strictius;* eo quod Parochus tenetur ex justitia reparare » grave damnum spirituale subditorum. Recte autem addunt praefati AA., quemcumque Confessarium teneri advertere poenitentem » de nullitate absolutionis ei collatae, si ille sit in articulo mortis, » vel in gravi periculo non amplius » se confitendi.

» Sed quid, si Confessarius *cum culpa gravi* erravit circa valorem » Sacramenti, an tunc teneatur monere cum gravi suo damno? – *Prima sententia negat;* et hanc tenent Bonacina, Suarez cum S. Antonino, Sylvestro, Navarro et Corduba, et probabilem censent Salmanticenses cum Vasquez, Hurtado, Aversa, etc. Ratio, tum quia » tale praeceptum non videtur obligare cum tanto dispendio; tum » quia, sicut ipse poenitens non teneretur cum tanto incommodo sua » peccata confiteri, si monitus esset, » ita nec Confessarius. Excipit tamen » P. Suarez, si Confessarius decepe- » rit poenitentem, relinquendo illum » in occasione proxima peccandi. – » *Secunda sententia* vero *quam sequimur, affirmat;* et hanc tenent » Lugo, Viva, Sporer et Elbel, item » Tamburinus, ac Leander apud Salmanticenses. Ratio quia, licet Confessarius ex charitate onus susce- » perit audiendi confessionem poenitentis, tamen, postquam audivit, » tenetur ex officio, et ex quasi con- » tractu cum poenitente inito, rite » ipsi ministrare Sacramentum; unde si invalide ministraverit ex sua » culpa, tenetur utique etiam cum » gravi suo damno *(petita licentia)* » illum de errore monere; et sic re- » spondetur primae rationi opposi- » tae. Respondetur item secundae, » quod poenitens, si monitus esset, » posset sine confessione aliter sibi » providere, eliciendo actum contri- » tionis; at Confessarius non potest » ipsum inscium relinquere in tanto » gravi suo damno carentiae gratiae » sacramentalis.

» Diximus: *petita licentia;* nam » probabilius (contra alios) dicunt » Coninchius, Bonacina et Sporer » apud Croix, quod si ex monitione » gravis sequeretur offensio poenitentis, non tenetur tunc Confessa- » rius, nec potest monere; quia si- » gillum laederetur, juxta dicenda » *num. 622.* – Item probabile videtur cum Auctoribus primae sententiae, quod si poenitens *iterum* » *alteri confessus fuerit,* tunc non » tenetur Confessarius cum gravi incommodo eum monere de nullitate » primae confessionis. Ratio, quia » tunc jam moraliter certo poenitens » supponitur justificatus; et ideo, » sicut ille non tenetur cum gravi » dispendio procurare integritatem » confessionis, ita nec Confessarius. » Et idem potest dici, si poenitens » *Eucharistiam deinde susceperit,*

» quia (ut diximus de Sacr. in gen. » n. 6. cum D. Thoma, et aliis com- » muniter) Eucharistia cum attri- » tione et bona fide suscepta, per » accidens primam gratiam confert.»

P. Gury, T. II. n. 643. pag. 552.[1] ait: « *Error* circa valorem Sacramenti *cum gravi culpa vel gravi negligentia* commissus, *supposito gravi damno poenitentis*, reparandus est, etiam *cum gravi incommodo Confessarii*. Ratio est, quia Confessarius tenetur, ex officio et ex quasi-contractu cum poenitente inito, rite ipsi administrare Sacramentum. Si autem error sit *inculpabilis vel leviter culpabilis*, Confessarius obligatur quidem *ex justitia*, sed *cum minori incommodo*. »

Ad quem textum, P. Ballerini duas adnotationes adjicit. — Et primam quidem, ad verba: « *supposito gravi damno poenitentis*. » Siquidem scribit: « Grave poenitentis damnum seu periculum adesset, si » v.g. invalide omnino aut nullo modo absolvisses infirmum ad mortem, qui idcirco aeternae salutis » discrimen incurreret; aut etiam » (ut ait S. Alphonsus, n. 619.), si » poenitens esset in gravi periculo » non amplius confitendi, v. g. dum » longum iter maritimum aggredi- » tur. Abesset vero grave hoc poe- » nitentis damnum, quando, etsi Confessarius vel citra facultates suas » absolvat a reservatis tum censuris » tum peccatis, vel prorsus invalide » aut nullo modo absolutionem im- » pertierit: tamen in primo casu, » poenitenti bonae fidei, ut suppo- » nimus, etiam reservata fuissent in- » directe remissa, in aliis vero ca- » sibus remedium non deesset, aut in » sumptione Eucharistiae, quae per » accidens ex communi doctrina cum » S. Thoma primam gratiam homini » attrito conferret, aut in sequenti » confessione cum alio Sacerdote, » qua indirecte peccata quoque prae- » cedentia, non secus ac fit de pec- » catis per oblivionem omissis, re- » mitterentur. »

Alteram vero notam cl. Professor adjicit ad verba Patris Gury: « *Confessarius obligatur quidem ex justitia.* » Itaque ait: « *S. Alphonsus,* » quem Auctor hoc loco allegat, ma- » vult, Confessarium, qui *inculpa- » biliter* erraverit, teneri tantum *ex » charitate*, nisi sit Parochus poe- » nitentis. Sed, ut verius aliis vide- » tur, sacerdos ex charitate quidem » confessionem audit; ast, *audita » confessione*, ad Sacramentum per- » ficiendum tenetur *ex justitia*, quia » tenetur ex officio (utcumque sponte » susceptо), et ex quodam quasi-con- » tractu; quae Confessarii conditio » eadem perseverat, etiamsi *sine cul- » pa* erraverit. — Prout igitur error » *culpabilis* vel *inculpabilis* extite- » rit, differet obligatio Confessarii, » non quod modo ex justitia, modo ex » charitate haec urgeat, sed solum sic- » ut differt obligatio servandi alium » indemnem, prouti damnum infertur » per injuriam *formalem* vel mere » *materialem*; seu etiam prout differt » obligatio restituendi rem inique ab- » latam, ac obligatio quaerendi domi- » num rei, quam quispiam casu in- » venerit; hic enim utique ex cha- » ritate curam rei suscipit; sed *post » hanc curam susceptam, ad rem » custodiendam, dominumque ejus- » dem*, prout adjuncta exigunt, *quae- » rendum*, non ex charitate, sed *ex » justitia* tenetur. »

Ad duplicem hanc Adnotationem respondebimus, doctrinam S. Alphonsi explanando; et primo de errore *culpabili*, ac dein de errore *sine culpa* agemus.

I. *De Confessario culpabiliter errante.*

1. Quilibet Confessarius, etiamsi ex charitate tantum onus confessionem poenitentis audiendi susceperit, nihilominus *ex justitia* tenetur ad

1) In altera edit. pag. 444.

Sacramentum Poenitentiae *rite* administrandum; et ideo si *ex sua culpa* invalide administrat, et poenitentem beneficio absolutionis sacramentalis privat, etiam *cum gravi suo incommodo poenitentem de errore monere tenetur.* – Sic docet S. A., ut vidimus, et sententiam oppositam improbabilem censet. [1] Ratio, quam allegat, ea est: quia poenitens *grave damnum* pateretur, si Confessarius ipsum in carentia gratiae sacramentalis relinqueret; *justitia* vero etiam cum gravi incommodo obligat ad reparandum damnum proximo culpabiliter illatum.

2. Idcirco praeter casum, in quo *sigillum* laederetur, S. Doctor duas tantum exceptiones admittit: si poenitens *iterum alteri confessus fuerit,* vel *Eucharistiam* deinde susceperit; quia in utroque casu, poenitens moraliter certo justificatus praesumitur. – Nequaquam ergo S. Alphonsus meram istorum casuum possibilitatem ut causam excusantem admittit; sed supponit, alterutrum factum reapse obtigisse, et Confessario innotuisse. Alias, ipsum ab obligatione monitionis cum gravi suo incommodo non liberat.

II. *De Confessario inculpabiliter errante.*

1. Si autem Confessarius inculpabiliter erravit, secundum S. Alphonsum *non tenetur cum gravi incommodo.* – Non tenetur *vi muneris suscepti;* quia, ex hypothesi, in munere suo exercendo nullam culpam admisit, et nemo se obligat, nec obligari potest ad evitandum, quod evitare citra suam potestatem est. Non tenetur *ex quasi-contractu* cum poenitente inito; quia ex contractu *gratuito* (qualem inire censetur Confessarius qui non est Parochus), nemo ad damnum resarciendum tenetur, quod sine culpa alteri parti acciderit.

2. Si quis gratuito ex mera charitate *depositum* suscepit, nihilominus ex justitia rem ea diligentia servare et custodire tenetur, qua homines diligentes hujusmodi res servare et custodire solent. Si hanc curam *culpabiliter* omittit, et res perit vel deterioratur, ex justitia ad restitutionem vel damnum compensandum tenetur. Si autem, praedicta *diligentia adhibita,* res citra omnem culpam suam perit aut deterioratur, ad nihil plane ex titulo justitiae tenetur. – P. Ballerini analogiam adducit de inveniente aliquam rem; sed de *inventore* idem omnino dicendum est, quod modo de *depositario* diximus. Postquam rem inventam, licet ex mera charitate in depositum et curam suam suscepit, ex justitia non tantum ad dominum quaerendum, prout adjuncta exigunt, sed etiam ad rem ordinaria diligentia custodiendam tenetur; si autem res, sine culpa ex sua parte, perit vel deterioratur, et postmodum dominus eam reclamat, ad nihil tenetur.

3. Nulla ergo est obligatio Confessarii, qui *inculpabiliter* erravit, ad damnum reparandum ex titulo justitiae. Si autem Confessarius nihilominus tenetur, solummodo tenetur *ex charitate;* et quidem ex generali illa charitatis lege, qua proximo subvenire, et damna temporalia et spiritualia ab ipso avertere obligamur, *in quantum hoc sine gravi incommodo fieri potest.* Unde, si monitio sine gravi incommodo fieri nequit, obligatio cessat. – Excipe, si poenitens in articulo mortis esset, aut in gravi periculo non amplius confitendi. Et ratio est: quia in hisce casibus, aeterna poenitentis salus proxime periclitatur; charitas autem strictius et etiam cum gravi incommodo obligat, si proximus in gravi necessitate spirituali constitutus est. – Collabitur itaque fundamentum sen-

1) In primo Elencho Quaestionum reformatarum, *n. 85.*, S. Doctor haec dicit: « An Confessarius errans culpabiliter circa valorem Sacramenti, teneatur monere poenitentem de » errore, etiam cum gravi suo incommodo? — *In priori libro* (i. e. in 1. edit. Theol. mor.) » *probabilem diximus sententiam negativam. Sed hic affirmativam tenemus,* lib. 6. n. 619. »

tentiae, quam P. Ballerini veriorem dicit, scilicet etiam Confessarium, qui inculpabiliter erravit, ex justitia ad monitionem teneri.

4. Porro, si error culpabilis est, cl. Professor Confessarium cum gravi suo incommodo ad monitionem obligat in duobus istis casibus modo commemoratis; in aliis autem ipsum ab hac obligatione eo liberat, quod non adsit grave damnum poenitentis: cum non desint alia remedia, nimirum sumptio Eucharistiae, aut confessio apud alium Confessarium. – Sed haec assertio similiter non est admittenda. Carentia gratiae sacramentalis grave damnum est, tametsi poenitens, secundum communiter contingentia, proximo salutis aeternae amittendae periculo non exponatur; ut recte dicit S. Doctor, et nemo negare potest. At vero, si quis ex justitia grave damnum culpabiliter proximo illatum, v. g. detractionem, qua graviter ejus famam laesit, reparare tenetur; nequaquam satis est, alia remedia existere, quibus alter infamiam tollere potest; nec sufficit probabilitas, damnum alio modo cessasse, sed certus esse debet, damnum reapse cessasse.

PAUCIS ITAQUE CONCLUDIMUS:

1. S. Alphonsus docet, Confessarium qui circa valorem Sacramenti *culpabiliter* erravit, *ex justitia* teneri ad monitionem, etiam cum gravi suo damno; sed tantum *ex charitate* (excepto Parocho), si error fuerit *inculpabilis*.

2. Utraque haec doctrina, cui S. Doctor sapientes adjicit limitationes seu exceptiones, *verior* dicenda est, utpote principiis certis et ab omnibus receptis innixa.

QUAESTIO XXIV.

An frangat sigillum sacramentale Confessarius, qui dicit, se audivisse peccatum Religiosi alicujus Monasterii vel Ordinis.

(S. Alph. Lib. VI. n. 654. — P. Ball. Tom. II. n. 666.)

Ante omnia ipsum S. ALPHONSUM audiamus. – Lib. VI. n. 654. quaestionem proponit: « Dubitatur hic » 1. *An Confessarius violet sigillum, » si asserit, in aliquo loco gravia » crimina perpetrari, quae ipse au- » dierit in confessione?*

» *Prima* sententia *negat,* et hanc » tenet Navarrus, Renzi cum Fagun- » dez, Vivaldo et Onuphrio; ita Hen- » riquez, Granado, Lopez, etc. apud » Escobar, qui consentit, si nullo mo- » do in cognitionem personae deveni- » ri possit, quia alias (ut dicunt) » ex tali revelatione nulla fit injuria » poenitenti.

» *Secunda* tamen sententia *com- » munissima et longe probabilior,* » quam tenent Suarez, Bonacina, » Filliuccius, Concina, Viva, Tam- » burini, Holzmann cum Laymann et » Palao, Sporer cum Diana, et com- » muni, ut asserit Lugo cum Vas- » quez, Coninchio et Ledesma, *docet, » quod si oppidum sit parvum (puta » si non constet tribus millibus ho- » minum circiter), tum violatur si- » gillum.* Ratio quia, licet tunc non » reveletur persona, tamen, cum » revelatio emanet in infamiam to- » tius communitatis, redundat etiam » in gravamen poenitentis, qui illius » communitatis est membrum; et » ideo ex tali revelatione redderetur » ei odiosa confessio. – *Secus vero, » si oppidum sit amplum et crimina » sint publica,* ut dicunt Lugo, Con- » cina, Sporer, Viva et Tamburini, » contra Vasquez, qui nimis rigide » id reprobat. Hocque permittit Pe-

» trocorensis etiam concionatoribus, » modo non dicant, audiisse in confessionibus. Idem sentit Habert dicens, licitum esse Confessariis in » concionibus generatim invehere in » vitia, quae occulte grassantur. Idque expresse permittitur in C. *Si* » *Sacerdos,* 2. de offic. jud. ord., ubi » dicitur: *Si Sacerdos sciat pro certo, aliquem esse reum alicujus criminis, vel si confessus fuerit...., non debet eum arguere nominatim, sed indeterminate.* Id est *in genere,* ut explicat Panormitanus » in dict. cap. 2. »

Dein propius ad quaestionem nostram accedens, S. Doctor in eodem *citato num.* sic prosequitur: « Dubitatur 2. *An frangat sigillum Confessarius, qui dicit, Religiosum ex tali Conventu sibi confessum esse grave peccatum?* » Et sic respondet: « *Negat* Escobar cum Henriquez, » Nugno, Fagundez et Candido; modo » non ingerat notitiam personae particularis. *Verius tamen affirmant* » Busembaum et Suarez, Concina, » Bonacina, Diana; Palaus cum Navarro, Laymann, et Henriquez; » item S. Antoninus, Villalobos et » Granadus apud Escobar. Ratio, quia » tunc singuli illius Conventus detrimentum patiuntur. Et sic pariter » Confessarius violabit sigillum, si » dicat in Conventu illo talia peccata committi.

» *Non vero* (*ut rationabiliter ait* » *P. Concina* contra Diana, apud Busembaum ut supra), *si tantum diceret, se audiisse peccatum Religiosi cujusdam Ordinis;* quia haec » neque est revelatio sigilli, neque redundat in gravamen poenitentis, cum in quolibet Ordine aliqui mali sint; unde neque oritur » scandalum, neque infamatur religio, *nisi (recte limitat) Religio illa esset arctioris observantiae.*»

S. Alphonsus, ut patet, in solvendo praefato dubio, distinguit inter *Conventum* et *Ordinem* religiosum. Affirmat violari sigillum a Confessario, qui loquitur de peccato Religiosi alicujus Conventus; rationabilem vero censet sententiam *Concinae,* sigillum non violari, si sermo sit de Religioso cujusdam Ordinis, modo tamen ille Ordo non sit arctioris observantiae.

Recta, imo et sapientissima nobis semper videbatur haec doctrina; attamen res omnino aliter se habet, si fidem praestare velimus cl. Ballerinio, qui acriter in ipsam invehitur.- Siquidem, 1. Si sermo sit de *Conventu,* ipse quidem omnino adhaeret doctrinae S. Alphonsi; at objicit, *Auctores quosdam pro sententia negante* a S. Doctore *falso allegari;* 2. Affirmat, doctrinam S. A. et Concinae circa *Ordinem* religiosum, esse *contra omnium Theologorum sententiam,* eorum quoque, qui *laxius* circa hoc opinari visi sunt; 3. Asserit, hanc eamdem doctrinam iis *rationibus* sustentari, *quas nemo facile admittet;* 4. Demum concludit, sententiam S. A. *mero oculorum lapsui* tribuendam esse, quia scilicet *ad peculiaris Ordinis Religiosum* transtulit ea, quae *de homine Religioso generatim* a quibusdam Auctoribus dicta erant. - Miserandi profecto oculi S. Doctoris nostri, qui, judice cl. Professore, tot in quaestionibus jam supra examinatis, aliisve infra perpendendis, sententias Auctorum infeliciter prorsus inspexerunt!

Videamus itaque, num in praesenti quaestione oculi cl. Ballerinii rectius viderint. Ut autem, quantum in nobis est, claritati consulatur, longam ejus Adnotationem per partes examinabimus. Itaque 1. Probabimus, S. Alphonsum *sententiae neganti recte adscribere Auctores,* a se pro eadem sententia allegatos; 2. Confutabimus falsam et temerariam assertionem cl. Ballerinii, doctrinam S. A. esse *laxam,* et *contra omnium Theologorum sententiam;* 3. Contra varia ejusdem argumenta allata, *clare exponemus doctrinam S. A.;* 4. Demum probabimus, *falsas esse plures alias as-*

sertiones, quibus cl. Professor adnotationem suam concludit.

Articulus 1.

S. Alphonsus, loquendo de Conventu, recte adscribit sententiae neganti Auctores pro eadem a se allegatos.

Ad quaestionem: « An frangat si» gillum Confessarius, qui dicit, *Re*» *ligiosum ex tali Conventu* sibi con» fessum esse peccatum grave? » - S. A., ut vidimus, primum exponit sententiam negantem (quam ipse non admittit), dicendo: « *Negat Escobar, cum Henriquez, Nugno, Fagundez et Candido...*»

P. Gury, T. II. n. 666. pag. 571.[1] de eadem materia loquens, haec scribit: « Secretum confessionis indirecte violat... 8°. Qui diceret, se *in tali Monasterio* audivisse peccatum grave, etiamsi non nominaret personam; quia singuli Religiosi illius conventus detrimentum patiuntur. *A fortiori* violaret sigillum qui diceret, in Conventu illo talia peccata committi...»

Ad hunc textum, et quidem ad verba: « *quia singuli Religiosi illius conventus detrimentum patiuntur*», cl. Ballerinius longiorem suam Adnotationem sic exorditur: « *Si sin*» *guli Religiosi domus illius patiun*» *tur detrimentum,* manifestum est, » infamiae et gravaminis participem » esse eum quoque, qui peccatum con» fessus est, utpote qui et ipse do» mus illius pars est; et hinc vera » ratio, cur id cedat in praejudicium » sigilli. - Oppositam sententiam, » quae per hoc violari sigillum ne» gat, *S. Alphonsus* (Lib. 6. n. 654) » tribuit Escobario (Lib. 16. n. 752), » et apud hunc, Nugno, Fagundez, » Candido et Henriquez (quem tamen » nescio quomodo mox et pro alia con» traria allegat); et Henriquez quidem » (Lib. 6. cap. 21. n. 6. not. e.) pro » se affert praeterea Navarrum, Le» desma, Victoria, Manticam, et alios » (ut inquit) recentiores; quibus ex » Diana (Tom. I. Tract. 8. res. 12.) » addi potest et Malderus. - Sed duo » de his advertenda occurrunt. Nam » 1° *plerique* eorum non de *Monaste*» *rio* seu *Conventu* disserunt, sed » de *Religione* seu de *Ordine reli*» *gioso;* 2° eatenus tantum, et qui» dem mere opinando, negant, *in ri*» *gore* violari sigillum, quatenus *pos*» *sit talis Confessarius puniri tan*» *quam revelator confessionis,* ut ait » Nugnus apud Diana (Tom. I. tract. 8. » res. 11. n. 3.); vel, ut habet Mal» derus, quatenus *possit puniri poe*» *na ordinaria inflicta contra fra*» *ctores sigilli.* Caeterum non negant » hi DD., gravius vel levius pro qua» litate criminis peccari. Imo *Fagun*» *dez* (De 2. praec. Eccl. lib. 6. cap. 5. » n. 12.) expresse peccari contra si» gillum admittit cum *Suarezio,* qui » de hoc argumento ista habet (De » Poen. disp. 33. sect. 3. n. 8): *Ca*» *vendum maxime est, ne offenda*» *tur communitas, ad quam talis* » *persona pertinet, ut si dicat* Re» ligionem *in particulari: quia re*» *vera hoc jam redundat in grava*» *men notabile poenitentis, propter* » *injuriam quae fit Communitati.* » *Videantur S. Antoninus et Na*» *varrus, Petrus Sotus et Ledesma,* » *qui dicit, in rigore hanc esse fra*» *ctionem sigilli. Navarrus vero ait,* » *non esse in rigore contra sigillum,* » *licet sit peccatum. Sed certe non* » *quodcumque peccatum est, sed con*» *tra Sacramentum; ergo et contra* » *sigillum.* - Et *Escobar,* postquam » (l. c.) dixit, imprudentem ejusmo» di Confessarium *gravissime delin*» *quere, dum Communitatem tanta* » *inurit infamia,* concludit, quod » *Sacerdos, adeo loquens incaute,* » *dignus quidem est, qui ab hoc* » *gravissimo ministerio, viros re*» *quirente praeditos prudentia, ar*» *ceatur...* »

In hac prima Adnotationis parte, plura asserit cl. Professor, at veri-

1) In altera edit. pag. 457.

tati parum conformia, prout ex dicendis patebit.

I. Verum non est, quod « *plerique* » eorum » (sc. Auctorum, quos recenset P. Ballerini) « non de *Monasterio* » seu *Conventu* disserunt, sed de » *Religione* seu de *Ordine religioso.* » - Aliqui de Ordine loquuntur; alii vero de Ordine et Monasterio; *permulti* autem, quos in Articulo 2. allegabimus, *de solo Monasterio* seu Conventu.

II. Similiter verum non est, quod « *plerique*... eatenus tantum, et quidem mere opinando, negant, *in rigore* violari sigillum, quatenus » possit talis Confessarius puniri tanquam revelator confessionis, ut ait » Nugnus apud Diana... » - Perpauci enim sunt qui dicunt, Confessarium non posse puniri ut revelator sigilli; nec eo sensu loquuntur, quasi sigillum revera violetur, et dumtaxat quoad poenas statutas Confessario parcendum sit. Sic censet *Nugnus*, sententiam, sigillum violari, satis quidem probabilem, at non ita certam esse, ut Confessarius tamquam revelator sigilli puniri possit.

III. *Escobar, S. J.*, l. c. Problema proponit: « Confessarius ait: Quidam Religiosus ex tali Ordine, seu ex tali Conventu, hoc mihi confessus est grave piaculum »; et absolute cum aliis sentit, sigillum non violari, dummodo absit periculum, quod delinquens agnoscatur, et quidem etiamsi communitati grave nocumentum inferatur. Textum infra in extenso allegabimus, in Art. 2.

IV. Quid vero sentiat *Fagundez, S. J.*, modo inspiciamus. Sic scribit:[1] « Cavendum etiam est Confessariis, ne offendant communitatem aut religiosam familiam, nominando *Religionem in particulari, aut Monasterium*; quia, praeter peculiarem injuriam et periculum cognitionis poenitentis, moraliter loquendo, nunquam id fieri potest, nisi cum magno dedecore et injuria communitatis; et ideo Ledesma [2] et Soarius allegatus existimant, in rigore loquendo, hoc esse revelationem sigilli; et *in hanc sententiam inclinat etiam D. Antoninus.* [3] Contra vero, *Henriquez* [4] et *Navarrus* [5] existimant, *in rigore* non esse contra sigillum; posse tamen esse peccatum mortale, aliquando scandali, aliquando infamiae totius communitatis. Licet enim nullius Religiosi in particulari suspicio esse possit, tamen apud simplices et rudes homines, generatur maximum scandalum revelatae confessionis: unde ita ait *Soarius* allegatus ibi: *Est quidem peccatum mortale scandali, sed non in alia materia, quam in materia sigilli; ergo est peccatum mortale contra sigillum et Sacramentum; nec obstat, quod sit apud simplices, non apud prudentes et sapientes: nam etiam apud simplices, injuria Sacramento fiet; et oportet, ut etiam simplices et ignorantes homines non deterreantur a confessione, ut securi et sine timore revelationis confiteri possint.* [6] Haec Soarius, tom. 4. de poenit. disp. 33. sect. 3. medio, apud praelum Conimbricense. Sed nihilominus existimo, *opinionem Soarii esse admodum rigorosam*, et opinionem Henrici et Navarri esse probabiliorem, ut consideranti patebit. »

Quaedam hic bene attendenda sunt: 1°. Fagundez dicit: « *nominando Religionem in particulari aut Monasterium* »; ergo de utroque casu loquitur. - 2°. Sententiam *Suarii* (et

1) De 2. praec. lib. 6. c. 4. n. 2. — 2) Q. 10. art. 2. — 3) 2. P. tit. 17. c. 19. *s.* 3. — 4) Lib. 3. de poen. c. 21. n. 6. — 5) Cap. 8. n. 16.

6) *Fagundez* hic citat editionem Conimbricensem; verum in omnibus aliis editionibus, quae nobis praesto erant, v. gr. Lugdunensis de an. 1603., duplex Veneta 1603. et 1748. et novissima Parisiensis 1856. et seqq., haec verba desunt; et in fine simpliciter dicitur: « *Navarrus vero ait, non esse in rigore contra sigillum, licet sit peccatum; sed certe non quodcumque peccatum est, sed contra Sacramentum: ergo et contra sigillum.* » Unde sine dubio ipse Suarez hunc textum postea immutavit (cfr. infra pag. 630. n. VI.).

recte quidem ex textu allato) eo sensu interpretatur, quod sigillum non violetur, nisi quando Confessarius coram simplicibus loquitur, qui secretum revelari putant. Nihilominus autem hanc opinionem *admodum rigorosam,* et oppositam probabiliorem censet. - 3°. Minus recte observat, *S. Antoninum* inclinare in sententiam, quae tenet sigillum revelari.- 4°. In quantum etiam Henrico *Henriquez* et *Navarro* tribuit, quod dumtaxat *in rigore* sigillum non frangi asserant, fallitur, quamvis Suarez idem dicat de Navarro. Uterque enim absolute negat, sigillum violari; et uterque nihil plane habet de ista distinctione: *in rigore,* nec hisce terminis, nec aliis quae eundem sensum funderent. - Antequam ulterius progrediamur, juvat textus *Henriquezii, Navarri* et *S. Antonini* adducere.

1. *Henriquez, S. J.,* loc. cit. dicit: « Narrare peccata mortalia audita in confessione, quando nullo modo deveniri potest in cognitionem personae, non est contra sigillum. Nec si dicat: Hispali vel *tali loco,* ubi constat, eum audivisse multorum confessiones, fiunt gravia crimina, vel sunt multi Sodomitae; *vel si de certa Religione in genere dicat, vendi officia, vel solitum fieri aliud peccatum.* »

2. *Navarrus* loc. cit. « Decimo nono infertur, quod male fecit Confessarius, *licet non dicatur confessionis revelator,* ita loquendo: *In tali loco* (expresso nomine loci, in quo audit confessiones), gravia crimina perpetrantur. Nam simplices scandalizantur, existimantes, his et aliis similibus verbis confessiones revelari, atque subinde speciem mali prae se ferunt; et idcirco ab illis abstinere debemus, sicut diximus in Cap. *Sacerdos* n. 54., juxta illud Apostoli I. Thess. 5., relatum in Cap. *Cum ab omni:* de vita et honest. cler.: *Ab omni specie mali abstinete vos.* » - Similiter ergo Navarrus absolute negat, sigillum violari; et Confessarius ea sola ratione male facit, quia hujusmodi locutiones *subinde* speciem mali prae se ferunt, et nos non tantum a malo, sed etiam *a specie mali* abstinere debemus.

Porro l. c. *n. 12.* quaestionem examinat, an Confessarius sigillum frangat, qui dicit: Tale peccatum mortale in confessione audivi; quam breviter hic, et late in Comment. in C. *Sacerdos,* de poen. dist. 6. *n. 75.* pertractat: « Infertur et decimo quinto, non esse confessionis revelatorem, qui diceret: Tale, vel tale peccatum mortale audivi in confessione, modo tanta id cautela faciat, ut nullatenus in notitiam ejus, qui peccavit, deveniri possit, secundum Paludanum et communem in illa distinct. 21., et Adrianum in dist. dub. 10. Pro quibus facit Cap. *Officii* de poen. et remiss., in quo Confessarius revelavit Papae, se audiisse quoddam peccatum in poenitentia. Facit, quod causa finalis, quare prohibitum est, ne prodatur peccatum in confessione detectum, est, ne cognoscatur qui id peccavit; at dicendo: Tale peccatum in confessione audivi, cum cautela praedicta, non cognoscitur; ergo prohibitio cessat. Arg. C. *Cum cessante,* de appellat. et l. *adigere* §. *Quamvis* ff. de jure patron. Tertio facit, quod viros graves frequenter audimus talia dicentes. Quos errare, et confessionis sigilli reclusores esse, quis dicat? »

« *N. 76.* Contrariam tamen partem tenuit Panormitanus, in illo C. *Omnis* not. ult. » - Exponit argumenta, quae Panormitanus pro hac sententia adfert; quibus confutatis, *n. 81.* concludit: « Fateor autem, raro id faciendum esse a viro gravissimo, rarius autem a viro gravi, rarissime vero a viro levi, quoniam facilius de hoc praesumi potest, minus fidum secreti confessionis custodem esse, quam illos. Et ita Panorm. opinio fere semper est servanda; quamquam et altera nonnunquam habeat locum, quando videlicet nulla consequerentur mala talem revelationem, et aliqua justa perciperetur utilitas. »

3. Porro Fagundez observat, *S. Antoninum* inclinare in sententiam, sigillum revelari; sed et hoc minus recte. - S. Antoninus [1] Paludanum allegat, qui dicit, Confessarium *abstinere debere* a locutione de peccatis in confessione auditis, quia persona peccatoris in cognitionem, suspicionem vel dubitationem devenire, vel scandalum in populo generari, vel confessio magis odiosa aut minus dilecta, vel magis onerosa aut minus pretiosa deputari potest. Dein addit: « Et quia raro vel numquam potest contingere, quin ex revelatione peccatorum in confessione scitorum, et non per aliam viam, possit sequi aliquod de praedictis *inconvenientibus,* quamvis forte quandoque nullum contingat, *multum debet cavere,* quod non dicat peccata audita in confessione, quantumcumque generaliter loquatur, vel quo modo dicat. Haec Petrus (de Palude), et Magister Umbertus dicit, quod cavendum est, ne unquam dicat quis in sermone vel aliqua locutione: Ego audivi istum casum in confessione. Nec unquam (Confessarius) debet dicere, *in illa abbatia,* vel villa, vel castro, in quibus audivi confessionem, fiunt multa peccata et hujusmodi; quia per hoc credunt simplices, quod hoc sit revelare confessionem, *quamvis hoc non sit revelare,* secundum Petrum (de Palude), nisi ex hujusmodi locutione posset peccatum alicujus deprehendi. »

V. Asserit insuper P. Ballerini: « *Imo Fagundez* (de 2. Praec. Eccl. » lib. 6. cap. 5. n. 12.) *expresse pec-* » *cari contra sigillum admittit cum* » *Suarezio...* » - Verum in hoc loco citato, Fagundez nihil aliud dicit, nisi opinionem Panormitani fortasse non improbabilem esse, quatenus Suarez tenet, scandalum, quod patiuntur rudes et simplices, putantes Confessarium confessiones revelare, peccatum scandali in materia sigilli esse: « *Fortasse tamen non erit improbabilis* sententia illorum, qui dixerint, *indirecte* et modo aliquo offendere *sigillum* illum Confessarium, qui dixerit: In confessione mihi dictum fuit tale vel tale peccatum mortale; quantumvis non deveniatur arbitrio prudentis in notitiam peccatoris; et vero offendi sigillum modo aliquo per hujusmodi modum loquendi, docet *Panormitanus* in Cap. *Omnis utriusque sexus,* de poen. et remiss. dist. 6. Non inveni alium, qui pro hac parte citari possit; sed rationibus ita fulcitur haec opinio, et non vulgaribus fundamentis: Primo, quia juxta *Soarium* [2] et juxta Ledesmam, [3] ut vidimus Cap. 3. n. 2., in rigore loquendo offendit Confessarius sigillum, qui loquens de aliqua communitate aut religiosa familia dicit: Quidam religiosus ex tali Religione vel Monasterio commisit tale vel tale flagitium, vel mihi confessus est tale vel tale peccatum grave; quamvis, moraliter loquendo, devenire non possint circumstantes in notitiam poenitentis religiosi; quia ad minimum est peccatum scandali, et scandalizabuntur rudes ac simplices, offendunturque, et a confessione retrahentur, et si est *peccatum scandali,* non in alia materia, quam *in materia sigilli:* ergo est contra sigillum, et oportet etiam, ut apud simplices injuria Sacramento non fiat; fiet autem, si simpliciores ab eo juste retrahantur; quod fundamentum Soarii etiam procedit respectu hominum saecularium, quando de illorum peccatis loquimur, in ea circumstantia, in qua peccatores agnosci non possint, ut patet: nam etiam ad minimum, ut Auctores contrarii fatentur, erit peccatum scandali; et simplices ac rudes, moraliter ac rationabiliter loquendo, scandalum patientur, et cogitabunt, confessionem revelari, et ab illa retrahentur; sed non in alia materia est peccatum scandali, quam in materia sigilli:

1) 3. P. tit. 17. c. 22. §. 3. — 2) De poenit. disp. 33. sect. 3. n. 8. — 3) Q. 10. art. 2.

ergo sigillum offendetur. Non enim video majorem rationem, ob quam in religiosis offendatur, quam in saecularibus; quam ob rem, si Soarius et Ledesma id fatentur, in rigore loquendo, in religiosis, necesse est etiam, ut idipsum in saecularibus fateantur; non enim sigillum obligat magis circa has personas, quam circa illas, sed aequaliter circa omnes. »

VI. Demum cl. Professor textum allegat *Suarii,* sed iterum male citat; nam contextum intercidit, et insuper in ipso textu allegato verba suppressit: « *Religiosum hoc fecisse, et praesertim nominando...* »

1. Ipsum ergo *Suarium*[1] audiamus: « Quinto addendum est, haec omnia, quae diximus, intelligenda esse cum relatione ad personam, v. g. hujus poenitentis, et cum revelatione particulari, quae non contineatur sub generali ratione confessionis. Prior pars sumitur ex Cap. *Omnis utriusque sexus;* ibi: *Caveat, ne revelet peccatorem;* non ergo satis est (ut sic dicam), revelare peccata in abstracto, nisi peccator aliquo modo reveletur. Hinc omnes Auctores citati docent: loqui de peccatis auditis in confessione, non nominando personam, nec cum periculo, ut in illius cognitionem vel suspicionem possit deveniri, non esse contra sigillum, quia non revelatur peccator, et ita non fit illi injuria; nec ob eam rem potest illi fieri onerosa confessio, ac propterea nec Sacramento fit injuria. Et hinc licitum est, consulere virum doctum de re audita in confessione, quando omnino persona occultatur. In usu autem hujus licentiae, prudentia magna necessaria est; et ideo admonent DD., ut sine necessitate vel magna utilitate, non misceantur sermones de his rebus, etiam in generali, praesertim coram multis; et maxime in eodem loco, seu civitate, et post breve tempus ab audita confessione. Item maxime cavendum est, ne offendatur communitas, ad quam talis persona pertinet, ut si dicat: *Religiosum hoc fecisse, et praesertim nominando Religionem in particulari;* quia revera hoc jam redundat in gravamen notabile poenitentis, praeter injuriam, quae fit communitati. Videantur D. Antoninus[2] et Navarrus,[3] Petrus Soto[4] et Ledesma,[5] qui dicit, in rigore hanc esse fractionem sigilli. Navarrus vero ait, non esse in rigore contra sigillum, licet sit peccatum; sed certe non quodcunque peccatum est, sed contra Sacramentum: ergo et contra sigillum. »[6]

2. Cum ergo Suarez dicit: « *maxime in eodem loco seu civitate, et post breve tempus ab audita confessione* »; et immediate subjungit: « *Item cavendum est, ne offendatur communitas* », haec ultima verba ad eumdem casum referenda sunt. Si igitur Confessarius in aliquo loco confessiones Religiosorum excepit, et deinde de peccato in confessione audito loquens, addit: *Religiosum hoc fecisse,* ex rectissima sententia Suarii, cui S. A. adhaeret, sigillum frangitur. Nam dicere, Religiosum hoc fecisse, in hisce circumstantiis perinde est, ac communitatem nominare, *ad quam talis persona pertinet,* eamque offendere et infamare. Et si plures communitates diversorum Ordinum in hoc loco existerent, singulae offenduntur et infamantur; in utroque autem casu facile suspicio in certam personam cadere potest. In utroque ergo casu, poenitens gravatur, et confessio odiosa redditur. *Praesertim autem nominando Religionem in particulari;* quia communitas, ad quam talis persona pertinet, distinctius et ita quidem denotatur, ut jam dubitationi locus non remaneat.

3. Restituta textus mutilati integritate, in aperto est, Suarium ne-

1) Disp. 33. sect. 3. n. 8. — 2) 2. Part. tit. 17. c. 19. §. 3. — 3) Cap. 8. n. 16. — 4) Lectio 11. de confess. — 5) Q. 10. art. 2. — 6) Cfr. supra, pag. 627. not. 6.

quaquam *in genere* tenere, sigillum violari, si Confessarius dicit: Religiosum hoc fecisse, et praesertim nominando Religionem in particulari; sed tantum, quando *ex circumstantiis* necessario concludendum est, personam *ad certum Monasterium* seu *Conventum* pertinere. - Quod insuper ex eo patet, quia Suarez addit, *Navarrum* oppositum docere. Navarrus autem [1] loquitur de Confessario qui dicit, in tali loco, expresso nomine loci in quo confessiones audit, gravia crimina perpetrari.

4. In eodem sensu modo exposito, Suarium etiam intelligit *Filliuccius, S. J.*, [2] dicens: « Haec omnia, quae diximus non posse manifestari, intelligenda sunt cum relatione ad poenitentem, id est, non posse peccati *circumstantias,* objecta, et alia dici, ita ut cognoscatur persona, quae ea commisit: alioqui, loqui *in generali* de peccatis in confessione auditis, modo fiat prudenter, *non est contra sigillum, ut omnes docent ex Suarez n. 8.;* unde dicere, talem esse sibi confessum peccata sua, vel talem non habere nisi venialia, non est per se contra sigillum, quia si confessus est, ut minimum necesse est habuisse venialia. Dixi: *prudenter;* quia si quis, post breve tempus ab audita confessione, coram multis ageret de rebus in confessione auditis, exponeret se periculo fractionis. Item, *si audito Religioso,* qui confessus est gravia crimina, *nominaret Religionem ad quam pertinet, vel Monasterium talis civitatis;* redundaret enim id in gravamen poenitentis, et injuriam Monasterii. *Antoninus, Navarrus, Petrus Soto et alii, ex Suarez,* n. 8. »

Cum Filliuccius dicat, quod Confessarius periculo fractionis se exponeret, qui, audito Religioso, nominaret Religionem ad quam pertinet, vel Monasterium *talis civitatis:* manifeste non de Religione, sed de *Monasterio* loquitur. Etenim Confessarius nominando Religionem civitatis, in qua confessiones excepit, eo ipso denotat Monasterium ejusdem Religionis in hac civitate existens.

Articulus 2.

Confutatur falsa et temeraria assertio cl. Ballerinii, doctrinam S. A. laxam esse, et contra omnium Theologorum sententiam.

Loco cit. pag. 572.,[3] P. Ballerini adnotationem suam his verbis prosequitur: « Haec cum ita sint, cumque » praemissi Auctores haec dicant, » non de Monasterio aut Conventu, » sed de *Ordine religioso* aut certe » etiam de Ordine religioso, ipsi vero » fateantur, se *laxiorem* prae aliis » viam hac in re tenuisse; aegre sane » videbitur admittenda opinio, quam » *multo profecto laxiorem* de detrahente cuipiam Ordini Religioso » ex notitia confessionis, *S. Alphonsus* amplexus est. Postquam enim » l. c. dixit, sigillum violari, si Confessarius dicat, Religiosum ex tali » Conventu sibi confessum esse grave » peccatum, vel in Conventu illo talia peccata committi, mox subjicit: « *Non vero, ut ait P. Concina..., si tantum diceret, se audivisse peccatum Religiosi cujusdam Ordinis:* quia haec neque est revelatio sigilli, neque redundat in gravamen poenitentis, cum in quolibet Ordine aliqui mali sint: unde neque oritur scandalum, neque infamatur Religio, *nisi Religio illa esset arctioris observantiae.* » - » *Quae quidem, non modo sunt contra omnium Thh. sententiam, et eorum quoque, qui laxius circa hoc opinari visi sunt, sed iis rationibus fulciuntur, quas nemo facile admittet...* »

I. De sententia itaque, quam S. Doctor noster *rationabilem* dicit, et amplectitur, cl. Ballerinius affirmare

1) Cfr. supra, pag. 628. n. 2. — 2) De Sacram. tr. 7. c. 11. n. 322. — 3) In altera edit. pag. 458.

non dubitat, ipsam esse « *contra* » *omnium Theologorum sententiam,* » *et eorum quoque, qui laxius circa* » *hoc opinari visi sunt* », ipsamque sustentari « iis rationibus, quas nemo » facile admittet. » - Infelix profecto S. Alphonsus ! At vero gravis nobis occurrit difficultas. Vel recta et credenda est haec cl. Professoris assertio, et tunc vix intelligimus, curnam S. Sedes in solemni effato: *Nihil censura dignum*, hanc saltem sententiam expresse non damnaverit; vel assertio P. Ballerinii singularis est temeritatis. - Sed mittamus hanc considerationem, quae ad graviora verba nos abriperet; et scientifice tantum loquamur. Concedimus itaque, veram esse affirmationem cl. Professoris : dummodo *triginta saltem graves DD., tam benigniores, quam rigidiores,* excipiantur, ac pro nullis et non existentibus habeantur.

II. Antequam autem quasdam Auctoritates (praeter supra jam citatos Doctores) allegemus, casus, seu quaestiones, quae in hac materia proponi solent, distincte explicare juvat.

1. *Prima quaestio* est: An sigillum frangat Confessarius dicens, se *in tali Monasterio seu Conventu* grave aliquod peccatum audivisse, vel, quod gravius est, *in Monasterio, in quo confessiones excepit,* talia peccata committi. Diximus: quod gravius est; nam in secundo casu, non unum tantum, sed plures Religiosos hujus peccati reos esse enuntiatur; et, quod injuriam communitati irrogatam et gravamen poenitentis attinet, unum idemque est, sive Confessarius expressis verbis dicat, se hujusmodi peccata audivisse, sive secus. Unde recte dicit P. Gury, a fortiori sigillum violare, qui diceret, in Conventu illo talia peccata committi. - *Secunda quaestio* est: An sigillum frangat, qui *confessiones Religiosorum alicujus Ordinis* excepit, et dicit, *in eodem Ordine* gravia peccata perpetrari. - *Tertia* demum *quaestio* est: Utrum frangat sigillum, qui dicit, se peccatum *Religiosi certi cujusdam Ordinis* audivisse.

2. Auctores, qui ad *primam* quaestionem *negative* respondent, vel saltem probabile censent, sigillum non violari, a fortiori id negant quoad integram Religionem seu Ordinem religiosum. Similiter qui affirmant, sigillum frangere Confessarium loquentem de Communitate religiosa non ampla, de Monasterio seu Conventu, eo ipso excludunt integram Religionem. Qui autem ad *secundam* quaestionem *negative* respondent, a fortiori, ut per se intelligitur, negant in *tertio* casu proposito sigillum violari.

III. Inter Auctores, quos modo allegabimus, alii primam, alii secundam, alii omnes tres quaestiones propositas pertractant.

1. *Valentia, S. J.,* scribit:[1] « Sexto sequitur, non violari sigillum ab eo, qui tantum ipsa per se peccata audita in confessione ita dicit, ut neque directe neque indirecte personam indicet, nec possint alii ullo modo venire in notitiam ejus. Ita Sotus, loc. cit. contra Panormitanum in Cap. *Omnis utriusque sexus,* et Navarrus ubi supra n. 12., et alii communiter notant. Ratio est: quoniam tunc nulli debet propterea confessio fieri onerosa, cum nullus manifestetur. Et quod *peccata ipsa* sint celanda, satis etiam in ipso Cap. *Omnis* indicatur, hoc debere intelligi cum relatione quadam ad ipsam *personam;* nempe, ut eatenus celentur, quatenus id sit necesse et sufficiat, *ne cognoscatur persona.....* Atque etiam recte idem auctor (Sotus) censet, communiter facere imprudenter et scandalose eos, qui in genere dicunt, se talia et talia peccata audivisse in confessione: *licet non ideo quidem sigillum violatur, si nullo modo indicetur singularis persona.* In casu autem aliquo, quando id

1) T. 4. disp. 7. q. 13. p. 3.

alicujus utilitas postulare videretur, posset etiam, necessaria cautela adhibita, quis dicere in genere, se tale vel tale peccatum aliquando audivisse in confessione, ut satis indicat Navarrus dicto cap. 8. n. 12., qui bene ac prudenter hac de re loquitur. » - Valentia igitur omnino approbat doctrinam *Navarri*, supra (pag. 628. n. 2.) relatam.

2. *Ludovicus Lopez* [1] omnino sententiam *Navarri* tenet, generaliter de *loco* loquendo: « Male facit Confessarius, *licet non sit confessionis revelator,* qui *expresso nomine loci,* in quo audit confessiones, ait, in tali loco gravia crimina perpetrari; quia scandalizantur simplices, existimantes, per haec confessiones revelari.»

3. Porro *Coninchius, S. J.*, scribit: [2] « Notant tamen bene Doctores, non facile etiam hoc modo de auditis in confessione loquendum esse, nisi subsit gravis aliqua causa, praesertim coram multis, et cum expressione aliquarum circumstantiarum. Tum, quia rudes ea ratione facile scandalizantur, putantes etiam hoc modo laedi sigillum; tum etiam, quia *quandoque est periculum* ne laedatur: quia potest facile contingere, ut ex quibusdam circumstantiis, aliqui conjiciant facti auctorem. Qua in re facile graviter peccant, qui dicunt, *in aliquo certo loco,* ubi paulo ante confessiones audierunt, gravia peccata perpetrari, praesertim *quando communitas illius loci non est valde ampla.* Primo, quia hoc cedit in praejudicium ipsius communitatis, quae hoc modo infamatur, et consequenter etiam ipsorum poenitentium. Secundo, quia forte aliqui, qui prius habebant sinistram opinionem de quibusdam in particulari, magis in ea confirmabuntur, et ita indirecte revelabitur sigillum. Et haec maxime urgent, quando similia dicerentur *de aliquo loco religioso:* quo casu, credo omnino violari sigillum, ut argumenta dicta probant. »

4. Similiter *Laymann, S. J.,* [3] dicit: « Periculum est, ne interdum sigillum violetur, vel saltem violari videatur, si Confessarius etiam generatim dicat: In hac Civitate, *Collegio, Religiosorum Conventu,* committuntur gravia crimina, adulteria, veneficia. Ita *S. Antoninus,* [4] *Navarrus,* [5] *Henriquez.* [6] Nam ejusmodi revelatione, homines simplices offenduntur, putantes sigillum violari: imo revera *interdum* violatur; tum quia Communitas infamatur, quae infamia etiam in poenitentes, tanquam membra Communitatis, redundat; tum quia audientes, si de aliquo in particulari sinistram opinionem habuerunt, magis in ea confirmabuntur; cujus rei tanto majus periculum est, quo *minus ampla,* et alioquin boni nominis Communitas est, sicut *Aegidius Coninck* notavit cit. num. 16. »

5. *Bonacina* [7] ait: « Secundo colligi potest, non frangi sigillum confessionis, si Confessarius dicat, in tali civitate adesse multos improbos, vel talia crimina perpetrari; nulli enim poenitenti fit injuria, cum non sit periculum, ut auctor illorum peccatorum cognoscatur, ut suppono. Secus, si loquatur de aliquo *loco non valde amplo*, aut si de aliquo *Monasterio* dicat gravia scelera in eo committi, ut patet ex dictis de detractione; nam fieri potest, ut non levis suspicio de aliquo particulari concipiatur, et aliqui jacturam famae patiantur. »

6. *Castropalaus, S. J.,* [8] scribit: « Hinc fit, gravissimum periculum esse violandi sigilli, si *in aliquo oppido, et forte non amplo, ubi paulo ante confessiones excepisti,* affirmas plura peccata gravia committi, plures confessiones generales ex necessitate excepisse. Etenim ex tali dicto,

1) Instr. consc. p. 1. c. 37. — 2) De poenit. disp. 9. dub. 1. n. 16. — 3) De poenit. c. 14. n. 10. — 4) Cit. c. 22. §. 3. — 5) Cit. C. *Sacerdos.* n. 54.; et in Man. c. 8. n. 16. — 6) Lib. 6. c. 21. n. 6. - 7) De poenit. disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 3. — 8) De poenit. p. 19. §. 3. n. 11.

illa Communitas non leviter infamatur, cujus infamia in poenitentes tanquam illius membra, derivatur : et qui de aliquibus sinistram conceperant opinionem ob tale delictum, in ea firmantur. Atque ita docent S. Antoninus, Navarrus, Henriquez, Coninchius, Laymann, Bonacina. Et haec efficacius urgent, si de aliqua *exigua Communitate,* et *alioqui religiosa* dicantur, *Collegio* scilicet, *Religiosorumque Conventu :* in his enim credit Aegidius de Coninch, sigillum violari. Expedit ergo, ab his omnibus abstinere. »

7. *Trullenchus* [1] vero dicit : « Ex hac secunda conclusione colligi potest primo, non violari sigillum confessionis, si Confessarius dicat, in tali civitate adesse multos improbos, vel talia crimina perpetrari : nam nulli fit injuria, cum, ut supponimus, nullum sit periculum, ut quis in particulari dignoscatur. Secus, si id dicat *in loco non valde amplo,* aut si *de aliquo Monasterio* dicat, gravia ibi committi ; *nam fieri potest, ut non levis suspicio de aliquo in particulari concipiatur,* et aliqui jacturam famae patiantur. *Non tamen videtur improbabile,* si non adest periculum, ut auctor peccati dignoscatur, hunc non violare sigillum ; peccare tamen mortaliter, scandalizando proximum, et eum infamando, ut ex Onuphrio refert Diana. » [2]

8. Accedit *Vincentius Candidus,* qui [3] quaerit : « Dubitatio VIII. *An Confessarius, in aliqua communitate seu loco excipiens multorum confessionem, frangat sigillum, si extra confessionem exprimat, in illo loco vel communitate gravia scelera committi ?* Dico duodecimo, narrare peccata etiam mortalia audita in confessione, quando nullo modo deveniri potest in cognitionem personae, non est contra sigillum ; *nec si dicatur,* in aliqua civitate, vel tali loco, *expresso nomine loci,* ubi constat Confessarium narrantem audivisse multorum confessiones, fiunt gravia peccata, vel sunt multi sodomitae, vel si *de certa Religione in genere* dicatur : vendi officia, vel solitum fieri tale vel tale crimen. Cavendum tamen est ab hujusmodi narrationibus, etiam quando nullius in particulari suspicio esse potest : quia apud simplices generatur scandalum revelatae confessionis, et aliquando graviter infamatur communitas ; quae infamia in singulares et privatas personas, tanquam membra communitatis redundat. Videatur Navarrus, Henriquez. – Dico decimo tertio : Si vero Confessarius loquatur *de aliquo loco non valde amplo,* aut si *de aliquo monasterio,* in quo audivit confessiones, dicat gravia scelera in eo committi, *videtur frangere sigillum confessionis :* nam fieri potest, ut non levis suspicio de aliquo particulari concipiatur, et aliqui jacturae famam patiantur. Videatur D. Antoninus, Coninchius. »

« Dubitatio IX. *An similiter Confessarius revelet confessionem, dicendo, tale peccatum grave audivi in confessione, et esse Religiosum, qui illud commisit ?* Dico decimo quarto : Confessarius *non peccat peccatum revelationis confessionis,* si dicat esse *Religiosum,* qui tale peccatum grave confessus est. Quia cum Religio jam nostris temporibus sit res nimis universalis, nullo modo detegitur sic persona ; tum quia nullus diceret, quod peccat hoc peccatum Confessarius, qui narraret, se audiisse tale peccatum in confessione Sacerdotis saecularis ; sed fere est eadem ratio de *Sacerdote saeculari in genere,* et de *Religioso in genere ;* ergo, etc. – Sed quid dicendum, si Confessarius dicat, *Religiosum talis Religionis in specie* commisisse tale grave peccatum ? Aliqui, quos citato nomine refert Nugnus, existimant, talem Confessarium *peccare* pecca-

1) De Sacr. lib. 4. c. 8. dub. 4. n. 7. — 2) P. 1. tr. 15. res. 13. — 3) Disquis. 24. de conf. art. 50.

tum revelationis sigilli ; et ipse Nugnus asserit esse sententiam *satis probabilem,* citans D. Antoninum. – Dico decimo quinto : Si quis dicat *Religiosum talis Religionis vel Coenobii, de quo habetur optima existimatio,* ea in parte inventum esse cum meretrice, vel aliquid simile commisisse, quod Religionem vel Coenobium infamet, *peccat mortaliter,* quia hujus delicta redundant in alios Religiosos, de quorum Religione habetur maxima existimatio : *secus autem* dicendum est, si referat *aliquod delictum de Religioso, quod constat frequens esse in ea Religione seu Monasterio,* vel si referat delictum, cujus infamia non redundat in alios. »

9. *Escobar, S. J.,* Lib. 16. : « Problema : Confessarius (imprudenter quidem) ait : Quidam Religiosus *ex tali Ordine* seu *ex tali Conventu* hoc mihi confessus est grave piaculum. Hic violat et non violat confessionis sigillum, si communitati illi nocumentum grave inferatur. »

« *N. 751. Sigillum violat. – Certum est, contra sigillum non esse, communitatem declarare,* in qua tale grave peccatum in confessione auditum est ; dummodo propterea veniri nequeat in personae delinquentis notitiam, *nec tali communitati nocumentum grave inferatur.* Nam, si gravis inferretur communitati infamia, *contra sigillum erit ;* quia singuli illius communitatis ita ab audientibus despiciuntur, ac si peccati confessi illius essent perpetratores. Sic Granadus, Suarez, Antoninus, Villalobos, Diana. »

« *N. 752. Sigillum non violat.* – Esto Confessarius ille imprudens gravissime delinquat, communitatem tanta inurens infamia, non tamen sacri est sigilli violator ; quia nec revelatur delinquens, nec adest periculum (id enim supponimus) quod agnoscatur. Ita Navarrus, Henriquez, Nugnus, Fagundez, Candidus. »

« *N.753. Cum his sentio.*- Cum his opinor ; neque enim sigillum violatur, cum poenitentis hujus culpa non reseratur. Justitia itaque vulnerabitur gravius aut levius pro qualitate criminis, quod de strictiore aut laxiore Ordine exponitur ; *sacrum autem sigillum, haud reserata persona delinquente, inviolabile permanebit.* Attamen Sacerdos adeo loquens incaute, dignus quidem, qui ab hoc gravissimo ministerio, viros requirente prudentia praeditos, arceatur. »

10. *Aversa* dicit: [1] « Sexto dubitatur, num sacramentale sigillum obliget etiam non manifestare communitatem, de qua est poenitens confessus tale peccatum, ita ut non peccet contra sigillum Confessarius dicens : quidam Religiosus *talis Ordinis* vel *talis Monasterii* commisit, sive mihi confessus est tale peccatum ; item dicens : in tali urbe vel oppido inveniuntur enormia peccata, sive vigent adulteria, et similia ? » Et exposita sententia affirmativa, dicit :

« *Admitti tamen potest, non extendi ad hoc proprie ipsum sacramentale sigillum,* quando nulla penitus suspicio gigni potest *de ulla particulari persona;* sed bene ad hoc potius spectare naturale secretum, vel obligationem vitandi scandali, pro qualitate et gravitate rei. Ita censent Sylvius, Nugnus, Navarrus, Vivaldus, Henriquez, Fagundez, Onuphrius, Megala, oppositum dicens, mirum alicui videndum. *Et sane non videntur communiter Confessarii reputare se frangere sigillum, sic nominando communitatem absque periculo suspicionis de persona.* Et aliqui ex eisdem Auctoribus prioris sententiae notant, in hoc non cadere poenam fractionis sigilli. Imo interdum, ob aliquem bonum finem, absque ullo detrimento aut scandalo, non illicitum censent dicere alicui, ut sibi caveat, quia in tali loco sibi parantur insidiae, aut petitam et

1) De poenit. q. 18. sect. 4. §. 6.

datam fuisse licentiam de casibus reservatis, et similia. Et absolute in magnis civitatibus non apparet contra sigillum, dicere, talem casum sibi occurrisse. Unde nec moraliter taxari posset, quanta esse debeat civitas aut villa, ad hoc, ut id non censeatur vel censeatur contra sigillum. Sed pro qualitate rerum facilius apparebit, quando cedat in detrimentum vel scandalum. *Itaque sigillum sacramentale proprie restringi videtur ad personam singularem poenitentis, ne ullum indicium de ea praebeatur.* »

11. *Tamburini, S. J.,* [1] hac de re scribit: « Non erit autem contra sigillum, peccata audita, etiam signate, ut in confessione audita, absque ullo periculo quid conjiciendi adversus poenitentem, enarrare: id tamen propter periculum, quod fortasse latet, rudiumque scandalum, reprehenderem cautus; atque hoc quidem scandalum communiter adesse, quando dicitur: hoc audivi in confessione, docet *Fagundez*. Verum est temperandus, quia in nostra aetate tam culta, pauci admodum sunt, quos vera de hac re solidaque doctrina praetereat. Quid, si detegatur *locus* vel *familia,* ut si Confessarius sic enuntiet: Eo in loco solet hoc peccatum committi? Dico: *si id evulgetur de loco magno, non esse contra sigillum; esse, si de parvo*. Sic *de Lugo* loc. c. aliique; quidquid dicant alii apud Dianam. Ratio est, quia nulla fit injuria, si de numerosa civitate affirmetur ibi perpetrari peccata; fit, si de raro populo vel familia, quae certe ex illo dicto infamia notaretur. »

12. *Sporer* [2] dicit: « Similiter periculum est, ne *interdum* sigillum violetur, vel certe violari putetur, si Confessarius etiam generaliter dicat, ex confessione sciens: In hac civitate, *in hoc collegio, conventu, monasterio, vel in hac communitate non valde magna,* committuntur magna crimina, adulteria, veneficia, etc.; aut in tali loco, ubi confessiones audivit, magnum aliquod crimen commissum esse, etsi non nominetur ulla persona: ex communi DD. *Navarrus, Suarez, Laymann* cit. et *Diana.* [3] Ratio, quia ejusmodi relatione, homines simplices offenduntur et scandalizantur, putantes sic sigillum violari; imo revera *interdum* violatur: tum quia communitas infamatur, quae infamia etiam in poenitentes redundat, tanquam in membra communitatis: tum quia audientes, si de aliqua persona particulari sinistram opinionem habent, magis in ea confirmantur, ideoque eis redderetur odiosa confessio; quorum incommodorum tanto majus periculum est, quo minus ampla, seu modica est aliqua communitas, et alioquin boni nominis, uti cum *Coninck* bene notat *Laymann* cit. Secus tamen esset, *quando ampla valde est communitas;* neque enim notabilis fit injuria, si de populosa civitate, provincia, toto regno, dicatur: fieri ibi aliqua peccata. »

13. *Salmanticenses* [4] pariter inquiunt: « Si Confessarius etiam generatim dicat, in hoc oppido, et *forte non amplo,* ubi paulo ante confessiones excepit, committi gravia crimina, adulteria, veneficia, gravissimum periculum est violandi sigilli. Etenim ex tali dicto communitas infamatur, quae infamia etiam in poenitentes, tanquam membra communitatis, redundat. Et qui de aliquibus in particulari sinistram opinionem conceperant, in ea firmantur. Atque ita docent *S. Antoninus, Navarrus, Henriquez, Coninchius, Laymann, Bonacina,* quos refert et sequitur *Palaus,* loc. cit. n. 11.; et haec maxime urgent, quando similia dicerentur *de aliqua exigua Communitate, et alioqui religiosa, Collegio scilicet, Conventuque Religiosorum.* In eis enim merito credit

1) De method. conf. lib. 4. c. 3. — 2) De poenit. c. 7. n. 827. — 3) P. 5. tr. 11. res. 35. — 4) Tr. 6. c. 14. n. 36.

Coninchius, omnino sigillum violari: redderetur enim comparatione particularium, confessio odiosa et onerosa. »

14. Similiter dicit *Andreas Mendo, S. J.:* [1] « Sigillum frangitur a Confessario dicente, ubi sunt *pauci* Religiosi in Monasterio, aliquos Religiosos ex illo esse sceleratos. »

15. *Herincx* vero scribit: [2] « Nota secundo: Etsi facile possit subesse scandalum, non tamen frangi sigillum confessionis, si Confessarius dicat in tali civitate esse multos improbos, gravia crimina committi; quia nulli poenitenti fit injuria, cum (ut suppono) de nullo in particulari, vel suspicio quidem ingeratur. Ita Navarrus, Henriquez, Bonacina, et alii contra Vasquez. – Major difficultas est, si loquatur de aliquo loco non valde amplo, aut dicat *de aliquo Monasterio,* gravia scelera in eo committi: quia hoc modo infamatur talis communitas, atque in singulos istius communitatis, adeoque in ipsum poenitentem, aliquid infamiae aut suspicionis redundat. Imo *eatenus videri potest esse contra sigillum,* ut varii tenent cum Diana. [3] Neque etiam licentia poenitentium sufficeret ad excusandum a detractione, qua laederetur familia ipsa, cujus juri cedere ipsi nequeunt. Verumtamen ibi prudenter attendendum esset, an communitas censeatur per hoc notabiliter laedi. Alii vero censent, id non repugnare sigillo. Sed loquuntur in casu, quo nulla penitus suspicio gigni potest, de ulla *particulari persona;* ut *Aversa* [4] *plures citans,* et addens, non videri *communiter* Confessarios reputare, se per hoc frangere sigillum. Saltem improbandi omnino sunt hujusmodi abusivi modi loquendi. »

16. *Stoz, S. J.,* dicit: [5] « Qui ex confessionibus in aliquo v. g. pago, urbe, monasterio, etc., auditis, dicit, in illa communitate committi multa adulteria, usuras, veneficia, etc., certum est, quod peccet contra justitiam, infamando injuriose communitatem, nisi ejusmodi delicta sint publica et notoria; *vel nisi communitas sit talis et tam magna, ut prudenter omnes judicare possint, eam non carere ejusmodi zizaniis:* Fagundez. – Saepe etiam peccat contra charitatem, hac ratione scandalizando audientes, maxime si sint simplices; peccat quoque contra ipsum confessionis sigillum: Suarez, Vasquez et alii, contra Navarrum, Henriquez et alios, apud Fagundez et Diana: quia *magnum est periculum,* ne iis, qui talia audiunt, ipsae personae poenitentium innotescant; *maxime si locus, aut coetus Regularium vel Clericorum saecularium, non sit amplus et numerosus.* Nam illi, quos ex tali numero constat esse solutioris vitae, sinistrae famae, etc., redduntur valde suspecti de ejusmodi peccatis; et sic est magnum periculum, ne omnino deprehendantur: Coninchius, Bonacina, Palaus. Addit Dicastillus, hoc ex eo quoque esse contra sigillum, quia confessionem plane reddit odiosam. »

17. *Roncaglia* [6] etiam dicit, non esse contra sigillum, si Confessarius de hominibus *amplae civitatis* dicat, se cognovisse ex confessione, in ea usuras committi, peccata carnalia; quia certum est, in ampla multitudine semper esse homines usurarios, lascivos, etc.: unde nulla oritur civitatis infamia, nec aliquis a confessione retrahitur. – Deinde pergit: « *Idem dicendum,* si ex notitia confessionis, dicat Confessarius de Religiosis *amplae Religionis,* etiam inter eos esse Religiosos pravos; compertum est enim, *in magno Religiosorum numero, semper aliquos adesse, qui a recta vivendi ratione discedunt.* Oportet tamen ita loqui

1) *Epitome opinionum moralium, tum earum quae certae sunt, tum quae certo probabiles, et in praxi tuto teneri possunt,* Edit. 3. Venetiis 1682. verb. *Sigillum,* n. 15.
2) De poen. disp. 8. q. 3. n. 23.— 3) P. 5. tr. 11. res. 35. — 4) Q. 18. sect. 4. §. 6. — 5) *Trib. poen.,* lib. 2. q. 4. n. 227. — 6) Tr. 19. q. 6. c. 3.

apud personas, quibus scandalum non sit afferendum: nam personae rudes, quae fortasse putabunt, omnes illos Religiosos esse probatae virtutis, ex tali locutione non parum scandalizabuntur. *E contra,* quamvis nulla designetur persona, non potest Confessarius dicere peccata, quae committuntur *in exiguo oppido, familia, seu Religiosorum Conventu.* Ratio est, quia ita de quibusdam loqui, redundat in infamiam totius exigui oppidi, communitatis, etc., adeoque homines averti possent a confessione; et ita constat, intervenire fractionem sigilli. »

18. *Mazzotta, S. J.,* dicit: [1] « Similiter (frangit sigillum), si de aliqua Communitate, Monasterio, vel Coetu dicat, inesse aliquod peccatum, peti licentiam a reservatis, etc.; quia quilibet est pars magna *parvae Communitatis:* unde non est leve periculum suspicandi de reo. Suarez, Vasquez, Bonacina, Lugo, et alii communiter, contra Navarrum, Aversa et alios. »

19. *Billuart,* [2] breviter casus, in quibus Confessarius sigillum violat, attingens, dicit: « Item, si de aliquo loco vel *communitate non ampla,* de Collegio, Monasterio, vel etiam *de Congregatione integra* dicat, ibi perpetrari gravia; quia Communitas inde infamatur, quae infamia redundat in ejus membra, et reddit Sacramentum odiosum. »

20. *Leonardus Jansen* [3] sic scribit: « Sacerdos in genere dicens, se in confessione audivisse haec vel illa crimina, v. g. proditionem, seditionem, eaque foveri in hac civitate, etc., per se loquendo non frangit sigillum, nisi ex circumstantiis fiat occasio tale peccatum prudenter suspicandi *de determinata persona;* quod, quia quandoque fieri potest, ejusmodi locutiones ordinarie erunt periculosae et scandalosae; si quis vero de parva aliqua Communitate, v. gr. de *Monasterio* dicat, ibi committi multa reservata, vel peccata carnis, *frangit sigillum,* et Monasterio gravissime detrahit, redditque confessionem odiosam. »

21. *Gotti* [4] dicit: « Ex supradictis infert Natalis Alexander primo: Quod periculo violandi sigillum exponit se Sacerdos, qui de rebus in confessione auditis ita imprudenter loquitur, ut posset trahere audientes in notitiam aut suspicionem poenitentis; puta si diceret: Titius mihi confessus est gravia peccata sua, vel casum reservatum; aut: eum ad Poenitentiarium remisi, hanc injunxi poenitentiam: maxime si antea dixerit, se talem poenitentiam injungere pro tali peccato. Similiter, si quis dicat *de loco parvo,* in quo confessiones audivit, multos ibi esse fornicatores, adulteros, fures, etc., aut in *Monasterio* esse plures proprietarios. Si quis Superiori domus religiosae dicat: Unus e tua familia vel domo adulter est, fur, aut mortem tibi machinatur. In his casibus exponit se periculo violandi sigillum: quia saltem indirecte contingere potest, ut veniat in cognitionem personae poenitentis. »

22. *Reuter, S. J.,* ait: [5] « Sigillum frangit ... si quis diceret, se *in tali Monasterio* audivisse grave peccatum; quia id satis esset ad reddendam ibi confessionem odiosam. Item si *de oppido vel de urbe exigua* diceret, in eo grassari v. g. adulteria, quae tantum novit ex confessione. »

23. *Marcus Struggl:* [6] « Sigillum indirecte frangit Confessarius ..., si de aliqua Communitate *non adeo magna* dicat, in ea committi haec et haec crimina, etc. »

24. *Cuniliati:* [7] « Frangit sigillum Confessarius ..., qui *de aliquo Monasterio, Collegio, aliove loco in quo plures collegialiter vivunt,* dicit, ibidem florescere amores; se invicem corrodere, extare dissensiones, vani-

1) Disp. 2. q. 5. c. 2. — 2) De poenit. diss. 8. art. 2. — 3) Theol. mor. T. 2. cas. 100. n. 6. — 4) T. 3. tr. 9. q. 7. dub. 3. n. 9. — 5) P. 4. tr. 5. n. 378. — 6) De poenit. q. 3. n. 66. — 7) De poenit. s. 8. n. 5.

tates, etc., si haec tantummodo ex confessionibus auditis noverit : item, qui de aliquo castro, oppido, rure, aliove loco *non ampli circuitus* dicit, dominari adulteria, furta, etc., si id ex confessionibus tantum compererit : item qui, paucorum hominum vel paucarum mulierum confessionibus auditis, dicit, se tale crimen audiisse, quamvis non indicata persona ; quia singuli illi pauci in suspicionem venire possunt de crimine illo ; immo fieri potest, ut aliquis audientium poenitentes illos viderit et noverit ; atque ex quibusdam circumstantiis conjiciat, quis vel quae eorum illud perpetrarit. »

25. *Henricus a S. Ignatio* [1] dicit : « Violat vero sigillum Confessarius, si poenitentis *personam* manifestat, vel ex narratione ipsius, audientes in illius cognitionem aut suspicionem veniant ... Vel si dicat, *in angusto illo loco* (in quo confessiones audivit), multos esse fures, fornicatores, adulteros. Vel, *in tali Monasterio* multos esse proprietarios, impudicos ... His namque modis omnibus, vel manifestat personam poenitentis, vel audientibus via aperitur veniendi in cognitionem aut suspicionem illius. »

26. His demum Auctoribus addendi sunt, qui nullam exceptionem adjiciunt ; ut *Antonius Fernandez :* [2] « Dico sextum. Non frangit sigillum confessionis Confessarius, qui revelat peccata sibi aliquando confessa, non revelando *peccatorem*. Ita habetur Cap. *Omnis utriusque sexus*. Verumtamen caute nimis procedendum in re tam periculosa. Plura tradit D. Antoninus, et Navarrus. » – Similiter *Joannes Corradus :* [3] « Videtur mortale esse : cum Textus dicat, quod, qui peccatum in poenitentiali judicio detectum revelaverit, perpetuam agat poenitentiam. Unde ex his verbis Panormitanus elicit, quod nec etiam in genere peccatum detegi possit, sine sigilli fractione. Respondetur tamen, quod, ubi nullum timetur periculum revelationis *peccatoris*, non censetur Sacerdos sic esse fractor sigilli ; cum sit consuetudo, vel ad capiendum consilium, vel in aliis colloquiis ita narrare et referre in confessione audita ; nec est peccatum mortale de se, si sine scandalo fiat, licet id fieri non deberet. Et quando Caput illud vetat non revelare in confessione audita, intelligitur, quando per ea *peccator* quovis modo detegeretur. »

IV. Ex hisce documentis, quibus et alia adjungi possent, prudens quisque judicabit, quid sentiendum sit de assertione cl. Professoris, sententiam Concinae, quam S. Doctor *rationabilem* censet, – nimirum, sigillum non violari a Confessario, qui diceret, *se audivisse peccatum Religiosi cujusdam Ordinis, nisi Religio illa esset arctioris observantiae* – esse « *contra omnium Theolo-*

1) Ethica, de poenit. c. 264. n. 2854. — Quamvis hujus Auctoris opus in Indice librorum prohibitorum sit, in hac tamen materia tanto magis ipsum citare licet et juvat, quia alias in opinionibus suis rigidissimus est. — *P. Gury* T. II. num. 431. pag. 316. (in altera edit. pag. 253.) thesim statuit : « Certum est, validam esse *in omni casu* absolutionem sub conditione de *praesenti* vel *praeterito* impertitam ; modo adsint alia requisita ad Sacramenti validitatem ... » ; et pro hac sententia plures rigidiores auctores citat. — Ad quem textum, *P. Ballerini* adnotat : « Auctor allegat hic Auctores, qui, teste S. Alphonso, communiter » habentur uti *rigidiores ;* quo scilicet subindicet, certam adeo ac perspicuam esse eam do- » ctrinam, ut ab ipsa ne rigidiores quidem discedendum putaverint. Hoc tamen argumenti » genus fallax subinde est. Compluribus enim exemplis ostendi posset, rigidissimos quosque, » qui putantur, Scriptores non raro in eas laxitates declinasse, quas nemo inter benignis- » simos admisit unquam. » — Nulla autem cl. Professor hujusmodi exempla affert, et vix reperientur. Multo facilius e converso exemplis ostendi posset, Auctores regulariter benignioribus opinionibus patrocinantes, nonnumquam in tales rigores declinasse, quos nemo inter rigidissimos sustinuit unquam. Quando autem in aliqua sententia, multi DD. tam benigniores quam rigidiores conveniunt, recte utique ex hoc consensu colligitur, et pro certo indicio habendum est, hanc sententiam gravibus rationibus intrinsecis sustineri.

2) P. 3. c. 6. *§.* 9. n. 26. — 3) Resp. 332.

» *gorum sententiam, et eorum quo-* » *que, qui* LAXIUS *circa hoc opinari* » *visi sunt.* » Sed ulterius progrediamur.

ARTICULUS 3.

Contra varia argumenta a cl. Ballerinio prolata, clare exponitur S. A. doctrina.

Cl. Professor, postquam miro animo asseruit, sententiam atque argumenta Concinae et S. Alphonsi esse contra omnium Theologorum sententiam, adhuc subjungit: « *sed iis ra-* » *tionibus fulciuntur, quas nemo fa-* » *cile admittet.* » Dein, ad ultimam hanc propositionem confirmandam, pag. 572. [1] sic pergit:

« Et sane quis serio dixerit, non » gravari inde poenitentem? Esto » enim, quod persona ejus non pro- » datur; at nonne grave accidet poe- » nitenti, quod ex sua confessione, » *imprudens* Confessarius ansam su- » mat infamandi totum Ordinem? Imo » nonne ipse poenitens, utpote ejus- » dem Communitatis membrum (quod » sup. etiam Suarezius advertebat) » infamiam participat? Quin adeo » grave merito videri id potest, ut » nemo possit in dubium vocare, poe- » nitentem, qui peccatum suum a » Confessario sic revelatum iri pru- » denter credat, posse illud in con- » fessione reticere; adest enim causa » sufficiens, infamiae scilicet, et suae, » et proprii Ordinis discrimen.

» Quod vero additur: « *nec scan-* » *dalum, nec Religionis infamiam* » *oriri, quia in quolibet Ordine ali-* » *qui mali sunt* », quis facile admit- » tat? Quod enim in quolibet Ordine » aliqui mali sint, partim ratione » illa generali, quod nec Apostolo- » rum Collegio suus Judas defuerit, » partim levibus conjecturis, incer- » tisque ac vanis rumoribus inniti » solet. Porro, quo leviores sunt vul- » gi conjecturae, eo atrocior profecto » evadit Confessarii revelantis inju- » ria. Etiamsi vero penes vulgus re- » ligiosa aliqua familia non bene ole- » ret, nonne infamia, tam authen- » tico Confessarii testimonio, insigni- » ter augeretur et confirmaretur? » Nonne, cum fama haec percrebue- » rit, singulae alicujus Ordinis per- » sonae despici vulgo solent, quasi » singulae crimen illud patrassent? » Demum, nonne gravamen haud » exiguum, nonne grave scandalum » accidit, quod vel sola horum me- » moria refricetur? Adde, quod in » concreto, causa Ordinis religiosi » vix differat a causa unius Mona- » sterii. Cum enim Confessarius di- » cat, *se in confessione id audivis-* » *se,* res profecto ad aliquot (ad sum- » mum) Monasteria circumscribitur, » e quibus ad eum accedere aliquis » Religiosus potuerit. Adde, religio- » sas quasdam familias perpaucis con- » stare Monasteriis, immo totum Or- » dinem interdum non plurimis con- » stare hominibus... »

Profecto, quis se commotum non sentiret hisce Animadversionibus sancto fervore prolatis? Persuasum sane habet cl. Professor, S. Doctorem de hisce argumentis minime cogitasse; secus *laxiorem* Concinae sententiam amplexus non esset. Ipse tamen nobis veniam dabit, si a priori supponamus, haec omnia allegata nullatenus effugisse mentem Viri, qui, praeter eminentem Doctrinam, insigni Sanctitate praefulsit, atque inter alias eximias virtutes, Charitatem et bonam aliorum famam, maxime Religiosorum, verbis, factis et scriptis, summo zelo nunquam non fovit. – Ad omnia ista respondebimus, rite et accurate exponendo doctrinam S. Alphonsi.

I. S. Doctor *rationabilem* censet opinionem *Concinae*, et ideo prae caeteris audiendus est hic Auctor. – *Concina* [2] quaestionem proponit: « *Confessarius, qui diceret, in tali oppido, communitate, collegio, Conventu, Religione, perpetrari gravia crimina, violaret ne sigillum?* » et respondet:

1) In altera edit. pag. 458. — 2) De poenit. lib. 2. diss. 3. c. 12. n. 13.

« Procul dubio sigillum violaret Confessarius, qui de hoc aut illo oppido, de hac aut illa civitate, enormia crimina revelaret iis, qui malam de tali civitate concipere opinionem possent. Quod potissimum locum habet de *parvo* oppido, civitate, etc. Si civitas *ampla et populosa* esset, et jam constaret, talia et talia crimina in ea perpetrari, non crederem sigillum violari: quia nulla suspicio aut scandalum timeri posset. Quod dico, non ut sint minus cauti etiam in hoc Confessarii, sed ne plus justo arctetur secretum. Qui de hoc aut illo *Conventu*, vel *Collegio* crimen auditum in confessione revelaret, secretum frangeret: quia infamaret talem coetum, collegium, communitatem. - *Quid, si Confessarius diceret, se audiisse peccatum perpetratum a Religioso hujus aut illius Ordinis?* Cum in qualibet professione aliqui ficti et mali sint, *non videtur in tali casu contingere secreti violationem*. Nec communiter scandalum oritur; nec Ordo aliquo modo infamatur ex hoc, quod sciatur, *ex tanta Religiosorum multitudine* aliquem esse criminosum. Hoc absolute verum judico: ceterum spectandae sunt circumstantiae. Nam *si Religio aliqua singulari existimationis fama resplenderet*, et manifestatio criminis etiam in genere, nullius sive personae, sive conventus, sive collegii mentione facta, infamiae aut nocumenti notam Religioni inferret; tum sigillum violaretur. - Ex quibus omnibus semper infertur, silentium in Confessario de auditis in confessione debere esse summum. Utique non est sigilli custodia plus justo arctanda; at etiam verum est, silentium numquam, absolute loquendo, esse noxium; et locutionem periculis non vacare. Quare prudenter aget, si neque Religionem in communi nominabit. Ad quid enim haec manifestatio? Quis honestus finis? Ergo silentium servetur: semper enim aderit aliquis defectus, ut minimum incautae locutionis. Quod si animus adesset detrahendi tali Religioni, *aut reipsa talis Religio etiam in communi nominata aliquid detrimenti pateretur;* dubio procul sigillum laederetur. Cautus igitur Confessarius sit, abstineatque semper a nominanda Religione, civitate, communitate, etc. »

Et *n. 28.* denuo observat: « Ut paucis omnia perstringam, Confessarius cautissimus sit in loquendo de auditis in confessione, ut dictum est alias, et dicendum saepius est. Declinandum tamen est aliud extremum, ne plus justo sigillum arctetur. Eorum quae dicta sunt, aliqua *ex circumstantiis* pendent: quia aliquando est, et aliquando non est violandi sigilli periculum. Idcirco plura pendent ex prudentia Confessarii, qui, nisi sit experrectus et circumspectus, et silendo, et loquendo, pro circumstantiarum varietate, laedere secretum valet. Silentium tamen est ordinarium et validius remedium. »

II. Quocirca sequentia attendenda sunt:

1. Unica quaestio, de qua hic agitur, ea est, an Confessarius *sigillum* frangat; non autem, utrum licite loquatur, et nulla alia ratione delinquat.

2. *Concina* non quidem expressis verbis *amplam* Religionem requirit, ut Confessarius a fractione sigilli excusetur; at vero dicens: « *ex tanta Religiosorum multitudine* », manifeste excludit Religionem, quae *paucis* tantum Monasteriis et Religiosis constaret. - Similiter *S. Alphonsus* amplam Religionem supponit; quod jam ex eo patet, quia Confessarium de Communitate *civili* loquentem non excusat, nisi haec Communitas *tribus circiter millibus hominum* constet.

3. Tam Concina, quam S. A. affirmant, sigillum violari a Confessario dicente, Religiosum *ex tali Monasterio vel Conventu* grave peccatum sibi confessum esse. Si ergo Confessarius *Religionem* tantum nominat; at, ex rerum adjunctis, suspicio *in*

aliquod Monasterium vel *in aliquos Religiosos* hujus Ordinis cadere potest, secundum S. Alphonsum, *jam sigillum violat.* – Unde, si in aliqua dioecesi vel provincia, unum vel plura Monasteria existunt, Confessarius, salvo sigillo, hanc Religionem nominare non poterit; quia certo aliqui unum alterumve Monasterium ejusdem Religionis suspicarentur. Idem dicendum, si Monasteria ibidem non existunt, at Religiosi ex aliis Conventibus saltem transeundo in hac dioecesi vel provincia versantur; et quidem ob eamdem rationem.

4. Ex dictis patet, secundum doctrinam S. Alphonsi, Confessarium, *Religionem* nominando, raro sigilli fractionem evitaturum esse, nisi constet, ipsum *in variis terris et dioecesibus* munus Confessarii exercuisse, et ipse hanc circumstantiam exprimat.

5. Concina excipit: « *si Religio aliqua singulari existimationis fama resplenderet* »; et S. Doctor simpliciter dicit: « *nisi Religio illa esset arctioris observantiae.* » – Ergo Confessarius, salvo sigillo, talem tantum Religionem nominare poterit, in qua observantia notorie relaxata est.

6. Nec Concina, nec S. A. de veneficiis, adulteriis, aliisve gravibus sceleribus loquitur (quemadmodum Laymann, Sporer, Mendo, Stoz, etc., et quidem non de Religione, sed de Monasterio tractantes), sed simpliciter de *peccato*. Et Concina expresse addit, sigillum violari: « *si reipsa talis Religio in communi nominata aliquid detrimenti pateretur.* » Ergo talia peccata hic intelligenda sunt, quae in Religionibus relaxatae observantiae occurrere solent, et in illa, quam nominat Confessarius, notorie occurrerunt. – Huc etiam spectant, quae S. Alph. *num. 654.* ad textum Busembaumii adnotat. Busembaum allegat Malderum, qui dicit, « Confessarium, qui paucos habet poenitentes sibi subditos, v. g. Moniales unius monasterii, scandalum dare, si coram illis concionetur de vitiis auditis in confessione: quia confessae facile suffunduntur pudore. » S. Doctor autem subdit: « Hoc tamen in» telligendum, si Confessarius loqua» tur de aliqua culpa *particulari* » cujusdam Monialis, vel illius Mo» nasterii; secus si loquatur de de» fectibus, qui *communiter* in omni» bus Monasteriis solent vel possunt » perpetrari. »

III. Haec, si cl. Professor pro sua sapientia et prudentia attente perpendisset, procul dubio mitius cum S. Doctore nostro egisset, atque operae simul et tempori parcens, omnes illas insectationes penitus reticuisset. [1] –

1) Alias quatuor Animadversiones cl. Professoris, eamdem materiam sigilli respicientes, paucis saltem perpendere juverit.

I. — In Adnotatione, ad *n. 657. q. 1.* Patris Gury pag. 564. (in altera edit. pag. 452.), cl. BALLERINIUS non laxitatis, sed potius nimii rigoris S. Doctorem arguit, eo quod non acquiescat sententiae *Lugonis* dicentis, manifestationem *scrupulositatis*, aut aliorum defectuum, quos Confessarius ex ipso confitendi modo colligere potuit, *non esse violationem sigilli sacramentalis.* — Contendit insuper cl. Professor, admittendam esse distinctionem, qua scilicet, etiam juxta S. Alphonsum, etsi Confessarius per hujusmodi manifestationem non excusaretur a revelatione *secreti naturalis*, a peccato tamen violationis *sigilli sacramentalis* immunis evaderet.

Ut hisce breviter respondeatur, duplicem revocare sufficiat regulam a S. Doctore hac de re traditam. 1°. « Regula generalis est, quod laeditur sigillum, quoties utitur confessione, » directe vel indirecte revelando peccatum, aut *in poenitentis gravamen* » (Hom. Ap. tr. 16. n. 157.). — 2°. « Non est licitum uti *opinione probabili* in praejudicium juris certi, quod » alter possidet; poenitens autem possidet jus, ne, occasione suae confessionis, ullum pa» tiatur gravamen. Quidquid igitur alibi dixerim, re accuratius perpensa, puto hic omnino » dicendum, *non licere uti opinionibus, ex quarum usu certum non sit moraliter, nullum » poenitenti gravamen inferri* » (Lib. 6. n. 633.).

Inanis ergo censenda est distinctio a cl. Ballerinio adducta: omnis namque revelatio, qua confessio redditur odiosa, sigilli violatio est. — Nec aliud dicit S. Alphonsus *n. 642.*, ad quem cl. Professor remittit. Ibidem enim S. Doctor revelationi odiosae alteram opponit, quae nullo modo odiosa est, aut illicita: quum sit eorum, quae poenitens, absque ulla ne-

Tandem videamus, quinam, judice P. Ballerinio, fuerit fons erroris in quem S. Alphonsus incidit.

Articulus 4.

Falsae sunt assertiones, quibus P. Ballerini adnotationem suam concludit.

Longiorem Adnotationem cl. Professor digne absolvit, loco cit. p. 573:[1] « Ut concludamus, haud forte toto » coelo aberraverit, si quis suspice- » tur, ea quae ex *S. Alphonso* retu- » limus, *mero oculorum lapsui* de- » beri, quo ad *peculiaris Ordinis* » *Religiosum* translata illa sint, quae » de *homine Religioso generatim* di- » ci a quibusdam potuerunt. Quam- » vis enim *Suarez*, ut ex allatis ejus

cessitate aut utilitate, sed « *ultro, impertinenter ad confessionem, et sine ullo ordine ad explicanda peccata* » detexit. — Nec alius generis sunt exempla, ad quae cl. Professor in fine Adnotationis delegat, citando *n. 659.* Patris Gury. Quinimo P. Gury, loquens de Confessario, qui dicit se audivisse aut absolvisse talem poenitentem, concludit, revelationem in casu esse potius ad laudem; quodsi per accidens onerosa esset, sigilli violationem induceret.

Hinc, quoad licitam manifestationem *scrupulositatis*, patet responsio S. Alphonsi, lib. 6. *n. 644.*: « Tantum id admitti posset, *si minime redundaret in gravamen poenitentis*; prout » facile accidere potest loquendo de saecularibus, qui potius laudantur, cum dicitur de eis, » quod sint scrupulosi: hoc enim pro iis, qui in saeculo versantur, judicium est bonae et » timoratae conscientiae. Secus, si dicatur de Praelato, Confessario et similibus, quibus » scrupulositas est signum mentis confusae et irresolutae. »

II. — In cit. *n. 657. q. 2., P. Gury*, S. Alphonsum allegans lib. 6. n. 642., affirmat « cadere sub sigillo *defectus naturales* poenitentis, v. gr. quod sit surdus, balbutiens, pauper, ignarus, claudus.... si Confessarius noverit tales defectus ex declaratione poenitentis, seu quatenus fuerunt manifestati ad declaranda peccata. » — Quocirca P. Ballerini adnotat: « *Vix intelligi potest, quomodo ad declaranda peccata pertineat, quod poenitens sit balbutiens, claudus, surdus, etc.* »

At vero, P. Gury veram S. Alphonsi doctrinam haud exacte refert. Etenim in *Hom. Apost.* tr. 16. n. 154. (ad quem textum nec cl. Professor advertit), S. Doctor sedulo distinguit inter defectus a P. Gury permixtim enuntiatos: « Nihilominus hoc (sc. violari sigillum) » *intelligitur tantum pro iis defectibus, quorum manifestationem ex se aegre ferre potest poenitens*, ut esset dicere, quod sit hebes mente, natura iracundus, rudis, incapax, pauper (si ille est civilibus natalibus); *non vero, cum sunt defectus qui rubori aut exprobrationi ei non sunt*, ut est, esse caecus, surdus, mendicans, et hujusmodi; et » contra, jam communiter innotescunt. »

III. — In adnot. ad *n. 658.* Patris Gury, cl. Ballerinius auctorem laudat, quod, loquendo de peccatis commissis a poenitente in ipsa confessione, optime conciliaverit Lugonem et S. Alphonsum. — Verum, P. Gury nihil conciliavit, nec conciliare intendit: quippe qui S. Doctoris sententiam (cfr. Lib. 6. n. 643. et Hom. Ap. tr. 16. n. 154.) iisdem fere verbis refert.

IV. — Cit. T. II. *n. 664.* pag. 569. (in altera edit. pag. 456.), *P. Gury* dicit, violari sigillum indirecte, « aliquid dicendo aut faciendo,... ex quo poenitenti vel aliis, v. gr. complicibus, possit oriri *pudor, molestia, dedecus, damnum, vel quodlibet gravamen.* » — Quocirca P. Ballerini advertit: « Haec accipe cum opportunis limitationibus, quae desumi ex praemissis possunt. Non enim quodvis Confessarii dictum vel factum, ex quo molestia, dedecus, damnum, aut gravamen poenitentis, sequatur, pertinet ad fractionem sigilli sacramentalis, sed *solum ex quo revelatio aliqua directa vel indirecta sequatur eorum, quae ad sigillum pertinent.* » — Sed hanc distinctionem potius dices *petitionem principii*. Hic enim praecise quaeritur, *quid ad sigillum pertineat*. Qua de re, docet S. Alphonsus cum Busembaum (lib. 6. num. 634.), ad sigillum pertinere « *omnia, quorum revelatio Sacramentum redderet onerosum vel odiosum.* »

Et eadem obtinet ratio, cur etiam *virtutes ac dona extraordinaria* fieri possint materia sigilli sacramentalis: « quae (inquit cl. Professor, not. 1. ad 657.), ut censet Lugo (de » Poenit. disp. 23. num. 58.), et post eum S. Alphonsus (num. 642.) cum aliis, materia sigilli » *saltem in obliquo* evadere possunt, quando manifestentur ad melius declarandam proprii » peccati malitiam propter ingratitudinem... » Judice autem P. Ballerinio, « *allata ratio, cur virtutes ac dona evadere queant materia sigilli sacramentalis, non videtur magnam vim habere.* » Concedere tamen debet cl. Professor, eamdem esse *saltem probabilem*, ac proinde a Confessario non posse licite rejici aut negligi. Siquidem docet S. Alphonsus (n. 633.), in hac materia sigilli sequendam esse opinionem tutiorem, et « *non licere uti opinionibus, ex quarum usu certum non sit moraliter, nullum poenitenti gravamen inferri.* » Quod alioquin et ipse P. Ballerini, in adnot. ad n. 650., ex auctoritate Dianae confirmat. — 1) In altera edit. pag. 459.

*

» verbis patet, cum aliis vix utrumque casum distinguat, et contra » sigillum peccari autumaverit, tum » si aliquem specialem religiosum » Ordinem revelatione laeseris, tum » si tacito speciali Ordine, generatim de Religioso homine locutus » fueris; non defuere tamen (Vid. » Candidus, disq. 24. art. 50. dub. 9.), » qui in posteriori casu, praedicta incommoda saltem quadantenus cessare existimarunt, quibus et Auctor » (P. Gury) consentit. »

1. Ergo doctrina S. Alphonsi *mero oculorum lapsui* debetur. Ast, ex supra discussis, abunde vidimus, cuinam sinceritas vel lapsus oculorum tribuendus sit; et idcirco ad istam assertionem nihil respondere praestat.

2. Idem observare expedit quoad alteram assertionem de *Suarezio*, qui, testante cl. Professore, utrumque casum vix distinguit, et autumat, *contra sigillum peccari*, tum si specialem Ordinem religiosum revelatione laeseris, tum si, tacito speciali Ordine, *generatim de homine religioso* locutus fueris.

3. Falsum est insuper, praeter Suarez, et *alios* id autumare. Panormitanus asseruit, contra sigillum esse, si Confessarius dicit, se peccatum aliquod quodcunque a quocunque perpetratum in confessione audivisse. Sed *nullus Auctor* existit, qui assereret vel autumaret, Confessarium *de homine religioso in genere* loquentem sigillum violare.

4. Similiter falsum est, non defuisse « qui in posteriori casu, praedicta incommoda saltem quadantenus cessare existimarunt. » Nec verum est, *Vincentium Candidum* quosdam hujusmodi Auctores allegare; ut ex textu supra citato (pag. 634. n. 8.) patet. Quod sciamus, Candidus solus est, qui, de Religiosis agens, hunc casum praemittit; at vero, sigillum non violari, ut rem certam atque citra omnem controversiam positam habet, de qua nemo dubitat: quia secus etiam Confessarius *de Sacerdote in genere* loquens, sigillum frangeret; *quod nullus sane diceret.*

SIT IGITUR QUAESTIONIS CONCLUSIO:

1. Doctrina *S. Alphonsi* justa, sana et sapientissima est, mediam viam rectam inter extremas opiniones tenens.

2. Usque ad saeculum 16., Doctores communiter contra Panormitanum tenuerunt, sigillum non frangi, si Confessarius dicit, se peccatum aliquod in confessione audivisse, dummodo *persona peccatoris* nec directe, nec indirecte reveletur, nec ulla suspicio in eam cadere queat; non distinguentes, utrum Communitas aliqua sive civilis, sive religiosa, inde laedatur.

3. Et etiam postea, distinctione adhibita, multi DD., ut vidimus, eamdem regulam sustinuerunt, vel ex integro, vel ex parte. – Alii tenent, sigillum non violari, si Confessarius dicit, Religiosum *ex tali Monasterio* certum peccatum grave sibi confessum esse, aut in tali Monasterio certa peccata gravia committi; vel id saltem probabile censent. Alii tenent, periculum esse, ne sigillum *interdum* violetur, et revera interdum at non semper violari. Alii *absolute* tenent, sigillum *frangi;* at *negant*, si Confessarius non de Monasterio seu Conventu, sed *de integra ampla Religione* loquitur. *Pauci* tenent, contra sigillum esse, si dicit, Religiosum peccatum aliquod commisisse, *Religionem* nominando. *Nemo,* si Confessarius *de homine religioso in genere* loquitur.

4. S. Doctor rejicit regulam illam generalem, sigillum numquam frangi, quando *persona* peccatoris nullo modo in suspicionem venire potest. Speciatim reprobat sententiam illorum, qui *indistincte* excusant Confessarium dicentem *de loco, in quo confessiones audivit,* gravia crimina ibidem perpetrari. Excipit autem cum sententia communissima, si Con-

fessarius de Communitate *ampla* loquitur, et crimina ista publica sunt; quia in hoc casu Communitas non infamatur, nec poenitens gravatur, nec confessio odiosa redditur.

5. Quoad *Communitates religiosas* in specie, S. A. reprobat sententiam, non esse contra sigillum, si Confessarius dicit, *Religiosum ex tali Conventu* sibi confessum esse grave peccatum, aut in tali Conventu, vel etiam *in tali Religione* hujusmodi peccata perpetrari. Quamvis excuset Confessarium de ampla Communitate civili loquentem, nihilominus non excusat loquentem *de Religione, quantumvis ampla;* quia justam et prudentem rationem habet discriminis inter utramque Communitatem, quatenus religiosa facilius infamatur et detrimentum patitur. - Attamen merito admittit sententiam *Concinae,* sigillum non frangere Confessarium, loquentem de peccato *unius tantum Religiosi, Religionem nominando; dummodo Religio ampla sit et notorie relaxata,* et peccata talia sint, quae in relaxatis occurrere solent et in hac notorie occurrerunt, nec non absit *omne periculum suspicionis* de aliquo Monasterio in particulari.

6. Ex his patet, doctrinam S. Alphonsi in hac materia, et nominatim sententiam modo expositam, quam S. Doctor *rationabilem* censet, et P. Ballerini acerrime impugnat, non tantum *non laxam,* sed potius *rigidiorem* esse illa, quam permulti DD., etiam rigidissimi, ut Alexander Natalis et Henricus a S. Ignatio, imo *communissime* tenent. - Unde persuasum nobis est, quod vix unquam Confessarius, utut rigidissimus, reperietur, qui de fractione sigilli damnaret alium Confessarium, qui sub conditionibus praefatis dixit, se audivisse peccatum Religiosi certi cujusdam Ordinis.

PARS SEXTA

DE RECIDIVIS

PRAENOTANDA

1. Gravissimam hanc quaestionem aggredientes, praemittenda censemus ponderosa ac spiritu Dei plena verba, quibus S. Alphonsus Tractatum de Poenitentia exorditur (L. VI. n. 426.): « Acturi de hoc Poenitentiae Sacramento, quod Christus Dominus ad humanae imbecillitatis remedium instituit, *ante omnia monitum velim Confessarium, ut suas agnoscat partes*, nempe *judicis, patris et medici*, ad munus suum aequa lance exercendum; sicut enim nimia benignitas iniquitatum fomentum est, sic nimia severitas fit pluribus via ad desperationem... *Non dubito, quin majori quidem detrimento semper in Ecclesia fuerint Confessarii nimis indulgentes*, cum major hominum pars ad vitia proni sint; sed non modice etiam animarum saluti obsunt, qui per *nimiam austeritatem* poenitentes ita deterrent, ut ipsi vel peccata sua reticeant, aut sic arctati jugum disciplinae abjiciant, laxisque habenis, in vitiorum coenum miserabiliter deinde se immergant. Aggrediamur opus ad hunc Tractatum de Sacramento Poenitentiae exponendum, cui utique omni studio prae caeteris materiis sedulo incumbendum: cum *in ipso, totius Theologiae moralis summa, et quaestiones magis ad praxim spectantes contineantur; et ideo ego labori non peperci*, ut desiderio lectorum satisfacerem, utque ipsi omnia scitu necessaria hic reperiant. »

2. Ex quibus verbis luculenter patet, in hac praesertim materia, S. Doctorem summae sibi religioni duxisse, eas doctrinas seligere et tradere, quas, praevio diuturno studio et assiduis precibus, nec non triginta annorum in excipiendis confessionibus et sacris missionibus experientia, ad animarum salutem utiliores et salubriores esse, cognoverat. - Quod ipse vero sanctum hunc scopum plenissime attigerit, uno ore testantur ac miris laudibus celebrant universi pene orbis Sacrorum Antistites: « *Alphonsi scripta* (moralia), *Sedis Apostolicae approbationem consecuta, misericordiam, benignitatem et dulcedinem Cordis Jesu sacris Tribunalibus reddiderunt.* Ipsa omnes avide et suaviter legunt. Ipsa Sanctuarii ministri diu noctuque in manibus tenent, et *in eis tutas sibi aeque ac aliis proficuas regulas*, in ardua lucrandi et regendi animas arte inveniunt. *Ipsa* demum *in Scholis catholicis acceptata, jure merito tanquam tuta, sana ac perpetua Regula ab ipsis reputantur.* »[1]

3. Aliter tamen de plurimis doctrinis moralibus S. Alphonsi sentit cl. *Ballerinius*, et idcirco acriter eas impugnare opportunum judicavit; ast quonam successu id perfece-

1) *Positio super Doctoratu S. A.*, Litterae supplices, pag. 6. n. 6. in fine.

rit, ex supra discussis quaestionibus jam neminem latet. - Sed nec sapientissimam S. Alphonsi doctrinam de *Recidivis,* quae in Tractatu de Sacramento Poenitentiae prae caeteris ad praxim rectamque poenitentium directionem spectat, intactam reliquit; imo, quo majoris haec est momenti, eo majori ardore, in pluribus Adnotationibus eam impugnat, atque omni ex parte evertere conatur, ut suam plus aequo benignam doctrinam illi substituat. Quo liberius autem suas accusationes in S. Doctorem proferret, cl. Professor iterum monet, se tantum scripsisse « *ut sua* » *historiae et veritati jura servent* » *tur* »; sed utinam prae oculis semper habuisset haec veritatis et historiae jura, et non potius utramque tam graviter offendisset ! Utinam etiam jura servasset ipsius S. Alphonsi, a Sede Apostolica tantopere commendati, et per doctrinam suam moralem, quae (testantibus praelaudatis Sacrorum Antistitibus) « *excel* » *lentia, utilitate et successu, solis* » *instar in firmamento Ecclesiae* » *refulget* », [1] de universa Ecclesia optime meriti !

4. Nec silentio praetereundum est, doctrinam S. Alphonsi de Recidivis speciatim *ab ipsa S. Sede* ad diligentem trutinam revocatam fuisse, cum ageretur de declaranda ejus Virtutum heroicitate. [2] - Attamen post duplicem severam inquisitionem, nihil non sanum ac summopere prudens in ipsa repertum fuit; prout solemniter testatur S. M. Pius VII. in decreto de die 7. Maji 1807.: « ... *Fa* » *cta discussione de quibuslibet mi* » *nutissimis exceptionibus, quae...* » *opponi poterant, iterumque revo* » *cata..., ita evanescere omnes dif* » *ficultates visae sunt, ut nihil am* » *plius opponi potuerit adhuc per* » *pendendum.* » Imo ibidem maxime commendatur S. Alphonsus: « *in ver* » *bi Dei ministerio* apud rudem de » relictam plebem, dum eam praece » ptionibus divinae legis imbuebat; » *in cathedra morum apud conscien* » *tiarum moderatores, dum doctri* » *nae copiam effundebat; in pasto* » *rali officio apud commissum sibi* » *gregem,* dum vigili custodia illum » *salutaribus pascuis* enutriebat.... » *Quam optimo autem jure tanti* » *eum facerent homines, hodiernum* » *Apostolicae Sedis judicium mani* » *festat.* » - At vero (notatu dignum), in difficultatibus a Promotore Fidei olim pro officio objectis, non modo nulla fit mentio de S. Doctoris rigore; sed potius ipsi objicitur nimia *benignitas,* tum in doctrina, tum in agendi ratione. Nostris autem temporibus, cl. *Ballerinium* exsurgere videmus contra eamdem S. Alphonsi doctrinam, sed ipsam nimii *rigoris* arguentem : quasi post 60 elapsos annos, S. Alphonsi doctrina mutationem subiisset ! Adde, quod si ista doctrina vel speciem nimii rigoris prae se ferret, Promotor Fidei in duplici allegata *Positione* de anno 1806., sine dubio objectionem hac de re movisset, imo et pro officio suo movere debuisset. - Nonne ex hoc jam facto concludere liceret, doctrinam cl. Ballerinii plus aequo benignam esse ?

5. Sed propius ad quaestionem nobis propositam accedamus. Ipsam autem, ob rerum tum copiam, tum gravitatem, nec summatim, nec paucis verbis expedire licet. Verum ante omnia advertimus, in praesenti disquisitione sermonem non fieri de Recidivo *certe indisposito.* Talis enim poenitens, utpote essentialibus conditionibus, scilicet vero dolore ac firmo proposito omnino carens, nullo in casu, nequidem extremae necessitatis, licite aut valide absolvi potest, nec absolute, nec sub conditione. De hoc nulla est controversia. - Sed duplex occurrit quaestio: *1°. An et quando Confessarius, ut* JUDEX,

1) Loco cit. — 2) Cfr. *Positio super Virtutibus*, 1806., Animadvers. num. 31. et Respons. n. 116-122.; ac *Nova Positio super Virtut.*, Animadv. n. 22-26. et Respons. n. 107-118. — (Vid. infra, Cap. I. *s.* 3. art. 1. *nota;* et Cap. II. *s.* 2. in fine.)

Recidivo cum eodem pravo habitu revertenti absolutionem differre DEBEAT, *quia ejus dispositio pro* DUBIA *est habenda. - 2°. An Confessarius, ut* MEDICUS, *Recidivo* SATIS *dispositio absolutionem aliquando differre* POSSIT. – Quem ordinem, utpote commodiorem, observabimus, quamvis cl. Ballerinius secundam quaestionem praemittat. Sit ergo:

CAPUT I. *De Recidivo dubie disposito.*

CAPUT II. *De Recidivo satis disposito.*

CAPUT I.

DE RECIDIVO DUBIE DISPOSITO.

EXPONITUR S. ALPHONSI DOCTRINA.

Ante omnia ipsum S. ALPHONSUM audiamus. Lib. VI. *n. 459.* scribit: « Quaeritur 4. An possint absolvi illi, qui in peccatis sunt *Consuetudinarii* aut *Recidivi?* Distinguendum est inter Consuetudinarium sive Habituatum, et Recidivum. - *Consuetudinarius* intelligitur hic, qui prima vice suum pravum habitum confitetur; et *iste bene potest absolvi, etiamsi nulla emendatio praecesserit, modo eam serio proponat:* ut cum sententia communissima dicit Croix. Ratio, quia talis poenitens ex una parte non est praesumendus malus, ita ut velit indispositus ad Sacramentum accedere; ex alia bene praesumitur dispositus, dum peccata sua confitetur: cum ipsa spontanea confessio sit signum contritionis, *nisi obstet aliqua positiva praesumptio in contrarium;* omnes enim conveniunt, quod dolor per confessionem manifestatur. Vide Juenin, Salmanticenses. Nec valet dicere, quod eadem prava consuetudo est signum indispositionis; nam, licet pravus habitus reddat peccatorem propensiorem ad peccatum, non tamen dat praesumptionem suae infirmae voluntatis. Attende quae docet Catechismus romanus (de poen. n. 60.): *Si audita Confessione, judicaverit* (Sacerdos) *neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Nota: *omnino defuisse.*»

Hisce de *Consuetudinario* praemissis, S. Alphonsus quaestionem de *Recidivis* longiore sermone sic pertractat:

« *Recidivus* autem est ille, qui post confessionem in eadem peccata relapsus est. Hic dubitatur, *an possit absolvi.* Adsunt tres sententiae. – *Prima* sententia, quam tenent Sylvester, Henriquez, Tanner, Sancius etc. apud Salmanticenses, dicit, hunc absolvendum esse *toties quoties confitetur,* nisi ex aliqua circumstantia judicetur indispositus; alias semper dispositus est censendus, utque talis jus habet ad absolutionem. Sed haec sententia *falsa* est, ut infra dicemus. – *Secunda* sententia omnino opposita, quam tenent Merbesius, Jueninus et Genettus, dicit, numquam peccatorem habituatum censendum esse dispositum ad absolutionem, *nisi diu conversionem suam per emendationem probaverit.* Et idem sentit P. Concina, quamvis alibi sic in praxi temperet suam doctrinam, dicens: « Et ut errandi periculum declines, si vides bina vel trina absolutione te posse infirmum curare, esto in misericordia dives. Emendatio peccatoris securior omnibus regulis est norma, vel impertiendi vel denegandi absolutionem. »

Tertia sententia communis quam sequimur, et tenent Sanchez, [1] Pa-

1) Decal. lib. 2. c. 32. n. 45.; et lib. 3. c. 5. n. 18.

» laus, [1] Bonacina, [2] Lugo, [3] Petro- » corensis, [4] Sporer, [5] Azorius, [6] Vi- » va, [7] Laymann, [8] Holzmann, [9] Ana- » cletus, [10] P. Milante, [11] Wigandt; [12] » et *Salmanticenses* [13] *cum Suarez, » Sayro, Hurtado, Prado, Rodri- » quez, Lopez* etc., docet, quod pecca- » tor *recidivus rediens cum eodem » habitu pravo, non potest absolvi, » nisi afferat extraordinaria signa » suae dispositionis. - Prima pars » est contra primam sententiam,* di- » centem quod recidivi debent absol- » vi, semper ac ad Sacramentum ac- » cedunt. Et probatur ex prop. 60. » damnata ab Innoc. XI. quae dice- » bat: *Poenitenti habenti consuetu- » dinem peccandi contra legem Dei, » naturae aut Ecclesiae, etsi emen- » dationis spes nulla appareat, nec » est neganda nec differenda abso- » lutio; dummodo ore proferat se » dolere et proponere emendatio- » nem.* - Ratio est, quia, ut Confes- » sarius possit poenitentem absolve- » re, debet esse *moraliter certus de » ejus dispositione;* unde, quamvis » peccator *prima vice* se confitens » censendus sit dispositus, eo quod (ut » diximus) nulla ei obstat praesum- » ptio in contrarium; tamen *quando » jam in alia confessione ipse fuit » admonitus* et eodem modo cecidit, » nullo adhibito conatu, et nullo im- » pleto ex mediis a Confessario prae- » scriptis, frequens ille relapsus si- » gnum praebet vel saltem pruden- » tem dat suspicionem, quod sua poe- » nitentia non sit vera: qui enim » firme proponit (bene ait Lugo) rem » sibi moraliter possibilem, non ita » facile sui propositi obliviscitur, » sed saltem per aliquod tempus per- » severat, et difficilius aut rarius » cadit. [14] - Hinc S. Isidorus sic ait: » *Ille poenitentiam digne agit, qui » sic praeterita mala deplorat, ut » futura iterum non committat.* Et » S. Augustinus, apud eumdem Isi- » dorum, sic optime scripsit: *Qui pe- » ctus suum tundit et se non corri- » git, solidat peccata, non tollit.* » Ideo S. Carolus Borromaeus bene » docuit: *Proroganda est absolutio » eis, qui a multis annis in eisdem » peccatis perseverarunt, nec ut » emendarentur laborarunt.* - Et hoc » ait Lugo, accidere posse etiam in » confessione venialium, in quibus » poenitens sit habituatus. Nam li- » cet communiter dicant DD., quod » facilius absolvi possint qui in ea- » dem recidunt venialia, quia ipso- » rum occasiones sunt frequentiores, » quas evitandi non adest obligatio » tam stricta; tamen merito dicit » Elbel, saepe timendum esse, ne » sint nullae et sacrilegae confessio- » nes illorum, qui propositum de » praedictis venialibus vitandis ni- » mis generaliter concipiunt. Unde » bene advertit cum Sporer, quod » hujusmodi poenitentes, potius quam » se vexent ut omnia sua venialia » exacte confiteantur, attendant ad » illa clavibus subjicienda, de qui- » bus noverint verum habere dolo- » rem et propositum.

» Dicunt vero Sanchez, Laymann, » Lugo, Palaus, Viva, Sporer, cum » aliis, quod his non obstantibus *bene » poterit absolvi recidivus usque ad » tertiam vel quartam vicem,* etiam- » si eodem modo relapsus fuerit et

1) Tr. 13. de juram. disp. 1. punct. 9. n. 3. — 2) Eod. tit. Tom. 2. disp. 4. q. 1. punct. 18. in fine. — 3) Disp. 14. n. 166. — 4) Tom. 4. de poen. c. 7. q. 9. — 5) Eod. tit. c. 2. n. 332. — 6) Tom. 2. lib. 11. c. 3. q. 4. — 7) De 2. praec. q. 7. art. 7. n. 4. — 8) De poen. c. 4. n. 10. — 9) Pag. 149. n. 589. — 10) Tr. 14. dist. 8. n. 49. — 11) In d. prop. 60. Innoc. XI., exerc. 35. — 12) Tr. 13. n. 98. — 13) Tr. 17. de juram. c. 2. *n. 168. et 170.*

14) Eodem lib. VI. n. 505. in fine, S. Doctor de recidivis loquens, sequentia advertit: « *Ille » qui in confessione vere dolet et proponit emendationem, saltem per aliquod tempus » a peccato se abstinet, saltem aliquem conatum adhibet ante relapsum; unde qui post » suas confessiones ut plurimum cito et sine aliqua resistentia iterum cecidit, certe cen- » sendus est nullum vel nimis tenuem habuisse dolorem vel propositum. Aliter vero di- » cendum, si per aliquod tempus perseveraverit, vel ante casum aliquam saltem resi- » stentiam praestiterit.* »

» nullum adhibuerit remedium. *Ve-*
» *neror tantorum DD. auctoritatem,*
» *sed ego eorum opinioni numquam*
» *acquiescere potui: etenim cum poe-*
» *nitens jam fuerit in alia confes-*
» *sione admonitus, et eodem modo*
» *reinciderit, nullumque ad se emen-*
» *dandum conatum adhibuerit, ea-*
» *dem suspicio utique recurrit, qua*
» *fit, ut Confessarius non possit ha-*
» *bere de ejus dispositione moralem*
» *certitudinem, sufficientem respec-*
» *tive ad hoc Sacramentum,* ut in-
» fra explicabitur (Cf. infra, n. 461).

» *Secunda vero pars est contra*
» *secundam sententiam,* quae cum
» intolerabili rigore dicit, numquam
» absolvi posse consuetudinarium,
» nisi per longam experientiam con-
» stet de ipsius emendatione. Ratio
» nostrae sententiae est, *quia rela-*
» *psus, tametsi praebeat aliquam*
» *suspicionem, non tamen certum*
» *exhibet signum indispositionis;*
» bene enim contingere potest, quod
» poenitens vere habuerit firmam vo-
» luntatem non relabendi, et tamen
» vi pravi habitus sit relapsus: ut
» advertit S. Anselmus, dicens quod
» consuetudinarii, *pravo usu irreti-*
» *ti, nolentes in eadem vitia deji-*
» *ciuntur.* Unde *quoties poenitens*
» *affert signa extraordinaria dolo-*
» *ris, per ea tollitur suspicio illa*
» *de indispositione;* et tunc Confes-
» sarius prudenter judicare poterit,
» suum poenitentem satis esse dispo-
» situm. Unde recte ait P. Milante,
» in prop. 60. damn. ab Innoc. XI.
» supra relata, quod ibi *non exclu-*
» *ditur absolute consuetudinarius*
» *utcumque talis, sed qui nullam*
» *dat emendationis spem. Igitur*
» *consuetudinarius, qui dat aliquam*
» *emendationis spem, modo haec sit*
» *solida et fundata, potest absolvi.*
» Tot autem auctoritates SS. Pa-
» trum quas adducunt adversarii,
» nihil aliud probant quam magnam
» illam difficultatem quae adest in
» extirpando pravo habitu; sed bene
» docet Lugo cum Suarez, Sanchez,
» Reginaldo, Henriquez et aliis com-
» muniter, quod *dispositio sufficiens*
» *est dolor et propositum praesens,*
» *non emendatio futura, atque ita*
» *poenitens poterit absolvi, licet ju-*
» *dicetur relapsurus.* — Nec verum
» est, quod sola temporis probatio
» unicum sit signum mutatae volun-
» tatis; nam voluntatis mutatio pen-
» det a divina gratia, quae tempore
» non indiget, sed in instanti opera-
» tur, et ideo non solum per expe-
» rimentum temporis, sed etiam per
» alia quidem signa patefieri potest.
» Imo aliquando alia signa praesen-
» tis dispositionis multo melius ma-
» nifestant mutationem voluntatis,
» quam experientia temporis; nam
» *signa* illa *directe* indicant dispo-
» sitionem poenitentis, *experientia*
» vero tantum *indirecte;* adeo ut non
» raro evenire poterit, quod aliquis
» etiam longo tempore se a vitiis pro
» mundi hujus honestate contineat,
» ut ait D. Gregorius, et nihilomi-
» nus non sit rite dispositus. Pro-
» pterea, *quoties poenitens affert*
» *vera signa doloris et propositi,*
» *toties bene absolvi poterit,* ut clare
» colligitur ex C. *Septies* 23. de poen.
» dist. 3., ubi D. Hieronymus sic in-
» quit: *Septies cadit justus. Si ca-*
» *dit, quomodo justus? Si justus,*
» *quomodo cadit? Sed justi vocabu-*
» *lum non amittit, qui per poeni-*
» *tentiam semper resurgit. Non so-*
» *lum septies, sed septuagies septies*
» *delinquenti, si convertatur ad poe-*
» *nitentiam, peccata donantur.* Et
» D. Joannes Chrysostomus scripsit:
» *Temporis moram non quaero, sed*
» *animae correptionem, hoc itaque*
» *fac demonstres, sintne compuncti,*
» *sintne in melius immutati, et res*
» *tota confecta est.* Hinc Auctor li-
» bri Romae editi, cui titulus: *Istru-*
» *zione per li novelli Confessori*
» (part. I. c. 15. n. 356.) sic inquit:
» *Se la ricaduta nasca dalla pro-*
» *pria fragilità, senz' altra causa*
» *estrinseca volontaria, è quasi te-*
» *merità il dire, che ogni ricaduto*
» *sia indisposto.* Ac ideo (in c. 9.
» n. 213) dicit, quod peccator rela-

» psus propter mali habitus vim sta» tim absolvendus est, si firmam ha» beat voluntatem adhibendi media » ad se emendandum; additque : *E » giudichiamo che il fare altrimen» ti, sia troppo rigore; e che il Con» fessore facendolo s'allontanerebbe » dal vero spirito della Chiesa e del » Signore, e dalla natura del Sacra» mento, il quale non solamente è » giudizio, ma è medicina salutare.*

» *460.* Sed rogabis, *quaenam sint » haec signa extraordinaria dolo» ris,* cum quibus recidivus statim » possit absolvi. - Plura hujusmodi » signa traduntur ab AA. supra al» latis, quae sunt videlicet: 1°. *Ma» jor dolor patefactus per lacrymas, » suspiria aut cordialia verba,* ajunt » Lugo, Laymann, Milante, Holz» mann, Croix, Tamburini, Lohner, » Renzi et Salmanticenses. Dicit au» tem Gonet, non esse saepe creden» dum lacrym's peccatorum; nam » saepe lacrymae proveniunt ab hu» mano affectu. Vice *non saepe,* me» lius hic auctor dixisset *non sem» per;* nam revera, ut bene ait P. Mi» lante, hujusmodi lacrymae, prae» sertim in mulieribus et rudibus, » non semper sunt signa verae poe» nitentiae; quandoque enim prove» niunt ex aliqua passione, quam poe» nitentes exponunt; vel ex motivo » negatae absolutionis, vel damni » passi aut imminentis. Caeterum la» crymae poenitentium ut plurimum » oriuntur ex compunctione cordis, » maxime si effundantur post auditam » concionem, vel monitionem Con» fessarii praebentis aliquod compun» ctionis motivum. Hinc S. Leo sic » docuit: *In dispensandis Dei donis, » non debemus esse difficiles, nec » accusantium se lacrymas gemi» tusque negligere, cum ipsam poe» nitendi affectionem eredamus ex » Dei inspiratione conceptam.* No» ta: *cum credamus;* quapropter or» dinarie, nisi aliud percipiatur op» positum, credendus est poenitens » ex inspiratione Dei lacrymas ef» fundere. Hic etiam facit illud quod » attulimus D. Jo. Chrysostomi mox » supra, ubi dixit, compunctionem » signum esse veri doloris. - 2°. *Mi» nor numerus peccatorum;* ut di» cunt Busembaum, Wigandt, Lay» mann, Sporer, Anacletus, P. Se» gneri, Lohner, Gobat, Mazzotta, » Tamburini et Renzi. Hoc tamen » intelligendum, cum poenitens fue» rit in eisdem occasionibus et ten» tationibus peccandi; aut si ille post » ultimam confessionem diu se con» tinuerit, v. gr. per 20 vel 30 dies, » cum antea assuetus fuerit prolabi » pluries in hebdomada; vel si rela» psus fuerit post magnum confli» ctum, ut recte ajunt Croix et Ana» cletus. - 3°. *Studium adhibitum ad » emendationem:* Lugo, Laymann, » Sporer, Salmanticenses, Mazzotta; » aut si poenitens adhibuerit jejunia, » eleemosynas, orationes et missas, » ut bonam faceret confessionem, et » ad absolutionem se disponeret. *Fu» ga spontanea occasionum:* Croix » et Mazzotta. *Impletio mediorum » praescriptorum a Confessario:* Wi» gandt, Busembaum et Mazzotta. - » 4°. *Si poenitens quaerat media ad » se emendandum:* Laymann, Lugo, » Salmanticenses, Mazzotta, Wi» gandt, Holzmann, Milante etc.; aut » *si promittat remedia adhibere, » vel antea praestita melius exequi:* » Lugo, Segneri, Croix et Mazzotta; » maxime (ait Lugo) si numquam » admonitus fuit de mediis adhiben» dis; *sed hujusmodi promissionibus » puto non omnino fidendum,* cum » poenitentes facile promittant *ad » absolutionem obtinendam* omnia » exequi quae Confessarius imponit, » sed non raro postea negligunt. - » 5°. *Spontanea confessio,* ut dicunt » Laymann, P. Segneri, Tamburini » et Mazzotta: dummodo poenitens » non confiteatur ex obligatione prae» cepti paschalis, vel impulsus a pa» rentibus, paedagogo aut domino, » nec propter quemdam usum se con» fitendi in aliquibus festis, nempe » Nativitatis Domini, Assumptionis

» B: Mariae etc.; sed accedat *omnino* » *sponte* et vere a lumine divino in- » spiratus, ad solum finem adipiscen- » di Dei gratiam. Praecise haec spon- » tanea confessio signum esset dispo- » sitionis, si poenitens, ut accederet » ad Sacramentum, *notabilem cona-* » *tum* adhibuit, scilicet longum iter » est aggressus, abstinuit a lucro » illius diei, magnum conflictum in- » ternum sive externum superavit, » et similia. - 6°. *Si accedit ductus* » *ab aliquo extraordinario motivo,* » nempe concionis auditae, mortis » alicujus amici, vel ex timore ter- » raemotus, alluvionis, pestis, etc.: » P. Milante et Croix. - 7°. *Si poeni-* » *tens confiteatur peccata prius cul-* » *pabiliter omissa:* Croix.-8°. *Si poe-* » *nitens, priusquam accedat, resti-* » *tuerit ablatum vel reparaverit fa-* » *mam proximi laesam:* Milante. - » 9°. Addo cum Milante, *si post pec-* » *cata, poenitens ad monitionem* » *Confessarii significet, se adeptum* » *fuisse novam cognitionem suae* » *iniquitatis vel periculi suae da-* » *mnationis.* - Addit Croix, esse et- » iam signa extraordinaria, si poe- » nitens dicat se poenituisse statim » post peccatum, si cupiat satisface- » re, si magnam poenitentiam bono » animo acceptet, si protestetur ex » seipso malle mori quam relabi. » Haec signa dico saltem deservire » posse ad alia signa dispositionis » adjuvanda.

» *Haec autem signa dispositionis* » *recidivorum, Auctores praefati* » *non casu tradiderunt, sed expe-* » *rientia docti. Unde puto nequa-* » *quam errare eum, qui se dirigit* » *cum sententiis communiter rece-* » *ptis ab hujusmodi DD. non humi-* » *lis notae.* Dicere autem, quod ipsi » scripserint ex passione affecti, ut » suae ipsorum doctrinae cum plausu » exciperentur, vel propter aliquid » hujusmodi, non videtur carere ali- » qua labe temeritatis. Quod si hoc » non est censendum, *non debet cre-* » *di, hos tam graves DD. a Deo* » *lumine suo fuisse destitutos in re,* » *quae directionem respicit conscien-* » *tiarum totius populi christiani;* » tanto magis quod circa tales sen- » tentias nulla Ecclesiae proscriptio » intercessit. Nec officit, quod plures » opiniones quae circumferuntur, non » sunt ab Ecclesia damnatae, et ta- » men ab aliis communius ut laxae re- » putantur; nam Ecclesia non omnes » opiniones, quae casus particulares » respiciunt, damnat, quamvis non » approbet; sed sententias, quae uni- » versalitatem conscientiarum spe- » ctant, Ecclesia nec approbat, nec » tacet, ut dixit S. Augustinus: *Ec-* » *clesia Dei multa tolerat, et tamen* » *quae circa fidem sunt vel bonam* » *vitam, nec approbat, nec tacet.* [1]

» *461.* Caeterum, ut ad proposi- » tam materiam redeamus, *certum* » *est* 1°. *Quod Confessarius tenetur* » *differre absolutionem, usquedum* » *fiat moraliter certus de disposi-* » *tione sui poenitentis, saltem per*

1) S. Alphonsus, ut ex praefato textu constat, *signa extraordinaria*, quae singillatim apud singulos Doctores habentur, collegit et conjunctim hic exposuit. Sequentes autem probatos Doctores pro hisce signis citat: Busembaum, Wigandt, Laymann, Sporer, Anacletum Reiffenstuel, Ven. Paulum Segneri, Lohner, Gobat, Mazzotta, Tamburini, Renzi. Croix, Lugo, Salmanticenses, Holzmann, Milante, etc.: quibus alii multi addi possent. Aliquos infra citabimus. — Ex hac expositione simul patet, S. Alphonsum in admittendis signis extraordinariis, non rigidiorem sed potius mitissimum se exhibere, quippe quod haec signa amplissimae latitudinis sint. Vix enim, saltem secundum communiter et regulariter contingentia, cogitari potest, ut recidivus vero dolore et sufficienti proposito non carens, horum signorum unum alterumve non afferat; cum jam minor peccatorum numerus, vel aliqua continentia post ultimam confessionem, vel impletio mediorum a Confessario praescriptorum sufficiat. — Patet igitur, S. Alphonsum nullatenus exigere *contritionem extraordinariam*, sed signa extraordinaria sincerae contritionis ordinariae. Imo nequidem exigit *signa extraordinaria sensu stricto*, seu rara et vix possibilia; sed tantum requirit, ut poenitens eodem modo relapsus, praeter solitam accusationem ac consuetas dubias protestationes de sincero dolore et firmo proposito, afferat quoddam solidum ac probatum signum, ex quo Confessarius sibi prudens efformare possit judicium de ejus dispositione.

» *experimentum temporis vel mediorum, si poenitens sufficiens nondum praebeat signum suae dispositionis.* Vide Salmanticenses, de poen. c. 5. p. 4. n. 66. - Attamen notandum est (prout diximus de Sacram. in gen. n. 57.), quod in aliis Sacramentis, cum materia sit physica, physica requiratur certitudo; sed in hoc Sacramento poenitentiae, cum materia sit moralis, prout sunt actus poenitentis, *sufficit certitudo moralis sive respectiva.* Sic enim docuit D. Thomas: *Nec oportet quod omnis mensura sit omnino infallibilis..., sed secundum quod est possibile in genere suo.* Et alibi: *Certitudo non est similiter quaerenda in omnibus, sed in unaquaque materia, secundum proprium modum: quia vero materia prudentiae sunt singularia contingentia, circa quae sunt operationes humanae, non potest certitudo prudentiae tanta esse, quod omnino sollicitudo tollatur.* - Unde quoad nostrum propositum spectat, sufficit quod Confessarius habeat *prudentem probabilitatem de dispositione poenitentis,* et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis; alias vix ullus posset absolvi, dum quaecumque signa poenitentium non praestant nisi probabilitatem dispositionis, ut recte docet P. Suarez qui ait, quod oportet et sufficit, ut *Confessarius prudenter et probabiliter judicet poenitentem esse dispositum.* Et hoc videtur satis exprimi in Catechismo romano, ubi dicitur: *Si audita confessione,* (Sacerdos) *judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Ergo semper ac Confessario positive non innotescit, poenitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest. Hinc Auctor supra citatus (*Istruzione per li novelli Confessori,* p. 1. c. 15. n. 360.) cum Esparsa sic loquitur: *Donde noi fermiamo qui per ultimo la conclusione, ch' è la chiave di tutta questa materia: non ricercarsi altro per amministrare la penitenza, che un giudizio prudente probabile della disposizione del penitente. Onde se le circostanze non fondano un dubbio prudente, ch' egli non sia sufficientemente disposto, non dee il Confessore inquietare se stesso, nè il penitente, per averne l' evidenza che non è possibile.* Et huic conducit textus C. *A nobis* 2. de sentent. excom. ubi dicitur: *Judicium Dei veritati, quae non fallit nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiae nonnumquam opinionem sequitur, quam et fallere saepe contingit et falli.* »

Demum, ut integra prae oculis habeatur doctrina S. Alphonsi de Recidivo dubie disposito, addere juvat quae eodem Lib. VI. n. 431. et 432. scribit: « *431.* Quaeritur 3. *An possit valide et licite dari absolutio sub conditione?* Omnes conveniunt (ut diximus Lib. 6. tr. 1. de sacram. in gen. n. 26.), *validam* quidem esse absolutionem quae datur sub conditione de praeterito vel praesenti. E converso communiter dicunt DD. invalidam esse, si conditio sit de futuro; et hoc etiamsi dicatur: Absolvo te, si Deus cognoscit quod restitues, aut simile, ut tenuimus dict. n. 26. - Difficultas est, an sit *licitum* absolvere sub conditione de praesenti vel praeterito. Resp. *affirmative* cum communi DD. contra aliquos, juxta sententiam allatam ibid. n. 28., *dummodo justa adsit causa;* nempe *si negata absolutione, notabile detrimentum immineret animae poenitentis.* - *432.* Causae autem justae, secundum Doctores infra citandos, videntur hae:... 3. *Si urgeat necessitas suscipiendi Eucharistiam,* ut dicunt Mazzotta et Sporer. Sed hic obiter advertendum, quod licet aliquis posset in hujus-

» modi necessitate sub conditione absolvi, quia talis necessitas sufficientem praebet causam Confessario absolvendi sub conditione ; poenitens tamen non posset accedere ad communionem, nisi certo dispositus ad illam (vel saltem probabiliter, juxta alios citandos infra n. 475.), ad hoc ut servet praeceptum Apostoli, quod omnes accedant probati; unde in mero dubio negativo suae dispositionis, nemo potest communionem suscipere. [1] - 4. Si dubitetur, an poenitens sit rite dispositus per verum dolorem et propositum ; ita Sporer, Mazzotta, et Palaus cum Vasquez, etc. Sed huic doctrinae sic generaliter traditae, nec valeo acquiescere: nam dico 1°. *non posse absolvi sub conditione peccatorem recidivum in culpas lethales, qui non probetur dispositus per signa extraordinaria,* prout infra dicemus n. 459., *nisi esset in periculo mortis, vel nisi* (excipit Schildere apud Croix) *prudenter timeatur, quod peccator ille non amplius ad confessionem redibit, et in peccatis suis tabescet.* Dico 2°. *idem dicendum esse de recidivo in venialia,* qui sufficientem habet usum rationis; quia, cum possit hic Confessarius de brevi certum se reddere de poenitentis dispositione per experimentum emendationis, ei differendo absolutionem, non videtur adesse sufficiens causa absolvendi illum sub conditione... »

Antequam ulterius progrediamur, claritatis causa, et ad removendam omnem ambigendi rationem, quaedam circa praefatam S. Alphonsi doctrinam adnotanda veniunt.

I. S. Alphonsus, ut supra jam monuimus, hic non agit de recidivo positive et *certe indisposito,* qui, nullo in casu, nec licite nec valide absolvi potest ; sed loquitur de poenitente, cujus relapsus « tametsi praebeat aliquam suspicionem, non tamen certum exhibet signum indispositionis, » ac proinde de recidivo *dubie disposito* (n. 459. *Secunda vero pars...* pag. 651.).

II. Occurrente aliqua *justa et gravi causa, « nempe si negata absolutione, notabile detrimentum immineret animae poenitentis », sub conditione* potest, imo et aliquando debet absolvi recidivus, *etsi dubie tantum dispositus;* videlicet, si esset in periculo mortis, si urgeret necessitas suscipiendi communionem v. gr. ad vitandum scandalum aut infamiam ; vel si prudenter timeretur quod peccator ille non amplius ad confessionem redibit, et in peccatis suis tabescet (n. 431. 432. supra cit.). - Exceptis autem hujusmodi casibus, qui regulam generalem constituere nequeunt, S. Alphonsus sequentem statuit doctrinam circa recidivos dubie dispositos:

III. *Confessarius absolvere nequit recidivum, nisi habeat moralem certitudinem, sufficientem respective ad hoc Sacramentum,* scilicet *prudentem probabilitatem de ejus dispositione* (n. 459. et 461.). - Ex quo inconcusso principio, S. Doctor ceu legitima et necessaria corollaria, tres sequentes Propositiones deducit:

1. « *Peccator recidivus, rediens cum eodem habitu pravo, non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa suae dispositionis* » (n. 459.).- Haec propositio generalis, pro qua S. Alphonsus plures et graves Auctoritates allegat, ac merito communem dicit, mediam viam tenet inter primam sententiam falsam *Laxistarum* dicentium « quod recidivi

1) In Opere : *Homo Apost.* tr. 15. n. 34. (quod in casu sequendum est, juxta regulas in tertia Appendice exponendas), S. Doctor docet, idem dicendum esse etiam in dubio *positivo: « quia tunc agit* (poenitens) *contra praeceptum, quod requirit probationem, non solum » probabilem, sed etiam certam, sicut fuit certum peccatum. »* Unde, si hujusmodi dubie absolutus ad communionem accedere vellet, teneretur saltem per contritionem ulterius certo se disponere.

» debent absolvi, semper ac ad Sa» cramentum accedunt »; et secundam *Rigoristarum* (inter quos *Jueninus* etc.), quae « cum intolerabili » rigore dicit, nunquam absolvi pos» se consuetudinarium, nisi per lon» gam experientiam constet de ipsius » emendatione. » - Sensus ergo praefatae propositionis est: *Ut absolvi possit recidivus, requiritur, sed sufficit, ut exhibeat signa extraordinaria suae dispositionis.* Dicitur 1°. *Requiritur;* quia « recidivi, qui post » confessionem, eodem vel quasi eo» dem modo sunt relapsi absque emen» datione, ut communiter docetur, » nequeunt absolvi, si sola signa *or» dinaria* afferant, nempe *si tantum » confiteantur, asserendo se poeni» tere et proponere,* prout habetur » ex proposit. 60. damnata ab Inno» centio XI. Nam habitus contractus, » et relapsus praeteriti sine ulla » emendatione magnam praestant su» spicionem, quod dolor et proposi» tum, quae poenitens asserit habe» re, nequaquam sint vera. » [1] Supponit etiam S. A., poenitentem jam *admonitum* fuisse, sive ab eodem, sive ab alio Confessario; ut ex secunda propositione patebit. Dicitur 2°. *Sufficit;* etenim falsum est, « quod » sola temporis probatio unicum sit » signum mutatae voluntatis »(n.459. *Secunda vero pars*): eo magis quia « signa illa (extraordinaria) *directe* » indicant dispositionem poenitentis, » experientia vero tantum *indire» cte...;* unde quoties poenitens affert » signa extraordinaria doloris, per » ea tollitur suspicio illa de indispo» sitione, et tunc Confessarius pru» denter judicare poterit, suum poe» nitentem satis esse dispositum.»[2]

2. Sed quaeritur, *quoties absolvi possit* recidivus dubie dispositus, seu *quot admonitiones* praecesserint oporteat, ut talis absolvi possit? - In solvendo hoc dubio, S. Alphonsus, contra plures DD. pro prima propositione allegatos, qui censent, talem absolvi posse usque ad tertiam vel quartam vicem, sequentem statuit doctrinam: *Absolvi nequit Consuetudinarius seu Habituatus, qui semel jam admonitus, eodem modo relapsus est,* etc. Etenim, « quamvis » peccator prima vice se confitens, » censendus sit dispositus, eo quod » nulla ei obstat praesumptio in con» trarium; tamen *quando jam in » alia confessione ipse fuit admo» nitus* et eodem modo cecidit, nullo » adhibito conatu, et nullo impleto » ex mediis a Confessario praescri» ptis, frequens ille relapsus signum » praebet vel saltem prudentem dat » suspicionem, quod sua poenitentia » non sit vera »; ex qua proinde suspicione « fit ut Confessarius non » possit habere de ejus dispositione » moralem certitudinem, sufficien» tem respective ad hoc sacramen» tum » (n. 459.). - Cui sententiae, praeter solidissimam allatam rationem intrinsecam, gravissimae Auctoritates suffragantur; ut infra in §. 2. videbimus.

3. Hisce igitur principiis innixus, S. Alphonsus rectissime concludit: Confessarius *tenetur differre* absolutionem recidivo dubie disposito, usquedum sufficientem habeat certitudinem moralem, scilicet *prudentem probabilitatem* de ejus dispositione (n. 461.).

Totam vero hanc doctrinam acriter impugnat P. Ballerini. Siquidem contra *primam* Propositionem dicit, S. Alphonsum pro sua sententia de *signis extraordinariis* necessario requisitis, falso citare tot Auctores a se allegatos, quorum sententia toto coelo ab ista thesi distat; ipsum secutum fuisse theorias Jueninii et si-

1) *Homo Apost.* tr. ult. n. 9.

2) Hic interim notare juvat, quod S. Alphonsus, dum dicit, recidivum signa extraordinaria exhibentem, judicari posse satis dispositum, exinde non concludit, ipsum *statim* semper absolvendum esse. Caeterum, de Confessarii agendi ratione cum recidivis dubie dispositis in Capite II. hujus disquisitionis sermo erit.

milium; rationem pro eadem doctrina adductam, vitio logico non carere, etc. Contra *alteram* de non absolvendo Consuetudinario *semel admonito,* affirmare non dubitat, eidem nullam prorsus auctoritatem suffragari. Ad *tertiam* demum advertit, remedium *differendae* absolutionis *aliquando* quidem et *ex consilio* adhiberi *posse,* sed ad istud adhibendum, Confessarium *numquam teneri.* – Quid autem de singulis hisce assertis sentiendum sit, et quonam jure cl. Ballerinius graves suas accusationes in S. Alphonsum protulerit, in triplici Paragrapho, juxta triplicem sequentem Propositionem, sedulo inquiremus.

§. *1.* Peccator recidivus, rediens cum eodem habitu pravo, non potest absolvi, nisi afferat *extraordinaria signa* suae dispositionis.

§. *2.* Absolvi nequit Habituatus *jam semel admonitus,* si, nullo adhibito conatu, nec ullo impleto medio praescripto, eodem modo relapsus est, nullaque extraordinaria suae dispositionis signa affert.

§. *3.* Recidivo dubie disposito *differenda* est absolutio, *usquedum habeatur prudens probabilitas* de ejus dispositione.

§. 1.

Peccator recidivus, rediens cum eodem habitu pravo; non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa suae dispositionis.

Tom. II. n. 636. pag. 539.[1] *P. Gury* sequentem statuit regulam: « *Recidivus* rediens cum eodem pravo habitu, *nullo adhibito conatu, nulloque impleto medio* ex iis quae a Confessario praescripta sunt, non potest absolvi, nisi signa *extraordinaria* doloris ostendat. Ratio est, quia tunc praesumptio, quae poenitenti favebat, cum prima vice confessus est, nunc ipsi adversatur. Etenim qui firmiter proponit peccatum vitare, non ita facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius aut rarius cadit. *Ita expresse S. Ligorius n. 459.*»

Ad hanc propositionem, P. Ballerini longiorem apponit Adnotationem, in qua contra doctrinam S. Alphonsi sequentia objicit: S. Alphonsus, *ex oculorum aut memoriae lapsu, falso ex Salmanticensibus desumpsit Auctores a se allegatos: siquidem horum sententia toto coelo* distat a sua thesi *(Vid. art. 1. et 2.).*[2]

– *Pauci* sunt DD., qui mentionem injiciant *extraordinarii signi* dispositionis, nec ullus hujusmodi signum ceu *conditionem sine qua non* requirit; imo ipsi *Salmanticenses,* licet *soli* ceu probabilius tradant, Confessarium ad differendam absolutionem *teneri,* nihilominus *ab opinione S. Alphonsi recedunt (cfr. art. 3.).* – Si nonnulli Auctores a Salmanticensibus avidissime inquisiti, dicunt: *non posse absolvi;* horum tamen sententia nec S. Alphonsi, imo nec Salmanticensium opinioni ullatenus favet *(art. 4.).* – Omnes DD. a S. A. et Salmanticensibus allegati, nihil de *dispositione* poenitentis disputant, sed potissime tractant *de vitiis linguae;* et dilationem absolutionis habent ut *meram industriam* ad excitandam blasphemorum et temere jurantium ignaviam: unde inter horum DD. sententiam et *recentem* S. Alphonsi opinionem, *ingens discrimen* intercedit *(art. 5.).*

1) In altera edit. pag. 434.

2) Adjungit etiam cl. Ballerinius, limitationem a S. Alphonso adjectam, videlicet Consuetudinarium jam *semel admonitum* et eodem modo relapsum, absolvi non posse, adversari sententiae communi omnium Doctorum, ab ipso pro doctrina de signis extraordinariis allegatorum. Hanc autem objectionem peculiari examini subjiciemus, infra in §. 2.

– S. Alphonsus, *juxta theorias Juvenin et similium*, negat, talem poenitentem posse absolvi, utpote qui censeri debeat *indispositus (art. 6.)*. – Demum, *ratio* a S. A. pro sua sententia allegata, *logico vitio non caret*, etc. *(art. 7.)*.

Quem igitur non miserebit S. Alphonsi, in gravissima hac materia, ex oculorum aut memoriae lapsu adeo infeliciter decepti ! Ast, utrum cl. Professor in hisce assertis, tum veritatis et historiae, tum ipsius S. Doctoris jura servaverit, ex infra perpendendis quisque judicare poterit. – Priusquam autem singulas cl. Ballerinii assertiones examinemus, generalem responsionem dare juvat, ostendendo scilicet, doctrinam S. Alphonsi revera dicendam esse communem, imo et communissimam. Sit ergo

Articulus 1.

S. Alphonsus merito communem vocat sententiam a se propugnatam.

In cit. num. 459. (p. 649.), S. Doctor ait: « Tertia sententia *communis* quam sequimur, et tenent Sanchez ..., docet, *quod peccator recidivus rediens cum eodem habitu pravo, non potest absolvi, nisi afferat* EXTRAORDINARIA SIGNA *suae dispositionis.* » – Huic doctrinae plane subscribit *P. Gury*, in texto supra allato (§. 1.), invocans auctoritatem S. Alphonsi: « *Ita expresse S. Ligorius, n. 459.* »

Ad quae verba, cl. Ballerinius primam suam Adnotationem exorditur, dicens: « Sic S. Alphonsus (n. 459.) reipsa scribit: *Peccator recidivus rediens cum eodem habitu pravo non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa suae dispositionis.* – Porro quod Auctor (P. Gury) pro hac doctrina *solum S. Alphonsum* alleget, *non fortuito factum dixerim.* Nam (et haec ideo tantum dicta fuerint, *ut sua historiae et veritati jura serventur*) multos quidem (l. c.) affert Auctores, nec dubitat, sententiam hanc suam appellare *communem.* At enim l. plerique ex iis, quos hic allegat, iidem illi sunt, quos superius (in not. ad n. 621.) habes allegatos, *Sanchez* nimirum, *Suarez, Palaus, Bonacina, Azorius, Sayrus, Hurtadus, Lugo*, etc., et caeterum non alia horum loca ipse indicat, quam quae ibidem nos attulimus (nec alia sane poterant allegari, quia *alia horum loca non habentur*). [1] Porro *horum sententia*, quam ibi allatis ipsorum verbis innuimus, *toto coelo ab ista thesi distat;* expresse enim affirmant, aut manifeste supponunt, poenitentem *absolvi posse*, atque dilationem absolutionis ut mere *utilem*, atque adeo solum ex *salubri consilio*, et *quandoque* tantummodo adhibendam proponunt. Hinc nonnisi *oculorum aut memoriae lapsui* tribuendum videtur, quod S. Alphonsus eas citationes *sumpserit ex Salmanticensibus* Tr. 17. cap. 2. *n. 168., quem locum ipse ibidem allegat.* [2] Nam utique Doctores isti ibi afferuntur; sed sententia, pro qua ibi invocantur, non est S. Alphonsi thesis; sed alia, quam Salmanticenses sic exprimunt: *Licet* salubre sit consilium *differre absolutionem, quando creditur profutura talis dilatio ...; at si poenitens cum dolore et proposito firmo accedat ..., Confessarius* potest illum absolvere, *etsi hactenus non curaverit, per plures vices admonitus, emendari:* quae quantum consonant cum allegatorum DD. sensu, tantundem a S. Alphonsi opinione differunt.»

Cum autem P. Ballerini lectorem ad textus remittat, quos in nota ad *n. 621.* allegaverat, subjungemus, quae ibidem habet. – Loco citato [3] contendit, Doctores fere materiam

1) In altera edit. deest ista parenthesis. — 2) Ibidem, cl. Professor eamdem assertionem aliis verbis sic profert: « *prout ipse ibidem illos allegat.* » — 3) Cfr. primam edit. romanam, pag. 519., alteram vero pag. 419.

de consuetudinariis et recidivis non attingere, ubi disserunt « *de Sacramento Poenitentiae,* sed ubi tractant *de secundo Decalogi praecepto,* atque adeo de pravo aut *blasphemandi,* aut *temere jurandi* ac porro *pejerandi* habitu. Ita *Salmanticenses,* Tract. 17. de juramento, cap. 2.; *Suarez,* de juramento, lib. 3. cap. 8. n. 7.; *Sanchez,* in Decal. lib. 2. cap. 32. ubi de blasphemia, et lib. 3. cap. 5. ubi de consuetudine jurandi; *Bonacina,* de 2. praecepto, disp. 4. q. 1. punct. 14.; *Filliuccius,* Tract. 25. cap. 10. de blasphemia et juramento; *Sayrus,* Clav. Reg. lib. 5. cap. 5. ubi de juramento; *Palaus,* de juramento, disp. 1. punct. 9.; *Viva,* de praeceptis Decalogi, q. 7. art. 7. de perjurio; *Trullenchus,* Exposit. Decalogi, lib. 2. cap. 1. dub. 20.; *Azor,* Part. 1. lib. 11. cap. 3. de juramento; *Reginaldus,* lib. 18. de 2. praecepto Decalogi. – Idem dicito de *Barthol. Medina, Emman. Roderico, Ludovico Lopez,* et aliis, quos longum foret enumerare.

» Quod vero isti DD. disserant de poenitente *disposito,* inde manifeste patet, quod absolutionis dilationem insinuent non tamquam necessariam, sed ut *mere utilem,* et ex *mero consilio* et solum *aliquando,* adhibendam. Ita, v. gr. *Suarez* (l. c.) licet agat de consuetudine, quae ut ait, *quodam modo transiit in naturam,* postquam dixit, *de proposito credendum esse poenitenti, non obstante quacunque praecedenti frequentia et inconstantia ejus;* demum subdit: *Si saepius proposuit emendari, et non facit, adhibenda sunt remedia convenientia ... Denique si haec non sufficerent, interdum utile erit differre absolutionem per aliquot dies, in quibus vigilare cogatur,* etc. Quod idem (De Poen. disp. 32. sect. 2. n. 4.) repetit de homine, qui constitutus in proxima necessaria occasione peccandi, iterum iterumque relabitur: *Neque est illi* (inquit) *neganda absolutio, etiamsi iterum atque iterum reincidat: maxime si aliquantulum se contineat, et numerum peccatorum paulatim diminuat, ut notavit Navarrus, cap. 3. n. 21. Interdum vero differri potest* (N. B. *potest,* non autem *debet*) *absolutio.* – Et *Sanchez* (In Decal. lib. 2. cap. 32. n. 45.): Si poenitens id non multum aegre ferat, et speretur, non ob id retrahendum a confessione, sed potius id fore medicinam, erit *consilium* differre absolutionem, majori suavitate possibili adhibita; si autem oppositum speretur, non erit consilium. – *Filliuccius* (l. c. q. 10. n. 320.): Remedia sunt frequens confessio, eleemosyna ... Si haec non prodessent, *utilis* esset dilatio absolutionis per aliquot dies. – *Gregorius Sayrus* (l. c. n. 8.): *Aliquando* tamen saluberrimum est *consilium,* ut recte notant Medina, Petrus de Aragon., Emman. Rodriguez, et Ludovicus Lopez, non prius absolvere, quam, etc. – *Palaus* (l. c. n. 6.): *Ex consilio* poterit sacerdos absolutionem differre, si judicat dilationem profuturam. – *Bonacina* (l. c. n. 7.): Non videtur deneganda absolutio poenitenti, qui firmum habeat propositum abstinendi in futurum ab hujusmodi juramentis ... Addo ... differri absolutionem posse, quoties Confessarius judicaverit, hoc expedire saluti poenitentis. – *Azorius* (l. c. q. 4.): Etsi absolutio simpliciter deneganda non est, videtur tamen ad tempus differenda, ut operae aliquid interim in id conferat; nisi justa alioquin causa subsit, qua statim a peccatis absolvi debeat. – *Reginaldus* (l. c. n. 87.): Salubre *consilium* est, absolutionem differre tali, ut sic inducatur a recidivo cavere, invigilando attentius. – *Card. De Lugo* (De Poen. disp. 14. n. 166.): Denique *aliquando* utile erit differre absolutionem per aliquot dies, etc.

» – *Card. Toletus* (Lib. 3. cap. 18. » n. 3.) : In his *utile consilium* est » differri absolutionem, integra au- » dita confessione, donec appareat » emendatio aliqua. »

I.

Asseverat itaque P. Ballerini, et nequidem simpliciter, sed hyperbola utens, *plerosque DD.*, quos S. Alphonsus pro thesi citat et *communem* dicit, *toto coelo* ab eadem distare. – Verum isti DD., non tantum non toto coelo, sed prorsus non distant, quippe qui eamdem thesim omnino profitentur. Nec verum est, *alia loca* non existere praeter illa, quae ipse in nota ad *n. 621.* allegat. Hujusmodi loca existere, oculorum judicio cl. Professorem modo convincemus.

1. Sanchez, *S. J.*,[1] scribit: « Tandem superest triplex brevis difficultas. Prima est, *an habens consuetudinem blasphemandi sit absolvendus?* Metina,[2] Petrus de Ledesma,[3] Manuel,[4] Ludovicus Lopez,[5] asserunt, hunc, quando in aliis confessionibus emendam proposuit, nec emendatus est, non esse statim absolvendum, sed differendam ei absolutionem, donec emendetur. Quod temperat *Azorius,*[6] *nisi signa certa et manifesta detestationis illius criminis ostendat,* et in aliud tempus differri commode absolutio nequeat. At mitius loquitur ipse *Azorius,*[7] loquens de habente pravam *jurandi* consuetudinem, ubi ait, hunc, si alioquin admonitus, aliquid curae et laboris apposuerit ad eam consuetudinem extirpandam, statim absolvendum esse; *secus si saepe admonitus nullam curam adhibuit,* nisi justa causa subsit ad concedendam statim absolutionem. – Et ideo, quamvis crimen *blasphemiae* sit multo gravius, *applicando praedictam doctrinam ad illud;* dico primo, habentem pravam blasphemandi consuetudinem, *qui numquam est admonitus,* ut illam deponat, vel si saepe in aliis confessionibus admonitus est, et aliquid operae et studii collocavit ad eam consuetudinem evellendam, debere statim absolvi. Quia si numquam est admonitus, non est in tanta culpa; si autem admonitus est, et aliquid studii collocavit, jam ex parte sua aliquid confert, et si differatur absolutio, forte cadet animus, et a confessione deterritus, in pejus labetur. – Secundo dico, quando nil curae apposuit ad emendam, admonitusque est saepe in aliis confessionibus, *posse adhuc hunc in rigore statim absolvi, si vere doleat de praeteritis, ac in posterum emendam firmiter proponat.* Quia *nullam occasionem extrinsecam* habet, ut vel sic necessario impediatur absolutio, sed ex fragilitate carnis, sicut et in alia vitia. – Tertio dico, an sit consilium differre absolutionem, pendere ex Confessoris prudentia. Si enim poenitens id non multum aegre ferat, et sperètur non ob id retrahendum a confessione, sed potius id fore medicinam, erit consilium differre absolutionem, majori suavitate possibili adhibita; si autem oppositum speretur, non erit consilium; nisi quando ille iis blasphemiis ingens praeberet scandalum; et ita Confessarius judicaret postponendum privatum illius solatium, et ad gloriam divinam expedire illum non absolvi, donec scandalo publico satisfaciat, nitendo vitae emendam. »

Disertis verbis hic *Sanchez* declarat, ex sua sententia, doctrinam, quam Azorius quoad consuetudinem temere jurandi tradit, ad crimen blasphemiae, quamvis multo gravius, applicandam esse. Cum ergo deinde dicat, poenitentem, qui nihil curae apposuit ad emendam, posse adhuc in rigore absolvi, si vere doleat et

1) In Decal. lib. 2. c. 32. n. 45. — 2) Lib. 1. Summae, c. 14. *s.* 2. — 3) Tom. 2. Summae, tr. 1. c. 9. fin. —4) Tom. 1. Summae, in 2. edit., c. 34. n. 5.— 5) 1. P. instruct. c. 282. versicul. *Sed quid, si blasphemus.* — 6) Tom. 1. lib. 9. instit. moral. c. 28. q. 18. — 7) Loco cit. lib. 11. c. 3. q. 4.

firmiter proponat; aperte exigit, *ut poenitens, praeter consuetas affirmationes, alio modo verum dolorem et firmum propositum manifestet:* secus enim doctrinam Azorii non tantum non applicaret, sed potius ex diametro oppositum doceret. – Sed haec interpretatio jam per se necessaria est. Omnes namque poenitentes, qui ea intentione accedunt, ut sacramentalem absolutionem suscipiant, protestari solent, quod vere doleant ac firmiter proponant; et ideo haec conditio prorsus inutiliter apposita esset. Inutilia essent insuper alia verba: *adhuc in rigore,* et sanum sensum non funderent, si consuetae protestationes poenitentis semper sufficerent ad eum absolvendum. – In quantum vero Sanchez quaestionem ponit, *an sit consilium differre absolutionem,* de poenitente *vere dolente et firmiter proponente, qui adhuc in rigore absolvi potest,* loquitur; et de hoc, non de alio dicit, quod accedente scandalo ingenti, non possit absolvi, quamvis alias absolutionem ipsi differre non expediret.

Quoad *consuetudinem jurandi,* dicit idem *Sanchez:* [1] « Tandem potest dubitari, an affecto hac prava mortali jurandi consuetudine sit *absolutio differenda.* Quidam affirmant, quando saepe fassus eam non corrigit; secus, quando bis vel ter. Ita docent Metina, Vega, Ludovicus Lopez, Manuel. Atque id esse interdum saluberrimum consilium, tradunt Sayrus et Suarez, qui addit, non esse in hoc scrupulose procedendum; nec enim oportet Confessorem judicare, fore ut poenitens non reincidat, sed satis illi est, ut judicet in praesenti eum tali proposito affectum esse, et facere quod moraliter potest, ut efficax sit. *At in hoc est omnino dicendum, quod de habente blasphemandi consuetudinem diximus* libro praecedenti c. 32. n. 45.; ubi etiam retulimus *quod circa hoc sentit Azorius.* Imo mitius se debet in hoc habere Confessarius; cum minus iniqua sit haec consuetudo, quam blasphemandi. » – Cum Sanchez hic declaret: « At in hoc omnino est dicendum, quod de habente blasphemandi consuetudinem diximus », *manifeste negat, dilationem absolutionis semper nonnisi saluberrimum consilium esse.* Id solum subjungit, quod Confessarius *mitius* potius quam rigidius se habere debeat, in quantum consuetudo temere jurandi minus iniqua est, quam altera blasphemandi. – Quid autem *Sayrus* et *Suarez* proprie dicant, infra exponemus (pag. 663. n. 6. et 667. n. 14.).

2. Similiter dicit Bonacina, de consuetudine *jurandi* et *mentiendi* disserens: [2] « Secundo dubium est, an habens consuetudinem jurandi et mentiendi, possit absolvi? Respondeo, *in rigore* et per se loquendo, absolvi posse, *si firmum habeat propositum* abstinendi in futurum ab hujusmodi juramentis. Ratio est: tum quia haec consuetudo non dicitur occasio extrinseca, ob quam sit illi deneganda absolutio: tum quia occasio interrumpitur et retractatur per dolorem et per propositum contrarium; consequenter non videtur esse in proxima peccandi occasione; et sic non videtur deneganda absolutio poenitenti, qui firmum habet propositum abstinendi in futurum ab hujusmodi juramentis. – Dixi: *in rigore et per se loquendo;* quia ratione vitandi scandali, quod pejerans aliis praebere solet, deneganda est absolutio juxta prudentis Confessarii judicium: scandalum enim praecavendum est... » – Pariter ergo dicit *Bonacina,* hujusmodi consuetudinarios in rigore absolvi posse, si firmum habeant propositum; et ideo pariter supponit, quod non tantum *solitis protestationibus* propositi firmitatem manifestent. Similiter denique dicit, etiam illos, qui in rigo-

1) Lib. 3. c. 5. n. 18. — 2) Disp. 4. q. 1. punct. 13. n. 7.

re absolvi possent, quia firmiter proponunt, accedente scandalo non esse absolvendos.

Habemus autem *alium quoque locum*, ubi *Bonacina*, de alia prava consuetudine disserens, [1] dicit: « Tertio colligi potest, non cogi Confessarium *ad denegandam absolutionem* adolescenti, qui saepius in mollitiem incidit ex carnis fragilitate; nam hujusmodi occasio non censetur voluntaria, cum adolescens non possit illam expellere. Verum tamen est, Confessarium debere salutares poenitentias injungere; *praeterea debere aliquando differre* absolutionem, ut poenitens *cum majori proposito* proponat evitare hujusmodi turpia peccata. »

3. Azorius, *S. J.*, [2] dicit: « Quarto quaeritur, quo pacto se gerat is, qui confessionem audit ejus hominis, qui pravam habet consuetudinem *jurandi?* Respondeo, videndum esse, *an antea fuerit saepe admonitus*, ut eam consuetudinem radicitus evellendam, et a se abjiciendam curaret. Deinde, an ea de re admonitus, *curam et diligentiam* ad eam consuetudinem extirpandam contulerit. — Si enim nunquam est admonitus, absolvi a peccatis jure potest, ea conditione, ut statuat apud se eam consuetudinem velle omnino deponere. Idem juris est, si alioqui admonitus, studii, curae et laboris aliquid adhibuerit ad eam depellendam. *Si tamen ter quaterve, ac saepius etiam admonitus, nihil in ea re studii et operae posuerit*, etsi absolutio *simpliciter deneganda* non est, videtur tamen *ad tempus differenda*, ut operae aliquid interim in id conferat: nisi justa alioquin causa subsit, qua statim a peccatis absolvi debeat: possunt enim justae causae subesse. Medina, loco citato. »

Alio loco, jam supra a Sanchez citato, *Azorius* de *blasphemis* tractat: [3] « Quaeritur, quid judicandum sit de his, qui in Deum vel Sanctos convitia dicunt, prava quadam et inveterata consuetudine maledicendi rapti; et quo pacto is, qui eorum confessiones excipit, sese gerere adversus eos debeat, videlicet, an hosce maledicos absolutione criminis dignos censere queat, an non? — Respondeo, distinguendum esse: nam, quia assueti blasphemiis, maledicta in Deum vel Sanctos passim conferunt, simpliciter illi quidem non sunt ab absolutione criminis arcendi, sed *ad tempus ab ea suspensi merito detinendi*, ut interim pravam et perversam consuetudinem aliqua ex parte deponant et exuant. Si tamen *signa certa et manifesta* doloris, et detestationis suae illius sacrilegae impietatis dederint, *nec in aliud tempus absolutio commode differri queat*, absolvi a peccatis queunt, imposita tamen poenitentia salutari ac tanto crimini debita. » — Notandum hic, quod Azorius quoad blasphemos non distinguit, an poenitens saepius jam admonitus fuerit; sed indiscriminatim docet, hujusmodi consuetudinariis absolutionem esse differendam, nisi signa certa et manifesta doloris et detestationis dederint.

4. Trullenchus ex omni parte Azorio assentitur, quoad *blasphemos* dicens: [4] « Quod si assueti sint blasphemare, *differenda est absolutio, si commode fieri possit, donec detur emenda;* si autem differri commode nequeat, *poeniteatque eos vehementissime*, absolvi possunt. Azorius supra cit. n. 18. »

Et quoad assuetos *jurare*, haec docet: [5] « Sed dices: Absolvi ne poterit habens consuetudinem jurandi et mentiendi? Respondeo: si non habet *firmum propositum* eam extirpandi, *non potest absolvi, sicut contingit in aliis peccatis mortalibus*. Quod si firmiter proponat eam

1) Tom. 1. de matrim. q. 4. punct. 14. num. 14. — 2) Lib. 11. c. 3. q. 4. — 3) Lib. 9. c. 28. n. 18. — 4) Lib. 1. c. 12. dub. 3. n. 2. — 5) Lib. 2. c. 1. dub. 20. n. 10.

evellere, et in futurum abstinere ab hujusmodi juramentis, et *nunquam de hoc fuit admonitus*, absolvi poterit; quia occasio interrumpitur, et retractatur per dolorem et propositum contrarium : poterit etiam ob eamdem rationem absolvi, si postquam admonitus fuit, *adhibuit aliquid curae et laboris* ad eam pravam consuetudinem expellendam. At si ter aut quater admonitus fuit, et nihil in ea operis posuit, *absolvendus non est, sed differenda est absolutio,* nisi scandalum adsit, aut aliqua causa, ob quam statim debeat a peccatis absolvi. Azorius. [1] »

5. PALAUS, *S. J.*, sententiam Sanchezii suam facit, dicens : [2] « Sed inquires : differendane est tibi absolutio, si hac prava jurandi consuedine affectus sis ; tametsi proponas firmiter te emendaturum, ut aliquibus diebus attentius invigiles ? Respondent plures DD., si semel aut bis fassus fueris hanc consuetudinem, te posse et debere absolvi ; secus si saepius, sed tunc differendam esse absolutionem, ut de proposito constet. Sic Medina, Ludovicus Lopez, Manuel. Et de consilio differendam esse absolutionem docet Sayrus, Suarez. - *Verum mihi probabilius est, quod tradit Sanchez,* loquens de consueto blasphemare Lib. 2. in Dec. cap. 32. n. 45. » Deinde sententiam Sanchezii exponit.

Habemus et alium locum, [3] ubi *Palaus* de occasione proxima disserens, unum idemque docet tam de poenitentibus in hujusmodi occasione constitutis, quam de habentibus pravam consuetudinem sine occasione extrinseca : « Dico secundo : in casibus, in quibus poenitens non tenetur fugere occasionem peccandi, eodem modo debet Confessarius cum illo procedere, ac procedit cum habente consuetudinem jurandi falso, vel murmurandi, vel se polluendi. Sicut enim hos absolvit, *quoties intelligit, firmum se emendandi animum habere,* ita absolvere debet occasione ligatum. Expediet tamen (ut bene advertit Suarez, Reginaldus, Graffius, Navarrus, Coriolanus, Lopez) videre, an aliqua emendatio sit; nam *si nulla apparet, differenda erit absolutio;* non quia necessarium sit differri, si de firmo proposito probabiliter constat, sed ut illo intermedio tempore se amplius disponat, aliquamque poenitentiam faciat. Quando autem *nullà adest emendatio,* sed forte major in dies peccatorum numerus augetur, *satis certo potest Confessarius inferre, non habere poenitentem verum propositum se emendandi ;* quia in peccatum grave non ita facile labitur quis, quando illud ex animo execratus est, majoreque diligentia se praecavet, quidquid in contrarium sentiat Joannes Sancius. » [4]

6. *Gregorius* SAYRUS, [5] de consuetudine temere *jurandi* tractans, quatuor propositiones statuit, et secundam propositionem *n. 8.* explicans dicit, consuetudinem jurandi absolute et secundum se sumptam, quamvis mala sit, tamen non esse peccatum a singulis actibus distinctum. Et ideo hominem non peccare ultra peccatum, quod singulis actibus inest, quia habitus usum rationis antevertit, et efficit ut juret, antequam adhibeat veritatis judicium. - Dein sic pergit : « Ex quo fit, ut qui habet consuetudinem jurandi, si ex causa legitima jurat veritatem, non peccat; sin autem jurat sine causa, peccabit solum venialiter; consuetudo enim illa, cum sit habitus, nec est peccatum, nec aggravat peccatum ex illa procedens. Non tamen per hoc intendimus favere pessimae illi consuetudini jurandi; sed ut illis occurramus,

1) Lib. 11. c. 3. q. 4. — 2) Tr. 14. disp. 1. punct. 9. n. 6. — 3) Tr. 2. disp. 2. punct. 9. *s.* 3. num. 17.— 4) Joannem Sanchez communiter vocant *Sancium*, ad evitandam confusionem cum Thoma Sanchez, e Soc. Jesu. — 5) Clavis regia sacerd. lib. 5. c. 5.

qui plus nimio eam inculpantes, culpam esse affirmant, ubi culpa non est. Aliquando tamen saluberrimum est consilium, ut recte notant Medina, Petrus de Arragonio, Emmanuel Rodriguez, Ludovicus Lopez, hujusmodi homines non prius absolvere, quam mutent consuetudinem praefatam. *Quod si neque id efficiant,* nec occasionem perjurandi relinquere velint, *aut animum saltem resistendi illi consuetudini, eamque extirpandi non habeant, absolvendi non sunt;* cum tales in statu peccati mortalis sint, exponentes se periculo pejerandi: qui autem amat periculum, peribit in illo. »

Mitius ergo de consuetudine jurandi judicat Sayrus, quam de aliis pravis consuetudinibus; et quidem jure merito, quatenus in illa currit ratio excusans, quae in aliis locum non habet. Nam jurare sine necessitate aut gravi causa, in se nonnisi peccatum veniale est, ut omnes concedunt; et qui hujusmodi habitum contraxit, ea sola ratione sub gravi eum extirpare tenetur, quia periculo pejerandi se exponit. Nihilominus ob eamdem rationem Sayrus docet, hujusmodi poenitentem non esse absolvendum, si animum non habet saltem resistendi huic consuetudini eamque extirpandi. - At hunc animum certe non habet, qui non tantum eodem modo revertitur, non tantum numquam resistit; sed nequidem *ullum conatum* ad se emendandum, nec *ullo modo media praescripta* adhibuit.

Habemus autem et alium locum, ubi *Sayrus* de alia prava consuetudine tractat. De *blasphemis* namque dicit:[1] « Qui assuetus est blasphemare, nec tamen se emendaverit, non obstante quod in praeteritis confessionibus emendationem promiserit, non est statim absolvendus, etiamsi iterum emendationem polliceatur; sed *ad tempus differenda erit absolutio,* ut interim hanc pravam consuetudinem aliqua ex parte deponat et relinquat; quod si postea emendare se noluerit, nullo modo absolvendus est, cum sit indispositus ad absolutionis beneficium recipiendum. Ideo autem differenda est absolutio, quia, qui antea promisit emendationem, et tamen ab errore non destitit, *credendus est, nolle in posterum ab hoc pravo vitio desistere; ideoque differenda erit absolutio, quousque se ex parte emendaverit.* Intelligitur autem hoc de eo, qui assuetus est blasphemare. Si enim semel aut iterum blasphemaverit, absolvi potest et debet, dummodo propositum emendationis firmum concipiat. Quin immo qui saepius assuetus est blasphemare, dummodo *certa signa doloris et detestationis hujusmodi impietatis* dederit, nec ita commode differri possit absolutio in aliud tempus, absolvi tunc potest: imposita tamen salutari, et debita pro tanto crimine poenitentia. »

7. Reginaldus, *S. J.*, scribit:[2] « Si roges: utrum is, qui *jurandi* consuetudinem habet, sit eo ipso in peccato mortali: Sotus in cit. concl. 7. respondet, non esse: nisi forte ponas eum non poenitere praeteritorum, animumque habere faciendi similiter in futurum, seu non vitandi occasiones per quas in perjurium incidit, et maxime pravam consuetudinem temere jurandi, quam extirpare nihil omnino curat. In quo casu, nemo ambigit eum esse in peccato mortali, per voluntatem saltem interpretativam, qua vult se exponere periculo jurandi falsum (de quo Suarez et Sanchez, in locis citatis erudite suo more) ideoque absolvi non posse. Quod si sincere proponat abstinere, seque ab occasionibus peccandi subducat, *pravamque consuetudinem extirpare studeat:* quia non erit locus dictae voluntati perversae, nihil apparet, unde absolvi nequeat *de rigore justitiae.* Quamquam saepe salubre con-

1) Lib. 6. c. 13. n. 10. — 2) Tom. 2. lib. 18. n. 87.

silium est, absolutionem differre tali; ut sic inducatur a recidiva cavere, invigilando attentius; atque contrariae consuetudini incumbendo, pravum habitum debilitare ac extenuare, tandemque illum delere. » – Dicit ergo, illos tantum in rigore justitiae absolvi posse, qui pravam consuetudinem extirpare student. Contrarium igitur sentit, *si non student;* et si addit, saepe salubre consilium esse differre absolutionem, de iis loquitur, qui, utpote consuetudinem extirpare studentes, in rigore justitiae absolvi possunt.

Haec dicit *Reginaldus* de consuetudine *jurandi* in particulari; at vero Tom. 1. lib. 2. cap. 5. *De prudentia Confessarii in disponendo poenitente,* in genere de hac materia tractat. In prima Sectione praemittit, contritionem perfectam non requiri, et sufficere imperfectam, dummodo poenitens firmum propositum habeat, nullo modo peccatum de caetero committendi. – Quibus praemissis, sequitur Sectio secunda: *De signis contritionis ad obtinendam absolutionem sufficientis.* In qua, num. 53-58. septem signa enumerat: 1°. Poenitentiam magni facere. 2°. Summo odio prosequi peccatum. 3°. Effusio lacrymarum. 4°. Amara confessio. 5°. Alacris poenitentiae et remediorum praescriptorum susceptio. 6°. Si poenitens confitetur quam bene potest, et vitare studet peccata et eorum occasiones. *Secus si poenitentias impositas implere negligit, et aeque ac prius tardus ad ea, quae Dei sunt et ad suam salutem spectant, invenitur.* 7°. Si poenitens docilem et tractabilem se ostendit. – In fine demum addit: « Illud monendum est obiter, quod saepius relabi in idem peccatum, aut non admittere gravem et difficilem poenitentiam sibi a Confessario injungendam vel injunctam non implevisse, argumenta potius sint fragilitatis et imbecillitatis, aut desuetudinis exercendi opera poenalia et difficilia, quam impoenitentiae. In quam sententiam, *Petrus a Soto*[1]: Qui vitam, inquit, ita instituit, *ut a consuetudine peccandi et facilitate se cohibeat:* quamquam nonnumquam labatur, etiam in mortalia, etiamsi aliquando frequentius: modo non pro nihilo ducat, non contemnat poenitentiam vel posthabeat, satis mutasse vitam videri potest; *modo conetur in hoc proficere,* quod omni Christiano quidem, sed poenitenti putamus maxime necessarium. »

8. LAYMANN, *S. J.*,[2] dicit: « Verumtamen Confessarius in tali homine, qui idem peccati genus, ad quod pronus solet esse relapsus, v. gr. fornicationem, voluntariam pollutionem, blasphemiam, saepius ad confessionem affert, attendere debet, *utrum ille conatum aliquem emendationis adhibuerit,* quod his *signis* cognosci poterit: I. Si post proximam confessionem *rarius,* quam ante solebat, lapsus fuit. II. Si *mediis* usus est, quae ipsi contra peccati recidivam a Confessario imperata erant. III. Si occasiones extrinsecas peccandi, quas removere debuerat et pollicitus erat, *reipsa amovit.* Quod si talia praestitit, haud dubie absolvendus est. – Sed etsi nihil horum praestiterit, nihilominus illi absolutio conferri potest, si rem secundum se et absolute consideremus. Quia licet antea propositum inefficax habuerit, nunc tamen verum et efficax concipere potest; idque affirmanti credi plerumque debet: cum ipse sit sui accusator, defensor et testis, ait Suarez, et clarius docet Sanchez loc. cit. Verumtamen interdum vehemens est suspicio et justa praesumptio, propositum emendandi simulatum aut non sufficiens esse; *si* videlicet *poenitens, post duas aut tres confessiones, eandem peccati speciem eodem vel majore numero afferat, et nullus emendationis conatus an-*

1) In Instit. Sacerd. de perf. contritionis, lect. 17. sub fin. — 2) De poenit. c. 4. n. 10.

tecessisse videatur: hoc casu differenda erit absolutio, nominato aliquo temporis spatio, intra quod poenitens conatum adhibeat ad criminis emendationem, postea absolutionem accepturus. Id vero limitari debet, nisi poenitens in praesente confessione, *specialia,* qualia antea numquam, *doloris signa* ostendat, quibus praesumptio illa de mala confitentis dispositione merito elidatur.»

9. *Joannes Martinez de* Prado dicit:[1] «Caeterum huic (habenti sc. consuetudinem *jurandi*) esse absolutionem differendam, si bis vel ter admonitus, noluit a prava consuetudine desistere, docent Bartholomaeus Medina,[2] Vega,[3] Rodriguez.[4] Et loquendo de consuetudine *blasphemandi*, idem Medina,[5] Petrus Ledesma.[6] – Videturque desumi ex communi Doctorum docentium, quod consuetudo peccandi est confitenda, ut Confessarius radices peccatorum curet abscindere, et sufficiens remedium adhibere: quod docent S. Thomas,[7] et S. Antoninus, et alii quos secuti sumus c. 15. q. 15. n. 25. Eodem modo philosophandum est de occasione respectu operis consummati, ac respectu desideriorum et delectationis morosae. – *23.* Deinde dato, quod raro aliquando possit contingere, quod habens talem consuetudinem efficaciter doleat, et firmiter proponat cavere in posterum, regulariter et ut plurimum oppositum evenire experimur, quod qui ter admoniti a Confessario, consuetudinem non interrumpunt, *nec vere poenitent, nec efficaciter proponunt;* cum ergo debeamus judicare ex regulariter contingentibus, *non solum erit salubre consilium absolutionem differre,* ut admittunt Sayrus et Suarez, *sed etiam regulariter ad id tenetur,* ut citati Auctores nobiscum tenent, et alii quos refert *Thomas Hurtadus* resol. 21., concludens n. 209., quod *hic et nunc aptius et efficacius remedium est negare absolutionem,* quo, veluti scalpro et ligone, eradicatur mala consuetudo, *quam suave beneficium absolutionis,* etiam conferentis gratiam, quae a vepribus et spinis pravae consuetudinis et occasionis peccandi, cito arescit et suffocatur. Ideoque si ter fuit praemonitus a Confessario, et non curavit praecidere pravam consuetudinem, absolvendus non est, sed differenda absolutio; nisi scandalum adsit, aut aliqua causa, ob quam statim a peccatis debeat absolvi.»

10. *Thomas* Hurtado,[8] de occasione proxima necessaria agens, dicit, in hujusmodi occasione constitutum «absolvi posse, si tamen habeat quatuor illa requisita a Navarro supra adducta, praecipue dolorem de praeteritis et propositum efficax non relabendi.» Et *cap. 6.* quaestionem ponit: «*An sit conveniens, absolutionem differre existenti in occasione proxima?*» Ad quam quaestionem respondet, *absolutionem semper ad tempus denegandam esse* irretitis aut consuetudine peccandi, aut occasione proxima et periculo ruendi, etiamsi in rigore absolvi possint: «Si enim (dicit *n. 208.*) verum propositum habent emendationis, concutiuntur timore denegatae absolutionis, et concipiunt veram contritionem, qua, etsi non totaliter, saltem consuetudo illa eradicatur. Neque ad hoc requiritur poenitentis consensus; si enim sua voluntate absolutio differatur, non erit ita efficax remedium, siquidem non mordet acriter; acre enim remedium exigit infirmitas radicata, ut evellatur.»

Et *n. 213.*: «Quamvis enim poenitens habeat veram dispositionem de praesenti, *tamen non habet jus ad hoc, ut de praesenti impenda-*

1) Cap. 32. q. 8. n. 22. — 2) Lib. 1. Summ. c. 14. §. 4. — 3) Tom. 2. Summ. c. 16. casu 14. — 4) Tom. 1. Summ. c. 192. num. 11. — 5) Lib. 1. c. 14. §. 2. — 6) Tom. 2. Summ. tr. 1. c. 7. — 7) In 4. dist. 22. q. 1. art. 4. in corp. et ad 3. — 8) Tr. 1. de absol. sacram. c. 5.

tur illi absolutio, et gratia sacramentalis; quia jus impeditur a prava consuetudine et occasione, in qua versatur; nec porcis impendenda est margarita, nisi prius remedia applicentur, ut mundentur, quantum fieri possit, ab occasionis et consuetudinis coeno; etsi enim inevitabiles sint et sic involuntariae, tamen foetore sunt plenae, a quo facillime deturpatur gratia, nisi remediis acribus defendatur. Quare si consuetudo et occasio non curentur, recta dispositio praesens seminata supra petram facile arescit, quia non habet humorem, suffocaturque tam ipsa, quam gratia a vepribus malae consuetudinis et occasionis exorientibus. »

Ergo secundum Hurtadum, *consuetudinariis absolutio semper est differenda;* tum quia porcis margarita non est impendenda, nisi prius remediis applicatis mundentur, quantum fieri potest; tum quia *dilatio absolutionis remedium necessarium est,* quo poenitens, sin minus totaliter a singulis peccatis, saltem a consuetudine peccandi sanetur. Supponit autem poenitentem, *qui in rigore absolvi posset;* a fortiori igitur tenet, Confessarium, quatenus judex est, absolutionem differre debere poenitenti, qui jam admonitus, nullo modo se emendavit, nec ullum emendationis conatum adhibuit, quippe qui nec in rigore absolvi potest.

11. *Bartholomaeus* MEDINA docet, assueto *blasphemare,* qui praeteritis confessionibus non se emendavit, absolutionem esse differendam, quamvis se emendaturum dixerit. Idemque docet de assuetis *jurare,* id solum admittens quod absolvi possint, si bis tantum vel ter confessi fuerint, magnumque dolorem demonstrent. – (Vide textum, pag. 686. 687.).

12. *Ludovicus* LOPEZ Medinae omnino assentitur (Cfr. l. c.).

13. Similiter *Emmanuel* RODRIQUEZ (ibid.).

14. SUAREZ, *S. J.*,[1] de consuetudine temere *jurandi,* quae quodam modo transiit in naturam, disputans, praemittit, propositum tollendi hanc consuetudinem requiri, at difficile esse judicare, quando sufficiens sit. Deinde dicit: « Primum ergo supponendum est *propositum absolutum et de se efficax emendandi consuetudinem,* et non jurandi nisi cum magna consideratione et veritate. De quo proposito credendum est poenitenti, non obstante quacunque praecedenti frequentia et inconstantia ejus: quia, sicut potuit mutari in malum, ita etiam in bonum, et ipse est sui accusator, defensor et testis. Supposito autem tali proposito, observandum est, ut, si homo habet *aliquas externas occasiones,* moraliter inducentes illum ad temere jurandum, *illas auferat:* alioqui non sufficienter disponetur: si proximae sint, et sine magno incommodo auferri possint. Deinde, *si saepius proposuit emendari, et non fecit,* adhibenda sunt remedia convenientia, *quae ipse tenebitur acceptare judicio Confessoris,* qualia sunt frequentius confiteri, aliquam eleemosynam vel orationem brevem facere, pro singulis juramentis temere prolatis, vel similia. Denique, si haec non sufficerent, interdum erit utile differre absolutionem per aliquot dies, in quibus cogatur attentius vigilare, et contrariam consuetudinem aliquo modo inchoare. Et in his non est scrupulose procedendum; sed *facta morali diligentia,* illa cum proposito censeri debet sufficiens. Quia non oportet, ut Confessor judicet alium non amplius pejeraturum, sed satis est, quod judicet illum in praesenti habere tale propositum, *et facere, quod moraliter potest, ut efficax sit:* nec hujusmodi humanae infirmitates efficacius curari ab homine possunt.»

Dicit ergo *Suarez* poenitentem teneri adhibere remedia convenientia judicio Confessarii. Si igitur huic

1) De Relig. T. 2. tr. 5. lib. 3. c. 8. n. 7.

obligationi satisfacere negligit, nec violentia consuetudinis, quasi in alteram naturam conversae, nec fragilitas intrinseca ipsum excusat; et ideo eodem modo, imo fortius adhuc *non sufficienter dispositus* censendus est, ac si occasiones extrinsecas non evitat, quas sine magno incommodo evitare potest. Et haec remedia a poenitente *adhibita fuisse,* supponit Suarez dum dicit: « *Si haec non sufficerent, interdum utile erit differre absolutionem.* » Idem patet ex iis, quae deinde subjungit, videlicet, satis esse, ut propositum sufficiens censeatur, si poenitens moralem diligentiam adhibet, et facit quod moraliter potest. – Unde necessario concludi oportet, ex sententia Suarii, propositum sufficiens non censendum esse, si poenitens praescripta remedia, ad quae adhibenda tenetur, et moralem diligentiam non adhibet, nec facit quae moraliter potest; et consequenter non tantum utile esse absolutionem differre, sed Confessarium, quatenus judex est, differre teneri. – Haec de consuetudine temere jurandi in specie.

Adest autem et alius locus, [1] ubi *Suarez* de pravis consuetudinibus in genere disserens, dicit, Consuetudinarios *in periculo morali peccandi* versari, et ideo necessarium esse, Confessarium consuetudinem scire, *ut de dispositione et obligatione poenitentis certus reddatur.* Omnino ergo Consuetudinarios, quoad judicium de eorum dispositione, aequiparat constitutis in occasione extrinseca, qui, praeter obligationem communem non peccandi, specialem habent, occasionem proximam deserendi, vel, si occasio necessaria esset, usu remediorum eam in remotam convertendi. Etenim eodem modo Consuetudinarii, in morali periculo peccandi, seu in occasione intrinseca versantes, praeter obligationem communem non peccandi, specialem habent, pravam consuetudinem extirpandi et in hunc finem remedia praescripta adhibendi. – Textum integrum infra, §. 3. art. 6. ad IV. n. 7. allegabimus, et uberius exponemus.

Idcirco eodem plane jure ad *Consuetudinarios* extendenda sunt, quae *Suarez* alibi [2] dicit de poenitente *in occasione extrinseca:* « Aliquando vero oportet remittere poenitentem et illum non absolvere, donec suam obligationem impleat, praesertim quando iterum atque iterum illam confessus est et implere promisit, neque implevit: quia alias relinqueretur in morali occasione peccandi, et *ejus propositum moraliter non potest judicari efficax, quandoquidem convincitur esse in magna mora, et posse et non facere.* Quapropter oportet Confessores in hoc esse cautos et constantes, ne graventur peccatis alienis.» Ratio patet.

Utique discrimen est inter recidivum in *occasione extrinseca,* et recidivum ex *fragilitate intrinseca.* Emendatio consuetudinarii sine ulla occasione extrinseca, res ardua est et difficilior quam derelictio cujuslibet occasionis etiam necessariae, cui difficultates gravissimae obstant; et nequaquam dici potest de hujusmodi consuetudinario, quod possit et non faciat, et idcirco ejus propositum moraliter efficax judicari nequeat. At vero emendatio perfecta et subitanea non requiritur, ut Confessarius statim ipsum absolvere possit. Sufficit *aliqua emendationis inchoatio;* sufficit, secundum S. Alphonsum, minor peccatorum numerus, sufficit gravis conflictus ante relapsum, sufficit aliquod emendationis studium, imo sufficit impletio mediorum a Confessario praescriptorum. Quis autem dicet, poenitentem haec praestare non posse? Quis dicet, poenitentem non posse, quin eodem modo semper relabatur, quin nullum studium emendationis adhibeat, quin media praescripta omittat? Nemo certe, nisi forte se-

1) De poenit. disp. 22. sect. 4. n. 15. — 2) De poenit. disp. 32. sect. 2. n. 3.

ctator Jansenii et propositionis damnatae: « *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent, vires, impossibilia sunt; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* »

Si ergo Suarez hic de poenitente *in occasione extrinseca* agens, regulam tradit, propositum moraliter non posse judicari efficax, quando poenitens saepe jam admonitus convincitur, quod possit et non faciat: eadem regula, justa distinctione adhibita, etiam ad poenitentem *in occasione intrinseca* applicanda est; prout secundum supra exposita, Suarez reapse eam applicat. Nec ulla ratio liquet, cur de obligatione media praescripta executioni mandandi, aliter judicandum sit quam de obligatione occasionem tollendi. Quemadmodum hic actus ponere potest, quibus occasio removeatur, ita alter actus, quibus remedia praescripta executioni mandentur, et aliquid curae et operis ponere potest, ad emendationem suam inchoandam.

In textu supra allato, Disp. 32. sect. 2. *n. 3.*, Suarez de poenitente in occasione *voluntaria* loquitur; at in subsequenti *num. 4.*, de poenitente in occasione *necessaria*. – P. Ballerini affirmat (cfr. supra, pag. 659.), quod Suarez ibidem nihil aliud doceat, nisi, Confessarium interdum absolutionem differre posse; et sequentia verba citat: « Neque est illi neganda absolutio, etiamsi iterum atque iterum reincidat: maxime si aliquantulum se contineat, et numerum peccatorum paulatim diminuat, ut notavit Navarrus, cap. 3. n. 21. *Interdum* vero differri potest (N. B. *potest*, non autem debet) absolutio. »

At vero cl. Professor textum mutilavit, et quae in eodem contextu immediate sequuntur, suppressit. Sic enim sonat integra *Suarii* propositio: « Oportet tamen aliis mediis uti ad curandum hominem *et probandum, an ejus propositum efficax sit:* neque est illi neganda absolutio, etiamsi iterum atque iterum reincidat: maxime si aliquantulum se contineat, et numerum peccatorum paulatim diminuat: quod notavit Navarrus, c. 3. n. 21. Interdum vero differri potest absolutio, *et major aliqua poenitentia vel cautio adhiberi: quod si tandem experimento constet, haec non sufficere, cogendus erit interdum poenitens ad tollendam occasionem, etiam cum gravi temporali nocumento; semper tamen magna prudentia necessaria est, ut scandalum vitetur.* » – Si igitur poenitens, etiam adhibitis gravioribus remediis ad probandum, an ejus propositum efficax sit, iterum atque iterum relabitur, et ideo experimento constat, majores poenitentias et cautelas non sufficere; Suarez docet, Confessarium non tantum absolutionem poenitenti interdum differre posse, sed differre DEBERE, donec occasionem sustulerit etiam cum gravi nocumento temporali. At non contentus hac textus mutilatione, qua Suarez uti contrarium docens apparet, P. Ballerini non haesitat lectoris animum advertere ad hujus testimonii evidentiam et gravitatem, adjiciendo haec verba: « *N. B. potest, non autem debet.* » Quid dicemus de hac agendi ratione? Praestat nihil dicere: satis quippe diserte ipsum factum loquitur.

15. *Cardinalis de* LUGO, *S. J.*, expressis verbis eamdem regulam generalem statuit pro recidivis saepius admonitis, *sive in occasione extrinseca* constituti sint, *sive secus*. – De Poenit. disp. 14. sect. 10. num. 156. quaestionem proponit: « An, qui saepius absolutus, propter grave detrimentum, quod sequeretur ex remotione occasionis proximae, eodem tamen modo semper relabitur, nec in eo ulla correctio reperitur, cogendus sit subire illud detrimentum et relinquere occasionem illam proximam? » Et sententiam *negativam* in rigore et per se loquendo veriorem videri dicit. Deinde vero *n. 160.*

subjungit: « Dixi tamen, *per se loquendo* videri hanc partem veriorem, licet per accidens, possit altera sententia locum habere : quia aliquando ex illa experientia arguetur, poenitentem carere nunc *vero dolore et proposito requisito; qui enim efficaciter proponit et serio rem aliquam, quam aliunde moraliter implere potest, non ita facile obliviscitur statim sui propositi, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius vel rarius cadit.* Unde in ipsis etiam peccatis *venialibus*, solet aliquando argui imperfectus dolor ex uniformi perseverantia in eisdem sine ulla specie emendationis: in iis tamen facilius potest praesumi propositum validum, quia impossibilitas materiae facere potest, quod, non obstante repetito dolore et proposito, in eadem saepius relabamur; in peccato autem *mortali*, quod cum divina gratia potest non ita difficile vitari, major est praesumptio de imperfectione propositi: *quare ex hoc capite, posset negari vel differri absolutio, ut paulo inferius dicemus de reincidente saepe in eadem peccata mortalia absque ulla emendatione.* » – Lugonis doctrinam uberius infra exponemus (cfr. art. 3.).

II.

Omnes Auctores, quorum testimonia hactenus attulimus, praeter Trullenchum, quem Salmanticenses adducunt, a S. Alphonso et (excepto Joanne de Prado) etiam a cl. Professore citantur. [1] – Videamus nunc de duobus illis, quos solus P. Ballerini (cfr. pag. 659.) allegat, nimirum de *Filliuccio* et *Toleto*.

1. Filliuccium, *Soc. Jesu.*, citat: Tract. 25. cap. 10. de blasphemia et juramento, *q. 10. n. 320.* Sed Filliuccius in primo tantum capite Tractatus 25., de blasphemia agit, nihilque habet de assuetis; in ceteris undecim autem de sola consuetudine jurandi, et ideo etiam Cap. 10. n. 320.; quod insuper patet ex verbis: « *oratio brevis pro singulis juramentis temere prolatis* », quae P. Ballerini in textu allato omisit. – Textus integer sonat: « Remedia sunt frequens confessio, eleemosyna, oratio brevis pro singulis juramentis temere prolatis; si haec non prodessent, utilis esset dilatio absolutionis per aliquot dies, et similia. »

Ratio autem, cur Filliuccius *de sola consuetudine temere jurandi* in particulari agit, et dilationem absolutionis *aliquando utilem*, numquam autem necessariam censet, ea est, quia, contra sententiam communem, dubium esse existimat, an assuetus temere jurare *sub peccato mortali* hanc consuetudinem exstirpare teneatur. Praemisit namque *n. 317.*: « Dixi, non esse peccatum mortale speciale: quia *an sit peccatum*, quando homo videt consummatam esse consuetudinem et advertit gravitatem et periculum ejus, dubium esse potest; sed etiamsi tunc dicatur esse, non tamen postea, quando quis non advertit, de novo peccat: ideo diximus, non esse peccatum speciale. »

At vero T. 1. De Poen. Inst. brevis, Art. 3. *De dispositione necessaria in poenitente*, Filliuccius primo generatim docet, ipsam accusationem peccatorum, praesertim in bene morato, sufficiens signum doloris esse, et si praeterea poenitens dicat, se dolere, Confessarium ipsi tuto credere posse. [2] Et quando non appareret signum sufficiens, explorandum esse dolorem interrogatione aliqua, et poenitentem ad illum impellendum, proposita gravitate peccati ex poenis inferni, expulsione Angelo-

1) De *Laymanno* et *Trullencho* inferius sermonem faciemus (art. 3. et 5. in fine).

2) Secundum sententiam *communissimam*, ut testatur *S. Alphonsus*, n. 459. dicens: « *Ipsa spontanea confessio est signum contritionis, nisi obstet aliqua positiva praesumptio in contrarium; omnes enim conveniunt, quod dolor per confessionem manifestatur* » (cfr. supra, pag. 649.).

rum, et similibus. – Qua regula generali posita, speciatim agit de poenitentibus in occasione proxima constitutis, et demum *de recidivis sine occasione extrinseca,* de quibus dicit: « Cum recidivis, *si semper vere doleant et firmiter proponant,* absolvi possunt; multo magis si adhibeant remedia, et ex fragilitate reincidant: item si diminuant saltem numerum peccatorum, si aliquoties resistant, si consuetudinem interrumpant, aliquando differri posset absolutio, suaviter ad id inducto poenitente. »

Cum ergo Filliuccius conditionem apponat: « *si vere doleant et firmiter proponant* », manifeste non contentus est simplici affirmatione, quam alias pro sufficienti signo doloris habet; sed *alia* veri doloris et firmi propositi *signa* postulat, sive quod poenitens cum lacrymis, suspiriis aut verbis cordialibus affirmet, sive, et quidem multo magis, quod remedia adhibuerit, et nonnisi ex fragilitate reinciderit, vel saltem numerum peccatorum diminuerit, vel aliquoties restiterit. In quantum vero subjungit, *aliquando absolutionem differri posse,* ex contextu evidenter patet, ipsum nonnisi de illis recidivis loqui, *qui hujusmodi signa praebent,* et ideo pro satis dispositis habendi sunt.

2. Toletus, *S. J.,* nonnisi pauca habet de consuetudinariis. – Instr. Sac. lib. 3. cap. 18.: « *De his quae in confessione petenda sunt* », dicit: « Quintum est tempus peccati. Si enim sunt peccata nimia consuetudine inveterata, et praesertim carnalia, debet Confessarius tempus illius peccati petere, et frequentiam considerare et an tempore aliquo ante confessionem abstinuerit. In his enim utile consilium est, cum necessitas non urget, vel periculum non amplius confitendi, differri absolutionem, integra audita confessione, donec appareat emendatio aliqua. » – Cum autem *Toletus* nihil dicat, nec de admonitionibus quae praecesserint, nec de remediis antea praescriptis, et Confessarium solummodo moneat, ut tempus petat atque frequentiam consideret, et an poenitens tempore aliquo ante confessionem abstinuerit; colligi oportet, ipsum de poenitente loqui, qui inveteratam consuetudinem *prima vice* confitetur vel *nunquam admonitus* fuit.

III.

Praeter Auctores modo allegatos, sunt et alii *antiquiores,* quos S. Alphonsus praetermisit, vel expresse docentes, aut saltem certo supponentes, absolutionem aliquando differendam esse consuetudinariis recidivis eodem modo absque ullo conatu relabentibus. Sic

1. S. Bernardus,[1] de conversione peccatorum loquens, tres operationes seu gradus assignat. In primo gradu, peccator operatur dolorem et poenitudinem. In secundo correctionem, qua corpus sanctitati inservire facit, quod iniquitati ante servierat: « Poenitentia enim sine correctione non proderit, sicut Sapiens ait, Eccli. 34.: *Unus aedificans et unus destruens: quid prodest illis nisi labor? Unus orans et unus maledicens: cujus vocem exaudiet Deus? Qui enim baptizatur a mortuo et iterum tangit eum, nihil proficit lavatio ejus;* sed juxta Salvatoris sententiam verendum est, ne ei aliquid deterius contingat. » In tertio demum gradu, peccator operatur *sollicitudinem et indefessam vigilantiam, sine qua correctio diutius haberi non potest.* – Quomodo ergo supponi potest, S. Bernardum tenuisse, consuetudinariis et recidivis ex hoc titulo absolutionem numquam differendam esse, etiamsi *nullam correctionem* operati sint, nec *ullum conatum* emendationis adhibuerint? – Insuper et argumentum positivum

1) In serm. 3. in vig. Nativ.

habemus. In vita ejusdem Doctoris legitur, ipsum consuetudinario in vitio pessimo, ad probandam ejus dispositionem, *ad plures hebdomades* absolutionem distulisse. [1]

2. Idem quoque dicendum est de S. Anselmo, qui *Medit. XV.* ait: «Potest (Dominus) cuicunque vult, hoc ipsum efficaciter dicere, quod dixit paralytico: Dimittuntur tibi peccata tua. Sed quicunque *sine suo labore,* vel contritione, vel confessione *vel etiam oratione* sibi hoc dicendum exspectat: numquam ei peccata remittuntur. » – Et *Orat. VI.:* « Est autem misericors Dominus peccatoribus a suis nequitiis cessantibus, et *per veram poenitentiam veraeque poenitentiae bona opera*, suas malitias mundantibus, et per veram confessionem veraeque confessionis sacrificium sese mactantibus. *Est autem vera poenitentia veraque confessio, et perpetrata mala plangere et plangenda amplius non admittere.* »

3. Similiter B. Albertus Magnus,[2] S. Thomae Magister: « Argumentum *falsae* contritionis habet, qui, quamvis peccata commissa defleat, tamen *continuo post dolorem, eadem vel alia committere non formidat.* »

4. Item S. Vincentius Ferrerius:[3] « *Qui perdit Christum ex peccato, non potest ipsum invenire nisi post triduum, id est post tria opera poenitentialia.* » Primum est cordis contritio, secundum oris confessio, tertium vitae correctio. « *Hoc modo post triduum invenitur Christus in manibus Sacerdotum ad digne communicandum.* »

5. S. Bonaventura [4] dicit: «Primus casus, in quo Sacerdos non potest confitentem absolvere, est: cum quis *non est vere dispositus.* Talis enim nec a Summo Pontifice posset absolvi a peccatis. Quatuor autem modis dicitur et est aliquis non vere contritus, qui notantur de Poenitentia dist. 5., et sunt verba Gregorii.» (Textus allegatur.) « Quintus modus notatur eadem distinctione ex verbis Innocentii II. » – Cujus verba similiter allegat, et pergit: « Ex his duobus capitulis colligitur, quod quinque modis *falsa poenitentia* dicitur: primus est, si confitens ex contemptu, aut sine rationabili causa poenitentias secundum auctoritatem Patrum taxatas subire noluerit; secundus, si officium, de quo vivit, non justificaverit, vel, si sine peccato exerceri non possit, non dimiserit; quartus, si ablata non restituerit; quintus, si in voluntate peccandi permanserit; *sextus addi potest, si de peccatis praeteritis sufficienter non doluerit.* » – At consuetudinarius recidivus, qui eadem peccata eodem modo sine ulla emendatione, et sine ullo conatu commisit, certe de peccatis commissis *sufficienter* non doluit. Et ideo, secundum disertam doctrinam S. Bonaventurae, non potest absolvi, etiamsi affirmet, se vere dolere et proponere; sed absolutio ipsi differenda est, ut *factis* sufficientem dolorem de peccatis commissis probet.

6. *Manifesta poenitentiae signa* jam Alexander IV. anno 1258. commemorat in C. *Super eo* de Haeret. in 6.: « Super eo, quod scriptum legitur: Ecclesia nulli claudit gremium redeunti; quodque ii, qui post abjurationem erroris, vel postquam se proprii Antistitis examinatione purgaverint, si deprehensi fuerint in abjuratam haeresim recidisse, saeculari decernuntur judicio sine ulla penitus auditione relinquendi: cum scripturae hujusmodi videantur sibi invicem adversari, quid tenendum sit, per Sedem edoceri Apostolicam postulastis. Nos itaque inquisitioni vestrae, de Fratrum nostrorum consilio respondemus, quod taliter deprehensis, etiamsi, ut dictum est, sine ulla penitus audientia relinquendi sint judicio saeculari, si ta-

1) Vid. infra, cap. I. §. 3. art. 6., in textu S. Leonardi a Portu Mauritio. — 2) In libro: *Paradisus animae*, cap. 39. — 3) Serm. 1. Dom. infr. oct. Epiph. — 4) Opusc. cui tit. *Confessionale*, cap. 4. *De usu clavium*, particula 1.

men postmodum poeniteant et *poenitentiae signa in eis apparuerint manifesta*, nequaquam sunt humiliter petita Sacramenta Poenitentiae ac Eucharistiae deneganda. »

Sub *signis manifestis*, Summus Pontifex non intelligit affirmationem poenitentis; nam quilibet sane absolutionem petens, graviter et solemniter protestari non omittet, quod vere poeniteat; et haec conditio inutiliter apposita esset. Requirit ergo signum certius, non commune, seu, ut Recentiores dicunt, signum *extraordinarium* tanquam conditionem, sine qua petenti absolutio non est impertienda. [1]

7. Medio aevo exspirante, initio saeculi 16., occurrit S. THOMAS DE VILLANOVA, qui [2] disertis et expressis verbis docet, recidivos sine ulla emendatione non esse absolvendos: « Videant... qui post confessionem statim redeunt ad peccatum suum, quam male securi sunt. Non enim fuit illa vera poenitentia, sed falsa. Unde in Decretis, distinct. de poenitentia, dicitur: *Irrisor est et non poenitens, qui hoc agit quod poenitet, neque videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus.* Vera enim poenitentia est: praeterita mala plangere, et plangenda iterum non committere. Nam, qui ad mala, quae ploraverat, redit, hic agere poenitentiam aut nescit, aut dissimulat. Non quod ad veram poenitentiam requiratur, quod peccator nunquam amplius redeat ad peccatum; sed *requiritur propositum verum et firmum non redeundi. Quod utique non est in illis, qui tam leviter, tam facile, tam cito relabuntur... Et licet in confessione dicant, quod vere proponunt, non credas, quia decipiunt seipsos.* Unde de hujusmodi consulo Confessoribus, ut mittant eos in domos suos; et cum invenerint correctos et emendatos, tunc absolvant. *Melius est enim differre, quam decipere eos.* Pater Augustinus: Poenitentes, quid agitis? quid prodest, quod humiliamini, si non mutamini? »

8. Accedit eodem saeculo 16. *Henricus* HENRIQUEZ, *S. J.*, qui [3] dicit, poenitentem in occasione proxima versantem facilius absolvi posse, si ob notabilem causam excusatur, ne statim eam vitet, « et simul ostendit *majora quaedam signa* poenitentiae et propositi emendandi. » - Deinde subjungit: « Sicut et consuetudo, qua saepius absolutus recadit in mollitiem, cujus occasio expelli non potest, non cogit negare, sed aliquando differre absolutionem, ut firmiori proposito melius disponatur ad gratiam. » - Non cogitur ergo Confessarius ad negandam, utique autem ad *differendam* absolutionem.

9. *Jacobus de* GRAFFIUS scribit: [4] « Confessarius, qui hujusmodi perditos homines *blasphemare solitos* audierit, *si nulla de confessionibus elapsis secuta est emendatio, debet per aliquos dies differre absolutionem, qui si postea emendatos viderit, absolvat, alias minime:* et ratio est, quia, qui saepius in hoc erraverunt et in praeteritis confessionibus non fuerunt correcti, *credi potest, quod nec in futurum jam firmiter proponant vitam suam corrigere; quod idem faciendum in perjuriis, aliisque vitiis carnalibus:* sed si semel, aut bis ceciderint, absolvat. »

10. *Alphonsus* VEGA: [5] « Quamvis *Medina* primum cum Soto dixerat, *assuetis jurare*, qui emendationem sibi proponunt et remedium aliquod petunt, absolutionem non esse negandam, quia hoc peccatum magis in ore quam in corde est: postea tamen docuit, *absolutionem ipsis esse differendam*, illis praesertim, qui prava consuetudine eo usque perve-

1) Praeclarum testimonium de praxi differendae absolutionis Recidivis, saeculo 13. nobis exhibet *Thomas Cantipratanus* (cfr. infra, Cap. I. §. 3. art. 5. punct. V.). — 2) Serm. in Dom. 3. Quadrag. — 3) De poenit. lib. 1. c. 24. n. 4. — 4) Decis. aur. lib. 2. c. 20. n. 14. — 5) Summa, c. 116. cas. 14. (Versio italica ex lingua hispanica, Venetiis 1621.).

nerunt, ut unoquoque verbo temere jurent, imo in ipsa confessione. *Et haec doctrina bona est, et observari debet.* »

Et quoad *blasphemantes* dicit: [1] « Confessarii notare debent: Si ad confessionem venit *blasphemiis assuetus, qui in praeteritis confessionibus emendationem promisit et in praesenti promittit, non est absolvendus, si hucusque non se emendavit; sed absolutionem ipsi differant, ut ab hisce peccatis desistat. Si postea se emendavit, ipsum absolvant, et secus minime;* quia credendum est, quod homo, qui toties idem commisit et in praeteritis confessionibus non se emendavit, in praesenti pariter firmum propositum non habeat. Si vero prima vice confitetur et emendationem promittit, necessarium non est, absolutionem ipsi retinere. Ita docet *Medina* [2]; et *Lopez*, [3] quem sequitur *Rodriguez*, [4] subjungit, id intelligendum esse, etiamsi ista verba inconsiderate proferat, et non proferret, si ad ea adverteret: quia peccat in causa, quae causa prava consuetudo est, quam retinet. Et non est absolvendus, quemadmodum diximus, ut malum istud eradicetur. »

11. Idem tenet Manuel de temere jurantibus, [5] et de blasphemantibus; [6] ut supra testatur Sanchez (cfr. supra, pag. 660. n. 1.).

12. Idem *Petrus de* Ledesma, [7] similiter a Sanchezio allegatus, de blasphemantibus (vid. loco cit.).

13. *Joannes* Corradus: [8] « Videtur quis mortaliter peccare, qui est assuetus *jurare;* hoc dictum, secundum Medinam nostrum et Arragonam super D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 3., limitandum est, videlicet, id verum esse, quando quis jurat indifferenter verum et falsum: sed quando jurat advertenter, ne falsum juret, non est sic damnandus, quamvis male faciat sic frequentando, et Confessarius acerrime reprehendere *debet,* et quandoque pro emendatione differre absolutionem. » - Ergo a fortiori Confessarius absolutionem differre debet, si poenitens indiscriminatim jurat verum et falsum.

Et *q. 15.* Corradus adfert et approbat, quae Medina docet de *blasphemantibus:* « Quod si assuetus fuerit blasphemare, et venerit ad confessionem, *neque per praemissas antea confessiones resipiscit, non est absolvendus a Confessario, etiamsi polliceatur emendam. Relinquendus est per aliquot dies,* ut contra se nitatur, sibique resistat. *Quod si jam emendatus accesserit, absolvatur; alias minime est absolvendus.* »

14. Tanner, *S. J.*, ait: [9] « Quando poenitens cum proposito restituendi, satisfaciendi, vel occasionem proximam vitandi, *semel vel iterum absolutus,* sed post primam monitionem sine ulla justa causa propositum reipsa exequi neglexit, et ideo *more consueto in peccato permansit, ordinarie absolvendus non est,* donec reipsa satisfaciat restituendo alienum, vel removendo proximam peccati occasionem. Ita Antoninus, Cajetanus, Navarrus, Henriquez ex communi. Exemplum est in eo, qui assuetus blasphemiis, nullam curam vel remedium emendationis adhibet, apud Corradum quaestione 15. ex Medina. »

15. Lessius, *S. J.:* [10] « Quaeritur: Quid Confessario agendum cum his, qui in eadem peccata crebro relabuntur? - R. Qui ita crebro relabuntur in eadem peccata, si post tres vel quatuor confessiones certis intervallis factas, non apparet ulla emendatio aut conatus resistendi, *expedit ordinarie* eos remittere sine absolutione, explicato periculo in quo versentur, et *absolutionem ipsis fore noxiam, cum non videantur habere sincerum propositum,* ut conentur resistere et adhibere remedia quae

1) Cap. 34. cas. 4. — 2) In Summa. — 3) P. 1. Instr. consc. c. 25. — 4) T. 1. c. 34. n. 5. — 5) T. 1. Summae, c. 192. n. 11. — 6) Cap. 34. n. 5. — 7) T. 2. Summae, tr. 1. c. 9. — 8) Responsa, q. 25. — 9) De poenit. disp. 6. q. 9. dub. 5. n. 9. — 10) Auctarium, V. *Confessarius*, cas. 7.

praescribuntur. Si non redierint, committat eos Deo, nec se ob id cruciet. »

« Dico: *expedire ordinarie;* quia absolute non est necessarium, si dicant se *valde dolere*, et promittant emendationem. Quod autem saepe cadant ut ante, id infirmitati humanae, quae sane maxima est, adscribendum. Unde etiam Dominus septuagies septies peccatum vult in fratrem ignosci. Fieri etiam potest, ut expediat saepius absolvi, si putetur id eis fore magis salutare. Haec enim est regula, qua Confessarius uti debet circa poenitentem in absolvendo vel remittendo, in magnis vel parvis poenitentiis injungendis, ut, *spectata conditione poenitentis, faciat id quod judicat ei fore magis salutare.* Si dubitet, utatur nunc hoc, nunc illo modo. Saepe haec repulsio est illis saluti, quia sic magis imprimunt animo rei momentum. »

Dilationem absolute necessariam non esse, dicit Lessius, si poenitens dicat, *se valde dolere.* Ex qua conditione colligendum est, quod dilationem utique necessariam judicet, si poenitens consuetas tantum protestationes profert. Quod etiam patet ex praemissis: « *absolutionem ipsis fore noxiam, cum non videantur habere sincerum propositum.* »

IV.

1. Omnes Auctores, quos hucusque allegavimus, aut media aetate, aut saeculo 16. et ineunte saeculo 17. scripserunt; quinque tantum versus medium 17. saeculi; nimirum Trullenchus (1630), Palaus (1632), Lugo (1633), Hurtadus et Prado.

2. Confessarium recidivis sine ulla emendatione revertentibus aliquando absolutionem differre debere, *usque ad prima saeculi 16. decennia,* sententia non tantum communis, sed communissima fuit. *Pauci* enim tenuerunt, id *nonnisi salubre consilium* esse, et quidem, quod bene notandum est, *de sola consuetudine temere jurandi.* Quibus tamen *Suarez* non est accensendus, ut jam supra probavimus (pag. 667. n. 14.). [1]

3. *Saeculo 17.* aliqui Auctores docuerunt, Confessarium numquam cogi ad differendam absolutionem quibuscumque recidivis, sed tantum *aliquando de consilio* esse. Imo *Joannes Sancius* eo usque progressus est, ut contenderet, Confessarium absolutionem toties quoties recidivis quibuscumque impertiri debere, dummodo affirment, quod vere emendationem sibi proponant.

4. *Recentiores* autem, qui post propositionem 60. ab Innocentio XI. anno 1679. damnatam scripserunt, *communissime* docent, Confessarium absolutionem *differre teneri* recidivis, sine ulla emendatione ullove emendationis conatu saepius revertentibus. *Communissime* enim censent, oppositam sententiam post damnationem praedictae propositionis sustineri non posse.

5. Recte igitur *S. Alphonsus* eamdem sententiam, quam tertio loco ponit, *communem* vocat, et non nimium, sed potius justo minus dicit; nam haec sententia citra omnem du-

1) Quoad istam vero consuetudinem, omnibus Auctoribus citatis, mitiorem se praebet S. Alphonsus, dicens Lib. III. n. 150.: « Imo notandum, quod *communiter rustici non apprehendunt gravitatem perjurii*, dum se confitentes de juramentis, parum vel minime » distinguunt juramenta vera a falsis; *et hoc ex praxi in missionibus jam dudum intellexi.* Quare pro iis, qui consuetudinem taliter ad pejerandum habent, Confessarios potius » censeo abstinendos esse *ab instruendis his talibus de peccato gravi, quod revera est* » *in perjurio:* ne peccata materialia in iis, ob malum habitum, quem habent, formalia » evadant; ex regula generali... Bene tamen tales consuetudinarii sunt *fortiter monendi,* » ut deinceps desinant falsum jurare. Ceterum, non semper expedit monere hujusmodi rudem poenitentem de gravitate perjurii, si monitio praevideatur non de facili profutura. » — At vero non tantum rudes, sed etiam permulti cultiores certas protestationes, seu asseverandi formulas, quae vera juramenta sunt, pro juramentis non habent, dummodo non solemniter aut expressis verbis jurent, aut Deum in testem invocent.

*

bitationem *communissima* est, tam numerice, quam spectato auctoritatum pondere.

Hisce praemissis, doctrinam S. Alphonsi ab impugnationibus cl. Professoris vindicabimus.

Articulus 2.

Falsum est, doctrinam S. Alphonsi totam niti Auctoritatibus incaute ex Salmanticensibus desumptis.

In Adnotatione superius (pag. 658. art. 1.) allata, cl. Ballerinius contendit, S. Alphonsum citationes suas ex *Salmanticensibus* sumpsisse, et propter *oculorum aut memoriae lapsum* non advertisse, Auctores illos pro alia sententia citari, ita ut eorum doctrina *toto coelo* a sententia S. Doctoris distet. - Hanc ultimam assertionem falsam esse, jam in praecedenti Articulo demonstravimus; videamus nunc, an S. Alphonsus praefatas Auctoritates incaute ex Salmanticensibus exscripserit.

Prae caeteris juvat integrum referre textum Salmanticensium. - Tr. 17. de voto ac juramento, cap. 2. punct. 9. §. 3. *n. 167.* haec scribunt: « Tertia difficultas est, an *habenti consuetudinem pejerandi vel blasphemandi,* nihil apponenti curae ad emendam, cum admonitus saepe fuerit in aliis confessionibus, possit et debeat Confessarius denegare beneficium absolutionis, si accedat cum dolore de praeteritis, et in posterum emendam firmiter proponat? - Certum est hac parte, quod si talis admonitus non est in aliis confessionibus, illi deneganda non est absolutio, si probabiliter credatur cum vero dolore accedere; quia per talem dolorem interrumpitur illa consuetudo, et non est praesumendum, quod si modo corrigatur, de emendatione non curet. Similiter deneganda non est illi, qui jam admonitus aliquam adhibuit curam ad emendam; quia cum non possit statim hujusmodi consuetudo evelli, est praesumendum accedere cum vero dolore, qui aliquam adhibet diligentiam pro consuetudine extirpanda. - Quare quaestio est de eo, qui saepius admonitus, in eodem semper statu permaneret, nihil ex parte sua curae apponendo, ut ad meliorem frugem redeat. *Tres* dantur *sententiae* in hac difficultate, et *omnes satis probabiles.* »

« *N. 168. Prima* asserit, quod *licet salubre sit consilium differre absolutionem, quando creditur profutura talis dilatio,* ut vel sic confessione suffusus resipiscat, et curet pravam illam extirpare consuetudinem; *at si poenitens cum dolore et proposito firmo accedat* (in quo Confessarius illi credere debet, sicut in aliis, inquit haec sententia), *potest illum absolvere, etsi hactenus non curaverit, per plures vices admonitus, emendari:* quia talis nullam habet extrinsecam occasionem, a qua impellatur, quam auferre sit in ejus potestate, sed ex fragilitate cadit in hoc sicut in alia peccata; ergo si cum dolore et proposito accedat, absolvi poterit. - Sic *Sanchez,* [1] *Palaus,* [2] *Bonacina,* [3] *Sayrus,* [4] *Suarez,* [5] *Leander,* [6] *Thomas Hurtado,* [7] qui male citatur pro aliis sententiis. »

« *N. 169. Secunda* sententia dicit, quod *non solum non tenetur Confessarius differre absolutionem, sed neque id posset, si cum dolore et proposito dicto accedat peccator:* in quo poenitenti credere debet, nisi ex aliqua circumstantia eum non habere verum dolorem dijudicet, et ob id differre absolutionem utile arbitretur. Tum, quia quando poenitens est dignus absolutione, tenetur Confessarius eum absolvere; sed qui cum dolore de praeteritis, et proposito emendae in futurum accedit, dignus est absolutione: ergo, etc. Tum et-

1) Lib. 2. c. 32. n. 45. et lib. 3. c. 5. n. 18. — 2) Tr. 13. de juram. disp. 1. punct. 9. n. 3. — 3) Tom. 2. disp. 4. q. 1. de juram. punct. 13. fin. — 4) Lib. 5. Thesaur. c. 5. n. 8. — 5) T. 2. de relig. lib. 3. de juram. c. 8. fin. — 6) Tom. 2. decal. tr. 1. disp. 8. q. 11. — 7) Tr. 1. c. 6. res. 21. n. 306.

iam, quia poenitens nonnisi sub spe absolutionis est confessus; ergo illi fit gravis injuria, nisi absolvatur. Tum denique, quia illa consuetudo est intrinseca, inseparabilis et involuntaria: quocumque enim homo pergat, semper seipsum, et suam consuetudinem quasi in naturam versam, affert; ergo si de praeteritis doleat, et concipiat propositum de futuro, nihil aliud est in manu sua; ergo semper est ei absolutio impertienda. – Sic *Henriquez*, [1] *Sylvester*, [2] *Tanner*, [3] *Moure*, [4] *N. Antonius a Spiritu S.*, Lusitanus,[5] *Joan. Sanctius* [6] qui addit: « In hac re caveat Confessarius, ne absolutionem, quam inculpate poterat impendere, cum damno vel probabili periculo poenitentis neget: sive quia is valde animo dejiciatur, sive quia ad confessionem redire non audebit; itaque communiter non faciet hoc, sine ipsius poenitentis consensu. »

« *N. 170. Tertia* nihilominus sententia, *quam probabiliorem judicamus*, dicit: *non solum ex consilio posse Confessarium differre absolutionem in casu quaestionis, sed ad id teneri: nisi ex circumstantiis occurrentibus, verum esse dolorem et firmum propositum poenitentis adjudicet, quia scilicet illum videt nimis compunctum et contritum, lacrymis suffusum, et alia specialia signa doloris exhibentem; nec in hoc credendum est ipsi poenitenti,* quando nec ipse sibimet credere valet, qui toties proposuisse videt, totiesque iterum ad vomitum rediisse: quod signum est manifestum, absque vero dolore et proposito accedere. Nam ut D. Isidorus [7] ait: *Inanis est poenitentia, quam sequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum sanatur tardius. Frequenter peccans, et lugens, vix veniam meretur. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nihil valet veniam de malis poscere, et mala denuo iterare.* – Ratio hujus sententiae est, quia, esto, aliquando possit contingere, ut habens talem consuetudinem, efficaciter doleat et firmiter proponat, *regulariter oppositum contingit,* quando qui ter admoniti a Confessario, consuetudinem non interrumpunt, qui nec vere poenitent, nec efficaciter proponunt. Cum ergo debeamus prudenter judicare ex his, quae regulariter contingunt, *non solum erit salubre consilium differre absolutionem, sed ad id tenebitur Confessarius.* Sic *Bartholomaeus de Medina,* [8] *Prado,* [9] *Ludovicus Lopez,* [10] *Trullenchus,* [11] *Azorius,* [12] *Rodriguez* [13]: nisi ex denegata absolutione *scandalum* aliquod sequatur, aut aliud *extrinsecum inconveniens.* – (N. B.) [14] *Ex his tribus sententiis, quarum tertiam judicavit Auctor probabiliorem,* post Decretum vero Innocentii XI. *ipsam ut omnino sequendam stabiliret, alias duas reprobando,* obtemperando Pontificio decreto, quo Supremus Pastor illam probat, et contrarias repellit, quod fecit damnando prop. 60. quae erat tenoris sequentis: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae, licet emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio: dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.* »

Ex hisce textibus sequentia patent:

I. *Salmanticenses* de sola consuetudine *pejerandi vel blasphemandi*

1) Lib. 6. de poenit. c. 25. n. 5. et 6. — 2) V. *Confessor*, n. 12. — 3) Disp. 6. de poenit. q. 9. dub. 5. n. 13.— 4) In Summ. 3. p. c. 6. §. 9. n. 25.— 5) In direct. Confessor. tr. 5. disp. 3. sect. 10. n. 132. — 6) In Select. disp. 9. a n. 11. — 7) Relatus in C. *Inanis*, de poenit. d. 4.— 8) Lib. 1. Summ. c. 14. §. 1. et 4. — 9) Cap. 32. q. 8. n. 22. — 10) 1. P. instruct. c. 25. col. penult. — 11) Lib. 2. c. 1. dub. 20. num. 10. — 12) Tom. 2. lib. 11. c. 34. q. 4. — 13) Tom. 1. Summ. c. 192. n. 11. in 2. edit.

14) Quae sequuntur, in tertia et in omnibus posterioribus editionibus revisis et ampliatis leguntur, quas similiter Patres Carmelitae Collegii Salmanticensis curaverunt, et signanter in Venetis de annis 1714. 1728. 1750. et 1764.

disserunt; et pro TERTIA sententia, Confessarium aliquando hujusmodi consuetudinariis recidivis absolutionem differre teneri, *sex* tantum Auctores citant, nimirum Medinam, Pradó, Lopez, Trullenchum, Azorium et Rodriquez. – *S. Alphonsus* vero *de consuetudinariis et recidivis in genere* tractat; et pro tertia sententia, praeter S. Carolum Borromaeum, adducit: Sanchez, Palaum, Bonacinam, Lugo, Petrocorensem, Sporer, Azorium, Viva, Laymann, Holzmann, Anacletum, Milante, Wigandt, et demum Salmanticenses cum Suarez, Sayro, Hurtado, Prado, Rodriquez, Lopez, etc. Quibus n. 460., ubi de signis extraordinariis agit, alios adhuc addit, ut Busembaum, Ven. Paulum Segneri, Lohner, Lacroix, Tamburini, Gobat, Renzi.

II. *Salmanticenses* pro PRIMA sententia citant Sanchez, Palaum, Bonacinam, Sayrum, Suarez et Hurtadum; sed *minus recte*, ut ex textibus supra allatis constat. – Mira res! P. Ballerini saepissime Salmanticensibus *fallaces allegationes* exprobrat, imo oscitantiae et negligentiae[1] ipsos incusat; sed fere semper immerito. Hic autem, ubi Salmanticenses reapse errant, non tantum eos non reprehendit, sed potius errorem acceptat et sibi accommodat.

Praeter istos sex Auctores, Salmanticenses etiam *Leandrum de SS. Sacramento* allegant, sed hunc quoque minus recte. – *Leander*, Quaest. mor. theol. (Lugduni 1664.) l. c. quaestionem proponit: « An neganda sit absolutio iis, qui habent consuetudinem jurandi? » et respondet: « Negandam esse, quando non habeant firmum et efficax propositum talis consuetudinis corrigendae, sicut contingit in aliis peccatis mortalibus: secus alias, si tale propositum habeant. Circa quod credendum est ipsi poenitenti, sicut in aliis, quae pro se et contra se dicit. »

Verumtamen pro uberiore explicatione, *Leander* lectorem delegat ad P. 1. tr. 5. de Sacr. Poen. Disp. 7., ubi de consuetudinariis in genere agit. – Ibidem *n. 49.* quaestionem ponit: « An poenitens, qui saepius absolutus relabitur in perjurium, mollitiem aut alia peccata, quorum occasionem nullo modo aut vix expellere quit, possit absolvi, non obstante consuetudine praeterita? » Et sententia negante allata, dicit: « Sed probabilius respondeo: *posse, si Sacerdos hic et nunc judicat, poenitentem habere verum dolorem et propositum non peccandi.* Quia dispositio sufficiens ad recipiendum Sacramentum solum est dolor et propositum praesens, non emendatio futura; ergo optime poterit absolvi, etiamsi judicetur relapsurus. Secus dicendum erit, si Sacerdos hic et nunc, attenta consuetudine peccandi, judicet poenitentem non habere verum dolorem et propositum, *quantumcunque poenitens dicat se dolere;* quia si Sacerdos id non credit, non habet sufficiens requisitum ad conferendam absolutionem. Sic Henriquez, Suarez, Reginaldus et Sanchez, quos citat et sequitur Granadus, Lugo,[2] Azorius,[3] ubi ait: « Homo, qui pravam habet consuetudinem jurandi, si ter quaterve ac saepius admonitus, nihil in ea re studii et operae posuerit, etsi absolutio simpliciter neganda non est, videtur tamen ad tempus differenda, ut operae aliquid interim in id conferat. »

III. Insuper etiam Auctores pro SECUNDA sententia *a Salmanticensibus minus recte allegantur.*

1. Citant *Antonium Fernandez de Moure.*[4] Sed Fernandez hoc loco nihil habet, nec de consuetudine jurandi vel blasphemandi, nec de alia; et quae dicit, S. Alphonsus atque omnes dicunt, et nemo negat. Quaestionem ponit: « Teneturne Confessor absol-

1) Vid. infra, Part. VII. Quaest. II. — 2) Disp. 14. n. 166. — 3) Tom. 1. lib. 11. c. 3. q. 4. — 4) Summa, P. 3. c. 6. §. 9. n. 25.

vere poenitentem, quem judicat esse dispositum et dignum absolutione?» et respondet: « Dico primum. *Confessarius absolvens reum, quem judicat impoenitentem et indignum absolutione, sacrilegium committit.* Ita Soto, Corduba, cum communi. Ratio est; quia in re sacra indignissimum actum exercet. - Dico secundum. *Quando poenitens est dignus absolutione, Confessor tenetur poenitentem absolvere.* Ita communiter Doctores. Ratio sumitur, tum ex ratione ministerii, quo Confessor tenetur integrum facere Sacramentum; tum ex ratione justitiae, quia judex, licet arbiter, tenetur ferre sententiam circa reum, quem judicandum suscipit, alioquin gravem illi irrogabit injuriam, si innocentem non absolvat. »

Alibi vero [1] idem Fernandez quaestionem ponit: « Estne conferendum Sacramentum Poenitentiae ei, qui contra judicium Confessarii existimat, se esse dispositum et capacem absolutionis? » et respondet: « Cum inter poenitentem et Confessarium est diversitas opinionum, et *Confessor dubitat, an practice hic et nunc absolutione dignus sit, nullatenus illum absoluturus est.* » - Nequaquam ergo Fernandez tenet, Confessarium poenitenti affirmanti, se verum dolorem et propositum habere, semper credere debere et ipsum absolvere teneri.

2. Porro, pro eadem secunda sententia Salmanticenses citant *Tannerum* [2] et *Henriquez.* [3] Sed isti locis citatis similiter nihil habent, quod ad rem faciat. - *Tanner* l. c. dicit: « Tenetur Confessarius post auditam confessionem quemlibet absolvere, quem potest valide et licite absolvere. Ita ex communi Henriquez. Ratio est: quia alioquin gravis fieret injuria poenitenti, qui nonnisi sub spe absolutionis est confessus. Est autem recte dispositus, qui difficilem casum proponens, quem ob temporis angustias non licet discernere Confessario, paratus est Confessarii vel alterius sapientis, quem Confessarius nominavit, judicio stare et parere; qui proinde, confessione audita, omnino absolvendus est; ut recte docent Sylvester, Navarrus et Henriquez, cit. cap. 25. n. 5. » - Et idem hoc loco dicit *Henriquez.*

At vero superius alia loca allegavimus, ubi *Tanner* de consuetudine blasphemandi, et *Henriquez* de mollitie docent, Confessarium saepius sine ulla emendatione recidentibus absolutionem aliquando differre debere. - Ex quibus patet, utrumque nequaquam secundam et nequidem primam, sed tertiam sententiam profiteri.

3. Item *Sylvestrum* [4] citant; sed quo jure, nullo modo intelligimus. - Sylvester loco citato quaestionem proponit et pertractat: « Utrum Confessor absolvere possit a peccato excommunicatum, quem absolvere non potest ab excommunicatione? » Et neque hic, neque alio loco vel titulo, quidpiam habet de consuetudine blasphemandi aut jurandi, aliave prava consuetudine quacunque, vel de absolutione consuetudinariis recidivis impertienda aut differenda. Nec mirum; nam Sylvester initio saeculi 16. scripsit, quo tempore haec quaestio nondum a Theologis proposita et discussa fuit.

4. Porro *Antonium de Spiritu Sancto* [5] citant, qui hoc loco duplicem occasionem et consuetudinem distinguit, aliam proximam, aliam remotam: « Consuetudo *remota* est, quae fundatur in mala inclinatione et rebellione contra rationem, quae relinquitur ex pravis actibus, mediis quibus generati sunt habitus vitiosi, qui manent etiam in justificatis, inclinantes ad objectum delectabile contra rationem, vincitur tamen ut plurimum gratia Dei. Consuetudo

1) Cit. Cap. VI. §. 10. n. 4. — 2) Lib. 6. de poenit. disp. 6. q. 9. dub. 5. n. 13. — 3) De poenit. c. 25. n. 5. — 4) Verb. *Confessor*, III. n. 12. — 5) Director. Conf. (Lugduni 1668.), de Sacr. Poenit. tr. 5. disp. 3. sect. 10.

vero *proxima* est, ex qua absque resistentia oriuntur prolapsus peccaminosi. »

Praemissa hac distinctione, *n. 131.* primo dicit, absolvendum esse, qui in *remota* occasione vel consuetudine versatur; et *n. 132.*, quem numerum Salmanticenses citant, sic pergit: « Dico secundo: Propositum formale seu virtuale, per se loquendo, stare potest cum consuetudine proxima peccandi; unde absolutio non est neganda habenti talem consuetudinem, si alias poenitens cum vero dolore et efficaci proposito ad confessionem accedat. Ita cum Joanne Sancio, Hurtado [1]; nisi alias ex alio capite judicet poenitentem non habere verum dolorem, vel indigere, ut illi differatur absolutio, ut illud firmius concipiat. Ita cum Sanchez et aliis communiter, Lugo. Et ratio est, quia illa consuetudo est intrinseca, inseparabilis et involuntaria; quocunque enim homo pergat, secum defert suam carnem, nec a seipso recedere valet; ergo si de praeteritis doleat et concipiat propositum de futuro, nihil aliud est in manu sua; ergo propositum non se extendit ad vitandas hujusmodi consuetudines, quia illas vitare homini non est liberum, cum non sit in manu sua statim auferre impulsum illum et propensionem, quam habet ad peccatum, in quo consistit consuetudo proxima peccandi. »

Nihil aliud ergo hic dicit P. Antonius, nisi *consuetudinem, per se loquendo,* non esse rationem, quae Confessarium ad negandam absolutionem cogat; quia poenitens obligari non potest ad *vitandam* consuetudinem, i. e. ad eam subito abscindendam eo modo, quo occasionem extrinsecam: quippe quod non in ejus manu sit, statim auferre impulsum et propensionem, quam habet ad peccatum. Sed haec omnia verissima sunt, in quibus S. Alphonsus et ceteri omnes conveniunt.

5. Ideoque ex omnibus Auctoribus, quos Salmanticenses pro *secunda* sententia citant, solus remanet *Joannes Sancius,* qui in veritate eam profitetur. – *S. Alphonsus,* n. 459. (cfr. pag. 649.) eosdem quidem Auctores ex Salmanticensibus allegat, dicens: « *Prima sententia, quam tenent Sylvester, Henriquez, Tanner, Sancius, etc. apud Salmanticenses...*» Subjungit autem, hanc sententiam *falsam* esse; et idcirco necessarium non duxit amplius inquirere, utrum isti Auctores bene citentur.

IV. Recte igitur *Sanchez, Palaus, Bonacina, Sayrus, Suarez* et *Hurtadus* a S. Alphonso pro *tertia* sententia allegantur, et falso a Salmanticensibus pro illa, quam *n. 168.*, primo loco ponunt. – Nihilominus P. Ballerinius istas allegationes *oculorum aut memoriae lapsui* eo tribuit, quod ipsemet S. Doctor numerum 168. citet. Quod quidem verum est; sed cl. Professor reticet, S. Alphonsum non solum num. 168. sed etiam alterum *num. 170.* citare. In omnibus editionibus, quas S. Doctor ipse curavit, et quae ipso vivente apparuerunt, uterque numerus legitur. [2] Ratio autem, cur num. 168. adjecit, manifesta est. Noluit longe lateque exponere, plures Auctores, quos modo pro tertia sententia allegaverat, falso a Salmanticensibus pro alia allegari; et ideo brevitati, ut solet, prospiciens, simpliciter num. 168. apposuit. Ex consulto eadem loca, quae apud Salmanticenses habentur, citavit, ut indicaret, jam ex hisce locis satis apparere, praedictos Auctores tertiam sententiam profiteri, non autem illam, quam Salmanticenses ipsis tribuunt.

1) Tr. 1. c. 1. num. 6.

2) *Uterque numerus* legitur etiam in recentioribus editionibus, ut in *Modoetiana* (1828.), *Taurinensi* (1829.), *Vesuntina et Insulana* (1832.), etc. — In editione *Mechliniensi* (1845.) autem, quam secutae sunt *Ratisbonensis* (1846.) et alia *Taurinensis* (1847.) quas omnes probe noscit P. Ballerini, unus quidem numerus legitur; hic autem est *n. 170.* et non 168.

Ceterum S. Doctor non tantum istos 6, sed 28 Auctores citat, et addit: ETC.; unde jam hac sola ratione inconcinnum est (ne plura dicamus), simplici numero insistere, quasi in materia tanti momenti sententia S. Alphonsi aliud fundamentum non haberet, quam *lapsum oculorum aut memoriae.*

ARTICULUS 3.

Falsum est, paucos tantum DD. mentionem injicere Signi extraordinarii, etc. — Interim perpenduntur Auctoritates Lug., Laym. et Salm. a cl. Ballerinio objectae.

Contra doctrinam S. Alphonsi de requisitis Signis extraordinariis, cl. BALLERINIUS adnotationem suam pag. 540. [1] sic prosequitur: « 3°. Si » qui *pauci* sunt, qui mentionem injiciant *extraordinarii signi* dispositionis, hoc non exigunt ceu *conditionem sine qua* absolvere Confessarius non possit; sed, vel mere dicunt, illud quoque ad dignoscendam dispositionem deservire, ut » *Lugo* (De poenit. disp. 14. n. 166.), vel memorant tamquam casum, in quo (*contra ac senserit* S. Alph., n. 463. 464.) non differenda est absolutio, uti *Laymann* (De poenit. cap. 5. n. 10.). – *Unos itaque reperies Salmanticenses, qui* (Tract. 17. cap. 2. n. 170.) *ceu probabilius tradunt, quod tunc non solum salubre erit consilium differre absolutionem, sed ad id tenebitur Confessarius.* Verumtamen horum quoque sententia ab opinione S. Alphonsi recedit. Nam primo quidem isti *(ibid. n. 167.) probabiles* censent et alias sententias, quarum prima *(ibid. n. 168.)* contra S. Alphonsi sententiam docet, absolutionem conferri posse, licet aliquando ex consilio salubre esse queat eam differre. Deinde obligationem illam differendi absolutionem *(ibid. n. 170.)* limitant, *nisi ex denegata absolutione scandalum aliquod sequatur, aut aliud extrinsecum inconveniens;* qua limitatione tantum non subvertunt S. Alphonsi thesim, cum eo ipso concedant, absolutionem per se loquendo posse conferri. Denique *(ibid. n. 168.)* ipsi disserunt *de eo, qui saepius admonitus, in eodem semper statu permanet,* etc.; unde et ipsi sunt iis accensendi, quorum sententiae S. Alphonsus dicit (ut nuper vidimus), *se numquam acquiescere potuisse.* »

Incredibili et in controversiis theologicis inaudita audacia asseverat cl. Professor: « UNOS *reperies* SALMANTICENSES, *qui ceu probabilius tradunt, quod tunc non solum salubre erit consilium differre absolutionem, sed ad id tenebitur Confessarius.* » Hanc assertionem audet Vir doctissimus, in omnibus Moralistis versatissimus. Hanc audet, non de uno alterove Auctore loquens, quorum testimonia aliam forte interpretationem admittunt; sed de permultis, qui maxima ex parte adeo clare et evidenter affirmant, Confessarium absolutionem differre *debere,* ut ne umbra quidem rationabilis dubitationis hac de re subsistere queat. Hanc audet simul protestans, se nihil aliud intendere nisi « *ut sua historiae et veritati jura serventur.* » Judicent alii! Sed et falsa sunt, quae hic in medium profert.

I. « *Si qui* PAUCI *sunt* (ait cl. Professor), *qui mentionem injiciant extraordinarii signi dispositionis.* ». – Verum, e contrario *pauci* sunt, qui hanc mentionem *non* injiciant.

1. Nequidem in Antiquioribus haec mentio desideratur. Etenim generice de *magno dolore,* ut Medina, Lopez et Rodriquez, [2] vel de *vehementissima poenitentia,* ut Trullenchus, [3] vel de *majoribus quibusdam signis*

1) In altera edit. pag. 434.— 2) Vid. infra, pag. 686. n. 2. 3. 4.— 3) Cfr. supra, pag. 662. n. 4.

poenitentiae et propositi emendandi, ut Henriquez,[1] vel de *signis certis et manifestis doloris et detestationis,* ut Azorius[2] et Sayrus,[3] vel, ut Sanchez,[4] de conditione loquuntur, quod poenitens *vere doleat* de praeteritis ac in posterum emendam *firmiter proponat,* ut absolvi possit. Quibus locutionibus aperte exigunt, ut poenitens, praeter ordinarias et consuetas affirmationes, alio modo dispositionem suam manifestet.

2. Aliqui hujusmodi signa non commemorant, verumtamen *absolute et indistincte* docent, Recidivos, qui *idem peccatum bis vel ter sine emendatione confessi fuerint, non esse absolvendos:* ut Medina, Lopez, Rodriquez,[5] Corradus,[6] Vega,[7] de blasphemis; Jacobus de Graffiis,[8] de recidivis in genere: qui ideo omnes rigidiores sunt S. Alphonso docente, quemlibet recidivum signa extraordinaria afferentem absolvi posse.

3. Sed jam anno 1615. *Reginaldus,*[9] anno 1622. *Filliuccius,*[10] et anno 1625. *Laymann,*[11] aliqua *signa extraordinaria* specifice enumeraverunt[12]; et inter Recentiores vix ullus reperietur Theologus de hac materia fusius tractans, qui non distincte aliqua hujusmodi signa exponeret.

II. Si qui *pauci* sunt, qui mentionem injiciant *extraordinarii signi* dispositionis, contendit insuper P. Ballerini: « hoc non exigunt ceu *conditionem, sine qua* absolvere Confessarius non possit, sed vel mere dicunt, illud *quoque* ad dignoscendam dispositionem conferre, ut *Lugo;* vel memorant tanquam casum, in quo *(contra ac senserit S. Alph. n. 463. 464.)* non differenda est absolutio, uti *Laymann.* » — Falsam esse hanc assertionem de ceteris non paucis, sed permultis, ex praecedentibus patet. Cum autem cl. Professor *Card. de Lugo* et *Paulum Laymann* veluti typos caeterorum speciatim alleget, interim de his duobus agendum est.

1. Si *Lugo, S. J.,* nihil aliud dicere intendisset, nisi signa extraordinaria *quoque* ad dignoscendam dispositionem deservire, supervacue propositionem enuntiasset, cujus veritatem nemo sana mente praeditus in dubium revocare potest. Sed ab inepta hac propositione clarissimus Cardinalis longe abest.

Disp. 14. sect. 10. *An et quomodo neganda sit absolutio ob defectum propositi?* N. 148. dicit: « Ad complementum hujus disputationis, in qua agimus de necessitate doloris et

1) Pag. 673. n. 8. — 2) Pag. 662. n. 3. — 3) Pag. 664. n. 6. — 4) Pag. 660. n. 1. — 5) Vid. infra, pag. 686. n. 2. 3. 4. — 6) Cfr. supra, pag. 674. n. 13. — 7) Pag. 673. n. 10. — 8) Ibid. n. 9. — 9) Pag. 665. n. 7. — 10) Pag. 670. n. 1. — 11) Pag. 665. n. 8.

12) Ex dictis patet, recentiores Theologos et speciatim S. Alphonsum minime *novam* excogitasse *Theoriam signorum extraordinariorum;* nec ullatenus isti censurandi sunt, quod usi sint voce: *extraordinaria,* ab antiquioribus non usurpata. Scitissime enim advertit doctissimus Pontifex *Benedictus XIV.* in opere: *De serv. Dei Beatif.* lib. 2. c. 26. n. 6. et 7.: « Nec nova nec damnabilis, sed *laude digna habenda est doctrina, quae, licet aliquid nove dicat, nova tamen non docet;* teste *S. Vincentio Lirinensi,* in Commonitor. cap. 27. ubi sic loquitur: *Intelligatur, te exponente, illustrius, quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum veneratur; eadem tamen quae didicisti, doce, et cum dicas nove, non dicas nova...* — Non poterit doctrina uti nova qualificari, cum aliqua *vox nova* usurpatur, non ut *res nova* significetur, sed ut facilius mysteria nostrae fidei exponantur et haereses contrariae refellantur, testimonio *S. Augustini,* lib. de gratia Christi: *Cum aliquid propter novas opiniones emergentes efficaciter exprimendum, et accurate ab aliis distinguendum est, rem veterem novo articulo insignire nihil vetat...* Pro hac assumptione plura alia praesto essent, et signanter exempla deducta ex vocibus: *Purgatorium, Trinitas Personarum, Incarnatio, Transubstantiatio;* quae, etsi in sacris Litteris non habentur, laudabiliter tamen inventae sunt, et hodie passim usurpantur, ut clarae veritates in Scriptura revelatae exponantur. Addi possent aliae voces, quae a Theologis adhibentur, puta: *Physica praedeterminatio, Scientia media...* » — Quae autem egregie disserit Benedictus XIV. de rebus ad fidem spectantibus, aequo jure praedicari debent de doctrina ac disciplina morali, speciatim de doctrina S. Alphonsi, in qua nihil censura dignum repertum fuit.

propositi, pertinet hoc dubium practicum de absolutione neganda vel differenda, ob defectum propositi efficacis: qui defectus colligitur, vel ex eo, quod nolit homo restituere, vel facere id, ad quod tenetur, in quo casu est clarus defectus propositi; vel ex eo, quod nolit relinquere occasionem proximam peccati: in quo casu est major difficultas; vel ex eo, quod *post alias confessiones et repetitum propositum non emendatur, sed eodem modo relabitur.* Nunc dicamus de occasione proxima; postea de relapsu. » – Cum igitur Lugo dicit, defectum propositi efficacis nonnumquam ex eo colligi, quod poenitens « post alias confessiones et repetitum propositum non emendatur, sed eodem modo relabitur »: necessario sequitur, Confessarium hujusmodi poenitentibus *absolutionem differre non tantum posse, sed debere.*

Postquam autem n. 149-165. de occasione proxima tractavit, idem *Lugo* n. 166. sic pergit: « Restat ergo nunc, ut dicamus aliquid de illo ultimo puncto, seu ultimo capite cognoscendi defectum propositi efficacis, nempe *ex frequenti reincidentia in eadem peccata post multas confessiones, absque ulla emendatione:* in quo puncto, doctrina communis et vera est, si Sacerdos hic et nunc, non obstante consuetudine praeterita, judicet, poenitentem habere verum dolorem et propositum non peccandi, posse eum absolvere; quia dispositio sufficiens est dolor et propositum praesens, non emendatio futura, atque ita poterit absolvi, licet judicetur relapsurus. Secundo *certum est,* quando Sacerdos, attenta consuetudine praeterita et propensione, aliisque circumstantiis, judicat, *poenitentem non averti sufficienter ab illo peccato, non posse eum absolvere, quantumcumque poenitens dicat se dolere;* quia si Sacerdos id non credit, non habet judicium requisitum ad conferendam absolutionem. Tertio, *ad judicium ferendum de dispositione praesenti,* deservit, si *peculiaria signa* doloris ostendit; item, si jam adhibuit *curam aliquam* ad consuetudinem extirpandam. Si numquam admonitus fuit de mediis adhibendis ad tollendam consuetudinem: nunc autem admonitus, *libenter ea suscipit,* et proponit adhibere ea media. Denique aliquando utile erit differre absolutionem per aliquot dies, ut *appareat correctio* et observatio propositi. » – Et hanc ultimam quaestionem, an Confessarius possit, et an expediat, *etiam poenitenti satis disposito* aliquando absolutionem differre, deinde num. 167-173. diffuse pertractat. (Vid. infra, Cap. II. §. 1. art. 4.).

Dicit ergo *Lugo* in cit. n. 166..... « *poenitentem non posse absolvere.*» Cumque in fine addit, *aliquando* denique *utile* esse absolutionem differre, et de hac propositione speciatim agit: evidenter in praecedentibus, non de dilatione *utili,* sed de *necessaria* loquitur.

2. *Laymann, S. J.,* in textu superius allato, [1] docet absolutionem differendam esse, « si poenitens post duas aut tres confessiones, eamdem peccati speciem eodem vel majore numero afferat, et nullus emendationis conatus antecessisse videatur. » Et subjungit: « Id vero limitari debet, nisi poenitens in praesente confessione, *specialia,* qualia antea numquam, doloris *signa* ostendat, quibus praesumptio illa de mala confitentis dispositione merito elidatur.»– Disertissimis ergo verbis, quae nullam rationabilem dubitationem aut objectionem admittunt, Laymann signa extraordinaria *ceu conditionem* ponit, *sine qua* Confessarius poenitentem non potest absolvere: de quo hic unice quaeritur.

Sed nequidem verum est, ipsum a S. Alphonso ea ratione dissentire, quod S. Doctor, n. 463. docet, Con-

1) Pag. 665. n. 8.

fessarium etiam recidivo per signum extraordinarium sufficienter disposito aliquando absolutionem differre posse, attamen raro expedire. [1] – Etenim Laymann, propositionem praemissam limitando, si poenitens specialia signa dispositionis ostendit, nihil aliud dicit, nisi Confessarium, prout *judex* est, *non debere* absolutionem differre; sed idcirco non negat, ipsum aliquando tamquam *medicum* differre *posse*, si hoc remedium saluti poenitentis utile fore judicat, et nullatenus a sententia communissima et fere unanimi recedere intendit.-Ingeniosa dexteritas in excogitandis objectionibus, quibus cl. Professor testimonia luce clariora obnubilare conatur, vere admiranda est.

III. « *Unos itaque reperies Salmanticenses* », dicit cl. Ballerinius; imo, judice cl. Professore, nec isti absolute sententiam S. Alphonsi profitentur, sed tantum ceu *probabiliorem* tradunt, primam et secundam *probabiles* censentes.

1. Ast mirum est, quod diligentissimo Auctorum scrutatori sola prima editio Salmanticensium de anno 1664., vel secunda de an. 1679. in manus pervenerit, nunquam vero tertia et posteriores, in tot exemplaribus pervulgatae: in quibus dicitur, post propositionem 60. ab Innocentio XI. damnatam, primam et secundam sententiam *improbabiles* esse, et *tertiam omnino esse tenendam*, ut Summo Pastori obtemperetur, qui hanc probat et contrarias repellit (cfr. pag. 677.).

2. Imo, pergit cl. Professor, Salmanticenses non tantum non absolute sententiam S. Alphonsi tradunt, sed prorsus ab ea recedunt, quippe quod subjungant: « *nisi ex denegata absolutione scandalum aliquod sequatur, aut aliud extrinsecum inconveniens* », et hac limitatione eo ipso concedunt, absolutionem per se loquendo conferri posse. - Salmanticenses utique hanc limitationem adjiciunt, at non in ipsa expositione, sed post Auctorum allegationes, et insuper minus recte. Tres tantum Auctores, nimirum *Azorius*, [2] *Prado*, [3] et *Trullenchus*, [4] subjungunt: « nisi scandalum adsit, aut aliqua causa, ob quam poenitens statim a peccatis debeat absolvi. » *De extrinseco inconvenienti* nullus loquitur.

3. Caeterum nullius momenti est, utrum isti tres tantum, an plures hanc limitationem adjiciant: quia conclusio, quam cl. Ballerinius inde deducit, falsa est. Etenim communissima Doctorum sententia docet, poenitentem, cujus dispositio *dubia* est, *sub conditione* absolvi posse, si justa causa adest, scilicet, *si negata absolutione, notabile detrimentum spirituale poenitenti immineret*.Cui sententiae adhaeret etiam *S. Alphonsus* Lib. VI. n. 431. et 432.; et speciatim docet, justam causam esse absolvendi *sub conditione* eodem modo recidivum et signum extraordinarium non exhibentem; si poenitens in periculo mortis constitutus est, vel urget necessitas suscipiendi communionem (ad vitandum scandalum aut infamiam), vel prudenter timetur, quod poenitens amplius ad confessionem non redibit et in peccatis suis tabescet (cfr. supra pag. 654.).

Articulus 4.

Vindicantur aliae Auctoritates recte a S. A. et a Salmanticensibus allegatae, ac immerito a P. Ballerini impugnatae.

Loco cit. pag. 540. [5] cl. Ballerinius praefatam Adnotationem sic prosequitur: « 4°. Item, si *nonnulli*, » quos et Salmanticenses (n. 170.) » avidissime inquisiverunt, usi sunt » iis phrasibus, *non posse absolvi*, » *non esse absolvendos; horum tamen sententia nec S. Alphonsi*, » *imo nec Salmanticensium opinio-*

1) Vid. infra, Cap. II. in princ. — 2) Cfr. pag. 662. n. 3. — 3) Pag. 666. n. 9.— 4) Pag. 663. n. 4.— 5) In altera edit. pag. 435.

» *ni ullatenus favet.* Et sane quid » *horum theoriae* suffragatur, quod » *Sanchez* (In Decal. lib. 2. cap. 32. » n. 45.) dum dicit, assuetum blasphemiis absolvi posse, imo et esse » absolvendum, excipiat tamen casum scandali resarciendi, *nisi* (inquit) *quando ille iis blasphemiis ingens praeberet scandalum, et ita Confessarius judicaret, postponendum privatum illius solatium, et ad gloriam divinam expedire, illum non absolvi, donec scandalo publico satisfaciat, nitendo vitae emendam?* Et hoc idem est, quod ait *Bonacina* (De II. Praec. disp. 4. q. 1. punct. 14. [1] n. 7.): *Ratione vitandi scandali, quod pejerans aliis praebere solet, deneganda est absolutio juxta prudentis confessarii judicium; scandalum enim praecavendum est.* Rursus quid *eorum theoriae* favet, quod *Ludov. Lopez* et *Barth. Medina,* ab iis allegati, dixerint, non esse absolvendum eum, qui *non habet propositum* corrigendi vitium? Sic enim *Lopez* suam ac Medinae sententiam proponens (Inst. Consc. p. 1. c. 25.) ait: *Huic sententiae Soti videtur subscribere Medina, quod qui consuetudine jurandi passim tenetur, absque delectu et consideratione utrum verum falsumve juret,* caretque vero proposito *extirpandi iniquam consuetudinem, non est absolvendus. Si autem emendam statuat, bonoque animo remedia sibi indicta a Confessario amplexus fuerit, non est, cur ei prolatanda sit absolutio.* Quid prodest, quod *Rodriquez* ab iis allegatus (Sum. p. 1. cap. 192. n. 13.) excribens Medinam, dixerit: *Qui vero est tam defectuosus in sua prava consuetudine, ut in ipsa confessione juret ad singula verba, non debet pro tunc absolvi?* Imo *Ludov. Lopez* (l. c.) ceu *rigidius* habet id, » quod suggesserat Medina, et a Medina sumit Rodericus, eum, *qui in multa prorupit juramenta, mala consuetudine, qua tenetur, ad id raptus, jamque pluries ante de hoc confessus cum fuerit, num quam praestitit emendam, non absolvendum, sed mittendum esse, ut per dies aliquot attentum se gerat, ad extirpandam tam perniciosam consuetudinem...*» [2]

Testante itaque cl. Professore, Salmanticenses *avidissime* quosdam Auctores pro tertia sententia inquisiverunt: « *quorum tamen sententia nec S. Alphonsi, imo nec Salmanticensium opinioni ullatenus favet.* » – Verum Salmanticenses *avidissime* potius (si hac importuna locutione uti liceat) pro prima et secunda sententia plures Auctores inquisiverunt, qui tamen (ut in Art. 2. vidimus), nullatenus eas profitentur. Quos autem pro *tertia* citant, nimirum *Bartholomaeum Medina, Joannem de Prado, Ludovicum Lopez, Trullenchum, Azorium* et *Emmanuelem Rodriquez,* recte allegant; praeterquam quod limitationem: « *nisi ex denegata absolutione, aliquod extrinsecum inconveniens sequatur* », perperam ipsis tribuunt. – Ex dicendis autem patebit, iterum falsa esse, quae cl. Ballerini ad eorumdem testimonia evertena profert.

I. – 1. *Sanchez* et *Bonacina* a Salmanticensibus pro prima sententia, recte autem a S. Alphonso pro tertia citantur. Utrumque vero non docere, quae cl. Professor ipsis supponit, patet ex textibus supra allatis.[3] – *Sanchez,* quaestionem ponens: *an sit consilium differre absolutionem,* loquitur de poenitente *vere dolente et firmiter proponente,* qui adhuc in rigore absolvi potest; et de hoc, non de alio solas consuetas affirmationes proferente, dicit, quod accedente ingenti scandalo non possit absolvi,

1) Rectius *punct. 13.* (cfr. Tom. 2. edit. Venet. 1683.). — 2) Conclusiones, quas cl. Ballerinius ex allatis textibus deducit, perpendentur infra, in art. 5. et 6. — 3) Pag. 660. n. 1. et 2.

quamvis alias absolutionem ipsi differre non expediret: quia privatum ejus solatium postponendum est bono communi et gloriae divinae.

2. *Bartholomaeum Medina* allegat P. Ballerini, at nonnisi membratim atque ex ore aliorum; et caute evitat, ipsum textum Medinae citare. Quem verbotenus et ex integro allegare sufficit ad dissolvendam confusionem, quam iterum cl. Professor hic invexit, et ad falsas suas conclusiones diluendas. - *Medina* [1] dicit: « Si, qui ad confessionem venit, saepe juraverit, ex mala, quam habet, consuetudine, atque hoc *pluries confessus est, sed numquam se emendavit, non debet absolvi, sed absolutio differri per aliquot dies,* quibus invigilet in deponenda penitusque relinquenda hac prava jurandi consuetudine, commendans se Deo, ut hoc possit efficere, aliaque remedia adhibere, quae postea non longe dicentur. At si bis peccatum hoc fuerit confessus, aut ter, *magnumque dolorem demonstrat,* atque paratus est aliquo uti remedio, juxta meam sententiam est absolvendus; cum peccatum istud magis videatur esse in ore, quam in corde, et sic, aliqua diligentia mediante, poterit ei remedium exhiberi. Sed qui tam in hujusmodi prava consuetudine deliquerit, quod etiam in eadem confessione unoquoque verbo jurat, non debet tunc absolvi. »

Tres igitur statuit propositiones *Medina,* quae ex suis verbis sponte et dilucide emanant. *Prima* est: Si consuetudinem jurandi habens, bis vel ter confessus est, absolvi potest, dummodo *magnum,* scilicet *insolitum dolorem* ostendat; ergo *praeter solitas protestationes,* se *vere dolere,* manifestet. Ratio est, quia vehementia doloris efficit, ut peccatum istud magis in lingua quam in corde esse videatur; hujusmodi autem peccato, aliqua diligentia mediante, remedium adhiberi poterit. - *Secunda* est: Si quis saepius quam bis vel ter confessus est, quin se emendaverit, non absolvendus, sed absolutio ipsi differenda est per aliquot dies. - *Tertia* est: Si prava haec consuetudo in aliquo poenitente adeo invaluerit, ut in eadem confessione unoquoque verbo juret, nullo modo est absolvendus, etiamsi numquam adhuc admonitus fuerit.

3. *Ludovicus Lopez* sententiam Medinae omnino approbat, et nonnisi relate ad illam Dominici Soto rigidiorem vocat. - Dicit enim: [2] « Insuper cum omnia, quae in hac materia scitu necessaria sunt, ratus, et memoriae occurrere, late sim prosecutus, nollem et hanc quaestionem sub silentio esse praeteritam: scilicet, an in consuetudine jurandi perseverantes sint absolvendi; et videtur quod non, nisi talem consuetudinem retractent: quia talis consuetudo est occasio, probabile periculum gignens ad pejerandum. - Ad quaestionem igitur respondendo, dicimus primo, quod *Sotus* videtur ei fecisse satis, dum sic ait: Cum jurandi consuetudo, neque per se sit peccatum ab actionibus ipsis jurandi distinctum, neque sit alia occasio jurandi: quumque per solam cessationem amovebitur: non est ad sacramentum confessionis alia cautela adhibenda necessario, quam propositum non jurandi, et fugiendi occasiones, puta contubernia et loca, quibus homo ad jurandum inducitur; est tamen saluberrimum consilium, per alias poenas et alia remedia cohibere se quemquam. Huic sententiae Soti videtur subscribere *Metina,* quod, qui consuetudine jurandi passim tenetur, absque delectu et consideratione utrum verum falsumve juret, *caretque vero proposito* extirpandi tam iniquam consuetudinem, *non est absolvendus.* Si autem emendam statuat, bonoque animo remedia sibi indicta a Confessario amplexus fuerit, non est, cur ei pro-

1) Instr. conf. lib. 1. c. 14. §. 5. — 2) Instr. consc. p. 1. c. 25.

latanda sit absolutio. - Secundo dicimus ad quaestionem, quod, quia *Metina* animadvertit, *praedicta remedia ab adjurare assuetis negligi,* et interdum pergere in pejus: jam in eadem Summula fol. 83. p. 2. *rigidius medicamentum* adhibens, ait, quod *certe* si, qui ad confessionem accedit, in multa prorupit juramenta, et mala consuetudine, qua tenetur, ad id raptus, *jamque pluries ante de hoc confessus cum fuerit, numquam praestitit emendam, non est absolvendus,* sed mittendus est, ut per dies aliquot attentum se vere gerat ad extirpandam tam perniciosam consuetudinem, et, ut hujus emendae gratia, gratiam divinam et opem imploret, et ut alia remedia postea dicenda apponat. Caeterum, si bis aut ter confessus est de sua hac mala consuetudine, *magnoque dolore* compunctus apparet, etc.»- Et sequuntur reliqua, quae *Medina* loco citato habet.

4. *Emmanuel Rodriquez* [1] idem plane dicit, et Medinam non exscribit, sed ejus sententiam allegat et suam facit.

II. Audiamus etiam eosdem Auctores, aliis locis de *blasphemantibus* disserentes.

1. *Medina,* l. c. §. 2. dicit: « Si quis ex blasphemis istis voluerit confiteri, eique mos fuerit blasphemandi, neque praeteritis confessionibus se emendavit, *non debet eum Confessor absolvere, quamvis se emendaturum dixerit,* sed debet eum sine absolutione relinquere per aliquos dies: sique postmodum fuerit emendatus, absolvat, *alioquin minime.* Nam qui toties deliquit *in aliquo,* nec se tot confessionibus emendavit, credendum est, quod neque nunc firme se emendare proposuit; at si nunc primum deliquit, non est ei absolutio differenda.»

2. Idem omnino dicit *Lopez,* l. c. cap. 25. ad num. tertium, et eamdem rationem affert.

3. Idem pariter docet *Rodriquez,* cap. 34. n. 5: « Debent amplius notare, quod si aliquis est consuetus dicere blasphemias, si veniens ad confessionem dicit, se promisisse in confessionibus praeteritis emendationem, idemque promittat in praesenti, *non debet absolvi, sed debet differri illi absolutio, ut sic resipiscat, et emendetur; quod si fiat, poterit illum absolvere, et non aliter:* nam qui toties incidit in idem, et non est emendatus, *debet praesumi, quod non emendabitur nec nunc:* si tamen fuisset ab illo commissum illud peccatum semel, aut bis, et promittit tunc emendationem poenitentia motus, non debet detineri, ut dicit Medina et Ludovicus Lupus (Lopez), qui addit, hoc intelligendum esse, quamvis proferat praedictas blasphemias inconsiderate. »

Articulus 5.

Falsum est, omnes DD. a S. A. et Salmant. allegatos, dilationem absolutionis ut meram industriam habere etc., et ideo ingens discrimen subsistere inter horum DD. et S. Alphonsi sententiam.

Post supra relata verba *Medinae* [2] dicentis, eum « qui in multa prorupit juramenta, mala consuetudine, qua tenetur, ad id raptus, jamque pluries ante de hoc confessus cum fuerit, numquam praestitit emendam, non absolvendum, sed mittendum esse, ut per dies aliquot attentum se gerat ad extirpandam tam perniciosam consuetudinem »; - P. Ballerini, loc. cit. pag. 541. [3] eamdem Adnotationem sic prosequitur: « Et ratio, » quam hic affert Medina, differendi » absolutionem, *aliud ingens discri-* » *men inducit inter horum* (DD.) » *sententiam, et recentem S. Al-* » *phonsi opinionem.* S. Alphonsus » nimirum *juxta theorias Juvenin* » *et similium* negat, ejusmodi poe- » nitentem posse absolvi, utpote qui » censeri debeat *indispositus;* secus

1) Summa, P. 1. c. 191. n. 11-13. — 2) Pag. 685. — 3) In altera edit. pag. 435.

» vero Doctores, quotquot vel ipse, » vel Salmanticenses allegant. - Hi » siquidem, ut alias advertimus *(Sup. » in not. ad n. 621.)*, cum potissi- » me *de vitiis linguae* disputent, » *dilationem absolutionis habent ut » meram industriam ad excitandam » tandem aliquando et extimulan- » dam ignaviam* eorum, qui, vi pra- » vae consuetudinis, in verba aut » blasphema aut perjura etiam minus » deliberata prorumpentes, in jugi » peccati mortalis statu (ut notat et- » iam *Trullenchus*, in Decal. lib. 2. » c. 1. dub. 20. *n. 6., perperam id- » circo a Salmaticensibus citatus*) » versantur, nisi congruam ad cor- » rigendum vitium curam adhibeant. » Immo, ut expresse advertit *Medi- » na* (Inst. Confess. lib. 1. cap. 54. » §. V.) cum hoc peccatum *in lingua* » sit, potiusquam *in corde* seu affe- » ctu, *nihil de dispositione poeni- » tentis disputarunt;* et ideo etiam » *Azor* (P. 1. lib. XI. c. 3. q. 4.), » *perperam et ipse a Salmanticen- » sibus allegatus*, postquam dixit: » *Videtur tamen ad tempus absolu- » tio differenda, ut operae aliquid » interim in id* (ad corrigendam » consuetudinem) *conferat;* mox sub- » dit: *nisi justa alioquin causa sub- » sit, qua statim a peccatis absolvi » debeat.* » [1]

Contendit ergo P. Ballerini, *ingens* existere discrimen inter *recentem* S. Alphonsi opinionem, et sententiam Doctorum, quotquot ab ipso et Salmanticensibus citantur: quippe quod isti Doctores, cum potissime *de vitiis linguae* disputent, dilationem habeant *ut meram industriam* ad excitandam ignaviam eorum, qui, vi consuetudinis, in verba aut blasphema aut perjura prorumpentes, in statu peccati mortalis versantur.

I. Sed ingentem potius dices audaciam cl. Professoris, qui hanc assertionem proferre non veretur.

1. Plerique antiquiores DD., qui *de blasphemantibus et assuetis temere jurare* disserunt, expressis verbis dicunt, absolutionem ideo esse differendam, quia dispositio poenitentis *dubia* est. - Sic Medina [2] de blasphemis: « Qui toties deliquit in aliquo, nec se tot confessionibus emendavit, *credendum est, quod neque nunc firme se emendare proposuit.*» Cumque dicat: « *in aliquo* », hanc regulam ad omnes consuetudinarios et recidivos extendit. - Lopez et Rodriquez [3] similibus verbis idem dicunt. - Sayrus [4] de blasphemis: « Ideo autem differenda est absolutio, quia qui antea promisit emendationem, et tamen ab errore non destitit, *credendus est, nolle in posterum ab hoc pravo vitio desistere.* » - Prado [5] de blasphemantibus et temere jurantibus: « *Regulariter et ut plurimum evenire experimur,* quod qui ter admoniti a Confessario, consuetudinem non interrumpunt, *nec vere poenitent nec efficaciter proponunt* »; et inde concludit, Confessarium regulariter teneri absolutionem differre.

2. Porro *in genere de consuetudinariis recidivis,* Palaus dicit: [6] « Quando autem nulla adest emendatio, *satis certo potest Confessarius inferre, non habere poenitentem verum propositum se emendandi;* quia in peccatum grave non ita facile labitur quis, quando illud ex animo execratus est, majoreque diligentia se praecavet.» - Laymann: [7] « *Interdum vehemens est suspicio et justa praesumptio,* propositum emendandi simulatum aut non sufficiens esse. » - Lugo: [8] « Aliquando ex illa experientia arguetur, *poenitentem carere nunc vero dolore et proposito requisito;* qui enim efficaciter proponit et serio rem aliquam, quam aliunde moraliter implere potest, non ita facile obliviscitur statim sui propositi, sed saltem per aliquod tempus perseverat et difficilius vel rarius

1) De ista limitatione Azorii, superius jam diximus in fine Art. 3., pag. 684. n. 2. et 3. — 2) Cfr. pag. 687. n. 1. — 3) Ibid. n. 2. et 3. — 4) Pag. 664. n. 6. — 5) Pag. 666. n. 9. — 6) Pag. 663. n. 5. — 7) Pag. 665. n. 8. — 8) Pag. 670. n. 15.

cadit. » - SUAREZ [1] de assuetis temere jurare dicit, poenitentem teneri adhibere *remedia* praescripta, et Confessarium posse ipsum absolvere, si judicet, poenitentem facere, *quod moraliter potest, ut propositum efficax sit.* Et de illis qui in occasione proxima versantur, dicit: « *Ejus propositum non potest judicari efficax, quandoquidem convincitur esse in magna mora, et posse et non facere.* » [2]

3. Aliqui expressis verbis id non dicunt, at *certiora signa dispositionis exigunt*, ut poenitens absolvi possit, quemadmodum *Azorius* [3] de blasphemis, et *Sanchez* [4] de his et de temere jurantibus; et quidem tamquam *conditionem sine qua non;* ut supra probavimus. - Nec refert, si aliqui dicunt, poenitentem non esse absolvendum, et addunt: ut attentius se gerat ad exstirpandam pravam consuetudinem, ut operam conferat ad suam emendationem, ut resipiscat et emendetur, vel similia. Etenim dilatio absolutionis, quamvis *necessaria propter dubiam dispositionem*, semper simul et *medicina* est, qua Confessarius poenitentem *ad firmiora et efficaciora proposita* impellere intendit. Nec in alium finem absolutio differtur, praeterquam ut poenitens aliquo saltem modo emendatus advertatur, et, sublato dubio de ejus dispositione, absolvi possit.

4. Accedunt plures Auctores antiquiores, quos S. Alphonsus non citat, ut *Corradus* [5] et *Tanner,* [6] Medinae assentientes de blasphemis; *Alphonsus Vega* [7] similiter de blasphemis; *Jacobus de Graffis,* dicens de consuetudinariis in genere: [8] « Credi potest, quod nec in futurum jam firmiter proponant, vitam suam corrigere; quod idem faciendum in perjuriis, aliisque vitiis carnalibus. »

5. *Recentiores* autem, praeter Salmanticenses, alioquin omnes *de consuetudinariis in genere* tractant; et docent, Confessarium propter *dubiam* dispositionem ipsis absolutionem *differre teneri.*

II. Speciatim contendit P. Ballerini, *Trullenchum* perperam a Salmanticensibus allegari. Falsas Salmanticensium allegationes acceptat, et rectas impugnat.

1. Jam supra, [9] textum *(Dub. 20. n. 10.)* quem Salmanticenses allegant, attulimus, ubi *Trullenchus* de consuetudinem temere *jurandi* habente dicit: « Si non habet *firmum propositum* eam exstirpandi, *non potest absolvi, sicut contingit in aliis peccatis mortalibus.* » Unde concludit: « At si ter aut quater admonitus fuit, et nihil in ea operis posuit, *absolvendus non est,* sed differenda est absolutio. » - Numquid clarius pronuntiare potuit, ter quaterve frustra admonitum ideo non absolvi posse, quia tot confessiones et admonitiones, nulla emendatione subsecuta, justam praesumptionem inducunt, ipsum et nunc firmo proposito carere?

2. Cl. Professor citat Trullenchum: *Dub. 20. n. 6.* At Trullenchus hoc loco nonnisi uberiorem explicationem praemisit, cur non habens firmum propositum absolvi nequeat, sicut contingit in aliis peccatis mortalibus: « Dico tertio: Consuetudo jurandi et mentiendi, et conjungendi mendacium cum juramento, seu consuetudo jurandi advertenter et indiscriminatim, sive verum, sive falsum, constituit ea affectum in statu peccati mortalis, et omissio ejus extirpandae est lethalis. Petrus Ledesma, Suarez, Bonacina, et cum aliis Sanchez. - Ratio est, quia censetur esse in occasione proxima peccandi mortaliter, cum illa consuetudo inducat ad conjungenda juramenta cum mendacio, et aeque se exponat periculo jurandi verum ac falsum; qui autem est in occasione proxima pec-

1) Pag. 667. n. 14. — 2) Pag. 668. — 3) Pag. 662. n. 3. — 4) Pag. 660. n. 1. — 5) Pag. 674. n. 13. — 6) Ibid. n. 14. — 7) Pag. 674. n. 10. — 8) Pag. 673. n. 9. — 9) Pag. 662. n. 4.

candi mortaliter, peccat mortaliter, quoties ad illam advertit, et non conatur expellere. » – Quod omnino concordat cum iis, quae deinde *n. 10.* dicit.

Articulus 6.

Falsa, et S. Alphonso injuriosa est assertio, Ipsum, in materia tam gravi et practica, secutum fuisse theorias Juvenini et similium.

Ad probandum denique, subsistere « *aliud ingens discrimen inter* » *horum* (DD. a S. A. allegatorum) » *sententiam, et recentem S. Al-* » *phonsi opinionem* », cl. Ballerinius affirmare non dubitat: « S. Al- » phonsus nimirum, *juxta theorias* » *Juvenin et similium,* negat, [1] ejus- » modi poenitentem posse absolvi, » utpote qui censeri debeat *indispo-* » *situs:* secus vero Doctores, quot- » quot vel ipse, vel Salmanticenses » allegant » (cfr. supra, pag. 687. art. 5.). – Quae assertio non modo *falsa* est, sed etiam S. Doctori *injuriosa,* imo et *calumniosa.*

I. *Falsa est.* Nam S. Alphonsus non uno solo loco, nec verbis ambiguis declarat, recidivis sine ulla emendatione revertentibus et *signa extraordinaria non afferentibus* ideo absolutionem esse differendam, quia eorum dispositio *dubia* est; sed insuper tota ejus doctrina de Recidivis in principio hujus Capitis allegata contra istam cl. Professoris assertionem clamat.

1. S. Doctor in *n. 459.* (cfr. p. 649.) aperte rejicit *secundam* sententiam « quam tenent Merbesius, *Jueninus* » et Genettus, (quae) dicit *numquam* » peccatorem habituatum censendum » esse *dispositum* ad absolutionem, » nisi diu conversionem suam per » emendationem probaverit. » – Et contra hos Auctores, doctrinam suam exponendo, strenue contendit, recidivum absolvi posse, si afferat signa extraordinaria suae dispositionis: « Secunda vero pars (scil. proposi- » tionis) est contra *secundam* sen- » tentiam, quae cum intolerabili ri- » gore dicit, numquam absolvi posse » consuetudinarium, nisi per longam » experientiam constet de ipsius e- » mendatione. Ratio nostrae senten- » tiae est, *quia relapsus, tametsi* » *praebeat aliquam suspicionem,* » *non tamen certum exhibet signum* » *indispositionis;* bene enim contin- » gere potest, quod poenitens *vere* » *habuerit firmam voluntatem non* » *relabendi, et tamen, vi pravi ha-* » *bitus, sit relapsus...* Unde quoties » poenitens affert signa extraordi- » naria doloris, per ea tollitur *su-* » *spicio* illa de indispositione; et » tunc Confessarius prudenter judi- » care poterit, suum poenitentem » *satis esse dispositum....* » – Claris ergo, omneque ambiguum arcentibus verbis, S. Alphonsus docet, ejusmodi poenitentes *dubie dispositos,* non autem *indispositos* esse censendos. Unde idem omnino dicit, quod iisdem vel similibus verbis dicunt Auctores citati.

2. Porro *n. 463.* speciatim *Juveninum* allegat, dicens: « *Quinimo* » *Juenin sic rigidissime loquitur:* » Qui mortaliter peccarunt, non de- » bent absolvi, nisi multo ad viri » prudentis judicium tempore, ope- » ribus conversionem probarint.... » Toti antiquitati persuasum fuit, » contritionem non esse unius diei » opus, sed multorum mensium, imo » et nonnumquam annorum. *Et ad-* » *dit, hoc servandum esse, etiamsi* » *poenitens semel patraverit aliquod* » *enorme peccatum, ut perjurium,* » *adulterium, homicidium et simi-* » *lia. Loquens vero de peccatore* » *habituato, inquit:* numquam ipsum » censeri dispositum ad absolutio- » nem, nisi diu conversionem per » emendationem probaverit. »

3. In *n. 461.* S. A. dicit: « Cer- » tum est, quod Confessarius tenetur

1) In altera edit. pag. 436. cl. Professor dicit: « *universim* negat. »

» differre absolutionem, usquedum » fiat moraliter certus de dispositio- » ne sui poenitentis, saltem per expe- » rimentum temporis vel mediorum, » *si poenitens sufficiens nondum* » *praebeat signum suae dispositio-* » *nis.* Attamen notandum est (prout » diximus de Sacramentis in genere, » n. 57.), quod in aliis Sacramentis » cum materia sit physica, physica » requiratur certitudo; sed *in hoc* » *Sacramento Poenitentiae,* cum ma- » teria sit moralis, prout sunt actus » poenitentis, *sufficit certitudo mo-* » *ralis sive respectiva.* Sic enim do- » cuit D. Thomas: « Nec oportet, quod » omnis mensura sit omnino infalli- » bilis..., sed secundum quod est pos- » sibile in genere suo. » Et alibi: « Certitudo non est similiter quae- » renda in omnibus, sed in unaqua- » que materia secundum proprium » modum; quia vero materia pruden- » tiae sunt singularia contingentia, » circa quae sunt operationes huma- » nae, non potest certitudo pruden- » tiae tanta esse, quod omnino sol- » licitudo tollatur. » – Unde quoad » nostrum propositum spectat, *suf-* » *ficit, quod Confessarius habeat* » *prudentem probabilitatem de dis-* » *positione poenitentis, et non ob-* » *stet ex alia parte prudens suspi-* » *cio indispositionis; alias vix ul-* » *lus posset absolvi, dum quaecum-* » *que signa poenitentium non prae-* » *stant nisi probabilitatem dispo-* » *sitionis: ut recte docet P. Suarez,* » *qui ait, quod oportet et sufficit,* » *ut Confessarius prudenter et pro-* » *babiliter judicet, poenitentem esse* » *dispositum.* »

4. In *n. 432.* S. Alphonsus quaestionem proponit: An poenitens *sub conditione* absolvi possit, *si dubitatur, utrum rite dispositus sit* per verum dolorem et propositum; et respondet, *peccatorem recidivum* in culpas lethales, nec signa extraordinaria afferentem, posse absolvi sub conditione, si in periculo mortis versatur, vel prudenter timetur, ipsum ad confessionem amplius non esse reversurum *(cfr. pag. 655.).*

II. At non tantum falsa, sed etiam *injuriosa,* imo et *calumniosa* est praefata assertio.

1. Bene enim novit P. Ballerini, tum quae S. Doctor in textibus modo allatis, tum quae « *Juvenin et similes* » docent. Et nec ignorantia, nec inadvertentia excusari potest: nam paulo ante, pag. 537. [1] ad propositionem S. Alphonsi a P. Gury citatam, videlicet, Consuetudinarium prima vice pravum habitum confitentem absolvi posse, etiamsi nulla emendatio praecesserit, modo eam serio proponat; [2] ipsemet jam dixerat: « Est *contra Juvenin* et illum Lu- » dovicum Habert, qui propter suam » in oppugnanda Constitutione *Uni-* » *genitus* pertinaciam, ex Academia » Sorbonica expulsus, Blesis in exi- » lio 7. Aprilis 1718. infeliciter in- » teriit. Hi cum nonnullis aliis exi- » gunt, ut vera conversio per vitae » emendationem prius probetur; se- » cus enim, ut inquit *Juvenin,* in » *damnatis* suis Institutionibus Theo- » logicis *(Vid. Indic. librorum pro-* » *hibitorum, Romae an. 1744. V. Ju-* » *venin; et Edit. recentior. ad V. In-* » *stitutiones Theol.)* De poen. diss. 5. » cap. 5. art. 1., *moraliter certum* » *est, affectum ad peccatum mortale* » *in iis reperiri.* »

2. Primis hujus saeculi decenniis, nonnulli Rigoristae et genuini Juvenini ac similium sectatores, S. Alphonsum acerrime impugnaverunt, et Theologiam suam moralem, tamquam perniciosissimo laxismo infectam denuntiaverunt. Quinimo non defuit in Gallia, Theologus partis suae studio abreptus et obcaecatus, qui eo temeritatis progressus est, ut anno 1827., quo Alphonsus dudum jam a Sede Apostolica Beatorum numero adscriptus fuerat, haec verba pronuntiaret: « Miramur, quod Theo-

1) In altera edit. pag. 433. — 2) Cfr. supra, pag. 649.

logia Moralis D. Liguorii, quae tota probabilismo inficitur, nuper prodierit e typis Antverpianis: cum doctrina nobiliorum Belgii theologorum tantum distet a Liguoristica, quantum distant coeli et terra. Utinam igitur ista Theologia, quae verius forte inscriberetur *immoralis*, nunquam lucem aspexisset, aut nisi plane defaecata! »[1] – At novissime, quis crediderit, cl. *Ballerinius* exsurgit, asseverans S. Alphonsum theorias Juvenini et similium sectatum fuisse! Idque asseverat, postquam sedulo adnotavit, Institutiones Juenini *damnatas* esse; neque *Indicem librorum prohibitorum* citare omisit. Asseveravit, postquam Alphonsus solemniter numero Sanctorum adscriptus fuit. Asseveravit, postquam Summi Pontifices doctrinam ejus sanam et tutam esse specialiter testati sunt, eamque summopere laudaverunt et commendarunt!

Articulus 7.

Falsa, et S. Alphonso injuriosa est assertio, rationem pro sua doctrina allatam, vitio logico non carere, etc.

P. Ballerini longam suam Adnotationem, quasi re bene gesta, loc. cit. pag. 542. tandem sic concludit: « Et haec, quamvis *pauca pro argumenti gravitate* (neque enim brevitas *Notae* fert plura, quae ad evidentiorem rei demonstrationem facerent) satis esse possunt, ut constet, *praemissam S. Alphonsi opinionem*[2] *potiusquam communem, contra DD. communem dici posse.* Quod tamen non in aliquam ejusdem opinionis reprehensionem dictum fuerit; sed solum (ut supra dictum est) quo suus *historicae veritati* locus ac jus maneat, et exinde facultas supersit utendi illo canone, quem et idem S. Alphonsus (n. 460.) laudat, dicens: *Puto, nequaquam errare eum, qui se dirigit cum sententiis communiter receptis ab hujusmodi Doctoribus non humilis notae.* – Caeterum, quo pacto S. Alphonsi opinio ad communem sententiam *pertrahi* aliqua ratione possit, in nota sequenti indicabimus.[3]

» Interim adverte, *rationem quam A.* (scilicet P. Gury) *pro ea regula profert, ac proferre nonnulli alii solent, logico* (dissimulandum quippe hoc non est) *vitio non carere.* Nam, quod post confessionem quispiam eodem, et si vis, etiam deteriori modo ac mensura in eadem peccata relapsus fuerit, esto, forte suspicionem aliquam injicere poterit, *in ea confessione* minus efficax extitisse propositum; et dixi, *forte aliquam suspicionem;* quia cum humana voluntas mutationi subjaceat, ne ad praecedentis quidem confessionis defectum aliquem logice arguere possumus ex sequenti relapsu; quippe qui, non defectui propositi sincerissimi, sed (ut quotidiana experientia docet) fragilitati et inconstantiae post sincerum propositum, saepissime adscribi debet. *At, quod ex praecedentibus lapsibus, quispiam arguere praeterea velit ad defectum doloris ac propositi in praesenti, id nulla lex logicae consentit, ut egregie ratiocinantur cum S. Thoma universi Theologi.* »

I. Concludit ergo cl. Professor, satis ex suis demonstrationibus constare, praemissam S. Alphonsi opinionem, « *potius quam communem, contra DD. communem dici posse* »: quamvis brevitas Notae plura non ferat, quae ad evidentiorem rei demonstrationem facerent. – In qua assertione, id solum respondet *historicae veritati,* quod sententia, quam S. Doctor *communem* vocat, *communis* non sit, sed potius *communissima* inter Antiquiores et Recentio-

1) Tract. de just. et jure, diss. 3. c. 3. art. 3. Ambiani 1827. (Cfr. *Gousset,* Justification de la Théol. mor. du B. Alphonse, Lille 1832. p. 4.). — 2) In altera edit. pag. 436., cl. Professor addit: « *quoties integra cum omnibus suis partibus inspiciatur.* » — 3) Cfr. infra, *s.* 3. art. 2.

res: ut ex nostris demonstrationibus satis superque constat.

II. Denuo protestatur, quae dixit, dicta non esse in aliquam reprehensionem opinionis S. Alphonsi: quasi reprehensio non esset, dum Sanctum ceu sectatorem theoriae Jueninii, cujus Institutiones damnatae sunt, et Ludovici Habert, qui infeliciter interiit, [1] denuntiat. Attamen zelus quo ardet cl. Professor, pro tuenda veritate, ipsi dissimulare non permittit, *rationem quam S. Doctor pro sua sententia adfert, vitio logico non carere.* – In textu superius (pag. 657. §. 1.) allato, *P. Gury*, post enuntiatam regulam: « Recidivus rediens cum eodem pravo habitu, nullo adhibito conatu, nulloque impleto medio ex iis quae a Confessario praescripta sunt, non potest absolvi, nisi signa extraordinaria doloris ostendat »; subjungit: « Ratio est, quia tunc praesumptio, quae poenitenti favebat, cum prima vice confessus est, nunc ipsi adversatur. *Etenim, qui firmiter proponit peccatum vitare, non ita facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius aut rarius cadit.* ITA EXPRESSE S. LIGORIUS, *n. 459.* » – Quae ratio, hisce terminis concepta, proprie *Cardinalis de Lugo* est, qui eam Disp. 14. sect. 10. n. 160. [2] affert, et etiam a S. Alphonso, n. 459. citatur: « *bene ait Lugo.* » [3]

III. Eandem vero rationem cl. Ballerinius pro coronide impugnat, atque *vitio logico laborantem, nec non universorum Theologorum sententiae adversam* proclamat.

Verum haec ipsa cl. Professoris assertio falsa est, legibus Logicae contraria, inaudita, et in praxim conversa intolerabilem laxismum inducens.

1. *Falsa, et legibus Logicae contraria.* – Etenim leges Logicae eo tantum casu laederentur, si quis ex praecedentibus lapsibus, *absoluta certitudine,* quae possibilitatem oppositi excludit, ad defectum doloris et propositi argueret. At S. Alphonsus et omnes ceteri nonnisi de *prudenti suspicione* vel *praesumptione* loquuntur, et secundum *communiter contingentia* judicandum esse dicunt. S. Doctor (n. 459.) expressis verbis ait: « *Relapsus, tametsi praebeat » aliquam suspicionem, non tamen » certum exhibet signum indisposi- » tionis; bene enim contingere pot- » est, quod poenitens vere habuerit » firmam voluntatem non relabendi, » et tamen vi pravi habitus sit re- » lapsus.* » – Cum ergo P. Ballerini, sine ulla distinctione contendat, legibus Logicae contradicere, qui ex praecedentibus lapsibus, ad defectum doloris et propositi in praesenti arguere velit: ipse potius leges Logicae praevaricatur, et ejusdem culpae reus est, quam S. Alphonso caeterisque exprobrat.

2. *Inaudita.* – Fuerunt quippe aliqui Auctores qui dixerunt, poenitenti affirmanti se vere dolere et firmiter proponere, semper fidem adhibendam esse, et hoc poenitentis testimonium omni dubitationi vel suspicioni in oppositum, quantumlibet urgenti, praevalere debere; cum jam adsint, quae ad impertiendam absolutionem requiruntur, nempe confessio, et doloris ac propositi manifestatio. Unde concluserunt, consuetudinario, etiamsi semper eodem modo sine ullo emendationis conatu relabatur, absolutionem non esse negandam nec differendam, dummodo protestetur, se vere dolere et firmiter proponere. – At vero nullus unquam Theologus, quod sciamus, ante cl. Ballerinium asseruit, *sine vitio logico, Confessario nequidem arguere licere, quod hujusmodi poenitens non sit sufficienter dispositus;* nisi forte inter recentiores Theologos

1) Vid. supra, pag. 691. — Caeterum, an Habert infeliciter interierit, et in extremis poenitentiam non egerit, soli Deo notum est. — 2) Cfr. supra, pag. 670. n. 15. — 3) Vid. pag. 650.

quispiam existat, cui meritum, novam hanc Logicae legem detexisse, vindicandum sit.

Caeterum cl. Professor alia adhuc ratione, leges Logicae male observat. Siquidem dicit, praeter Patrem Gury, *nonnullos alios* praedictam regulam, vitio logico non carentem, proferre solere. Quod recte dicit; eo tamen discrimine, quod non tantum *nonnulli*, sed *permulti* eam proferunt. *Lugo* [1] eamdem, a P. Ballerini reprobatam regulam, enuntiat, dicens: «*Aliquando ex illa experientia arguetur, poenitentem carere nunc vero dolore et proposito requisito*»; et haec Lugonis verba plerique ex recentioribus citant, et sibi accommodant. – Sed paucis lineis post, cl. Professor asseverat, *universos Theologos* egregie ratiocinari, huic regulae nullam Logicae legem consentire. Quomodo autem, quaerimus, *universi* Theologi in hoc ratiocinio convenire possunt, si *nonnulli* eamdem regulam proferre solent?

3. *In praxim conversa, intolerabilem Laxismum inducens.* – Ponamus casum frequenter in praxi occurrentem. Tempore paschali, aliquis ad confessionem accedit; pravam consuetudinem prima vice confitetur, solito modo verum dolorem et firmum emendationis propositum testatur, et a Confessario rite admonitus absolvitur. Redit anno sequenti tempore paschali, sed eodem plane modo recidivus, remedia a Confessario praescripta omnino neglexit, et ne minimam curam vel operam in vincenda prava consuetudine adhibuit. Et sic iterum iterumque tempore paschali revertitur, semper quidem affirmans, quod vere de peccatis suis doleat et firmiter emendationem sibi proponat; at, praeter hanc protestationem, aliud doloris signum nec ad confessionem afferens, nec in ipsa confessione post admonitionem Confessarii prae se ferens.

Quaeritur nunc, qualem Confessarius huic poenitenti gerere se debeat? – Juxta sententiam cl. Ballerinii, *aliquam forte suspicionem habere poterit*, in ultima confessione poenitentis minus efficax propositum extitisse: verumtamen nullatenus ipsi licebit, ex praecedentibus lapsibus arguere ad defectum doloris ac propositi in praesenti, quia contra leges Logicae, et ideo inepte et irrationabiliter argueret. Cum autem sine dubio Confessario irrationabiliter agere numquam liceat, ut *judex* huic poenitenti absolutionem negare aut differre non poterit. In quantum vero ultra quaeri potest, an non saltem ut *medicus* absolutionem *differre teneatur*, infra (in §. 3. art. 3. et 4.) videbimus, quid P. Ballerini circa hanc quaestionem in genere sentiat. Non quidem prohibet Confessarium; verumtamen negat, *ipsum unquam absolutionem differre teneri*, quippe quod hoc remedium numquam unicum, et ideo *numquam necessarium* sit. Monet insuper Confessarium, *rem gravissimam esse*, quempiam invitum vel ad unum alterumve diem beneficio absolutionis privare (Vid. Cap. II. §. 1. art. 3.).

IV. Adfert insuper P. Ballerini verba S. Alphonsi: « *Puto, nequa-* » *quam errare eum, qui se dirigit* » *cum sententiis communiter rece-* » *ptis ab hujusmodi DD. non humilis* » *notae.* » Quae verba desumpta sunt ex n. 460., [2] ubi S. Doctor *de extraordinariis dispositionis signis* loquitur. – At haec doctrina non tantum communiter, sed communissime, et non solum a Doctoribus non humilis notae traditur, sed a gravissimis et a Sanctis: quos errasse in materia, « *quae directionem respi-* » *cit conscientiarum totius populi* » *christiani* », dici nequit « *sine ali-* » *qua labe temeritatis* » prout recte subjungit S. Alphonsus. Quibus Doctoribus gravissimis et sanctis ipse demum Alphonsus accessit, a S. Sede

1) Cfr. pag. 670. n. 15. — 2) Pag. 653.

quoad hanc quaestionem de Recidivis specialiter approbatus. – Unde potius P. Ballerini hujus *Canonis* (prout citata verba nuncupat) praevaricator est: dum doctrinam S. Alphonsi acerrime impugnat et reprehendit, vitio logico laborantem, nec non theorias Juvenini et similium sectantem denuntiat. Et ideo *aliqua temeritatis labes* potius in ipsum redundat.

V. Sed alia nunc perpendenda venit objectio, quam cl. Ballerinius in praecedenti Adnotatione movet, et quam pro rei gravitate separatim tractandam, hucusque distulimus: videlicet, S. Alphonsum *solum* esse qui dicat, poenitentem eodem modo et absque ulla emendatione relapsum, jam post *primam* admonitionem non absolvendum esse.

§. 2.

Absolvi nequit Habituatus JAM SEMEL ADMONITUS, *si, nullo adhibito conatu, nec ullo impleto medio praescripto, eodem modo relapsus est, nullaque extraordinaria suae dispositionis signa affert.*

In citato num. 459. (pag. 650.) S. ALPHONSUS scribit: « Dicunt vero » Sanchez, Laymann, Lugo, Palaus, » Viva, Sporer, cum aliis, quod his » non obstantibus, *bene poterit absolvi recidivus usque ad tertiam* » *vel quartam vicem,* etiamsi eodem » modo relapsus fuerit, et nullum » adhibuerit remedium. *Veneror tantorum DD. auctoritatem, sed ego* » *eorum opinioni nunquam acquiescere potui: etenim cum poenitens* » *jam fuerit in alia confessione admonitus, et eodem modo reincidit, nullumque ad se emendandum conatum adhibuerit, eadem* » *suspicio utique recurrit, qua fit* » *ut Confessarius non possit habere* » *de ejus dispositione moralem certitudinem, sufficientem respective* » *ad hoc Sacramentum, ut infra explicabitur* (n. 461.). » – Et in *Hom. Apost.* Tr. ult. n. 9. dicit: « *Quidam* » *DD.* admittunt, recidivum *solis signis ordinariis* » (nempe, si tantum confiteatur, asserendo se poenitere et proponere, ut ibidem explicat S. A.) « absolvi posse usque ad » tertiam et quartam vicem; sed huic » opinioni nunquam potui acquiescere, dum *habituatus, qui post unam* » *confessionem recidit sine emendatione, jam est verus recidivus, et* » *fundatam praebet suspicionem* » *suae indispositionis.* »

Ex hac limitatione S. Alphonsi, cl. BALLERINIUS l. c. pag. 540. sequentes conclusiones deducit: « *Sed* » *et ipse S. Alphonsus manifeste* » *prodit, aliam esse doctrinam suam,* » *aliam vero sententiam DD.,* quos » paulo ante pro se allegaverat. Non » multo post enim, memorata sententia *Sanchezii, Laymanni, Lugo, Palai, Vivae, Sporer et aliorum,* quod bene possit *pluries* absolvi recidivus *etiamsi eodem modo relapsus fuerit, et nullum adhibuerit remedium,* subdit: *Veneror tantorum Doctorum auctoritatem; sed ego eorum opinioni* » *nunquam acquiescere potui.* At » vero quod habent Doctores heic a » S. Alphonso nominati, [1] *id ipsum* » *commune est ad unum usque omnibus, quos pro se antea citaverat,* » et vel ipsi auctori *theologiae ad* » *usum Seminarii Petrocorensis,* ut » ut iste Juveninii potius, Habertii » ac Genettii, quam scholarum theologicarum vestigiis insistere consuescat. »

1) In altera edit. pag. 434., cl. Professor addit: « *nimirum, quod possit pluries absolvi recidivus, etiamsi etc.* »

Sed falsa sunt, quae P. Ballerini concludit. Etenim

1. Thesis, quam S. Alphonsus modo generali statuit, et communem vocat, haec est: « Tertia sententia » communis, quam sequimur, docet, » quod peccator recidivus, rediens » cum eodem habitu pravo non pot- » est absolvi, nisi afferat extraordi- » naria signa suae dispositionis. » Et in exponenda hac sententia, *in genere* de poenitentis admonitione et de frequenti relapsu loquitur, quin determinet, *quot admonitiones* praecesserint oporteat. – In quantum vero deinde praedictam *limitationem adjicit,* videlicet, poenitentem *jam post primam admonitionem* non esse absolvendum, si eodem modo reinciderit, nullumque ad se emendandum conatum adhibuerit, nec signa extraordinaria suae dispositionis afferat: hanc sententiam nequaquam *communem* vocat; ut alioquin jam ex eo patet, quod tot Auctores antea citatos nominet, quibus se non acquiescere dicit.

2. Nihilominus verum non est quod asserit cl. Ballerinius, *omnes istos Auctores usque ad unum,* in hac re a S. Alphonso dissentire. Nam (ut interim directas et gravissimas Auctoritates taceamus) *indirecte* saltem, communis Doctorum sententia praedictam limitationem approbat, ut ex dicendis patebit.

3. Omnes Auctores, qui recidivo, eodem modo sine ulla emendatione relabenti, absolutionem differendam esse docent, post duas, tres aut quatuor admonitiones; nonnisi *extremum terminum* definiunt, ultra quem, ex eorum sententia, Confessarius ea probabilitate, quae ad impertiendam sacramentalem absolutionem requiritur, non amplius judicare potest poenitentem esse satis dispositum, nisi specialia signa afferat. Idcirco autem nequaquam docent, delinquere aut minus recte agere Confessarium, qui jam post primam, secundam aut tertiam admonitionem, absolutionem differt, si prudenter de sufficienti dispositione, de vero dolore et firmo atque efficaci proposito poenitentis dubitat, et solitis ejus protestationibus fidem non adhibet. Immo, in hoc casu, Confessarium ad dilationem obligant, et absolutionem salva conscientia impertiri non posse, docent.

4. In quo omnes conveniunt; et *Cardinalis de Lugo* [1] hanc regulam communiter receptam sequentibus terminis enuntiat: « *Certum est,* quando sacerdos, attenta consuetudine praeterita et propensione, aliisque circumstantiis, judicat, poenitentem *non averti sufficienter ab illo peccato, non posse eum absolvere, quantumcumque poenitens dicat se dolere;* quia si Sacerdos id non credit, non habet judicium requisitum ad conferendam absolutionem. » – Atqui *S. Alphonsus,* pro sua thesi, prudentem sane, immo validissimam rationem affert, dicens: « *Habituatus, qui post unam con-* » *fessionem* recidit sine emendatio- » ne, *jam est verus Recidivus, et fun-* » *datam praebet suspicionem suae* » *indispositionis.* » Et: « Cum poe- » nitens jam fuerit *in alia confes-* » *sione* admonitus, et eodem modo » reinciderit, nullumque ad se emen- » dandum conatum adhibuerit: eadem » suspicio utique recurrit, qua fit, » ut Confessarius *non possit habere* » *de ejus dispositione moralem cer-* » *titudinem, sufficientem respective* » *ad hoc Sacramentum...* » Communis ergo sententia thesim S. Alphonsi non reprobat, sed potius indirecte approbat.

5. Objiciet utique P. Ballerini, *indirecta* hac approbatione, propositionem suam minime everti: cum isti Auctores thesim S. Alphonsi quidem tolerent, nihilominus autem recidivum, etiam saepius frustra admonitum, absolvi posse doceant. – Sed nec nos hanc demonstrationem

1) Cfr. pag. 683. n. 1.

sufficientem censemus. Suppetunt testimonia *directa*. *Medina* [1] docet, juramentis assuetum non esse absolvendum, etiamsi bis tantum vel ter admonitus fuerit, nisi magnum dolorem demonstret; illum autem, in quo prava consuetudo adeo invaluit, ut in ipsa confessione juret, nequidem prima vice absolvi posse: in quo et *Lopez* et *Rodriquez* [2] consentiunt. *Azorius* [3] et *Trullenchus* [4] quoad blasphemos, et *Reginaldus* [5] ac *Filliuccius* [6] in genere de recidivis tractantes, nihil dicunt de iterata admonitione.

6. Sed nec hisce Auctoritatibus insistimus. Siquidem S. Alphonsi sententiae suffragantur gravissima et omni exceptione majora testimonia, ut: *S. Caroli Borromaei* cum multis Theologis saecularibus et regularibus, *Ven. Pauli Segneri* (quos S. Alphonsus citat num. 459. et 460.), et *S. Leonardi a Portu Mauritio* (quem citat in opere: Homo Apost. et in Praxi Confessarii). Quibus accedunt *S. Franciscus Salesius*, et Summi Pontifices *Innocentius XII.*, *Benedictus XIII.* et *Benedictus XIV.* Et iisdem (omnes DD. rigidioris notae consulto excludentes) adjungemus tres eximios Theologos Societatis Jesu: *Nicolaum Mazzotta*, quem S.A. n. 460. citat. *Joannem Reuter* et *Edmundum Voit*, qui omnes tres probabilismum profitentur.

Articulus 1.

Exponitur sapientissima doctrina S. Caroli Borromaei, cui suffragantur S. Franciscus Sales. et Summi Pontifices Innocent. XII., Benedict. XIII. et Benedict. XIV.

I. – S. Carolus Borromaeus.

1. In Instructione pastorali, seu *Avvertimenti per i Confessori*, S. Carolus sequentia monet ad praesentem materiam spectantia:

«.... *34.* Acciocchè li Confessori siano instrutti di non dare il beneficio dell' assoluzione a quelli, che veramente ne sono indegni, come per inconsideratione, e negligenza, o altra causa spesso accade, d'onde nasce, che molti perseverano lungo tempo nelli medemi peccati con mirabile ruina dell' anime loro; *per questo abbiamo, con il parere di molti Teologi Secolari e Regolari di varie Congregationi, notato qui a basso, quello che si deve osservare da li Confessori in alcuni casi più frequenti: però siano essi avvertiti di governarsi in assolvere, o no, in questi infrascritti casi nel modo che si dirà.* »

« *35.* Perchè adunque ogn' uno, che sia pervenuto all' uso della ragione, è obbligato sotto pena di peccato mortale a sapere tutti gli articoli del Simbolo Apostolico, quali siano, almen quanto alla sostanza, e li Commandamenti di Dio, e della Santa Chiesa, che obligano a peccato mortale, e communemente si sogliono insegnare nelle Scuole della Dottrina Cristiana; per questo trovando il Confessore, che il Penitente non sappia le sopradette cose, se non sarà disposto ad impararle quanto prima, non deve assolverlo; ma quando si esibisca pronto di farlo, se altre volte essendo stato ammonito dal Confessore, o sia l'istesso, o altro, o dal suo Curato, in particolare a impararle, (di che avvertisca d'interrogarlo) non ha fatto la debita diligenza per impararle secondo la sua capacità, differisca l'assolutione sino a tanto, che in qualche modo satisfaccia: ma non essendo stato di ciò avvisato, lo assolva, dandogli prima quella instrutione delle sopradette cose, che gli fosse necessaria, per essere allora capace dell'assolutione.... » – Exponuntur deinde officia, quae patribus et matribus familias incumbunt circa subditos, si-

1) Pag. 686. n. 2. — 2) Ibid. n. 3. et 4. — 3) Pag. 662. n. 3. — 4) Ibid. n. 4. — 5) Pag. 665. n. 7. — 6) Pag. 670. n. 1.

ve filios et filias, sive servos et ancillas ; et sequitur haec Instructio:

« *36.* In tutti questi casi, se non promettono di satisfare realmente a quello, che sono tenuti, e di emendarsi della negligenza usata nella cura della sua famiglia nelle sudette cose, non li assolverà. Ma promettendo di farlo, se non saranno più stati ammoniti dal Confessore, o Curato, nel modo che si è detto di sopra, gli potrà assolvere; e se sono stati ammoniti più volte, nè si sono in modo alcuno corretti, differisca di dargli l'assolutione, sinchè abbiano dato principio, e veri segni et prova per qualche tempo dell'emendatione. – Il medesimo modo osservi con quelli, nelli giorni di Festa perseverano in lavorare e vendere, o fare altre cose proibite. – L'istesso osservi con quelle persone, le quali nel superfluo ornamento del corpo, e pompa peccano mortalmente.... » Quae materia fusius explicatur.

« *38.* Avertisca ancora, che non solo non possono assolvere quelli, che veramente non hanno ferma deliberatione di lasciare il peccato mortale, ma nè anco quelli, che se ben dicono di desiderare di lasciarlo, nondimeno affermano, che gli pare, che non lo lascieranno; se questi tali non vogliono pigliare quelli rimedii, senza li quali il Confessore giudica, che torneranno al peccato. *Si differisca anco l'assolutione, sinchè si vede qualche emendatione, a quelli, quantunque dicano, e promettano di lasciar il peccato, nondimeno il Confessore giudica probabilmente, che non lo lascieranno, come sono alcuni huomini, specialmente giovini otiosi, che il più del tempo stanno in professione di giuochi, crapule, amori, peccati carnali, biastemme, parole dishoneste, mormorationi, odii, detrattioni, e vengono solamente li ultimi giorni di Quaresima a confessarsi; e quelli, che molti anni hanno perseverato, e sono ricaduti nelli medemi peccati, nè hanno fatto diligenza alcuna d'emendarsi...* » [1]

2. Nihil hic habet S. Carolus *de admonitionibus praemissis;* et quod non per accidens, sed consulto eas commemorare omiserit, ex eo patet,

1) Sic legitur in editionibus, Innocentii XII. et Benedicti XIII. jussu evulgatis. — Existit autem *versio latina*, in qua sensus hujus textus *minus recte* redditur, seu potius essentialiter immutatur. Dicitur enim in hac versione: « Est praeterea *consultum* absolutionem differre, donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametsi dicant ac polliceantur, quod se eximent a peccato, tamen Confessario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat. Ex hoc genere esse solent plerique adolescentes, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti, crapulam et amores inhonestos sequuntur, qui libidinibus pascuntur, verba obscena proferunt, murmurant, in odiis ac detractionibus versantur quotidie, et confessionem differunt ad ultimos Quadragesimae dies. Idem faciendum est cum iis, scilicet ut differatur absolutio, qui cum multos annos in peccatis suis perdurant, nihil interim adhibita opera in emendationem vitae, in eadem peccata iterum atque iterum labuntur. » — Verum in textu, non de *mero consilio* sermo est, sed de *praecepto;* et absolute dicitur: « *Si differisca* anco l'assolutione. »

Citatam versionem latinam etiam refert *Gummarus Huygens*. Doctor Lovan. in opusculo: *Methodus remittendi et retinendi peccata*, edit. 2. Vicetiae 1759., Praefatio Apologetica, pag. 7. Addit autem, et recte quidem: « Dum hic audis vocem: *consultum*, ne propterea aestimes, S. Carolum significatum voluisse, quod istud non sit praecepti, sed consilii tantum: nam illico subnectit: *Idem faciendum est cum iis (scilicet ut differatur absolutio).* Censet ergo, idem agendum cum anterioribus, quod asserit de postremis: his vero non dicit: *consulto* absolutionem differri; sed utendo verbis istis: *faciendum est, ut differatur*, satis superque indicat absolutionem debere differri. » — Dein praefatus Auctor sic pergit: « Verumtamen, ne dubium ullum de Sancti Praesulis mente supersit, en sensum lingua ipsius vernacula clarissime expressum: « *Si differisca anco l'assolutione, sinchè si veda qualche emendatione, a quelli che quantunque dichino, e promettino di lasciare il peccato, nondimeno il Confessore giudica probabilmente, che non lo lascieranno.* » Id est, *differatur* adhuc absolutio, donec videatur aliqua emendatio, illis qui, quantumvis dicant et promittant relinquere peccata, nihilominus Confessarius judicat probabiliter, illos peccata non relicturos. »

quia in Instructionibus praecedentibus, expressis verbis dicit, poenitentem prima vice absolvi posse, et absolutionem iis tantum differendam esse, qui jam a Confessario semel (quoad illos, qui doctrinam christianam addiscere negligunt), vel saepius admoniti fuerunt. Attamen de illis tantum consuetudinariis loquitur, quos, non obstantibus eorum promissionibus, peccatum non derelicturos esse, probabiliter judicandum esse dicit. Unde statim, et sine praevia emendatione absolvi possunt, qui, praeter ordinarias affirmationes et promissiones, extraordinaria doloris et propositi signa exhibent, quibus probabilitas ista tollitur. Si autem S. Carolus praecipit, ut non absolvantur consuetudinarii, qui *prima vice confitentur* pravam consuetudinem, in qua emendanda nullam eousque diligentiam adhibuerunt, nisi extraordinaria dispositionis signa adferant: a fortiori, ut per se intelligitur, hujusmodi *signa* exigit, si jam vel *semel* in confessione *admoniti* fuerunt.

II. – Innocentius xii.

Instructio S. Caroli summa pollet auctoritate, tum propter *sanctitatem Auctoris*, tum propter *consensum plurimorum Theologorum* saecularium et regularium, tum quia *multa Concilia provincialia et dioecesana eam adoptaverunt*, tum maxime quia *Innocentius XII.* hanc Instructionem noviter typis imprimi jussit, et omnibus Confessariis Urbis et ejus districtus praecepit, ut eam in administratione Sacramenti Poenitentiae pro norma haberent.

Apparuit haec nova editio, Romae anno 1700. sub titulo: « *Avvertimenti di S. Carlo per li Confessori, stampati d'ordine di N. S. Papa Innocenzo XII., e pubblicati dal Sig. Card. Carpegna Suo Vicario, per uso dei Confessori di Roma e suo distretto...* » – Praefixae sunt litterae *Cardinalis Carpegna* omnibus Confessariis inscriptae, ex quibus sequentia allegare juvat: « La premura d'aver buoni Ministri, e fedeli dispensatori dei Divini Misteri... Vi propone (Summus Pastor) *nuove leggi, che voi dobbiate seguire nel vostro ufficio*, formate già da quel gran lume della Chiesa, e idea dei veri Pastori d'anime, S. Carlo... *Se pur nuove possono dirsi, mentre che quel S. Prelato le cavò dalle viscere della più antica disciplina della Chiesa, e dalli arcani della più sana dottrina; anzi dalla natura medesima del Sagramento della Penitenza*, il quale sendo stato istituito per modo di giudicio emendativo, necessariamente richiede, e che si puniscano le passate colpe, e si rimovano, quanto più si può colla divina grazia, anche le nuove. Queste sagre leggi, e saviissimi avvertimenti contenuti in questo libretto, vi esorta il SS. Padre a leggere e rileggere, ed averlo di continuo tra le mani come una regola d'oro, con cui vi sarà facile di raddrizzare i torti costumi de' popoli. *E questo egli ha voluto, che noi notifichiamo a voi tutti, come a figli d'ubbidienza*, e comministri e cooperatori suoi nella grande opera divinissima fra le divine, di condurre le anime al cielo: sicchè non mai si dica a' Sacerdoti Evangelici: *Sinite illos: caeci sunt, et duces caecorum.* [1] Ma bensì ognun di voi, e con l'esemplare pietà della vita, e con la prudente direzione de'consigli, e con la vera e soda dottrina fondata ne' sentimenti e nella prattica de' SS. Padri, che col lume del cielo ressero il popolo cristiano, *e non colle nuove e poco ben fondate opinioni*, faccia per modo, che nel giorno de' conti possa dir con franchezza al Sovrano Giudice e Padre delle anime: *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo... et nemo ex eis periit nisi filius perditionis*, (che non volse se-

1) Matth. 15. 14.

guire le rette vie, che gli si additavano) *et quos dedisti mihi, custodivi: et non perdidi ex eis quemquam.* »[1]

III. – Benedictus xiii.

Summus hic Pontifex, cum esset Archiep. Beneventanus, *Instructionem S. Caroli,* iterum typis imprimi curavit, ut videre licet ex Libro: « *Opuscula varia, variis temporibus pro Beneventana Archidioecesi, vel calamo vel jussu Fr. Vincentii M. Ordinis Praedicatorum, S. R. E. Card. Ursini Archiepiscopi, nunc SS. D. N. PP. Benedicti XIII. in lucem edita, in unum tandem collecta novisque typis excusa. Romae 1726.* » – In qua collectione primo loco habentur: « *Avvertenze di S. Carlo Borromeo per gli Confessori* », conformes in omnibus editioni Innocentianae, praeterquam quod singulae Instructiones in paragraphos digestae sunt, quorum tenor breviter indicatur.

Sequitur secundo loco, ipsius Benedicti XIII.: « *Epistola di Avvertimenti Pastorali per la retta amministrazione del Sagramento della Penitenza.* » In qua, §. VIII. *Come debba portarsi il Confessore in assolvere i Recidivi?* dicitur: « Quando havete avanti un Recidivo, se dà segni di vero pentimento, e di fermo proposito, potete assolverlo ancorchè temeste, che facilmente fosse per tornare, come *canis ad vomitum;* e la ragione si è, perchè il dolor presente, ed il presente vero proposito di non peccare nell' avvenire, non già il non peccare nell'avvenire, è quello, che di presente lo rende disposto, e però gli dà jus all'assoluzione. *Allora poi potete giudicar disposto il Recidivo per essere assoluto, quando nell' accusarsi dà segni di compunzione non ordinaria:* quando s'accosta alla confessione, mosso non da usanza, ma da *notabil rimorso:* quando porta seco *qualche emendazione:* quando ha usato *i rimedj* altre volte propostigli: quando accetta di buon cuore i preservativi, che gli suggerite; *quando non habbiate tali contrassegni del suo dolore, e del suo proposito, non dovete assolverlo; ma differirgli l'assoluzione, sino ad essere di ciò bastantemente chiarito.* Intanto prescrivetegli qualche divozione idonea a fargli conoscere il suo pessimo stato, ed a meglio disporlo per essere assoluto. »

Idem ergo, quod S. Alphonsus, de recidivis docet Benedictus XIII., scilicet, recidivo eodem modo sine ulla emendatione revertenti absolutionem differendam esse, etiamsi *semel tantum admonitus* fuerit: nisi signa compunctionis non ordinariae exhibeat.

Et §. IX. *Come con gli allacciati dalla Occasione prossima?* dicitur: « Dobbiamo Noi qui avvertirvi, *che non facilmente vi persuadiate questa malagevolezza di rimuovere la occasione in chi ve l'asserisce:* perchè ella dev'esser tale, che costituisca una morale impossibilità, *ed a voi tocca colla vostra prudenza,* illuminata dal lume dello Spirito Santo, *il discernerla. Se voi starete a quanto vi dirà il Penitente, per lo più (credetelo) resterete ingannati.* – Ma voi qui ci cercate, *se, promettendo il Penitente di rimuovere la occasione, ve ne abbiate a fidare, ed assolverlo sotto tale promessa. Vi rispondiamo, che, sebene alcuni insegnano, che la prima volta ciò può farsi, stimiamo in pratica non doversi far mai; perchè la sperienza, maestra anche de' dotti, insegna che non se ne fa nulla.* Chi mai fece la quietanza al debitore, prima che questi sborsasse il danajo? Chi medicò la ferita, prima di trarne la frezza? *Non dovete dunque assolverli di fatto, se prima di fatto non tolgono la occasione;* perchè di fatto non ne sono capaci; mentre,

1) Joan. 17. 12.; 18. 9.

essendo obbligati perciò a non volere il peccato in veruna differenza di tempo, di presente vogliono ciò che moralmente è connesso col peccato, quale è la occasione prossima, ed in conseguenza vogliono il peccato medesimo. – Ma voi ci direte, sembrarvi questo nostro avviso *rigoroso soverchio,* stante massimamente che pare, che siccome è lecito assolvere subito un Recidivo, quando mostri gran compunzione, e risoluzione efficace di ammenda, ancorchè preveggasi prudentemente che ricaderà; così sembra potersi sotto questi termini stessi, assolversi uno allacciato dalla occasione prossima, ancorchè preveggasi che tornerà al peccato. Ma voi prendete abbaglio nella parità; imperocchè intanto può assolversi un Recidivo disposto, come è detto, in quanto il proposito presente, non la perseveranza avvenire, lo dispone all'assoluzione: là dove *nello allacciato dalla occasione prossima non si trova tale disposizione, per mancanza di efficacia nel proposito,* che di presente potrebbe stabilire col rimmovere la occasione, e non vuol farlo. Sappiamo che troverete alcuni pochi, che più specolativi che pratici, in qualche caso vi concederanno l'assolvere uno allacciato dalla occasione prossima sotto la promessa di levarla; ma se, seguendoli, come *giudice* forse non errareste, *errareste del certo in quanto Medico,* le parti del quale rigorosamente v'incombono, come diremo fra poco, lasciandolo in pericolo evidente di ricadere.»

IV. - S. Franciscus Salesius.

Inter Episcopos, qui Instructionem S. Caroli commendaverunt et adoptarunt, fuit etiam S. Franciscus Salesius, ut patet ex ejus Constitutionibus Synodalibus, Tit. 9. cap. 5. Ibidem dicit: « Quandoquidem plures Confessarii in absolutione impendenda se faciles exhibent ad eam, quam poenitentes faciunt pollicitationem sese emendandi, occasionem proximam deserendi, etc. Diligens examen instituendum est, *an fidem in anteactis confessionibus jam tum promiserint.* Si id quidem polliciti fuerint, *nec tamen steterint,* non est, quod Confessarius fidem habeat, donec sint ab occasione sejuncti, et quidem donec aliquo tempore illam non repetentes vixerint. » - Porro: « *Confessarii different absolutionem illis, quos hac gratia indignos judicabunt. Cujusmodi sunt, ... qui vitiosis habitibus blasphemiae, luxuriae, etc. eradicandis, omnes nervos non intenderunt, in confessione alias commoniti.* »

Ab illis igitur, qui jam semel in confessione admoniti fuerunt, S. Franciscus Salesius exigit, quod summam sollicitudinem in eradicando pravo habitu, et consequenter media a Confessario praescripta diligenter adhibuerint, ut absolutionis gratia digni judicari queant.

V. - Benedictus XIV.

Sanctis Carolo Borromaeo et Francisco Salesio assentitur etiam Benedictus XIV., qui in opere: *de Synodo dioecesana,* [1] de Ordinando, prava consuetudine eousque irretito, disserens, sententiam S. Alphonsi cum laude *prudentiae* allegat,[2] et deinde dicit: « *Omnes graviores Theologi in eo consentiunt,* ut non cuilibet poenitenti concedenda sit absolutio; sed iis deneganda, qui vel poenitentiam minime profitentur, vel fictae poenitentiae indicia praeseferunt; *iis autem differenda sit, quorum poenitentia incerta et suspecta merito habetur: quod etiam fieri praescribunt Instructiones Confessariis propositae tum a S. Carolo Borromaeo, tum a S. Francisco Salesio, qui regulas omnes pro recta absolutionis dispensatione a S. Carolo traditas, in suis Constitutionibus Synodalibus adoptavit,* ut ex earum Tit. 9. art. 5. num. 3. videre licet... »

1) Lib. 11. c. 2. n. 17. — 2) Vid. infra, Cap. II. *s.* 4.

ARTICULUS 2.

Praefatae doctrinae omnino adhaerent Ven. Paulus Segneri et S. Leonardus a Porta Mauritio.

I. – VEN. PAULUS SEGNERI, *e S. J. Ven. Segneri,* quem S. Alphonsus in n. 460. pro sua sententia allegat, sequentem ponit quaestionem in opusculo, cui tit. *Il Confessore istruito,*[1] cap. 4.: « *Come il Confessore abbia da regolarsi, sì nel dare l'assoluzione, e sì nel negarla.*» – Et primo de poenitente agit, qui peccatum reservatum Confessario simplici confitetur; dein sic pergit:

« Fuori di simili eventi fin qui accennati, è certissimo che ove il peccatore, già esposte bastevolmente le proprie colpe, ha dati ancor quelli indizi che son dovuti, di dolor vero, ha già ragione sopra la sua assoluzione, nè voi potete negargliela senza fargli un solenne torto. *Ma la difficoltà consiste in conoscere questo vero dolore;* perchè bene spesso comparisce con l'istesso abito la vera penitenza e la falsa, e mostra un medesimo volto il finto *peccavi* di Saule, e il sincero di Davide. Di qui nascono le angustie somme di un povero Confessore; il qual da un lato, non dee per impazienza di curare venir subito al taglio, e non dee dall'altro, per troppa condiscendenza, dare alla piaga comodità d'incrudirsi e d'infistolire, mentre la dichiara già sana. Per tanto, affinchè vi accertiate bene, quando convengasi dare al vostro penitente l'assoluzione, e quando non si convenga, sono da considerare in esso tre stati che portano maggior dubbio: di *recidivo,* di *occasion prossima,* e di *pubblico peccatore.* »

« Parliamo prima del primo, come di male ch'è comunissimo. Questo è quel male, che ha colmata di funeste memorie la strada del paradiso, su cui si scorgono l'orme ripentite di tanti che, lasciate appena le mosse per correre a tanta gloria, per conquistarla, sono subito ritornati, come più codardi de' giumenti, alle loro stalle, senza temer punto il rimprovero che fe' il Profeta a tutta la loro ignobilissima razza, allorchè gridò: *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas.*[2] Con tutto ciò, se voi prudentemente stimiate che alcuno d'essi abbia proposito vero di mutar vita, voi potete a lui dare l'assoluzione, ancorchè temiate che debba facilmente tornare al vomito, e ancorchè sappiate che, come can putridissimo, v'è già per addietro tornato, non una volta sola, ma molte e molte. La ragion è, perchè la risoluzione presente c'ha di emendarsi, è materia del Sagramento; non è la emendazione futura, che col favore divino pur è possibile ancora ad un incostante: *Potens est enim Deus,* come l'Apostolo dice,[3] *statuere illum.* – Ma se per contrario, *a voi paia che alcun di loro non detesti la colpa con efficacia, e che, posseduto da' suoi tirannici affetti,* o d'interesse, o d'impurità, o di furore, *non volga quanto dovrebbe il suo cuore a Dio; allora non vi è permesso di assolverlo in modo alcuno, non ostante che egli asserisca di essere contrito:*[4] *perchè in questo tribunale voi siete il giudice, e però a voi si appartiene ancor giudicare chi sia disposto, senza rimettervi in questo al detto del reo, a cui ben dovete credere, come a quello che ancor è testimonio; ma non allora che una più forte presunzione del fatto si oppone alla protesta delle parole.*[5] »

« Ma qui sta tutto il punto, direte voi: avete qualche regola buona da assicurarsi, quando si debba alle promesse di costoro dar fede, e quando negare? Rispondo. Se un tal peccatore nell'accusar se medesimo, mostra *segni di dolore non ordinario;* se viene a confessarsi non per usanza

1) Cfr. *Opere del P. Paolo Segneri,* Vol. 4. Torino 1856. pag. 138. — 2) Jerem. 2. 36. — 3) Rom. 14. 4. — 4) *De Lugo,* de sacr. poenit. disp. 14. sect. 10. n. 166. — 5) *Ant. Perez,* de poen. dis. 3. c. 4. n. 64. *Coninch.* de sacr. poen. dis. 8. dub. 17. n. 132.

che n'abbia, ma per trovar rimedio a quella sua colpa che fuor dell'uso lo inquieta; se porta con esso sè qualche emendazione, o se almeno egli ha posto qualche sollecitudine, qualche studio per emendarsi; se non essendo stato avvisato altre volte del suo mal grave, adesso riceve in bene l'ammonizione che voi gli fate, e si risolve di usar que' preservativi che voi gli prescriverete á non cadervi: in tutti questi casi dovete credergli, e così prosciogliergli ancora come disposto. [1] – *Ma se per contrario, non vi reca avanti nessuna di queste disposizioni,* ma più tosto una soma di scelleraggini più eccedente, senza risentirsi del peso, e senza punto però pensare nè a scuoterlo, nè a scemarlo: *con che prudenza lo giudicherete voi per contrito?* Come riputerete *efficace* quella volontà, che non applica verun mezzo per conseguire il suo fine? Questo per verità non è un portare un proposito inciso in marmo, anzi nè pure in creta, nè pure in cera, ma scritto in acqua. [2] »

« *Che se gl' indizi fossero tanto dubbiosi, che non sapeste risolvervi interamente, che avete a fare? In questo caso, pigliate spazio maggiore a determinarvi.* Non negate l'assoluzione al vostro penitente, ma *differitegliela.* Ritorni fra tanto tempo: fra tanto ch'egli si disponga *con segni alquanto più certi di pentimento,* e voi possiate ricever maggior lume, e dalla prudenza con ripensar più attentamente al suo stato, e dall'orazione con raccomandarvi al Signore più frequentemente. [3] – *Anzi questo differimento di assoluzione vi gioverà talor anche con quei recidivi medesimi, che voi per altro riputiate disposti con proposito sufficiente a riceverla.* Perchè questo suol essere come appunto un carbon di fuoco che, dato in tempo, scuote a maraviglia dall'animo quel letargo ch'era già vicino a cambiarsi in sonno di morte: fa che il penitente confuso apprenda il suo male, vi proveda, vi pensi; e se già lo truova compunto, accresce indicibilmente la contrizione; sì che quel pentimento, che prima leggiero e languido, avrebbe facilmente ceduto ai semplici inviti dell'oggetto presente, si invigorisce, e sa resistere ancora alle batterie. *E così questo rimedio vien dagli Autori* [4] *insegnato comunemente, ed è praticato da providi Confessori con molto frutto,* massimamente dove già gli altri più soavi si sono trovati inutili. Fra quel mezzo poi che voi così differite l'assoluzione, prescrivete al vostro penitente qualche divozione, o di tante limosine, o di visitare tante volte il tal altare, o di udire tante volte il tal predicatore, o altra simile, che vaglia come di mezzo a ottenere questo proposito più robusto. *Spero che la pratica v' insegnerà, quanti per questo rimedio, usato opportunamente, mutino vita, e lascino tra le angustie di questa moderata severità, quelle spoglie di cattive consuetudini, che non si avevano da più anni saputo staccar di dosso.* »

Supersedemus commentario: alioquin enim manifeste patet, doctrinam Ven. Pauli Segneri ex asse consonare cum illa, quam S. Alphonsus tradit. Disertis verbis docet, consuetudinarium recidivum *numquam adhuc admonitum* et remedia a Confessario ipsi proposita prompto animo acceptantem, absolvi posse; at recidivum *semel admonitum* non esse absolvendum, nisi insolita et extraordinaria doloris signa exhibeat; si demum *indicia adeo dubia* essent, ut Confessarius anceps haereret, absolutionem differendam esse.

1) *De Lugo* l. c.; *Laym.* lib. 5. tr. 6. c. 4. n. 10. — 2) *Laym.* l. c., V. *Verumtamen interdum.* — 3) *De Lugo* et *Layman*, l. c.; *Henriq*, lib. 4. c. 24. n. 4. — 4) *De Lugo*, l. c. n. 168. — *Arriag.* de poen. disp. 38. sect. 6. — *Castrop.* T. 1. tr. 2. disp. 2. punct. 9. §. 3. n. 17. — *Bonacina*, de matr. q. 4. punct. 14. n. 14. — *Regin.* in praxi, t. 1. lib. 8. n. 9.

II. – S. Leonardus a Portu Mauritio.

Ad Ven. P. Segneri accedit *S. Leonardus a Portu Mauritio*, a S. Alphonso non quidem in Theologia morali, at in *Hom. Apost.*[1] et in *Praxi Confessarii*[2] allegatus. – Hic in aureo opusculo cui titulus: *Discorso mistico e morale*[3], *n. 9.* sequentem monitionem praemittit: « Per camminar cauti, avvertano, che io non intendo mettere in disputa opinioni probabili: il tal Dottore l'intende così, e l'altro così; no, signori miei, *intendo piantare li fondamenti della Morale, abbracciati comunemente da tutti li Dottori, corroborati dal sentimento de' Santi Padri, e quel che è più, stabiliti dall'oracolo del Vaticano;* pertanto esponiamo qui in pubblico agli occhi di tutti, le tre proposizioni dannate, che ci serviranno di scorta, e daranno lume per non isbagliare nelle nostre decisioni. La prima riguarda li *consuetudinari: Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem;* ed è la sessagesima d'Innocenzo XI. La seconda fu fulminata contro gli *occasionari,* ed è la sessagesima prima dello stesso Pontefice: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere; quinimo directe, et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.* La terza risguarda gl'ignoranti de' misteri della santa fede: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis D. N. J. C.:* ed è la sessagesima quarta del medesimo Innocenzo XI. »

Porro triplici huic damnationi, veluti firmo et inconcusso fundamento, S. Leonardus doctrinam de *consuetudinariis* et *recidivis* superstruendam esse asseverat. Unde sic prosequitur: « Ecco con queste tre proposizioni, recisi i tre capi di quell'idra d'averno, di cui eguale al terrore era altresì il danno, che cagionava a tante povere anime, che affidate a sì falsa dottrina, se ne piombavano miseramente all'inferno. Pertanto procuriamo di smidollarle ben bene, per mettere in mostra la verità; e cominciamo dalla prima, che risguarda i *consuetudinari.* – Vorrei sapere da lor signori, perchè la Santa Sede condanna questa proposizione, la quale non vuole, che si differisca mai l'assoluzione al penitente, benchè recidivo e consuetudinario, purchè proferisca colla lingua d'aver dolore, e proponimento? Non per altro certamente, se non *perchè spetta alla prudenza del Confessore, qual giudice e medico delle anime* prima di dare la sentenza, *formare un giudizio prudente e probabile, che nel penitente vi sia la vera interna disposizione,* senza la quale non giova l'assoluzione, e si rende frustraneo il Sagramento; e *perchè dalle frequenti cadute e ricadute,* che fa un misero recidivo e consuetudinario, *nasce una ben grande presunzione, che per verità non abbia la predetta interna disposizione, e che in lui manchi il vero dolore e proponimento,* che sono la materia prossima del Sagramento; con tutta la ragione vien condannata come temeraria, erronea, e scandalosa la detta proposizione. – Or ecco la chiave di tutta questa materia, e ce la porge l'Angelico,[4] il quale francamente decide, che il Confessore: *Non potest ligare, et solvere ad arbitrium suum, sed tantum sicut a Deo sibi praescriptum est;* e vuole il Santo Dottore, che

1) Tract. ult. num. 14. — 2) Cap. 5. — 3) Cfr. *Collezione completa delle opere del B. Leonardo....* Vol. 6., Roma 1854., pag. 33. et seqq. — 4) Part. 3. q. 18. art. 3. 4.

ogni Confessore, prima di assolvere, abbia *motivo sufficiente di formare il predetto giudizio prudente, e probabile della disposizione del penitente.* Ma perchè solo Dio *intuetur cor,* e l'uomo non può penetrarne i segreti, se non per mezzo di *certi indizi esteriori;* credo che sarà pregio di tutta l'opera, se si darà un sufficiente lume ai Confessori per conoscere questi indizi, acciò in pratica possano risolvere, quando possa assolversi un penitente, benchè consuetudinario, e quando gli si debba differire l'assoluzione; affine di ubbidire alla santa Chiesa, che proibisce sotto precetto il porsi in pratica la predetta dannata proposizione: ne assegnerò sette favorevoli a' consuetudinari, e sette altri contrari. - Dico dunque, che un peccatore recidivo, e consuetudinario male abituato in qualsisia sorte di peccati, o sia positivamente tale, perchè cade frequentemente in spergiuri, bestemmie, odj, mollizie, fornicazioni, furti, e simili; o solamente *se habeat privative,* perchè volontariamente trascura di restituire la robba altrui, la fama, l'onore, non adempie i legati pii di messe, voti, etc.; dico, che *ordinariamente potrà assolversi, se il Confessore vedrà, che vi concorra alcuno de' seguenti indizi,* per cui possa formare il suddetto prudente giudizio della sua interna disposizione. »

Deinde *n. 10.,* septem *signa favorabilia* pro consuetudinariis et recidivis enumerat: « 1° Il primo si è, se un tal peccatore *non è stato mai corretto,* nè avvisato da verun Confessore del suo mal stato, e di presente illuminato con una efficace ammonizione e correzione, *promette ex corde l'emendazione, e più che volentieri accetta qualsisia penitenza* in preservativa, come soddisfattoria, e dimostra *una ferma risoluzione* di volersi emendare. - 2° Se porta *un dolore speciale, e si confessa lagrimando;* purchè le lagrime siano eccitate da qualche motivo soprannaturale, e non siano parto di un cuor femminile, nè provengano da afflizioni, o motivi temporali, ma si conosca, che è mosso veramente da Dio a detestare li suoi peccati.... 4° Se avvisato antecedentemente da altri Confessori, *ha posto in pratica li rimedi,* che li sono stati prescritti, e se non in tutto, *almeno in parte si è emendato,* sminuendo il numero delle sue cadute...»

Caetera signa praetermittimus, quippe quod alioquin quoad maximam partem cum iis conveniant, quae a S. Alphonso proponuntur. Concludit autem S. Leonardus: « *Non vi ha dubbio, che ne' predetti casi, il Confessore ha motivo sufficiente per formare un prudente giudizio dell' interna disposizione del penitente, e lo può assolvere,* perchè *adest spes emendationis:* nè si aderisce al senso depravato della suddetta proposizione, la quale, *etiamsi non adsit spes emendationis,* vuole che si assolva; *benchè non manchino Dottori classici, i quali con fondamento di ragione tengono, che anche negli accennati casi, lecitamente si possa differire per motivi tendenti al maggior bene, ed utile del penitente; se bene d'ordinario non sarà conveniente in pratica,* massime se si teme, che il povero penitente irritato ed atterrito, o dia in disperazione, o si allontani da' sagramenti. »

Sequuntur dein *n. 11.* septem *signa contraria:* « Conosciuti gl' indizi della disposizione d' un cuore veramente compunto, restano a considerarsi quelli di un penitente finto, o mascherato, che non potrà assolversi da verun Confessore, senza porsi a rischio d' incorrere la nota di vero disubbidiente alla Chiesa, che proibisce la pratica dell' accennata proposizione. - 1° Il primo si è, *se il penitente, dopo essere stato corretto due, o tre volte* da zelante Confessore, ed avvisato del suo mal stato, ritorna sempre collo stesso, e forse con maggior numero di peccati

della medesima specie, nè si vede, nè si spera alcuna emendazione. - 2° *Se non dà verun segno di maggiore abborrimento al peccato* più di quello, che abbia dato altre volte; ma dalla sua freddezza chiaramente si conosce, che è la lingua, non già il cuore, che detesta i peccati. - 3° *Se ha tenuto poco conto de' rimedi datigli* per la sua emendazione dal medesimo o da altri Confessori, nè si mette in pena d'aver trascurato di praticarli. - 4° *Se per l' addietro è vivuto sempre colla medesima negligenza,* e tutto intento a compiacere le sue passioni, non ha fatto mai cosa alcuna per emendarsi; anzi rinforzando sempre più i suoi mali abiti, ha dato a conoscere che poco si cura della sua eterna salute. - 5° Se viene a confessarsi per impegno, *o perchè è la Pasqua, o ne viene precettato* dal maestro, padre, madre, o altri; ovvero *perchè ha l'uso di sagramentarsi ogni otto giorni, o per altri motivi simili,* tendenti a secondare i rispetti del mondo, con poco o niun pensiero di mutar vita, e compire i doveri di buon cristiano. - 6° Se scusa le sue colpe, contrasta col Confessore, *non vuole accettare le penitenze,* sì *preservative,* come soddisfattorie, nè mostra docilità alcuna, anzi si dà a conoscere per incorreggibile, ed ostinato ne' suoi impegni peccaminosi. - 7° Per ultimo, *se si vede in lui una gran propensione al peccato,* ed una mala inclinazione sì veemente, che dà a conoscere esservi talmente attaccato, che se bene colla lingua dica d'averne dolore, *prudentemente non li si può credere:* ma più tosto un sì grande attacco dà motivo di giudicare, che per verità non l'abbia. »

Quibus signis enunciatis, sic concludit: « Or chi non vede, che al lume de' suddetti indizi, mi si apre un adito ben grande per decidere con tutta franchezza, che *se il Confessore ne' casi addotti, pesate bene tutte le circostanze, non può formare il sovraccennato giudizio probabile della disposizione del penitente;* e molto più, se lo giudica veramente indisposto, *deve negare l'assoluzione,* e se ne dubita, deve adoprarsi con caritative ammonizioni, e fervide esortazioni, per disporlo, e *quando non gli riesca di purgare il suo dubbio, deve differire, finchè il penitente dia segni più certi della sua disposizione?* »

Docet S. Leonardus, poenitentem *bis vel ter admonitum,* et eodem modo recidivum, non esse absolvendum: ex quo colligi oportet, ejusmodi recidivum absolvi posse, etiamsi bis vel ter admonitus fuerit. Sed hoc intelligendum est: *dummodo remedia praescripta adhibuerit; si enim haec remedia parum curavit,* nec dolet, quod ipsa neglexit, juxta *tertium* signum *jam post primam admonitionem* absolvi nequit. Idem dicendum est juxta *secundum* signum, si recidivus majorem detestationem peccatorum suorum non manifestat, quam antea.

Articulus 3.

Eamdem doctrinam propugnant Mazzotta, Reuter et Voit, e Societate Jesu.

Gravissimis istis Auctoritatibus adjungimus tres insignes Societatis Jesu Theologos; quos eo libentius adducimus, quia Probabilismum profitentur: quod idcirco observamus, ne quis forte credat, ipsos Tutiorismi aut Rigorismi placitis adhaerere.

I. - P. Nicolaus Mazzotta.

Hic Auctor, S. Alphonsi coævus, et ab ipso in n. 460. allegatus, scribit:[1] « *Recidivus* dicitur, qui post poenitentiam relabitur in idem peccatum, sive ex fragilitate aut consuetudine, sive ex occasione extrinseca. Dico: *non potest absolvi reci-*

1) Theol. mor., T. 3. tr. 6. de poen. disp. 2. q. 4. s. 3. (Cfr. 1. edit. Neap. 1748., Aug. Vind. 1756., et Bassan. 1781.).

divus si nulla appareat spes emendationis, etiamsi ore proferat, se dolere et proponere emendationem: potest tamen absolvi, si aliqua appareat spes emendationis. - Ratio deducitur ex Prop. 60. damnata ab Innocentio XI.: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem:* ergo si aliunde appareat spes emendationis, potest licite absolvi. Porro *signa* talis spei sunt: si a confessione facta, *aliquanto rarius, difficilius, aut tardius peccavit:* si saepius sibi vim fecit, occasiones aliquas formales *vitavit,* locum et tempus relabendi aliquando praecavit: si *remedia aliqua* adhibuit, praesertim ex praescriptis a Confessario: si *sponte sua,* et non ab aliis compulsus, ad confessionem et praesertim ad eundem Confessarium accedat: si statim post peccatum *dolore tactus* confiteri statuit, vel *post multam luctam* tandem resolvit: si initio graviora dicat, accuset se etiam de aliis omissis, sollicite exponat numerum et minutas circumstantias, curetque, ut omnia bene intelligantur: *si petat efficaciora remedia,* desideret, aut alacriter acceptet magnam poenitentiam, optet pati ad satisfaciendum Deo, injurias ultro condonet, etc. *Haec, vel aliqua horum, prudenti Confessario esse possunt argumenta sperandi emendationem,* adeoque bonae dispositionis de praesenti, et consequenter potest licite absolvere. Croix, n. 1733. - Contra vero, *si nihil horum appareat, etiamsi ore proferat, se dolere et proponere emendationem, nequit absolvi, cum in hoc tali nulla appareat spes emendationis.* »

« Infers primo: Si recidivae peccati proveniant ex sola fragilitate, aut consuetudine, non peccare Confessarium, si talem absolvat toties quoties affulget ex praedictis signis spes aliqua emendationis; quia sic poenitens ex parte sui aliquid affert: Laymann, Lezana, Croix n. 1822.; et D. Hieronymus relatus c. *Septies* d. 3. de Poenit. ait: « Non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad poenitentiam, peccata condonentur... »

Omnino ergo convenit cum S. Alphonso *Mazzotta,* docens, poenitentem eodem modo recidivum non esse absolvendum, nisi aliqua ex *signis* enumeratis praebeat, *quin ullo modo inter semel et bis admonitum distinguat.*

II. - P. JOANNES REUTER, S. J., Professor Theologiae in Universitate Trevirensi.

In opere inscripto: *Neo-Confessarius practice instructus, seu Methodus rite obeundi munus Confessarii,* [1] quaestionem proponit: « *Quomodo practice procedendum cum consuetudinario extra occasionem proximam?* » et dicit: « *Respondeo I.* Regulariter danda est absolutio consuetudinario extra occasionem proximam, quando prudenter judicatur afferre dispositionem requisitam, aut ad illam per exhortationem et industriam Confessarii jam adductus esse; *nisi illam ad tempus differri suadeat, aut exigat illius utilitas, inconstantia,* vel aliqua necessitas, etc. Ratio est, quia per confessionem acquisivit jus ad absolutionem; ergo illi danda est, *aut modo, aut saltem post tempus aliquod,* si ad id eam differri causa justa suadeat, vel exigat. - Dixi: *Si prudenter judicetur. Nam, si judicium prudens formari non possit de requisita dispositione, per se loquendo, absolutio aut neganda aut differenda est.* »

« *Petes:* Ex quibus indiciis prudens illud judicium formari possit? - Respondeo I. *Ex indiciis sinceri doloris, et efficacia propositi futurae-*

1) Part. 3. c. 1. q. 4. (Cfr. edit. 4. Coloniae 1763.).

que emendationis, qualia sunt: 1°.Suspiria, gemitus, lacrymae sincerae. 2°. Si poenitens longum et difficile iter proprio motu, confessionis gratia, susceperit. 3°. Si peccatum, alias celatum, magno cum rubore confiteatur. 4°. Si aliquo tempore a peccato abstinuerit, intuitu confessionis faciendae cum fructu. 5°. Si jejunaverit, certas preces quotidie persolverit, pro confessione rite instituenda et venia impetranda, etc. 6°. Si major conatus emendandi sit adhibitus, si rarius vel difficilius ab ultima confessione, intra tempus priori simile relapsus sit: si sibi vim intulerit contra tentationem. 7°. Si circumstantias et illecebras peccatorum removerit, v. g. novum vitae genus sit amplexus, certam societatem periculosam vitarit: si quid evenerit, quod specialem metum incusserit. 8°. Si remedia contra relapsum praescripta cum fructu adhibuerit; si de industria ad Confessarium venerit, a quo efficaciora putabat media praescribenda. 9°. Si se offerat ad priora media serio et studiosius adhibenda, difficiliora libenter admittat, injurias ultro condonet: si desideret complices peccati converti, et velit ad id cooperari. 10°. Si optet pati ad satisfaciendum Deo offenso, vel gaudeat se a Deo puniri, aut approbet justam Dei vindictam. - Ex his deduco sequentes regulas pro praxi: »

« *Regula 1. - Absolvi potest consuetudinarius, imo et ordinarie debet, nisi aliud circumstantiae suadeant,* non solum, qui media praescripta adhibuit contra peccata consuetudinis jam ante confessae, et numerum imminuit: sed etiam, qui prima vice consuetudinem suam confitetur, et *jam judicatur prudenter esse dispositus,* vultque media proposita ad emendationem utilia vel necessaria adhibere. - Ratio patet ex dictis. Neque necesse est, ut Confessarius judicet, quod poenitens nunquam sit relapsurus; sed satis, quod *prudenter possit judicare, quod verum dolorem propositumque habeat, et spem faciat emendationis:* in his enim consistit sincera plenaque conversio. Unde et, si quis medicinales poenitentias non obivisset, eo quod a Confessario ipsi nunquam fuissent praescriptae, nunc autem paratus esset eas subire et media praescribenda adhibere, spemque faceret emendationis, absolvi posset. »

« *Regula 2. - Neganda consuetudinario absolutio est.* 1°. Si non velit *serio* allaborare, ut vincat consuetudinem, quia peccata sunt adhuc ipsi voluntaria in causa. - 2°. *Si media praescripta neglexit,* et quae scivit necessaria, non adhibuit pro vincenda consuetudine, nec modo *signa* dat *extraordinaria doloris et propositi,* idque, *licet dicat se jam paratum adhibere media difficiliora.* Ratio est, quia adest justa causa dubitandi de dispositione, et saepe tales promittunt magna, ex timore negandae absolutionis, sed *se et Confessarium decipiunt.* Unde, *saltem ad tempus, neganda absolutio,* ut discat melius apprehendere mediorum necessitatem. - 3°. Idem faciendum ob rationem datam, si post singulas confessiones frequenter deliberate relapsus est, ducto initio ab uno alterove die post confessionem. Excipe, nisi nunc alia adsint signa ex praedictis. »

« *Regula 3. - Differenda est absolutio.* 1°. Si ob frequentiam relapsuum *Confessarius prudenter judicare non possit, poenitentem esse rite dispositum, etsi is dicat, se dolorem et propositum habere.* Ratio est, quia Confessarius, utpote judex, debet prudenter judicare, reum esse capacem absolutionis; alias abutitur sua potestate; *estque praesumptio contra poenitentem, ubi non sunt indicia ad judicium prudens formandum sufficientia;* cum is fidem saepe datam fefellerit, lateantque in consuetudinariis pravi habitus, inclinationes et pravi affectus, quos experirentur, si se coram Deo examinarent, et conscientiam suam consulerent: v. gr. an, si occurrerent

ordinariae occasiones et illecebrae, non essent parati agere, negligere, ut ante, redire ad consortia et pericula? Unde languida et inefficacia saepe sunt eorum proposita, quibus voluntas non avertitur a peccatis, ita, ut si nunc adesset occasio ista repetendi, nulla ratione admitteret in iis complacentiam aut desiderium eorum; talis autem voluntas requiritur ad propositum. - 2°. *Si Confessarius judicet, quod absolutio, ante nimis facile impensa, ansam dederit relapsibus, ut proinde nulla sit spes emendationis, si iterum statim detur; absolutio, per se loquendo, differenda est, etsi Confessarius prudenter judicet, poenitentem hic et nunc esse dispositum.* Ratio est, quia ad Confessarium, utpote *medicum,* pertinet non solum vulnera curare praesentia, sed etiam media praeservativa a relapsu adhibere. Hinc, si dilationem judicarit necessariam, teneretur differre absolutionem; si autem non necessariam quidem, attamen valde utilem, non teneretur quidem, posset tamen, poenitente (licet hoc ordinarie non expediat) etiam invito: quia medici est providere infirmo, praesertim ubi agitur simul causa tertii, uti hic agitur causa Dei et Domini nostri; majusque bonum est, ad breve tempus carere gratia (quam tamen poenitens per contritionem acquirere potest, cum spe eam habendi deinceps perseveranter), quam statim eam accipere cum praesenti periculo, illam paulo post iterum amittendi. *Experientia enim constat, quod brevis dilatio absolutionis multum conferat ad emendationem consuetudinarii;* quia huic aperit oculos, ut cum sua confusione videat animae suae pericula, gratiaeque divinae det locum: juxta illud Psalm. 81. *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum Domine.* - Dixi: Per se loquendo. Nam in articulo mortis, et casu quo putaretur dilatio absolutionis poenitenti non profutura, danda esset absolutio. »

Docet ergo *Reuter,* absolutionem negandam esse consuetudinario, qui non *serio* allaborare vult, ut consuetudinem vincat; et *negandam aut saltem differendam esse, qui media praescripta neglexit, nisi adsint signa extraordinaria* doloris et propositi, ex enumeratis; quia adest justa causa dubitandi de dispositione. *Nec ullo modo distinguit inter semel et bis admonitum.*

III. - P. Edmundus Voit, S. J., Theologiae Professor in Universitate Herbipolensi.

In Theologia morali, Tom. 2. de poenit. n. 711. scribit: [1] « Poenitenti qui habet consuetudinem peccandi, *nisi specialia det signa doloris, neganda est absolutio.* Vide prop. 60. ab Innoc. XI. damnatam, ex qua damnata patet, negandam aut differendam esse absolutionem, concurrentibus his tribus circumstantiis; uti advertit Duarte, [2] scilicet: 1°. Si poenitens habeat consuetudinem peccandi. 2°. *Si nulla sit spes emendationis.* 3°. *Si tantum verbotenus asserat, se dolere et proponere, absque eo, quod det signum sufficiens, ex quo colligatur, quod serio loquatur.* - Ratio est, tum quia Confessarius, ut *judex,* ut possit absolvere, debet prudenter judicare, poenitentem esse *sufficienter dispositum,* habereque *propositum efficax* non peccandi; atqui de consuetudinario, qui solum ore profert se dolere et proponere, nisi *specialia signa serii animi* det, non potest ita judicare: cum experientia doceat, priora proposita fuisse inania; et cum serio proposito non posse stare tam frequentes relapsus. Ergo. Tum quia Confessarius, ut *medicus,* non tantum debet priora vulnera curare, sed etiam alia, quantum potest, impedire: ut docet *Trid. sess. 14.*

1) Cfr. edit. 6. Wirceburg., 1769. et Anconit. 1841. juxta Bassanens. 1766. — 2) V. *Consuetudo,* n. 151.

c. 8.: atqui non impediret, si talem absolveret, cum potius prudenter judicari possit, quod sicut prior facilitas absolutionis fuit ansa relapsus, ita et haec sit futura occasio relapsus. » – Deinde exponit illa signa specialia seu extraordinaria, quae quoad maximam partem cum iis conveniunt, quae a P. Reuter afferuntur, et concludit: « Ratio est, quia, datis ejusmodi signis, prudenter habetur spes emendationis. »

Ex gravissimis hisce testimoniis luculenter itaque patet, S. Alphonsum nullatenus *solum* esse (prout contendit cl. Ballerinius), qui doceat, poenitenti, jam post *primam* admonitionem eodem modo, sine ullo conatu emendationis, nullisque adhibitis remediis, recidivo, absolutionem non esse impertiendam, sed differendam, nisi extraordinaria dispositionis signa afferat. – Imo, haec sententia S. Doctoris optimo jure *communis* dicenda est; et quidem tanto magis, cum S. Carolus Borromaeus Instructionem suam, consentientibus multis Theologis saecularibus et regularibus ediderit, atque tot Episcopi et Synodi provinciales, imo tres Pontifices hanc doctrinam specialiter approbaverint et adoptarint. – Rationes autem intrinsecas, quae sententiam S. Doctoris evidenter comprobant, in seq. §. uberius exponemus.

§. 3.

Recidivo dubie disposito differenda est absolutio, usquedum habeatur prudens probabilitas de ejus dispositione.

Quae S. Alphonsus, Lib. VI. n. 461., de differenda absolutione recidivis dubie dispositis tradit, jam supra, pag. 653. allegavimus. Ad meliorem tamen quaestionis intelligentiam, non abs re erit quaedam ex ibidem dictis iterum referre. – Scribit itaque S. Doctor: « *Certum est*, quod » Confessarius *tenetur differre* absolutionem, *usquedum fiat moraliter certus de dispositione sui poenitentis, saltem per experimentum temporis vel mediorum, si poenitens sufficiens nondum praebeat signum suae dispositionis...* » Attamen notandum est,... quod in » aliis Sacramentis, cum materia sit » physica, physica requiratur certitudo; sed in hoc Sacramento Poenitentiae, cum materia sit moralis, prout sunt actus poenitentis, » *sufficit certitudo moralis sive respectiva*... Unde... sufficit quod Confessarius habeat *prudentem probabilitatem* de dispositione poenitentis, et non obstet ex alia parte » *prudens suspicio indispositionis...* » Ergo semper ac Confessario *positive* » non innotescit, poenitenti *omnino* » defuisse dolorem, ipsum absolvere » *potest.* »[1]

Hisce addere juvat quae idem S. Alphonsus egregie docet in *Hom. Apost.* Tract. ult. n. 9. et 10., et in *Praxi Confessarii*, cap. 5. n. 71. et 72. – « 71. *Recidivi* autem sunt, qui post » confessionem, eodem vel quasi eodem modo sunt relapsi absque emendatione; isti, ut *communiter* docetur (vid. Theol. mor. lib. 6. n. 459.) » nequeunt absolvi, si *sola signa ordinaria* afferant, nempe, si tantum confiteantur, asserendo se poenitere et proponere; prout habetur ex Propos. 60. damnata ab Innocentio XI. Nam habitus contractus, et relapsus praeteriti sine » ulla emendatione, *magnam* praestant *suspicionem*, quod dolor et » propositum, quae poenitens asserit » habere, nequaquam sint vera. – *Unde istis differenda est absolutio*

1) Notetur vox *potest*, non *debet:* utrum enim Confessarius *statim* semper absolvere *debeat* poenitentem satis dispositum, infra perpendemus in Capite II.

» *per aliquod tempus, usquedum appareat prudens signum emendationis.* Et in hoc puncto *lugenda est animarum ruina, cujus causa sunt tot mali Confessarii,* indistincte absolvendo tot recidivos, qui, cum repererint Confessarios qui semper tam facile eos absolvunt, amittunt horrorem in peccando, et pergunt ad putrescendum in coeno vitiorum usque ad mortem. - Quidam DD. admittunt, recidivum solis signis ordinariis absolvi posse usque ad tertiam et quartam vicem; sed huic opinioni nunquam potui acquiescere; dum habituatus, qui post unam confessionem recidit sine emendatione, jam est verus recidivus, et fundatam praebet suspicionem suae indispositionis...

» 72. Dico: *per aliquod tempus;* eo quod recidivis tam levium quam gravium culparum, non est necessarium differre absolutionem *per annos aut menses,* ut nimis rigide vult *Juveninus;* sed regulariter satis erit, si peccatum procedit *ex fragilitate intrinseca,* dilatio *octo* vel *decem dierum,* prout ait doctus auctor libri Romae editi, cui titulus: *Instruzione per li novelli Confessori....* Ad summum (dico) his differri potest absolutio per quindecim, aut viginti dies. - *Sed excipere oportet illos qui tempore praecepti paschalis confitentur;* pro istis enim majoris temporis experientia requiritur, cum justa suspicio haberi possit, quod hi abstineant a relapsu, potius ut censuram effugiant, quam ex vero proposito mutandi vitam. *Oportet etiam excipere eos qui lapsi sunt in occasione proxima extrinseca:* isti enim majori egent experientia, cum occasio (ut dictum est in puncto praecedenti) sit fortius incentivum ad peccandum. Verum semper sufficiet experientia *mensis.* Caveat tamen Confessarius, ne dicat poenitenti, ut non redeat nisi post mensem; nam hic ob tantam dilationem nimis terrebitur: potius *imponat ei, ut redeat post octo, vel quindecim dies, et sic blando modo ipsum transferet ad recipiendam absolutionem in fine mensis.*»

Huic S. Alphonsi doctrinae inhaerens, *P. Gury,* Tom. II. num. 637. pag. 542., sequentem regulam enuntiat: « Recidivo dubie disposito, absolutio differenda est per aliquod tempus, usquedum prudens dispositionis signum appareat. - *S. Lig. Praxis Confess. n. 71. et 72., Hom. Apost. Tr. ult. n. 9. et 10.* »

Ad hanc porro regulam, cl. BALLERINIUS aliam longiorem apponit Adnotationem, quae sic incipit: « Quod, excepto casu necessitatis, absolvi licite non possit poenitens *dubie dispositus,* quem scilicet sufficienter dispositum esse ad gratiam in Sacramento recipiendam, nulla prudens ratio suadet, extra controversiam esse debet. [1] *Ast, aliud est quod poenitens in ea conditione non possit absolvi, aliud est, quod in aliud tempus absolvendus dimitti debeat;* quasi vero aut dilatio ista virtutem arcessendi dispositionem habeat, aut revertendi patientia in poenitente melioris dispositionis certius indicium sit; aut contra non magis expediat, imo officium Confessarii sit, omnem tunc ipsum curam adhibere, ut ad beneficium absolutionis rite accipiendum poenitentem disponat. »

Sufficeret jam istud exordium verbotenus allegatum. Quisnam enim sanae mentis unquam asseruit, soli dilationi adscribendam esse « *virtutem arcessendi dispositionem* », aut

1) In altera edit. pag. 437. cl. Professor addit: « Et hinc petenda ratio est, cur subinde » Theologi sic agendum moneant cum iis recidivis esse, qui aut nullum aut certe ambiguum » bonae voluntatis indicium praeferunt, adeo ut eos opportunis dispositionibus hic et nunc » forte carere haud imprudens subsit suspicio. At aliud est... »

solam revertendi patientiam esse «*in poenitente, melioris dispositionis certius indicium?*» Nec opus est, ut caeteris, quae P. Ballerini in hoc exordio profert, immoremur: quia doctrinam suam, quam hic breviter innuit, postea uberius explicat. – Ut autem singulis assertionibus et objectionibus cl. Professoris satis fiat, 1. Ostendemus, ipsum Litteras encyclicas *Leonis XII.* immerito doctrinae S. Alphonsi opponere. – 2. Exponemus *S. Doctoris doctrinam* de differenda absolutione recidivis dubie dispositis, quam cl. Professor ad suam pertrahere conatur. – 3. Examinabimus ipsius *cl. Ballerinii sententiam,* duce Philippo Salvatori propugnatam; et 4. *Rationem* pro ipsa allatam, scilicet *poenitenti credendum esse et pro se et contra se,* perpendemus. – 5. Ad examen revocabimus doctrinam *Patris Faure, S. J.*, quocum sentit cl. Ballerinius. – 6. Demum perpendemus conclusionem Adnotationis cl. Professoris, atque illi, coronidis instar, sapientissima opponemus monita *S. Leonardi a Portu Mauritio.*

Articulus 1.

Doctrina S. A. de differenda absolutione minime adversatur Litteris encyclicis Leonis XII.

Loco cit. P. Ballerini prae caeteris exponit Litteras Encyclicas de die 25. Decembris 1825., quibus Papa Leo XII. universo orbi Jubilaeum indixit; quasi istae S. Alphonsi doctrinae adversarentur eamque reprobarent. Scribit enim: « Utinam Sacerdotum omnium menti infigerentur verba, quibus S. M. Leo P. XII. Jubilaeum orbi universo indicens (Const. *Charitate Christi,* 25. Decembr. 1825. §. 5.) Confessarios monebat: «*Sistunt se quidem* (inquit) *multi Sacramenti Poenitentiae ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo Sacerdos viscera indutus misericordiae Christi Jesu, qui non venit vocare justos sed peccatores, sciat studiose, patienter, mansuete cum ipsis agere.*» – Quod vero heic *imparati* dicantur ii et quidem soli, qui essentiali carent dispositione, patet ex sequentibus: « *Imparati enim illi tantummodo sunt judicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione: misericordiae enim Domini non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; vel qui rudes conditione, aut tardi ingenio non satis in se ipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine Sacerdotis ipsius opera assecuturi; sed qui adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum graventur, in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis...., exhausta charitatis industria, sensu tamen doloris ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam* (quae sunt verba Tridentini de attritione) *disponantur, carere prudenter judicantur.*» – Ex quibus patet, absolvi posse eos quoque, qui nedum *dubie dispositi,* sed manifeste accedunt *indispositi;* siquidem patientia, mansuetudo, et industris Sacerdotis charitas id consequi tunc ipsum potest, ut ex imparatis parati fiant, idque prudenter Confessarius judicare queat.

» Idcirco SS. Pontifex non praetermittit insuper eos notare, qui potiusquam hanc in se curam suscipiant, ut sollicita charitate peccatores Deo reconcilient, facilem se ab hoc onere expediendi viam ineunt, remittendo poenitentes in aliud tempus absolvendos. Postquam igitur indicavit, quinam beneficii absolutionis judicandi sint incapaces, « *quales* (inquit) *sunt, qui* NULLA *dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem*

» *deserere, aut alio modo peccata* » *derelinquere, et vitam in melius* » *emendare nolunt; aut qui publi-* » *cum scandalum dederunt, nisi pu-* » *blice satisfaciant, et scandalum tol-* » *lant* »; mox graviter monet, quam « *longe a more periti medici, qui* » *similiter infundit vinum et oleum* » *vulneribus sauciati, distet eorum* » *ratio, qui ut gravius aliquod au-* » *diunt peccatum, aut aliquem sen-* » *tiunt multiplici peccatorum gene-* » *re infectum, statim pronunciant,* » *se non posse absolvere: iis nempe* » *ipsis* (pergit SS. Pontifex) *mederi* » *recusant, quibus maxime curan-* » *dis ab eo sunt constituti, qui ait:* » *Non est opus valentibus medicus,* » *sed male habentibus.* » – Quocirca » merito pronunciat, magis *indispo-* » *situm* ad audiendas confessiones » hujusmodi Sacerdotem esse, quam » peccator ad confessionem accedat » imparatus: « *Quod, si praestare* » (ait) *praetermittat, profecto non* » *magis ipse* (Sacerdos) *dicendus* » *est paratus ad audiendum, quam* » *caeteri ad confitendum accede-* » *re.* »

Videamus itaque, an in praefatis Litteris aliquid reperiatur, quod cum doctrinis S. Alphonsi non concordet, aut ipsas reprobet.

I. Monentur Confessarii, illos tantum poenitentes IMPARATOS esse judicandos, qui « *exhausta charitatis industria* » *ex parte Confessarii*, nihilominus « *sensu doloris ac poe-* » *nitentiae, quo saltem ad Dei gra-* » *tiam in Sacramento impetrandam* » *disponantur, carere prudenter ju-* » *dicantur.* »

1. Verum in hac doctrina omnes DD. conveniunt. Omnes fusius de hac materia tractantes unanimiter docent, ad munus Confessarii spectare, *omnem adhibere curam et industriam*, qua poenitens, qui *indispositus* accedit, ad absolutionem sacramentalem rite accipiendam *disponatur*. Unde de recidivis non absolvendis loquentes semper supponunt, Confessarium hanc curam atque industriam frustra exhausisse.

2. Imo *S. Alphonsus*, Lib. 6. n. 608. cum aliis docet, Confessarios *ex rigorosa obligatione charitatis* poenitentem disponere teneri; et illos, qui nullam aut valde modicam diligentiam praemittunt, a culpa non excusat: « Hic adverte cum Busem- » baum, cui consentiunt Sporer, et » Laymann cum Suarez et Llamas, » quod Confessarius tenetur quan- » tum potest, ad disponendum suum » poenitentem, qui indispositus ac- » cedit. Quocirca nescio, quomodo a » culpa excusari possint desides illi » Confessarii, qui statim ac noverint » poenitentem non satis dispositum, » dimittunt, nulla, aut valde modica » praemissa diligentia ad eum cu- » randum. *Dico enim, quod Confes-* » *sarius tenetur ex rigorosa obliga-* » *tione charitatis, eum disponere* » *quantum valet*, exponendo ipsi » deformitatem peccati, valorem di- » vinae gratiae, periculum damna- » tionis, et similia, etiamsi *multum* » *temporis* in hoc impendere debeat. » Nec ei curae esse debet, quod alii » poenitentes expectent: nam tunc » Confessarius non tenetur attendere » ad bonum aliorum, sed tantum sui » poenitentis, pro quo tantum illo » tunc, non vero pro aliis, rationem » est Deo redditurus. »

3. Advertit *P. Ballerini*, ex verbis Summi Pontificis patere, « *absolvi* » *posse eos quoque, qui nedum du-* » *bie dispositi, sed manifeste acce-* » *dunt indispositi* »; quasi hic peculiare aliquid doceretur. – Sed de hoc nemo dubitat. Si Confessario successit, imparate accedentem rite disponere, nihil sane obstat, quominus perinde absolvatur, ac si paratus accessisset. Unde S. Alphonsus inter signa extraordinaria dispositionis enumerat: si poenitens *lacrymas* effundit, *suspiria* aut *verba cordialia* emittit post auditam monitionem Confessarii praebentis aliquod compunctionis motivum; vel post monitionem Confessarii significat, se adeptum es-

se *novam cognitionem* suae iniquitatis vel periculi suae damnationis.[1]

II. In quantum Pontifex dicit, *absolutionis incapaces* judicandos esse « *qui nulla dant signa doloris* », certe non declarare intendit, *consuetam protestationem* poenitentis semper pro signo sufficienti habendam esse; sed juxta antea dicta, defectum illorum signorum intelligit, ex quibus Confessarius prudenter judicare potest, poenitentem non carere sensu doloris, quo saltem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam peccatores disponuntur.

1. Id patet etiam ex alio textu Pontificis, quem P. Ballerini postea, pag. 548.[2] allegat: « Quocunque animo sint, qui accedant ad Sacramentum Poenitentiae, nihil ei (Confessario) magis cavendum est, quam ne... quispiam... Sacramento reconciliationis infensus discedat. *Quare si justa sit causa, cur differenda sit absolutio,* verbis, quoad poterit... humanissimis persuadeat confessis necesse est, *id et munus officiumque suum, et eorum ipsorum salutem omnino postulare,* eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum, gratiae coelestis dulcedine reficiantur. »

2. Pontifex dicit: « *Si justa sit causa, cur differenda sit absolutio.* » Supponit ergo primo, Confessarium *charitatis industriam jam exhausisse*, et nihilominus prudenter judicare, poenitentem illo sensu doloris ac poenitentiae carere, qui ipsum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponat; secus enim, juxta praemissa, causa non esset sufficiens. Supponit secundo, *poenitentem affirmare, se vere dolere et emendationem sibi proponere;* secus enim illis beneficii absolutionis *incapacibus* accensendus esset, de quibus Pontifex antea locutus est, qui peccata derelinquere et vitam in melius emendare nolunt. Hujusmodi autem poenitenti absolutio non differenda, sed neganda est, usquedum resipiscat.

3. P. Ballerini in fine suae adnotationis hunc textum eo sensu interpretari conatur, quasi Pontifex de casu loqueretur, quo Confessarius ut *judex* poenitentem *absolvere posset,* at ut *medicus, utile* judicat, absolutionem ipsi differre. Verum huic interpretationi repugnant verba: « *id et munus officiumque suum, et eorum ipsorum salutem omnino postulare.* » Quoties *officium* Confessarii et *salus* poenitentis omnino dilationem postulant, dilatio jam non de mero consilio, nec utilis tantum, sed *necessaria* est.

4. Idem denique patet ex alio textu, quem P. Ballerini postea, p. 547.[3] allegat, in quo, ut ait, Pontifex morosos illos Confessarios notat: « quibus vix ulla... doloris ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment; ac tunc demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint. » – Dicit hic Pontifex: « *quibus vix ulla doloris ac propositi significatio satis videtur* »; non autem: *quibus affirmatio poenitentis, quod vere doleat et emendationem sibi proponat, non satis est.* Ideo illos tantum Confessarios notat, quibus vix ullum extraordinarium dispositionis signum sufficit, et qui semper temporis probationi insistunt; quos et S. Alphonsus notat, et eorum agendi rationem reprobat (cfr. pag. 651. n. 459. *Secunda vero pars*).

III. In quantum vero Pontifex Confessarios monet, « *nihil* (ipsis) *magis cavendum, quam ne quispiam Sacramento reconciliationis infensus discedat* », rursus omnes Doctores conveniunt, et speciatim *S. Alphonsus,* qui in *Praxi Confessarii,* Cap. I.

1) Vid. supra, pag. 653. n. 460. — 2) In altera edit. pag. 441. — 3) In altera edit. pag. 440.

§. 1. n. 5. late hac de re disserit. En sapientissima S. Doctoris monita:

« Deinde in fine confessionis oportet, ut Confessarius *vehementiori ardore ac studio* incumbat, ut poenitenti percipere faciat gravitatem et multitudinem ejus peccatorum, ac miserum damnationis statum, in quo reperitur; sed hoc *semper maxima cum charitate* fiat. Verumtamen est congruentius tunc verbis gravioribus uti, ut sic melius ad bonam mentis frugem redire possit; nihilominus efficere debet, ut poenitens intelligat, hoc, quod ei dicitur, non ab animo irato, sed *ex singulari amore et commiseratione* erga suam animam procedere. Quod poterit hoc modo exprimi: *Fili mi, considerasne vitam damnati, quam duxisti? Percipisne malum, quod operatus es? Quid tibi mali fecit unquam Deus tuus, quem tu ita perdite contempsisti? Si Jesu Christo nullus tam fuisset tibi inimicitior, potuisses cum illo te gerere pejorem? Sed quaeso, animadverte quis sit hic Jesus. Hic est ille, qui, cum esset Deus nullius egens, factus est homo propter te: voluit mori in cruce, ut te de inferno redimeret. Ah fili, si interim mortuus esses, si in hac nocte, quo iturus fuisses? ubi nunc esses? esses in aeterno igne inferni. Quid de te factum erit, si vitam hactenus ductam pergas in posterum vivere? Poteris sic salvari? Expergiscere, et vide, quod nisi mores in melius mutes, jam es damnatus. Quid boni ex tot peccatis tibi collegisti? Non consideras, quod duplicem infernum tibi paras, unum hic angoris et miseriae, alterum illic poenarum? Age fili, averte a malo, desine peccare; et te totum in Dei brachia, quae ad te suscipiendum sunt extensa, committe: sufficit quantum ei peccasti. Ego totis viribus et toto corde te adjuvare volo; veni ad me semper ac tibi lubet, quoniam invenies patrem qui te benigne suscipiet. En! firmiter nunc statue, te sanctum velle effici. Per te stat; Deus enim semper paratus est, et ad hoc tibi hoc tempus impertitus est, ut avertas a malo et facias bonum. Oh quam bonum est, amicum habere Deum!* etc. (S. Franciscus Salesius, ut Deo alliceret peccatores, potissimum curabat ut ipsi cognoscerent pacem, qua fruuntur illi qui Deo adhaerent, et vitam infelicem quam ducit qui a Deo alienus est.)

» Postea adjuvabit eum ad doloris actum efformandum, et si dispositus est, eum absolvat; et remedia salutaria, quibus possit se a peccatis servare, suggerat, atque ei imponat (sed de his in §. sequenti agetur). Si autem fuerit *absolutionis incapax*, aut *expediens videbitur differendam esse absolutionem*, assignet ei diem in quo regredi debeat, dicendo ei sic: *Eja frater, tali die te expecto, ne praetermittas ad me redire; animo forti magnoque sis, ut tibi dixi; commenda te quotidie beatae Virgini, et veni ad me. Si forte tunc invenies me aliorum confessiones excipientem, accede; te enim ante alios audiam. Si alibi ero, fac ut me arcessant; omnia deseram, ut tu confitearis.* Et sic dulcibus verbis a se dimittat. – Haec est via qua peccatores salvi fieri possunt, nempe *cum eis agere quanta maxima fieri potest charitate;* alioquin, si ipsi in Confessarium incident, qui cum eis inclementer agat, a confessione horrebunt, confiteri negligent, et effraenate in perditionem ibunt. »[1]

1) Talis etiam fuit ipsius S. Alphonsi cum hujusmodi poenitentibus agendi ratio, charitate et mansuetudine plena: ut luculenter patet ex innumeris documentis, sive in ejusdem Vita, sive in Beatificationis Causa relatis. — Quinimo Promotor Fidei (a cl. Ballerinio omnino dissentiens), in duplici allegata *Positione super Virtutibus* de anno 1806. (cfr. supra, pag. 648. n. 4.) non solum contenderat, nimis benignam esse S. Doctoris *doctrinam* (vid.

IV. Caeterum in aperto est, Encyclicam Leonis XII. non esse Constitutionem dogmaticam, in qua regulae definiantur, quas Confessarii observent quoad consuetudinarios et recidivos, qui nequidem nominantur. Summus Pontifex, Jubilaeum universale indicens, nihil aliud intendit, quam Confessarios *ad verum animarum zelum et indefessam charitatem ac sollicitudinem* excitare, ut apertus gratiarum et indulgentiarum thesaurus cunctis Fidelibus pateret. — Si autem de animarum zelo et de charitate agitur, nemo certe S. Alphonsum, *zelantissimum* Doctorem, superat, quem Ecclesia in oratione ejus Festo assignata, « *Confessorem atque Pontificem, animarum zelo succensum* » nuncupat, et precem addit: « *ut ejus salutaribus monitis edocti et exemplis roborati, ad Te pervenire feliciter valeamus.* »

infra, Cap. II. §. 2. n. II.), sed ipsi etiam *practicam imprudentiam* objecerat, dicens: « Quam » quidem imprudentiam doctrinae practica etiam imprudentia comprobasse Alphonsus visus » est, testante viro gravi, religioso, atque ipsius Servi Dei Confessario, P. Dominico Cor» sano, *nullum ab eo sine absolutione unquam fuisse dimissum*... Porro quis tam plum» beus erit, ut combibat, in tanto temporis decursu annorum quadraginta, in tanto ac pene » infinito poenitentium numero, in tanta locorum ac personarum varietate, nullum unquam » ad Dei Servum adcessisse consuetudinarium, *recidivum, occasionarium*, cui juxta Apo» stolicas Constitutiones praeceptionesque, *absolutio differri et salubriter posset, atque* » *adeo omnino deberet?* »

Hanc objectionem diluendo, Defensor Causae praeter alia scitissime advertit (*Nova Positio super Virtut., Respons. n.119. et segq.*): « Neque ad praetensam doctrinae imprudentiam » evincendam, *practicam* imprudentiam accuses ex Ven. Viri Confessarii verbis, qui ab ipso » didicisse ait, *che non si ricordava di aver licenziato qualche penitente senza il bene*» *ficio della santa assoluzione*... Qui dicit, non reminisci dimisisse aliquem absque abso» lutionis beneficio, non dicit, *statim*, ac *prima vice* accedenti absolutionem fuisse imper» titum; aliud enim est dimittere poenitentes *inabsolutos*, aliud absolutionem ad dies sus» pendere atque *differre*. Nam, ut bene ipse Ligorius ponderat, lib. 6. n. 462.: « Poenitens, » quamvis habeat jus ad absolutionem ratione confessionis peractae, non tamen habet jus, » ut *statim* absolvatur. » De Missionariis ergo, qui non per dies, sed per menses in oppidis » commorantur, optime dici potest, quod inabsolutos non dimiserint poenitentes, quibus, » antequam loco discederent, *dilatam antea absolutionem* fuerint tandem impertiti. — Multo » vero minus, ad arcendam a Ven. Viro imprudentiae practicae notam, invenire oportet, « qui » tam plumbeus sit, ut combibat, in tanto temporis decursu, in tanto ac pene infinito poe» nitentium numero, nullum unquam ad Dei Servum accessisse consuetudinarium, recidivum, » occasionarium », ceu solers Animadversio monet. Nos certe tam plumbei non sumus; » quippe aperte fassi simus *id esse impossibile* (Praet. Resp. pag. 60. §. 121.). — Quin imo ab » ipso Ligorii ore didicimus, recidivos et occasionarios ex occasione proxima extrinseca etiam » necessaria ad se accessisse, eisque, licet extraordinaria compunctione donatis, absolutio» nem denegasse; ita enim ipse rotunde scribit, lib. 6. n. 456.: « *Ingenue dicam, nunquam* » *absolverem qui est in occasione proxima extrinseca etc., et etiam huic adhuc extra*» *ordinaria compunctione donato, ordinarie loquendo absolutionem denegarem, etc.* » *Fortasse alicui haec tradens nimis rigidus videbor; sed ego cum poenitentes offen*» *dissem* (nota: *offendissem*) *hujusmodi occasionum laqueis irretitos, sic semper egi, et* » *semper agam...* »

» Apertissimum hocce Ven. Ligorii testimonium vel ipsa etiam objecta Confessarii verba » apprime confirmant... Probant enim, Ipsum *ex speciali dono compungendi peccatores*, » *sibi uni a Deo collato*, eos ad veram poenitentiam convertere valuisse, ac nonnisi vere, » sincereque poenitentibus, jamque conversis, absolutionem fuisse impertitum... Mirae pro» fecto sunt, quae in Actis passim occurrunt peccatorum conversiones, *per coeleste charisma* » *compungendi corda sibi collatum*, a Ligorio peractae. Non enim unae ipsius hortationes » in Poenitentiali Foro peccatoribus traditae, sed vel ipse ejus concionantis intuitus, quin » vox audiretur, vel ipse cantus, vel ipse denique fervor, quo de Christi cruciatibus, deque » illius Matris amore disserebat, duriores quosque peccatores ad compunctionem converte» bat...: ita ut jure concludere possis, *occasionarios, recidivos, consuetudinarios jam ab* » *Alphonso conversos, jamque fugata occasione, relicta consuetudine pravoque habitu,* » *ad Alphonsum accessisse*, ab eoque privatim in proposito roboratos, divino numine in » suscepta conversione perseverasse; propterea que de illo fuisse impletum, quod *cum Leo*» *nibus lusit, quasi cum Agnis* (Eccl. 44.). »

ARTICULUS 2.

Exponitur S. A. doctrina, quam cl. Ballerinius immerito ad suam pertrahere conatur, dicens, absolutionis dilationem, testante S. Doctore, saepe fallacissimam esse dispositionis probationem.

Ex discussis Litteris encyclicis Leonis XII., P. BALLERINI pag. 544.[1] sequentia deducit: « Ex quibus illud » etiam colligitur, timendum non esse, ne sufficiens dispositionis signum » haberi nequeat, etiamsi nulla adhibeatur *absolutionis dilatio, saepe alioquin fallacissima dispositionis probatio.* - Hoc ipsum monuit et S. *Alphonsus,* lib. 6. n. 459., ubi scribit: « *Nec verum est, quod sola temporis probatio unicum sit signum mutatae voluntatis; nam voluntatis mutatio pendet a divina gratia, quae tempore non indiget, sed in instanti operatur, et ideo non solum per experimentum temporis, sed etiam per alia quaedam signa patefieri potest. Imo, aliquando alia signa praesentis dispositionis multo melius manifestant mutationem voluntatis, quam experientia temporis; nam signa illa directe indicant dispositionem poenitentis, experientia vero tantum indirecte; adeo ut* NON RARO *evenire possit, quod aliquis etiam longo tempore se a vitiis pro mundi hujus honestate* (v. gr. ut absolutionem carpat, vel admittatur ad communionem paschalem) *contineat..., et nihilominus non sit rite dispositus. Propterea, quoties poenitens affert vera signa doloris et propositi, toties bene absolvi poterit.* »

» Ad quae fac advertas, esse quidem aliqua peccata, in quae quis prolabitur ex affectu et cum affectu tenaciter inhaerente cuipiam objecto illicito, v. gr., cum ex odio et vindictae appetitu quis proximo detrahit, mala imprecatur aut etiam infert, vel cum divitiis perdite inhians lucra illicita sectatur, vel foeminam quampiam deperit, quacum consuetudinem habet adulterii, etc.; et cum his sane opportunus incidit sermo de *mutatione voluntatis,* quae detestari illud debeat, quod ardenter diligebat. Ast in pluribus aliis, etiamsi peccata ex quadam consuetudine perpetrentur, perperam hunc affectum erga peccati objectum requires, uti, v. gr. plerumque fit in vitiis linguae, ac saepe etiam in mollitie; unde fit, ut homo utique relabatur iterum atque iterum, non tamen quasi se totum peccato dedens, sed potius ignavia quadam ac fragilitate victus, semet simul accusans, ac mox facti poenitens, ac modo vitio obluctans, modo ex infirmitate ipsi succumbens, et jugum vitii semper quodammodo invitus ferens. Porro cum hujusmodi, uti patet, de voluntate agitur non tam mutanda, quam corroboranda, quo vigilare attentius, si de vitiis linguae sit sermo, et repugnare validius, si de aliis vitiis res est, diligentiusque praesidiis opportunis uti assuescat.

» Caeterum [2] cum S. Alphonsus, dum *signa dispositionis extraordinaria* exigit, nihil demum aliud intelligere videatur, quam quod in allato textu habet, nempe *verum aliquod signum doloris ac propositi,* adeo ut extraordinario aliquo carentem signo putet *(Prax. Conf. n. 71.)* designari in propositione 60. ab Innoc. XI. damnata de illo, qui tantum *ore proferat se dolere et proponere emendationem;* haud aegre quoad hoc conciliabitur cum communi DD. sententia, cumque praxi, quam Summus Pontifex et magistrorum Magister Leo XII. in allata Constitutione commendat. Neque enim ullus e DD. docuit, ab-

1) In altera edit. pag. 438.

2) Quae sequuntur, ex secunda editione de anno 1869. allegavimus, quia in ista textus aliquantulum mutatus est.

» solvendum eum esse, qui (ut ait » Pontifex) *sensu doloris ac poeni-* » *tentiae, quo ad gratiam in Sa-* » *cramento impetrandam disponatur, prudenter carere judicetur;* » neque iterum S. Alphonsus, ut ex » allato textu patet, contendit, ne- » cessariam esse dilationem absolu- » tionis, ut dispositio etiam recidivi » vel satis cognosci, si quando dubia » primum appareat, vel etiam com- » parari possit, si penitus forte poe- » nitenti accedenti deesse videatur; » quinimo *(l. c. n. 460.)* inter signa, » quae *extraordinaria* ipsemet ap- » pellat, hoc quoque enumerat: *Si* » *poenitens ad monitionem Confes-* » *sarii significet, se adeptum fuisse* » *novam cognitionem suae iniqui-* » *tatis, vel periculi suae damna-* » *tionis.* »

I. Duos S. Alphonsi textus a cl. Professore citatos, primum ex Theologia morali, lib. 6. n. 459., alterum ex Praxi Confessarii, cap. 5. n. 71., jam superius (pag. 651. et 710.) attulimus. - Videamus ergo, an vera sint quae P. Ballerini inde deducit.

1. S. Doctor, cit. n. 459. dicit: « *Aliquando alia signa praesentis* » *dispositionis multo melius mani-* » *festant mutationem voluntatis,* » *quam experientia temporis.* » Cumque de consuetudinariis loquatur, sub hac *mutatione* intelligit mutationem velleitatis in veram voluntatem, mutationem propositi languidi et inefficacis in firmum et efficax. - Sed haec ratio eadem est *in quocumque consuetudinario,* tam in vitiis linguae aut in mollitie, quam in aliis vitiis; et exempla, quae adfert P. Ballerini, nequaquam discrimen probant, quod inducere conatur. Si quis odio et vindictae studio, aut illicitis lucris, aut adulterae consuetudini non vult renuntiare, nec exhortationibus Confessarii acquiescit: per se intelligitur, hujusmodi hominibus, utpote manifeste indispositis, absolutionem esse negandam, donec resipiscant et pravam voluntatem mutaverint. Si autem consuetudine adultera irretitus gravissimum hoc crimen detestatur, et velleitatem quidem, sed veram et firmam voluntatem non habet, vim sibi inferendi, occasiones vitandi, remedia necessaria adhibendi: in eodem statu versatur, in quo versantur habentes consuetudinem blasphemandi, jurandi aut se polluendi, et similiter proposito firmo et efficaci carent.

2. Si vero quacunque prava consuetudine irretitus iterum atque iterum labitur, modo vitio obluctatur, modo ex infirmitate succumbit; attamen *rarius* quam antea labitur, aut nonnisi *post magnum conflictum* relapsus est, aut post ultimam confessionem *diutius* se continuit, aut saltem *remedia* a Confessario praescripta adimplevit: juxta S. Alphonsum *absolvendus est;* quia jam *sufficientia praesentis dispositionis signa* exhibet, et relapsus infirmitati potius et violentiae mali habitus, quam defectui firmi et efficacis propositi adscribendi sunt. - Frustra igitur cl. Ballerini falsis distinctionibus et suppositionibus doctrinam S. Alphonsi concutere conatur.

3. Porro S. Alphonsus loco citato « *Juveninum et similes* » impugnat, qui nulla signa extraordinaria praesentis dispositionis admittunt, atque « *intolerabili rigore* » dicunt « *num-* » *quam absolvi posse consuetudina-* » *rium, nisi per longam experien-* » *tiam constet de ipsius emenda-* » *tione.* » Quos confutat respondendo, verum non esse, quod temporis probatio *unicum* sit signum mutatae voluntatis, hanc mutationem etiam per alia signa patefieri posse; imo aliquando *per alia signa* praesentis dispositionis multo melius manifestari. Verumtamen, quod bene notandum est, sub hisce *aliis* non intelligit ordinariam affirmationem poenitentis, se vere dolere et firmiter proponere; sed *signa extraordinaria,* quorum explicatio et enumeratio immediate sequitur.

4. In quantum autem S. Doctor, ad probandum, aliquando mutationem voluntatis multo melius per signa extraordinaria manifestari, exemplum adfert, scilicet « *non raro* » *evenire posse, quod aliquis etiam* » *longo tempore se a vitiis pro mun-* » *di hujus honestate contineat* »: ex hoc exemplo nequaquam sequitur, *dilationem* in genere *fallacissimam dispositionis probationem* atque numquam necessariam esse, et numquam non sufficiens dispositionis signum haberi posse, etiamsi nulla absolutionis dilatio adhibeatur; ut contendit P. Ballerini. - Si quis propter hujus mundi honestatem, ergo ex motivo mere naturali, pravam consuetudinem vincere sibi proposuit, non justificatur, sive Confessarius statim, sive post temporis probationem, ipsum absolvat. Imo si sibi conscius est, quod requisitum dolorem non habet, et nihilominus consulto actum doloris et propositi ex motivo supernaturali elicere praetermittit, sacrilegus est. Idem a fortiori dicendum est de casu, quem P. Ballerini addit, scilicet quod quis de peccatis non dolet, nec emendationem sibi proponit; sed eum in finem confitetur, ut absolutionem carpat vel ad communionem paschalem admittatur. Quippe qui dolose agit, Confessarium decipit, et absolutionem sacramentalem sacrilege recipit, sive statim, sive post temporis probationem eam recipiat a Confessario decepto, cui corda hominum non patent. Quinimo si absolutio ipsi differtur, aliqua saltem spes remanet, quod interim ad se redeat, verum dolorem et sincerum emendationis propositum concipiat, et melius dispositus ad confessionem revertatur.

II. P. Ballerini S. Alphonso parcere studens, in quantum historiae et veritatis jura indulgentiam non vetant, jam supra [1] promisit: « *Quo* » *pacto S. Alphonsi opinio ad com-* » *munem sententiam pertrahi ali-* » *qua ratione possit, in nota sequen-* » *ti indicabimus.* » Hic igitur rationes indicat, quibus haec opinio aliquo modo conciliari posset « cum com- » muni DD. sententia, cumque praxi, » quam Summus Pontifex et magi- » strorum Magister Leo XII. com- » mendat. » - Verum (pace cl. Professoris) jure merito dubitare licet, utrum serio an potius ironice loquatur. Duas rationes adfert, quarum prior futilis est, et altera vix aliud praedicatum meretur.

1. Quaenam signa pro extraordinariis habenda sint, S. Alphonsus, lib. 6. n. 460., [2] distincte explicat et specifice enumerat: « *Rogabis, quae-* » *nam sint haec signa extraordi-* » *naria doloris, cum quibus recidi-* » *vus statim possit absolvi ?* » In *Praxi Confessarii* autem, lectorem ad Theologiam moralem remittit. Unde si in *Praxi* dicit: « *usquedum* » *appareat prudens signum emen-* » *dationis* »[3], nemo rationabiliter ambigere potest, ipsum sub *prudenti signo* signum aliquod intelligere, quod inter *extraordinaria* enumerat. Et quidem tanto minus, quia ibidem addit: « Quidam DD. admittunt, re- » cidivum *solis signis ordinariis* ab- » solvi posse usque ad tertiam et » quartam vicem; *sed huic opinioni* » *nunquam potui acquiescere.* »

2. Porro S. Alphonsus utique non contendit, *cuilibet* recidivo, qui *dubie* dispositus accessit, absolutionem differendam esse; sed tantum exigit, *ut aliquod signum extraordinarium exhibeat*, sive hic cum hujusmodi signo jam accesserit, sive illud *in ipsa confessione* appareat. Nemo quippe unquam asseruit, dispositionem *praecedentem* requiri, et praesentem non sufficere. Unde S. Alphonsus docet, [4] statim absolvi posse recidivum, qui post auditam monitionem Confessarii praebentis aliquod compunctionis motivum, lacrymas fundit, suspiria vel verba cordialia emittit, vel qui

1) Vid. supra, pag. 692. art. 7. — 2) Pag. 652. — 3) Pag. 711. — 4) Cfr. cit. n. 460. pag. 652.

significat, se novam cognitionem iniquitatis aut periculi damnationis adeptum esse.

Articulus 3.

Exponitur doctrina cl. Ballerinii, circa modum quo Confessarius se gerere debeat cum Recidivis dubie dispositis.

Pag. 545. [1] cl. Ballerinius praefatam adnotationem sic prosequitur: « Methodum, qua, *citra dilatae absolutionis experimentum*, hujusmodi scopus attingi queat, ac simul praxis a Summo Pontifice Leone XII. commendata retineatur, dilucide juxta ac breviter expositam habes a *Philippo Maria Salvatori* in opusculo pluries Romae edito cum titulo: *Istruzione pratica pei Confessori novelli*; ... quam quidem methodum, sicut non sine labore servari, ita non sine culpa, ubi opus sit, a Confessario omitti merito ipse affirmat, confirmantque ea, quae ex Leonis XII. Constitutione superius attulimus. Ut itaque pius ac doctus [2] Auctor advertit (Part. 2. §. 1.), etiamsi nullum aliud indicium ex iis, quae alii *extraordinaria* dixerint, poenitens aut primo occursu aut etiam inter confitendum praebeat, quo Confessarius de dispositione satis judicet; attamen si confessione, non sine opportuno Sacerdotis patienter mansueti auxilio, expleta, hic ob poenitentis oculos efficaciter ponere instituat peccatorum vitiorumque suorum gravitatem, deformitatem, turpitudinem; tum si pessimos peccatorum effectus, damna, detrimentum animae, salutisque aeternae discrimen, ac thesaurum irae per inordinatam vitam cumulatum, ac vanam quoque spem sibi consulendi, ubi hora jam instet mortis, imminensque Dei judicium; tum etiam facilem rationem suggerat, qua et malis hisce occurrere, rectamque salutis viam inire possit; his insuper si adjiciat, serio perpendendum cuilibet poenitenti esse, sacramentalem absolutionem effectum sortiri confitentium dispositionibus congruum, atque adeo sicut sincere poenitentem solvit ac mundat, sic verae poenitentiae sensu carentes arctius ligare atque peccata reliqua addito sacrilegio cumulare; *haec*, inquam, *omnia aliaque hujusmodi Confessarius si proponat*, idque non zelo indignantis, sed magna potius charitate commiserantis ac poenitentium salutem sollicite concupientis praestet, *merito laudatus Auctor concludit, fieri non posse, quin signum aliquod sufficiens animi sui poenitens exhibeat; proindeque affirmanti, se sincere agere, atque ea, quae Confessarius exigat, praestare se velle, posse Confessarium tuta conscientia absolutionem impertiri, etiamsi poenitens aliud conversionis suae signum nullum* [3] *dederit.* »

I. Post tanta molimina, quibus P. Ballerini doctrinam S. Alphonsi evertere insudavit, post tantas objectiones et negationes, tandem aliquando *suam propriam doctrinam positivam* prae oculis habemus.

1. Reseratis omnibus ambagibus et inutili verborum copia, brevi compendio haec est: *Confessarius tenetur omnem curam et industriam adhibere, ut recidivus, cujus dispositio dubia est, opportunis instructionibus et admonitionibus rite disponatur, et ad verum dolorem et firmum atque efficax emendationis propositum excitetur. Si autem huic suo muneri satisfecit, et poenitens, finitis instructionibus et admonitionibus, affirmat, se sincere agere, atque ea, quae Confessarius exigit, praestare velle: Confessarius*

1) In altera edit. pag. 439. — 2) Ibidem. cl. Professor addit: « *et in ministerio audiendi confessiones istiusmodi hominum exercitatissimus* ». — 3) Ibid. subdit: « *in antecessum.* »

tuta conscientia ipsum semper absolvere potest, imo et regulariter debet, etiamsi poenitens aliud conversionis signum nullum dederit.

2. Veram atque genuinam cl. Ballerinii doctrinam nos his exposuisse, ex ipsius verbis clare et manifeste patet. – Dicit enim : « *Merito* lauda» tus Auctor concludit, *fieri non pos» se, quin signum aliquod sufficiens » animi sui poenitens exhibeat.* » Si sub *signo sufficienti* animi, lacrymas, suspiria, verba cordialia, aut affirmationem poenitentis intelligeret, se novam cognitionem iniquitatis suae et damnationis periculi acquisivisse : nullatenus discreparet a S. Alphonso, qui haec signa inter *extraordinaria* recenset. Sed hujusmodi signa non potest intelligere cl. Professor : 1°. quia expressis verbis dicit : « *etiamsi nullum aliud indi» cium ex iis, quae alii extraordi» naria dixerint,* poenitens aut pri» mo occursu, aut etiam inter con» fitendum praebeat, quo Confessa» rius de dispositione satis judicet. » 2°. Quia absurdum esset contendere, non posse fieri, quin omnes poenitentes post exhortationem Confessarii, hujusmodi signa exhibeant.

3. Nihil aliud ergo P. Ballerini sub *signo sufficienti* intelligere potest, nisi *simplicem poenitentis affirmationem,* quam nunquam defuturam esse, bene utique dicit. Nullus enim poenitens ea intentione accedens, ut absolutionem sacramentalem recipiat, negabit, se sincere agere et praestare velle, quae Confessarius exigit ; sacrilegus autem Confessarium decipere intendens, similiter non negabit, quia pravam suam intentionem fateri bene sibi pravebit. Idcirco ipse P. Ballerini in fine subjungit : « *etiamsi poenitens » aliud conversionis suae signum » nullum dederit.* » Insuper, ut nequidem umbra dubitationis de sua intentione remaneat, rationem affert, qua methodus sua innititur, videlicet axioma illud : *Poenitenti credendum est et pro se, et contra se ;* ut mox videbimus.

4. *Commoda* profecto est haec methodus, et multo commodior prae illa, quam S. Alphonsus tradit. Nihil Confessarios munere suo rite fungentes magis gravare et cruciare solet, quam ingrata illa absolutionem negandi vel differendi necessitas ; [1] praesertim si poenitens altioris est conditionis, aut Confessarius, propter officia praestita sive benevolentiae specimina, specialiter ipsi devinctus est. Haud raro Confessarius multo magis gravatum se sentit, quam ipse poenitens. – Hisce autem gravaminibus prorsus expedit atque exonerat Confessarium cl. Ballerinius. Postquam enim debitam operam et industriam in poenitente rite disponendo collocavit, et poenitens affirmat, se sincere agere et praescripta exequi velle, effectum exoptatum atque poenitentem satis compunctum tuta conscientia semper supponere potest. Nihil est, quo ulterius angatur ; et uterque, tam Confessarius quam poenitens, de re bene gesta et difficili negotio feliciter composito, sibi invicem gratulantur.

5. Sed etiam *multo minus laboriosa* est haec methodus. Si enim Confessarius, methodo S. Alphonsi addictus, advertit, poenitentem praeter simplicem affirmationem, nullum signum exhibere, ex quo prudenter et probabiliter conjici posset, exhortationem praemissam fructuosam

1) P. Tannoia, in vita S. Alphonsi, lib. 2. cap. 56. refert : « *Io stento più* (ci disse un giorno), *a mandar via uno senz' assoluzione, che ad assolverne dieci ben compunti. Se si spaventano, e si fa lor credere che siano incapaci delle divine misericordie, invece di emendarsi, disperati s'imperverseranno nel mal fare.* » Esortava pertanto tutti ad abbracciare questi disgraziati, commiserarli, e far loro conoscere lo stato infelice in cui sono: ad animarli alla confidenza, e a persuaderli potersi superare il mal abito, colla grazia di Dio e di Maria santissima. « *Se non si trattano così* (ripeteva egli), *e non conoscono il loro stato, mal volontieri si vedranno differita l'assoluzione, nè si risolveranno a mutar vita.* »

fuisse, et reapse verae compunctionis sensa in poenitente excitasse; *novum ingratum laborem* eum in finem subire cogitur, ut poenitens sibi persuadeat, dilationem absolutionis duplici ratione necessariam esse. Nihil enim magis cavendum esse, quam ne quispiam sacramento reconciliationis infensus discedat, monet SS. Pontifex Leo XII. et similibus verbis monet S. Alphonsus; atque enixe Confessariis inculcant, ut nihil sollicitudinis et charitatis in hac re omittant, poenitentem blandissime ad redeundum alliciant, et dulcibus demum verbis dimittant.

II. Ad auctoritatem quod attinet *Philippi Salvatori* a cl. Professore adductam, pauca tantum advertemus.

1. Opusculum praelaudati Auctoris: « *Istruzione pratica per i Confessori novelli. Operetta utilissima ancora per i Catechisti di gente rozza,* » prima vice anno 1798. editum, sincerae pietatis ac zeli argumentum prae se fert. Unde minime dubitamus, quin optimus vir plane persuasum habuerit, omnes quoscunque poenitentes, quos, secundum paradigmata in prima opusculi parte diffuse exposita, instruxit atque admonuit, vere compunctos absolutionem recepisse, *et sibi semper successisse, quod ne sanctissimis quidem viris semper successit,* quibus donum speciale peccatores compungendi divinitus collatum fuit.

2. Attamen methodus Auctoris vitio non caret. Dum enim sententiam suam ex *communi* clarissimorum Theologorum suffragio confirmare contendit, aliquos tantum *Doctores medii aevi et Suarium* citat; et eo quod post Suarium, impia ac pestifera haeresis Jansenii ex inferno consurgens Ecclesiam invaserit, atque jam ab initio plurium Theologorum mentes, praesertim in re morali, perturbaverit, ipse sententias Doctorum qui *a saeculo 16. usque ad 19.* scripserunt, nec inquirere, nec referre opportunum judicavit. – Quisnam, inquit, ex omnibus Theologis, qui ab eo tempore ad praesens usque extiterunt, comparari potest cum Suario, cum Magistro Sententiarum, cum S. Raymundo, cum S. Antonio, cum S. Vincentio, cum S. Joanne a Capistrano, cum S. Antonino, cum S. Thoma, quorum quilibet singulus magistrum omnium Theologorum nostri aevi exhibere posset? – Quibus argumentis, pius Auctor procul dubio probasse sibi visus est, methodum suam communi DD. sententia comprobari, et veritatem doctrinae a se traditae adeo splendescere, ut nonnisi amore proprio obcaecati eam videre nequeant.

3. Cum autem nonnulli Theologi auctori objecerint, methodum suam *falsis inniti suppositionibus et nimis laxam esse,* ipse in altera editione *approbationes* aliquas adjecit. Inter quas sunt litterae, die 4. Aprilis 1803. ipsi datae ab Archipresbytero *Aloysio Mozzi,* qui asserere non dubitat, B. Leonardum a Portu Mauritio et Ven. Ligorium, multosque alios, qui cum eruditione et experientia sanctitatem vitae conjunxerunt, hanc methodum commendasse et in praxim deduxisse. *Qua assertione palam facit, quod opera S. Leonardi et S. Alphonsi nequidem obiter unquam pervolverit.* – Addit insuper, se omnino assentire auctori docenti, exempla Sanctorum praeferenda esse auctoritati Theologorum, quantumvis doctorum, qui plerumque magis secundum principia speculativa judicare, quam ad ea, quae experientia nos edocet, attendere solent. Unde exoptandum esse dicit, ut nemo de disciplina morali scribere praesumat, qui non antea *per decem annos munus Missionarii* exercuerit.

4. Porro ex hac assertione, ipse *Salvatori* ansam sumit denuo refutandi objectionem illam, *Sanctos non in omnibus esse imitandos.* Utinam, cum exempla Sanctorum tanti fecerit, Instructiones practicas *S. Caroli Borromaei, Ven. Pauli Segneri* et

S. Leonardi, nec non Theologiam moralem aut saltem Praxim Confessarii *S. Alphonsi* perlegisset ac perpendisset! Forte pro pietate et animarum zelo non ficto, sententiam suam mutasset, atque exempla et monita istorum Virorum sanctorum, qui, ut Ven. Paulus Segneri, S. Leonardus et S. Alphonsus, non tantum per decem, sed per *quadraginta* fere annos munus Missionarii exercuerunt, amplectenda et sectanda decrevisset.

5. Utinam legisset quae *S. Leonardus* dicit: « *In casu allato, in quo non apparet sufficiens indicium verae compunctionis, et Confessarius judicium probabile de vera dispositione poenitentis prudenter sibi formare nequit, tale remedium* (dilatio absolutionis) *remedium* UNICUM *est; et Confessarius aliter agere non potest, quia secus deest officio periti Judicis et Medici animarum in administratione divini hujus Sacramenti.* » – Et ad objectionem, quod poenitens per ferventem exhortationem ad contritionem excitari posset, laudatus Sanctus respondet: « *Hoc exoptandum esset; sed in praxi, Confessario haud facile succedit.* » [1]

Articulus 4.

Perpenditur ratio, pro sua sententia a cl. Ballerinio allata, scilicet, poenitenti credendum esse et pro se et contra se.

Pag. 546., [2] cl. Professor pergit dicens: « Ratio autem est, quia, cum » in hisce adjunctis, neque ex ignorantia, neque ex dolo repeti ratio» nabiliter possit illud poenitentis » testimonium, jam valet id, quod » instar axiomatis est penès omnes » Theologos: *poenitenti credendum* » *esse et pro se et contra se.* Dixi: » *neque ex dolo;* quia in praesenti » nullum scopum aut causam fraus » habet, quae mere cederet in mentientis perniciem. Hinc discrimen, » quod *S. Thomas* notat inter loquentem in confessione *de se*, et » *de aliis* (Opusc. 7. al. 12. q. 6.): « *In confessione est credendum pec*» *catori confitenti, et pro se et con*» *tra se; sed contra alium nullo* » *modo est ei credendum; alioquin* » *daretur multis occasio fictae con*» *fessionis, et fraudulentae infama*» *tionis.* » In contrarium vero, cum » *de se* loquitur poenitens, rationem » sic S. Doctor (in 4. dist. 17. q. 3. » art. 3. q. 5. ad 2.) innuit: « *Quan*» *tum ad hanc cognitionem* (scilicet » *per confessionis manifestationem*) » *non potest* (Sacerdos) *majorem cer*» *titudinem accipere, quam ut sub*» *dito credat,* QUIA HOC EST AD SUB» VENIENDUM CONSCIENTIAE IPSIUS; » *unde in foro confessionis creditur* » *homini et pro se et contra se.* »

« Et sedulo adverte illa S. Doctoris verba gravissima: « *Non potest* » *majorem certitudinem accipere,* » *quam ut subdito credat.* » Et sane, » nonne uni huic canoni nititur, quod » Confessarii tuta conscientia absolvant poenitentes quasi integre confessos, cum tamen experientia doceat, haud infrequenter accedere, » qui sacrilege peccata reticent? Et » licet sectari quis velit *theoriam si*» *gnorum extraordinariorum,* nonne et ista simulari possunt? Imo, » nonne frequens est querela, quod » Confessariis saepe saepius illudi » contingat specie pietatis ac devotionis, in alios fines a quibusdam » conficta? Et tamen, quisnam id» circo Confessarios jure reprehendat? Aut quis a Confessariis exiget, ut ad deceptiones cavendas » nemini fidem habeant, etiam cum » nulla negandi fidem prudens adest » ratio? *Nonne sic funditus subver*» *tetur oeconomia, qua, teste S. Tho*» *ma cum universis Theologis, tota* » *regitur hujus Sacramenti admi*» *nistratio?* »

Rationem, quam hic adfert P. Ballerini, et fundamentum, cui ejusdem

1) Integrum textum, infra in Art. 6. afferemus. — 2) In altera edit. pag. 439.

doctrina innititur, diligenter examinare praestat.

I. - Axioma: *Poenitenti credendum est et pro se et contra se,* ab omnibus unanimiter receptum est, si paucos, quos infra notabimus, excipias; [1] verumtamen, si iterum paucos aliquos excipias, non absolute et indistincte, sed *cum certis limitationibus.* - Quaeritur ergo, *quaenam sint istae limitationes?* Ut autem hanc quaestionem accuratius, et maxima, qua fieri potest, praecisione discutiamus, inter factum *externum* et factum *internum* distinguendum est.

1. Sub *facto externo* intelligimus, si poenitens affirmat vel negat, se aliquid fecisse, commisisse vel dixisse. - Sub *facto interno,* si poenitens sensa sua intus recondita testatur, v. gr. affirmat, quod inimico injurias sibi illatas condonet, nullumque odium aut vindictae studium nutriat; vel si affirmat, quod omnes articulos fidei catholicae credat, ipsisque assentiat; vel *si affirmat, quod de peccatis commissis vere doleat et emendationem firmiter sibi proponat;* de quo speciatim hic agimus.

Si poenitens *negat,* se peccatum aliquod commisisse, ipsi *regulariter* credendum est, quia ipsemet suus accusator, testis et defensor est. *Regulariter;* si enim Confessarius evidenter scit, poenitentem hoc peccatum commisisse et sacrilege negare, fidem ipsi adhibere et absolutionem impertiri nec debet nec potest; ut apud omnes in confesso est, et testatur *Lugo, S. J.:* [2] « *Omnes debent convenire, quod si Sacerdos sciat evidenter, poenitentem sacrilege negare peccatum, non potest eum absolvere; posse vero, si hoc non sciat.* » In eo tantum DD. non consentiunt, an ad evidentem scientiam *propria Confessarii scientia* requiratur, utrumve sufficiant relationes fide dignae aliorum, praesertim si Confessarius notitiam hausit ex confessione complicis, ubi obligatio sigilli concurrit. Uberius de hac quaestione jam supra tractavimus. [3]

Si vero poenitens affirmat, quod *de peccatis commissis vere doleat et emendationem firmiter sibi proponat,* similiter ejus testimonium accipiendum est, nisi Confessario aliunde constet, ipsum dolose et sacrilege haec sensa simulare, aut sibi fucum facere. In quo similiter omnes conveniunt; paucis quibusdam exceptis, qui intolerabili rigore tenent, Confessarium numquam statim absolvere posse poenitentem sibi ignotum. - *Aliud autem est, poenitentem ut testem fide dignum admittere,* et credere, quod non dolose agat, seu quod revera aliquo modo de peccatis commissis doleat, atque aliquo modo emendationem sibi proponat, et hunc dolorem sufficientem existimet; et *aliud est, judicare ipsum revera satis dispositum esse.* Utrum *dolor,* quem poenitens sentire testatur, *talis sit,* qui jure divino ad remissionem peccatorum et gratiam sacramentalem accipiendam requiritur: *non ipsius poenitentis est judicare, sed Confessarii,* qui in quovis casu particulari, omnibus momentis et adjunctis perpensis, judicium justum et prudens sibi formare tenetur.

Rectissime *Ven. Paulus Segneri, S. J.,* loco supra citato [4] Confessarium monet: « *In hoc tribunali tu judex es, et ad te pertinet judicare, quis sit dispositus, nulla habita ratione verborum rei, quibus equidem fidem dare oportet tamquam testimonio, non autem quando praesumptio facti adversatur verborum protestationi.* » Secus poenitens jam

1) Quemadmodum etiam testatur *S. Alphonsus,* Lib. 6. num. 631.: « *In hoc foro (ut docent omnes cum D. Thoma,* Quodlib. 1. art. 12.), *omnino poenitenti credendum est, tam pro se, quam contra se.* » — 2) De poenit. disp. 22. num. 22. — 3) Vid. Part. V. quaest. 21. pag. 587. et seqq. — 4) Cfr. pag. 702.

non esset testis, sed judex, et quidem in propria causa; claves ligandi atque solvendi in ejus manus traderentur, et (ut cl. Ballerinii verbis utamur) « *funditus subverteretur* » *oeconomia, qua tota regitur hujus* » *Sacramenti administratio.* » Imo non tantum oeconomia, sed et fundamentum atque actus judicialis, qualis ex definitione Concilii Tridentini absolutio sacramentalis est.

2. Objicit cl. Professor, testimonium poenitentis in adjunctis expositis, *neque ex ignorantia,* quia a Confessario satis edoctus et instructus supponitur, *neque ex dolo* repeti posse, quia nullum scopum aut causam fraus haberet, quae mere cederet in mentientis perniciem. - Recte dicit; sed nihil plane inde sequitur, quod in suum usum convertere posset. Quod poenitens rite instructus et nulla necessitate extrinseca ad confessionem coactus, qui nihil reticet, et peccata sua omnesque relapsus rite confitetur, *deliberate* Confessarium fraudare velit, vix cogitari potest; nisi forte quis, in casu rarissimo, praemeditata intentione Confessarium sollicitandi, denuntiandi aut illudendi accesserit.

Omnes poenitentes rite instructi, et sponte ad confessionem accedentes, ut absolutionem sacramentalem recipiant, *aliquo saltem modo* de peccatis suis dolent, et aliquo modo emendationem sibi proponunt. Pravam consuetudinem, praesertim quando de gravi praecepto agitur, detestantur, saltem propter turpitudinem vel propter damna temporalia; ferreo hoc jugo eximi desiderant, imo, cum fidem non amiserint, vitam christianam a culpis lethalibus immunem ducere cupiunt, et summopere sibi gratularentur, si commode et sine labore id assequi possent. - Sed hic nodus, quem dissecare nolunt. *Nolunt sibi vim inferre,* viriliter tentationibus resistere et continue sibi invigilare; nolunt remedia praescripta adhibere; nolunt consuetis commoditatibus et oblectationibus vel minime renuntiare. *Et ideo sibi blandiuntur,* satis esse, quod pravam detestentur consuetudinem, emendationem sibi proponant, in quantum sine magno incommodo fieri potest et humana fert fragilitas, et interdum absolutionem sacramentalem recipiant. *Nec unquam a grata hac hallucinatione desistent,* quidquid ipsis praedicetur, et quantumvis Confessarius omnem operam industriamque collocet in demonstrando, verum dolorem ad justificationem requisitum subsistere non posse sine efficaci proposito, nec non ipsos moneat de aeternae damnationis periculo, et de sententia illa evangelica, regnum coelorum vim pati et nonnisi a violentis rapi.

Si ergo hujusmodi poenitentes, licet jam antea satis instructi atque admoniti, attamen nullatenus emendati, *a Confessario absolvuntur, certo certius eodem semper modo ad confessionem revertentur;* semper post iteratam admonitionem affirmantes, se sincere agere, et, quae Confessarius exigit, praestare se velle. Et revera *non mentiuntur nec dolose agunt, se ipsos potius decipientes,* quam Confessarium decipere intendentes. Utique fieri potest, ut aliquis usque ad confessionem in eodem statu perseverans, immediate ante vel in ipsa confessione voluntatem suam mutaverit: at vix cogitari potest, quod repentinam hanc mutationem omnino in penetralibus suis recondat, et non aliquo *ex istis signis,* quae a S. Alphonso enumerantur, manifestet.

Deficiente igitur omni signo doloris et propositi requisiti, *praeter consuetam affirmationem,* Confessarius, quatenus *judex* est, non potest ejusmodi poenitentem absolvere, quia probabiliter ac prudenter judicare nequit, ipsum voluntatem suam mutasse; et ideo *justa ac prudens dubitatio de sufficienti poenitentis dispositione perseverat.* – In quantum autem Confessarius *medicus* est, absolutionem differre, et unicam, quae in-

structionibus et admonitionibus frustra adhibitis superest, medicinam adhibere tenetur, qua pessima illa et perniciosissima hallucinatio, sufficere quamcumque detestationem sine proposito efficaci, destruatur; atque poenitens argumento practico de periculo aeternae damnationis, in quo versatur, persuadeatur, ex lethali sopore suo excitetur, atque ad vim sibi inferendam et legitime certandum compellatur.[1]

1) Doctrinam et praxim celebris Missionarii neapolitani, et coaevi S. Alphonsi, addere juvat, videlicet Josephi Jorio, viri doctrina et virtute conspicui, jam superius (pag. 259. n. V.) laudati: quem eo libentius adducimus, tum quia egregie confutat sententiam a P. Ballerinio propugnatam, *poenitenti semper credendum esse;* tum quia, contra aliam cl. Professoris assertionem (cfr. infra, Cap. II. §. 1. art. 4.) affirmat, *teste experientia, absolutionis dilationem esse remedium hujusmodi recidivis summopere proficuum.* — In Opusculo l. c. allegato, Cap. I. §. 1. pag. 3. sic scribit:

« Se quegli che capita al Confessore, è Abituato ed insieme ancor Recidivo, *non può così tosto essere assoluto;* v. gr. confessa alcuno esser caduto dieci volte in un peccato, e domandato poi se anche per l'addietro era solito colla medesima frequenza commetterlo, benchè se ne confessasse, risponde di sì, e che dopo le confessioni di nuovo lo commetteva: costui non dee allora assolversi subito, *quantunque largamente prometta volersi emendare,* se pur ora non desse *qualche segno estraordinario* di dolore e pentimento (*Lugo,* de sacr. poenit. disp. 14. sect. 10. n. 168.). La ragione è, perchè non avendo colui mantenuta la parola data ad altri Confessori, *prudentemente deesi or giudicare, che neppure ora la manterrà.* — E perciò la S. M. d'Innocenzo XI. condannò la Propos. 60. la quale diceva: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio: dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.* E lo diceano alcuni *sul pretesto, che il Confessore dee credere al penitente,* ed assolverlo, qualora prometta d' emendarsi; e che non gli si dovea differir l'assoluzione, quando protestava di pentirsi, e di corregger sua vita, quantunque non apparisse speranza di emenda. — Adunque, avendo ciò il Sommo Pontefice condannato, si dee dire, che non sempre il Confessore dee credere al penitente solo, perchè promette di emendarsi; ma *gli dee credere solo, quando dà motivi, onde il Confessore concepisca vera speranza della di lui emendazione, e possa far prudente giudizio, ch' egli sia disposto e contrito: il quale giudizio è assolutamente necessario.* Imperocchè, benchè il Confessore non dee cercare di sapere evidentissimamente, se il penitente sia contrito, come dee in ogni modo trovar l'acqua per battezzare; tuttavia *non dee mai amministrare il Sagramento a colui, che gli dà motivi da dubitare prudentemente della sua disposizione e pentimento.* »

« Potrebbe qui forse opporre alcuno, che non è segno, che il Recidivo sia indisposto, l'aver mancato di fede spesso agli altri Confessori, e 'l non essersi punto emendato; perchè può avvenire, che internamente e veramente ora si penta, ed efficacemente proponga l'emendazione; e tanto solo dee bastare al Confessore, per dare a colui l'assoluzione. — Noi non neghiamo, che ciò non possa alcuna volta avvenire; ma deesi sapere, che *questa interna disposizione dee esser nota al Confessore:* il quale, essendo *Giudice,* non può proferir la *sentenza* dell' assoluzione, senza conoscer nel reo vera voglia di emendarsi; ed essendo insieme *Ministro* del Sagramento della Penitenza, non può proferir la *forma,* senza aver fondamento prudente della materia, ch' è il dolore, e proposito del penitente. Ma chi non vede, che nel caso presente *non solamente il Confessore non conosce quest' interna disposizione, ma ha motivi di giudicare tutto l'opposto?* Perchè avendo domandato al penitente, se altre volte si sia confessato degli stessi peccati, e colla stessa frequenza vi sia caduto; ed avendo veduto, che punto non si è emendato, quantunque ripreso ed ammonito da' Confessori: *si accorge, non esser vero quel dolore e proposito; altrimenti, colla grazia del Sagramento, si sarebbe emendato.* »

« Aggiungesi a ciò, che il Confessore non solo è Giudice, ma è ancor *Medico:* onde, *da che scorge, che le assoluzioni date presto non hanno giovato, dee differire di assolvere;* tanto maggiormente, che *una tale dilazione non può dirsi, quanto giovevole sia, e quanti buoni effetti produca.* Onde attesta *il Cardinal de Lugo* (l. c. n. 166. 168. 169.), che *l'esperienza dimostra,* che vedendo i penitenti abituati, che si sospende loro l'assoluzione, *concepiscono maggior orrore alla colpa, e formano più degno concetto dell' assoluzione e del Sagramento.* — Ed in fatti, *S. Francesco di Sales* nelle sue Costituzioni sinodali, *S. Francesco Saverio* nelle sue lettere, e 'l *Bellarmino* (Conc. 8. in Dom. 4. Adv.) portano opinione, che *la soverchia facilità in dar l'assoluzione, cagioni un danno indicibile alla Chiesa.* Imperocchè i peccatori, vedendosi facilmente assoluti, non formano concetto proporzionato de' loro gravi peccati; nè usano molta diligenza a liberarsi da' mali abiti, ed a vincerli. Perlochè, se il differire tal volta l'assoluzione è una giovevole medicina, *a chi mai si dee più convenientemente applicare, che ad un Recidivo,* il quale sempre promette

3. Quae hic exposuimus, praecise et praeclare explicat *Ven. Paulus Segneri* in Opusc. *Il Penitente istruito*, cap. 8.: « Quanti, per mancamento di questo proposito, fanno le confessioni invalide, e molte volte ancora sacrileghe, restandosene però più sozzi di prima! « *Generatio quae sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis* ».[1] Non è uno o un altro, sono intere generazioni d' uomini, di donne, di nobili, di plebei, quei che dicono: mi sono sempre confessato del male c' ho fatto; sono tanti anni che mi ritruovo in questa pratica, è vero, ma sempre me ne confesso: e credono d' esser mondi e non sono, perchè quando si confessano, *non hanno vero proposito;* e però è come se non si confessassero; e peggio ancora, perchè alle colpe passate aggiungono questa nuova di sacrilegio. Così potessimo noi veder in quei libri della divina giustizia, quali si apriranno nell'ultimo giorno. *Quante confessioni mal fatte! Quante assoluzioni mal date!* Vi vuol poco a buttarsi a' piedi di un Confessore, e picchiarsi il petto, e dir me ne pento, *peccavi;* lo seppe dire ancora Saule, lo seppe dire anche Giuda. »

Et paulo post subjungit: « Dovete poi di vantaggio considerare, che sebbene il ritornar alla confessione con gl' istessi peccati mortali, non è contrassegno evidente che il proposito non fosse vero, *n'è però grande indizio, massimamente ogni volta che non si vede nessuna sorta d'emendazione,* anzi che nè meno si pigli verun rimedio, o si adoperi alcun mezzo che ad essa giovi. *Questo è un contrassegno della volontà efficace: applicare i mezzi opportuni all'esecuzione... Questi poveri recidivi, i quali non portano alcuna sorta d'emendazione, devono tenere le loro confessioni assai per sospette,* e però temere e tremare: *e se il Confessore non vede in essi* UNA COMMOZIONE MOLTO STRAORDINARIA, *non ha da creder sì facilmente al loro proponimento, ma l' ha da provare, con* DIFFERIRE, *se bisogna, l'assoluzione, ch'è quel rimedio, il qual in molti casi* SUOL ESSER UNICO *a questo male.* »

II. — Cum P. Ballerini speciatim S. THOMAM pro sua sententia adducat, supersedere non possumus speciali inquisitione, an gravissima haec auctoritas revera ipsi suffragetur.

1. Inprimis locum: *In 4. dist. 17. q. 3. art. 3. q. 5.* urget, quatenus S. Thomas dicit: « *Non potest majorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat.* » Verum Angelicus hoc loco non de *dispositione,* sed de *facto externo;* nec de quolibet *Sacerdote* confessiones excipiente, ut falso in parenthesi adjicit P. Ballerini, sed exclusive de *parocho* loquitur; et insuper quae dicit, ad illum casum particularem, de quo agit, referenda sunt.

Dubium proponit, *an alteri quam proprio Sacerdoti confiteri liceat,* et more solito rationes pro hoc dubio exponit: « 1. Videtur, quod non possit aliquis alteri quam proprio Sacerdoti confiteri, etiam ex privilegio vel mandato Superioris; quia non potest aliquod privilegium indulgeri in praejudicium alterius... 2. Praeterea illud, per quod impeditur divinum mandatum, non potest per mandatum vel privilegium alicujus hominis concedi. *Sed mandatum divinum est ad Rectores Ecclesiarum,* ut diligenter vultum pecoris sui agnoscant (Proverb. 23.); quod impeditur, si alius quam ipse confessionem ejus audiat. »

Et ad secundam rationem respondet: « Ad secundum dicendum, quod *Rector Ecclesiae* debet vultum pecoris sui agnoscere *dupliciter.* Uno modo *per sollicitam exterioris con-*

d' emendarsi, e poi non si emenda, onde di vigoroso rimedio ha di bisogno? (*S. Thom.* in 4. dist. 21. q. 1. art. 2. quaestiunc. 3.; *Habert,* tr. 4. de absol. pag. 401.).»

1) Prov. 30. 12.

versationis considerationem, qua invigilare debet super gregem sibi commissum : et in hac cognitione non oportet, quod credat subdito ; sed certitudinem facti, in quantum potest, inquirat. Alio modo *per confessionis manifestationem ;* et quantum ad hanc cognitionem, non potest majorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat, quia hoc est ad subveniendum conscientiae ipsius. *Unde in foro confessionis creditur homini et pro se et contra se, non autem in foro exterioris judicii;* et ideo ad hanc cognitionem sufficit, quod credat subdito dicenti, se alteri absolvere valenti confessum fuisse ; et sic patet, quod talis cognitio pecoris per privilegium alicui indultum de confessione audienda non impeditur. »

Dicit ergo hic S. Doctor, sufficere ad cognitionem, quam *Parochus* de suis ovibus habere debet, *si credit subdito affirmanti, se alteri absolvere valenti confessum fuisse.* Addit : « *Non potest majorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat* »; quia Parochus alterum Sacerdotem interrogare non potest, an subditus omnia peccata sua rite confessus sit et absolutionem impetraverit, et hic Sacerdos aliud respondere non posset, praeterquam quod munere suo debito modo functus sit. Addit insuper : « *Quia hoc est ad subveniendum conscientiae ipsius* », quatenus Parochus subditum ad iterandam confessionem cogere non potest, quia nemo peccata sua bis confiteri tenetur ; et ideo affirmationi subditi, quod omnia peccata sua apud alterum Sacerdotem rite confessus sit, tuta conscientia acquiescere potest et debet.

2. Altero loco, quem citat P. Ballerini, *Opusc. 7. alias 12. q. 6.,* Angelicus dubium proponit : « *An circumstantias peccati trahentes in alterum genus, non notabiliter aggravantes, teneatur homo confiteri etiam innotescendo personam, cum qua peccaverit?* » Negative respondet ; et tres rationes adfert, inter quas tertia est : « *In confessione est credendum peccatori confitenti et pro se et contra se.* » - Utique S. Thomas hic *in genere* docet, affirmationibus poenitentis fidem esse adhibendam ; verum non ex professo hanc quaestionem pertractat, sed nonnisi per incidens eam attingit ; unde *omnes Interpretes conveniunt,* generalem istam propositionem *non absolute,* sed eo sensu et cum illis distinctionibus esse accipiendam, cum quibus communissime et fere unanimiter Doctores eam accipiunt.

3. Sic *Billuart* [1] quaerit : « *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum consuetudinariis et recidivis?* » et primo loco hanc ponit et propugnat regulam : « *Differenda est regulariter absolutio consuetudinario, qui, semel et iterum monitus et correptus a Confessario, neglexit remedia ab ipso praescripta, nec se emendavit, quousque factis emendationem probaverit,* QUANTUMVIS DICAT, NUNC SE POENITERE ET SE ESSE AD OMNIA PARATUM. *Idem dicendum, in paribus circumstantiis, de recidivis statim et frequenter in idem peccatum.* »

Et inter objectiones, quas Billuart adfert et solvit, haec est : « Juxta S. Thomam, [2] in foro confessionis creditur homini pro se et contra se : ergo consuetudinario dicenti : *poenitet me,* fides est adhibenda. » Quam objectionem sequenti modo solvit : « Respondent plures, hoc dictum S. Thomae intelligendum esse *de factis,* quae pertinent ad confessionem sacramentalem, ut, quod poenitens hoc vel illud peccatum commiserit, quod fuerit vel non confessus ; non autem *de dispositionibus,* quarum Confessarius est judex. Quia tamen S. Doctor [3] videtur illud etiam intellige-

1) Theologia juxta mentem D. Thomae, de poenit. diss. 6. art. 10. §. 6. — 2) Supplem. q. 8. art. 5. ad 2. — 3) Opusc. 22. cap. 3. sub fin.

re de dispositionibus poenitentis: dist. ant. *In foro confessionis creditur homini pro se et contra se, si nihil obstet: concedo; si quid obstet: nego. Obstat autem hic gravis poenitentis negligentia in adhibendis remediis contra relapsum et inolitam consuetudinem.* »

III. - Cum propositio ista: *De dispositione sufficienti judicare ad Confessarium spectat, non autem ad poenitentem,* fundetur in ipsa Sacramenti Poenitentiae institutione et in actu judiciali, qui ad ejus essentiam pertinet: difficile comprehenditur, quo pacto Theologus eam in dubium revocare possit. Nihilominus *Joannes Sancius* id praestitit, eamdem propositionem non tantum in dubium revocando, sed aperte negando.

1. In Opere: *Selectae Disputationes,* Disp. 10. n. 16. dicit: « Dum poenitens vero proposito est affectus, dignus est absolutione, quantumcunque nulla notetur emendatio. Hoc adeo verum est, quod ea ratione asserant Suarez, Reginaldus, Graffius et ceteri, negatum iri absolutionem, quando nullus apparet profectus; quod praesumatur fictitium propositum poenitentis. [1] Vellem ab his audire, quare, respectu veniae, illum non adsit hujusmodi praesumptio, etsi nullus appareat profectus vel inchoata emendatio: interveniat tamen respectu mortalium? Nec obstat, Confessarium nullam concipere spem emendationis, si judicet alias poenitentem propositum verum capiendi in futurum peccatum adducere. *Poenitens namque indignus non redditur absolutione ex judicio, quod a seipso concipit Confessarius, sed ex judicio concepto de poenitente.* At si de poenitente concipiat, adducere illum verum propositum, non intererit, Confessarium non concipere spem emendationis. »

2. Sancius speciatim hic loquitur de recidivis in occasione proxima necessaria constitutis; verumtamen generalem regulam statuit, poenitentem non reddi indignum absolutione ex judicio, quod a se ipso concipit Confessarius, sed ex judicio concepto a poenitente. — Et quoad recidivos sine occasione extrinseca, saepius frustra admonitos, jam antea *Disp. 9. n. 13.* docuerat, hujusmodi poenitentes *toties absolvendos esse, quoties affirmant, quod non fictitie emendationem promittant, sed verum propositum afferant:* « Infertur, male *Azorium* asseruisse, [2] loquentem de habente consuetudinem jurandi, quod si poenitens ter aut saepius admonitus, nihil curae adhibuerit ad depellendam pravam consuetudinem, etsi absolutio simpliciter neganda non sit, erit tamen differenda. Idem tenet *Suarez,* [3] *Reginaldus,* [4] *Villalobus,* [5] *Sà,* [6] *Martinus del Rio,* [7] *Henriquez,* [8] et allegat *Mansium* et Magistrum *Avilam.* Idem docet *Hurtado* de illo, qui habet occasionem peccandi, quam vitare non potest. [9] Quaero itaque ex his Doctoribus, quidnam intelligant, per *simpliciter negare absolutionem:* sane non, quod numquam foret absolvendus, sed *differendam* absolutionem, eo usque dum emendationem tractaret; at negare absolutionem usque ad emendationis tempus, idem est quod differre, et differre pro illo tempore, idem quod pro illo tempore negare. Quapropter sine necessitate advertentia ponitur de non neganda absolutione simpliciter, cum id potius daemonis, quam pii Confessarii munus esset. [10]

1) Quod *Sancius* falso ipsis tribuit. Nullus enim ex Doctoribus, quos allegat, id asserit; et *Suarez* expressis verbis dicit: « *quia ejus propositum moraliter non potest judicari efficax* » (cfr. supra, pag. 668.).

2) T. 1. lib. 11. c. 3. q. 4. — 3) T. 4. de poenit. disp. 32. sect. 2. in fine. — 4) T. 1. Praxis, lib. 8. n. 19. — 5) Summa, tr. 11. dific. 25. in fine. — 6) Verb. *Absolutio,* n. 14. — 7) De magia, lib. 1. c. 5. q. 4. in fine. — 8) Lib. 4. de poenit. c. 24. n. 4. — 9) De poenit. disp. 10. dific. 23.

10) Ad sophisticam hanc objectionem bene respondet *Cardenas* (Sec. Crisis, diss. 39. c. 2.

Tenet *Moure* in Summa, [1] dum ait: quod quando poenitens est dignus absolutione, teneatur Confessarius absolvere: et dicit esse communem Doctorum. »

3. Rationes uberius explicat *Sancius,* n. 18. et 19: « Deducitur ex dictis, non teneri Confessarium denegare absolutionem ignoranti doctrinam christianam, etsi saepe admonitus non didicisset; dummodo poeniteat praeteritae negligentiae, et emendationem proponat: sic *Sanchez.* [2] Nec de hoc peccato aliud censendum est, quam de aliis, in ordine ad negandam absolutionem ob relapsum. *Quia cujuscumque praecepti violati emendationem proponere et dolorem habere, sufficiens dispositio est ad absolutionem,* quando poenitens aliud efficere non potest tempore confessionis, quam dolere; et ob id non est absolvendus, qui non restituit, aut concubinam non ejicit, quia tempore confessionis, praeter dolorem et propositum, potest restituere et concubinam expellere; non incontinenti valebit doctrinam addiscere. Unde cum Sancio (Sanchez) consentire debent omnes Doctores, censentes, ob solam reincidentiam non fore negandam absolutionem: quamvis non fore absolvendum in hoc casu censeant *Medina,* [3] *Rodriquez,* [4] *Lopez,* [5] *Bannez,* [6] *Ledesma,* [7] *Vega.* [8] - *19.* Ad fundamentum primae sententiae, ex fundamentis secundae manet satisfactum: *fides namque habenda est poenitenti asserenti, se propositum verum afferre;* specialiter si confiteatur sponte, non compulsus censuris, aut punitione, praeceptove Ecclesiae. Et licet in contractibus et civilibus communicationibus fide dignus non sit, qui fidem datam multoties fregerit, in foro tamen poenitentiae credi debet; eo quod majus damnum immineat poenitenti ex *ficto* proposito emendationis, quam ex promissione facta homini et non adimpleta, cui cor non patet: Deo tamen, cui in confessione fit promissio, apertum relinquitur. »

4. Idcirco *Cardenas, Viva, Reuter* et *alii* merito tenent, *hanc Sancii doctrinam eam esse, quam Innocentius XI. damnavit in prop.60:* « Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem. » - Insuper *Sancius* aliam tradidit doctrinam arcte connexam (Disp. 9. n. 6-9.), videlicet: *Confessarium nullum jus habere ad interrogandum de consuetudine peccandi;* et ideo *poenitentem non teneri eam fateri,* imo, si interrogatur, negare posse, aequivocatione utendo. *Quam doctrinam disertis verbis damnavit Innocentius XI. in prop.58:* « Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. » - Aliam denique habet propositionem horrendae laxitatis, quam Alexander VII. damnavit, nimirum Disp.10.n.21.: « *Imo si concubina nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* regalo, *dum, deficiente illa, nimis aegre ageret*

n. 9.): « Sed Sancius nodum in scirpo quaerit. Nam valde diversum est, quod ei poenitenti propter consuetudinem peccandi dicat Confessarius: *Nolo te absolvere, donec auferas hanc consuetudinem:* quam quod dicat illi: *Expedit tibi, quod per unam vel alteram hebdomadam differatur absolutio, ut vim tibi inferas contra consuetudinem.* Ex his ergo duobus modis, primum negant praefati Authores, et secundum affirmant. »

1) Part. 3. c. 6. §. 9. n. 25. — Quem falso pro sua sententia allegat; ut patet ex textu supra, pag. 679. n. 1. allato.

2) Summ. lib. 2. c. 3. n. 21. — Sed ipsum Sancius denuo falso citat. *Thomas Sanchez* l. c. tantum dicit: « In praxi existimo, numquam aut rarissime denegandam esse absolutionem ob doctrinae christianae ignorantiam: quia rustici ignorantes non habent commode doctorem. et Confessor potest illos instruere; nec ipsi majorem addiscendi capacitatem habent. »

3) Summ. lib. 2. c. 7. — 4) Summ. T. 1. edit. 2. c. 88. in fin. — 5) Instruct. P. 1. c. 27. vers. *Neque isti.* — 6) 2. 2. q. 2. art. 8. dub. 2. — 7) Summ. T. 2. tract. 1. c. 3. post 7. conclus. — 8) P. 3. cas. 27. prope fin.

vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium affecerint, et alia famula ad id nimis difficile inveniretur, ejicere illam non erit concubinarius obligandus. » At propositio 41. ab Alexandro VII. *damnata* sonat: « Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur. » Cumque hic iidem termini occurrant, quibus *Sancius* utitur, evidens est, hanc propositionem ex ejus opere desumptam esse.

5. Ceterum doctrina Sancii, recidivos toties esse absolvendos, quoties affirmant, quod verum dolorem afferant, - paucos sectatores habuit. Quinimo *Diana*, licet benignis opinionibus addictissimus et *selectas* Sancii *disputationes* in genere immodicis laudibus cumulans, nihilominus fatetur, [1] ejus doctrinam de consuetudinariis et recidivis *novam* esse, et aliorum judicio se remittit, an haec doctrina in praxi *tuta* sit.

Articulus 5.

Ad firmandam sapientem S. A. doctrinam, perpenditur doctrina P. Faure, S. J., quocum sentit cl. Ballerinius.

Alium vero auctorem P. Ballerini pro praefata sua methodo citare potuisset, Theologum ex professo, cui nec eruditio nec methodus denegari potest: videlicet *P. Joannem Baptistam* Faure, *S. J.*, qui in opusculo inscripto: « *Dubitationes theologicae de judicio practico, quod super poenitentis, praecipue consuetudinarii aut recidivi, dispositione formare sibi potest ac debet Confessarius, ut eum rite absolvat* » [2], eamdem doctrinam tradit. - Mirum sane videri potest, quod cl. Professor, ad thesim suam probandam, hunc Auctorem bene sibi notum non allegaverit; eo magis quia ejus auctoritatem invocat, ubi de recidivo satis disposito disserit (cfr. infra, Cap. II. §. 3. in princ.). Sed quoad praesentem implicatam materiam consultius forsan duxit, licet ejusdem Auctoris sententiae adhaerens, ipsius nomen praetermittere: quum, uti constat, Viri non pauci, doctrina et dignitate conspicui, plures praefati opusculi propositiones nimiae laxitatis non semel arguerint. - Quidquid sit, ad vindicandam sapientissimam S. Alphonsi doctrinam, aliquas saltem propositiones Patris Faure, cum rationibus ab ipso allatis, uberius exponere et confutare juvat.

I.

Dubitatione 2. §. 3. pag. 12., P. Faure argumentum petit *ex Catechismo Romano*, atque in hunc finem, adnotationibus interjectis, seq. textum de Poenitentia q. 51. allegat.

« *Hoc primum Sacerdotes in poe-*
» *nitente observabunt, si veram pec-*
» *catorum suorum contritionem ha-*
» *beat, certumque illi sit ac delibe-*
» *ratum in posterum a peccatis absti-*
» *nere.* » Audiendum jam est, quae
» media ad tantum finem praescribat:
« *Sunt,* inquit, *qui, vel quod raro*
» *peccata sua confiteri solent, vel*
» *quod nullam curam et cogitatio-*
» *nem in pervestigandis suis sceleri-*
» *bus posuerunt, nec commissa con-*
» *fessione expedire, nec unde ejus*
» *officii initium ducendum sit, satis*
» *sciunt. Quos certe acrius objurga-*
» *re opus est, atque in primis docere,*
» *priusquam ad Sacerdotem aliquis*
» *adeat, omni studio curandum esse,*
» *ut peccatorum suorum contritione*
» *commoveatur: id vero praestari*
» *nullo modo posse, nisi ea remi-*
» *niscendo sigillatim recognoscere*
» *studeat. Quare si Sacerdos hujus-*
» *modi homines prorsus imparatos*
» *esse cognoverit, humanissimis ver-*
» *bis a se dimittet, hortabiturque, ut*

1) P. 1. tr. 7. res. 55. — 2) Lucani, typis Francisci Veladini et Soc. 1840.

» *ad cogitanda peccata aliquod spa-* » *tium sumant, ac deinde revertan-* » *tur. Quod si forte affirmaverint,* » *se in eam rem omne studium et* » *diligentiam suam contulisse; quo-* » *niam Sacerdoti maxime verendum* » *est ne semel dimissi amplius non* » *redeant, audiendi erunt: praeser-* » *tim vero si emendandae vitae stu-* » *dium aliquod praeseferant* (stu- » dium aliquod, inquit, non studium » moraliter certum), *adducique pos-* » *sint ut negligentiam suam accu-* » *sent, quam se alio tempore dili-* » *genti et accurata meditatione com-* » *pensaturos promittent. In quo ta-* » *men magna cautio adhibenda est.* » (Accipe autem, quae Parochis uni- » versi orbis catholici *magna cautio* » commendatur). *Si enim audita con-* » *fessione judicaverit, neque in enu-* » *merandis peccatis diligentiam, ne-* » *que in detestandis dolorem poe-* » *nitenti omnino defuisse; absolvi* » *potest.* »

I. Ad quem textum, *P. Faure*, duas observationes adjicit: « Obser- » ves I. Non hic agitur de sacerdo- » tibus, religiosis, monialibus, etc., » sed *de iis, qui raro peccata con-* » *fiteri solent,* etc. *Lege reliqua su-* » *pra relata.* »

1. Legimus reliqua Catechismi romani; et cum omnibus, qui eadem attente legerunt, inde colligimus, hic agi *de prorsus imparatis*, et adeo imparatis, ut nesciant, contritionem et propositum emendationis ad confessionem rite peragendam requiri. Si ergo hujusmodi homines *consuetudinarii* sunt, aut *prima vice* pravam consuetudinem confitentur, aut *numquam adhuc instructi et admoniti* fuerunt: hujusmodi homines non audiendos esse dicitur, sed dimittendos, ut melius se praeparent: nisi forte affirmaverint, se in eam rem omne studium et diligentiam suam contulisse; praesertim vero si emendandae vitae studium aliquod prae se ferant, adducique possint, ut negligentiam suam accusent. *In quo casu absolvi possunt,* si Confessarius audita confessione judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse. Dicitur *omnino;* quia non requiritur, ut Confessarius omnino certus sit de dispositione poenitentis, sed sufficit, quod *prudentem probabilitatem* habeat, et non obstet *positiva suspicio* in contrarium.

2. Cum hac doctrina Catechismi Romani omnino concordat *S. Alphonsus,* qui *n. 459.* cum communissima docet, *consuetudinarium*, qui prima vice pravam consuetudinem confitetur (vel, quod perinde est, nunquam instructus et admonitus fuit), bene absolvi posse, etiamsi nulla emendatio praecesserit, modo serio eam proponat: quia ipsa spontanea confessio signum contritionis est, nisi obstet aliqua positiva praesumptio in contrarium; et omnes conveniunt, quod dolor per confessionem manifestatur.[1] Unde S. Doctor *n. 461.* eumdem *Catechismi Romani* textum Rigoristis opponit.[2]

3. Imo S. Alphonsus tenet, *rudes etiam prorsus imparatos* semper esse audiendos, et nunquam dimittendos, ut melius se praeparent. In *Praxi Confessarii,* Cap. 1. §. 4. n. 20., animadvertit: « *Perperam eos agere,* » *qui rudes dimittunt, ut melius se* » *examinent.* Hoc *P. Segneri* (Con- » fess. instructus, cap. 2.) vocat er- » rorem intolerabilem, et jure opti- » mo: quia hujusmodi homines, quan- » tum laborent, difficulter se exami- » nabunt ut par est, et ita exacte, » sicut potest ipse Confessarius eos » examinare; et contra, cum dimissi » sunt, periculum erit, ut exterriti » difficultate se examinandi, a con- » fitendo retrahantur et in peccatis » obdurescant (Lib. 6. n. 607. v. *Sed* » *haec,* ad n. 1.); qua de re, Confes- » sarius debet ipse ex hujusmodi poe- » nitentibus peccata exquirere, eos

1) Cfr. pag. 649. — 2) Pag. 654.

» interrogando secundum ordinem » praeceptorum, praecipue si sunt famuli, aurigae, muliones, milites, » satellites, caupones et alii hujus » generis, qui vitam solent ducere » aeternae salutis negligentem, et rerum divinarum ignorantes, procul » a concionibus et ecclesiis. »

4. Et Cap. 1. §. 1. n. 3., S. ALPHONSUS de peccatoribus loquens, qui hucusque vitam perditam egerunt, dicit: « *Secus boni Confessarii agunt:* » cum ad se hujusmodi peccatores » confluunt, benigne eos excipiunt, » et (quasi victor capta praeda) exultant, perpendentes sibi sortem contigisse, animam de manibus daemonis eripere. Sciunt, hoc Sacramentum proprie non pro justis » fuisse constitutum, sed pro peccatoribus; etiam enim veniales culpae, ut remittantur, non indigent » sacramentali absolutione, cum multis aliis modis deleri possint. Sciunt » quoque, Christum protestatum fuisse his verbis: *Non veni vocare justos, sed peccatores* (Marc. 2, 17.). — » Propterea Confessarius, charitatis » viscera induens, quo magis animas » peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatas reperiat; eo magis, ut Deo ipsas lucrifaciat, majore charitate eas amplectatur, eisque animum praebeat, his aut similibus verbis: *Eja frater! bono animo esto, noli timere; peccata tua » impavide confitere. Aperi omnia » confidenter, nullius te pudeat. Nihil refert, si in omnes tuae conscientiae sinus non introspexeris; » sufficit, si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias, qui te hucusque ad poenitentiam expectavit. Nunc tibi mutanda est vita. Laetare, quia Deus certe omnia peccata, quantumvis ingentia, tibi remittit, si bonam habes voluntatem; ideoque te expectavit, ut » tibi parceret. Igitur hilari animo » dic omnia, nihil involucris tegas.* »

II. Altera observatio *Patris Faure* haec est: « Observes II. Quoties pot- » est Confessarius dicere: *Huic poe- » nitenti neque diligentia, neque » dolor omnino deest;* toties absolvi » poterit. Ex qua regula plura pos- » sent colligi. Unum autem subjicio, » quod ad rem maxime facit. At- » qui, quotiescumque post fervidam, » quamvis brevem, exhortationem a » Confessario auditam, poenitens in- » terrogatus respondet, se ex corde » et serio dolere, toties potest Sa- » cerdos dicere: *Huic poenitenti ne- » que diligentia, neque dolor omni- » no deest;* et judicii temerarii reus » esset Sacerdos, qui in ea hypo- » thesi diceret: Huic omnino deest » diligentia, omnino deest dolor. » *Ergo quoties poenitens serio re- » spondet eo modo, toties poterit » absolvi.* »

1. Urget hic P. Faure « *magnam cautionem, quae* (uti ait) *Parochis universi orbis catholici commendatur* »; at reticet propositionem immediate subsequentem, in qua altera magna cautio iisdem Parochis commendatur: « *Sin autem utrumque in eo desiderari animadverterit,* auctor illi et suasor erit, ut majorem curam, quod antea dictum est, in excutienda conscientia adhibeat, *hominemque, ut blandissime poterit, tractatum dimittet.* »

2. Supponit ergo Catechismus Romanus, Confessarium aliquando ea probabilitate, quae ad Sacramentum Poenitentiae conferendum requiritur, judicare non posse, poenitentem debitum in peccatis detestandis dolorem habere, quamvis ipsum objurgavit et necessitatem contritionis docuit, et quamvis hic affirmat, se in eam rem omne studium et diligentiam suam contulisse, imo aliquod emendandae vitae studium prae se fert. Ex qua suppositione *a fortiori* inferendum est, secundum Catechismi Romani doctrinam *non semper absolvendum esse consuetudinarium, instructum et admonitum, quantumvis affirmet,* quod vere doleat et emendationem proponat.

3. Nullatenus ergo Catechismus

Romanus doctrinam Patris Faure approbat, sed potius reprobat.

II.

Sequitur §. *4. pag. 13.* Thesis : « Regulae ab antiquis traditae: *Poe- » nitenti credendum est pro se et » contra se*, suffragatur ratio. » – Quam duobus argumentis probare conatur: quia Sacramentum Poenitentiae non pro nolentibus, sed pro salvari volentibus, simulque ita institutum est, ut per ministrum, qui homo est, non propheta, dispensetur. Quibus argumentis expositis, pergit: « *Dices:* Praeter testimonium poe- » nitentis, dolor ejus innotescere pot- » est ex signis externis, et ex ope- » ribus bonis praeviis, cum quibus » ad Sacramentum accesserit. *Re- » spondeo I.* Cum haec omnia supere- » rogationis sint, non essentialia, » implicat in terminis, quod haec » sint fundamentum necessarium, ut » Sacerdos illis superinnixus judicet » de poenitentis dispositione et absol- » vat. Superest ergo, *ut sufficienter » fundetur in serio poenitentis te- » stimonio. Respondeo II.* Cum Sa- » cerdos, qui propheta non est, ne- » sciat distinguere inter vera aut » simulata doloris signa, inter pia » opera vere facta aut potius men- » daciter asserta; hinc est, quod tan- » dem totum fundamentum Sacerdo- » tis reducitur ad testimonium poe- » nitentis: qui *si sapiens fuerit, sibi- » metipsi erit: si autem illusor, so- » lus portabit malum.*

» Quod ut penitius intelligatur, » hypothesim fingo. Esto poenitens, » qui sine fuco et fallacia coram Deo » sibi conscius videatur doloris ac » propositi sui sinceri, et sincere » confessus sit omnia lethalia : et » quoniam hoc ipsum Sacerdoti af- » firmat omnino serio, putat secun- » dum antiquam regulam, sibi pro » se esse credendum. Ut autem elu- » dat morosum rigoristam Confessa- » rium, et redimat suam, ut putat, » injustam vexationem, simulat ex- » traordinaria doloris signa, confor- » mat vocem ad modum flentium, con- » torquet sese, ducit longos anheli- » tus atque singultus, gravitatem » suorum peccatorum exaggerat, sese » omni daemone pejorem compellat, » clamat locum suum esse infernum » ignem qui paratus est diabolo et » angelis ejus : praeterea mentitur, » se proxime ante Confessionem je- » junasse, cubasse super nudis tabu- » lis, cilicium induisse, ferrea se » catena praecinxisse, flagellis se » cruentasse. Qua simulatione atque » mendaciis absolutionem extorquet, » quemadmodum ille obtinuisset, qui » ea omnia sine fuco et fallacia prae- » stitisset. *Satis docemur hac fictio- » ne, quod judicia Confessariorum » in his et similibus, tandem resol- » vuntur in testimonium Poeniten- » tium.*

» Quaeres fortasse, num poenitens » in hypothesi facta, eo modo men- » titus, rite absolutus sit coram Deo? » – Respondeo, me non definire, quae » peccata sint hujusmodi simulatio- » nes ac mendacia. *Aegrè autem pro- » babitur, in his circumstantiis ea » esse peccata plus quam venialia.* » Cum enim unice ordinentur in eum » finem, ut poenitens a moroso et » indiscreto Confessario extorqueat » jus suum, quod aliter negandum » fuisset; usurpatur quidem in eum » finem medium aliquo pactò illici- » tum, at non facile probabis esse » illicitum plus quam venialiter. Men- » dacia enim illa neque sunt gravia » ex natura sua vel ex objecto, ne- » que per accidens ratione irreve- » rentiae in Sacramentum: decipitur » enim Minister in re ad Sacramen- » tum ejusque essentialem admini- » strationem non necessaria. Com- » munis quippe doctrina est, non » omne mendacium in confessione » esse mortale; licet plura mortalia » sint, exempli gratia, mentiri, ne- » gando peccatum lethale, vel cir- » cumstantiam quae mutet speciem. » Quidquid tamen de hoc sit, etiam » ex his conficitur quid ferat natu- » ra hujus judicii: *nimirum, ut non-*

» *nisi ex dicto poenitentis possint* » *Confessarii practice judicare, u-* » *trum dispositus an indispositus* » *sit. De alio enim tutiori modo Deus* » *non providit.* »

1. Disertis ergo verbis, quae omne ambiguum excludunt, hic declarat P. Faure, *judicium Confessarii de dispositione poenitentis* UNICE *pendere a judicio, quod poenitens de se ipso fert.* Imo huic principio insistens, asserere non haesitat, poenitentem, qui se ipsum dispositum judicat, et *simulatione atque mendaciis absolutionem extorquet*, ut jus suum contra injustam vexationem tueatur, *nonnisi venialiter peccare.* - Inaudita sane propositio, qua P. Faure ipsum *Sancium* superat, qui docuit, poenitentem a Confessario interrogatum, pravam consuetudinem negare posse, aequivocatione utendo. [1]

2. Dicit, totum tandem fundamentum Sacerdotis reduci ad testimonium poenitentis, qui *si sapiens fuerit, sibimetipsi erit: si autem illusor, solus portabit malum.* [2] - Quasi ergo de solo *commodo* vel *incommodo* poenitentis ageretur; quasi non ageretur etiam de *profanatione Sacramenti*, de *sacrilegio*, de *gravissima injuria Deo inferenda;* quasi, secundum Apostolum [3] non quaereretur inter dispensatores mysteriorum Dei, ut fidelis quis inveniatur; et quasi non esset pastoris, ovem errantem quaerere et ad ovile reportare. - Male igitur textum S. Scripturae hic applicat, qui integre sonat: « *Per me* (Sapientiam) *multiplicabuntur dies tui, et addentur tibi anni vitae. Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum.* »

3. Aliter de dispensatione Sacramenti Poenitentiae *S. Franciscus Sa-lesius* judicavit, dicens: [4] « Nihil perinde Ecclesiam dedecorat, nihil ita ejus violat disciplinam, nihil ita fovet peccatores in somnolenta peccandi consuetudine, quam probrosus ille mos, quo quidam Presbyteri peccata relaxant, *non tamquam judices,* qui prudenti et gravi criminum discussione discernant, num pro eo possint pronuntiare: verum *tamquam mancipia, quae praecipiti et adulanti indulgentia peccatoribus blandiuntur.* De istis adulatoribus dicit Cyprianus, quod inducant in Ecclesiam dulcem crudelitatem, misericordiae et clementiae nomine palliatam. Eamque, quam dant pacem, idem Cyprianus irritam esse, et falsam pacem esse asserit, dantibus periculosam, et nihil accipientibus profuturam... *Nam si detur absolutio sine spe probabili, quod poenitens stabit promissis, Sanguis Christi profanationi exponitur, et Presbyteri iteratarum prolapsionum et illorum malorum se reos constituunt, quae ex falsis nascuntur absolutionibus,* quibus perit tum Presbyterorum, tum poenitentium *infinita multitudo.* »

III.

Sequitur §. 5. *pag. 15:* « *Exponi-* » *tur Propositio LX. ex damnatis* » *ab Innocentio XI.:* Poenitenti ha- » benti consuetudinem peccandi con- » tra legem Dei, naturae aut Eccle- » siae, etsi emendationis spes nulla » appareat, nec est neganda nec dif- » ferenda absolutio, dummodo ore » proferat se dolere et proponere » emendationem. »

I. Hanc damnationem declinare P. Faure hic insudat. Ait enim: « Doctrina a nobis superius tradita » longissime abest ab hac stulta pro- » positione, *quam nonnulli Lova-* » *nienses per calumniam fabrica-* » *runt, sicut et alias quasdam, quae* » *in Decreto Innocentiano leguntur,* » eamque P. Baunio iniquissime ad- » scripserunt, et Innocentio XI. de-

1) Cfr. pag. 730. n. 4. — 2) Prov. 9. 12. — 3) I. Cor. 4. 2. — 4) In Constit. synod. tit. 1. ap. 5.

» tulerunt ab eo condemnandam. Ea » itaque propositio in nullo Auctore » legitur; eaque praecipue clausula: « *dummodo ore proferat se dolere* » *ac proponere emendationem* » a ne- » mine asserta est. Vide Specimen » Academiae Lovaniensis etc., [1] ubi » haec probantur. »

1. Male hisce assertionibus nos aedificavit *P. Faure*. Ergo *stultam* propositionem, quae in nullo auctore legitur, damnavit Innocentius XI., et damnavit *falsa et iniquissima denuntiatione deceptus*, quin examinaverit vel examinari jusserit, an vera sit, et doctrina denuntiata reapse reperiatur in libro P. Bauny. Imo et alias propositiones similiter per calumniam fabricatas damnavit idem Summus Pontifex. – Non nobis praesto est Specimen Academiae Lovaniensis, quod allegat P. Faure; sed etiamsi nonnulli Lovanienses falso denuntiassent Patrem Bauny, S. J., id nobis certum est a priori, Innocentium XI. nec hanc nec aliam propositionem per calumniam fabricatam damnasse.

2. P. Faure contendit, praefatam Propositionem *in nullo Auctore legi*. Verum *Joannes Sancius* in *selectis Disputationibus* id ipsum docuit, sin minus iisdem omnino verbis, attamen plane aequivalentibus, quae eumdem sensum fundunt, ut ex textibus supra allatis patet: « *Dum poenitens vero proposito est affectus, dignus est absolutione, quantumcumque nulla notetur emendatio.* » [2] Porro: « *Poenitens indignus non redditur absolutione ex judicio, quod a se ipso concipit Confessarius, sed ex judicio concepto de poenitente. At si de poenitente concipiat, adducere illum verum propositum, non intererit, Confessarium non concipere spem emendationis.* » [3] Porro: « *Cujuscunque praecepti violati emendationem proponere et dolorem habere, sufficiens dispositio est ad absolutionem, quando poenitens aliud efficere non potest tempore confessionis, quam dolere.* » [4] Porro: « *Fides habenda est poenitenti asserenti, se propositum verum afferre...* Et licet in contractibus et civilibus communicationibus fide dignus non sit, qui fidem datam multoties fregerit, *in foro tamen poenitentiae credi debet; eo quod majus damnum immineat poenitenti ex ficto proposito emendationis, quam ex promissione facta homini et non adimpleta.* » [5]

3. Cum *Sancius* expressis verbis dicat, nullam emendationem notari, et Confessarium nullam spem emendationis concipere, nihilominus autem poenitentem absolvere teneri eam ob rationem, quia affirmat, se verum et non fictum propositum adferre: nemo sane negabit, *hanc doctrinam eamdem esse, quam Innocentius XI. damnavit.* – Cumque propositio 58. *de consuetudine fatenda*, quam idem Innocentius XI. damnavit, et propositio 41. *de concubinario*, jam antea ab Alexandro VII. damnata, [6] ad verbum cum assertionibus Sancii concordent: dubitari nequit, etiam propositionem 60. *ex selectis Disputationibus Sancii*, et (quod sciamus) ex nullo alio Auctore desumptam esse.

II. Ab ista « *stulta* » propositione damnata longe abesse suam doctrinam, P. Faure in subsequentibus, pag. 16. exponit, dicens: « Itaque » nos necessarium ducimus, quod poe- » nitens *intus et in corde* doleat de » peccato commisso, cum proposito » non peccandi de caetero. Necessa- » rium praeterea ducimus, quod *Sa- » cerdos prudenter judicet, ita esse* » non in ore tantum et in lingua, » sed et in corde. – At, quo prudenti » et rationabili fundamento judicabit » Sacerdos, poenitentem *vere et ex » corde dolere?* Ex eodem illo fun-

1) Part. 6. cap. 10. *s.* 1. pag. 32. — 2) Cfr. pag. 729. n. 1. — 3) Ibid. — 4) Pag. 730. n. 3. — 5) Ibid. — 6) Ibid. n. 4.

» damento, ex quo judicat eum vere » commisisse haec vel illa peccata: » quia nempe utrumque non ore tan- » tum dicit, nam et lubrica et po- » etica ore dicuntur; sed graviter ac » serio dicit pro magnitudine rei de » qua agitur, et pensatis circumstan- » tiis omnibus. Quandoquidem filii » a parentibus, servi a dominis, di- » scipuli a magistris, subditi a su- » perioribus suis veniam petunt; sen- » sus humanus et communis satis » docet, quid intersit inter *ore do- » lere*, et *graviter ac serio dolere*. » Id adhuc evidentius constabit, si » recolas eos de quibus *Catechismus » Romanus* (loco citato) ait: « *Sunt » qui, vel quod raro peccata sua » confiteri solent, vel quod nullam » curam et cogitationem in perve- » stigandis suis sceleribus posue- » runt, nec commissa confessione » expedire, nec unde ejus officii ini- » tium ducendum sit, satis sciunt.* » – Jam vero, si cum hujusmodi ho- » minibus Sacerdos ita agat, inter- » rogans, *doles ne de peccatis?* quo » affirmante, absolvat; vel, *dic me- » cum: doleo de peccatis meis,* quae » verba, Confessario praeeunte, ef- » ferat poenitens, tum subjiciatur » absolutio; utique timendum erit, » ne absolvantur qui *ore* proferant » se dolere.

» Caeterum, si Sacerdos veritates fidei proponat dolori excitando ido- » neas, easque pro vario poenitentium captu evolvat atque accommodet: « *Horrendum est incidere » in manus Dei viventis; Reddet » unicuique secundum opera sua; » Dereliquerunt me fontem aquae » vivae; Oblita es Domini factoris » tui; Christo passo in carne, et vos » eadem cogitatione armamini; La- » vit nos a peccatis nostris in san- » guine suo* »; aliaque sexcenta; si » moneat Deum non irrideri; eum » esse scrutatorem renium et cor- » dium; tum in veris tum in fictis » poenitentibus, eum probe interno- » scere, quid vere quid ficte dicatur; » absolutionem ficto datam cedere in » judicium et condemnationem, etc.; » *si his auditis, poenitens interro- » gatus an ex animo doleat, respon- » deat serio et graviter se dolere ac » proponere* etc.; *hoc enimvero non » est ore proferre quod doleat.*»

1. Sophistica distinctione hic utitur *P. Faure,* nempe: Si poenitens, *sine praemissa exhortatione* a Confessario interrogatus affirmat, se dolere, timendum est ne *ore* proferat se dolere; secus, si *post exhortationem* serio et graviter respondet, se dolere et proponere: hoc enimvero *non est ore proferre*, quod doleat. – Quasi non uterque id *ore* proferret. Atvero in propositione damnata non dicitur: *ore tantum*, vel: *labiis tantum;* nam per se intelligitur, poenitentem non esse absolvendum, de quo constat Confessario, quod sacrilege mentiatur. Sed dicitur sine adjuncto: *dummodo ore proferat.* Sive ergo poenitens admonitus fuerit, sive secus, in utroque casu verificantur haec verba, et consequenter alium sensum non fundunt, praeterquam: *Dummodo ore proferat* se dolere et proponere emendationem, *quamvis praeter hanc affirmationem, alia signa non praebeat,* ex quibus Confessarius spem emendationis concipere posset. Et ita omnes hanc propositionem intelligunt.

2. Caeteroquin fallacia conclusionis, cui doctrina Patris Faure innititur, satis jam ex praecedentibus expositionibus patet. – Si poenitens, *post exhortationem Confessarii:* Deum scrutatorem esse cordium, tum in veris, tum in fictis poenitentibus, absolutionem ficto datam in judicium et condemnationem cedere, etc., serio et graviter affirmat, se dolere et proponere: Confessarius nihil aliud rationabiliter inferre potest, *nisi quod poenitens non sacrilege mentiatur,* sed *aliquo modo* de peccatis doleat et emendationem sibi proponat. Hujusmodi autem poenitentes *certe numquam omittent serio et graviter affirmare et solemniter protestari,* quod vere et non ficte do-

leant et proponant. An autem *dolor*, quem sentire protestantur, *talis sit*, qui ad Sacramentum valide recipiendum requiritur, an propositum *firmum* et *efficax* sit, nullatenus inde inferri potest.

3. Porro, secundum S. Alphonsi et communem doctrinam, Confessarius rigorose *omnem curam* adhibere tenetur, ut poenitentem *rite disponat*, cujus dispositio dubia est. At de quolibet poenitente praesumendum est, *quod non cum sacrilega intentione accessit*, nisi circumstantiae particulares id suadeant. Unde Confessarius multo melius finem suum assequitur, si poenitentem monet, *quod se ipsum decipiat*, quod fortiter resistere et vim sibi inferre horreat, quod Deus hujusmodi poenitentiam non accipiat, quod ideo periculo aeternae damnationis se exponat, nisi demum illusionibus suis renuntiet, et divinae gratiae, quae ipsi numquam deest, melius cooperetur. – Si autem poenitens, ejusmodi admonitionibus convictus et commotus, hallucinationes, quibus hucusque conscientiam suam sopivit, cognoscit et reapse firmum et efficax propositum concipit: certe *aliquo signo* mutationem hanc manifestabit, sin minus lacrymis vel suspiriis, saltem verbis cordialibus, vel affirmatione, quod novam, ut nunquam antea, cognitionem adeptus sit. In quo casu, Confessarius *tuto ipsum absolvere potest, quia prudenter spem emendationis concipit*, etiamsi credat, quod poenitens ex fragilitate et propter vim consuetudinis adhuc relapsurus sit. – Haec doctrina ea est, quam *S. Alphonsus* constanter tenet, et contra Rigoristas propugnat.

4. Si quis vero, *Confessarium decipere intendens*, signa compunctionis ita perfecte simularet, ut fraudem prudens Confessarius detegere non posset (quod rarissime sane obtinget), remedium non datur, quo hypocritae a confessionali arceantur; et Confessarius omnino cavere sibi non potest, quia utique homo est, ut ceteri, et non propheta. – Ineptum autem est, inde concludere, *signa extraordinaria* in genere *fallacia*, et affirmationem seriam et gravem poenitentis, quod vere doleat, ipsis praeferendam esse; quia, ut ait P. Faure, *Deus tutiori modo non providit*.

III. Sed idem P. Faure, pag. 16. acrius adhuc alteram praefatae Propos. damnatae clausulam impugnat, quam ineptissimam, pessimam et insanissimam vocare non dubitat: « Ea » autem verba: « *etsi emendationis* » *spes nulla appareat* », *ineptissima* » sunt. Profecto spes emendationis, » si in viribus aut industria Confes- » sarii vel poenitentis sita fuerit, » utique ex fidei doctrina contra Pe- » lagianos, nulla est. At nullam esse » emendationis spem in individuo il- » lo poenitente qui coram nobis est, » nonnisi *pessime* et *insanissime* di- » citur. Trita sunt illa *S. Augu-* » *stini* verba (in Psalm. 54.): « *In* » *eo quod malus est quis eorum,* » *utrum usque in finem perseverа-* » *turus sit, ignoramus. Et plerum-* » *que, cum videris tibi odisse ini-* » *micum, fratrem odisti, et nescis.* » *Diabolus et angeli ejus.....,* *ipso-* » *rum tantum desperanda est cor-* » *rectio*, etc. »

1. Non satis mirari possumus, hanc propositionem ab erudito Theologo proferri. Fidem catholicam in hac materia clare definit Concilium Tridentinum, Sess. 6. de Justif. Can. 3. « *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit* »; et Can. 4. « *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omni-*

no agere, mereque passive se habere: anathema sit. »

2. Si igitur poenitens, jam antea a Confessario instructus et admonitus, *eodem plane modo relapsus est,* quin *remedia* praescripta *ullumve conatum* ad emendationem adhibuerit: Confessarius secundum fidem catholicam recte concludit, *poenitentem non, ut oportet, divinae gratiae cooperatum esse.* Nemo namque catholicus dicet, Deum etiam volentibus et conantibus gratiam suam denegare; nec contradicet celeberrimis istis S. Augustini verbis a Tridentino adoptatis: « *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo, monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.* » – Porro, si idem poenitens, *praeter affirmationem, nullum plane signum* praebet, ex quo prudenter et probabiliter conjici posset, ipsum vel immediate ante confessionem, vel in ipsa confessione *voluntatem suam mutasse:* Confessarius non *ineptissime,* nec *pessime,* nec *insanissime,* sed *rectissime* et *justissime* judicat, *ejus emendationem non esse sperandam,* si absolutio denuo ipsi conferatur. Ideo autem de ejus emendatione non solum non desperat, sed potius *absolutionem differt, quia sperat,* fore ut poenitens, hac dilatione, ad divinae gratiae melius cooperandum excitetur. – Nec ideo Confessarius existimat, dilationi virtutem inesse dispositionem arcessendi; sed secundum rei et hominis naturam, atque experientiam innumerorum gravissimorum Doctorum testimoniis comprobatam, rectissime judicat, *dilationem absolutionis aptissimum, et nonnunquam unicum remedium esse,* quo permoveatur poenitens ad facienda quae potest, et petenda quae non potest, atque sic ad tollendum obicem, quem hucusque operationi divinae gratiae opposuit.

3. In quantum igitur sermo est de ineptissimis, pessimis et insanissimis propositionibus, facile quilibet judicium ferre poterit, utrum nostrae, an propositioni *Patris Faure,* haec praedicata magis conveniant.

4. Quaeri potest, an inter Joannem *Sancium* et Patrem *Faure* discrimen subsistat. – Utique eatenus *discrepant,* quatenus P. Faure ad poenitentem absolvendum, tamquam conditionem sine qua non, exigat, *quod exhortatio Confessarii praecesserit;* Sancius vero nullam hujus conditionis mentionem faciat. – *Conveniunt* autem in duabus propositionibus, quatenus etiam P. Faure, *Dub. 2. §. 3.* asserit: « *Quoties poenitens serio respondet eo modo, toties poterit absolvi.* » Et §. *4.* « *Non nisi ex dicto poenitentis, Confessarii practice judicare possunt, utrum dispositus sit an indispositus: de alio enim tutiori modo Deus non providit.* »

5. Quaeri demum potest, an inter Patrem *Faure* et Philippum *Salvatori* differentia existat. Existit pariter, sed non in favorem Patris Faure, qui fervidam *quamvis brevem* exhortationem exigit. – Aliter Salvatori. Iste cap. 6. objectionem attingit, quod vix mensis sufficeret ad unum solum poenitentem disponendum, si omnes considerationes, quas in prima opusculi sui parte explicat et stricte ceu normam praescribit, adhibere necesse esset. Respondet, etiamsi ita res se haberet, melius esse per integrum mensem unius poenitentis confessionem bene excipere, quam male uno die centum poenitentium. Attamen dicit, non omnes considerationes necessario adhibendas esse, et *regulariter* hoc opus *duabus vel tribus horis* absolvi posse, dummodo Confessarius debito zelo non careat. Testimonium hoc est, quod luculenter pietatem, charitatem et insignem animarum zelum optimi hujus Sacerdotis probat. Unde etiam explicari potest, quod aliqui Theologi ejus methodum approbaverint et commendarint.

*

IV.

P. FAURE non tantum rationes adfert ad doctrinam suam probandam, sed etiam *Auctoritates et documenta historica,* quibus examinandis supersedere non possumus, ne quid hujus doctrinae refutationi desit.

Dubitat. 3. §. 2. pag. 22. inscribitur: « *Ex solo titulo consuetudinarii aut recidivi, nunquam veteres Theologi, usque ad epocham Jansenianam, absolutionem negarunt aut distulerunt.* » – Videamus ergo, quomodo hanc propositionem probet.

« Constat hoc primo, ex SUAREZIO » superius citato (de Poenitentia, » disp. 32. sect. 2.), ubi quaerit: « *Quomodo debeat Confessor certus » fieri de dispositione Poenitentis.* » Ut plane vides, hic non excipiuntur Consuetudinarii aut Recidivi; » imo, si hos exciperet, de quibus » est universalis et communis et magis practica difficultas, quaestio » nulla esset, et stulte a tanto Doctore tractaretur.

» Docet Suarez, « *necesse esse, ut » Confessor, priusquam absolvat, » prudenter et probabiliter judicet, » poenitentem esse dispositum.* » Ab hac obligatione non eximitur Confessarius poenitentis consuetudinarii et recidivi. – Docet, « *hanc poenitentis dispositionem ex duobus » consurgere, scilicet ex displicentia praeteritorum et proposito in » futurum.* » Et haec etiam tum consuetudinarium, tum recidivum omnino tangunt. – Docet: « *Quod ad » displicentiam attinet, facile potest » sibi satisfacere Confessor.* (Nota » illud *facile* appositum Regulae, » quae generalis est tum consuetudinariis, tum recidivis.) *Quia si » poenitens in ipso modo confessionis et accusationis suae praebet » signa doloris, vel certe si est homo » non valde rudis et apparet moratus;* (Nota haec quae sequuntur) » *nullam diligentiam in hoc Confessor tenetur adhibere: bene tamen semper faciet, proponendo et » consulendo detestationem peccati. » Et quando non habet sufficientia » signa doloris, potest et debet interrogare poenitentem, an ex animo detestetur peccatum: cui affirmanti credere tenetur.* » Memineris, sermonem esse universalem.

» Docet deinde: « *Et hoc idem dicendum est de proposito in futurum, quando ex confessione non » oritur specialis aliqua obligatio » restituendi vel relinquendi aliquam occasionem proximam peccandi, sed solum communis et generalis obligatio non peccandi de » caetero.* » Vides, generalem hanc » doctrinam non limitari a Suarezio » in consuetudinariis aut recidivis, » sed tantum in iis qui obnoxii sunt, » sive restitutioni, sive occasioni » proximae. – Addit etiam: « *Neque » oportet, ut Confessor sibi persuadeat et judicet etiam probabiliter, » ita esse futurum, ut poenitens a » peccatis abstineat: sed satis est, » ut existimet* (nota hoc diligenter) *tunc habere tale propositum, » quamvis post breve tempus illud » sit mutaturus.* » Quod plane consonat doctrinae veterum Theologorum cum *S. Thoma* (3. P. q. 84. » art. 10. ad 4.) qui ait: « *Dicendum » ... numquam veritas prioris actus » excluditur per actum contrarium » subsequentem. Sicut enim vere cucurrit qui postea sedet, ita vere » poenituit, qui postea peccat.* »

» Jam vero totam hanc suam doctrinam concludit *Suarez* gravissimis illis verbis: « *Ita Doctores » omnes* »: Omnes nempe ad illud » usque tempus, quo haec scribebat, » anno 1604.; idest annis quasi 34. » ante epocham Jansenianam, uti inio jam diximus. – « *Tota ergo difficultas,* pergit Suarez, *ad hoc revocatur, quando ex confessione » resultat specialis obligatio restituendi, vel relinquendi occasionem proximam.* » Audiunt ne moderni hi Rigoristae? Tota difficultas in his duobus est posita. De » *consuetudinariis* autem aut *reci-*

» *divis* res est facillima et explana-
» ta, sine ulla inter Doctores omnes
» controversia aut difficultate.

» Verissimum esse Suarezii dictum,
» confirmat *P. Balthassar Franco-*
» *linus,* qui, centum fere annis post
» Suarezium scribens, quotquot po-
» tuit antiquos Auctores de Poeni-
» tentiae Sacramento agentes dili-
» gentissime legit, ut patet ex li-
» bro 3. Operis ejus de Disciplina
» Poenitentiae; ubi inter hos vete-
» res a se lectos, citat S. Antonium
» Patavinum, S. Vincentium Fer-
» rerium, S. Joannem a Capistrano,
» S. Bernardinum Senensem, eorum-
» que Sermones, in quibus de con-
» fessione, consuetudinariis, recidi-
» vis fusissime agunt. *Numquam*
» *autem sive hi, sive alii veteres,*
» *mentionem faciunt dilationis ab-*
» *solutionis,* quasi hoc remedio ute-
» rentur aut uti deberent Confessa-
» rii in auriculari confessione. » –
Et demum subjungit: « *Ipse ego*
» *multum laboravi, ut ex antiquis*
» *Auctoribus, ante Suarezium, in-*
» *venirem aliquem, qui illud reme-*
» *dium (negandi scilicet, vel diffe-*
» *rendi absolutionem), ejusque usum*
» *nominaret atque probaret: nullum*
» *autem inveni.* »

I. Multum ergo laboravit P. Fau-
re; et nihilominus multum laboran-
tem fugerunt *S. Thomas de Villa-*
nova, Bartholomaeus *Medina,* Ludo-
vicus *Lopez,* Emmanuel *Rodriquez,*
Manuel, Alphonsus *Vega,* Petrus *de*
Ledesma, S. Carolus Borromaeus,
Azorius, Henriquez, Joannes *Cor-*
radus, Sayrus, Jacobus *de Graf-*
fiis, etc. – Facile excusari potest Phi-
lippus *Salvatori* idem asserens; quo-
modo autem excusari possit *P. Faure,*
Theologus ex professo, eruditione et
ingenio conspicuus, qui insuper mul-
tum laborem in hujusmodi auctori-
bus investigandis impendisse testa-
tur, profecto nescimus.

II. Cum tot Doctores ante annum 1604. remedium istud, differendi absolutionem, ejusque usum nominaverint atque probaverint, quod doctissimus Suarez certe non ignoravit, jam a priori quilibet judicabit, verba illa: « *Ita Doctores omnes* » non esse intelligenda de doctrina, quam P. Faure ipsi supponit. Et quidem tanto magis, quia ipse *Suarez* in Opere: *De Religione,* ubi de assuetis temere jurandi agit, usum ejusdem remedii approbat. [1] – Omnia, quae Suarez in textu allato docet, utique omnes DD. docuerunt, et verissima sunt; falsae autem sunt conclusiones, quas P. Faure inde pro sua doctrina deducit. Etenim

1. Primo dicit Suarez, « Confessarium *prudenter et probabiliter* judicare debere, poenitentem esse dispositum »; et ideo certitudinem non requirit, sed tantum *prudentem probabilitatem.* In quo non solum omnes antiquiores, sed, exceptis aliquibus Rigoristis, etiam omnes recentiores DD. conveniunt; et speciatim *S. Alphonsus,* qui *n. 461.* addit, quod recte id doceat *Suarez,* De Poen. disp. 32. sect. 2. n. 1. [2]

2. Secundo dicit Suarez, « *satis esse, ut Confessarius existimet, poenitentem tunc habere propositum* a peccatis abstinendi, quamvis post breve tempus illud sit mutaturus. » – In quo rursum omnes conveniunt, et speciatim *S. Alphonsus,* qui dicit *n. 451. ad 3.*: « *Relapsus non sem-*
» *per est signum propositi infirmi,*
» *sed saepius tantum signum est*
» *mutatae voluntatis; nam bene*
» *potest accidere, quod quis verum*
» *habeat amorem Dei praedominan-*
» *tem et propositum numquam pec-*
» *candi, et nihilominus statim pec-*
» *cet;* prout D. Petrus vere propo-
» suit, potius mori, quam Christum
» negare, et tamen ad primam an-
» cillae vocem negavit. » Et *n. 459.* S. Doctor addit: « *Bene docet Lugo*
» *cum Suarez,* Sanchez, Reginaldo,
» Henriquez, et aliis communiter,

1) Cfr. supra, pag. 667. — 2) Vid. pag. 654.

» *quod dispositio sufficiens est dolor* » *et propositum praesens,* non emen» datio futura ; atque ita poenitens » poterit absolvi, *licet judicetur re*» *lapsurus.*» [1]

3. Tertio dicit Suarez, *Confessarium credere teneri poenitenti affirmanti,* quod peccatum detestetur et in futurum a peccatis abstinere proponat, « *quando ex confessione non oritur specialis aliqua obligatio, sed solum communis et generalis non peccandi de cetero.* » - In quo similiter omnes conveniunt, et speciatim *S. Alphonsus,* qui cit. *num. 459.* docet: « *Poenitens bene* » *praesumitur dispositus,..... cum* » *ipsa spontanea confessio sit si*» *gnum contritionis, nisi obstet ali*» *qua positiva praesumptio in con*» *trarium; omnes enim conveniunt,* » *quod dolor per confessionem ma*» *nifestatur.* » [2]

4. P. Faure urget verba illi Suarii : « *Tota ergo difficultas ad hoc revocatur, quando ex confessione resultat specialis obligatio restituendi, vel relinquendi occasionem proximam* »; et inde concludit, quod Suarez *consuetudinarios* et *recidivos* illis poenitentibus accenseat, qui nullam specialem, sed solum *communem et generalem obligationem* habent *non peccandi de cetero.* - Verum, praeter istas duas nominatas, plures adhuc dantur obligationes *speciales,* in quibus eadem fere ratio currit; ut v. gr. obligatio damnum injuste proximo illatum compensandi, detractionem retractandi, promissionem vel fidem datam adimplendi, scandalum reparandi: quas Suarez certe non excludere intendit, sed sub *restitutione* generice et sensu latiori sumpta comprehendit. *Consuetudinem* autem mortaliter peccandi sub *occasione proxima* comprehendit, quatenus omnis habitus habituatum in periculo morali peccandi constituit, et ipsi eodem modo occasio intrinseca est, quo aliis circumstantia extrinseca ad peccandum inclinans et impellens. Unde consuetudinarii non solum obligationem communem et generalem habent non peccandi de cetero; sed insuper *specialem,* scilicet, *pravam consuetudinem exstirpandi,* et in hunc finem *omnem conatum* et *remedia necessaria* adhibendi : secus enim in statu peccati mortalis versantur, quemadmodum restitutionem rei alienae, aut dimissionem occasionis extrinsecae voluntarie omittentes.

5. Id ipsum *Suarez* jam antea *(Disp. 22. sect. 4. n. 15.)* claris et distinctis verbis explicaverat, et ideo hic supponit. - Ibidem quaestionem proponit, *an poenitens necessario consuetudinem peccandi confiteri teneatur;* et respondet, *per se loquendo* poenitentem *non teneri,* quia, nec ingratitudo erga Deum, quae in quolibet peccato mortali intercedit, quod post remissionem prioris denuo committitur, nec modus peccandi per habitum specialem malitiam habet. Et addit: « Dixi autem: *per se loquendo;* quia saepe consuetudo constituit hominem, secundum praesentem statum, *in quodam morali periculo,* vel facilitate peccandi; et *necessarium moraliter est, ut Confessor consuetudinem sciat, ut de dispositione et obligatione poenitentis certus reddatur,* et ideo interrogare debet, et si interroget, poenitens tenetur veritatem aperire, ut illi satisfaciat. Si vero non interrogetur, per se tenebitur hoc dicere, quantum necesse est, ut declaret Confessori statum conscientiae suae; unde, si hoc declarare non potest, nisi explicando consuetudinem vel diuturnitatem alicujus peccati, *vel occasionis ejus,* tunc necessarium erit haec declarare. » - Expressis verbis hic dicit Suarez, cognitionem consuetudinis Confessario moraliter necessariam esse, ut de *dispositione* poenitentis et de *speciali obligatione,* quam Consuetudinarius habet propter mo-

1) Pag. 651. — 2) Pag. 649.

rale periculum peccandi, certus reddatur.

6. Idem, imo clarius adhuc dicit Suarez, *De Relig. Tr. 5. lib.3.cap.8. n. 7.*, ubi de consuetudine temere jurandi speciatim tractat: « Denique quod ad dispositionem spectat, *tota difficultas est in vero proposito et remedio contra talem consuetudinem;* nam sine dubio necessarium est propositum tollendi illam et vitandi tale periculum, quia pertinet ad statum peccati mortalis ; ut ostensum est. Quia vero propositum hoc solet esse valde instabile, et consuetudo quodammodo transiit in naturam, et ita periculum est quasi intrinsecum et naturale: *ideo difficile est judicare, quando sit sufficiens.* Verumtamen *difficultas generalis est ad alias consuetudines peccandi*, quae difficillimam reddunt peccati correctionem , maxime quando non pendet lapsus ex occasione extrinseca, sed quasi ex innata fragilitate et infirmitate.» - Tota difficultas est, judicare de proposito poenitentis, an *sufficiens* sit, dicit Suarez: ergo eadem difficultas, quae in obnoxiis *restitutioni* aut *occasioni proximae extrinsecae,* etiam in *consuetudinariis* occurrit. - Reliqua hujus textus, in quibus Suarez expresse dicit, consuetudinarium ad remedia a Confessario praescripta adhibenda *teneri*, jam in extenso allegavimus.[1]

III. Frustra igitur P. Faure pro sua sententia *Suarium* interpellat , frustra notas adjecit, quibus lectori evidentiam hujus testimonii prae oculis ponit, et Suarez potius praeclarus testis est pro sententia opposita.- Insuper, in inscriptione hujus paragraphi asserit, non tantum Theologos Suario antiquiores, sed etiam *omnes veteres usque ad epocham Jansenianam* recidivis ex titulo consuetudinis numquam absolutionem distulisse. Initium hujus epochae ponit in anno 1638, quo Jansenius vita defunctus est. Omnes ergo Theologi, qui ab a. 1604. usque ad a. 1638. hanc quaestionem pertractaverunt, inter quos sunt clarissimi, ut *S. Franciscus Salesius, Laymann,* et *Cardinalis de Lugo,* recidivis numquam absolutionem differendam esse docuerunt! Et hanc assertionem proferre non veretur vir doctissimus, qui in investigandis Auctoribus de hac quaestione tractantibus multum laboravit! Ceterum neminem latet, librum Jansenii nonnisi post ejus mortem evulgatum , et ejus errores nonnisi paulatim disseminatos fuisse.

V.

Sequitur pag. 24. §. 3., cujus titulus est : « *Non modo ex veterum » Theologorum silentio , sed etiam » ex diserta eorum doctrina evin- » citur, eos numquam absolutionem » negasse, vel distulisse consuetudi- » nariis aut recidivis ex hoc tantum capite.*»- Videamus, quomodo P. Faure hanc propositionem probet.

« Probatur luculenter. Veteres » consuetudinariis ac recidivis hoc » praecipuum consilium dabant, ut » frequenter confiterentur sacramen- » taliter, et absolutionem acciperent. » Non ergo dubitabant, utrum ipsis » impertienda esset absolutio. Stul- » tum enim fuisset eos ita exhortari: » *Accedite frequenter ad Sacramen- » tum Poenitentiae , quod nos no- » lumus vobis ministrare.* - Constat » antecedens ex iis antiquis versicu- » lis apud veteres Theologos usita- » tis, in quibus sexdecim conditiones » continentur, quae a Magistris as- » signantur, ait S. Thomas (in Sup- » plem. q. 9. art. 4. et in Comment. » in 4. Sententiarum). »

Citat eosdem versiculos, in quibus dicitur: *Sit Confessio frequens,* etc., et octo Theologos allegat, qui consuetudinariis ac recidivis frequentem confessionem commendant, nimirum *S. Raymundum a Pennafort, S. Antonium Patavinum, S. Tho-*

1) Cfr. pag. 667. n. 14.

mam, Joannem Friburgensem, S. Joannem a Capistrano, S. Antoninum, Joannem Tabiensem, et *Cajetanum.*

I. *S. Raymundus de Pennafort* dicit: [1] « Debet confessio esse *frequens,* ut, si frequenter quis cecidit per peccatum etiam mortale, frequenter resurgat per poenitentiam. » Porro

1. Idem eisdem vel similibus verbis dicunt omnes ceteri. - Ast in hoc *non tantum veteres,* sed etiam *omnes recentiores* Theologi catholici unanimiter conveniunt, ut testatur *Franciscus Henno,* dicens: [2] « *Frequentem confessionem, quam cum D. Thoma suaserunt unanimiter Theologi,* dissuaserunt nonnulli Auctores et Pastores moderni, saltem respectu eorum, qui saepius labuntur in peccata mortalia, licet diversae speciei. Doctrina sane seipsam destruens: *Saepius peccasti, rarius poenitere.* Melius sane noverat poenitentiae necessitatem *Chrysostomus,* qui dicebat: *Peccasti, poenitere: millies peccasti, millies poenitere.* An non ridiculus esset medicus, qui saepius infirmantibus raro praescriberet medicinam; e contra frequenter iis, qui raro infirmantur? Pro quibus igitur institutum est Sacramentum Poenitentiae? An pro justis, an pro peccatoribus? Si pro justis, cur non obligat venialium confessio? Ergo pro peccatoribus. Infero: ergo, quo quis saepius peccavit, saepius debet eo uti; praesertim cum non sit institutum ad solius peccati praeteriti remissionem, sed etiam ad futuri praecautionem. »

2. *S. Alphonsus* n. 464. pro hac doctrina S. Thomam aliosque DD. adducit, speciatim Cardinalem Toletum, qui de mollitie dicit, vix aliud efficax remedium dari, quam frequentissimam confessionem; porro praxim S. Philippi Nerii, et demum Rituale Romanum: « *In peccato facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut saepe confiteantur et, si expediat, communicent.* » Et addit S. A.: « *Ergo Rituale, dum dicit,* » *remedium frequentis confessionis* » *utilissimum esse facile recidentibus in peccata, supponit, pravum* » *habitum ab eis non adhuc esse* » *avulsum; sed hoc non obstante docet, gratiam Sacramenti multum* » *conferre ad emendationem.* » [3]

3. Stultum utique esset (uti ait P. Faure), si quis consuetudinarios et recidivos ita exhortaretur: *Accedite frequenter ad Sacramentum Poenitentiae, quod nolumus vobis ministrare.* Sed hujus insaniae reus numquam certe extitit. Confessarius, consuetudinarios ad frequentem confessionem exhortans, eo ipso ad gratiam sacramentalem recipiendam eos invitat, et etiam frequenter relabentes absolvit, dummodo *aliquem conatum* emendationis, et saltem *remedia* praescripta adhibuerint. Si autem poenitens ne haec quidem praestitit, nec alia signa compunctionis exhibet, Confessarius absolutionem *differt;* sed nihilominus *enixe ipsum invitat,* ut melius dispositus quantocius ad gratiam sacramentalem recipiendam revertatur: secundum *S. Alphonsi* monitum in *Praxi Confessarii* Cap. 1. §. 1. n. 5.: « Si » autem fuerit absolutionis incapax, » aut expediens videbitur differen» dam esse absolutionem, assignet ei » diem, in quo regredi debeat, di» cendo ei sic: *Eja frater, tali die* » *te exspecto, ne praetermittas ad* » *me redire; animo forti magnoque* » *sis, ut tibi dixi: commenda te quo*» *tidie Beatae Virgini, et veni ad* » *me. Si forte tunc invenies me alio*» *rum confessiones excipientem, ac*» *cede; te enim ante alios audiam.* » *Si alibi ero, fac, ut me arcessant,* » *omnia deseram, ut tu confitea*» *ris.* » [4]

1) Lib. 3. tit. de poenit. et remiss. — 2) De poenit. disp. 5. q. 6. concl. 5. — 3) Vid. infra, Cap. II. — 4) Cfr. supra, pag. 715.

II. Ideo ineptum est, ex eo, quod *veteres Theologi frequentem confessionem commendaverunt,* concludere, quod *numquam* consuetudinariis aut recidivis ex hoc titulo *absolutionem distulerint.*

1. Nullus reperitur, qui id diserte doceret. Verum est ex altera parte, nullum quoque oppositum diserte docere; sed ratio in aperto est. Nullus quippe hanc quaestionem proponit aut pertractat. - Ut neminem latet, *exordia Theologiae moralis,* quatenus sub hoc nomine venit specialis disciplina theologica, a dogmatica segregata, atque ad eam, quae modo viget, formam systematicam redacta et disposita, *in saeculum XVI.* reponenda sunt. Unde nonnisi versus dimidium illius saeculi, Theologi de consuetudine et occasione proxima, de consuetudinariis et recidivis disputare et regulas definire coeperunt, quas Confessarii in absolutione hujusmodi poenitentibus danda vel differenda observent.

2. *Veteres Summistae* speciatim quidem, maxima ex parte ordine alphabetico, praecipuas materias, quae ad disciplinam moralem spectant, tractaverunt; sed in nullo titulum, tractatum aut dissertationem reperies de *consuetudine* et de *occasione proxima,* de *consuetudinariis,* et de *recidivis.* Nec in aliis titulis affinibus, ut v. g. *Absolutio,* vel *Contritio,* vel *Confessio,* vel *Confessarius,* nec speciatim in titulis de *Blasphemia* et de *Juramento* quaestionem proponunt, an et quando consuetudinariis et recidivis absolutio impertienda vel differenda sit. - Nihilominus certum atque certissimum est, *Confessarios medii aevi* eodem modo, quo recentiores, *non omnes consuetudinarios recidivos absolvisse;* sed aliquando absolutionem ipsis distulisse, etiamsi serio et graviter affirmaverint, quod vere et non ficte doleant et emendationem sibi propo-nant. Nam hanc agendi rationem ipsa rei natura, actus judicialis, et claves non tantum ad solvendum, sed etiam ad ligandum Confessariis traditae, manifeste postulant.

3. Praeclarum prae ceteris testimonium pro hac praxi suppeditat nobis *Thomas Cantipratanus,* qui saeculo XIII. Suffraganeus Episcopi Cameracensis fuit. - In Opere media aetate celebratissimo, cui titulus est: *De apibus, seu de bono universali,* anno 1272. edito (Lib. 2. cap. 30. §. 9.) refert, peccatorem quemdam cum suo Pastore ad se venisse, ut a peccatis absolveretur, maxime a peccato mollitiei; foede enim se polluere assuetus erat. Quem absolvere detrectavit, quippe quod easdem pollutiones confitentem alias non semel absolverat, salutari poenitentia imposita; miser autem iterum iterumque ad vomitum redierat. At demum importunis Pastoris precibus cedens, ipsum absolvit; verumtamen infelici eventu: « Quem cum ad dioecesanum Episcopum mittere vellem, quasi gravius affligendum, a Sacerdote rogatus sum, ut tali conditione absolverem poenitentem, ut flexis genibus coram nobis rogaret Dominum, ut si postmodum recidivaret in scelere, eum mox vindicta divina puniret. Consensi ego conditioni: et heu mihi, quod consensi! Mox ille flexit genua, vindicta in se recidivantem precatus est. Absolvi eum, recessit gaudens. Sed feria tertia post sanctum Pascha, instigante diabolo passus est recidivam, moxque horrifice clamans: *Vindicta Dei super me, vindicta Dei super me!* (ut mihi postea Sacerdos retulit) amarissima morte mulctatus est.»

Simpliciter *Cantipratanus* refert, quod istum peccatorem *non obstantibus ejus affirmationibus et promissionibus absolvere detrectaverit,* quasi rem, quae per se intelligitur; nihilque addit, quo hanc agendi rationem explicet aut defendat. Ex quo patet, hanc praxim, consuetudinarios recidivos aliquando non absolvendi, insolitam et inusitatam non fuisse, sed communiter receptam.

4. Nec in *Theologis medii aevi* loca desunt, ex quibus colligendum est,

ipsos idem tenuisse. Id aperte constat ex textibus *S. Bernardi, S. Anselmi, B. Alberti Magni, S. Vincentii Ferrerii, S. Bonaventurae, Alexandri IV.* et *S. Thomae de Villanova,* quos jam supra, pag. 671. et seqq. adduximus.

III. Nec ullo modo dubitare licet, *veteres Confessarios,* quemadmodum recentiores, distinxisse *ordinarium et commune dispositionis signum*, scilicet seriam et gravem affirmationem poenitentis, quod vere doleat ac proponat, et *signa specialia* et non communia: quamvis haec signa nondum a Theologis *extraordinaria* nuncupata, nec specifice exposita fuerint.

1. Etenim *Recentiores* haec signa *non casu tradiderunt* (uti rectissime advertit S. Alphonsus[1]), nec illa otiosis speculationibus excogitaverunt; sed ex ipsa ratione, ex sanis argumentis psychologicis, et ex communiter contingentibus atque experientia comprobatis, enucleaverunt. Quilibet vel laicus sensatus perspicit, aliter judicandum esse de dispositione poenitentis, qui aliud signum non adfert praeter protestationem, quod vere et non ficte doleat ac proponat, quamvis praesumptiones vehementes in oppositum obstent: et aliter de poenitente, qui v. gr. de eventu aliquo speciali perculsus, vel gravissimis difficultatibus superatis ad confessionem accedit, vel cum lacrymis aut verbis ex intimo corde provenientibus miserum conscientiae suae statum explicat, vel, licet relapsus, sincerum emendationis conatum manifestavit.

2. Dantur et aliae notiones aliique termini plurimi, quos recentiores Theologi disciplinam moralem systematice pertractantes invexerunt, ut, praemissis notionibus et distinctionibus, certas materias clare et praecise explicent. Hujusmodi est *Occasio proxima,* et ejus distinctio in *voluntariam* et *necessariam.*[2] Quis autem dicet, veteres Confessarios doctrinam de occasione proxima non nomine tantum, sed etiam in re et substantia ignorasse, et occasione proxima irretitos quoad absolutionem impertiendam a ceteris poenitentibus non distinxisse? Quod de occasione proxima, pariter valet de *signis extraordinariis.* Argumentum autem in contrarium, haec signa simulari posse et ideo in genere fallacia esse, vere sophisticum dices; et alterum, de dispositione poenitentis ex solis ejus dictis judicandum esse, *quia* (uti ait P. Faure) *Deus tutiori modo non providit,* plane rejiciendum est.

VI.

Sequitur tandem pag. 28. §. 4.: « *Quo pacto veteres Theologi interpretati sint doctrinam Sanctorum Patrum, qui redarguunt poenitentiam sine stabili emendatione.* »

Praemittit P. Faure, plurimos SS. Patrum textus opponi ab Antonio Arnaldo, et a modernis post ipsum, cum in finem, ut probent, ex relapsu debere colligi defectum praecedentis propositi, ac proinde absolvendos non esse, qui relapsi sunt, nisi diu se continuerint. Advertit autem, eosdem SS. Patrum textus aliter explicari a veteribus Theologis, qui « *Rigoristas aliquos eorum temporum, vel successores Novatianorum* » refutaverunt. – Magistrum Sententiarum et S. Raymundum a Pennafort citat, in primis autem *S. Thomam,* P. 3. q. 84. art. 10. ubi Angelicus scribit: « Ad quartum dicendum, quod poenitere est anteacta peccata deflere, et flenda non committere, scilicet, simul dum flet, vel actu vel proposito. Ille enim est irrisor, et non poenitens, qui simul dum poenitet, agit quod poenitet, vel proponit iterum se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati. *Quod*

1) Cfr. pag. 653. n. 460. in fine.

2) Quid de hujusmodi novis vocabulis a recentioribus Theologis usurpatis sentiat Benedictus XIV., vid. pag. 682. not. 12.

autem aliquis postea peccat vel actu vel proposito, non excludit, quin prima poenitentia vera fuerit. Nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim vere cucurrit, qui postea sedet: *ita vere poenituit, qui postea peccat.* »

Et addit P. Faure: « *Ita S. Thomas:* quae ejus verba eorumque » verissimam sententiam si quis attente consideret, hac una responsione et assertione *everti intelliget contrariae sententiae systema universum.* Idem argumentum versat » rursus S. Thomas *(in 4. Sentent. dist. 14. q. 1. art. 4. quaestiuncula 1.)*, ubi assertionem contrariam frivolam vocat.»

1. Audiamus autem prae ceteris *S. Thomam* ex integro.– Loco citato in Summa, dubium proponit: « *Utrum Sacramentum Poenitentiae debeat iterari?* » More solito argumenta exponit, quae pro sententia negativa militare videntur, quorum quartum est: « Praeterea Gregorius dicit in Hom. Quadrag. 34. in Evang. inter med. et finem: *Poenitentia est ante acta deflere et flenda iterum non committere;* et Isidorus dicit in libro 2. de summo Bono cap. 16.: *Irrisor est et non poenitens, qui adhuc agit, quod poenitet.* Si ergo aliquis vere poeniteat, non iterum peccabit: ergo non potest esse, quod poenitentia iteretur.»

Quibus argumentis expositis, *Angelicus* ait: « Respondeo, dicendum quod circa poenitentiam quidam erraverunt, dicentes, non posse hominem per poenitentiam secundo consequi veniam peccatorum. Quorum quidam, scilicet *Novatiani*, hoc in tantum extenderunt ut dicerent, post primam poenitentiam, quae agitur in baptismo, *peccantem non posse per poenitentiam iterato restitui.* Alii vero fuerunt *haeretici*, ut Augustinus dicit in lib. de Poenit. (alius auctor, de vera et falsa Poenit., cap. 5. in princ.), qui post baptismum dicebant quidem esse utilem poenitentiam, non tamen pluries, sed *semel* tantum. »

« Videntur autem hujusmodi errores ex duobus processisse: primo quidem, *ex eo quod errabant circa rationem veraepoenitentiae.* Cum enim ad veram poenitentiam *charitas* requiratur, sine qua non delentur peccata, credebant quod charitas semel habita non posset amitti, et per consequens poenitentia, si sit vera, nunquam per peccatum tollatur, ut sic sit necesse eam iterari. Sed hoc improbatum est in secunda parte, 2. 2. q. 24. art. 11., ubi ostensum est, quod *charitas semel habita propter libertatem arbitrii potest amitti, et per consequens post veram poenitentiam potest aliquis peccare mortaliter.*– Secundo, ex eo quod errabant *circa aestimationem gravitatis peccati.* Putabant enim, adeo grave esse peccatum quod aliquis committit post veniam impetratam, *quod non sit possibile ipsum remitti.* In quo quidem errabant, et *ex parte peccati,* quod etiam post remissionem consecutam potest esse et gravius et levius, quam fuerit primum peccatum remissum; et multo magis *contra infinitatem divinae misericordiae,* quae superat omnem numerum et magnitudinem peccatorum..... Unde manifestum est, quod *poenitentia pluries est reiterabilis.* »

2. Altero loco, in Comment. in 4. Sent., *Angelicus* idem dubium proponit: « *Videtur, quod de ratione verae poenitentiae sit, quod usque in finem vitae continuetur* »; et hanc habet solutionem: « Respondeo, dicendum ad primam quaestionem, quod opinio ista, quae posuit, quod nullus homo a vera poenitentia possit excidere, est erronea et conformis illi, quae in 3. lib. posita est, dist. 26. q. 1. art. 1., quod charitas semel habita non possit amitti. Sed tamen de *charitate* videbantur magis moveri, considerantes efficaciam ejus, ex qua apparebat, quod non posset per aliquod peccatum vinci.

Sed de *poenitentia* videbantur moveri, quia ad integritatem poenitentiae requiritur continuatio usque in finem vitae. - Sed utrumque frivolum est. Primo: quia quantumcunque aliqua virtus efficaciam habeat, flexibilitatem a libero arbitrio non tollit, dum est in statu viae. Similiter illud, quod futurum est, non potest esse de substantia vel de integritate alicujus virtutis, nisi secundum quod est praesens in apprehensione vel in voluntate..... Unde cum poenitentia sit virtus, et secundum quod est Sacramentum, non se extendat ultra actum virtutis, *non est de integritate poenitentiae essentiali futuri continuatio, nisi ut sit in proposito; et ideo potest esse vera poenitentia, et tamen ab ea postmodum aliquis excidet.* »

3. In utroque igitur loco Angelicus, quemadmodum ante ipsum Magister Sententiarum et S. Raymundus a Pennafort, haereticos impugnat, qui docuerunt, poenitentiam iterari non posse. Verissimum sane est, quod dicit, *poenitentiam veram esse posse, etiamsi aliquis postmodum ab ea excidat,* et veritatem prioris actus numquam excludi per actum contrarium subsequentem; et dicta SS. Patrum de vera et falsa poenitentia nullatenus certe istis haereticis favent. Rationes autem, quae ex adverso adducuntur, sine dubio frivolae sunt. Sed de hoc nulla est inter catholicos controversia.

4. De eo tantum controvertitur, *an relapsus semper pro signo indispositionis habendi sint,* et an Confessarius nunquam sufficienti certitudine judicare possit, poenitentem esse dispositum, etiamsi alia signa adsint, atque ideo consuetudinarium numquam esse absolvendum, nisi *per longam experientiam* constet de ejus emendatione? *Quod aliqui intolerabili rigore affirmaverunt,* sed communissime reprobatur. - Falsam hanc Rigoristarum doctrinam S. *Alphonsus* n. 459. impugnat et refellit, simulque testimonia SS. Patrum attingit, quae ab adversariis adducuntur: « Ratio nostrae sententiae est, quia » *relapsus, tametsi praebeat ali-* » *quam suspicionem, non tamen* » *certum exhibet signum indisposi-* » *tionis; bene enim contingere pot-* » *est, quod poenitens vere habuerit* » *firmam voluntatem non relabendi,* » *et tamen vi pravi habitus sit re-* » *lapsus:* ut advertit S. Anselmus, » dicens, quod consuetudinarii pravo » usu irretiti, nolentes in eadem vitia » dejiciuntur... *Tot autem auctori-* » *tates SS. Patrum, quas adducunt* » *adversarii, nihil aliud probant,* » *quam magnam illam difficulta-* » *tem, quae adest in extirpando* » *pravo habitu;* sed bene docet Lugo » cum Suarez, Sanchez, Reginaldo, » Henriquez et aliis communiter, quod » *dispositio sufficiens est dolor et pro-* » *positum praesens, non emendatio* » *futura; atque ita poenitens pote-* » *rit absolvi, licet judicetur rela-* » *psurus.* » [1]

5. Ex opposito controvertitur (in quantum propositio paucorum, quam omnes fere rejiciunt, controversa dici potest), *an consuetudinarii et recidivi toties absolvendi sint, quoties a Confessario admoniti affirmant, se sincere agere atque vere et non ficte dolere ac proponere?* - Quemadmodum Rigoristae, praeter diuturnam emendationem, nullum signum admittunt, ex quo Confessarius consuetudinarios et recidivos sufficienter dispositos judicare possit: ita hujus doctrinae patroni, *praeter affirmationem poenitentis,* nullam quamcunque emendationem exigunt, etiamsi poenitens iterum atque iterum eodem modo, sine ullo emendationis conatu, relapsus sit. - At vero *Sanctos Patres,* qui adeo *necessitatem emendationis* urgent, hanc laxiorem doctrinam tenuisse, nec S. Thomas dicit, nec Magister Sententiarum, nec S. Raymundus,

1) Cfr. integrum textum, pag. 651. *Secunda vero pars.*

aut alius quispiam ex Theologis mediae aetatis.

6. Quinimo *S. Thomas de Villanova* Sanctos Patres eo sensu interpretatus est, qui cum sententia S. Alphonsi omnino concordat, ut supra vidimus.[1] Eosdem textus allegat, quos S. Thomas, nimirum S. Gregorii et S. Isidori; verumtamen addit: « Non quod ad veram poenitentiam requiratur, quod peccator numquam amplius redeat ad peccatum; sed *requiritur propositum verum et firmum non redeundi. Quod utique non est in illis, qui tam leviter, tam facile, tam cito relabuntur.* » Unde si hujusmodi poenitens praeter affirmationem, quod vere poeniteat, aliud signum dispositionis non adfert, ipsi non est credendum, quia *se ipsum decipit.* Non quasi absolute firmum propositum habere non posset; sed quia Confessarius, secundum communiter contingentia, *prudenter et probabiliter* aliter judicare nequit. Ita SS. Patres de vera et falsa poenitentia loquentes interpretandi sunt; et sola haec recta veraque ex omni parte est interpretatio.

Articulus 6.

Perpenditur conclusio adnotationis cl. Ballerinii, et coronidis instar, ejus sententiae opponitur doctrina S. Leonardi a Portu Mauritio.

I. — Adnotationem suam contra S. Alphonsi doctrinam de differenda absolutione recidivo dubie disposito, cl. Professor sic concludit, pag. 547.[2]:

1. « Exinde Summus Pont. Leo XII., dum in citata Constitutione praemissam praxim commendat, notare non omittit morosos illos Confessarios, *quibus* (ut ait) *vix ulla... doloris ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment; ac tum demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint.* Neque ab his dis» sentire, aut plus aliquid exigere » dicendus est *S. Alphonsus,* e quo » juverit haec exscripsisse (Lib. 6. » n. 461.). » — Et locum citat, ubi S. Alphonsus dicit, Suarezium recte docere, « *quod oportet et sufficit, ut » Confessarius prudenter et proba» biliter judicet, poenitentem esse » dispositum* »; simulque Catechismum Romanum allegat, et concludit: « *Ergo semper ac Confessario » positive non innotescit, poenitenti » omnino defuisse dolorem, ipsum » absolvere potest* » (cfr. integrum S. Doctoris textum, pag. 654.).

Utique S. Alphonsus non dissentit, sed plane potius consentit. Illos namque Rigoristas hic impugnat, quibus *nulla* doloris ac propositi significatio satis videtur *praeter emendationem,* et quidem plenam ac diutius continuatam: qui secus semper judicant, poenitenti dolorem omnino defuisse, et ita tutum consilium cepisse putant. Ipse autem non tantum signa de praesenti admittit, sed jam *emendationem inchoatam, minorem relapsuum numerum* sufficere docet, ut Confessarius *prudenter* et probabiliter judicare possit, poenitenti dolorem *non omnino* defuisse.

2. Cetera, quae P. Ballerini hic profert, nonnisi summatim referemus. Dicit: « *Illud quosdam movere » consuevit, quod facilitas absolven» di, quae per hanc praxim indu» catur, facilitatem inferat relaben» di in eadem peccata.* » Quam objectionem refutat iisdem rationibus, quas satis superque jam antea exposuerat. — Celeberrimum est istud *Bellarmini* effatum: « *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* » Cl. Professor autem aliam auctoritatem adducit, nimirum *Philippi Salvatori,* qui dicit, se nullum invenisse perditae vitae, qui vitiis se dederit propter Confessariorum facilitatem, multos autem ob nimium eorum rigorem.

1) Pag. 673. n. 7. — 2) In altera edit. pag. 440.

3. Porro ex Encyclica *Leonis XII.*, cl. Professor textum allegat, in quo Pontifex Confessarios monet, ut, *si justa sit causa differendi absolutionem, humanissimis verbis utantur,* et poenitentem blandissime ad redeundum alliciant; de quo textu jam supra (pag. 714. n. 2.) egimus. Et tandem denuo *Philippum Salvatori* citat, qui testatur, quod multos invenerit, qui ideo, *quia Confessarius aspere ipsos tractavit, sacrilege confessi sunt,* vel per multos annos confessionem omiserunt. – Quasi in hoc non omnes convenirent, et quasi de hac re quaestio esset. S. Alphonsus in *Praxi Confessarii,* cap. 1. n. 5. dicit: « *Haec est via, qua peccatores salvi* » *fieri possunt, nempe cum eis agere* » *quanta maxima fieri potest cha-* » *ritate; alioquin, si ipsi in Con-* » *fessarium incident, qui cum eis* » *inclementer agat, a confessione* » *horrebunt, confiteri negligent et* » *effraenate in perditionem ibunt* » (cfr. supra, pag. 715.).

II. – Non opus est, ut plura adjiciamus; et si quae objectiones sunt, quibus P. Ballerini doctrinam S. Alphonsi, seu (uti loqui mavult) « *Theoriam signorum extraordinariorum* », evertere studet, et quas speciatim non refutavimus, alius ipsi respondeat, dudum quidem hac vita defunctus, sed novissime Sanctorum albo adscriptus.

1. S. Leonardus a Portu Mauritio, in opusculo cui tit. *Discorso mistico e morale,* §. *13.* dicit: « Ma, padre mio, mi dite voi, questo rimedio di *differire* l'assoluzione, è *un rimedio estremo,* nè si deve mettere in pratica, se non dopo adoprati tutti gli altri. Rispondo, che nel caso addotto dianzi, *in cui non apparisce indizio sufficiente di vera compunzione, e dal Confessore prudente non si può formare un giudizio probabile d'una vera disposizione, dico che un tal rimedio è rimedio unico, nè si può operare altrimenti, senza mancare al debito di perito giudice e medico delle anime nell'amministrazione di questo divin Sagramento.* – Ma pure *non si potrebbe eccitare il penitente alla contrizione con una fervente esortazione? Questo sarebbe da desiderarsi, ma in pratica non riesce così facilmente,* attesochè questa sorte di peccatori immersi ed infangati nell'immondezze sino agl'occhi, appena con tutti i terrori di una intera missione si compungono, non con quattro parole passeggiere. Ma l'intendo, sì sì l'intendo, tutto questo si oppone perchè si ha genio di sbrigare e consolar tutti, e senza scrupolizzare se il penitente sia disposto o no, si vuole assolvere. Non è questo un combattere a fronte scoperta le determinazioni della Chiesa, che proibisce un modo di operare sì scandaloso?... »

Porro in §. *15.* inquit: « Il vero si è, che non se ne ha da far mestiere, formandosi una regola generale, che a tutti i consuetudinari debba differirsi l'assoluzione: dovendo in tutti i casi aver luogo la prudenza del Confessore, che osservi se nel penitente apparisce qualche indizio di quella interna disposizione, che si desidera per poterlo assolvere, conforme si accennò di sopra. Per altro, *mancando questi indizi, sarà regola di buona prudenza il differire:* nè questa pratica forma dei nostri confessionali una carnificina, ma bensì un tribunale di misericordia, *non potendosi usare maggior misericordia al penitente, che operare nel modo più espediente per introdurre nel suo cuore la grazia. – Così hanno sempre operato i Confessori più zelanti e timorati, e molti anche de' più gran Santi. S. Bernardo* ad un personaggio mal'abituato in un brutto vizio non volle dare l'assoluzione, se non dopo la prova di qualche settimana, finchè non vide in lui segni di vera emendazione. [1] *S. Francesco Saverio* d'or-

1) In vita, lib. 6. c. 17.

dinario non assolveva simili consuetudinari, se non dopo alcuni giorni, per farli entrare in loro stessi, e formare un vero concetto dell'orribilità della colpa. *S. Francesco di Sales,* che aveva un cuore impastato di dolcezza, ad un peccatore ostinato che non dava segni di compunzione, disse sospirando: Figlio mio, sospiro io perchè non sospirate voi; e giudico bene che vi pigliate un poco di tempo per meglio disporvi. L'istesso metodo fu osservato costantemente da vari servi di Dio; anzi *questo modo di operare è conforme allo spirito della Chiesa,* attesochè mentre ella fulmina censure contro chi ardisce insegnare, che a simili consuetudinari non si deve mai differire l'assoluzione, è segno chiaro che in alcuni casi vuole che si differisca.– Riflettete altresì, che *in tal guisa il Confessore salva se stesso, e giova al penitente.* Salva se stesso, mentre potendo differire per maggiore utilità del penitente, *anche in caso che appariscano gl' indizi di una vera disposizione, conforme al sentimento di vari Dottori;*[1] molto più quando questi manchino. Che poi una simile pratica giovi ai miseri mal'abituati, chiamo in testimonio tutti i confessori, che per trasporto di carità, e per compire i loro doveri sogliono ne' casi predetti differire l'assoluzione; e tutti vi diranno, che quando colla dovuta amorevolezza s'inducono i penitenti ad accettare per qualche tempo una penitenza salutare e preservativa, quando poi ritornano, quasi sempre riportano qualche speciale emendazione; ma alcuni non ritornano... Se non ritornano da voi, vanno ad altri, e vanno assai più disposti in virtù della detta penitenza preservativa, e sono anche più fruttuosamente assoluti. Che se non ritornano più nè da voi, nè da altri, non è da porsi in pena, perchè questo è segno chiaro, che questi tali ostinatissimi nel mal fare, nè erano disposti, nè avevano volontà di disporsi. Se bene a questi ancora reca giovamento, lasciando loro un buon seme di santo timore nel cuore, che a suo tempo renderà frutti di penitenza; assicurandoci il dottissimo *Aversa,*[2] che la prudente dilazione è di sommo giovamento a'penitenti: « *ipsa enim praxi constat, hanc dilationem saepe juvare.* »

Methodum denique, qua Confessarius uti debet, ut poenitens ad dilationem bono animo acceptandam disponatur, *S. Leonardus* in §. *16.* exponit, et sequentibus verbis concludit: « L'esperienza insegna, che trattati i penitenti in questo modo con tutta amorevolezza, accettano più che volentieri e con profitto grande la dilazione dell' assoluzione. Nè si pretende qui, che sbarbino tutto ad un tratto quell'abito inveterato; ma che facciano *qualche violenza,* conforme loro corre l'obbligo, per isradicarlo. Che se nei giorni assegnati ricadono alcune volte, meno del solito, assolvete pure, perchè quelle cadute provengono più da fragilità che da malizia; e con quel poco di ritegno si verifica che *adest spes emendationis.* – Ecco, cari signori, una pratica molto prudenziale, che non pende nè dalla parte di quei teologi, che sotto specie di benignità rilassano l'ecclesiastico zelo, nè dalla parte di quegli altri, che troppo rigidi, amareggiano la carità col rigore. L'abbraccino dunque, e l' abbraccino di buon cuore, e si stabilisca fra di noi questa sagra lega, che ridonderà in sommo bene di tutto questo popolo; e gli stessi penitenti ve ne pagheranno un tributo di grazie, con mandarvi mille e mille benedizioni. *O padre,* più e più volte mi è stato detto, *o padre, se avessi trovato da principio del mio male un Confessore amorevole, che mi avesse trattenuta per qualche giorno l'assoluzione, e mi*

1) V. *Card. de Aguire* T. 2.; Conc. Hisp. Disser. 8.; Conc. Tolet. n. 161–167. — 2) De poenit. q. 17. sect. 12.

avesse trattato colla carità, con cui mi avete trattato voi; non mi troverei nello stato pessimo in cui mi trovo; nè avrei commessi tanti peccati; e ciò detto, si sfogava in pianto di consolazione.–Ringraziato sia l'Altissimo, che mi pare di vedere ormai spianati i monti di tante difficoltà. Camminiamo pure, signori miei, per questa via battuta da' Santi; e siate pure certi, che uniti nelle massime, e ben provvisti di questo pane di vera prudenza, riempiremo di anime il santo paradiso; *e si guardino molto bene que' Confessori, che operano sì diversamente, temano e tremino che per cagion loro non si abbia a riempire d'anime l'inferno...*»

2. Nihil hisce S. Leonardi doctrinis addendum censemus, nisi unam observationem. *Ven. Paulus Segneri, S. Leonardus et S. Alphonsus*, ut ex eorum vita constat, per quadraginta circiter annos apostolico munere indefesso zelo fungentes, innumeras confessiones exceperunt, innumeros peccatores a perditionis tramite ad viam salutis, imo interdum perfectionis christianae, reduxerunt, et haud raro conversiones prodigiosas perfecerunt. Certe autem eorum labores non tantis fructibus et benedictionibus coelestibus abundassent, si non *omnino vera et justa esset illa methodus*, quam in tractandis peccatoribus adhibuerunt, docuerunt, propugnarunt, et enixe commendarunt. Si unquam, hic locus est evangelicae sententiae: *Ex fructibus cognoscetis.* – Omnes tres Viri sancti *experientiam* appellant, prout suas doctrinas comprobantem et confirmantem. Experientiam et *P. Ballerini* appellat pro sua; sed inter haec sibi adversantia testimonia, nemo certe, quam partem eligat, anceps haerebit.

N. B. – Conclusionem primi hujus Capitis de Recidivo dubie disposito, videsis in fine totius Dissertationis.

CAPUT II.

DE RECIDIVO SATIS DISPOSITO.

Agemus hic de altera quaestione: *An Confessarius, ut Medicus, recidivo satis disposito absolutionem aliquando differre possit.* – Priusquam hac de re alias longiores cl. Ballerinii objectiones examini subjiciamus, doctrinam S. Alphonsi iterum praemittere juvat.

Lib. VI. *n. 462.* S. Doctor sic docet: « *Certum est 2°. et commune apud* » *omnes, quod possit Confessarius* » *differre absolutionem poenitenti* » *etiam disposito, et etiam sine ejus* » *consensu, semper ac prudenter ju-* » *dicet dilationem esse utilem ejus* » *emendationi.* Ita Salmanticenses, » Lugo, Holzmann, Roncaglia, Croix, » Viva, Cardenas cum Suarez, Sà, » Sanchez, et aliis passim *contra* » *paucos.* – Ratio, quia poenitens, » quamvis habeat jus ad absolutionem ratione confessionis peractae, » *non tamen habet jus ut statim* » *absolvatur;* Confessarius enim, cui » non solum judicis, sed etiam *medici* competit munus, bene potest, » imo meo judicio (ut supra dixi) *tenetur differre absolutionem, quando* » *judicat tale remedium esse necessario utile saluti sui poenitentis.*

» *463.* Magnum dubium quod vertit, est, *an hoc remedium dilatae* » *absolutionis saepius expediat adhibere vel ne, poenitenti jam sufficienter disposito ad absolutionem, sine ejus consensu?* – Commune est apud DD., *nullo modo expedire* absolutionem differre, quando dilatio magis *obfutura* quam » profutura censetur; ita Viva et » Salmanticenses, Lugo, Sanchez et » Mazzotta, cum aliis communiter.

» Idem dicendum, cum ex dilatione » absolutionis poenitens pateretur » *notam infamiae;* ita Croix, et Mazzotta cum Sanchez, Palao, Continuatore Tournelii, Concina, Anacleto, Laymann, Bonacina, Holzmann, Sporer et aliis, quos attulimus n. 455. – Extra autem hos casus, sentit Hurtado *semper expedire differre* absolutionem consuetudinariis; imo Concina, ac Jueninus et Merbesius dicunt, tale remedium ipsis esse necessarium, ut ipsi operibus suam conversionem comprobent. Quinimo Jueninus sic rigidissime loquitur: *Qui mortaliter peccarunt, non debent absolvi, nisi multo ad viri prudentis judicium tempore, operibus conversionem probarint... Toti antiquitati persuasum fuit, contritionem non esse unius diei opus, sed multorum mensium, imo et nonnumquam annorum.* Et alibi addit, hoc servandum esse, etiamsi poenitens semel patraverit aliquod enorme peccatum, ut perjurium, adulterium, homicidium et similia. Loquens vero de peccatore habituato, inquit: *numquam ipsum censeri dispositum ad absolutionem, nisi diu conversionem per emendationem probaverit.* – Alii vero, ut Busembaum infra, Viva, Dicastillus, Croix, Salmanticenses etc., dicunt, *raro expedire* quod poenitenti disposito differatur absolutio. – *Melius dicendum, quod certa regula in hoc statui non possit;* sed Confessarius ex circumstantiis occurrentibus se dirigere debet, et postquam Deo se commendavit, ut erit a Deo inspiratus, absolutionem differat vel impertiatur. Unde sapienter Episcopi Belgii, Bruxellis congregati, in decreto ad suos, anno 1697. sic statuerunt: *Confessarius a quibusvis peccatoribus gravioribus, etiam recidivis, stata lege non exigat, ut per notabile tempus praevie exercuerint opera poenitentiae; sed cum SS. Patribus expendat, Deum in conversione peccatoris, non tam considerare mensuram temporis quam doloris.* Vide apud Croix.

» Ut autem hic meum proferam » judicium, dico, quod si poenitens » relapsus sit ob causam seu *fragilitatem intrinsecam,* ut accidit in » peccatis pollutionis, delectationis » morosae, odii, blasphemiae et simi- » lium; *raro puto differendam esse* » *absolutionem recidivo sufficienter* » *disposito per signum extraordi-* » *narium.* Et casu quo dilatio videa- » tur expedire (quidquid dicant Jue- » ninus et Merbesius, requirentes » dilationem per menses et annos), » verius dicendum, absolutionem non » differri debere plus quam ad *octo* » vel ad *decem* dies; prout dicitur » ab auctore libelli cui titulus: *Istru-* » *zione per li confessori di terre e* » *villaggi,* approbati Neapoli a do- » ctissimo et illustrissimo Episcopo » D. Julio Torno (ibique citatur Lu- » dovicus Habert), et ab alio auctore » jam citato libri: *Istruzione per li* » *novelli confessori.* Hi censent, di- » lationem mensis esse excessivam » et periculosam, quia post tantum » temporis difficile poenitentes redi- » bunt. Et huic favet N. SS. Ponti- » fex Benedictus XIV., in sua epistola encyclica quae incipit: *Apostolica,* ubi alloquens Confessarios, » qui ex justa causa differunt poe- » nitentibus absolutionem, sic hortatur: « *Illos ut quantocius revertantur invitent; atque animos addant, ut ante reditum, ea quae illis agenda praescribuntur rite perficiant, ex quo fiet ut ad sacramentale forum regressi, absolutionis beneficio donentur.* » – *Ad summum* dico absolutionem differendam usque ad *quindecim dies.*

» Dixi 1°. si poenitens sit relapsus » *ex causa intrinseca;* nam si reinciderit *ex occasione extrinseca,* » dico absolutionem omnino differendam esse *usquedum tollatur occasio,* si sit *voluntaria;* si vero » *necessaria,* donec periculum reci-

» dendi ex proximo fiat *remotum*. » Et ad hoc *ordinarie loquendo certe* » *non sufficiet dilatio 10 vel 15 die-* » *rum*. (Vide quae diximus de hoc » puncto supra n. 452. q. 3.) - Dixi » 2°. *raro; nam regulariter censeo,* » *non discedendum a sententia com-* » *muni,* quam tradunt Sanchez, Lay- » mann, Lugo, Filliuccius, Abelly, » Dicastillus, Navarrus, Croix cum » communi, ut asserit, Salmanticen- » ses, Sporer, Toletus, *nempe non* » *esse differendam absolutionem poe-* » *nitenti, qui relapsus est ex in-* » *trinseca fragilitate,* quia in tali » poenitente magis sperandum, pro- » futuram fore gratiam sacramenti, » quam dilationem absolutionis.

» *464.* Sed dices: *cur differenda* » *est absolutio poenitenti qui est in* » *occasione extrinseca, et non illi* » *qui relapsus est ex prava consue-* » *tudine,* cum eodem modo impellat » ad peccandum occasio extrinseca, » ac prava consuetudo? Respondetur: » Alio quidem longe diverso modo » ad peccatum impellit occasio ex- » trinseca, quam pravus habitus; *oc-* » *casio enim per objecti praesentiam,* » *quae vividas excitat cogitationes,* » *vehementer movet sensus pronos* » *ad peccandum, affectumque ad* » *peccatum reddit intensiorem;* et » ideo poenitens *maximam sibi vim* » inferre debet, non solum ad supe- » randam tentationem, sed etiam ad » conandum, ut periculum per fugam » familiaritatis cum persona compli- » cis, ex proximo fiat remotum. - » *Prava autem consuetudo, cum non* » *habeat objectum extrinsecum prae-* » *sens, non ita utique sicut occasio* » *ad peccandum impellit;* unde fit, » ut poenitens minorem vim sibi in- » ferre debeat ad abstinendum a pec- » cato. Praeterea cum pravus habitus » sit quid *intrinsecum* et *inspara-* » *bile a persona, extirpatio habi-* » *tus minus, quam remotio occa-* » *sionis, pendet a propria voluntа-* » *te,* et ideo magis sperandum, quod » Deus bonam voluntatem per ma- » jora auxilia adjuvabit ad perseve- » randum.

» His positis, *imprudenter agit* » *Confessarius, si absolvit eum qui* » *est in occasione extrinseca, saltem* » *antequam experiatur quod ille per* » *fugam reddat periculum remo-* » *tum;* nam alias eum relinquit in » probabili periculo infringendi pro- » positum; eo quod talis poenitens, » post obtentam absolutionem, facile » negliget fugam necessario adhiben- » dam, et sic sine dubio relabetur. » E converso *prudenter absolvitur* » *recidivus ex causa intrinseca, si* » *vere est dispositus per signum ex-* » *traordinarium doloris;* quia peri- » culum in eo infringendi propositum » est magis remotum, cum ex una » parte non adsit causa extrinseca » ad peccatum impellens, et ex alia, » majora Deus praebebit auxilia poe- » nitenti ad extirpandum pravum ha- » bitum, qui ipsi nolenti ac detestanti » inest; hinc magis sperandum, quod » ille emendabitur per auxilium gra- » tiae in sacramento susceptae, quam » per dilationem absolutionis. *Saepe* » *juvat* (ait doctus *P. La-Croix,* qui » egregie tractat de hoc Sacramento » Poenitentiae) *relapsis absolutio,* » *tum ob auxilia gratiae quae con-* » *fert Sacramentum, et quibus pot-* » *est muniri absolutus, quia pia* » *exercitia ab efficacitate Sacramen-* » *ti habebunt majorem vim, erunt-* » *que Deo gratiora et efficaciora,* » *utpote facta ab amico Dei; et ex* » *institutione Christi inerit eis major* » *vis satisfactoria; tunc etiam spes* » *est usurum ferventius mediis prae-* » *scriptis, nam dilatio multos offen-* » *dit, quia non redeunt, sed red-* » *duntur obdurati.* Idque expresse » approbatur a *D. Thoma,* qui inquit: » *Dicendum quod majus remedium* » *praebetur contra peccata vitanda* » *ex gratia, quam ex assuetudine* » *nostrorum operum.* Hinc recte di- » cunt *Salmanticenses: Cur de pec-* » *catore non habente gratiam per* » *dilationem, quam de constituto* » *in amicitia Dei per absolutionem*

» *melius sperandum est?* Et praesertim quoad peccatum pollutionis, » *Toletus* sic inquit: *Vix puto esse* » *aliud efficax remedium, quam frequentissimam confessionem adhibere; est enim hoc Sacramentum* » *maximum fraenum, et qui hoc* » *non utitur, non sibi promittat* » *emendationem nisi per miraculum.* Hocque remedio frequentis » confessionis, pro recidentibus in » tale vitium, legimus *D. Philippum* » *Nerium* maxime usum fuisse. Et » huic doctrinae alludit id quod habetur in Rituali romano, ubi: *In* » *peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut saepe* » *confiteantur, et si expediat, communicent.* Ergo Rituale, dum dicit » remedium frequentis confessionis » utilissimum esse facile recidentibus » in peccata, supponit pravum habitum ab eis non adhuc esse avulsum; sed, hoc non obstante, docet » gratiam Sacramenti multum conferre ad emendationem... »

P. Ballerini non quidem omnino negat, Confessarium recidivo satis disposito absolutionem aliquando differre posse, et doctrinam a Doctoribus fere unanimiter traditam directe rejicere non audet. At vero indirecte omni modo eam impugnat, et adeo coarctat, ut in praxi ejus applicationi vix locus supersit. Videamus ergo de objectionibus et difficultatibus, quas cl. Professor in pluribus Adnotationibus, tum in genere, tum speciatim contra S. Doctorem profert. - Omnia autem, claritatis causa, sequentibus Paragraphis absolvemus:

§. *1.* - Recidivo etiam satis disposito Confessarius, ut medicus, non solum *potest,* sed *aliquando tenetur* differre absolutionem.

§. *2.* - S. Doctor, loquendo de recidivis *ex fragilitate intrinseca,* nequaquam discedit a *sententia communi,* ut ad *rigidiorem* viam declinet.

§. *3.* - Merito docet S. Alphonsus, *recidivo in occasione proxima extrinseca, etiam necessaria, constituto,* ordinarie, quando commode fieri potest, differendam esse absolutionem.

§. *4.* - Demum inquiremus, quid Confessario agendum sit cum *Clerico ordinando,* in vitio turpi habituato, qui statim ad sacros Ordines ascendere velit.

§. 1.

Recidivo etiam satis disposito Confessarius, ut medicus, non solum potest, sed aliquando tenetur differre absolutionem.

Quae huic doctrinae cl. BALLERINIUS opponit, ad praecipua haec puncta reduci possunt: 1. Praxis differendae absolutionis recidivo disposito, est *mera industria a recentioribus Theologis excogitata,* ad excitandam ignaviam eorum, qui, ob pravum blasphemandi aut temere jurandi habitum, in jugi peccati mortalis statu versantur (cf. etiam supra, pag. 687. art. 5.); hujus autem praxis vix ullum vestigium in scriptis Antiquiorum apparet. Isti tamen Theologi minime dicunt, absolutionis dilationem esse necessariam; sed eam insinuant ut *mere utilem,* et ex *mero consilio* et solum *aliquando* adhibendam. - 2. Quidam *pauci* contendunt, Confessarium ad differendam absolutionem *quandoque teneri;* sed isti, aut *aequivocatione* laborant, aut *certe contra communem sententiam* id affirmant: etenim hoc dilationis remedium nunquam dici potest *necessarium,* quia *nunquam est unicum.* - 3. Cum durum sit poenitenti, vel per diem absolutionis beneficio carere, *causa admodum gravis requiritur,* ob quam Confessarius remedio dilationis, alioquin non neces-

*

sario, utatur. – 4. Dilatio absolutionis recidivo disposito, ad *experimentum* potius quam ad *remedium* pertinere videtur; at *experientia* suadet, hoc parum prodesse, idque confirmat *ratio*. – Quid autem de singulis hisce assertis sentiendum sit, videamus.

Articulus 1.

Praxis differendae absolutionis Recidivo disposito, immerito dicitur mera industria a recentioribus Theologis excogitata, et minime necessaria.

Tom. II. n. 621. pag. 519.,[1] *P. Gury* dicit: « Absolutio tamen *differri potest* ad breve tempus, *etiam poenitenti rite disposito,* atque etiam sine ejus consensu, quando nempe Confessarius judicet, id utile esse ad ejus emendationem. Ratio est, quia dilatio absolutionis non est ejus denegatio; et licet poenitens dispositus *jus habeat* ad absolutionem, non tamen jus habet, saltem *per se loquendo,* ad eam *statim* obtinendam. Nam Confessarius non est tantum judex, sed et *medicus;* ideoque si judicet, tale remedium animae poenitentis notabiliter profuturum esse, eo poterit prudenter uti. *Ita expresse S. Ligorius,* n. 462., et in *Praxi Confess.* n. 76.; *Lacroix,* n. 1764.»

Ad quem textum, et quidem ad verba: « *etiam poenitenti rite disposito* », P. Ballerinius sequentem Adnotationem subjungit: « *Summopere interest perpendere originem rationemque hujus praxis; cujus,* etsi *vix ullum vestigium in scriptis antiquiorum Theologorum appareat,* perperam tamen inde ansam cum *nonnullis* quis sumeret, Jansenianis illam ceu primis auctoribus tribuendi: utcumque isti, tum eadem, tum veteri canonicae poenitentiae disciplina, ad arcendos fideles a Sacramentis insigniter abusi fuerint, fictaque zeli specie, fucum facere nonnullis catholicis aliquando potuerint. – *Originem* itaque istius praxis si inquiras, facile reperies, *eam deberi studio novas usquequaque industrias excogitandi,* quibus fideles amplius juvari posse quibusdam in adjunctis forte viderentur; *rationem* vero ejusdem ac *finem* in eo fere situm, ut poenitens, qui ob segnitiem in obligatione quapiam implenda, novas in dies et menses, atque etiam annos, moras usque nectere soleret, demum excitaretur ad manum operi admovendam. Exemplum habes penes *S. Antoninum* (Part. 3. tit. 14. cap. 19. §. 19.), ubi de iis disserens, qui, ut alibi loquitur (Part. 2. tit. 2. cap. 8. §. 3.) *semper procrastinant, et annuatim reperiuntur promittere Confessori restituere, postea non faciunt,* rejecta illorum opinione (ibid. §. 2.), qui putabant hos absolvendos esse sub conditione de futura restitutione, et admittens sententiam *Guillelmi,* quod simpliciter et sine conditione absolvi deberent, dein subdit: *Postquam Confessor perpendit, tales pluries hoc fecisse,* FORTE ESSET BONA CAUTELA *talibus dicere, quod prius restituant, et postea veniant ad confessionem, seu pro absolutione.*

» Frequentius autem hanc *industriam* insinuari cernes *apud Theologos paulo minus antiquos,* cum agunt de obligatione usurpandi media quaepiam ad emendandam pravam consuetudinem, eam praesertim, quae ad malum semideliberate aut etiam indeliberate propellit, qui tamen actus culpabiles in causa sint, in segnitie scilicet et emendationis negligentia, quae in his adjunctis hominem in jugi, ut ajunt, *peccati mortalis statu* constituit. Et hinc ratio, cur DD. hanc materiam fere attingant non ubi *de Sacramento Poenitentiae,* sed ubi tractant *de secundo Decalogi praecepto,* atque adeo de pravo aut *blas-*

1) In altera edit. pag. 419.

» *phemandi,* aut *temere jurandi* ac » porro *pejerandi* habitu. Ita *Sal-* » *manticenses* ... » (Et plures Auctores cum locis adducuntur, quos jam supra, pag. 659. art. 1., allegavimus). – « Quod vero isti DD. disse- » rant de poenitente *disposito,* inde » manifeste patet, quod absolutionis » dilationem insinuent non tamquam » necessariam, sed ut *mere utilem,* » et *ex mero consilio* et solum *ali-* » *quando* adhibendam. Ita, v. gr., » Suarez ... » Et sequuntur textus plurium Auctorum, quos similiter loco citato retulimus.

Ad singulas itaque assertiones respondebimus.

I. Affirmat primum cl. Professor, in scriptis antiquiorum Theologorum vix ullum apparere vestigium hujus praxis differendae absolutionis, perperam tamen *nonnullos* eamdem praxim *Jansenianis,* ceu primis auctoribus, tribuere.

Isti *nonnulli* sunt *Joannes Baptista Faure* et *Philippus Salvatori;* nam vix alius idem asserens invenietur. – His quidem P. Ballerini non assentitur; attamen hujus praxis inductionem Theologis paulo minus antiquioribus, iis nempe *saeculi 16.,* tribuit, qui *novas industrias excogitare* studuerunt, quibus poenitentes segniores in extirpanda prava consuetudine, ad majorem curam et diligentiam excitarentur. Mira assertio! Ergo *per quindecim saecula* Sacerdotes confessiones fidelium exceperunt, et nemini in mentem incidit, quod dilatio absolutionis nonnumquam aptum sit remedium, quo consuetudinarii segniores ad majorem diligentiam excitentur: donec tandem aliqui Theologi saeculi 16., novas industrias excogitare insudantes, feliciter id detexerunt, et ita hanc praxim invexerunt!

II. Vix ullum vestigium in scriptis antiquiorum Theologorum apparere, affirmat P. Ballerini. Attamen ad probandum, adducit exemplum ex *S. Antonino,* sin minus de consuetudinariis, saltem de obligatis ad restitutionem. Nihilominus cl. Professor exemplum analogum de obligatis ad restitutionem adfert, quod secundum allegata probaret, veteres Theologos censuisse, nonnisi de consilio esse, absolutionem differre poenitentibus, qui semper procrastinant, annuatim Confessario restituere promittunt et postea non faciunt. – *Verum duo loca disparata male confundit atque male interpretatur,* et S. Antonino doctrinam laxissimam supponit, quam neque hic, neque alius ex veteribus Theologis tradit, qui diffuse de restitutione tractant.

I. S. Antoninus, P. 2. toto Titulo 2. *De restitutione,* et cap. 8. de quaestione agit: « *Quando facienda sit restitutio.* » Et ait: « Quantum ad octavum, dicit B. Thomas, 2. 2. q. 62., quod *statim;* quia, sicut accipere rem alienam est contra justitiam, ita et detinere eam: quia per hoc, quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum ab usu rei suae; et sic facit ei injuriam. Manifestum est autem, quod nec per modicum temporis licet alicui in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere.»

Hac regula generali praemissa, causas a subita restitutione excusantes examinat, et quaestionem proponit, *an egestas excuset.* Varias Doctorum sententias allegat; inter quas aliqui, sententiae S. Thomae insistentes, negative respondent; et addit: « Sed in quadam Summa dicitur, quod illi qui tenentur restituere usuras et male ablata, et proponunt firmiter reddere, sed non possunt statim, quia nolunt cum familia sua egere vel mendicare, tamen incipiunt juxta posse satisfacere: utrum tales possint absolvi et communicari? Respondeo: Aut sciunt personas certas, aut non. Si *sciunt* ipsi habentes male ablata, et etiam ipsi, quibus debentur hujusmodi, volunt: tutum est, quod de conscientia eorum stent ad terminum ipsorum et voluntatem.

Si vero *nesciunt* tales damna data sibi, et revelatio posset esse periculosa illis, qui volunt restituere : tunc non est revelandum illis, sed praesumendum, quod Confessor utiliter illorum negotium gerat, et confitens intendat et promittat satisfacere quam cito potest ; quia hic habet locum ratihabitio de bono et aequo : et tunc confitens absolvi et communicari potest, quia est in via salutis. Si vero omnino nesciantur personae, quibus restitutio est facienda : tunc est libere in potestate Praelati vel discreti Confessoris, dare et constituere terminum confitenti, *sicut viderit necessitatem et contritionem ejus, et voluntatem ejus paratam et promptam restituendi, et infra justum terminum talis potest absolvi et communicari.* »

Ergo *ultra* istum terminum non potest absolvi. Et ex dictis, S. Antoninus solvit quaestionem : An obligati ad restitutionem *retinere sibi possint quodammodo necessaria pro sustentatione sui et familiae,* ad vitandum multa pericula animae et corporis ; *utrumve teneantur bonis suis cedere* pro restitutione facienda, quod forte tutius esset, et in Deo confidere, *etiamsi oporteret mendicare,* secundum Raymundum ? — Et respondet :

« *Ad hoc non videntur teneri de necessitate salutis.* Tamen non debent tales ita laute vivere et pompose vestiri cum familiis suis, et filias suas cum magnis dotibus nuptui tradere, sicut si non essent obligati ad restitutionem ; sed *parce vivere* et *parvas dotes tradere,* et si non possunt nobili vel mercatori nuptui dare, artifici vel plebejo debent tradere, et alia superflua resecare. *Cum multa ergo prudentia hoc negotium agendum est. Cum efficaciter videntur facere, quod possunt ad restituendum,* et in aliis bene se habere et cum timore Dei : *credo possunt absolvi et communicari.* Qui autem et de eo, quod possunt, semper procrastinant et annuatim repe-riuntur promittere Confessori restituere, et postea non faciunt, non videntur absolvendi, nisi prius faciant, vel disponant efficaciter negotium, ut habeat executionem. »

Mitiorem sententiam hic admittit S. Antoninus contra S. Raymundum et alios ; at non loquitur de poenitentibus, qui *statim* restituere tenentur et annuatim promittunt et postea non faciunt ; sed de illis, quibus conceditur, parce vivendo et superflua resecando, *annuatim aliquam partem debitae restitutionis reponere,* sed huic obligationi non satisfaciunt. — Nec ullo modo assentitur illis Confessariis, qui hujusmodi poenitentes annuatim promittentes et non facientes, nihilominus semper absolvunt, et hanc agendi rationem nequaquam approbat. Etenim immediate ante dixerat : « *Cum efficaciter videntur facere, quod possunt ad restituendum,* et in aliis se bene habere et cum timore Dei : credo possunt absolvi. » Ergo *si efficaciter non faciunt, quod possunt, non credit ipsos absolvi posse.* Idem patet ex praecedentibus, ubi dicit, Confessarium *terminum* constituere posse, sicut viderit contritionem poenitentis, et ejus paratam et promptam voluntatem restituendi, ac talem absolvere posse, sed nonnisi *infra* istum terminum.

2. Altero loco, P. 3. tit. 14. cap. 19. *De Confessione* §. 19., S. Antoninus *de obligatione poenitentiam a Confessario injunctam adimplendi* loquitur ; et ait : « *Tripliciter Confessor imponit poenitenti aliquid* ». Primo per modum consilii et exhortationis. Secundo per modum declarationis communis obligationis. « Tertio modo, *per specialem satisfactionem, per commissionem,* et ad istam (confitens) tenetur ex praecepto ; alias est transgressor, et committit speciale peccatum inobedientiae... Quod si Sacerdos credit vel dubitat, quod confitens non aget poenitentiam, vel istud ad quod alias tenetur, ut restituere et hujusmodi, dicit Guillel-

mus, quod non debet propter hoc Confessor exigere promissionem, vel votum vel juramentum, *sed sufficit si dicat, se habere propositum faciendi.* Et sic debet absolvere simpliciter et sine conditione, *facta tamen protestatione,* si *suspectus* habetur, quod si non faciat illud, evacuabit sibi fructum confessionis. *Haec Guillelmus.* - Sed *quia multi decipiunt seipsos,* in omni confessione promittentes restituere et hujusmodi, et semper differunt: *postquam Confessor perpendit, tales pluries hoc fecisse, forte esset bona cautela,* talibus dicere, quod prius restituant et postea veniant ad confessionem, seu pro absolutione, vel assignare eis aliquod congruum tempus, infra quod illud debeant expedire. »

Guillelmus hic loquitur de poenitente, *cujus propositum Confessario suspectum est,* sive quod jam pluries Confessariis promisit et non fecit, sive propter alias rationes. Dicit, hujusmodi poenitentem affirmantem, se habere propositum faciendi, *simpliciter absolvendum esse,* quin promissio, votum aut juramentum ab eo exigatur, *attamen facta protestatione,* quod secus fructum confessionis evacuabit. Manifeste ergo supponit, non esse absolvendum talem poenitentem, qui, facta ista protestatione, absolutionem recepit et ad confessionem revertitur, quin restituerit. Secus enim haec protestatio cautela inutilis, seu potius nulla cautela esset; et si propositum poenitentis jam antea Confessario suspectum fuit, huic suspicioni novum et evidens accedit argumentum.

S. Antoninus Guillelmo adstipulatur; verumtamen, si poenitens *pluries* jam aliis Confessariis restituere promisit et promissis non stetit, bonam cautelam existimat, talem non absolvere cum ista protestatione; *sed jam nunc absolutionem ipsi differre quousque reapse restituerit,* vel aliquod congruum tempus assignare, infra quod illud debeat expedire. - Et hoc consonat cum altero textu *P. 2. tit. 2. c. 8.,* ubi de restitutione ex professo tractavit, et docuit, in potestate Confessarii esse confitenti *terminum* constituere, sicut viderit ejus contritionem atque voluntatem paratam et promptam restituendi, et ipsum infra istum terminum absolvere posse. - Ratio autem, quam adfert, ea est: *quia multi,* etiamsi vere et non ficte proponant, et Confessarium non decipiant, nihilominus *se ipsos decipiunt.* Quae ratio doctrinae cl. Ballerinii ex diametro est opposita. Ob eandem rationem, postea *S. Thomas de Villanova* censuit, consuetudinariis sine ulla emendatione recidivis absolutionem esse differendam: « *Et licet in confessione dicant, quod vere proponunt, non credas, quia decipiunt se ipsos* » (cfr. pag. 673. n. 7.).

3. Unde unicum exemplum, quod cl. Professor ad probandam suam assertionem adducit, non tantum eam non probat, sed potius praeclarum nobis suppeditat testimonium, *veteres Theologos in praxi easdem tenuisse regulas, quas postmodum recentiores diserte ac diffuse exposuerunt.*

III. P. Ballerini contendit, Theologos *paulo minus antiquiores* dilationem absolutionis fere non attingere, ubi de Sacramento *Poenitentiae,* sed ubi de *secundo Decalogi praecepto* tractant, et ideo de consuetudine *blasphemandi* et *temere jurandi.* - Quocirca breviter respondemus:

1. Cum saeculo 16. Theologi quaestionem de consuetudinariis et recidivis proponerent, utique nonnulli de solis hisce consuetudinibus tractaverunt; tum quia consuetudo blasphemandi et temere jurandi ceteris *frequentior* est; tum quia in ipsis *quaestiones particulares* occurrunt: scilicet, an et quomodo consuetudo in se peccatum lethale involvat, nec non an et quomodo assueti in singulis actibus peccent.

2. Verum hanc methodum nequa-

quam omnes, nec fere omnes tenuerunt. - Sic *Henriquez* [1] de consuetudine voluntariae pollutionis in tractatu de Poenitentia agit, et *Bonacina,* [2] de eadem in tractatu de Matrimonio. *Medina,* [3] *Jacobus de Graffiis,* [4] et *Trullenchus,* [5] de blasphemantibus disserentes, simul advertunt, similiter et ceteris consuetudinariis recidivis absolutionem esse differendam. *Lopez,* [6] *Corradus,* [7] et *Tanner* [8] de blasphemantibus agunt in dissertatione de occasione proxima. *Palaus* [9] generatim de consuetudinariis et recidivis in tractatu de essentia peccati, et in capite de occasione proxima; *Suarez,* [10] *Reginaldus* [11] atque *Filliuccius* [12] de iisdem in tractatu de Sacramento Poenitentiae, et nonnisi speciatim de consuetudine temere jurandi in expositione secundi praecepti Decalogi; *Toletus* [13] demum, *Laymann* [14] et *Lugo* [15] de consuetudinariis et recidivis generatim, in solo tractatu de Sacram. Poenitentiae agunt.

3. Inter *Recentiores* autem, praeter Salmanticenses, vix alius invenietur, qui ab hac methodo declinarit; quamvis aliqui, propter rationes supra expositas, de consuetudine temere jurandi speciatim disputent; quemadmodum *Viva,* in Decal. q. 7. art. 7.: *De perjurio et assuetis adjurandum,* et de Poenit. q. 3. art. 4.: *De proposito ad Sacramentum Poenitentiae requisito.*

IV. Porro contendit P. Ballerini, istos DD. absolutionis dilationem non insinuare tamquam necessariam, sed ut *mere utilem,* et *ex mero consilio* ac solum *aliquando* adhibendam; et plurium DD. textus adducit, quos jam supra, pag. 658. et seqq. Art. 1. et 2. retulimus. - Verum iidem DD. nequaquam dilationem tamquam mere utilem et ex mero consilio adhibendam insinuant, et nequaquam toto coelo a thesi S. Alphonsi distant; ut jam ibidem demonstravimus, ac satis superque refutavimus famosam illam propositionem: « *Unos reperies Salmanticenses, qui ceu probabilius tradunt, quod tunc non solum salubre erit consilium differre absolutionem, sed ad id tenebitur Confessarius* » (vid. supra, pag. 681. art. 3.).

Articulus 2.

Immerito asserit P. Ballerini, a paucis tantum DD. doceri, Confessarium ad differendam absolutionem quandoque teneri.

Pergit P. Ballerini, pag. 521: « Et » haec quidem praxis est, adversus » quam tanto ardore dimicavit *Joan.* » *Sancius* (Disputat. Selectae, etc. » disp. 9. a n. 11.), contendens,[16] inanem esse spem majoris fructus, qui » ex dilata absolutione exspectetur, » atque adeo hoc consilium non esse » salubre. Unde ulterius inferebat, » quod cessante ista dilationis causa, » praevaleat jus poenitentis ad absolutionem, adeo ut cum Sacerdos, » adversariis fatentibus, immediate » possit absolvere, eo ipso ad id non » differendum teneatur. - Verum *haec* » *non impugnant reipsa praemissum* » *DD. principium;* nam et hi ultro » consentiunt unanimiter, non adhibendam esse eam medicinam, quando obfutura potius quam profutura » videatur: utrum vero aliquando expediat ob fructum inde sperandum, » quaestio est ad prudentiam pertinens, de qua mox A. (sc. P. Gury) » disserit. Verumtamen quandoque id

1) Cfr. supra, pag. 673. n. 8. — 2) Pag. 662. n. 2. — 3) Pag. 687. n. 1. et 688. n. 1. — 4) Pag. 673. n. 9. — 5) Pag. 662. 4. — 6) Pag. 686. n. 3. et 687. n. 2. — 7) Pag. 674. n. 13. — 8) Ibid. n. 14. — 9) Pag. 663. n. 5. — 10) Pag. 668. — 11) Pag. 664. n. 7. — 12) Pag. 670. n. 1. — 13) Pag. 671. n. 2. — 14) Pag. 665. n. 8. — 15) Pag. 669. n. 15.

16) In altera edit. pag. 421. cl. Professor sententiam *Sancii* sic exponit: « *contendens, non* » *quidem indiscriminatim absolvendos poenitentes, etiamsi de dispositione eorum dubitari possit, prouti quidam perperam ipsi affingunt, sed inanem esse spem majoris* » *fructus, qui ex dilata absolutione illius, qui est dispositus, expectetur, atque adeo* » *consilium differendi huic poenitenti absolutionem non esse salubre. Unde ulterius...* »

» prodesse posse, non videtur contra » tot DD. sententiam esse negandum. - Illud unum proderit advertere, *quosdam paucos* ulterius progressos contendisse, Confessarium » non modo posse absolutionem differre, sed ad id *teneri. Verum isti* » *aut aequivocatione, dum* dispositum *nominant, laborant, aut certe* » *contra communem sententiam id* » *affirmant.* Medium quodvis nunquam necessarium dici potest, nisi » sit unicum. Porro, quod cum *poenitente jam disposito ad absolutionem* medium *unicum,* quo cogatur ad quidpiam exequendum, sit » absolutionis dilatio, *hoc hypothesim nimis inverisimilem redolet.* »

Cl. Professor non quidem suffragatur assertioni *Joannis Sancii,* Confessario nunquam licere poenitenti sufficienter disposito absolutionem differre; et dilationem quandoque prodesse posse, ipsi non videtur negandum contra tot DD. sententiam. At minus grate cl. Professori olet propositio altera, hanc dilationem *nonnunquam necessariam esse,* si alia remedia non profecerunt, et Confessarium ad eam adhibendam *nonnunquam teneri;* quam sententiam *paucorum* esse dicit, qui aut *aequivocatione* laborant, aut *certe contra sententiam communem* id affirmant.

Verum hanc sententiam, praeter S. Alphonsum, non pauci, sed *multi graves DD.* tenent citra omnem aequivocationem.

1. *Lugo, S. J.,* de poenit. disp. 14. *n. 167.* quaestionem proponit: « *An aliquando, cum Confessarius posset credere probabiliter poenitenti dicenti, se hic et nunc habere dolorem et propositum, possit tamen ad melius probandum et confirmandum illud propositum, differre absolutionem per aliquot dies?* » Et exposita sententia negativa *Joannis Sancii,* dicit *n. 168:* « *Contrariam sententiam docent communiter Theologi,* quos congerit ibi idem Diana; et quidem in hoc etiam puncto aliqua certa sunt, in quibus omnes conveniunt. *Primo,* posse ex consensu poenitentis differri absolutionem: volenti enim non fit injuria; atque adeo optime facturum Confessarium, si poenitentem suaviter alliciat ad consentiendum. *Secundo certum est, quando dilatio, ut dicebam, necessaria est ad explorandum firmum propositum poenitentis, de quo non satis constat, posse et debere differri absolutionem. Tertio,* non posse licite differri absolutionem, quando poenitens est sufficienter dispositus, et ex dilatione timetur damnum potius spirituale, quam speretur utilitas poenitentis, ut puta, quod taedio affectus non redibit, vel in desperationem actus, habenas vitiis laxabit, etc. *Quarto* denique certum est, non debere absolutionem differri absque aliqua justa et rationabili causa, *quae prudenter dictet esse differendam.* Difficultas ergo esse potest, an possit esse *causa rationabilis* aliquando ad differendam absolutionem, *absque consensu poenitentis,* licet ipse aliunde credatur probabiliter esse nunc dispositus. *In quo procul dubio, videtur vera communis sententia affirmans.* »

Quam sententiam tribus argumentis probat. *Primum* est: quia poenitens legitime dispositus, licet facta confessione, jus habeat ad sententiam et ad absolutionem, non tamen habet jus ad hoc, ut *statim* sententia proferatur. *Secundum:* quia ex communi Theologorum doctrina, Confessarius potest aliquando ob justas causas poenitentem obligare ad implendam poenitentiam ante absolutionem. - *Tertium* denique argumentum in extenso adferemus: « *171.* Ratio autem a priori est, quia Confessarius non solum est *judex,* ut dixi, sed etiam *medicus;* unde sicut in poenitentia imponenda ita exercet officium judicis punientis, ut debeat simul exercere officium medici curantis; atque adeo procurare, quod impositio poenitentiae sit in utilitatem et medicinam poenitentis, quo reddatur ma-

gis cautus et fortis contra tentationes: sic in proferenda absolutione, licet principaliter exerceat munus judicis absolventis poenitentem dispositum; debet tamen simul procurare, ut medicus, in ipsa absolutione curationem poenitentis, eo videlicet modo absolvendo, qui magis cedat in utilitatem et remedium aegroti: *ad utrumque enim habet jus Confessarius;* nec potest prohiberi a poenitente, quod in ipsa absolutione exerceat officium medici; sicut nec potest ab eo prohiberi, quod in impositione poenitentiae, non sit merus judex, sed etiam exerceat officium medici. - Cum ergo Confessarius judicat, expedire dilationem absolutionis ad hoc, ut poenitens reddatur magis cautus, et confirmetur in proposito non peccandi, nec ita facile postea relabatur; potest certe, et *debet aliquando, ut medicus, hoc remedium poenitenti adhibere,* nec potest aegrotus rationabiliter conqueri adversus medicum, cui se in hoc Sacramento curandum tradidit: *neque in hoc debemus recedere a sententia communi, cui adstipulatur experientia multorum poenitentium debilium, qui hoc remedio adhibito, brevi tempore solent curari;* et pro pueris potissimum videtur magis necessarium, qui hoc modo melius concipiunt necessitatem perseverantiae in proposito non peccandi.»

Docet ergo *Lugo,* Confessarium non tantum teneri aliquando recidivis absolutionem differre, *quatenus judex* est; sed teneri etiam, *quatenus medicus* est, quando censet, expedire dilationem ad hoc, ut poenitens reddatur magis cautus, et confirmetur in proposito non peccandi, nec ita facile postea relabatur.

2. *Ven. Paulus Segneri, S. J.,* in Opusculo jam saepius citato, *cap. 4.* ait: « *Expediet hujusmodi dilatio etiam circa illos recidivos, quos judicabis sufficienti proposito instructos ad recipiendam absolutionem.* Quia, ut fusius explicat, haec dilatio lethargum concutit, contritionem auget, et poenitenti novum robur ad fortiter certandum infundit. « *Atque in hunc modum communiter remedium istud ab Auctoribus traditur, estque in usu apud prudentes Confessarios magno fructu,* praecipue cum suaviora nihil profecerunt.... Spero fore ut usu ipso discas, *quot ex hoc remedio vitam suam mutaverint,* et inter has moderatae severitatis angustias constricti, pravas consuetudines tamquam pellem reliquerint, *quam multis annis dorso suo excutere nequiverunt.* »

Hujusmodi consuetudinariis dilatio certe *necessaria* fuit; si autem necessaria, Confessarius, suavioribus remediis frustra adhibitis, certe eam non tantum adhibere potuit, sed *debuit,* tum ex titulo charitatis, tum ex munere medici, quod Confessario, ut omnes conveniunt, aeque ac munus judicis incumbit, ipsumque obligat ad utendum remedio, quo poenitens demum ex statu periculoso pravae consuetudinis eximatur et ejus salus aeterna in tuto collocetur.

3. *Cardenas, S. J.,*[1] late refutat argumentum *Sancii,* consuetudinem peccandi, quae non distinguitur a multitudine peccatorum praeteritorum, utpote jam aliis confessionibus subjectam, jam esse sanatam; ad Confessarium autem non spectare, curare effectum peccati, sed ipsum peccatum. - Quocirca secundo loco respondet: « *N. 16.* Peccat secundo in eo, quod dicit, non spectare ad Confessarium, ut medicum spiritualem, adhibere medelam effectui peccati, scilicet inclinationi ad peccandum de futuro. Constat enim ex locis supra citatis Concilii Lateranensis[2] et Tridentini, spectare ad Confessorem, ut medicum, adhibere remedia *ad novae vitae custodiam,* quae sunt verba Tridentini. Et praeterea ipse Joannes Sancius ibidem admittit, posse et debere Con-

1) 2. Crisis, diss. 39. n. 14–17.

2) In cap. *Omnis utriusque:* « Prudenter intelligat, quale debeat ei praebere consilium, et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum aegrotum. »

fessarium imponere poenitentiam medicinalem ad vitandum recidivam; et disp. 13. asserit, posse Confessarium imponere poenitenti pro satisfactione medicinali aut frequentem confessionem pro tempore futuro, aut confessionem generalem. » Et concludit: « *Ergo constat, posse et debere Confessarium adhibere remedium ad vitandum recidivam.* »

4. *Wigandt* [1] ait: « Confirmat hoc *experientia,* qua compertum est, plurimos inveteratos peccatores, quibus peccandi consuetudo et facillimae absolutionis fiducia jam quasi callum obduxerat, *hoc unico medio fuisse emendatos.* »

5. *Viva, S. J.,* [2] haec habet: « Quando Confessarius judicat, dilationem absolutionis esse *necessariam* ad facilem relapsum impediendum, tunc *tenetur* illam differre; quando vero censet, illam esse quidem *utilem,* sed non necessariam, tunc erit *sanum consilium differre,* prout in Domino hic et nunc judicaverit. »

6. *Henno* [3] vero dicit: « Potest *interdum,* raro tamen, differri absolutio ad aliquot dies consuetudinario *bene disposito,* si judicet Confessarius, hoc *necessarium* esse ad extirpandam radicitus pravam consuetudinem. Et ratio est: quia Confessarius cum sit medicus, *potest et debet adhibere ea remedia,* quae prudenter existimat spirituali ejus sanitati necessaria. Remedium autem dilatae absolutionis potest esse valde efficax, praesertim respectu juvenum, peccatorum suorum gravitatem non satis apprehendentium. »

7. *Roncaglia:* [4] « Praeterea Confessarius qua medicus tenetur etiam futuros relapsus impedire, adeoque qua talis *debebit differre* absolutionem poenitenti *etiam rite disposito,* quando judicet ita *necessarium* esse ad obtinendam emendationem. Quando ergo putet poenitenti *utilem* futuram, quamvis non necessariam, absolutionis dilationem, *poterit illam qua medicus differre;* atque utilis saltem non raro esse poterit consuetudinario, dum etenim se a Sacramentis arceri videat, *multoties magis pro emendatione laborabit.* »

8. *Reuter, S. J.,* [5] ita scribit: « Ratio est; quia ad Confessarium utpote medicum pertinet non solum vulnera curare praesentia, sed etiam *media praeservativa* a relapsu adhibere. Hinc si dilationem judicaret *necessariam, teneretur differre* absolutionem; si autem non necessariam quidem, attamen *valde utilem,* non teneretur quidem, *posset tamen,* poenitente (licet hoc ordinarie non expediat) etiam invito. »

9. *Billuart* [6] quaerit: « Quomodo se gerere debeat Confessarius cum consuetudinariis et recidivis? » et respondet, consuetudinarium, qui remedia praescripta adhibuit et notabiliter emendatus est, absolvendum esse, licet aliquoties relapsus fuerit. Et ratio, quam allegat, ea est: quia relapsus vel mutabilitati voluntatis, vel fragilitati, vel reliquiis antiquae consuetudinis nondum penitus amotae, sed tamen retractatae et involuntariae, magis adscribendi sunt, quam malitiae et defectui propositi. - Additque: « Dixi: *qui remedia praescripta adhibuit, et est notabiliter emendatus.* Si ergo praescripta remedia adhibuerit, sed non sit notabiliter emendatus, praescriberem pro secunda vice remedia urgentiora, et iterum absolverem; defectus enim veri propositi magis ex neglectu remediorum, quam ex multiplici relapsu dignoscitur; quia facilius est adhibere remedia, quam abstinere a peccato propter vehementem in illud propensionem ex consuetudine... At vero si tertio accedat, *adhibitis quibusdam remediis, sed non emendatus notabiliter, differrem ad tempus absolutionem,* si non ut judex, saltem ut medicus, scilicet ut gravitatem peccati magis ap-

1) De poenit. exam. 5. n. 97. — 2) In prop. 60. Innoc. XI. n. 8. — 3) De poenit. disp. 7. q. 2. concl. 6. — 4) De poenit. q. 5. c. 4. q. 5. — 5) *Neo-Confess.*, P. 3. c. 1. n. 178. — 6) De poenit. diss. 6. art. 10. §. 6.

prehendat et relapsus magis pertimescat. Aliquando enim contingit, ut qui per plures absolutiones non fuerunt emendati, *absolutionis denegatione territi corrigantur.* »

10. *Antoine, S. J.*,[1] quaestionem ponit: « An Confessarius tenetur absolvere eum, quem prudenter judicat esse contritum et recte dispositum? » Et respondet: « Tenetur, nisi aliunde sit justa causa differendi absolutionem... Dixi: *nisi sit aliunde justa causa.* Nam si Confessarius, ex speciali poenitentis infirmitate et circumstantiis occasionum, quas vitare nequit, vel aliunde prudenter timeat ne brevi relabatur, vel ne non satisfaciat alicui obligationi urgenti, *nisi dilatione absolutionis efficacius a relapsu avertatur,* exciteturque ad citius satisfaciendum suis obligationibus, *potest et debet differre absolutionem.* Confessarius quippe, ut minister Sacramenti, debet non solum valide illud administrare, sed etiam *providere,* ut gratia per illud collata conservetur nec statim amittatur; et *ut medicus tenetur adhibere media* ad sanitatem stabilem procurandam ac conservandam apta. Nec poenitens est tunc rationabiliter invitus, cum id cedat in ejus bonum, et absolutio ei statim non expediat. *Ita de Lugo,* disp. 14. sect. 10. » (sequitur textus). « Et addit, sententiae huic communi adstipulari *experientiam multorum poenitentium, qui hoc remedio brevi tempore solent curari.* »

Articulus 3.

Ex eo quod durum sit poenitenti, vel per diem absolutione carere, haud recte infert cl. Ballerinius, ad differendam absolutionem, causam admodum gravem requiri.

P. Gury dicit n. 621. pag. 522.[2]: « Confessarius non est tantum judex, sed et *medicus;* ideoque si judicet, tale remedium animae poenitentis notabiliter profuturum esse, eo poterit prudenter uti. »

Ad quem textum, et quidem ad vocabulum: *notabiliter,* P. Ballerini sequentem adnotationem adjicit: « Quam *gravis debeat esse causa,* » propter quam Confessarius hoc *remedio, alioquin non necessario,* » *sed mere utili,* cum poenitente *dispósito* utatur, clare intelligitur ex » iis, quae super. num. 499. et 500. » disputata sunt. Ibi enim vidimus, » ex communi DD. sententia tam grave esse absolutionis beneficio quempiam invitum privari, *ut dilatio* » *ultra unam vel alteram diem* juxta » Suarez, Viva, Renzi, Fagundez, » Herincx, aliosque penes Salmanticenses (apud S. Alphonsum Lib. 6. » n. 490.) sufficientem causam praebeat, cur poenitens aut naturale » praeceptum non infamandi proximum in re gravi, aut divinum praeceptum de confessionis integritate » posthabere licite queat: quia (ut ait » *Lugo* de Poen. disp. 16. n. 416.) *gravis res est per triduum esse in statu* » *peccati; quod merito timere potest,* » *cum sit difficile habere verum actum contritionis; quare non parum faciet, si propter famam proximi per biduum differat confessionem.* Quinimo *S. Alphonsus* non » modo bidui, sed et unius diei dilationem nimiam censuit. *Sed mihi,* » inquit (l. c.) *videtur, durum esse* » *ei, qui est in mortali, manere sine* » *absolutione etiam per diem; et* » *huic non videtur dissentire Antoine* (Cap. 2. q. 13. resp. 3.), *ubi* » *dicit, absolute non teneri ad expectandum, qui est in statu culpae* » *mortalis.* Quocirca, si absolutio, » ut subjicit A. (sc. P. Gury) cum » communi, differenda non est, quando dilatio cadat in poenitentis haud » leve incommodum; facile patet, » quanta cum cautela ac prudenti » sobrietate, hoc remedium adhibere » Confessarius debeat. »

1. Duos casus prorsus disparatos hic confundit cl. Ballerinius. Durum

1) De poenit. c. 3. art. 3. q. 7. — 2) In altera edit. pag. 421.

utique esset, si poenitens vel per diem absolutione carere deberet *propter causam mere extrinsecam, sibi et saluti suae spirituali alienam.* Nequaquam autem durum, aut incommodum gravissimum dici potest, sed potius poenitenti *immensum beneficium* conferri dicendum est, si absolutio eum in finem ipsi procrastinatur, ut *contra relapsus muniatur, in proposito suo confirmetur,* ad majorem vigilantiam et diligentiam excitetur, ad Sacramenta cum uberiore fructu recipienda praeparetur, et eo demum perducatur, ut in statu gratiae, non tantum breviter et quasi per transennam, sed perseveranter conservetur.

2. Qui pravam consuetudinem contraxit, ut bene advertit *Cardenas,* semper in statu periculoso et in discrimine salutis aeternae versatur, etiamsi emendationem sincero animo sibi proposuerit et ex parte jam inchoaverit; quia quilibet pravus habitus hominem ad consueta peccata committenda inclinat et impellit, et semper timendum est, ne demum eo succumbat, qui non omni virium contentione obluctatur. Unde poenitens, qui absolutionis dilationem, qua Confessarius ejus salutem aeternam in tuto collocare intendit, libenter non acceptaret, irrationabiliter esset invitus. Quemadmodum, de *Lugo* [1] observat, aegrotus rationabiliter non potest conqueri adversus medicum, qui ingrata medicamenta adhibet, ut sanitatem ei restituat.

3. Satis autem hic manifestat P. Ballerini, quantum sibi exosa sit illa propositio, Confessarium posse aliquando per modum remedii absolutionem differre. Cum non facile aperte contradicere potuerit propositioni ab omnibus fere receptae, saltem velut meram speculationem eam exhibere et in praxi otiosam reddere conatur. – Non dantur plures causae, graves, vel graviores, vel gravissimae, ob quas consuetudinario rite disposito ex hoc titulo absolutionem differre liceret; sed una sola, videlicet *ut in proposito suo confirmetur, et ad majorem fervorem in extirpanda prava consuetudine excitetur.* – At vero ad hunc finem assequendum, dilatio absolutionis nunquam necessaria est, affirmat P. Ballerini, quia semper alia remedia suppetunt, quibus idem obtineri potest, quin poenitens beneficio absolutionis privetur. Cum autem ex altera parte, haec privatio sit res gravissima, sitque durum vel per diem absolutione carere; conclusio practica cl. Professoris in aperto est. Confessarius nunquam uti poterit remedio dilationis, sed semper alia remedia aequivalentia adhibere tenebitur. Et nequidem consentiente poenitente licita erit dilatio absolutionis; quia Confessarius nullum jus habet exigendi, quod non in bonum spirituale poenitentis cedit, sed potius in ejus praejudicium; et imprudenter ageret, ipsum ad consentiendum inducendo.

4. Quamvis igitur cl. Professor non omnino approbet sententiam *Joannis Sancii;* quamvis dicat, dilationem aliquando prodesse posse, non negandum videri contra sententiam tot Doctorum: nihilominus *quoad praxim convenit cum Sancio* (Disp. 9. n. 12.) dicente: « *Absolute tamen judico,* NUNQUAM *fore rectum consilium, absolutionem negare, quantumvis consentiat poenitens, supposito, quod licite possit impendi.* »

Articulus 4.

Verum non est, dilationem absolutionis adhiberi solius experimenti causa; et hujusmodi dilationem, teste experientia et ratione, parum prodesse.

P. Gury, n. 623. pag. 523. [2] quaestionem ponit: « An saepe expediat differre absolutionem poenitenti sufficienter disposito, remedii aut experimenti causa? »

1) Cfr. pag. 762. n. 1. — 2) In altera edit. pag. 422.

Ad quem textum, et quidem ad vocabulum: *experimenti,* P. Ballerini sequentem adnotationem subjungit: « Ad *experimentum* potius quam » ad *remedium* pertinere videtur, » quod absolutionem Confessarius differat ob dubium, non quidem de » futura in aliqua implenda obligatione constantia, sed de praesenti » poenitentis voluntate; quo spectare ex parte videntur, quae habet » *Lugo* (De Poen. disp. 14. n. 167.), » ubi, nemine forte e Doctoribus » ipsum praecedente, quaestionem instituit: *An aliquando, cum Confessarius posset credere probabiliter poenitenti dicenti, se hic et nunc habere dolorem et propositum, possit tamen ad* melius probandum *et confirmandum illud propositum, differre absolutionem per aliquot dies.* – At *frequentissima experientia* suadet, hanc viam » in eum scopum *minus idoneam* existere, ac *prorsus parum prodesse.* » Idque confirmat *ratio.* Quisquis » enim semet et Confessarium decipiat affirmando, se eam voluntatem habere, quam reipsa non habet, hic patienter quidem feret, » seque continebit, quousque absolutionem consequatur; non secus ac » alii semet et Confessarium decipientes, per aliquod tempus ante » paschalia festa a consuetis peccatis temperant, turpes amicitias » paulisper interrumpunt seu potius » suspendunt, etc., ut mox absolutionem facilius carpant; at quod » sola absolutionis dilatio voluntatem illam, quae forte prius deesset, induxisse putetur, atque adeo » certior Confessarius fiat de praesenti poenitentis dispositione, nihil » est quod solide suadeat. »

I. – 1. *P. Gury* quaestionem supra allatam minus exacte proponit; nemo quippe unquam asseruit, licere Confessario absolutionem differre poenitenti, quem *sufficienter dispositum* judicat, *solummodo ad experimentum capiendum.* Cl. Ballerinius autem expressionibus minus exactis Patris Gury utitur, ad miram confusionem in hanc quaestionem ingerendam.

2. *Cardinalis De Lugo* quaestionem a cl. Professore citatam, correcte ponit et correcte solvit. Supponit Confessarium, qui affirmationi poenitentis, se hic et nunc habere dolorem et propositum, credere posset; et quaerit: *An ad melius probandum et confirmandum ejus propositum,* absolutio ipsi differri possit? In responsione autem inter utrumque finem bene distinguit, ut ex textu, pag. 761. n. 1. allato patet. – Si Confessarius probabiliter quidem poenitenti credere posset, at vero *de ejus dispositione non satis ipsi constat* propter alias rationes, absolutionem differre potest et debet; et in hoc casu absolutio utique differtur *ad probandum propositum* poenitentis. – Si vero Confessarius non tantum probabiliter credere posset, sed etiam aliunde nihil obstat, *quominus ipsum satis dispositum judicet,* Lugo justam et rationabilem causam requirit, ut absolutionem differre liceat, et aliam non admittit, *praeter salutem et utilitatem spiritualem poenitentis:* « Cum ergo Confessarius judicat, expedire dilationem absolutionis ad hoc, ut poenitens reddatur magis cautus et confirmetur in proposito non peccandi, nec ita facile relabatur, potest certe et debet aliquando, ut medicus, hoc remedium poenitenti adhibere. »

3. In Cap. *Omnis utriusque* dicitur, Confessarium debere adhibere remedia, « *diversis experimentis utendo ad salvandum aegrotum.* » Ergo Confessarius uti potest *experimentis* ad poenitentem *salvandum,* nunquam autem ad eum *tentandum.* Si quis, solummodo experiundi et tentandi causa, poenitenti sufficienter disposito absolutionem differre vellet, temerarie, injuste et impie ageret, et ex communi sententia jus poenitentis ad absolutionem graviter violaret. Utique autem Confessarius

poenitenti, de cujus proposito sibi non satis constat, absolutionem differre potest et debet, *ad probandum ejus dispositionem, ut judicium requisitum ad conferendam absolutionem ferre possit*, et quidem primarie hunc finem, quamvis secundarie etiam *salvationem* poenitentis, intendat.

II. At vero cl. Ballerinius contra praxim differendae absolutionis invocat experientiam simul et rationem.

1. Ait enim: « *At frequentissima » experientia suadet, hanc viam in » eum scopum minus idoneam exi- » stere, ac prorsus parum prodesse.* » Quaerimus autem, undenam hoc habeat, quod frequentissima experientia hanc viam minus idoneam esse suadeat? Ex propria experientia id certe non dicit, quia eamdem viam non admittit; omnes autem DD., paucis exceptis, contrariam experientiam testantur, ut ex testimoniis fere innumeris jamjam allatis, satis superque patet.

2. Subjungit: « *Idque confirmat » ratio; quisquis enim semet et Con- » fessarium decipiat affirmando, se » eam voluntatem habere, quam re- » ipsa non habet, hic patienter qui- » dem feret, seque continebit, quo- » usque absolutionem consequatur.* » Sed novam hic confusionem excitat. Supponit poenitentem semetipsum decipientem, et de voluntate, quam reapse non habet, sibi blandientem; at vero si quis poenitens dilationem absolutionis patienter acceptans, remedia praescripta adhiberet, sibi vim inferret et a peccato abstineret, nihilominus autem intenderet post receptam absolutionem peccare ut antea: is jam non semetipsum, sed Confessarium ex industria sacrilega deciperet. Sacrilegus ad confessionem accederet et sacrilegus reverteretur. Hujusmodi autem poenitens vix cogitari potest, supposito, quod rite instructus sit, et sponte accedat, ut a peccatis suis absolvatur. — Si vero quis hucusque eodem modo relapsus est, quia revera semetipsum decipiens, quamcunque peccati detestationem, et (ut ita dicamus) velleitatem emendationis pro sufficienti dolore et proposito habuit, et ad laborem omniumque virium contentionem se adstrictum non existimavit; post absolutionis dilationem autem remedia adhibet, aliquoties saltem resistit, et emendationem saltem inchoat: id certe vero emendationis studio impulsus praestabit, et ideo sufficientem dispositionem demonstrabit.

III. Ex hucusque discussis concludimus, dilationem absolutionis esse *efficacissimum remedium*, quando adhiberi potest.

1. Ipsa namque somnolentos excutit, ne in somnum incidant mortis, illusos a fallacia peccati quasi candens carbo excitat, ut aperiant oculos, recogitent corde et gravitatem sui status agnoscant; imo alios jam satis dispositos multo magis disponit, ita ut cum contritione perfectiori ac firmiori proposito redeant, praesertim si Confessarius eos ad orandum determinavit, eosque interim ipsemet Deo commendat.

2. Qua de re egregie advertit *D. Gaume*:[1] « Pour un grand nombre de pécheurs, le mal est plutôt dans l'entendement que dans la volonté, car ils ne connaissent pas l'énormité du péché mortel. Or, il n'est rien qui les réveille et les fasse mieux rentrer en eux-mêmes, que le délai de l'absolution pendant quelques jours; *croyez bien que c'est un des moyens les plus efficaces* pour remettre dans le bon chemin un pécheur égaré. Bien que de courte durée, ce délai de l'absolution produit d'ordinaire le même effet qu'un bouton de feu qui, appliqué à propos, secoue merveilleusement le malade

1) *Manuel des confesseurs*, n. 367. in fine.

et dissipe sa léthargie, qui était près de se changer en sommeil de mort. Le pénitent confus apprend par là à connaître son mauvais état, il y pense, il prend ses précautions pour en sortir. Ce délai le touche de componction, et *s'il est déjà contrit, il augmente singulièrement la contrition.* Ainsi, *son repentir,* qui jusquelà faible et languissant, l'aurait facilement laissé succomber aux simples attraits de l'objet présent, *se fortifie, et sait résister aux plus redoutables assauts.* Enfin, il remporte la victoire, obtient un parfait amendement, *et rend le pécheur plus difficile à retomber;* car il est très-vrai que *non esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset etiam tanta facilitas absolvendi.* »

3. Recole etiam sapientissima monita, tum *S. Leonardi a Portu Mauritio,* concludentis cum Aversa: « *ipsa enim praxi constat, hanc dilationem saepe juvare* » [1]; tum *Ven. Segneri,* [2] et Patris *Joan. Reuter,* e Soc. Jesu; [3] *Josephi Jorio,* [4] necnon *Cardinalis de Lugo* aliorumque Auctorum, qui superius pag. 761. et seqq. allegantur.

§. 2.

S. Alphonsus, loquendo de Recidivis ex fragilitate intrinseca, nequaquam discedit a sententia communi, ut ad rigidiorem viam declinet.

P. Gury, n. 623. pag. 523. [5] dicit: « Raro differenda est absolutio poenitenti disposito, nisi ipse dilationem sat facile acceptet; secus enim difficilius ipsi prodesset. Ceterum *certa regula statui nequit.* »

Ad haec ultima verba, P. Ballerini sequentem adnotationem adjicit: « Ita sapienter S. Alphonsus; cum » enim poenitens in casu supponatur » dispositus ad gratiam in Sacramen» to recipiendam; hoc autem immen» sum beneficium differri non debeat, » nisi propter majorem quamdam » poenitentis utilitatem; judicium » ergo desumi debet a proportionato » exitu, qui ex dilatione expectari » queat; cumque hoc judicium pen» deat a prudenti consideratione » omnium adjunctorum, valet hic » proinde illud veterum, quod *de* » *particularibus non datur scientia;* » atque idcirco nulla certa regula » tradi potest. *Expedire* (inquiunt » *Salmantic.* De Poen. cap. 5. n. 68.) » *hic et nunc, abstrahendo a cir*» *cumstantiis, certo determinare* » *non possumus, cum ex pluribus* » *pendeat, quae facile pro subjecto*» *rum varietate variantur; unde il*» *lis mature pensatis, ad prudentum* » *spectabit arbitrium, hic et nunc* » *absolutionem impendere, vel ad* » *tempus differre* ... – Indicare ta» men *S. Alphonsus* non omittit, » quandonam, generatim loquendo, » majoris hujus utilitatis exitus spe» rari vix possit. Sic enim ipse » (Lib. 6. n. 463.): *Ut meum hic* » *judicium proferam, dico, quod si* » *poenitens relapsus sit ob causam* » *seu fragilitatem intrinsecam, ut* » *accidit in peccatis pollutionis, de*» *lectationis morosae, odii, blas*» *phemiae, et similium;* RARO *puto* » *differendam absolutionem recidivo* » *sufficienter disposito... Dixi, raro;* » *nam regulariter censeo, non esse* » *discedendum* A SENTENTIA COMMU» NI... *nempe non esse differendam* » *absolutionem poenitenti, qui rela*» *psus est ex intrinseca fragilitate;* » *quia in tali poenitente magis spe*» *randum, profuturam fore gra-*

1) Vid. supra, pag. 751. — 2) Pag. 703. — 3) Pag. 709. — 4) Pag. 726. nota. — 5) In altera edit. pag. 422.

» *tiam Sacramenti, quam dilatio-*
» *nem absolutionis.* – Ex quo con-
» textu *concludere quis posset,* quod
» si S. Alphonsus, dum suum judi-
» cium profert, nonnihil discedit *a*
» *communi sententia,* non discedit,
» ut ad benigniorem, sed ut ad *ri-*
» *gidiorem* viam declinet. Significat
» enim, a communi sententia se in
» eo discedere, quod *aliquando,* licet
» *raro,* ejusmodi recidivis differen-
» dam absolutionem dicat, *cum com-*
» *munis sententia, ipso attestante,*
» *non differendam doceat.* Et huc
» sane revocare quis poterit illa ejus-
» dem *S. Alphonsi* (n. 460.) verba:
» *Puto, nequaquam errare eum, qui*
» *se dirigit cum sententiis commu-*
» *niter receptis ab hujusmodi Docto-*
» *ribus non humilis notae.* »

I. Cl. Professor hic citat textum S. Doctoris: « *Dixi, raro; nam re-*
» *gulariter censeo, non discedendum*
» *a sententia communi ... nempe,*
» *non esse differendam absolutionem*
» *poenitenti, qui relapsus est ex in-*
» *trinseca fragilitate; quia in tali*
» *poenitente magis sperandum, pro-*
» *futuram fore gratiam Sacramenti,*
» *quam dilationem absolutionis.* » – Ex contextu, ut dicit, concludere quis posset, S. Alphonsum discedere a sententia, quae ipso attestante dicit, ejusmodi recidivis absolutionem non esse differendam, et non discedere ut ad benigniorem, sed ut ad rigidiorem declinet. – Dicit: « *concludere quis posset* »; verum iste *quis* alius non est quam ipse cl. Professor, quia concludentem nullo modo increpat aut reprehendit, quod inepte concludat. Respondere cogimur; sed non sine taedio respondemus.

1. Nullum lectorem sensatum et attentum fugere potest, in ista propositione nonnisi constructionem minus correctam esse, et vocem *regulariter,* quae ad secundam partem propositionis pertinet, sive ex lapsu calami, sive ex errore copistae aut typographi, in primam translatam fuisse; ita ut constructione correcta, legendum sit: « *Dixi raro; nam* » *censeo non esse discedendum a sen-* » *tentia communi, nempe* REGULARI- » TER *non esse differendam absolu-* » *tionem poenitenti,* etc. » Et hanc propositionem alium sanum sensum non admittere, tum ex immediate praecedentibus, tum ex ipsa propositione manifeste patet.

2. S. Alphonsus *num. 462.* dicit: « *Certum est et commune apud* » *omnes, quod possit Confessarius* » *differre absolutionem poenitenti* » *etiam disposito,* et etiam sine ejus » consensu, semper ac prudenter ju- » dicet dilationem esse utilem ejus » emendationi. » Multos Auctores citat, et addit: « *contra paucos.* »[1] – Supponit ergo de hac quaestione nullam controversiam esse; et ideo *num. 463.* dicit: « *Magnum dubium,* » *quod vertit, est: an hoc remedium* » *dilatae absolutionis saepius expe-* » *diat adhibere vel ne poenitenti* » *jam sufficienter disposito.* » Solum Thomam Hurtado citat, qui sentit *semper* expedire differre absolutionem consuetudinariis; aliquos Rigoristas docentes, hoc remedium ipsis *necessarium* esse; plures Auctores, qui in genere tenent, *raro* expedire; nullum autem pro sententia, consuetudinariis recidivis sufficienter dispositis *nunquam* absolutionem esse differendam.

3. Porro in eodem *num. 463.* in propositione de qua agimus, S. Doctor post verba: « *non discedendum esse a sententia communi* », permultos Auctores citat, inter quos autem nullus est, qui doceret, relapsis ex intrinseca fragilitate satis dispositis absolutionem *nunquam* esse differendam; sunt autem aliqui, quos supra citaverat pro sententia, dilationem absolutionis *raro* expedire, prout Dicastillo, Salmanticenses et Lacroix, quem S. Alphonsus citat, addens: « *cum communi, ut asserit.* »

1) Cfr. supra, pag. 752. cap. II.

4. Unde si quis concluderet, ipsum S. Alphonsum attestari, sententiam, quae docet, praedictis recidivis absolutionem *nunquam* esse differendam, *communem* esse; id aut inepte aut malitiose concluderet. Quis enim sana mente praeditus sententiam aliquam communem dicet, et ad hanc assertionem probandam permultos DD. citabit, qui oppositam tenent, imo hanc oppositam communem esse testantur?

5. Porro, S. Doctor eamdem quaestionem pertractat in Opere: *Homo Apostolicus,* Tr. ult. n. 14.; et ibidem non tantum constructio propositionis correcta est, sed insuper praefata sententia *communissima* dicitur: « Ego ita censeo: Si poenitens » relapsus est ex fragilitate intrinseca, prout accidit in peccatis irae, » odii, blasphemiarum, mollitiarum, » aut delectationum morosarum, *dico* » *cum sententia communissima Doctorum* (Lib. 6. n. 463. v. *Ut autem*), *quod raro expedit differre* » absolutionem recidivo, cum ille est » dispositus: nam sperari debet, magis gratiam Sacramenti, quam dilationem absolutionis illi prodesse » posse. » – Idem quoque iisdem fere verbis dicit in *Praxi Confessarii,* cap. 5. n. 76.; et ibidem iterum lectorem ad Theologiam moralem, lib. 6. n. 463. v. *Ut autem,* delegat. Hinc ipsemet authentice suam propositionem interpretatur.

6. P. Ballerini bene novit, quae S. Alphonsus dicit in textibus immediate praecedentibus; bene novit, quomodo S. Doctor in Opere: *Homo Apostolicus,* et in *Praxi Confessarii* doctrinam suam explicet; bene novit, quid doceant Doctores pro sententia communi a S. Alphonso allegati; consulto eosdem DD. in textu allato praetermisit: et nihilominus dicit: « *concludere quis posset.* » – Imo, hanc conclusionem ulterius prosequens, addit: « *Et huc sane revocare quis poterit illa ejusdem S. Alphonsi* (n. 460.) *verba:* « *Puto nequaquam errare eum, qui se dirigit cum sententiis communiter receptis ab hujusmodi Doctoribus non humilis notae.* » – *Sane poterit:* ergo omnino assentitur. Utrum autem ejusmodi agendi ratione, Theologo haud digna, cl. Ballerinius tum veritatis, tum ipsius S. Alphonsi jura servaverit, ex dictis facile quisque judicare poterit.

II. Eum, quem modo exposuimus, genuinum esse sensum doctrinae S. Alphonsi, confirmatur etiam ex *Causa Beatificationis.* – Inter alias difficultates, quibus olim Promotor Fidei (a cl. Ballerinio omnino dissentiens) probare contenderat, doctrinam de Recidivis a S. Doctore traditam, nimis benignam esse, sequens legitur Animadversio: [1] « *Vix etiam defendi potest* (Ven. Ligorius) *ab imprudenti luxuriantium ingeniorum sequela, dum ait Lib. 6. n. 464., ordinarie loquendo magis prodesse consuetudinariis, recidivis et occasionariis, absolutionem eis impertiri, cum dispositi accedunt per signum extraordinarium doloris...; contra mentem Alexandri VII. et Innocentii XI., qui adeo severe in suis Constitutionibus ne ii cito et facile absolvantur, praeceperunt.* »

Haec a Promotore Fidei objecta, pluribus argumentis egregie diluit Defensor Causae; e quibus pauca tantum ad rem nostram spectantia decerpere liceat: [2] « Prudenter item » (Ven. Ligorius) secernit relapsum » ob fragilitatem seu causam *intrinsecam,* puta odii, pollutionis, delectationis morosae et similium, a » prolapsu ex occasione *extrinseca,* » ut est concubina, famula cum qua » peccatur, aliaque externa hujusmodi occasio. – *In primo casu,* » *autumat cum gravissimis Docto-*

1) *Nova Positio super Virtutibus*, Romae 1806. Animadv. n. 22. — 2) Ibid. Respons. n. 114. et seqq.

» *ribus, raro differendam absolutio-*
» *nem,* et si expediat, non differen-
» dam plusquam ad octo, vel decem
» dies. In secundo vero casu relapsus
» ex occasione extrinseca, docet ab-
» solutionem omnino differendam es-
» se, usquedum tollatur occasio, si
» sit voluntaria; si vero necessaria,
» donec periculum recidendi ex pro-
» ximo fiat remotum... Ad emenda-
» tionem assequendam in occasioni-
» bus *intrinsecis,* ideo *raro differen-*
» *dam* absolutionem docuit, quia
» *S. Thomas,* Card. *Toletus, La Croix,*
» *aliique gravissimi DD., quorum*
» *sententias refert,* uno ore affir-
» mant, hoc Sacramentum maximum
» esse fraenum ad rebelles passiones,
» quae intrinsecae in nobis sunt,
» edomandas... Luxuriantiane inge-
» nia sequitur, qui recidivis ex oc-
» casione intrinseca, sacramentalis
» absolutionis gratiam remedium es-
» se ad fraenandas passiones docet,
» quia id *Rituale, S. Thomas, La*
» *Croix, aliique DD., et S. Philip-*
» *pus Nerius* docuere? Si *qui hos*
» *Magistros sequitur,* luxuriantia
» ingenia sequitur, libenter causa
» cado. – Quid vero quod *imprudens*
» ipse fuisset, ni sapienter discer-
» nens recidivos ex occasione extrin-
» seca, ab aliis ex occasione intrin-
» seca, *illis absolutionem differen-*
» *dam, his concedendam* docuisset?
» *Diuturna* enim *quadraginta an-*
» *norum experientia* (quotquot sa-
» cris expeditionibus vacavit), didi-
» cerat, quantanam absurda ex ri-
» gidissima illa, minusque cauta pra-
» xi dimanant, qua nonnulli recidi-
» vos omnes, nulla facta distinctione,
» absque sacramentalis absolutionis
» gratia dimittunt; quemadmodum
» ipse confessarios illos alloquens,
» qui hac regula generali utuntur,
» scribit n. 464.: *Hos magistros meos*
» *rogarem, numquid recidivi, cum*
» *sine absolutione dimittuntur gra-*
» *tia Sacramenti carentes, omnes*
» *validiores fiunt, et emendantur?*
» *Quot miseros ipse cognovi, qui ob*
» *denegatam absolutionem, se deje-*
» *cerunt in desperationem, et per*
» *plures annos a Sacramentis aversi*
» *aberrarunt?...* Ex iis vero, quae
» hactenus disseruimus, vindicatur
» non modo *prudentia doctrinae*
» quam Ligorius in sua Morali tra-
» didit, sed eximia item sapientia
» Sacri hujusce Consessus, qui in Li-
» gorii doctrina *nihil esse censura*
» *dignum* jam declaraverat, ac Sum-
» mi Pontificis Optimi Maximi justi-
» tia, qui *Decreto illi tanta judicii*
» *maturitate lato, Apostolicae fir-*
» *mitatis robur adjecit...* »

§. 3.

Merito docet S. Alphonsus, Recidivo in occasione proxima necessaria constituto, ordinarie, quando commode fieri potest, differendam esse absolutionem.

In praefata Adnotatione, cl. BALLERINIUS, ad aliam quaestionem transiliens, pag. 524. [1] sic prosequitur: « Quod vero paulo aliter sentiat » (S. Alphonsus) de iis, qui proxima » aliqua peccandi occasione impli- » cantur, melius explanandum infra » recurret. [2] Illud unum advertere » nunc liceat, B. Alphonsum, dum » *(n. 464.)* multis confirmare studet » id, quod dixerat, relabentibus *ex* » *fragilitate intrinseca* regulariter » non differendam esse absolutionem, » propterea quod sperandum sit, *ma-* » *gis profuturam gratiam Sacra-* » *menti, quam dilationem absolu-* » *tionis,* in eam rem attulisse haec » quoque *Salmanticensium* verba, ex

1) In altera edit. pag. 423. — 2) Quid uberius hac ratione cl. Professor dicat, jam supra audivimus, pag. 605. quaest. 22.

*

» Tract. de Poen. cap. 5. n. 68.: *Cur* » *de peccatore non habente gratiam* » *per dilationem, quam de consti-* » *tuto in amicitia Dei per absolu-* » *tionem, melius sperandum est?* » Porro Salmanticenses id reipsa de » relabentibus non ex mera intrin- » seca fragilitate, sed etiam *ex oc-* » *casione* peccandi, a qua separari » vel physice vel moraliter non pos- » sint, prorsus affirmant; ac malunt, » ut his quoque, non interposita ab- » solutionis dilatione, v. gr., ad octo » dies, absolutionis beneficium gra- » tiamque sacramenti potius bis con- » feras, hodie nimirum et rursus » post octo dies. – His consentit et » *Joan. Bapt. Faure* (Dubitationes » Theol. etc. dub. 4. sect. 8.): « *Poe-* » *nitenti disposito utilius est, cae-* » *teris paribus, Ecclesiae Sacramen-* » *ta bis recipere, quam semel; id est,* » *utilius est absolvi hac die Domini-* » *ca et etiam communicare, et iterum* » *absolvi et communicare sequenti* » *die Dominica, quam sola sequenti* » *die Dominica id ipsum facere, non* » *autem nunc. Gemina enim Sacra-* » *mentorum susceptio majorem in* » *hoc saeculo gratiam sanctifican-* » *tem, majorem in futuro saeculo* » *gloriam, et in utrumque finem,* » *copiam uberiorem auxiliorum me-* » *retur et confert.*»

» Qua de re haud inutile fuerit ea » afferre, quae habet *Joan. de Di-* » *castillo* (de poenit. disp. 10. dub. 29. » n. 573-578.), ac sequuti sunt Sal- » manticenses: « *Quid* (inquit) *si va-* » *riis mediis tentatis adhuc misere* » *reincidat? Hic profecto haerent* » *non pauci, et fateor me haesisse* » *non raro. Quod enim dicunt ali-* » *qui, differendam esse illis* aliquo- » ties *absolutionem, donec aliqua* » *appareat emendatio, id experien-* » *tia compertum est non raro noce-* » *re, nisi fiat interim dum melius* » *instruitur, et cogitatur de re tota* » *juxta ea quae dixi Disp. 6. dub. 21.*»

Dein cl. Professor per tres fere paginas textus ex *Dicastillo* citat, quos omnes afferre inutile esset. Sufficiant sequentes ad sententiam Dicastilli explicandam:

« Rationem autem horum *(ibid.* » *n. 577.)* sic reddit: « *Haec doctri-* » *na sic, quantum a me fieri pot-* » *est, declaratur. Vel illa absolutio* » *tunc est neganda propter frequen-* » *tiam peccandi, vel propter occa-* » *sionem non vitatam. Non propter* » *hoc ultimum, quia non tenetur hic* » *et nunc, ut supponimus, vitare; non* » *propter illud prius, ut probat dis-* » *cursus factus, quia illa negatio ab-* » *solutionis vix potest prodesse, nisi* » *forte rarissime, magisque proderit* » *frequentia Confessionis et frequens* » *beneficium absolutionis. Ergo ex* » *nullo capite erit neganda,* SI ALIO- » QUIN SIT CAPAX POENITENS. »

» His demum, quae et Salmanti- » censes *(l. c.)* adoptarunt, rem con- » cludit (n. 578.): « *Sicut ergo in* » *peccatis, in quibus nec moraliter* » *nec physice potest occasio tolli,* » *ut contingit in peccato mollitiei,* » *potius Doctores et usus Confessa-* » *riorum habet injungere frequen-* » *tiam confessionis apud eumdem* » *Confessarium, quam venientem* » *absolutione privare; sic in his pec-* » *catis, in quibus, si non physica,* » *saltem moralis impossibilitas aver-* » *tendae occasionis reperitur, non* » *videtur exigendum remedium se-* » *parationis occasionis, nec reme-* » *dium denegandae absolutionis, cum* » *hoc Sacramentum Christus institu-* » *erit non solum ad delenda prae-* » *terita, sed ad praecavenda futura* » *peccata. Negata vero absolutione,* » *vel (quod idem est in praesenti) di-* » *lata, negatur Sacramentum, atque* » *adeo remedium a Christo institu-* » *tum contra futura peccata. Quis* » *autem unquam vidit, oportere* » *privare aegrotum, alioquin capa-* » *cem remedii, optimo et maximo* » *remedio ad sanandum vulnus, ut* » *vulnus sanetur? Itaque concludo,* » *vix oportere uti, quando poeni-* » *tens est capax absolutionis, hujus-* » *modi remedio, nisi forte quando*

» *per breve tempus differatur abso-*
» *lutio, ut adhuc perfectius, si id*
» *speratur, disponatur ad accipien-*
» *dam... absolutionem...; raro enim*
» *ex mera dilatione absolutionis pot-*
» *est sperari correctio. Et sane non*
» *video, cur melius* (quae sunt verba
» prius a Salmanticensibus, et dein
» a S. Alphonso transcripta) *speran-*
» *dum sit de peccatore tantum at-*
» *trito, atque adeo non habente gra-*
» *tiam et amicitiam Dei ante col-*
» *latam absolutionem, quam de illo*
» *ipso jam constituto in amicitia*
» *Dei per absolutionem collatam.*
» *Quod si accesserit non jam attri-*
» *tus tantum, sed contritus, multo*
» *magis mihi videtur durum et ab-*
» *sonum, amicum Dei et amantem*
» *illum super omnia, non jam pro-*
» *pter peccata praeterita, sed propter*
» *metum futurorum, beneficio Sa-*
» *cramenti et absolutione privare.*»

Ad hanc adnotationem respondebimus: 1. Exponendo doctrinam tum *Salmanticensium*, tum *S. Alphonsi;* 2. Dein paucis perpendemus sententiam *Dicastilli*, cui adhaeret cl. Professor.

Articulus 1.

Exponitur doctrina Salmanticensium et S. Alphonsi, circa Recidivos in occasione proxima necessaria constitutos.

I. Advertit primum P. Ballerini, S. Alphonsum inter rationes, cur recidivo ex fragilitate intrinseca absolutio regulariter non differenda sit, illam etiam ex *Salmanticensibus* adferre: «*Cur de peccatore non habente gratiam per dilationem, quam de constituto in amicitia Dei per absolutionem, melius sperandum est?*» — Salmanticenses autem, ait cl. Professor, id non tantum de recidivis ex fragilitate intrinseca, sed etiam de relabentibus *ex occasione extrinseca necessaria* affirmant.

Verum *Salmanticenses* non loquuntur de hisce relabentibus in genere, sed de casu particulari, quo quis, *remediis adhibitis*, adhuc misere relabitur. At hujusmodi recidivo, juxta S. Doctorem, similiter absolutio raro differenda est; et ideo bene illam rationem adducere potuit.

II. Falsum est, quod Salmanticenses sententiam Dicastilli sequantur; nec vera sunt alia, quae cl. Professor ipsis tribuit.

Etenim *Salmanticenses*, Tr. 6. c. 5. punct. 4., quaestionem ponunt, *an recidivo in occasione necessaria absolutio differri possit et expediat*, si poenitens prudenter credatur accedere cum legitimo dolore et proposito non peccandi, et paratus sit remedia adhibere a Confessario praescribenda? - Porro hanc quaestionem sequenti modo explicant:

« 67. Qua in re, sunt *aliqua communiter recepta.* Primum, posse *ex consensu poenitentis*, differri in casu nuper posito absolutionem. Secundum, quando dilatio necessaria est *ad explorandum firmum propositum* confitentis, de quo non satis constat, *posse et debere differri.* Tertium, si ex circumstantiis, Confessarius prudenter judicet, confitentem *non habere veram aversionem a peccato, quantumvis asseveret, se dolere et verum habere propositum*, negandam esse absolutionem. Si enim Sacerdos id prudenter non credit, non habet judicium requisitum, ut possit absolutionem impendere. Ita Lugo, Palaus et Dicastillus, citati. Quartum, quando poenitens est sufficienter dispositus, et ex dilatione absolutionis *timetur damnum potius spirituale, quam speretur utilitas poenitentis*, ut puta, quod taedio affectus non redibit, vel in desperationem actus habenas vitiis laxabit, etc., non posse licite differri. Quintum, *si Confessarius prudenter timeat, semel absolutum poenitentem non amplius curaturum data servare promissa et adhibere remedia, nisi ob dilatam absolutionem deterritus, melius gravitatem peccatorum et periculosum statum, in quo est, agnoscat: ipsam prudentiam et charitatem exigere talis remedii usum.* Ita *Dicastillus* loc. cit. n. 374.;

et cum multis *Thomas Hurtado* dict. resol. 21. n. 206. »

« *68.* Tota jam controversia devolvitur: *An absque poenitentis consensu, quamvis hic et nunc probabiliter putetur dispositus, absolutionem differre liceat, vel expediat, cum, aliquibus ex supra dictis mediis tentatis, adhuc misere reincidat?* – Et quidem si prudenter, attentis omnibus circumstantiis, judicetur, hoc remedium differendi absolutionem *profuturum, aut non nociturum:* licere quidem, *imo expedire non dubitamus;* cum Confessarius non solum judicis, verum etiam medici munus exerceat: ut bene tradunt *Dicastillus, Card. de Lugo, Thomas Hurtado,* citati; et alii passim. *Expedire vero hic et nunc, abstrahendo a circumstantiis, certo determinare non possumus; cum ex pluribus pendeat,* quae facile pro subjectorum varietate variantur; unde illis mature pensatis, ad prudentum spectabit arbitrium, hic et nunc absolutionem impendere, vel ad tempus differre, prout expediens judicaverint. – Et quamvis absolute remedium differendi absolutionem valde placeat *Thomae Hurtado* loc. cit. a *n. 160.* et deinceps, ubi inter alia sic ait: « *Neque ad hoc requiritur poenitentis consensus; si enim sua voluntate absolutio differtur, non erit ita efficax remedium, siquidem non mordet acriter: acre enim remedium exigit infirmitas radicata, ut evellatur. Quare hic et nunc aptius et efficacius remedium est negatae absolutionis, quo veluti scalpro et ligone, eradicetur mala consuetudo, quam suave beneficium absolutionis, etiam impendentis gratiam et sanctitatem, quae a vepribus et spinis malae consuetudinis et occasionis peccandi, cito arescit ac suffocatur; at timore negatae absolutionis paulatim eradicatur mala consuetudo, non crescunt vepres peccatorum, et sic diutius gratia et sanctitas conservantur, vel non ita citius relabuntur. Etenim natura corrupta efficacius emendatur, et ad Deum convertitur timore, quam suavitate et indulgentia* »: e contra vero *Dicastillus* [1] asserit, hoc acre remedium experientia compertum esse, non raro nocere, nisi fiat interim ad horam, vel tempus, dum melius poenitens instruitur, vel aliquid juxta prudentiae regulas praescribitur; magisque saepius prodesse, non immerito censet, frequentiam confessionis et frequens beneficium absolutionis; sicut in peccatis, in quibus nec physice potest occasio penitus tolli, ut contingit in peccato mollitiei, potius Doctores et usus Confessariorum habet injungere frequentiam confessionis apud eundem Confessarium, quam venientem absolutione privare: sic in illis peccatis, in quibus, si non physica, saltem moralis impossibilitas avertendae occasionis reperitur, frequentia potius quam dilatio, saepius juvabit aegrotum alioqui remedii absolutionis capacem, cum Christus sacramenta instituerit, non solum ad delenda peccata praeterita, sed praecavenda futura. Praeterea, cur de peccatore tantum attrito, atque adeo non habente gratiam et amicitiam Dei ante collatam absolutionem, quam de illo ipso jam constituto in amicitia Dei per absolutionem collatam, et Sacramenta frequentante persaepe, melius sperandum est? »

III. Ex hisce Salmanticensium textibus sequentia patent:

1. Salmanticenses non dubitant licere, imo *expedire aliquando absolutionem differre;* attamen, abstrahendo a circumstantiis, certo determinari non posse censent, utrum id expediat hic et nunc.

2. Duos Auctores ex diametro sibi oppositos allegant: nimirum *Thomam Hurtado,* qui tenet, dilationem absolutionis semper expedire, et ideo

1) De sacr. poenit. disp. 10. dub. 29.

semper adhibendam esse; et *Dicastillum,* qui tenet, absolutionem *nunquam* differendam esse, quia dilatio vix potest prodesse, nisi forte rarissime. Verum neutram sententiam approbant, sed mediam viam tenent, jam supra indicatam, scilicet dilationem *aliquando* expedire.

3. P. Ballerini affirmat, quod Salmanticenses sententiam Dicastilli sequantur; sed oppositum manifeste patet ex textu allato: « Magisque *saepius* prodesse, non immerito censet, frequentiam confessionis et frequens beneficium absolutionis. » Porro: « Frequentia, potius quam dilatio, *saepius* juvabit aegrotum, alioqui remedii absolutionis capacem. » Si autem *saepius* tantum: ergo *aliquando* magis dilatio proderit, magisque aegrotum juvabit; ideo Salmanticenses nonnisi cum hac restrictione sententiam Dicastilli admittunt, et ejus argumenta allegant. Quod ceterum jam ex dictis in prooemio patet.

4. Dicit insuper P. Ballerini, quod Salmanticenses « *malunt, ut his quo-* » *que, non interposita absolutionis* » *dilatione, v. g. ad octo dies, absolu-* » *tionis beneficium gratiamque Sa-* » *cramenti potius bis conferas, hodie* » *nimirum et rursus post octo dies.* »- Sed de hac re, ut vidimus, Salmanticenses ne verbum quidem habent; et cl. Professor (quo nescimus modo) ipsis tribuit, quod *P. Faure* dicit in suis Dubitationibus.[1] Ceterum, omnes conveniunt, saepius relabentibus, sive ex fragilitate intrinseca, sive ex occasione extrinseca necessaria, *frequentem confessionem* perutilem, imo interdum necessariam, et ideo summopere commendandam esse.- Sola quaestio est, *an liceat et expediat, aliquando* etiam recidivo satis disposito *absolutionem differre,* ut haec dilatio ipsum ad melius vigilandum et fortius resistendum impellat. Quod mordicus negat Dicastillus contra communissimam DD. sententiam.

IV. Ab hac genuina Salmanticensium doctrina, quam modo exposuimus, nullatenus discrepat S. ALPHONSUS.

1. Lib. VI. *num. 455.* S. Doctor dubium proponit: « *An possint absolvi,* » *qui sunt in occasione proxima ne-* » *cessaria?* » Affirmative respondet, et speciatim inquirit, an possit quis manere in occasione proxima, si aliter notabile detrimentum temporale in vita, fama, aut fortunis pati deberet. Plures casus adducit, in quibus *DD. communiter docent, poenitentem absolvi posse, dummodo ad remedia adhibenda paratus sit;* dein sic pergit:

« *456.* Hae sententiae probabilis- » simae sunt; verum *in praxi omnes* » *conveniunt expedire, ut iis qui* » *versantur in occasione proxima* » *etiam necessaria, differatur abso-* » *lutio.* Imo, ut ego quid sentiam in » hac re ingenue dicam, *numquam* » *absolverem eum qui est in occa-* » *sione proxima extrinseca* (nam de » intrinseca aliter infra loquar), » *praesertim si occasio sit de mate-* » *ria turpi, semper ac absolutio com-* » *mode differri posset.* Censeo enim, » quod Confessarius, tamquam medi- » cus, tenetur aptare suo poenitenti » remedia opportuniora, ut ille suam » faciat salutem; reorque, *nullum* » *aliud aptius antidotum ministrari* » *posse ei, qui est in occasione pro-* » *xima, quam dilationem absolutio-* » *nis; dum experientia docet, quod* » *poenitentes, postquam absoluti* » *discedunt, ut plurimum negligunt* » *media praescripta adhibere, et sic* » *facillime recidunt.* Cum e converso, » quando ipsis absolutio denegatur, » vigilantius satagunt remedia exe- » qui et tentationibus obsistere, im- » pulsi quidem a timore, ne, cum ad » Confessarium redibunt, iterum sine » absolutione dimittantur. Et casu » quo poenitens prius admonitus ab » alio Confessario, media praescripta » neglexerit, et eodem modo fuerit

1) Cfr. supra, pag. 772.

» relapsus, dico omnino dimittendum » esse sine absolutione, nisi forte ex- » traordinaria signa doloris exhibeat. » *Et etiam huic adhuc extraordina-* » *ria compunctione donato, ordina-* » *rie loquendo, absolutionem dene-* » *garem, quando commode absolutio* » *posset differri.* – Fortasse alicui » haec tradens nimis rigidus videbor; » sed *ego, cum poenitentes offendis-* » *sem hujusmodi occasionum laqueis* » *irretitos, sic semper egi et semper* » *agam; hac enim via incedens, non* » *me rigidum, sed maxime erga eos* » *benignum esse puto,* quandoquidem » nullus isto aptior modus mihi vi- » detur, ut ipsi a peccatis et ab ae- » terna damnatione eripiantur; et *e* » *contrario crederem, quod si beni-* » *gne agendo, absolutionem quam* » *petunt eis praestarem, causa es-* » *sem ut misere in vitiis marcesce-* » *rent.* – Quisque in suo sensu abun- » det. *Utinam vero omnes Confessa-* » *rii cum hujusmodi poenitentibus* » *ita se gererent! multo quidem mi-* » *nora crimina committerentur, et* » *longe plures animae perditionem* » *vitarent...* »

2. Declarat ergo S. Doctor, quod supposito, absolutionem commode differri posse, ipse semper eam differret poenitenti in occasione necessaria constituto, et prima vice ad confessionem accedenti. [1] Ratio, quam affert, ea est: quia experientia docet, *quod poenitentes, postquam absoluti discedunt, ut plurimum negligunt media praescripta adhibere,* et sic facillime recidunt. Cum ergo, secundum communiter contingentia, id prudenter timendum sit, saltem ordinarie, et ex hypothesi dilatio *commode* fieri possit: Confessarius, ut medicus, antidotum aegroto ministrare tenetur; aptius autem et efficacius non datur quam dilatio absolutionis.

3. Sed haec ratio excidit in recidivis, *qui remedia praescripta adhibuerunt;* et ideo pro his eadem regula currit, quam S. Alphonsus pro recidivis ex fragilitate intrinseca statuit: scilicet *raro* expedire sufficienter dispositis absolutionem differre. Cumque haec conclusio in aperto sit, S. Alphonsus hunc casum speciatim proponere omisit, et de illis tantum loquitur, qui *neglectis remediis* eodem modo relapsi sunt, quibus ordinarie absolutionem differendam esse censet. - Alia autem quaestio est, an poenitens, qui, *etiam adhibitis remediis, semper eodem modo relabitur,* occasionem moraliter necessariam deserere teneatur, et alias absolvi non possit; de qua jam superius, in Part. V. quaest. 22. pag. 603. sermonem fecimus.

Articulus 2.

Paucis perpenditur sententia Dicastilli, cui cl. Ballerinius adhaeret.

Ad primum *Dicastilli* textum, pag. 772. relatum, P. Ballerini sequentia adnotat: « Adverte etiam, » quod Dicastillus ait, *experientia* » *compertum esse, dilationem non* » *raro nocere.* – Equidem *Cardenas* » (Cris. theol. part. 4. disp. 39. cap. 2. » n. 12.) contrarium putat esse con- » cludendum, allata historiola cujus- » dam foeminae, quae *dilationem cum* » *magna indignatione accipiens dis-* » *cessit; sed die sequenti rediit con-* » *tritione et lacrymis plena, dicens:* » *Si caeteri Confessarii sic mecum* » *egissent, non ego tamdiu perstitis-* » *sem in depravatis moribus.* Verum » hocce argumentum prope puerile » dixeris; et occurret nobis *S. Al-* » *phonsus,* inquiens (n. 464.): *Quot* » *miseros ipse cognovi, qui ob dene-* » *gatam absolutionem se dejecerunt*

1) Idem sentit *Roncaglia*, de Poenit. q. 5. c. 4. q. 3.; imo non solum si absolutio commode differri possit, sed semper, nisi valde gravis necessitas aliter suaderet: « Si ergo accedat ad confessionem constitutus in occasione proxima necessaria, quamvis non dicatur, esse in statu peccati, etiam ex hoc, quod non dimiserit occasionem: nihilominus, *etsi prudenter satis dispositus posset judicari, ego semper differendam absolutionem crederem, quando aliter valde gravis necessitas non suaderet.* »

» *in desperationem, et per plures annos a Sacramentis aversi aberrarunt!* »

Verum quae P. Ballerini hic profert, partim nihil ad rem faciunt, partim falsa sunt.

1. *Absolutionis dilationem non raro nocere poenitenti satis disposito,* qui relapsus est sive ex mera fragilitate, sive ex occasione proxima necessaria, *apud omnes in confesso est,* et nemo negat, si Thomas Hurtado et aliqui Rigoristae excipiuntur.

2. Affirmat cl. Professor, *Cardenam* putare, contrarium concludendum esse ex aliqua *historiola;* at prorsus immerito. Nam Cardenas, loco citato, de consuetudinariis disserens, in fine expressis verbis concludit, remedium dilationis aliquibus nocere posse: « *12.* Et sane experientia docuit, non paucos peccatores hoc remedio avulsos esse a consuetudine peccandi, cujus rei plura referuntur exempla. Inter alia non leve est, quod memoriae traditum invenimus apud non vulgarem Auctorem, qui fide dignus refert... » (Sequitur factum istud, quod P. Ballerini allegat, et *historiolam* vocat.) « Ad hoc autem magna requiritur prudentia in Confessario; nam remedia, *quae aliquibus prosunt, aliis possunt nocere,* propter diversas infirmorum dispositiones. »

3. Ceterum etiam *S. Leonardus a Portu Mauritio* [1] similia exempla refert, ex propria experientia, non quidem de recidivis satis dispositis, attamen de illis loquens, quibus propter dubiam dispositionem ipse absolutionem distulerat. Numquid etiam S. Leonardum incusabis, quod argumento fere puerili utatur?

4. Occurrit demum (ait cl. Professor) *S. Alphonsus* loco citato; verum non occurrit Confessariis, qui aliquando utile judicant, recidivo sufficienter disposito absolutionem differre; sed *occurrit Rigoristis,* qui asserunt, omnes recidivos perversiores fieri, cum absolvuntur, antequam emendentur; et citata S. Doctoris verba ad eosdem Rigoristas spectant.

5. Primarium argumentum *Dicastilli,* ad quod cetera reducenda sunt, illud est: *melius semper sperandum esse a constituto in amicitia Dei, quam a non habente gratiam.* - Quae quidem assertio vera est *ordinarie,* sed *non semper.* Si Confessarius advertit, quod poenitens, utut bonae voluntatis et sufficienter dispositus, non tantum ex fragilitate, sed etiam idcirco saepius relabitur, quia melius divinae gratiae cooperari, diligentius vigilare et fortius resistere posset: prudenti sane timori locus est, ne absolutione donatus eamdem agendi rationem prosequatur. In quo casu (supposito, quod nihil obstet in contrarium) melius utique sperandum est a non habente gratiam, quam a constituto in amicitia Dei: quia poenitens ex suspensione absolutionis melius periculosum statum, in quo versatur, atque necessitatem fortiter dimicandi cognoscet, et majorem vim sibi inferet.

6. Nec timendum est, ne majoribus divinae gratiae auxiliis privetur, et detrimentum aliquod spirituale patiatur, ut bene explicat *Cardenas,* loco supra citato, *n. 21:* « *Poenitens sic deterritus dilatione absolutionis, manet cum firmiore proposito non peccandi et arcendi consuetudinem inveteratam, et consequenter multo meliorem dispositionem habet ad recipiendum Sacramentum, quam antea. Ergo, sic multo majorem fructum recipit ex Sacramento, quam si antea recepisset; imo et fortasse multo majorem, quam in omnibus confessionibus, toto consuetudinis tempore factis.* »

7. Caeterum *Dicastillus* supponit, poenitentem *remedia praescripta exacte adhibuisse,* nec timendum esse, ne in posterum ipsa negligat. Etenim *Disp. 6. n. 374.* dicit: « Adde, quod

1) Cfr. pag. 751. in fine.

si *prudenter timeat* Confessarius semel absolutum poenitentem non amplius curare data servare consilia aut remedia, *nisi, ob dilatam absolutionem deterritus*, melius gravitatem peccatorum agnoscat et periculosum statum, in quo est: *ipsa prudentia et charitas exigit talis remedii usum;* et tunc aliquo modo exequitur Confessarius quod dixit Christus, postquam dedit potestatem remittendi peccata, dicens: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur,* subjunxit: *quorum retinueritis, retenta sunt;* id enim est quodammodo retinere peccata. »

§. 4.

Examinatur, quid Confessario agendum sit cum Clerico ordinando, in vitio turpi habituato, qui statim ad sacros Ordines ascendere velit.

Antequam fusiori huic Dissertationi de Recidivis finem imponamus, opportunum ducimus speciatim inquirere, quam agendi rationem instituere debeat Confessarius cum Clerico ordinando, in vitio turpi habituato: ad quam materiam haud levis momenti pertractandam nos adducunt Patres Gury et Ballerini.

I. - Anno 1751. S. Alphonsus doctissimam evulgavit Dissertationem, inscriptam: *De Clerico habituato in vitio turpi, cupienti statim initiari in Sacris;* eamque postea secundae Theologiae moralis editioni inseruit (*Tract. de Sacramentis in genere, n. 63-77.*). In ipsa S. Doctor quaestionem proponit: « *Utrum sit ne* » *ganda absolutio Clerico habituato* » *in peccatis lasciviae occultis, qui* » *velit ad sacros Ordines ascendere* » *sine praecedenti experimento con* » *tinentiae?* » – Scitissime praemittit, « valde utile ac necessarium esse, » ut *ejus vera decisio* Confessariis in » notesceret, quo ipsi studeant eam » tenere sententiam, quam bono Ecclesiae magis expedire judicave » rint »; et advertit: « *idcirco operae* » *pretium esse duxi, diligenter ac* » *funditus rem ad trutinam revo* » *care.* »

Porro, in hac Dissertatione, tum plurimis Auctoritatibus, tum inconcussis argumentis, duplicem hanc propositionem adstruit atque probat: « I. Quod hodierna et antiqua Eccle » siae lex, semper constans, obstrin » git tam Episcopos, quam Confessa » rios et promovendos, ut, cum *ali* » *quis Clericus recidivus vel consue* » *tudinarius in vitio carnis* ad sa » crum Ordinem, sive Subdiacona » tum, sive ad Diaconatum aut Pre » sbyteratum ascendere cupit, *quam* » *vis sincere sit conversus ad Domi* » *num, et ideo possit statim absolvi,* » *non tamen poterit sacrum Ordi* » *nem suscipere, nisi aliquandiu ope* » *ram det ad pravum habitum extir* » *pandum.* Et si ipse persistat Ordi » nem *statim* suscipere, *non censetur* » *dispositus ad absolutionem*, quia » legem Ecclesiae violat in re gravi. » II. Quod potest tamen dari casus, » quo Deus donet poenitenti *tantam* » *extraordinariam compunctionis* » *gratiam,* quae reddat eum adeo pro » batum, *ut ipse statim possit sacrum* » *Ordinem assumere;* et ideo (si idi » psum Confessario ex validis conje » cturis constet) *beneficium absolu* » *tionis suscipere,* sine eo quod tem » poris experientia prius comprobe » tur. »[1]

Jucundum sane foret, sapientissimas aeque ac validissimas adducere rationes, quibus S. Doctor hanc doctrinam confirmat. Sufficiat tamen, brevitatis causa, ea excipere, quae

1) Cfr. cit. Dissert., lib. 6. n. 64.

ipsemet, ad praefatam Dissertationem se referens, in Opere : *Homo Apostolicus,* Tract. ult. n. 16. et 17. hac de re scribit. - Post expositam doctrinam de absolvendis recidivis satis dispositis, loco cit. sic pergit:

« *16.* Hoc tamen quod dictum est, » communiter loquendo de habituatis » et recidivis, non procedit jam *circa* » *initiandos in sacris Ordinibus*, » *habituatos in aliquo vitio (praesertim in peccato turpi);* circa hos » enim alia currit ratio. Laicus habituatus absolvi potest, semper ac » est dispositus ad suscipiendum Sacramentum Poenitentiae; sed *Ordinandus habituatus,* si vult ipse ad » sacrum ascendere Ordinem, non sufficit quod sit dispositus ad Sacramentum Poenitentiae, sed *oportet quod etiam dispositus sit ad recipiendum Sacramentum Ordinis;* » alioquin ad neutrum dispositus erit; » cum enim sit indignus ascendendi » ad altare, qui vix egreditur e statu » peccati, nec habet *probitatem positivam,* necessariam respectu ad » sublimitatem status in quem immitti inhiat, *ipse graviter peccat, si absque illa vult sacrum Ordinem suscipere, etiamsi ponatur in statu gratiae.* Quapropter tunc *Confessarius nequit eum absolvere, nisi promittat abstinere ab Ordine suscipiendo,* ad quem ascendere non » poterit, nisi post longi temporis, saltem plurium mensium, probationem. - Id plene probatum est in dissertatione Operi inserta *(Theol. mor. lib. 6. n. 63-77.),* cum *communi* » sententia Doctorum (ibid. n. 68. v. *Si igitur*)...

» *17.* Verumtamen excipitur casus, » quo a Deo donaretur quis *tam extraordinaria compunctione, quae ipsum liberaret ab antiqua fragilitate...* Rarae quidem sunt hujusmodi conversiones, et praesertim » in Ordinandis, licet aliquam petant » domum religiosam, ut spiritualia » agant exercitia; isti enim ut plurimum non ultro, sed coacti accedunt. Sed quando vere quis tam reciperet gratiam a Deo (cujus » admirabiles sunt misericordiae), » quae ipsum *taliter mutatum* redderet, quod, licet adhuc aliquod pravum motum sentiret, *magnum* tamen concepisset *horrorem* adversus » peccatum, et simul *notabiliter diminutum* in se cognosceret *ardorem concupiscentiae,* ita ut a gratia munitus, facile jam inciperet » tentationibus obsistere; et insuper » *firme statuisset* in posterum non » tantum vitare peccata et occasiones, sed etiam *media opportuniora* » suscipere ad vivendum ut Sacerdotem decet; et jam simul incepisset, » ad suam conversionem confirmandam, *instanter preces effundere* pro » sua perseverantia, cum magna et » tali in Deum fiducia, quae eum redderet *moraliter securum* de quadam magna mutatione vitae; *eo casu bene posset Confessarius eum absolvere,* etsi ipse vellet statim » post confessionem, Ordinem sacrum » suscipere. - Attamen adhuc in hujusmodi casu, quo poenitens magnam » habuerit compunctionem, *Confessarius quantum potest adhibere se debet, ut illum inducat ad differendam susceptionem Ordinis,* ad » hoc ut melius a pravo habitu se purget, et melius concepta proposita » exequatur. Imo ad hunc effectum, » *si ille nolit differre susceptionem, potest etiam Confessarius, tamquam medicus,* ad majorem ejus » profectum, *differre ipsi absolutionem,* ut initiandus Ordinis susceptionem differat. Hoc tamen intelligendum, *modo ex tali dilatione non subeat ille periculum alicujus infamiae, aut notae;* tunc enim » (prout notatum est n. 14.) poenitens habet jus, ut statim absolvatur. Caeterum, *Confessarii debent esse difficiles, quantum fieri potest, in absolvendis hujusmodi Ordinandis,* qui postmodum ordinarie » pessimi evadunt, et sic populis et » Ecclesiae perniciem magnam affe- » runt. - *Hanc meam ratiocinationem integre commendatam reperio*

» *a Benedicto XIV.* in celebri suo » Opere: *de Synodo,* lib. 11. cap. 2. » n. 17. et 18. »

Et in epistola circulari de die 8. Augusti 1754. ad alumnos Congregationis suae, S. Alphonsus expressis verbis declarat: « *Tra le opinioni im-* » *probabili,* io numero specialmente » l'opinione di potersi assolvere l'Or- » dinando abituato in cose di peccato » grave, ancorchè porti segni bastan- » ti per ricevere il Sacramento della » Penitenza... Anche io prima difesi » l'opinione contraria; ma poi ho ve- » duto essere *improbabilissima,* e » perciò mi son rivocato. » [1]

II. - *P. Gury,* T. II. *n. 718.* pag. 602., in eadem solvenda quaestione dicit: « *Negative* respondet *S. Ligorius,* de Sacram. in genere, n. 64. »; et doctrinam S. Alphonsi summatim refert, at vero subdit: « *Alii tamen aliter sentiunt* [2] *apud eumdem S. Lig.* »

Ad haec autem verba, cl. Ballerinius subjungit: « Proderit circa » ejusmodi *controversiam* ea legisse, » quae *Card. de Lugo* (Resp. moral. » lib. 1. dub. 28.) disserit de *Novitio,* » qui Religionem observantem in- » gressus, patiebatur frequentes la- » psus carnis voluntarios, quos Con- » fessario manifestabat in confessione, » et postea saepius reincidebat. Con- » fessarius enim judicans, eum non » esse aptum Religioni, suadebat illi » frequenter, ut ad saeculum rediret, » vel Superiori fragilitatem suam ex- » tra confessionem aperiret; imo ad » id tandem poenitentem obligare » tentavit, significans, se deinceps, » nisi obediret, absolutionem ei ne- » gaturum. - *Quaesitum fuit* (inquit » Lugo), *an Confessarius jure id fa-* » *cere potuerit; an vero potestatis* » *suae limites fuerit transgressus?* » Non vacat hic locus ea afferendi, » quae disputat ibi doctus Auctor. Il- » lud unum non est tacendum, ex sen- » tentia ipsius, *rationes omnes, quas* » *Confessarius ad suam sententiam* » *defendendam prompsisse perhibe-* » *tur, rem non evincere.* » [3]

Judicio itaque cl. Scriptorum, ejusmodi est praesens quaestio, de qua aequo jure hinc inde disceptari possit. Verum fidenter asserimus, post S. Alphonsum, ipsam haud recte *controversam* dici posse; et minime dubitamus, quin omnis timoratus Confessarius, qui hanc quaestionem coram Deo perpenderit, cum S. Doctore concludat, esse « *omnino tenendum,* » *quod, ut Clericus in vitiis habi-* » *tuatus possit absolvi, etsi ipse velit* » *statim, sine temporis probatione,* » *accedere ad sacros Ordines, debet* » *tali compunctione extraordinaria* » *esse a Deo manifeste donatus, ut* » *satis probatus ostendatur ad tan-* » *tae dignitatis sublimitatem.* » [4] - Quam recta censenda sit haec doctrina, jam constat ex textu S. Alphonsi superius allato, et ex modo dicendis luculentius apparebit.

III. - Minus recte dicunt PP. Gury et Ballerini: « *Alii tamen in tota ista quaestione apud eumdem S. Lig. aliter sentiunt* »: quasi nempe plures et graves Auctores S. Doctori contradixerint. Sed res non ita se habet.

1. Etenim, contra *primam* quaestionis partem, S. Alphonsus *unum* tantum Auctorem dissentientem allegat, videlicet *Giordanini,* qui cen-

1) Vid. *Raccolta di lettere,* Roma 1815. Vol. 2. pag. 216.

2) In altera edit. pag. 480. ipse cl. Ballerinius in textu Patris Gury haec intercalat verba: « *in tota ista quaestione* »: qua additione, sat clare innuit, probabilem sibi videri sententiam, quam S. Doctor ceu *improbabilissimam* rejicit.

3) Cum S. Alphonsus praefatam quaestionem de Novitio non attingat, ab eadem pertractanda abstinemus. Id tantum advertere liceat, dubium a Card. de Lugo propositum, sufficienter determinatum et circumscriptum non videri, ut certo pronuntiari possit, rationes a Confessario pro sua agendi ratione adductas rem non evincere. Ad praedictam enim quaestionem sive affirmative, sive negative solvendam, plura sedulo attendenda essent, ex parte tum Ordinis, tum Novitii, tum Votorum, etc.

4) Lib. 6. n. 76.

sebat, hujusmodi Clericum, eo quod non supponatur indispositus relate ad absolutionem, *per se loquendo* nec indispositum dici posse ad suscipiendos Ordines: quippe qui aliud non requirant, nisi statum gratiae. - Sed et iste Auctor quadantenus in sententiam S. Doctoris reincidit, in quantum subjungit: « *Diciamo, che uno che voglia promuoversi a'sacri Ordini, e non creda (siccom'è detto) sinceramente di poter osservare in quello stato la castità per lo mal abito della lascivia, non possa promuoversi; ed insistendo di farlo, gli si debba, come ad indegno ed indisposto, negare l'assoluzione.* » [1]

2. Contra *alteram* quaestionis partem, S. Alphonsus plures quidem affert Auctores, dicens: « Alii vero, e converso, videntur *nimis rigide* locuti fuisse; nam *Natalis Alexander* hanc regulam statuit: *Nemo ad sacros Ordines promovendus, nisi vel qui innocenter vixerit, vel occultas prioris vitae maculas diuturna poenitentia diluerit.* Idem tenet *Jueninus.* Idem *Habert,* qui magnam et longam curam requirit, dicens, nec unum sufficere annum ad hujusmodi probationem. Idem *Van-Espen.* Sentit *Continuator Tournelii,* Clericum habituatum prohandum saltem per 20 aut 18 menses... Adducitque Natalem Alexandrum dicentem, quod Confessarii debent clericis in luxuria habituatis prohibere tam ascendere ad altiores gradus, quam ministrare in susceptis. » [2] - Sed istorum Auctorum sententiam, qua scilicet longior annorum probatio absolute requiratur, S. Doctor ceu nimis rigidam merito non admittit. Caeterum Ballerini, de *controversia* loquens, non hanc, sed priorem thesis partem prae oculis habuit; ut clare indicat exemplum Novitii ex Lugone adductum.

3. E contra, S. Alphonsus « *veram sententiam* » suae thesis decretorie probat auctoritate, tum S. Scripturae et SS. Canonum, in primis Concilii Tridentini et Catechismi Romani; tum testimoniis SS. Patrum, Gregorii, Hieronymi, Joan. Chrysostomi, Dionysii et Bernardi; tum demum auctoritate Theologorum, Sanchezii, Soti, Salmanticensium et Holzmanni, maxime vero *D. Thomae,* cujus doctrinam uberius exponit. - Et in *Hom. Ap. n. 16.,* S. Alphonsus expressis verbis declarat: « Id plene probatum » est in dissertatione Operi inserta, *cum communi sententia Doctorum.* »

4. Insuper, quanti facienda sit haec S. Doctoris decisio, clare elucet ex iis quae ipsemet, doctrinam suam exponens, in cit. Dissert. *n. 64.* scribit: « Sed inter harum opinionum » varietatem *operam adhibui, ut a quamplurimis Neapolitanae urbis Theologis res plene examinaretur; et post longas hinc inde discussiones, in hanc sententiam sive conclusionem, duas partes habentem, convenimus, mediam tenentes viam....* »

5. Porro, eidem sententiae plene suffragatur *Benedictus XIV.,* qui in Opere: *De Synodo dioecesana,* lib. 11. cap. 2. *n. 17.* Dissertationem S. Alphonsi summatim refert atque commendat. - Imo doctissimus Pontifex S. Doctori *prudentiae* laudem tribuit, quia, etiamsi concesserit, absolvi et ad sacros Ordines admitti posse Clericum, extraordinaria compunctionis gratia donatum, nihilominus consultius et congruentius esse dicit, ut ascensus ad Ordines differatur. [3] Ait enim: « Interim tamen *prudens Auctor* in fine Dissertationis *Confessario suadere non omittit, ut poenitentem, quantumvis ita compunctum, inducere studeat ad aliquam temporis moram interponendam,* antequam ad sacrum Ordinem ascendat, quo valeat hoc medio tempore de illius poenitentiae efficacia et firmitate certius judicari. » - Et

1) Cfr. cit. Dissert. S. A., lib. 6. num. 63. — 2) Loco cit. — 3) Ibid. n. 77.

n. 18., ad quaestionem, utrum hujusmodi Clerico *extraordinarie compuncto*, et statim ad Ordines ascendere cupienti, Confessarius absolutionem *concedere*, an potius *differre* debeat: Pontifex sapienter respondet: « *nullam suppetere generalem regulam*, quae in hujusmodi casibus indistincte ab eo adhiberi valeat. Quare non aliud consilium eidem praeberi posse censemus, quam ut omnia personae, rerum, et casuum adjuncta diligenter inspiciat et mature perpendat. » Attamen subdit: « Meminerit etiam, sibi non modo Judicis, sed etiam *Medici* partes impositas esse; Medici autem officium esse, eam curam aegroto adhibere, eaque ipsi praescribere *remedia, quae credit illius saluti magis opportuna et proficua fore:* quemadmodum scite ad rem nostram animadvertit Cardinalis de Lugo. [1] Denique divini luminis opem enixis precibus imploret, ut, illius ductum sequens, neque *se ipsum* prodat, neque *poenitentem* suum, *cui aliquando absolutionis dilatio salubrior esse potest, quam properata ejusdem concessio, non exactis prius novis experimentis super illius conversionis firmitate.*»

6. In cit. Dissertatione, ut jam supra dictum est, S. Alphonsus *n. 77.* docet « *consultius et congruentius* » esse, ut etiamsi ipse (Clericus) sit » *contritus*, et ex *compunctione* habita *sufficienter dispositus* non solum ad absolutionem, sed *etiam* » *ad Ordinem assumendum*, tamen » ei *absolutio differatur*, ipso quoque » non consentiente, si velit *statim* » ordinari, ut temporis experimento » firmius probetur. » Hanc tamen limitationem adjicit: « *Dummodo vero, excipio, ipse ex hac dilatione* » *Ordinationis non sit subiturus* » *notam, sive proximum periculum* » *infamiae...* » – Qua de re, *Benedictus XIV.*, post verba superius relata, scitissime advertit: « Quoniam vero ejusmodi casus facilius se offerre possunt in audiendis eorum confessionibus, *qui jam in domum exercitiis spiritualibus destinatam statutis temporibus se receperunt, ut sacris Ordinibus in proxima Ordinatione initientur;* atque in his circumstantiis, ad ceteras difficultates accedit *infamiae metus, quam poenitens subeundam sibi fore asserit, si in ea Ordinatione non amplius promoveatur:* tunc necesse erit (neque id sane prudenti Confessario admodum difficile esse poterit), hujusmodi Ordinando ante oculos ponere, non modo *aeternam salutem quovis humano respectu potiorem esse debere,* verum etiam *nihil infamiae* in eo esse, si quis dicat et fateatur, *velle se maturius cogitare* de ineundo ejusmodi vitae instituto, quod graviora secum fert onera, quodque semel susceptum, per omnem vitam necessario servandum erit. »

7. Demum referre juvat, quae de eadem S. Alphonsi Dissertatione scribit *P. Tannoia,* fidissimus S. Doctoris biographus, Lib. 2. cap. 28.: « Non entro a specificare le tante opinioni, che, come lasse, ridusse (Alfonso) al giusto peso. Dico bensì, che *a lui siamo debitori dell'essersi nella Chiesa rimosso uno scandalo gravissimo,* che deturpava e rendeva spregevole il santuario. Comunemente non avevano ribrezzo i Confessori di permettere, che si accostassero alle sacre ordinazioni Chierici, o altri, di fresco spoppati dalle materie più turpi. *Correva la massima, che essendo taluno disposto per lo Sacramento della Penitenza, lo era ancora per quello dell'Ordine;* se non si vuol dire, che senza badare a disposizione, alcuni Confessori abilitavano taluni senz'altro al ricevimento dell'uno e dell'altro Sacramento. – Questo disordine così grave nella santa Chiesa fe' dar fuori ad Alfonso la sua dotta Dissertazione, e *cotanto applaudita* sul *Chierico abituato.* In essa ei prova.... Aven-

1) De Sacr. Poenit. disp. 14. sect. 10. n. 167. et seq., praecipue vero n. 171.

lo diretta questa sua Dissertazione ai Vescovi d'Italia, *non vi fu Vescovo, che non gliene rendesse i più vivi ringraziamenti.* Non avendo io presentemente alla mano altre lettere, mi contenterò di citare ciò che gli scrisse Monsignor Amati, vescovo di Lacedogna, in una sua del 12 ottobre: « *Ognuno de' Vescovi è tenuto render grazie a V. P.; ma non maggior fervore lo fo io, per tanti lumi, che ci somministra colle sue fatiche, in profitto delle anime.* » – *Anche di là da' monti comunemente fu applaudita questa sua Dissertazione.*– Benedetto XIV., avendola avuta tra le mani, non lasciò di farne menzione nell' aurea sua opera *de Synodo dioecesana.* »

IV. - Praeter Auctoritates a S. Doctore allegatas, eidem doctrinae, sive implicite, sive explicite, suffragantur complures alii Auctores, tum antiquiores, tum S. Alphonso coaevi. 1. Etenim, probati Auctores, non secus ac S. Doctor, communiter in clericis ordinandis *morum honestatem,* imo et *positivam vitae bonitatem* requirunt. Sic, inter alios, sentent *Filliuccius,* [1] *Tournely,* [2] *Billuart,* [3] *Manrique,* [4] *Wigandt,* [5] *Pelaus,* [6] *Schmalzgrueber,* [7] *Pichler,* [8] *Sylvius,* [9] *Pontas,* [10] *Abelly,* [11] *Croy,* [12] *Tronson,* [13] *Roncaglia,* [14] *Patuzzi,* [15] etc.

2. *Voit, S. J.,* [16] quaestionem proponit: « Quaenam requiratur *sanctitas* in ordinando Subdiacono? » – Et respondet: « Ut, vel a baptismo innocenter vixerit, vel peccati maculas a notabili tempore per poenitentiam eluerit: ut *solutus a vitiosis habitibus,* et in virtutibus, *praeserim in castitate radicatus,* extra moralem relabendi periculum constitutus censeatur. »

3. Hinc *Ven. Paulus Segneri, S. J.,* [17] Parochos graviter admonet: « Dovete prima procurare però *di tenere indietro dagli Ordini,* con una informazione leale portata al Vescovo, quei che se ne dimostrano *immeritevoli,* o per la mala inclinazione di natura, o per le compagnie scandalose, o *per le consuetudini sregolate...* Non bisogna mai dire: Si emenderanno, quando saran Sacerdoti. Il sacerdozio non è stato da emendarsi; è stato da salirvi emendato. Troppo è difficile restringersi allora più, quando più si acquista di autorità ad allargarsi. Al più al più si procurerà in quello stato di ricoprire i vizi, non di deporli: come appunto fa l'acqua infetta, che, se passa mai per la cenere, vi lascia il colore sì, ma non l'amarezza... »

4. Sed et praeclarum Sanctum audire praestat, cui profecto nec prudentia, nec experientia denegari potest.- *S. Leonardus a Portu Mauritio* [18] Clericos ordinandos sic alloquitur: « Il fine primario per abbracciare il Sacerdozio, ha da essere per darvi totalmente a Dio... E poi pare a voi, di avere forze sufficienti per portare un sì gran peso, particolarmente per osservare *un' integerrima castità?* Che mostruosità è mai questa, vedere un giovane abituato fin da'suoi più teneri anni nelle più sozze disonestà, correre con tutta franchezza a legarsi con voto di perpetua castità!... Parlo a voi, signori Confessori. Io non dico, che quando vi viene a'piedi un chierico mal' abituato, *se porta segni speciali di un vero dolore,* come diremo dopo, parlando della prudenza, non possiate assolverlo; e che per il mal'abito, che ha indosso, quando speri colla grazia di Dio emendarsi, anzi di presente ha *volontà risoluta di fare tutto per*

1) Tr. 9. c. 4. n. 82. — 2) De Sacr. Ord. q. 4. art. 4. — 3) De Sacr. Ord. diss. 2. art. 3. §. 2. 4) P. 2. c. 8. §. 3. Int. 3. Dico 2. et 3. — 5) Tr. 15. exam. 2. n. 15. quarto. — 6) Tr. 27. p. S. 2. — 7) Lib. 3. p. 9. — 8) Lib. 1. tit. 11. §. 3. n. 24., et lib. 3. tit. 1. n. 2. — 9) Comm. in ppl. D. Thomae, q. 36. art. 1. — 10) V. *Ordines,* cas. 22. — 11) De Sacr. Ord. sect. 4. n. 2. 3. — 12) *Doveri ecclesiastici,* part. 1. lib. 1. c. 6. — 13) *Forma cleri,* part. 1. c. 3. art. 4. alibi passim. — 14) Tr. 20. q. 2. c. 3. quaer. 3. resp. 2.— 15) Tr. 10. c. 7. cons. ult. — 16) De d. n. 1013. — 17) *Il parroco istruito,* c. 23. n. III. — 18) *Discorso mistico e morale,* n. 7.

la sua emendazione, e vi dà *segni chiari di un dolore speciale*, dico, che è disposto per ricevere l'assoluzione. Ma dico ancora, che *per andare innanzi a ricevere gli Ordini sagri, non basta il proposito fermo di non peccar più*; ma conviene, che l'ordinando creda sinceramente, ed in buona coscienza, che colla grazia di Dio si disfarà di quel mal'abito, e si emenderà. E se bene questa credulità non è necessaria per ricevere il Sacramento della Penitenza..., è però necessaria per ricevere gli Ordini sacri. Altrimenti l'ordinando sarà risoluto di abbracciare uno stato, in cui si crede, che non compirà a'suoi doveri: dunque vuole addossarsi un peso, che conosce di non poter portare, stante il mal'abito contratto nelle sue disonestà; e vuole impegnarsi a commettere un'infinità di sacrilegj. Chi mai dirà, che costui possa promuoversi? Ed insistendo di volerlo fare, come potrà assolversi? – Signori Confessori, ci avete mai fatto seria riflessione su questa verità? Dunque, che si ha da fare? *Esperimentate i vostri chierici;* e quando vi vengono a'piedi, fetenti per tante piaghe sì putride, dite loro chiaramente: *Fratel mio, non basta, che al presente mi promettiate di non peccar più; ma vi bisogna fare uno sforzo grande per levare via il mal'abito, in maniera che possiate credere sinceramente, che colla grazia di Dio vi emenderete. Per tanto, appigliatevi al mio consiglio: prima di essere promosso al Suddiaconato, e molto più se foste Diacono, prima di ricevere il carattere sacerdotale, provatevi un anno, o due, a viver casto; fatevi violenza grande: oh, allora sì, che dopo tale sperienza, vi riuscirà facile l'avere la predetta vera, pia, e sincera credulità.* – Quando poi non voglia arrendersi, e con tutto il mal'abito, credendo benissimo che non potrà contenersi, voglia ordinarsi, licenziatelo come indisposto. – Povera gioventù acciecata! Sentitemi bene: se non vi dà l'animo di viver casti, la vita ecclesiastica non è per voi; e quel collarino, che portate al collo, sarà per voi un collarino di ferro infuocato per tutta l'eternità nell'inferno. Pensatevi bene. »

V. – Tandem, inter Recentiores, qui post S. Alphonsum hac de re scripserunt, nullum novimus qui aliter sentiat.

1. Ne nimii simus, lectorem delegamus ad ea, quae de innocentia vitae in Clericis ordinandis requisita egregie tradiderunt *Gousset*, [1] *Gaume*, [2] *Panzuti*, [3] *Scavini*, [4] *Berman*, [5] *Grassi*, [6] et alii plures.

2. Hinc recte dicit cl. D. *Müller:* [7] « Non sufficit, ut Sacerdotio initiandus non sit positive malus, seu immunis a peccato mortali; sed requiritur, ut sit *positive bonus*, scilicet, ut vitam spiritualem, et praeprimis *continentem* agat. » – Et sententiam S. Alphonsi referens, testatur, eamdem esse *communem*.

3. *Frassinetti* [8] similiter praesentem quaestionem juxta S. Alphonsi doctrinam exponit; ac dein sequentia addit notatu digna: « *Il Confessore del Chierico abituato non si lasci smuovere nè per promesse, nè per proteste, nè per lagrime o scongiuri, dalla necessaria inflessibilità di negargli l'assoluzione, se prima d'una prova di stabile e sicuro ravvedimento pretende di passare al Suddiaconato.* Ma se il Confessore trovasse il Chierico così disposto d'animo da prendere ad ogni modo la sacra Ordinazione, oppure risoluto di rivolgersi ad altro Confessore ignorante o rilassato, che gli darebbe assoluzione e piena licenza; come do-

1) Theol. mor. tom. 2. n. 665. seqq. — 2) Manuel des Confesseurs, n. 359. seqq. — 3) Theol. mor. Vol. 2. lib. 3. tr. 2. n. 52. — 4) Theol. mor. lib. 1. n. 482.; lib. 3. n. 556.; lib. 4. n. 2. — 5) De poenit. art. 5. §. 2. punct. 12. — 6) De Ord. c. 2. q. 6. n. 5. et 6. — 7) Theol. mor. lib. 2. §. 205. pag. 606. — 8) Compendio della Teol. mor. n. 470. nota 150.

vrebbe diportarsi? Il Confessore prudente, che non voglia rendersi reo davanti a Dio e alla Chiesa della mala riuscita di tale Ordinando, dovrà lasciare che faccia a sua posta, che si rivolga a chiunque voglia, e intanto stare fermo sul negargli l'assoluzione. - Escluderemo tuttavia con S. Alfonso qualche caso di straordinaria, o meglio direbbesi, miracolosa conversione, che avesse tali caratteri, da persuadere che l'Ordinando *subito perfecte consecutus est sanctitatem spiritualem. - Quis erit hic? Laudabimus eum.* »

4. Item *Martinet:* [1] « Suo officio *graviter* desunt Confessarii, qui, scientes Clericum inferiorem versari in consuetudine peccati mortalis, sinunt eum ascendere ad sacros Ordines, antequam prudens judicium ferre queant de ejus correctione, et animi dispositione ad sancta sancte obeunda. Ad quod judicium, requiritur *probatio* accommodata, tum naturae consuetudinis, tum poenitentis conditioni, ideoque longior et strictior pro clerico saeculari, quam pro religionem professo, ob rationes alibi datas... Legatur ea de re *S. Alphonsi* Dissertatio de Clerico habituato..., in qua, eos refellens qui opinantur, dictum Clericum capacem esse Ordinis sacri, ubi signa exhibet poenitentiae et conversionis sufficientia ut absolvatur, duo statuit.... » Et post relatam duplicem S. Doctoris conclusionem, laudatus Auctor subjungit: « *Non facile moveatur Confessarius periculo infamiae ex dilatione Ordinationis, quod poenitens obtendere potest;* namque tali periculo praeeminet *periculum maximi detrimenti Ecclesiae et animarum* ex probabili relapsu hujusmodi Clericorum, qui vix e vitiorum coeno emersi, ad altaris ministerium ascendere inhiant *(S. Alph. n. 77.).* »

SUMMARIUM ET CONCLUSIO

TOTIUS DISSERTATIONIS DE RECIDIVIS.

S. Alphonsus docet, sedulo distinguendum esse inter Consuetudinarium et Recidivum. - *Consuetudinarius* seu *Habituatus* est ille, qui per repetitionem peccatorum ejusdem generis, de quibus non est adhuc confessus, aut nondum admonitus fuit, veram propensionem ad illa peccata committenda contraxit. « *Iste bene potest absolvi, etiamsi nulla emendatio praecesserit, modo eam serio proponat* »; nam « talis poenitens bene praesumitur dispositus: cum ipsa spontanea confessio sit signum contritionis, nisi obstet aliqua positiva praesumptio in contrarium. » [2] Addit tamen S. Doctor: « Verum, *si habitus esset valde radicatus*, potest etiam Confessarius ei differre absolutionem, ad experiendum quomodo sit constans poenitens, in praxim deducendo media praescripta, utque ipse de suo vitio majorem concipiat horrorem. » [3] Praesertim vero differenda est absolutio, quantum fieri poterit, *Clerico* habituato in aliquo vitio, qui brevi vult ad sacros Ordines promoveri, ratione nempe probitatis positivae in eodem requisitae. [4]

Recidivus proprie dictus ille est, qui, post confessionem et acceptam monitionem, in easdem culpas pravi habitus eodem vel fere eodem modo, seu absque sensibili emendatione relapsus est. - Cum autem gravissima moveatur quaestio, quid Confessario agendum sit cum recidivo vel *dubie,*

1) Theol. mor. lib. 3. art. 15. pag. 443. — 2) Cfr. pag. 649. *num. 459.* — 3) *Homo Apost.* ult. n. 8. — 4) Cfr. pag. 778. *§.* 4.

vel *satis* disposito, paucis recolenda sunt quae de utroque casu doceat S. Alphonsus.

I. – De Recidivo dubie disposito.

1. *Recidivo dubie disposito differenda est absolutio, usquedum habeatur prudens probabilitas de ejus dispositione.*[1] Ex quo sequitur, quod peccator recidivus rediens cum eodem pravo habitu, nullo adhibito emendationis conatu, nulloque impleto medio ex iis quae a Confessario praescripta sunt, absolvi nequeat, quoties non affert nisi ordinaria et communia dispositionis signa, seu, quoties nullum peculiare dispositionis signum exhibet, praeter solitam affirmationem et protestationem, se sincere dolere et firmiter proponere. Ut ergo talis poenitens absolvi possit, requiritur, sed sufficit, ut exhibeat *signa extraordinaria* suae dispositionis.[2]

Merito S. Doctor *communem*[3] dicit doctrinam quae tenet, recidivis *saepius a Confessario admonitis*, qui eodem modo relapsi sunt, et nec remedia praescripta nec ullum conatum se emendandi adhibuerunt, absolutionem differendam esse, nisi praeter signum ordinarium et commune, scilicet affirmationem, quod vere doleant et proponant, aliud signum extraordinarium in ipsis appareat; quia secus eorum dispositio pro *dubia* habenda est. Imo, ex praemissis expositionibus patet, hanc doctrinam non modo communem, sed *communissimam* esse et fuisse omni tempore, tum primis saeculis, tum media aetate, tum inter recentiores.[4] – *Rationes* autem intrinsecae, quibus haec doctrina sustentatur, tantae evidentiae sunt, ut nulla sit ratio ex opposito, cui solida aliqua probabilitas concedenda esset.[5]

2. Docet insuper S. Alphonsus, recidivo dubie disposito *jam post primam admonitionem,* differendam esse absolutionem: quia « habituatus, » qui post unam confessionem recidit » sine emendatione, jam est verus » recidivus, et fundatam praebet su» spicionem suae indispositionis. »[6] – Haec doctrina non quidem numerice, utique autem spectatis auctoritatibus gravissimis et omnino praeponderantibus,[7] *communis* dicenda est. Et quidem tanto magis, quia Doctores communissime hanc doctrinam non rejiciunt, sed potius in principio ab ipsis recepto approbant.[8] Nihil itaque nobis superest, nisi ut *rationes intrinsecas,* quibus eadem doctrina innititur, summatim exhibeamus.

Si quis *prima vice edocetur et admonetur* de peccatorum gravitate, de miserrimo statu et de aeternae damnationis periculo, in quo versatur; prima haec admonitio, suapte natura, majorem vim convincendi, concutiendi et commovendi habebit, quam omnes aliae subsequentes. Si autem poenitens *post hanc primam admonitionem* eodem modo relapsus est, quin remedia praescripta, ullumve conatum ad emendationem suam adhibuerit; certum est, hanc admonitionem nullum plane effectum produxisse, et verba Confessarii, utut apposita et fervida, nec intellectum, nec voluntatem et cor poenitentis tetigisse, sed in petrosa cecidisse. Quomodo autem sperari potest, secundam, imo et tertiam admonitionem efficaciorem fore, nisi poenitens *extraordinariâ dispositionis signa* exhibeat? Imo si quis post primam admonitionem, remedia praescripta fideliter adhibuit, et jamjam *ex parte saltem se emendavit,* postmodum autem iterum consueto modo relabitur; facilius praesumi potest, ipsum *ex mera fragilitate* cecidisse, quatenus primo fervore refrigescente, vigilantiam ac sollicitudinem antea habitam sensim relaxavit.

Nec ullo modo timendum est, ne

1) Pag. 710. *s.* 3. — 2) Pag. 657. *s.* 1. — 3) Pag. 649. in fin. — 4) Pag. 658. integr. art. 1. et pag. 745. n. 3. — 5) Cfr. pag. 717. et seqq. art. 2. 3. 4. — 6) Pag. 711. — 7) Pag. 697. n. 6. et pag. 710. — 8) Pag. 696. n. 3.

certe dispositis absolutio differatur. Largissimus enim est S. Alphonsus, ut jam supra exposuimus, [1] in admittendis signis extraordinariis. Unde, si quis recidivus, qui hucusque nullam plane curam et operam ad se emendandum contulerat, et ideo evidenter demonstrat, dolorem et propositum requisitum hucusque sibi defuisse, immediate ante confessionem vel in ipsa confessione voluntatem suam mutavit: moraliter impossibile est, ut hanc mutationem non aliquo ex signis extraordinariis a S. Doctore enumeratis manifestaverit vel manifestet. – Et si demum in casu rarissimo, qui difficile cogitari potest, poenitens hanc mutationem nullo modo proderet, dilatio absolutionis ad majorem fervorem in extirpanda consuetudine ipsum exaltaret, et ideo in majorem ejus utilitatem cederet: nisi forte in certis circumstantiis probabiliter opponi timendum esset. Quo in casu, decet S. Alphonsus:

3. Occurrente aliqua justa et gravi causa, « *nempe si negata absolutione, notabile detrimentum immineret animae poenitentis* », *sub conditione* potest, imo et aliquando debet absolvi recidivus, *etsi dubie dispositus;* videlicet, si esset periculo mortis, si urgeret necessitas suscipiendi communionem, ad vitandum scandalum aut infamiam; vel si prudenter timeretur quod peccator ille non amplius ad confessionem redibit, et in peccatis suis tabescet. [2]

4. Itaque concludimus: *Universa doctrina S. Alphonsi de recidivo dubie disposito, gravissimis Auctoritatibus extrinsecis nec non et rationibus inconcussis innixa* (quidquid opponat cl. Ballerinius), *sana, vera et sapientissima est.*

II. – De Recidivo satis disposito.

1. Doctrina generalis S. Alphonsi haec est: Confessarius, ut medicus, « *potest* differre absolutionem poeni» tenti etiam disposito, et etiam sine » ejus consensu, semper ac prudenter » judicet dilationem esse utilem ejus » emendationi; imo, *tenetur* differre » absolutionem, quando judicat tale » remedium esse necessario utile sa» luti sui poenitentis. » [3] – Sapienter autem distinguit S. Doctor inter recidivum ex fragilitate *intrinseca,* et recidivum ex occasione *extrinseca.* Hinc docet:

2. Recidivo *ex occasione extrinseca,* etiamsi satis sit dispositus, « absolutio omnino differenda est, » usquedum tollatur occasio, si sit » voluntaria; si vero necessaria, do» nec periculum recidendi ex proxi» mo fiat remotum. » Ratio, quia « occasio per objecti praesentiam, » quae vividas excitat cogitationes, » vehementer movet sensus pronos » ad peccandum, affectumque ad pec» catum reddit intensiorem. » Secus agendo, « imprudenter agit Confes» sarius; nam alias eum relinquit in » probabili periculo infringendi pro» positum: eo quod talis poenitens, » post obtentam absolutionem, facile » negliget fugam necessario adhiben» dam, et sic sine dubio relabetur. » [4]

3. Recidivo autem *ex fragilitate intrinseca,* sufficienter disposito per signum extraordinarium, raro differenda est absolutio: « quia periculum » in eo infringendi propositum est ma» gis remotum, cum ex una parte » non adsit causa extrinseca ad pec» catum impellens, et ex alia, ma» jora Deus praebebit auxilia poeni» tenti ad extirpandum pravum ha» bitum, qui ipsi nolenti ac dete» stanti inest. » [5] – Verum ab ista regula generali S. Doctor excipit *Clericum ordinandum,* in vitio turpi habituatum. [6]

4. Haec S. Alphonsi doctrina sapientissima est, et non tantum rationibus convincentibus, sed etiam

1) Pag. 653. *nota.* — 2) Pag. 654. *n. 431. et 432.* — 3) Pag. 752. *n. 462.* — 4) Pag. 753. *xi 1°.* etc., et pag. 771. *§.* 3.— 5) Pag. 753. *Ut autem* etc., et pag. 768. *§.* 2.— 6) Pag. 778. *§.* 4.

communi DD. suffragio sustentatur.[1] Objectiones autem et difficultates, quas P. Ballerini movet, nullius momenti esse, satis superque demonstravimus.

III. – Uno verbo: cum inter doctrinas immediate ad praxim Confessarii spectantes, nulla majoris sit momenti, quam recta a rigorismo pariter ac laxismo aliena methodus, consuetudinariis et recidivis absolutionem conferendi aut differendi: jure optimo *speciale de disciplina morali meritum S. Doctori nostro vindicamus,* quippe qui hanc doctrinam clare et praecise tradidit atque propugnavit.

Longiorem hanc quaestionem ipsius S. Alphonsi verbis concludere juvat: ex quibus iterum luculenter apparebit, S. Doctorem in hac sapienti doctrina, tam a nimia benignitate, quam a nimio rigore sedulo declinasse, atque unice animarum utilitatem et salutem prae oculis habuisse. – In Opere cui titulus: *Homo Apostolicus,* Tr. ult. n. 15. (quemadmodum et in Theol. mor. lib. 6. n. 464. in fine) sic scribit: « Aliqui Auctores, qui per solam rigoris viam » videntur velle animas salvas facere, dicunt recidivos pejores fieri, » cum ante emendationem absolvuntur. Sed ipse scire vellem ab his » magistris meis, an omnes recidivi, » cum sine absolutione dimittuntur, » carentes gratia Sacramenti, omnes » evadant fortiores, et omnes emendentur? Quot ego miseros novi in » exercitio Missionum, qui dimissi » sine absolutione, vitiis et desperationi se abjecerunt, et per plurimos annos omiserunt confiteri! » Caeterum repeto: *quisque se dirigere debet, juxta lumen quo donatur a Deo.* Hoc certum est, quod » in hac materia tam errant ii qui » plus justo sunt faciles, quam ii qui » sunt difficiles ad absolvendum. Multi quidem propter *nimiam facilitatem* sunt causa, quod tot animae » perdantur (*et negari non potest » quod isti in majori sint numero, » et majus damnum afferant,* dum » istis in majori numero accedunt » peccatores habituati); sed alii ob » *nimium rigorem* etiam magno sunt » damno animarum saluti. Et nescio, » an Confessarius debeat tantum sibi » scrupulum injicere, quando absolvit indispositos, et non etiam quando dispositos sine absolutione dimittit. – Concludo hic, et dico: Non » nego, quod *aliquando bene prodesse potest recidivo disposito dilatio absolutionis.* Dico secundo: Semper proderit, quod Confessarius » hujusmodi recidivos terreat, ostendatque ac si non posset eos absolvere. Dico tertio: *Ordinarie loquendo, recidivis ex fragilitate » intrinseca, et per signum extraordinarium jam dispositis, magis » absolutionis beneficium proderit, » quam dilatio. Utinam et Confessarii recidivos absolverent tum » solum, cum signa extraordinaria » afferunt! Id quod lugendum est, » quod major, ne dicam maxima » Confessariorum pars universaliter » recidivos absolvunt sine distinctione, sine signo extraordinario, sine » admonitione, et sine aliquo saltem remedio praestito ad emendationem; et hinc vere procedit, non » jam ab absolvendis dispositis, tot » animarum universalis pernicies.»

1) Cfr. pag. 760. art. 2.

PARS SEPTIMA

DE SACRAMENTO MATRIMONII

QUAESTIO I.

An sint valida Sponsalia contracta per metum levem, qui dederit causam contractui.

(S. Alph. Lib. VI. n. 844. q. 2. et 3. — P. Ball. Tom. II. n. 724. q. 2.)

Ad hanc sibi propositam quaestionem, S. Alphonsus Lib. VI. n. 844. q. 2. sic respondet: « *Prima sententia negat;* et hanc tenent Navarrus, Lessius, Roncaglia, et Bossius cum Rebello, Comitolo, Sylvestro, etc. Ratio, quia is qui per metum (etsi levem) extorquet consensum alterius, adhuc injuriam ei irrogat; unde indignus est, ut ex sua malitia commodum reportet. – *Secunda* vero sententia *communior et probabilior affirmat;* et hanc tenent Bonacina, Pontius cum Medina, Salmanticenses cum Aversa, Croix, Viva et Mazzotta. Ratio, quia non censetur alter veram injuriam tibi intulisse, cum facile poteras tu metum illum repellere; quare, si non repulisti, censeris sponte voluisse talem injuriam pati.

» Quaeritur 3. *An qui contraxit Sponsalia ex metu levi dante causam contractui, possit illa in conscientia rescindere?* Prima sententia *negat;* et hanc tenent Pontius, et Viva cum Perez, Medina, etc. Et ratio est eadem, quae mox supra adducta est pro secunda sententia in quaest. praec. Haec sententia est *satis probabilis.* – Sed *communior est, et probabilior videtur secunda sententia affirmans,* quam tenent Laymann, Sanchez, » Wigandt, Bonacina, Salmanticenses, Mazzotta, Croix cum Becano, » et Lugo cum Azorio, Reginaldo, » Lopez, Ledesma, etc. et probabilem » putat Viva. Ratio quia, cum metus dederit causam contractui, ita » ut alias initus non fuisset, incutiens metum tenetur contractum » rescindere. Unde, sicut ille tenetur » relaxare fidem injuste per talem » metum extortam, ita metum passus potest fidem datam revocare. » Idque tanto magis procederet, si » hic apprehendisset metum illum » ut gravem, licet in se fuisset levis; quia, eo casu, talem metum » non facile repellere poterat, sicut » poterat quando novisset ut levem... »

Ad pleniorem quaestionis intelligentiam, addere juvat quae alibi S. Doctor tradit. – *Lib. III. n. 718.* quaerit: « Utrum Contractus ex metu *levi* initus, sit *rescindibilis* arbitrio metum passi? » Et suam exponens sententiam, ait: « Secunda vero sen» tentia mihi *probabilior,* quam te» nent Pontius, Tamburini, et Viva » cum Perez, Medina, etc., dicit, *ne» que in foro externo, neque inter» no, rescindi posse Contractum ini» tum ex metu levi.* Ratio, quia non » praesumitur consensisse ex metu, » sed vere sponte, qui noverit esse » levem, et cum facile potuisset,

» non rejecit. » - Deinde subjungit : « *Excipienda tamen censent Sal-* » *manticenses omnino esse Sponsa-* » *lia, quae etiam per metum levem* » *contracta, rescindi possunt per* » *judicis sententiam : ex maxima* » *libertate, quam Sponsalia requi-* » *runt.* »

P. Gury, T. II. n. 724. q. 2. p. 613.[1] similiter quaerit: « *An valeant Sponsalia ex metu levi inita?* Resp. *affirm.* Ratio est, quia incutiens metum levem non censetur alteri gravem injuriam inferre; siquidem hic metum talem facile contemnere potest, ac proinde censetur sponte voluisse injuriam pati... *S. Lig.* n. 844. Lacroix, n. 105. etc. – *Negant tamen nonnulli,* quia nemo tenetur injuriam pati, nec proinde per injuriam obligari potest. »

Cl. autem Ballerinius duplici argumento evertere conatur majorem probabilitatem sententiae, quam tuetur S. Alphonsus. Ad praefata namque verba Patris Gury, sequentia subnectit: « *S. Alphonsus* (Lib. 6. » n. 844. q. 2.) *non negat, hanc quo-* » *que posteriorem sententiam esse* » *probabilem; nec immerito eam ut* » *probabiliorem alii habebunt.* – Res » enim semper eo recidit, ut alter » per injuriam *cogatur* ad alteru- » trum, nempe, aut ad malum ali- » quod, quodcumque illud sit, certo » subeundum, aut ad admittendum » contractum, quem alioqui nollet » admittere. Atqui hoc naturali legi » repugnat, quippe quae exigit, tum » ut jus suum cuique sartum serve- » tur, tum ut, si forte laesum fue- » rit, in integrum denuo restituatur. » *Neque firma est oppositae senten-* » *tiae ratio;* falsum est enim, *sponte* » injuriam admitti, quando quis ini- » que ad alterutram injuriam sub- » eundam *necessario cogitur.*

» Pro eadem sententia facit ratio, » qua S. Alphonsus *(l. c. q. 3.)* cum » communiori ac probabiliori DD. » probat, eum, qui levem quoque » metum passus est, posse contra- » ctum rescindere: quia nempe *sicut* » *hic* (scilicet injustum metum in- » cutiens) *tenetur relaxare fidem in-* » *juste per talem metum extortam,* » *ita metum passus potest fidem da-* » *tam revocare.* – Et sane, nisi abuti » verbis velimus, *nunquam validus* » dici poterit contractus, qui *nullam* » *pariat obligationem;* atqui *nulla* » reipsa est dicenda *obligatio,* quam » quis, ut in praesenti, *pro lubitu* » *potest excutere;* merito igitur con- » tractus dici debet *ipso jure natu-* » *rae invalidus.* »

Dein cl. Professor advertit (et recte quidem), quaestionem haud parvi esse momenti; cum ab ea dependeat altera, scilicet, an in casu contractum fuerit impedimentum publicae honestatis. – Unde sic prosequitur: « Neque cuipiam videatur perinde » esse, sive haec Sponsalia jure ipso » invalida dicas, sive valida, sed re- » scindibilia ad arbitrium illius, qui » metum passus fuerit. Hoc enim » summi momenti intercedet discri- » men, quod in postrema hac senten- » tia, *publicae honestatis impedi-* » *mentum* e contractu exsurgat, in » priori vero nequaquam: cui, cum » sua negari non possit probabilitas, » hinc probabile omnino erit, nullum » impedimentum ex eo contractu ori- » ri, atque adeo valide ac licite ma- » trimonium contrahi: ex regula ge- » nerali, quam in casu dubii impe- » dimenti jure ecclesiastico inducti, » ex communi DD. tradi infra vide- » bimus. »

Duo itaque examinanda veniunt : I. Utrum praefata *argumenta cl. Professoris* probabilitatem certe majorem sententiae S. Alphonsi evincant, aut saltem infirment; II. Quid, relate ad *impedimentum publicae honestatis* ex hujusmodi Sponsalibus proveniens, concludi possit.

I. - Ad *argumenta* quod attinet, quibus cl. Ballerinius opinionem suam firmare conatur, prius nullius est

1) In altera edit. pag. 488.

valoris, et alterum vix gravioris censendum est ponderis.

1. « *Res semper eo recidit* (ait cl. Professor), *ut alter per injuriam* COGATUR *ad alterutrum, nempe, aut ad malum aliquod, quodcumque illud sit, certo subeundum, aut ad admittendum contractum, quem alioqui nollet admittere.* »

Sed hic merum habes sophisma. Etenim, ubi non adest nisi metus *levis* (prout in praesenti quaestione supponitur), ibi nec censetur (uti advertit S. Alphonsus) adesse *veram injuriam;* nec metum passus proprie dicitur *cogi,* cum *facile* possit hujusmodi metum repellere. Si qua igitur sit injuria, metum passus merito censetur quasi sponte voluisse talem injuriam admittere; cum ad ipsam subeundam non necessario coactus fuerit: juxta illud Juris (reg. ff.): *Vani timoris nulla est excusatio.*

Dum ergo cl. Professor asserit: « Neque firma est oppositae sententiae ratio; falsum est enim, *sponte* injuriam admitti, quando quis inique ad alterutram injuriam subeundam *necessario cogitur* »: ipse ut indubium atque ab omnibus admissum supponit, id quod praecise negatur, scilicet, in casu veram adesse *coactionem.*

2. In altero argumento, P. Ballerini duo confundit, quae omnino sunt diversa et distincta, contractum nempe *nullum,* et contractum *rescindibilem.* - « *Et sane* (inquit), *nisi abstuti verbis velimus, nunquam validus dici poterit contractus, qui nullam pariat obligationem; atqui nulla reipsa est dicenda obligatio, quam quis, ut in praesenti, pro lubitu potest excutere; merito igitur contractus dici debet ipso jure naturae invalidus.* »

Verum cl. Professor verbis non leviter abutitur. Nam, eo ipso quod contractus est rescindibilis, non est invalidus: cum nemo id rescindat, quod non existit. - Utique nunquam validus dici poterit contractus, qui *nullam* pariat obligationem; de contractu autem *rescindibili* dici nequit, quod nullam obligationem pariat, quin potius in utroque contrahente (ut ex supradictis constat) veram et naturalem obligationem parit. Hinc ille qui metum incussit, nullam rescissionis causam afferre potest, ac proinde tenetur stare contractui, donec ab altero solvatur. Qui vero metum levem passus est, cum dicere possit: Si liber fuissem, non contraxissem; imo cum aliqualem, etsi non gravem, passus fuerit injuriam: ex probabiliori sententia, justam habet causam, sive in judicio, sive etiam in conscientia, contractum sponsalitium rescindendi. Excipe, si contractum juramento firmaverit; quia tunc, ad veritatem juramenti servandam, tenetur ad promissa, nisi a vinculo juramenti solvatur.

3. Ex dictis sequitur, firmiter atque in toto suo robore stare sententiam, quam S. Doctor cum communiori probabiliorem censet, nempe, *non esse invalidum* contractum sponsalitium, ex metu *levi* initum. - Recte insuper cum communiori docet S. Alphonsus, hujusmodi contractum *probabilius esse rescindibilem;* satis tamen probabilem censet sententiam oppositam, quia metum passo non sat gravis, seu non vera illata fuit injuria.

II. - Adnotationem suam cl. Professor sic concludit: « *Cui* (opinioni neganti scil. validitatem sponsalium), *cum sua negari non possit probabilitas, hinc probabile omnino erit, nullum impedimentum* (publicae honestatis) *ex eo contractu oriri, atque adeo valide ac licite matrimonium contrahi; ex regula generali, quam in casu dubii impedimenti jure ecclesiastico inducti, ex communi DD. tradi infra videbimus.* »

1. At vero certum est, hujusmodi conclusionem non valere. Ut enim ultima ista regula applicari possit, non sufficit quaelibet incerta, aut a quibusdam tantum asserta probabilitas; sed requiritur, ut opinio nul-

litati seu non-existentiae impedimenti favens, ab Auctoribus universe vel certe tanquam probabilis recepta sit. – Qua de re, S. ALPHONSUM audiamus. Cit. Lib. VI. *n. 901.* quaerit: « *An liceat matrimonium contrahere cum dubio de impedimento dirimente?* » Et respondet: « Antequam » diligentia adhibeatur ad veritatem » assequendam, certum est non licere. Post vero diligentiam adhibitam, *communiter* docent DD., *posse* » contrahi matrimonium cum opinione probabili, probabilitate juris, de » carentia impedimenti: *modo opinio illa sit* UNIVERSE *vel* CERTE *ab AA. recepta ut* PROBABILIS. Ita Sanchez, » Palaus, Cardenas, Viva, Suarez, » Croix, Bossius, Mazzotta et Holzmann, cum communi; hancque sententiam vocant tutam et *moraliter certam* Cardenas, Holzmann, » Viva, et Croix cum aliis. »

2. Porro, omnino negandum est, opinionem quae nullitatem asserit sponsalium ex metu levi initorum, *universe* aut *certe* ab Auctoribus receptam esse ut *probabilem.* [1] Quinimo *Salmanticenses* (de matr. cap. 1. n. 60.) expresse docent: « *Si metus fuerit levis,* CERTUM EST *non redere ipso facto irrita sponsalia, sed irritanda.* » – Insuper P. Ballerini haud recte asserit: « *S. Alphonsus non negat, hanc* (negativam) *sententiam esse probabilem* »; siquidem ipse auctoritates huic opinioni faventes simpliciter refert, quin de illius probabilitate ullum judicium proferat. Et huc sane faciunt, quae S. Doctor in Praefatione Operis monet: « *Quando unam ex sententiis probabiliorem appello, nullo judicio dato de probabilitate alterius, non propterea intelligo eam probabilem dicere, sed judicio prudentiorum remittere.* » – Quonam itaque jure cl. Professor affirmet « *nec immerito eam* (negativam) *ut probabiliorem alii habebunt* », vix intelligimus; eo magis, quia, quinam sint isti alii, indicare omisit.

3. Hinc concludimus, probabilius standum esse pro *validitate sponsalium,* et pro *invaliditate matrimonii,* quod, stante impedimento publicae honestatis certe probabilius contracto, ab uno sponsorum cum alterius consanguineis in gradu prohibito, absque dispensatione iniretur.

QUAESTIO II.

An, per Impedimentum superveniens, Sponsalia dissolvantur.

(S. Alph. Lib. VI. n. 857. — P. Ball. Tom. II. n. 730.)

Lib. VI. num. 857. S. ALPHONSUS ad hanc quaestionem sic respondet: « Hic distinguendum: Si impedimentum sit *impediens,* communissime » et probabilius Sanchez, Palaus, » Escobar cum Paludano, Bonacina » cum Reginaldo, et Salmanticenses » cum Coninchio, contra Sotum, » Aversa et Ledesma, negant sponsalia dissolvi, nisi impedimentum » proveniat ex voto religionis, et » valde probabiliter etiam castitatis,

1) Eadem valet responsio ad longiorem adnotationem *(ad n. 788. q. 2.)*, in qua cl. Ballerinius ceu controversam exhibet quaestionem: « *An incurrantur, licet ignorata, ea quoque impedimenta, quae videntur habere rationem poenae, ut impedimentum criminis?* » Rationes quas affert, ad demonstrandam sententiae *negantis* probabilitatem, non sunt quidem despiciendae, nec ab ipso S. Alphonso *(lib. 6. n. 1036.)* reprobari videntur. Attamen ista probabilitas non *universe* aut *certe* probatur; et ideo in praxi ad nihil inservire potest, sed a Sacris Tribunalibus petenda est impedimenti relaxatio.

» juxta dicenda n. 873. dub. 1. Ratio, » quia alia impedimenta hodie non » vigent, nec indigent dispensatione. – Si vero impedimentum sit *dirimens,* certum est apud omnes..., » dissolvi ex parte *innocentis,* ita » ut iste non teneatur admittere dispensationem. Sufficit autem ad solvenda sponsalia, sola *fama* hujusmodi impedimenti, ut bene advertit Viva, ex *Cap. Cum in tua* 27. de spons., et C. *Super eo* 2. de consang. ubi: *Si non est manifestum, fama tamen loci hoc habet,* etc. Ad hoc tamen requiritur fama, non sufficit rumor: *fama* est, quando adest opinio impedimenti apud majorem partem viciniae; *rumor,* apud minorem. Viva. – Sed dubium est, an tunc sponsalia solvantur etiam ex parte *nocentis.* Affirmat *Dicastillus,* et probabile putant *Salmanticenses;* quia, supposito tali impedimento, jam factum est impossibile matrimonium. *Negant* vero *communius et probabilius* Sanchez et Palaus cum Coninchio et Guttierez, qui dicunt, tunc suspendi obligationem sponsalium, donec tollatur impedimentum; quia aequum non est, ut delinquens commodum ex suo crimine reportet, ex *C. 2. de transl. praelat.* Sed

» *858. Dubitatur 2. An qui impedimentum apposuit, teneatur dispensationem obtinere, vel ipsam oblatam acceptare?* – Alii, ut Filliuccius, Coninchius, et Aversa apud Salmanticenses, dicunt, *non teneri,* etiamsi sponsalia fuerint jurata, nisi ad hoc obligetur ratione damni illati, nempe deflorationis, vel famae deturpatae; tum quia promissio intelligitur facta, rebus in eodem statu manentibus, ex *C. Quemadmodum de jurejur.;* tum quia nemo tenetur a lege se extrahere per dispensationem. – Alii vero, ut Roncaglia, Palaus cum Ochagavia, ac Salmanticenses cum Ledesma, etc., dicunt, *teneri,* adhuc » praeciso damno illato, ad procurandam dispensationem, una cum » diligentia et expensis, quae communiter pro tali dispensatione fieri » solent, etiamsi essent magnae. Ratio, quia tenetur quisque modo quo » potest resarcire jus alterius, quod » ipse injuste laesit, apponendo impedimentum. – Alii demum *probabilius,* ut Sanchez, Viva, Wigandt, » Bonacina cum Guttierez, et Sporer » (cum communi ut asserit), dicunt, » *teneri quidem, etiam secluso damno illato, si dispensatio facile » posset impetrari; secus, si ad eam » requirerentur magnae expensae et » longa mora;* quia obligatio orta ex » sponsalibus urget sponsum ad apponenda media tantum ordinaria et » facilia, non autem difficilia et extraordinaria. Excipit tamen Sporer » cum Tamburini, *nisi esset reparandum damnum deflorationis vel famae,* ut supra: quia tunc teneretur etiam magnam expensam erogare; sed non tantam, ut cogeretur » a suo statu decidere. »

P. Gury, T. II. n. 730. pag. 620.[1] inter causas, ob quas sponsalia dissolvi possunt, impedimentum superveniens adfert. – Quocirca P. Ballerini adnotat: « Intellige impedimentum *dirimens,* et quidem *jure naturae.* Nam si impedimentum sit » dirimens solum *jure ecclesiastico,* » licet obligatio cesset ex parte innocentis, at non item ex parte ejus, » qui culpa sua causam impedimenti » apposuit, sed tantum suspenditur; » adeo ut hic (nisi inde damnum incurrat multo gravius, quam pars » laesa ex nuptiarum omissione) teneatur dispensationem impedimenti » petere, eoque sublato, si adhuc velit pars laesa, fidem eidem datam » implere. *Neque de hac re dissentiunt reipsa Doctores. Discrepantia enim, quam suspicari quis » posset ex iis, quae S. Alphonsus* » (Lib. 6. n. 857. 858.) *refert, tota*

1) In altera edit. pag. 494.

» *prorsus Salmanticensium* (De matr. » cap. 2. a n. 70.) *oscitantiae et ne-* » *gligentiae in sententiis DD. de-* » *scribendis debetur.* »

I. – Quaestio itaque quam P. Ballerini hic movet, est de impedimento *dirimente,* et quidem in quantum tale impedimentum respicit *nocentem.* Testante ergo cl. Professore, omnes DD. in hac quaestione conveniunt, nec ulla existit discrepantia. *S. Alphonsus* plures quidem diversas sententias refert, sed falsa haec discrepantia « *tota prorsus Salmanti-* » *censium oscitantiae et negligen-* » *tiae debetur.* » – Utrum revera ita se res habeat, paulisper examinabimus.

1. Ante omnia, quaedam praenotare juvat. Tum S. Alphonsus, tum caeteri Doctores, si aliquos Auctores minus recte citari advertunt, id simpliciter adnotare solent, veniam dantes et petentes. Memores enim sunt, nullum plane Doctorem reperiri ab allegationibus minus rectis prorsus immunem. – Aliter cl. Professor noster; quamvis ipse, ut vix quispiam alius, veniae indulgentiaeque indignus. Eximiis Doctoribus, quales ex communi existimatione *Salmanticenses* sunt, *oscitantiam et negligentiam* exprobrat. Supponendum esset, quod saltem non temere acerbam hanc animadversionem protulerit, quod saltem antea rem diligentissime examinaverit. Verum, quod summopere dolendum est, ne hanc quidem cautelam adhibuit; et oscitantiae ac negligentiae, haud excusabilis, exprobratio potius in cl. Professorem redundat, qui, textus citatos revolvendo, non tantum oscitasse, sed dormitasse videtur.

2. En verba *Salmanticensium :* « Addit probabiliter *Dicastillo,*[1] *solvi immediate et proxime sponsalia ex parte utriusque partis, sive culpabiliter sive inculpabiliter impedimentum adveniat.* Et ratio est, quia nemo tenetur ad id, quod non potest; et, supposito tali impedimento, jam est impossibile matrimonium ex parte utriusque. »

3. Audiamus ergo *Dicastillum, S. J.,* qui l. c. *n. 553.* praemittit, Auctores communiter convenire, superveniente impedimento dirimente, sponsalia dissolvi posse ex parte alterius, qui non fuit causa impedimenti; et pergit: « *554.* Ratione generali probari potest, *neutrum* illorum, supposito impedimento, sive culpabiliter, sive inculpabiliter inducto, manere obligatum immediate et proxime ad matrimonium; nemo enim potest obligari ad id, quod fieri non potest; obligaretur autem ad id, si sponsalia non dissolverentur superveniente illo impedimento. – *555.* Hinc est, ut supposito impedimento affinitatis in primo et secundo gradu orto ex copula illicita, sponsalia dissolvantur, quando sponsus copulam habet cum consanguinea in eo gradu, per quam fit affinis. Ita Sanchez, Guttierez, Coninchius, Reginaldus, Chamerota, Petrus de Ledesma, Valentia, Speculum, Henriquez et alii, quos refert et sequitur Bonacina,[2] et alii multi. »

« *556.* Dixi: *non manere obligatum immediate et proxime;* nam quod attinet *ad obligationem petendi aut procurandi dispensationem* in impedimento, *controversia est inter Auctores, an saltem ille, qui dedit causam impedimento, teneatur dispensationem petere et procurare.* – *557.* Prima sententia absolute et absque limitatione docet *teneri.* Ita Petrus de Ledesma,[3] Ochagavia[4] et alii recentiores; quia nimirum contra jus alterius apposuit libere impedimentum, ac proinde ex justitia tenetur ad illud auferendum. – Sanchez vero, Coninchius, Guttierez, Bonacina, putant hoc ipsum *cum limitatione tamen, si dispensatio commode possit impetrari;* quando enim commode haberi nequit, aut

1) Tr. 10. disp. 1. dub. 38. — 2) Q. 1. punct. 7. n. 4. — 3) Q. 43. art. 3. — 4) Q. 23.

absque magnis sumptibus, non videtur se ad impletionem sponsalium voluisse obligare medio valde extraordinario et difficili : *nisi forte quando pars innocens notabilem jacturam patitur ex non impletis sponsalibus;* a qua sententia parum abest Filliuccius, [1] dum docet, non teneri, nisi quando altera pars notabilem patitur jacturam. »

« *558.* Aliqui recentiores putant *tantum teneri, quando dans causam impedimento advertebat, tale impedimentum contrahi.* Quae sententia non differt a praecedenti, si recte praecedens intelligatur; expresse enim loquuntur Auctores de apponente libere impedimentum : non censetur autem apponere libere impedimentum, qui vel ignorat vel non advertit impedimentum; tunc enim libere non damnificavit, neque libere impedivit, quamvis fecerit id, unde impedimentum oriretur. – *Quae sententia hoc modo intellecta mihi placet; tota enim ratio procurandi dispensationem ad resarciendum damnum, provenit ex damno culpabiliter illato;* in hoc autem casu non intulit culpabiliter. Unde si quis post contracta sponsalia habuit copulam cum consanguinea, praedictâ ignorantiâ vel inadvertentiâ inculpabili juris aut facti, i. e. vel nesciens aut non advertens illam esse consanguineam sponsae, quantumvis peccaverit fornicando, non peccavit inferendo damnum illud appositionis impedimenti; sicut qui invincibiliter ignorat eum, quem percutit esse clericum, etiamsi peccet contra justitiam percutiendo hominem, non peccat peccato sacrilegii percussionis clerici. »

« *559.* Illud autem mihi omnino certum est, *si damnum* quod sequitur ex non impletis sponsalibus, *sufficienter possit alia via compensari, non teneri praedictum ad petendam dispensationem determinate;* sed, vel ad dispensationem petendam, vel ad damnum alioquin compensandum. Ratio est, quia jam non tenetur formaliter ex promissione sponsalitia, sed *ex damno illato seu emergente ex apposito libere impedimento;* hoc autem damnum resarciri potest, vel obtinendo dispensationem, vel alia via, ut supponimus. »

Idipsum ergo ad verbum *Dicastillus* docet, quod *Salmanticenses* ipsi tribuunt, et obligationem petendi aliquando dispensationem non ex sponsalibus, quorum obligationem ex utraque parte penitus extinctam censet, sed *unice ex damno illato* ipse deducit; quare si damnum alia via sufficienter compensari potest, sponsum a petenda dispensatione eximit.

4. Eamdem sententiam, Dicastillum citans, tenet *Herincx:* [2] « Secundo solvuntur sponsalia, si inter sponsos aliquod impedimentum oriatur, v. g. si sponsus carnaliter cognoverit sororem sponsae, aut illius consanguineam in secundo gradu. Imo ad ea dissolvenda sufficere publicam impedimenti famam, putat Navarrus et alii, et colligitur ex C. *Cum in tua,* de sponsalibus. Fieri tamen potest, ut, qui advertenter impedimentum hujusmodi posuit, obligetur ad petendam dispensationem, *vel* ad reparandum aliter damnum sponsae illatum. *Vide Dicastillo.* » [3]

5. Sed etiam aliqui Auctores, quos Dicastillus pro secunda allegat sententia, potius cum ipso sentiunt. – Sic *Filliuccius, S. J.,* [4] ad quaestionem : « *An solvantur (sponsalia) per juris impedimentum?* » respondet : « Solvi per superveniens impedimentum juris; et quidem, *si sit dirimens, omnes fatentur* ex Sanchez, disp. 56. Si *impediens* tantum, *probabile est non solvi,* excepto voto Religionis, de quo diximus q. 5. *Is autem, cujus culpa contractum est impedimentum dirimens, tenetur impetrare dispensationem* in casu, quo femina patiatur *notabilem jacturam famae,* supposito, quod innocens

1) Cap. 8. q. 8. — 2) De matr. disp. 1. n. 35. — 3) Disp. 1. dub. 38. — 4) Tr. 10. p. 1. n. 291.

velit impleri sponsalia, non autem his cessantibus. » – Cum ergo Filiuccius indistincte affirmet, sponsalia dissolvi superveniente impedimento dirimente, et sponsum eo solo casu obliget, quo sponsa notabilem famae pateretur jacturam, *ex sola ratione damni illati* ipsum obligat, et ideo supponit, damnum *alia via* resarciri non posse.

6. Audiamus nunc *Bonacinam* [1] dicentem: « Sponsalia etiam jurata dissolvuntur per impedimentum dirimens matrimonium, quale impedimentum est error personae, affinitas superveniens, etc. Ratio est, tum *quia non est obligatio ad id, quod fieri non potest:* esset autem obligatio ad id, quod fieri non potest, si sponsalia non dissolverentur superveniente impedimento dirimente; tum quia minus vinculum sunt sponsalia quam matrimonium; ergo impedimentum dirimens matrimonium potest etiam dirimere sponsalia. Ex quo sequitur, sponsalia dissolvi, quando sponsus copulam habet cum consanguinea sponsae in primo vel secundo gradu. »

Absolute igitur negat Bonacina, obligationem aliquam *ex sponsalibus contractis* subsistere, et eamdem, quam Dicastillus, adfert rationem. – Verum est, quod *n.* 9. quaestionem ponit: « *Utrum sponsus, qui post sponsalia contraxit impedimentum dirimens, teneatur impetrare dispensationem impedimenti?* » Et respondet: « *Teneri, quando commode potest impetrare,* aut quando alioquin sequeretur sponsae *grave damnum,* ut accidit, quando defiorata fuit a sponso, aut quando *gravem famae jacturam* pateretur. Ratio est, quia par non est, ut sponsus commodum et immunitatem reportet ex suo delicto; commodum autem et immunitatem reportaret, si non teneretur impetrare dispensationem illius impedimenti. » – At vero, cum secundum praemissa, ex sponsalibus contractis nulla obligatio subsistat, *solam rationem damni illati* admittit. Obligatio autem, qua non tenemur, nisi in quantum *commode* fieri potest, obligatio aequitatis potius vel convenientiae est dicenda, non vero justitiae; nam justitia non tantum obligat, si commode fieri potest: secus, obligationes justitiae vix unquam ab invitis adimplerentur.

II. – *Unanimis* itaque Doctorum in hac quaestione consensus, quem affirmat P. Ballerini, in veritate non existit; quinimo Doctores in *tres* diversas abeunt sententias.

1. *Prima* absolute et indistincte affirmat, sponsum *teneri* ad petendam dispensationem; quia libere impedimentum apponens, quo jus sponsae laeditur, ex justitia ad illud auferendum tenetur. – *Secunda* e contrario absolute *negat,* sponsum teneri ex sponsalibus contractis: quia nemo ad id obligatur quod fieri nequit; nullumque alium titulum obligationis dispensationem petendi admittit, praeter damnum illatum, quod alia via resarciri non potest. – *Tertia* demum affirmat, sponsum teneri ex sponsalibus, sed *cum distinctione.* Si enim requirerentur magnae expensae et longa mora, non tenetur; quia obligatio orta ex sponsalibus solummodo ad adhibenda media ordinaria et facilia urget, non autem ad difficilia et extraordinaria, nisi damnum deflorationis aut famae reparandum esset. Et hanc *tertiam* sententiam *S. Alphonsus* probabiliorem censet.

2. Tantum ergo abest ab unanimi DD. consensu, ut *haec quaestio* potius *maxime controversis* accensenda sit.

1) De Sponsal. punct. 7. n. 5.

QUAESTIO III.

An solvi possint Sponsalia per novam haereditatem sponso supervenientem.

(S. Alph. Lib. VI. n. 876. — P. Ball. Tom. II. n. 731.)

Quid hac de re doceat S. Alphonsus, audiamus. – Lib. VI. n. 876. affert textum *Busembaumii:* « Si sponso nova superveniat haereditas, ita ut illi sponsa jam sit inaequalis, *non habet ideo jus resiliendi,* quia non est deceptus in conditione sponsae, in qua nulla facta est mutatio. Idem est de sponsa, si ipsi haereditas nova superveniat. Sanchez, Cominchius, Reginaldus, Diana. »

Hisce autem verbis S. Alphonsus adjungit: « Ita cum Busembaum sentiunt *communissime* Palaus, Sanchez, Concina, Roncaglia, et Escobar cum Guttierez. Sed contradicunt Hurtado, Trullenchus, Leander et Ochagavius, apud eumdem Escobar (qui probabile putat), eo quod in tali casu jam accedit notabilis rerum mutatio. – Juxta autem primam sententiam dicit *Croix,* quod *si quis contraxit sponsalia cum una, et postea offeratur ei conjugium cum altera ditiore, non poterit primam relinquere,* quia tunc nulla in ea facta est mutatio. Sed *si qualitas secundae sponsae esset excedenter melior, ego non auderem sponsum omnino damnare, si cum illa contrahere vellet;* licet enim in hoc casu, non mutetur status sponsae sive sponsalium, tamen (ut communiter dicunt DD.) sponsalia non obligant, nisi rebus in eodem statu manentibus; unde, sicut non teneretur sponsus illa exequi cum magno suo damno, ita nec teneri, alicui videri posset, cum amissione magni lucri: talis enim amissio gravi damno aequiparatur, ex *l. un. c. de sent. quae pro eo,* etc., juxta dicta *Lib. 3. num. 301.* Et sic invenio in vita S. Joannis a Capistrano, cap. 9. sensisse plures Theologos in hujusmodi casu, quamvis *ipse S. Joannes* contrariae fuerit sententiae, *a qua revera abscedere, nec unquam ego consulere auderem.* »

P. Gury, T. II. n. 731. pag. 621.[1] item quaerit: « *An sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia, si sponso adveniat pinguis haereditas?* » – Et respondet: « Controvertitur. Alii *negant,* quia nihil prorsus ex parte sponsae mutatum est. Alii vero *affirmant,* quia idem status inter utrumque sponsum non amplius existit, et si sponsus hanc mutationem fortunae praevidisset, nullo modo cum tali persona contrahere voluisset. Hanc sententiam satis probare videtur *S. Lig.* n. 876.

Ad hunc textum, P. Ballerini sequentia adnotat: « *Cum sat probabilis sit ista sententia* (scilicet *affirmans*), prouti concedunt illi quoque, qui oppositam praeferunt, *non potest igitur Confessarius ad matrimonium obligare.* Mendo autem typographico videtur tribuendum, quod penes S. Alphonsum *(Lib. 6. n. 876.)* prima dicatur *communissima,* cum et pro secunda plures afferri possint. »

Praenotare juvat, in cit. num. a S. Doctore duos diversos casus pertractari, quos P. Gury confundit. Alter est: si sponso *nova haereditas* superveniat; alter vero: si postea illi offeratur *conjugium cum alia ditiore.* De *priori* casu, S.A. dicit, *communissimam* esse sententiam quae *negat* solvi posse sponsalia. De *secundo* tantum dicit, quod *non auderet sponsum*

1) In altera edit. pag. 494.

omnino damnare, si qualitas alterius sponsae esset excedenter melior; at nihilominus concludit, quod *a contraria sententia abscedere nunquam consulere auderet.* Nec ratio affirmans, amissionem magni lucri aequiparari positivo damno, ad primum casum quadrat.

Quibus praemissis, ad assertiones cl. Ballerinii breviter respondebimus: I. Sententiam *negativam* a S. A. revera censeri et esse *communissimam;* II. Veram non esse generalem assertionem, quod sententia *affirmativa sat probabilis* dicatur *ab iis etiam Auctoribus,* qui *negativam* tuentur; III. Perpendemus conclusionem, quam cl. Professor exinde deducit, videlicet *Confessarium non posse obligare ad matrimonium;* IV. Demum, quid de eadem conclusione sentiendum sit, paucis examinabimus.

I. - Nequaquam *mendo typographico* tribuendum est, quod S. A. primam sententiam *negativam communissimam* vocat; idem enim dicit, tum in variis Theologiae moralis editionibus, tum in Opere: *Homo apostolicus,* Tr. 18. n. 19.

1. Pro secunda *affirmante,* ut vidimus, S. Doctor citat *Hurtadum, Ochagavium, Trullenchum,* qui autem solummodo dicit: « Sententia haec admitti posset, quando nullum damnum, praeterquam quod non contrahere cum isto divite, sponsae sequitur », et ideo potius negativae adhaeret; ac demum allegat *Leandrum,* qui tamen utramque probabilem existimat. - Porro affirmativam tenent *Franciscus Amicus* et *Babenstuber,* nec non duo Auctores, quos Schmalzgrueber citat: *Schmier* et *Wex,* qui eam probabiliorem censent. - *Dicastillus* dicit, gravissimos DD. antiquiores et modernos doctissimos sententiam negativam tenere, et hanc doctrinam in praxi tutam et sequendam videri; sibi autem difficilem videri, quia notabilis mutatio ex parte illius, qui factus est dives, videtur sufficere, ut contractus matrimonii reddatur longe difficilior ex sua parte. - Et si forte alii adhuc sunt, qui affirmativam tuentur, pauci certe sunt.

2. Pro sententia vero *negativa,* praeter *Coninchium, Reginaldum* et *Dianam* a Busembaum allegatos, S. Alphonsus citat *Palaum, Sanchez, Concinam, Roncagliam, Escobar* et *Guttierez.* - Quibus permulti alii Theologi et Canonistae addi possunt: ut *Aversa, Bonacina, Martinus Perez, Salmanticenses, Antonius a Spiritu Sancto, Arsdekin, Sporer, Pirhing, Krimer, Pichler, Kugler, Koenig, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Leonardelli, Felix Potestas, Wigandt, Leonardus Jansen, Henno, Pontas, Mazzotta, Reuter, Antoine, Ferraris, Marcus Struggl, Amort, Holzmann,* qui [1] dicit: « Hinc fit, ut sponsus, cui supervenerunt notabiles divitiae vel nobilitas, resilire non possit, quando compars nullam subiit mutationem notabilem, quae praebeat illi causam resiliendi; ut recte docent Sanchez, Pirhing, Koenig *et alii passim contra paucos.* »

3. Idem testatur *Lacroix, S. J.:* [2] « *Plerique* cum Busembaum, Krimer, Kugler, dicunt, si unus repente fiat multo ditior vel honoratior, non ideo posse resilire; quia alter per hoc non est factus deterior, sed mansit qualis erat. »

4. Unde merito S. Doctor sententiam *negativam* vocat *communissimam,* et quidem tanto potiore jure, si attenditur regula generalis, Auctores *ponderandos* potius esse, quam numerandos.

II. - Asserit insuper P. Ballerini, illos quoque Auctores, qui primam sententiam negativam praeferunt, concedere, *oppositam satis probabilem esse.* Sed vera non est haec assertio.

1. Sunt inter supra citatos *aliqui,* qui eam ut probabilem admittunt,

1) De matrim. n. 263. — 2) Lib. 6. p. 3. n. 173.

ut expressis verbis, aut negativam robabiliorem tantum dicendo, ut *almanticenses, Leonardelli, Conina, Struggl* et *Schmalzgrueber*. - *Martinus Perez* [1] distinguit, dicens, ponsum resilire posse, si reflexioem habuit ad aequalitatem divitiaum vel bonorum; secus, si propter ulchritudinem sponsae, aliamve cauam, quae perdurat, sponsalia contrait. Et haec distinctio placet etiam *ucio Ferraris,* [2] praesertim, ut ait, uia haec ex parte convenit cum senentia negativa. - *Sporer,* [3] utraque ententia et distinctione Martini Pez exposita, cum Gobat et Tamburio judicium sapientioribus remittit; ihilominus autem subjungit: « Priam tamen (sententiam) urgerem, isi, certe rationabilissime, timerem alum matrimonii successum, et onsum ab insolescente sponso ditioe male tractandam. Quare consulem sponsae, dissolutioni non multum ppugnare pro, sine dubio, liberaliori mpensatione vel remuneratione.»

2. *Plerique* autem indistincte et solute, seu, ut dicit Sporer, *rode* negant, sponsum resilire posse sponsalibus, quin oppositum probabile esse concedant: uti *Sanchez, inchius, Bonacina, Wigandt, izmann, Reuter, Pichler, Reiffenel,* etc. Et *Sporer,* quamvis huic entiae non omnino assentiat, tamen l. c. dicit: « *Ratio bona est; quia sponsa deterior non est facta, inium est eam jure suo privare.*»

III. - Videamus demum, quaenam in hac quaestione sententia cl. ofessoris: « *Cum sat probabilis sit* (inquit) *ista sententia* (sc. affirmans), *non potest igitur Confessarius ad matrimonium obligare.*» Quam diversa sit ista assertio a nclusione S. Alphonsi, nemo non let. Dum enim S. Doctor sponsum erare non audet ab obligatione conacta per sponsalia; cl. Professor ndem non modo solvere et absolvere audet, sed pronuntiat, Confessarium non posse ad matrimonium obligare. Utrum autem recte ac legitime pronuntiet, examinare juvat.

1. Praefatam conclusionem cl. Ballerinius infert, quia sententiam affirmantem *satis probabilem* reputat. Verum ex praemissis liquet, hanc probabilitatem infirmiori tantum fundamento inniti.

2. Posito autem, quod opinio affirmans, in utroque casu proposito solvi posse sponsalia, sit vere et graviter in se probabilis: quaerimus, an Confessarius possit eo ipso et absque ulla haesitatione sponsum ab obligatione certe contracta solvere, atque pronuntiare contra alteram partem, quae nullam dedit causam rescindendi contractum, cui imo favent Doctores et numero et pondere majores?- Si in foro externo de hujusmodi causa ageretur, possetne Judex in favorem sponsi, jus dubium habentis, pronuntiare?

Lib. I. n. 47. S. Doctor scribit: « Judex tenetur judicare juxta sen» tentiam probabiliorem; ipse enim » tenetur ex praecepto divino et hu» mano *jus suum cuique* tribuere pro » majori pondere rationum, quae cui» que favent... Recte vero advertit » Cardenas cum aliis, quod *si reus* » *est in legitima possessione rei con» troversae, et habet pro se rationem* » *probabilem, nequit judex eum ex» poliare, etiamsi actor probabilio» res rationes pro se adducat; posses» sio enim legitima... dat possessori* » *jus certum rei retinendae, donec* » *constet de jure alterius.* » - Juxta hanc S. Alphonsi doctrinam, contra quam hodie nullum movetur dubium, evidenter non licet Judici, in foro externo, sententiam ferre in favorem actoris, i. e. sponsi, cui (etiam in sententia cl. Ballerinii) non favent nisi rationes probabiles; et hoc praesertim quia lis non movetur super jure ab initio incerto, sed *contra jus certe prius existens,* scilicet, contra jus

1) De matrim. dub. 9. sect. 11. — 2) Verb. *Sponsalia,* n. 117. — 3) De matrim. n. 282.

quod altera pars ex contractu sponsalitio certo possidet.

Si ergo Judex, in specie proposita, sententiam ferre nequit in favorem sponsi, nec ipsum a contracta obligatione matrimonium ineundi solvere potest: quomodo, quaerimus, id posset Confessarius in foro interno? Nonne et ipse Judex est? Nonne iisdem, quibus Judex, constringitur ac regitur principiis, in causis dubiis decidendis? - Aliter utique dicendum esset, si sponsus pro se haberet rationes *convincentes;* ast, cum ipse non habeat nisi rationes *mere dubias,* aut ad summum *probabiles,* sapienter concludit S. Alphonsus, *se non audere ipsum ab obligatione matrimonii solvere.*

3. E contra cl. Ballerinius sponsum, intuitu lucri facti aut faciendi, a sponsa recedere volentem, non tantum solvit et absolvit; sed, ulterius progrediens, asserit, *quemlibet Confessarium ad eamdem praxim teneri et obligari.* - Ergo, quidquid dicat S. Doctor, quidquid cum ipso dixerint gravissimi Auctores, qui *rotunde* negant, sponsum resilire posse a sponsalibus, nec oppositam sententiam probabilem censent; quidquid demum sentiat ipse Confessarius: *tenetur* hanc S. Alphonsi et aliorum DD. sententiam aut praxim deserere, ut praxim a cl. Ballerinio probatam amplectatur!

IV. - Quid de hac doctrina cl. Professoris censendum sit, judicent alii. Sufficiat ex nostra parte unum solum momentum proferre, quo satis evincitur, hanc sententiam omnino rejiciendam esse.

1. Ex speciali Declaratione *S. Poenitentiariae,* omnes Confessarii, in praxi sacri Poenitentiae tribunalis, *tuto* sequi possunt *omnes S. Alphonsi opiniones,* quin necesse habeant, momenta rationesve, quibus variae nituntur opiniones, perpendere: quia, habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum Servorum Dei ad effectum Canonizationis, constat, *omnes opiniones S. Alphonsi sanas ac tutas esse.*

2. Nihilominus autem nullus Confessarius tenetur in praxi amplecti opinionem, sive affirmantem sive negantem aliquam obligationem, quam tradit S. Alphonsus, prout S. Poenitentiaria expresse declaravit: «*quin tamen inde reprehendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis Auctoribus traditas sequuntur.*»

3. A fortiori igitur, nulla auctoritas extrinseca, S. Sedis judicio specialiter et expresse non approbata, tanta esse potest, ut Confessarii *cogantur* ad amplectendam aliquam opinionem, et deserendam oppositam, quam veriorem aut certe probabiliorem judicant.

QUAESTIO IV.

An possit Papa, ex dispensatione, solvere Matrimonium ratum et non consummatum.

(S. Alph. Lib. VI. n. 959. — P. Ball. Tom. II. n. 759.)

Ad hanc quaestionem, S. ALPHONSUS, Lib. VI. n. 959. sic respondet: « Adest *duplex sententia probabilis.* » *Prima negat;* et hanc tenent Pontius, Palaus, Gonet; item S. Bonaventura, Scotus, Valentia, Soto, Ledesma, etc., apud Salmanticenses. Ratio, quia matrimonium ratum ejusdem est naturae quam consummatum, cujus indissolubilitas (ut declaravit Tridentinum, Sess. 24. in princ.), est de jure divino, in quo nihil potest Pontifex. - *Secunda* vero sententia *affirmat,* et hanc tenent cum Busembaum, Sanchez, Bellarminus, Navarrus; et Salmanticenses cum Cajetano, Vasquez, Coninchio, Bonacina, Re-

» bello, Becano, etc. Ratio, tum quia » Pontifices pluries hoc in usum de- » duxerunt, dispensando in matrimo- » nio rato, ut referunt de propria » scientia Navarrus, Cajetanus; tum » quia Summus Pontifex, tamquam » Christi Vicarius, cui regimen Ec- » clesiae est commissum, bene potest » cum justa causa dispensare in ali- » quibus, quae sunt de jure divino, » et humanos actus concernunt. Causa » autem justa (ut dicunt praefati AA.) » esset, vel impotentia superveniens; » aut scandalum imminens, vel ste- » rilitas de novo cognita: quando opus » esset ad bonum publicum, ut proles » gigneretur. – Addunt etiam, si ad- » sit disparitas conditionis, morbus » contagiosus, dissensiones praevisae, » mutuus conjugum consensus; sed » has quatuor causas non admittit » Concina, et merito, saltem nisi ur- » geat necessitas boni publici: nam » alias, istis admissis, pauca matri- » monia rata et firma stare possent.»

T. II. n. 759. pag. 652.[1] *P. Gury*, de vinculo matrimonii disserens, ait: « Dissolvi potest matrimonium ratum et non consummatum Christianorum, gravi de causa, per dispensationem Papae, ex potestate divinitus ipsi concessa. Patet ex eo quod SS. Pontifices jam multoties hac potestate usi sint, uti S. Gregorius VII., Paulus III. etc.

Ad quem textum, P. Ballerini sequentia adnotat: « *De S. Pontificis » potestate, in dispensando super » matrimonio rato et non consum- » mato, nulla est in foro et in praxi » disputatio; et sola controversia re- » duci consuevit ad causam, an ad- » sit videlicet causa sufficiens, pro » tali dispensatione concedenda.* Ita » Bened. XIV. *(Quaest. Can. 24.).* » Vid. etiam ejusdem Quaest. Can. 108. » et 479., in qua dicit, notorie hanc » doctrinam esse communem inter » Theologos et Canonistas. Idcirco » quod dicit S. Alphonsus *(Lib. 6.* » *n. 959.)*, adesse de hac quaestione » *duplicem sententiam*, inter opinio- » nes *obsoletas* habendum est. Exem- » pla autem harum dispensationum, » plura habes apud Schmalzgruber » *(Lib. 4. tit. 19. n. 46.)*, et Pigna- » telli *(Tom. 1. consult. 148. n. 5.)*; » posteriora vero usque ad Pium VII, » Gregorium XVI. et Pium IX, apud » Perrone *(De matrimonio, tom. 3.* » *pag. 509-510. edit. Rom.)*. »

Cl. Professor itaque S. Doctori nostro exprobrat, quod de *duplici* sententia loquatur, cum tamen opinio *negans* pro *obsoleta* habenda sit, et, teste Benedicto XIV., sola controversia ad causam sufficientem reducatur. – Ad haec breviter respondebimus: I. Probando sententiam negativam, *tempore S. Alphonsi*, obsoletam non fuisse; II. Ostendendo, eamdem *nec nostra quidem aetate* obsoletam dici posse; III. Textum *Benedicti XIV.* allegatum perpendemus.

I. – Prae caeteris advertendum est, S. Alphonsum nonnisi de *speculativa probabilitate* loqui, quemadmodum et caeteri Doctores.

1. Sic *Sanchez, S. J.*, in opere de Matrimonio,[2] quod ineunte saeculo 17. edidit, late hanc quaestionem pertractat, et sententiam *negativam communem et probabilissimam*, oppositam vero probabiliorem vocat, scilicet practice probabiliorem: cum, ut per se intelligitur, sententia probabilissima in eodem genere non possit simul esse minus probabilis. Pro *negativa*, longam Theologorum et Jurisconsultorum seriem allegat; inter quos *Dominicus Soto* asseruit, contrariam nec umbram probabilitatis habere, et *Petrus de Ledesma* eamdem omnino improbabilem nuncupavit. – Pro *affirmativa* vero, Sanchez multos Jurisconsultos citat, at nullum Theologum qui eam tenendam esse dixerit; sed dumtaxat aliquos, qui ut *S. Antoninus*,[3] *Catharinus, Bellarminus*, ipsam probabilem esse affirmarunt.

1) In altera edit. pag. 516. — 2) Lib. 2. disp. 14.
3) *S. Antoninus*, P. 3. tit. 1. c. 21. §. 3. dicit: « Est ergo conclusio istius §., quod matri-

2. Salmanticenses[1] pro eadem sententia *negativa,* plures Auctores saeculi 17. addunt, ut *Castropalaum* et *Arriagam,* Soc. Jesu; porro *Gonet* et *Herincœ,* qui versus finem ejusdem saeculi scripserunt.

3. *Gonet,* Ordinis Praedicatorum,[2] defendit multisque argumentis probat propositionem: « *Omne matrimonium validum natura sua indissolubile est.* » Deinde rationes adversariorum exponit, et speciatim objectionem, plures Pontifices de facto in matrimonio rato dispensasse. Qua ratione dicit: « Huic argumento respondent plures, ex recentioribus, Theologi, negando majorem; existimant enim, Summum Pontificem posse in aliquibus, quae sunt de jure divino et naturali dispensare, non per potestatem, quam habeat ex se, sed specialiter sibi a Christo communicatam, ob publicum bonum Ecclesiae; unde, licet matrimonium sit divino naturalique jure insolubile, nihilominus (inquiunt) potest Pontifex in matrimonio rato dispensare, propter gravissimas causas, animarum salutem concernentes... Verum, licet haec responsio et doctrina *practice probabilis* sit, tum ob auctoritatem plurium Summorum Pontificum, qui eam ad praxim revocarunt, tum ob suffragium plurium Theologorum et Canonistarum, qui ei adhaerent, *speculative tamen minus videtur probabilis.* » - In cujus assertionis confirmationem, tria argumenta adfert, quorum tertium est: « Plures docti et pii Pontifices hanc sententiam minus probabilem judicarunt; ideoque eam ad praxim reducere, et in matrimonio rato dispensare, constanter renuerunt; ut de *Innocentio VIII., Adriano VI.* et *Pio V.* refertur. Imo *Ledesma* asserit, neminem ante Martinum V., ausum fuisse talem dispensationem concedere, quamvis per quatuordecim saecula, quamplurimae hujus dispensationis faciendae occasiones occurrerint... Hac ergo responsione praetermissa, vel in sua probabilitate relicta, respondeo ad objectionem: concessa majori, negando minorem; et ad illius probationem, desumptam ex facto Summorum Pontificum, qui in matrimonio rato dispensarunt, dico, illos usos esse opinione, quam probabiliorem existimarunt, eo quod apud Canonistas communis sit; quod in re obscura et utrinque probabili, ipsis licuit. »

4. *Gulielmus Herincx,* Ord. Fr. Min. Recollector., Episcopus Yprensis,[3] post expositam sententiam affirmativam, dicit: « *Verum absolute asserendum omnino est, matrimonium, etiam solum ratum, esse indissolubile jure divino.* Id enim satis colligitur ex Tridentino, Sess. 24. in doctrina de Sacramento Matrimonii, ubi, de ipso contractu matrimoniali loquens, dicit: « *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum esse.* » - Et additis aliis argumentis, ait: « Nec obstat, quod varii Pontifices referantur dispensasse in matrimonio... quia etiam plures Pontifices (ut Innocentius VIII., Adrianus VI. et S. Pius V., teste Petro de Ledesma) hujusmodi dispensationes negarunt, existimantes se dispensare non posse. Alii autem Pontifices dispensarunt, secuti in praxi contrariam opinionem, ob gravia mala et animarum pericula, melius existimantes sequi opinionem probabilem, quam malis istis non obviare neque animabus succurrere. »

monium contractum per verba de praesenti solum per professionem Religionis approbatae solvi potest, et non per alium modum, etiam auctoritate Papae. *Canonistae* autem communiter tenent contrarium, scilicet quod Papa potest dissolvere illud. » — Quorum rationibus expositis, concludit: « Vide aliquas Bullas et Martini V. et Eugenii IV., continentes talem dispensationem sive dissolutionem matrimonii non consummati, contrahentibus postmodum illis cum aliis. Unde tales non sunt condemnandi. *Sed nec condendum est alicui, ut procuret talem dissolutionem sive dispensationem: cum Theologi videantur tenere, quod non possit dissolvi nisi per ingressum Religionis, ut supra dictum est.* »

1) Tr. 9. c. 4. dub. 3. — 2) T. 5. disp. 5. art. 1. — 3) Theol. schol. et mor. (Editio 3. Antverpiae 1707.) T. 4. de matr. disp. 4. n. 2.

II. - Sunt autem plures, hisce Auctoribus *recentiores,* S. Alphonso coaevi, qui eamdem sententiam tenent. Cumque singuli in argumentis allatis passim conveniant, non opus est, ut omnes textus ex integro allegemus.

1. *Wigandt,* Ord. Praedicatorum,[1] ait: « Resp. 3. Matrimonium *ratum,* etiam secundum se sumptum, seu ut est in officium naturae, est *ex sua natura ac jure naturali,* et non solo praecepto positivo divino, *indissolubile* quoad vinculum: *juxta veriorem sententiam.* »

2. *Franciscus Henno,* Ord. Fr. Minor. Recoll.,[2] dicit: « *Probabilius* est, Summum Pontificem nequidem posse in Matrimonio rato dispensare. *Est communior et verior.* »

3. *Tournely,*[3] utraque sententia exposita, hanc habet conclusionem: « *Verisimilius longe videtur,* non posse Summum Pontificem dispensare a vinculo Matrimonii rati, non consummati. »

4. *Petrus Collet,* Congregationis Missionis,[4] similiter concludit: « *Non potest* Summus Pontifex in matrimonio rato dispensare. »

5. *Card. Gotti,* Ord. Praedicatorum,[5] hanc habet propositionem: « Dico: *Matrimonium est indissolubile tum jure naturae, tum divino,* sive contractum a fidelibus, sive ab infidelibus, modo legitime contractum sit. » - Quam propositionem ex S. Scriptura, ex Concilio Tridentino, et ex D. Thoma probat; et addit: « Quae de matrimonio *etiam non consummato* intelligi debere, *tradunt Doctores.* » - Et dubio 2. asserit, in indissolubilitate matrimonii dispensari posse a Deo, ob majorem causam; atque subjungit: « Dispensare Deus creditur in duplici casu. Primo: quando conjux infidelis non vult pacifice cohabitare conjugi fideli converso. Secundo: quando ante consummationem emittitur *solemnis professio* in aliqua religione. »

6. Similiter *Antoine, S. J.,*[6] inquit: « *Quodvis matrimonium* absolute contractum, est et semper fuit sine speciali licentia Dei insolubile: ex Cap. unic. *de voto* in 6., et ex Conc. Tridentino, Sess. 24. Idque *tum jure divino naturali;* nam solubilitas vinculi repugnat finibus matrimonii, qui sunt prolis conveniens generatio, ejusdem recta educatio, et arctissima inter conjuges animorum conjunctio; et *licet non sit consummatum,* ordinatur tamen ex se, ut consummetur et proles procreetur. *Tum jure divino positivo,* ex Matth. 19., ubi Christus, matrimonium ad suam primaevam institutionem revocans, sic ait: *Qui fecit hominem ab initio,* etc. »

7. *Billuart,* Ord. S. Dominici,[7] quaestionem ponit: « *Utrum Summus Pontifex possit dispensare in matrimonio rato?* » Et respondet: « *Probabilius negative. Prob.* Papa non potest dispensare in iis, quae sunt juris divini, nisi constet id ipsi a Deo esse concessum: atqui *indissolubilitas matrimonii rati est juris divini,* ut superius probatum est; nec constat, sive ex Scriptura, sive ex Traditione, sive ex ratione, facultatem in ea dispensandi esse ipsi a Deo concessam. Ergo. *Prob. min.* Non ex *Scriptura:* nihil enim ex ea proferri potest, quod non aeque probet facultatem dispensandi in matrimonio consummato; illud enim: *Quodcumque solveris,* etc. non magis probat facultatem dispensandi in matrimonio rato, quam in consummato; quod tamen, fatentibus adversariis, est indispensabile a Papa. Imo Scriptura contrarium docet, his Christi verbis: *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* quod debet etiam in-

1) Tribunal confess. et ordinand., de Matrim. examen 4. n. 45. — 2) Theol. dogm. mor. et schol., T. 2. de matr. disp. 4. q. 5. concl. 2. — 3) De matr. q. 5. art. 2. — 4) De matr. c. 5. num. 443. — 5) De matr. q. 5. dub. 1. num. 2. — 6) De matr. c. 2. q. 8. — 7) Summa Summae S. Thomae (quae anno 1751. in lucem prodiit) Cfr. *Edit. Rom.* 1834. Tom. 4. tr. de matr. diss. 5. art. 2. q. 5.

telligi de matrimonio rato, ut supra probatum est, cum Deus etiam matrimonium ratum conjungat. – Non *Traditione:* nam ante Martinum V., qui obiit anno 1431., non legitur ullum Pontificem id attentasse. – Non denique *ratione:* quae enim posset afferri? Necessitas? At haec quandoque magis urget pro dissolutione matrimonii consummati, qua tamen non obstante, manet indispensabile a Papa. – Si opponas, Martinum V. et plures alios sequentes Pontifices dispensasse in matrimonio rato: *R.* His recentioribus Pontificibus oppono antiquiores, *Alexandrum III.* (in appendice Concilii III. Lateran. parte 6. cap. 8.), *Innocentium III.* (cap. *Ex parte,* de conversione conjug.), et *Nicolaum I.* (cap. *Hi qui matrimonium,* causa 32. q. 7.), qui hanc potestatem in se nec agnoverunt, nec admiserunt. Recentiores itaque Pontifices secuti sunt sententiam, quam reputabant probabiliorem, et eatenus tutiorem, quod hac probabili facultate uterentur ad graviora mala avertenda: sed ex Pontificum facto non necessario statuitur jus certum, seu, ut dicit Dominicus Soto in 4. d. 27. q. 1. a. 4. « *Factum Pontificum non facit articulum fidei* »; praesertim cum ab aliis Pontificibus non admittitur.»

8. *Thomas ex Charmes,* Ord. Cappuccin. (qui anno 1765. obiit), item dicit: [1] « *Longe probabilius videtur, Papam non posse dispensare a vinculo matrimonii rati,* licet nondum consummati. *Prob.* Quia inferior non potest dispensare a lege superioris; sed matrimonium ratum, licet non consummatum, jure divino est indissolubile; ergo Papa ipsum dissolvere non potest; ita definivit Alexander III. in append. Conc. III. Later. parte sexta. – *Dices 1.* Nonnulli Pontifices in matrimonio rato dispensarunt; ergo. *Resp. 1.* Tales Pontifices sententiam, quam bona fide credebant probabiliorem, secutos fuisse, teste Alexandro III. dicente: *Licet aliter a quibusdam ex praedecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Porro decepti fuere illi Pontifices. *Resp. 2.* Aliquos Pontifices locutos fuisse de matrimonio per verba de futuro, id est de sponsalibus, ut asserit Alex. III. citatus parte sexta; alios vero de dissolutione quoad torum et cohabitationem: idem Alexander III. parte duodecima. *Resp. 3.* Alios Pontifices locutos de matrimonio contracto cum aliquo impedimento dirimente. – *Dices 2.* Summus Pontifex dispensare potest ab obligatione voti solemnis, quamquam illa sit etiam juris divini; ergo similiter potest dispensare a vinculo matrimonii rati. *Resp. 1. nego conseq.* Ratio est, quia traditio perpetua atque indubia de prima potestate nos certificat, non autem de secunda. *Resp. 2.* Cum *Pontio* dante rationem disparitatis, sic: « Quia in professione fit etiam traditio religioni, quam acceptat Praelatus, et eo non acceptante, non obligant vota illa quorum fundamentum est traditio: cumque Summus Pontifex sit Ordinarius, cui etiam tamquam religionis Superiori fit traditio, eam traditionem potest rejicere; eaque rejecta, cessat obligatio status religionis in

1) Theol. universa (Editio 1. an. 1751.; cfr. edit. 12. Bassan. 1845.) Tom. 2. tr. de sacr. diss. 8. c. 3. q. 2. art. 1. §. 5. — Opus suum Auctor *Benedicto XIV.* dicavit, qui dedicationem non tantum acceptavit, sed etiam Litteras die 25. Septembris 1751. ipsi misit, in quibus dicit: « Cursim aliquas quaestiones perlegimus, accurate nitideque conscriptas, meritoque credere possumus, alias ab eodem Auctore tractatas et editas, futuras esse consimiles. Tecum itaque et cum tuo Ordine gratulamur, tibique reddimus gratias, tum pro munere, tum pro eo, quod nomini nostro Libros inscriptos vidimus. » — Et in Litteris posterioribus de die 24. Septembris 1755., idem Pontifex ait: « Tuae ad nos delatae sunt Litterae scriptae die tertio Junii elapsi, una cum Tomis Theologiae Universae secundae editionis, nomini nostro inscriptis. Id nobis gratum maximopere fuit, cum probe noverimus, primam Theologiae editionem fuisse magno plausu receptam. Agimus itaque gratias; et si quid pro te, vel pro tua Religione facere possumus, tuum erit nobis indicare: et interea tibi et universo Ordini tuo Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. »

illo. » Res autem non ita se habet in matrimonio, ubi agitur de jure alteri acquisito. »

9. Inter Canonistas, *Anacletus Reiffenstuel,* Ordinis S. Francisci,[1] dicit: « Quamvis gravissima inter Doctores sit controversia, an etiam dispensatione Pontificia solvi quoad vinculum possit Fidelium matrimonium ratum, non consummatum; tamen *sententia negans,* spectando jura et rationes, *probabilior* apparet, *eamque tuentur gravissimi DD.,* ut D. Bonaventura, etc. »

III. – P. Ballerini textum *Benedicti XIV.* affert, at potius sibi contrarium quam faventem.

1. Etenim verba illa: « De Summi Pontificis potestate in dispensando super matrimonio rato et non consummato, nulla est *in foro* et *in praxi* disputatio », quid aliud indicant, nisi, controversiam *speculativam in scholis,* et *inter Theologos* adhuc subsistere? – In quantum vero Benedictus XIV. in alio loco, a P. Ballerini allegato, dicit, sententiam *affirmativam notorie communem esse* inter Theologos, de tempore *recentiori* loquitur; certe namque doctissimum Pontificem non latuit, *oppositam* usque ad initia saeculi 17. *communissimam fuisse* inter Theologos.

2. Addere juvat, quae idem *Benedictus XIV.* de hac quaestione dicit in Opere: *De serv. Dei Beatificatione,* lib. 1. cap. 42. n. 13: « Ad rem oppido facit exemplum concessionum, quibus Summi Pontifices solvunt homines a matrimoniis ratis, sed non consummatis, aliarumque concessionum solventium a continentia annexa regulae ac professioni monasticae. *Fiunt quippe aliquando hujusmodi concessiones, nec tamen ex eis deducitur, certum esse de fide, posse Pontifices solvere homines a matrimonio rato* sed non consummato, atque a voto continentiae annexo professioni monasticae; *adversantibus videlicet Theologis etiam magni nominis, qui post easdem concessiones, etsi existiment, praedictam potestatem Romanis Pontificibus nullo modo competere, non tamen putant, se ulli pontificiae decisioni refragari:* utpote cum sciant, eos in judicio permittente ac solvente minime definire, eisdemque satis esse, si pro se certam certitudine morali habeant sententiam propriae potestati faventem. Quare *Card. Capisucchius* postquam controv. 11. late docuit, non posse Ecclesiam solvere a continentia solemniter annexa professioni monasticae, exemplis solutionum a Romanis Pontificibus concessarum respondet §. 3.: *Pontifices secutos esse opinionem Canonistarum id fieri posse asserentium, et ipsis Pontificibus visam probabiliorem.* »

SIT ITAQUE CONCLUSIO:

1. Ex hisce expositionibus patet, sententiam *negativam* tempore Benedicti XIV. et S. Alphonsi *obsoletam* non fuisse, nec *nostra aetate* obsoletam dici posse, quamvis recentiores oppositam communiter teneant. - Nullum namque novum argumentum proferunt, quo *speculativa* probabilitas negativae destrueretur; et ad illam objectionem, quam potissimum urgent, plures Pontifices et jam antiquitus dispensasse, sufficiens datur responsio, praesertim cum constet, ipsos Summos Pontifices non omnes ejusdem mentis fuisse. – Nec praevalet recentiorum auctoritas, nec unquam suprema Sedis Apostolicae auctoritas in favorem sententiae affirmativae intercessit. Proposita et discussa fuit haec quaestio a tempore S. Bonaventurae saeculo 13. usque ad novissima tempora (prout probant novissimae editiones Caroli Billuart et Thomae ex Charmes); sed *nunquam S. Sedes, nec*

1) Tom. 4. Juris Canon. lib. 4. tit. 19. n. 8.

directe, nec indirecte insinuavit, negativam speculative tueri non licere, aut non convenire, quin potius Theologis plenam et omnino liberam arenam in hac controversia nunquam non indulsit.

2. S. Doctor noster optimo itaque jure de *duplici* sententia loquitur, et *speculative probabilem* eamdem dicit, quam *gravissimi Doctores* non tantum probabilem, sed etiam *probabiliorem*, imo *speculative probabilissimam* et *moraliter certam* dicere non dubitarunt. [1]

1) Post praefatam Quaestionem, aliae duae nobis occurrunt Adnotationes, quas silentio praeterire non possumus.

I. — *P. Gury*, T. II. *n. 761.* pag. 666. (in altera edit. pag. 527.), inter causas divortium cohonestantes recenset: *Adulterium alterutrius*; et subdit: « Patet ex verbis Christi, Matth. 5. 32.: *Qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, etc. » — Quocirca P. Ballerini adnotat: « Adverte, ex communi DD. sententia, nomine *adulterii* hic » venire quamlibet *carnis divisionem*, licet adulterii proprie dicti rationem non habeat, cu- » jusmodi est *sodomia* et *bestialitas*. Dixi: *ex communi sententia*; nam ex mero errore » typographico penes S. Alphonsum *(Lib. 6. n. 690.)* ceu contrarii exhibentur *Sanchez* et » *Filliuccius*; et *Pontius* ipse (de matr. lib. 9. c. 16. n. 5.), licet *ad ingenii ostentationem* » contra attulerit *ratiunculam*, *quam nemo non sprevit*, conclusit, *in praxi non rece-* » *dendum a priori sententia, quae* (ait) *communis est inter Doctores.* » Verum,

1. Frustra hanc materiam quaeres apud S. Alphonsum in cit. *num. 690.*; ibidem namque S. Doctor agit de Sacerdote sollicitante. Forsitan cl. Professor indicare voluit *num. 960.*, ubi pro sententia opposita revera citantur *Sanchez* et *Filliuccius*; non satis tamen advertit, ipsos allegari, non a S. Alphonso, sed a Busembaumio. — Ipse quidem S. Doctor praesentem quaestionem tractat *n. 962.*, et pro sententia negante adducit Innocentium, Abulensem et Palacium apud Sanchez, quin ipsam nec Sanchezio, nec Filliuccio tribuat. — Dum ergo cl. Professor (ut passim alias) correctoris munus suscepit, ipsemet in errorem typographicum incidit, quem nec in altera quidem editione correxit, et insuper lapsu oculorum laboravit. Quae obiter dicta sint, et eum in finem, ut cum iis mitius agat, qui suo judicio, menda typographica non advertunt, aut oculorum lapsum patiuntur.

2. Testante P. Ballerinio, « *Pontius, ad ingenii ostentationem, affert ratiunculam, quam* » *nemo non sprevit.* » — Verum, ab isto *nemine* excipiendus est ipse *S. Alphonsus*, eamdem *ratiunculam* referens et approbans: quod S. Doctoris judicium, licet cl. Professor omnino spernendum censeat, apud alios forsitan quidquam valere poterit. — Ad quaestionem nempe: « *An liceat facere divortium ob sodomiam aut bestialitatem, commissam a conjuge?* » S. Alphonsus duplicem refert sententiam: « *Prima* sententia *negat*... Ratio,... quia » per solam fornicationem caro dividitur. . *Secunda* vero sententia communior et probabilior » (saltem extrinsece) affirmat... Ratio, quia ex jure naturali, uterque conjux tenetur fidem » servare non dividendi carnem suam cum alia, quae vere dividitur, cum habetur concubitus » sodomiae, vel bestialitatis... *Sed AA. primae sententiae semper replicare possent, vere* » *non dividi carnem sine copula naturali.* Ceterum *bene ait Pontius*, ab hac sententia » (secunda) non recedendum, cum sit communis, *sed revera eam non probari.* »

II. — Cit. T. II. *n. 822.* pag. 727. (in altera edit. pag. 579.), *P. Gury*, de impedimento *criminis* disserens, ait: « Quando crimina adulterii et conjugicidii reperiuntur conjuncta, non requiritur mutua conspiratio ad conjugicidium, nec promissio matrimonii; sed haec tria sufficiunt:... 2°. *Machinatio mortis* ab uno adulterorum, ex intentione matrimonii; sufficit autem, ut haec intentio *ab uno* habeatur... *S. Lig. insuper requirit probabilius, ut haec intentio alteri manifestetur.* » — Porro, in subjecta adnotatione cl. Ballerinius, praeter alia, dicit: « Demum adverte, pro opinione, quae *intentionis significationem* requirit, *falso* » *allegari* (apud *S. Alphonsum*, n. 1036. VI.) non solum Salmanticenses et Sanchez, sed et » Vasquez, qui de speciali hac quaestione nihil omnino habet... ».

Textum itaque S. Alphonsi inspiciamus. Lib. VI. *n. 1036.* docet: « Ad hoc autem impedimen- » tum incurrendum requiritur... VI. Ut occisio facta fuerit cum animo nubendi cum adultera, » saltem ex parte occidentis, modo is externe talem intentionem alteri manifestarit, juxta » sententiam allatam mox supra, *n. 1034.*, ubi diximus, *requiri manifestationem saltem per* » *indicia praecedentia*; idque procedere in utroque casu » (scilicet, sive utroque, sive uno patrante) « dicunt *Salmanticenses n. 53., cum Sanchez, Pontio, Vasquez, Perez, Dica-* » *stillo, etc...* »

Hinc patet, solos *Salmanticenses* a S. Doctore *directe* et rectissime quidem allegari. Isti namque, *Tr. 9. cap. 12. punct. 4. num. 53.* expresse dicunt: « *Requiritur tamen, quod talis intentio manifestetur exterius: quia Ecclesia non potest punire, nisi quod potest cognoscere et judicare; et cum haec poena sit ecclesiastica, non potest Ecclesia cum illa punire actum mere internum...* » Idcirco non opus est, ut inquiramus, utrum Auctores a Salmanticensibus pro hac sententia adducti recte allegentur, nec ne, id tantum contra cl.

QUAESTIO V.

An, praeter casum necessitatis communis seu publicae, unquam validum sit Matrimonium clandestinum, inter fideles contractum in loco, ubi receptum est Tridentinum.

(S. Alph. Lib. VI. n. 1079. — P. Ball. Tom. II. n. 840. q. 4.)

Lib. VI. n. 1078., S. Alphonsus textum allegat *Busembaumii:* « Dicitur 13. *Si clandestinus:* quia Tridentinum irritat matrimonia eorum, qui contrahunt aliter quam coram Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius vel Ordinarii licentia, et duobus ad minimum testibus; vultque graviter puniri eos, qui contra hoc contraxerint, vel etiam interfuerint. »

Ad quae verba, ipse S. Doctor, *n. 1079.* sequentia addit: « Ad rem » melius intelligendam, notandum » est, duplici modo matrimonium es- » se clandestinum: vel quando mali- » tiose contrahitur *sine denuntia- » tionibus,* et tunc est tantum illici- » tum; vel quando contrahitur *non » coram Parocho et testibus,* et » tunc distinguendum est: nam quo- » ad infideles, aut fideles qui degunt » in locis infidelium, vel ubi Tri- » dentinum non est receptum, tale » matrimonium est quidem validum, » cum lex saltem per decem annos » non recepta, non obliget, ut dicunt » Sanchez, Pontius, Bonacina, et Sal- » manticenses cum Perez, Dicastillo, » Aversa, Ledesma et Rodriquez. – » *Quoad fideles* autem, *qui sunt in » loco ubi receptum est Tridenti- » num, matrimonium esset nullum, » etiam in casu necessitatis:* ita » communiter Sanchez, Pontius, Pa- » laus, et Salmanticenses cum Lay- » mann, Coninchio, Cornejo, Henri- » quez, etc., *communiter* contra *So- » tum et alios paucos,* qui censent, » posse aliquando dari casum (etsi » rarum) in quo sine Parocho vale- » ret matrimonium. *Sed hos,* recte » dicunt Salmanticenses, *non esse » audiendos;* quia necessitas non pot- » est reddere habiles eos, quos Tri- » dentinum *omnino inhabiles* decla- » ravit; ut habetur *Sess. 24. c. 1.* » Et hoc currit, etiamsi matrimo- » nium esset contractum *cum igno- » rantia invincibili;* Salmanticen- » ses, cum communi.

» Dicunt tamen Laymann, Conin- » chius, Croix cum Bellarmino et » communi (contra Lessium), item » Vega, Tanner, Dicastillus et Ve- » racrux, apud eosdem Salmanticen- » ses, *quod si non possit in aliquo » oppido haberi pastor, aut alius » gerens ejus vices, tunc validum » est matrimonium initum cum te- » stibus sine Parocho.* Et *probabile* » id putant Salmanticenses, propter » quamdam declarationem Clemen- » tis VIII. apud Coninchium; quia » tunc vel non adest ibi parochia, » vel ibi non durat promulgatio Tri- » dentini, quamvis facta fuerit: de- » structa enim parochia, censetur » destructa promulgatio quoad ejus » valorem. – Pariter matrimonium » celebratum *sine Parocho in locis » infidelium* a fidelibus captivis, vel » mercatoribus ibi degentibus per » modum hospitii, validum est et » licitum: Salmanticenses cum San- » chez, Bonacina, etc. – Hicque ad- » vertatur, quod matrimonia clan-

Professorem advertimus, *Sanchezium* a S. Alphonso in cit. *num. 1034.* expressis verbis pro sententia opposita citari. — Num autem spernenda sit doctrina S. Alphonsi cum Salmanticensibus, videlicet, probabilius requiri externam intentionis significationem, *eo quod Ecclesia actus mere internos punire non soleat:* pro sua sapientia judicent alii.

» destina hodie ne sponsalium qui-
» dem vigorem habent, prout decla-
» ravit S. C., apud Fagnanum. »

Ad quaestionem itaque: An unquam validum sit matrimonium clandestinum, inter fideles contractum, in loco ubi receptum est Tridentinum? – S. Alphonsus, cum sententia communi DD. respondet: 1. *Affirmative,* tantum si agatur de *necessitate communi seu publica;* quando scilicet, in aliquo oppido vel regione deficiat Parochus, aut alius ejus vices gerens; (vel etiam, ut ex pluribus S. Sedis declarationibus constat, si nimis difficilis aut periculosus sit ad eum accessus); 2. *Negative* vero, *in quacumque necessitate particulari seu privata.*

P. Gury, T. II. num. 840. q. 4. pag. 744.,[1] quaerit: « *An excuset ab impedimento clandestinitatis, impotentia ad proprium Parochum vel Episcopum recurrendi?* » Et respondet: « 1. *Affirmative*, si illa impotentia sit *communis* in aliqua provincia, v. gr., durante perturbatione aliqua politica et religiosa. Ratio est, quia si lex obligaret in tali casu, esset bono communi nociva, et in detrimentum societatis vergeret. Praeterea evincitur ex Declaratione S. Congr. apud Bened. XIV. de Synodo lib. 12. c. 5. n. 5., necnon ex diversis Pii VI. Decisionibus. - 2. *Negative,* si impotentia *casus particulares* respicit, quia lex irritans non cessat ob incommodum privatum. Recole dicta, n. 787. »

Verum hujusmodi solutio cl. BALLERINIO non probatur; unde sequentem notam subnectit: « *Nondum » Decretum ullum hucusque prodiit, » quo controversia ista definiatur;* » nec §. 787., ad quem Auctor re- » mittit, quidpiam habet huic quae- » stioni solvendae idoneum.

» *S. Alphonsus, qui alioqui* (Lib. 6. » n. 1079.) *cum communiori*[2] *negat* » *in casu validitatem, alibi tamen* » (De privileg. n. 57.) *haec scribit*: « Imo asserit Pignatellus, PROBATQUE » Tom. 3. Cons. 33. n. 6., in tali ca- » su *(scil. urgentis necessitatis)* ces- » sare non modo reservationem *(scil.* » *dispensationis)*, sed etiam LEGEM » IMPEDIMENTI, utpote ea quae jam » perniciosa evaserit; cum certum » omnino sit, legem nocivam non » obligare, ut docent omnes cum » d. Thoma. Et ex hoc inferunt Ron- » caglia et Instructor novorum Con- » fessariorum *(scil. Giordanini a- » lias a nobis laudatus)*, quod, ad- » veniente casu, *quo sponsi jam ad* » *ecclesiam pervenerint, et unus ex* » *ipsis manifestaret Confessario im- » pedimentum occultum jam con- » tractum tamquam peccatum, et* » *sine scandalo aut infamia matri- » monium differri non posset*, pot- » est tunc Confessarius declarare, » eo casu non obligare legem im- » pedimenti, et posse licite con- » trahi. » – *Alia autem hujus ne- » cessitatis exempla promunt tum* » *Franciscus Amici* (Cursus Theol. » tom. 9. disp. 7. sect. 13. n. 139.), » *tum Jacobus a Graffis* (Decis. Au- » reor. lib. 2. cap. 86.); *quae videre* » *licet etiam apud Diana* (Tom. 2. » tr. 6. resol. 72. n. 4. et resol. 73. » in fine) *ubi pro eadem sententia* » *allegat Theologum Tridentinum,* » *Dominicum Soto* (In. 4. dist. 22. » q. 1. art. 2.); *tum etiam sup. lau- » datus Pignatelli, qui de celebran- » do matrimonio morte instanti* » *disserit.*

» Alioquin autem rationes omnes, » quae pro negante sententia afferri » solent *(Vid. Schmalzgruber Lib. 4.* » *tit. 3. n. 106., et S. Alph. cit.* » *n. 1079.)*, hac demum *unica*, di- » versis modis proposita, continen- » tur, quod Decretum Tridentinum » sit *invalidans* et *irritans*. - At » enim nonne aeque *invalidans* et » *irritans* et *reddens inhabiles ad*

1) In altera edit. pag. 592. — 2) In altera edit. pro verbis: « cum communiori » legitur: « *juxta fusiorem sententiam.* »

» *contrahendum* erat impedimen-
» tum, de quo superius idem *S. Al-*
» *phonsus* cum Pignatelli, aliisque
» ibi allegatis, agebant? Et quod ca-
» put est, *undenam est ratio discri-*
» *minis inter casum impotentiae*
» *communis, et impotentiae parti-*
» *cularis?* Numquid non aeque mi-
» litaret illa ratio, quod de *lege ir-*
» *ritante* agatur? Nam (ut scite ar-
» guit Franc. Amici *l. c.*) disparitas
» utique extaret, quando Declaratio-
» nes, quae plures habentur quoad
» casus impotentiae communis, in
» aliquo, v. gr., pago vel oppido,
» vim haberent *Dispensationis* a le-
» ge, quae dispensatio sese non por-
» rigeret ad casus impotentiae par-
» ticularis. Verum declarationes il-
» lae, ne minimam quidem *Dispen-*
» *sationis* speciem praeferunt; decla-
» rando autem validitatem conjugio-
» rum, quae in iis adjunctis, citra
» formam a Tridentina Synodo prae-
» scriptam, celebrantur, eam ratio-
» nem reddunt, quae aeque pro utro-
» que casu militat, necessitatem sci-
» licet fidelium, quibus matrimonium
» subtrahi absonum foret, et impos-
» sibilitatem, seu physicam, seu mo-
» ralem, servandi formam a Sancta
» Synodo statutam. Inde autem est,
» quod Marchant *(Tribun. Sacram.*
» *Tom. 3. tr. 1. tit. 7. q. 8. con-*
» *cl. 3.)* postquam hanc thesim sta-
» tuit: *Datur Epikeia et interpre-*
» *tatio in lege illa, de praesentia*
» *parochi in matrimonio, quando*
» *ex causis realibus, illa praesentia*
» *est impossibilis, etc.;* hanc ipsam
» confirmat ex Respons. S. Congreg.
» ad Episcopum Tricaricensem *(A-*
» *pud Gallemart, ad Sess. 24. C. 1.*
» *De reform. Matr. n. 11.),* quia
» nimirum quae affertur ratio, pro
» utrisque adjunctis eandem vim
» habet. Nil proinde mirum, quod
» opinio affirmans aliis quoque *(apud*
» *Sanchez Lib. 3. disp. 17. n. 3., et*
» *Diana cit. res. 73.),* satis probabi-
» lis visa fuerit. – Quae quidem ideo
» dicta fuerint, ut *genuinus contro-*
» *versiae status* lectorem non lateat.»

Fatetur quidem cl. Professor, sententiam, quae *negat* in casu impotentiae *particularis* validitatem matrimonii clandestini, et quam S. Alphonsus tenendam censet, *communiorem* aut saltem *fusiorem* esse. At vero, totus est in congerendis rationibus ad ipsam impugnandam; simulque contendit, S. Doctorem alio loco, de Privil. n. 57., regulam statuere, quae sententiam negativam modo ab ipso traditam, destruit. – Itaque probabimus 1. Sententiam *negantem minime infirmari* rationibus et auctoritatibus a P. Ballerinio allatis; 2. *S. Alphonsum nullatenus sibi contradicere.*

Articulus 1.

Confutantur argumenta et auctoritates a P. Ballerinio contra sententiam negantem allegata.

I. Affirmat primum cl. Professor: « *Rationes omnes,* quae pro negante » sententia afferri solent, hac demum » *unica,* diversis modis proposita, » continentur, *quod Decretum Tri-* » *dentinum sit invalidans et irri-* » *tans.*» Sed perperam id asserit.

1. Etenim, cujusvis vel simplicissimi oculis occurrit, idem dici posse *de quolibet impedimento dirimente,* et omnia matrimonia cum impedimento dirimente inita, a jure divino vel ecclesiastico invalidari et irritari. Ideoque ineptum esset, hoc argumento uti ad probandum, inter omnia impedimenta dispensabilia, *solum impedimentum clandestinitatis excipiendum esse;* quod tot tantique Doctores certe perspectum habuerunt, et a cl. Professore nostro edoceri non eguerunt.

2. Potissima ratio, cui insistunt, ea est: quod Tridentinum *formam substantialem* praescripsit, *qua omissa, contractus irritus et nullus fit,* et contrahere tentantes *ad contrahendum omnino inhabiles* redduntur. Rationem ergo adducunt, quae in nullo alio impedimento locum habet. – Est hoc peculiare, quod

clandestinitas non in aliqua circumstantia seu qualitate certis personis adhaerente consistit, qua eaedem personae a matrimonio valide ineundo arcentur, quemadmodum cetera impedimenta; *sed in omissione solemnitatis substantialis.* Qui cum impedimento *dirimente* accedunt, *inhabiles sunt et inhabiles accedunt*, et ideo matrimonium nullum est. Qui vero *habiles* accedunt, at *solemnitatem* praescriptam omittunt, in ipso actu, quo hoc modo contrahere tentant, *ab Ecclesia omnino inhabiles redduntur.*

3. Ita *Schmalzgruber, S. J.*, [1] quem citat P. Ballerini, ait: « Sed dicendum, *ubi Decretum Concilii viget, in nullo casuum relatorum praeter ultimum, de quo infra n. 118.* (id est, si matrimonium in facie Ecclesiae celebratum propter occultum impedimentum invalidum fuit, et postea sublato impedimento renovatur), *vel licite vel valide contrahi posse sine Parocho et testibus.....* Ratio est: quia Tridentinum requirens praesentiam Parochi et testium, addit *decretum annullans matrimonium aliter initum, consequenter constituit formam matrimonii substantialem.* Igitur in nullo eventu *absque ea solemnitate* initum, erit validum; quia, ut n. 103. dixi, res sine forma sua non potest subsistere. »

4. Idem docent etiam caeteri Theologi et Canonistae. – At vero in legibus *formam substantialem* praescribentibus, et secus actum irritantibus, *Epikia locum non habet,* ut late docet probatque *Suarez.* [2] Siquidem ad quaestionem: « *Utrum in lege irritante actum ipso facto, et ante omnem sententiam, habeat locum epikia?* » – sic respondet:

« *1.* Ratio dubitandi est, quia interpretatio voluntatis legislatoris videtur posse habere locum in legibus irritantibus, non minus quam in prohibentibus tantum, vel praecipientibus: ergo poterit cessare irritatio, per conjecturatam mentem legislatoris, sicut cessat obligatio... Denique ex hoc principio, *aliqui ausi sunt dicere, per epikiam posse nunc aliquando valere matrimonium, inter Catholicos factum, sine parocho et testibus, etiam in locis, ubi est Concilium promulgatum, scilicet in casu extremae necessitatis,* ubi non adest parochus, et periclitatur salus aeterna hominis concubinarii agentis animam, nisi prius matrimonium cum concubina contrahat, et necessitas etiam magna urget, ut filii legitimi efficiantur. »

« *2. Nihilominus censeo, in legibus irritantibus, quae, vel formam substantialem humanis contractibus praefigunt, vel absolute prohibent actus, quos irritant, non esse admittendam exceptionem quoad irritationem actus per epikiam, moraliter loquendo.* In his enim rebus, quae ex variis circumstantiis pendent, vix potest tam universalis regula constitui, quae non patiatur aliquam exceptionem, si fingendi et excogitandi casus detur licentia; et ideo moraliter loquimur de humanis rebus, prout secundum ordinarium cursum contingunt; *et sic dicimus, actum irritum per legem simpliciter, et absolute, non posse unquam valide fieri contra verba legis, per solam epikiam.* – Probatur primo, quando lex inducit *substantialem formam,* quia in nullo casu potest res subsistere sine tali forma; *ergo in nullo etiam casu, potest irritatio cessare, quae oritur ex defectu talis formae.* Dices, non subsistere rem tunc sine forma substantiali, sed desinere formam illam substantialem esse, sicut si in ea dispensatum esset. Sed contra; quia forma substantialis, cum constituat rei essentiam, debet esse semper eadem, quoad fieri possit; debet etiam esse immutabilis in suo ordine, ita ut saltem solus ipse illam mutare pos-

1) Lib. 4. tit. 3. n. 106. — 2) De legibus, lib. 5. c. 23.

sit, qui illam instituit. Et hac ratione dicimus, nullum praeter Christum Dominum posse facere, ut Sacramentum sine substantiali forma valide fiat; neque in hoc admittitur epikia, neque dispensatio per alium, quam per ipsummet Christum: ergo idem cum proportione dicendum est in omni forma substantiali per legem introducta. »

« *3.* Secundo, *de omni irritatione prohibente actum,* est efficax ratio, quia lex irritans voluntatem ad actum aliquem, inhabilitat personam vel simpliciter, vel ad contrahendum *nisi juxta formam legis,* sicut in principio capitis praecedentis declaratum est; sed inhabilitas per legem inducta non potest restitui per modum epikiae, quia epikia ad summum potest conducere ad excusationem obligationis: ad dandam autem potestatem, quam homo non habet, aut restituendam ablatam, non sufficit; quia ad hoc requiritur positivus actus, qui tunc non fit, nec a Superiore, nec ab aliquo, qui vim habeat restituendi potestatem ablatam, vel auferendi inhabilitatem inductam. - *Nec cogitari potest, quod per se cesset inhabilitas, vel quod sub ea conditione inducta sit, ut in casu necessitatis auferatur, vel quasi suspendatur:* id enim est veluti contra naturam inhabilitatis, absolute et sine restrictione inductae; est etiam contra morem talium legum, quoties talem inhabilitatem simpliciter inducunt, ut patet de inhabilitate ad contrahendum cum consanguinea in gradu prohibito, quae in nullo casu cessare potest sine dispensatione. »

« *4.* Et hac ratione dicunt *communiter Doctores,* personam inhabilem ad matrimonium non posse, propter quodcumque periculum vel metum mortis, contrahere matrimonium et consummare; quia nunquam erit illud matrimonium validum propter inhabilitatem, quae non restituitur per metum, vel similem occasionem. Ita docuit *Soto* [1] et sequuntur Medina, [2] et alii moderni; ergo idem erit in quacumque simili inhabilitate. »

II. Asserit P. Ballerini: « *Disparitas* (sc. inter impotentiam communem, et impotentiam particularem) » utique extaret, quando Declarationes, quae plures habentur quoad » casus impotentiae *communis* in » aliquo, v. gr. pago vel oppido, vim » haberent *Dispensationis* a lege, » quae dispensatio sese non porrigeret ad casus impotentiae *particularis.* Verum Declarationes illae » ne minimam quidem *Dispensationis* speciem praeferunt... » - Sed gratis hoc asserit.

1. S. Sedes nunquam dispensat in casu particulari; si autem SS. Pontifices, S. Congregationis Concilii Resolutiones confirmando, declarant, valida esse matrimonia, quae a Fidelibus in certis terris, provinciis aut locis habitantibus contrahuntur, *eosdem ab observatione legis Tridentinae eximunt;* et quid aliud sunt hujusmodi exemptiones, quam *dispensationes?* Cum, ex sententia communi, in legibus actum propter omissionem formae substantialis irritantibus, epikeia illicita sit, praesumere non licet, Summos Pontifices *epikeia* uti, et non potius *potestate,* qua pollent, *dispensandi* propter justas et graves causas. Nec dicendum, declarationes S. Congregationis Conc. Trid. Interpret. a Summo Pontifice confirmatas, authenticas esse interpretationes mentis Tridentini. Nam eo ipso, quod authenticae sunt, perinde est, ac si ipsum Concilium in praedictis casibus communis et publicae necessitatis dispensasset.

2. Quaestionem hanc attingit *Leonardus Jansen;* [3] ubi plures de-

1) Lib. 1. de just. q. 6. art. 4. in fin. — 2) 1. 2. q. 96. art. 4. dub. 2. ad 2. — 3) Theol. mor. T. 2. cas. 110. n. 11.

clarationes S. Congregationis de necessitate communi et publica loquentes allegat, et subjungit: « Dices: ergo ex praesumpta licentia, vel per epikeiam valebit matrimonium coram Confessario ex causa gravissima; ut si Princeps in articulo mortis velit ducere concubinam ad legitimandas proles, ne principatus deveniat ad manus acatholicas, saltem si Parochus absit, vel instans mors non permittat eum expectare. Respondeo: Quamvis aliqui cum Soto, Graffio, Amico, id concedant, tamen *communissima negat; quia constat ex praxi Ecclesiae, Papam in priori casu dispensare, non vero in aliis, etsi majoris sint necessitatis;* et lex irritans seu praescribens formam substantialem non patitur interpretationem seu epikeiam. »

III. Ad probandam suam propositionem, cl. Professor asserit, « *eamdem rationem... pro utroque casu* » (impotentiae tum communis, tum » particularis) *militare, necessitatem scilicet fidelium, quibus matrimonium subtrahi absonum foret.* » Quod rursus falsum est.

1. Maxima namque extat disparitas et discrimen grandissimum, an in certis terris, provinciis aut locis, propter defectum Parochi aut periculosum accessum, *omnes inhabitantes regulariter et generatim* a matrimoniis libere contrahendis impediti sint; utrumve, praeter communem rerum ordinem, *aliquis* a certo matrimonio ineundo impediatur, v. g. moribundus a matrimonio cum concubina, ad proles legitimandas.

2. Verum ratio non tantum non eadem est, sed potius ex adverso stat ratio urgentissima, S. Sedem exceptiones ad necessitates communes et publicas restrinxisse, atque necessitates particulares et privatas excludere intendisse. - Si enim, ut dicit Suarez, fingendi et excogitandi casus daretur licentia, *innumeris hallucinationibus et abusibus,* dispositionem Concilii Tridentini eludentibus, latissima porta aperiretur. Unde recte dicunt Doctores ex adversa parte, nonnisi per accidens fieri, quod aliquis in casu particulari a certo matrimonio ineundo impediatur, quamvis in communi nullum impedimentum existat; at, ex principio ab omnibus accepto, bonum commune praeferendum esse bono privato. - Quemadmodum bene explicat *Billuart,* qui [1] in genere quaestionem proponit: « *An liceat pariter uti epikeia in legibus infirmantibus contractum?* » at matrimonium clandestinum speciatim attingit: « Respondeo. *Probabilius negative,* propter gravia inconvenientia, quae contra bonum publicum inde nascerentur, et quae praevalent malo quantumvis gravi alicujus particularis. Si namque liceret uti epikeia in lege irritante, v. g. *matrimonium clandestinum,* contractus minorennium, aut sine tabellione initos: concubinatus et fraudes ubique grassarentur in perniciem reipublicae. Adde quod contractus non stet sine *forma,* quae per illas leges praescribitur. »

IV. Ad Auctoritates extrinsecas quod attinet, P. Ballerini subjungit: « Nil proinde mirum, quod opinio » *affirmans* aliis quoque (apud *Sanchez,* lib. 3. disp. 17. n. 3., et *Diana,* cit. res. 73.) *satis probabilis* » visa fuerit. » - Quid igitur de auctoritate extrinseca sententiae affirmanti favente sentiendum sit, breviter videamus.

1. *Sanchez, S. J.,* l. c., hac sententia exposita, addit: « Sic tenet tanquam probabile *Veracruz,* asseritque esse probabile, Tridentini decretum intelligi, *ubi est copia Parochi;* quare in haereticorum locis et in Novo Orbe, ubi vel non est copia Parochi, vel *per integrum an-*

1) De legibus, diss. 5. art. 4.

num non habetur, esset probabile, posse matrimonium celebrari cum duplici teste absque Parocho. Ipsum sequitur *Vega.* Idem tenet de articulo mortis, vel quando tutores indigno matrimonio volunt collocare puellam, *Capua;* et de articulo mortis manet etiam dubius *Azevedo.* »

2. *Diana* [1] allegat Jacobum de Graffiis, qui cum Capua sentit, atque articulum mortis, et casum de indigno matrimonio excipit; at subjungit: « *Sed adversus Graffium et merito insurgit Petrus Cenedo* [2] ubi docet, adeo stricte ad litteram servandum fore decretum Concilii Tridentini, videlicet, ut nullo modo contrahatur matrimonium sine Parocho et testibus; ut procedat ipsius decisio, *etiam urgente maxima necessitate,* ut si morti vicinus vellet concubinam ducere, idque omnino videatur necessarium, ad legitimandam prolem ex ea susceptam, et adimplendam fidem ei datam. »

Et in *Summa,* [3] breviter de hac quaestione disserens, *Diana* sic scribit: « *Urgente gravi necessitate,* cum Parochus haberi non potest, matrimonium posse valide contrahi sine ejus praesentia coram testibus, si haberi hi possunt, v. g. si quis morti vicinus vellet concubinam ducere ad legitimandam prolem, *docet Sotus. Sed hoc non audeo admittere ut probabile.* » – Quando autem ea ratione filius ex concubina succedet in Principatum, qui alias devolvetur ad haereticos, idem docet *Amicus. Quod judicio S. Congregationis remitto.* – Potest tamen sine Parocho contrahi, *quando iis locis vel nullus est Parochus, vel ad illum non est tutus accessus,* ut in Indiis vel partibus haereticorum, ex declaratione Cardinalium et Clementis VIII. *Alias matrimonium sine praesentia Parochi et testium, ne vim quidem habet sponsalium;* et si intercesserit juramentum, nihil est opus absolutione. »

3. Ideo *Veracruz* et *Vega* de necessitate communi et publica loquuntur, caeteri quidem de particulari, at in casibus, quos adducunt, non conveniunt. – Abstinemus a citandis Auctoribus pro sententia *negativa; communissima* enim est *contra paucos,* et inter recentiores nullum novimus, qui oppositam teneat. Imo plures negativam expressis verbis moraliter certam et omnino tenendam esse dicunt. – Sic *Sanchez:* [4] « Tamquam *certum* tenendum est, esse irritum matrimonium in articulo mortis, et in quacumque necessitate contractum, absque Parocho et testibus. » – Similiter *Salmanticenses:* [5] « Ceterum *omnino tenendum* est, quod in nullo casu, quantumvis magnae necessitatis, validum erit inter fideles matrimonium, absque solemnitate a Tridentino requisita celebratum, in locis, in quibus est receptum. » – *Suarez* [6] adversae parti audaciam exprobrare non dubitat: « *ausi sunt aliqui dicere.* »

V. Concludit cl. Professor: « *Quae » quidem ideo dicta fuerint, ut ge» nuinus controversiae status lecto» rem non lateat.* » – In quo sane laudandus esset, si id revera praestitisset, et non potius spurium controversiae statum lectori proposuisset: veras et gravissimas rationes, quas negativae sententiae patroni adducunt, aut silentio praetermittendo, aut minus recte referendo. Sub specie clarioris explicationis, nihil intentatum relinquit, quo sententiam *communissimam* infirmet, et vindicet oppositam dudum jam relegatam, quae nullum plane fundamentum habet, praeter falsas argumentationes et conclusiones.

1) P. 3. tr. 4. res. 234. — 2) Q. 30. num. 18. 19. — 3) V. *Matrimonium clandestinum.* — 4) Lib. 3. disp. 17. n. 4. — 5) Tr. 9. c. 8. n. 13. — 6) Cfr. pag. 811. n. 1.

Articulus 2.

Omnino falsum est, S. Alphonsum sibi contradicere.

I. Ait insuper cl. Ballerinius: «*S. Alphonsus, qui alioqui* (L. 6. n. 1079.) *cum communiori negat in casu validitatem, alibi tamen* (de Privileg. n. 57.) *haec scribit:* « Imo asserit Pignatellus, probatque...» (Cfr. supra, pag. 808.).

1. Ut autem rite cognoscatur status quaestionis a S. Alphonso *Lib. I. Append. II. de Privileg. n. 57.* propositae, juvat integrum ejus textum inspicere. - Ibidem dicit: « *Si vero matrimonium non adhuc contractum sit*, probabilissima quoque adest sententia, et est communis, *quod possit tunc Episcopus dispensare in impedimento dirimenti, quando imminet periculum infamiae; et facilis non est recursus ad Pontificem;* ita Suarez, Pignatellus, Pontius, Concina, Cabassutius, Castropalaus, Salmanticenses, Bonacina, Cardenas, Sylvius, La-Croix, Viva, etc. cum Benedicto XIV., contra rigidissimum Fagnanum, qui id negat etiam in mortis periculo, et in necessitate legitimandi prolem; sed alii communiter ajunt, tunc praesumi, aut quod Pontifex deleget Episcopo suam dispensandi facultatem, vel quod in casu tantae necessitatis, cesset dispensationis reservatio, et quod tunc Episcopus dispenset ex potestate sua ordinaria. Vide *lib. 6. n. 1122.* et fusius *n. 613.* - Immo asserit Pignatellus, probatque, in tali casu cessare non modo reservationem, sed etiam legem impedimenti, utpote ea quae jam perniciosa evaserit; cum certum omnino sit, legem nocivam non obligare, ut docent omnes cum D. Thoma. Et ex hoc inferunt Roncaglia et Instructor novor. Confessarior., quod, *adveniente casu quo sponsi jam ad ecclesiam pervenerint, et unus ex ipsis manifestaret Confessario impedimentum occultum jam contractum, tanquam peccatum,* et sine scandalo aut infamia matrimonium differri non posset, potest tunc Confessarius declarare, eo casu non obligare legem impedimenti, et posse licite contrahi. Verum ad majorem cautelam consulunt, ut obtineatur inde dispensatio a S. Poenitentiaria. Sed advertendum est, hoc currere quando Episcopus esset absens; quando etenim fieri potest, necessario ad ipsum est recurrendum, ut dispenset, juxta ea quae diximus *n. 45.* - Dicunt autem Sambovius et Gibert, quod si contrahentes sint diversarum dioecesium, quisque sponsus debet a proprio Episcopo dispensari. Verum probabiliter id negat Honoratus Tournely, cum aliis; quia, sublato per Episcopum impedimento sui subditi, jam hoc ipso reddit habilem ad contrahendum cum alio impedito; quemadmodum qui habet facultatem dispensandi in aliquo gradu, eo ipso quod dispensat cum uno ex sponsis, dispensat etiam cum alio. »

2. Idem dicit S. Doctor, cit. *lib. 6. n. 1122.*: « Quaeritur, *an Episcopus possit dispensare in aliquo impedimento dirimente, ante matrimonium contractum, urgente necessitate?* Vide dicta hoc *Lib. 6. n. 512. v. Sed hic.*, ubi *affirmativam* sententiam tenuimus cum communi DD. (contra Busembaum ut supra), *dummodo vera urgeat necessitas*, puta si alias immineat periculum mortis, vel si matrimonium sit necessarium ad legitimandas proles, vel ad vitandam foeminae infamiam, aut alia damna; vel si mulier nobilis (ut ajunt Salmanticenses, sive honesta, licet non nobilis, ut melius dicit Concina) parata esset nuptias tali die contrahere, et *in confessione manifestaret impedimentum.* - Ratio, tum quia eo casu vel praesumitur ipse Papa dispensare, vel omnino cessat reservatio, exemplo in C. 2. *de desp. impub.* ubi: *Districtius*

» *inhibemus, ne aliqui ante aetatem Canonibus praescriptam conjungantur, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur.* Quod verbum *toleretur* Pontius et Salmanticenses interpretantur pro vera dispensatione, dicentes, hanc tolerantiam non esse permissionis, sed approbationis. – Addit Roncaglia cum Pignatello et Tamburini, quod, etiamsi impedimentum fuerit *publicum*, potest Episcopus dispensare, quando eaedem interveniunt rationes, quae sufficiunt ad dispensandum in impedimento occulto. *Sed hanc opinionem vix unquam puto posse habere locum in praxi;* quia, cum impedimentum est publicum, cessat ratio scandali, si sponsi a tali matrimonio desistunt; imo praesertim ad vitandum scandalum tenentur a nuptiis desistere. »

II. Ex hisce textibus jam prima facie apparet, nullatenus sustineri posse assertionem cl. Ballerinii, S. Alphonsum hic affirmare, quod Lib. 6. n. 1079. negat.

1. Etenim S. Doctor hic loquitur de impedimento, in quo Summus Pontifex dispensare *potest* et dispensare *solet*, et in casu necessitatis, quo recursus fieri nequit, *Episcopi* dispensare possunt. At in impedimento *clandestinitatis*, in casibus particularibus Summus Pontifex *nunquam dispensat*, nec *Episcopi* in quacumque necessitate dispensare possunt, ut docent Sanchez, Guttierez, Castropalaus, Coninchius, Bonacina, Basilius Pontius, Herincx, Wiestner, Viva et alii communiter. – Ergo S. Alphonsus hic non loquitur de impedimento clandestinitatis.

2. Porro S. Doctor supponit impedimentum *occultum, ante matrimonii celebrationem;* at, nullum impedimentum *clandestinitatis* occultum, imo nec occultum nec publicum esse potest ante matrimonii celebrationem, quia non existit; et sponsi *nonnisi in actu*, quo matrimonium sine solemnitate praescripta contrahere tentant, *ab Ecclesia inhabiles reddunturi*.

SIT ERGO CONCLUSIO:

1. Matrimonium *clandestinum*, contractum inter fideles in loco ubi receptum est Tridentinum, *nullum est in quocumque casu particulari*, licet extremae necessitatis; nec unquam validum esse potest, nisi in casu necessitatis *communis* seu *publicae*. Haec doctrina *communissima* est, atque *omnino tenenda; oppositа* vero sententia, quam tueri conatur cl. Ballerinius, *omni solido fundamento caret*.

2. *S. Alphonsus* nullatenus sibi contradicit; in loco namque a P. Ballerini allegato, S. Doctor agit *de impedimento occulto ante matrimonium contracto;* ac proinde cl. Professor duas omnino diversas quaestiones immerito confundit.

QUAESTIO VI.

An Matrimonio licite assistere possit Parochus suspensus, irregularis, excommunicatus, aut schismaticus.

(S. Alph. Lib. VI. n. 1083. 88. — P. Ball. T. II. n. 848. q. 3.)

I. – *P. Gury*, T. II. n. 848. q. 3. pag. 754.,[1] quaerit, an Parochus de quo supra, *valide* matrimonio assistere possit. Et respondet: « *Affirm.*, dummodo non renuntiaverit titulo, vel ab illo canonice depositus non

1) In altera edit. pag. 599.

fuerit. Ita communiter. » – Dein addit: « Sed plerumque *illicite* assisteret. *S. Lig. n. 1083.* »

Ad quae verba, cl. BALLERINIUS adnotat: « Parochus in casu non est » minister Sacramenti, sed merus » testis; et num peccet, quando adsistit a contrahentibus requisitus, » DD. inter se non consentiunt. [1] *Nimium quid* autem videtur postulare *S. Alphonsus,* dum in contrahentibus exigit causam *gravissimam* illum requirendi, quandoquidem ipse alioquin *non adeo gravem* causam exigit, ut *licite* Sacramenta peti ab *indigno* ministro possint. » – Cum cl. Professor in S. Doctoris solutione anceps haereat, pro majori quaestionis intelligentia, integrum ejus textum cum rationibus pro diverso casu allegatis, referre juvabit.

II. – En itaque S. ALPHONSI doctrinam:

Lib. VI. *n. 1083.* scribit: « Dubitatur, *an Parochus excommunicatus vitandus peccet graviter assistendo? Affirmant* Conink, Pontius cum Covarruvia, Suarez, ac Vasquez, Rebellus et Bonacina apud Bossium; *modo non adsit necessitas: quia alioqui communicaret cum aliis in re sacra et gravi.* – Negant vero Sanchez, Bossius, ac Hurtadus, Diana, Villalobos, Leander, etc. apud Salmanticenses (quorum aliqui tenent, nec etiam leviter peccare). Ratio, quia communicaret cum suis parochianis in re necessaria ad eorum utilitatem, quam eis ex officio praestare tenetur. – Sed hoc non obstante, *magis mihi arridet prima sententia,* juxta dicta *de Sacram. in gen. n. 88.,* ubi scripsimus, parochianis non licere petere assistentiam in matrimonio Parochi excommunicati, *nisi urgeat gravissima causa, et alius non adsit qui possit supplere.* – Omnes autem conveniunt, quod si talis Parochus a suo Episcopo juste fuerit *interdictus ab assistendo,* tunc valide assisteret, sed *a culpa gravi non excusaretur;* quia violaret praeceptum Superioris in re gravi: Sanchez, Salmanticenses cum Pontio, Coninchio, Palao, Bonacina, etc. »

Citato autem Lib. VI. *n. 88.,* S. Doctor quaerit: « *An liceat petere Sacramenta a ministro indigno?* – Hic distinguere oportet ministrum indignum ob aliquam *censuram vel inhabilitatem,* et indignum ob *peccatum mortale.*

» Resp. I. *Si minister est indignus per censuram,* etc., et non est toleratus, nimirum sit *excommunicatus vitandus,* vel *publice et nominatim suspensus,* et *irregularis per sententiam* (vide Croix), *certe non licet ab eo petere Sacramenta, nisi in extrema vel gravissima necessitate:* in qua omnes dicunt, licitum esse suscipere Baptismum et Poenitentiam; ut Suarez, Contin. Tournelii, Antoine, Bonacina, Croix, et Salmanticenses cum Sayro, Granado, Cornejo, etc., ex D. Augustino... Idem dicunt praefati AA. de Sacramento *Matrimonii,* casu quo esset *necessarium, vel ad salutem spiritualem morientis,* vel *ad magnam utilitatem temporalem filiorum, nec alius adesset minister...*

» Resp. II. Si vero minister sit excommunicatus vel suspensus *tolleratus,* quaestio est inter DD., *an liceat ab eo petere Sacramenta sine gravi causa?* Negant alii; sed *verius affirmandum:* quia Conc. Constantiense absolute concessit fidelibus communionem cum tolerantis...

» *89.* Resp. III. *Cum autem minister est indignus ob peccatum*

1) In alia adnotatione, nempe *ad n. 960.* pag. 860. (in altera edit. pag. 689.) cl. Professor, parum sibi consentiens, absolute dicit: « 7°. Demum Parochus *vitandus* valide, sed *illicite* » *adsisteret matrimonio,* licet per hoc irregularitatem non incurrat; non soluin autem valide, sed etiam licite alium ad assistendum deputaret (S. Alph. lib. 7. n. 166.). »

» *mortale,* D. Thomas videtur indis-
» tincte concedere, posse suscipi Sa-
» cramenta a peccatore occulto... Et
» idem habetur in Cap. *Vestra* 7. de
» cohabit. cleric... Hoc tamen sane
» intelligendum, valere tantum ad ex-
» cusandum, ne contraveniatur pro-
» hibitioni Ecclesiae; caeterum, ad
» suscipiendum Sacramentum a pec-
» catore, *semper requiritur ratio-*
» *nabilis causa,* juxta dicta Lib. 2.
» n. 47. et 49. – Utique alibi docet
» idem D. Thomas, ubi ait: « *Praeter*
» *necessitatis articulum, non esset*
» *tutum, quod eum* (scil. Pastorem)
» *induceret ad aliquid sui Ordinis*
» *exequendum, durante tali con-*
» *scientia, quod ille in peccato mor-*
» *tali esset.* » Nomine autem *neces-*
» *sitatis,* recte explicat Contin. Tour-
» nelii, intelligi hic *moralem* neces-
» sitatem; unde *probabiliter sufficit*
» *ad excusandum etiam causa gra-*
» *vis utilitatis:* ut docent commu-
» nissime Suarez, Sanchez, Palaus,
» Viva, Croix, Mazzotta, Toletus,
» Filliuccius, Escobar, Anacletus,
» Holzmann, Elbel citans Scotum,
» Sporer, Bonacina cum Coninchio,
» Valentia, Reginaldo, Henriquez;
» et Salmanticenses cum Ledesma,
» Nunno et communi, ut asserunt. »

III. – Quibus expositis, pauca sufficient ad objectam difficultatem solvendam. Causa *rationabilis,* seu causa *gravis utilitatis* sufficit, ad licite petenda Sacramenta a ministro, *propter peccatum mortale* indigno. – Ad licite autem petendum *a Parocho nominatim excommunicato vel interdicto,* ut matrimonio assistat, causa *gravissima* requiritur: quia secus adesset, absque necessitate, *communicatio in re sacra et gravi cum homine vitando,* contra expressam Ecclesiae vel Episcopi prohibitionem.

Quae si cl. Professor attente perpendisset, non dubitamus quin adnotationem suam penitus reticuisset, aut saltem doctrinam S. Alphonsi nimii rigoris non arguisset.

QUAESTIO VII.

An, in petitione dispensationis ad Matrimonium, inter Consanguineos contrahendum, exprimenda sit, sub poena nullitatis, copula incestuosa inter eos habita.

(S. Alph. Lib. VI. n. 1134. 1135. — P. Ball. Tom. II. n. 867.)

I. – Ad propositam quaestionem, S. Alphonsus Lib. VI. n. 1134. sic respondet: « *Commune* est apud omnes,
» quod si copula ex parte utriusque
» fuerit habita *ad facilius obtinen-*
» *dam dispensationem,* et copula
» allegetur pro unica causa conse-
» quendi dispensationem, tunc neces-
» sario malus ille animus est *exprí-*
» *mendus; alias matrimonium erit*
» *nullum,* quia nemini debet suum
» crimen prodesse; tanto magis quod
» Pontifex movetur ex ea ad impo-
» nendam majorem poenitentiam, aut
» pecuniae compositionem, ut sic ho-
» mines magis a tali crimine aver-
» tantur: ita communiter Sanchez,
» Palaus, et Salmanticenses, et alii.
» Idque expressum est in Bulla *In-*
» *nocentii XII.* renovata a *Benedi-*
» *cto XIV.* per Bullam *Pastor bo-*
» *nus,* §. 42... »

Dein *n. 1135.* S. Doctor sic pergit: « Sed redeundo ad quaesitum, dicunt
» alii *valere* matrimonium, si sponsi
» in supplicatione reticuerint cir-
» cumstantiam copulae, *si illa sit*
» *praehabita sine prava intentione*
» *obtinendi facilius dispensationem:*
» ita Pontius, et Salmanticenses cum
» Henriquez, Perez, Hurtado, Vega,
» Villalobos, etc. *Sed omnino est*
» *tenendum, esse nullum,* ut docent
» Sanchez, Laymann, Palaus; item

» Coninchius, Diana, Guttierez, Re» bellus, Filliuccius, etc. apud Sal» manticenses. - *Et de hoc hodie non* » *est amplius dubitandum* ex Bulla » cit. *Pastor bonus* Sum. Pontif. Be» nedicti XIV. §. 41. ubi dicitur: « *Quod si obtinuerit a nostra Da*» *taria dispensationem super gradu* » *prohibito, in primo et secundo,* » *vel secundo tantum, ac etiam ter*» *tio vel quarto,* cum reticentia co» pulae inter eos secutae, *quam sine* » *honoris detrimento detegere non* » *valeant; possit idem Major Poe*» *nitentiarius, si copula sit adhuc* » *secreta, hujusmodi dispensatio*» *nem, seu respective* reconvalida» tionem *in foro conscientiae tan*» *tum concedere; facta, quando agi*» *tur de primo et secundo, vel se*» *cundo tantum gradu, compositio*» *ne 50 ducatorum auri, de Camera* » *ad Datariam transmittendorum,* » *nisi prior gratia expedita fuisset* » *in forma pauperum.* » Ex his at» tende, quod Papa dicendo: *possit* » *reconvalidationem concedere,* non » habet pro validis matrimonia cum » tali reticentia contracta; tanto ma» gis, quod in gradibus mox supra » descriptis, dispensatio propter so» lutionem relatam difficilior reddi» tur. »

Eamdem sententiam S. Alphonsus expressis verbis confirmat in *Quaestionibus reformatis,* secundae Theol. mor. editioni adjectis, ubi *num. 91.* dicit: « An sit nulla dispensatio super » impedimento inter propinquos, si » taceatur copula inter ipsos prae» habita? *In priori Libro* (sc. in pri» ma edit. de anno 1748.) *opinio ne*» *gativa probabilis visa est. Sed hic,* » lib. 6. n. 1134. *omnino rejicitur,* » *etiamsi copula non fuerit habita* » *ad facilius obtinendam dispensa*» *tionem.* »

II. - *P. Gury,* T. II. n. 867. p. 768.[1] quaerit: « Quaenam sint necessario exprimenda de jure, sub poena invaliditatis, in petitione dispensationis? » Et respondet: « Sunt sequentia:... 6°. *Copula incestuosa* habita inter oratores, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione. Evincitur ex Bulla Benedicti XIV. *Pastor bonus...* »

Praefatam vero S. Alphonsi sententiam, cl. Ballerinius strenue oppugnat, non solum in priori editione, verum et uberius in altera, in qua legitur Adnotatio per sexdecim paginas protracta; quam paulisper expendere juvat. - Porro, eamdem cl. Professor sic exorditur: « Sequu» tus est Auctor (P. Gury) hoc loco » *S. Alphonsum,* qui (Lib. 6. n. 1135.) » hanc controversiam, de qua ad eam » usque aetatem a Doctoribus in » utramque partem consueverat dis» putari, *censuit jam prorsus direm*» *ptam* vi Constitutionis Benedi» cti XIV. *Pastor bonus,* et ideo » tamquam *indubium* tradit, si ta» ceatur circumstantia incestus, li» cet non patrati ad finem dispensa» tionis facilius obtinendae, ita vi» tiari Rescriptum, ut dispensatio » sit irrita, atque adeo matrimonium » invalidum. » - Verum judice cl. Professore, haec S. Doctoris nostri sententia vix admitti potest, « prouti » ex mera hujus controversiae histo» ria facile colligi poterit. » Hinc, ad eamdem « mere historice » infirmandam, complura congerit argumenta, quorum praecipua sic compendiari possunt:

1. « Et in primis ipse quoque S. Au» ctor *ultro concedit,* libere de hac » quaestione ante Benedictum XIV. » disputatum in scholis fuisse: quin» imo ipsemet in sui Operis neapo» litana editione *anni 1748.* ad (prae» fatam) quaestionem.... respondet: » *Adest duplex sententia probabi*» *lis... Secunda... negat... et proba*» *bilem recte vocat Sanchez.* »

Hoc utique S. Doctor ultro concessit in prima Operis editione; sed jam

1) In altera edit. pag. 609.

in secunda, *affirmantem* sententiam *omnino tenendam* dicit, et *negativam omnino rejiciendam,* prout ex textibus supra allegatis evidenter patet. Quod P. Ballerini veritatis causa adnotare potuisset.

2. Affirmat cl. Professor, ex Bulla: *Pastor bonus* nihil probari posse ad demonstrandam in casu nullitatem dispensationis. Ratio, quia verba Benedicti XIV. eadem prorsus sunt, quae jam leguntur in Constitutione Innocentii XII.: *Romanus Pontifex,* 3 Sept. 1692. §. 34. Atqui haec Constitutio controversiam minime definivit; quia etiam post illam libere ea de re inter Theologos controversum fuit. Constat insuper, « pro quacumque e contrariis » opinionibus Auctores steterint, ne» minem eorum pro vel contra in me» dium Constitutionem Innocentia» nam (quam alioqui non ignorabant) » traxisse, imo ne ullam quidem ejus» dem mentionem injecisse... Ergo, » eo ipso, quod *(Benedictus XIV.)* » Innocentii Constitutioni nihil ul» terius addidit, sed mere *Innocen» tii* verba ac sententiam repetiit, » *facto ipso satis superque ostendit,* » *se nihil definire aut declarare vo» luisse, et rem totam* in statu quo, » *ut ajunt, voluisse servare.* » Quam conclusionem aliis rationibus ex ipso Benedicto XIV. desumptis, confirmare studet.

Ad omnia ista fusius exposita paucis respondemus, eadem forsan valere quidquam posse, si hodie non exstaret positiva et authentica Bullae Benedicti XIV. interpretatio; hac autem stante (ut infra videbimus) ad meram eruditionem inservire possunt.

3. Pergit autem P. Ballerini, dicens, suam interpretationem « con» firmari... eorum testimoniis, qui » commodius sensum Bullae Benedi» ctinae nosse, ac nobis prodere po» tuerunt. Nam fuerit utique *B. Al» phonsi,* viri sane doctissimi, sed » *longe ab Urbe absentis,* eum sen» sum verbis Benedictinae Bullae » ratiocinando tribuere, ut contro» versiam a Benedicto jam direm» ptam putare posset. At non sic pro» fecto, qui *Romae* per ipsam Bene» dicti XIV. aetatem commorantes, » in hujus Urbis luce de hac re me» lius quidpiam rescire potuerunt, et » idcirco *magis idonei testes* de sen» su Benedictinae Constitutionis es» se possunt... » - Porro, hos inter Auctores, « primus nobis occurrit » *Daniel Concina,* qui anno 1751., » nono nempe anno postquam edita » fuerat Constitutio *Pastor bonus,* » Romae *in volumine, cujus frontem* » *Benedicti XIV. stemma exornat...* » Succedit *P. Philippus a Carbo» neano,* in Collegio de Propaganda » fide Professor, S. Congr. Indicis » Consultor, et Supremae et Univers. » Inquisitionis Qualificator. Et hujus » quidem suffragium eo validius ha» bendum videtur, *quod ipsimet Be» nedicto XIV. opus dicaverit....* » Tertius sit testis *Ubaldus Giral» di,* qui examinator extitit cleri » Romani... »

Absit a nobis, ut praefatis Auctoribus debitam aestimationem vel minimum laedamus. At vero, quid ex allegatis contra S. Alphonsum concludi potest? - Extra Urbem quidem scripsit; attamen non apud Sinas, quin potius haud longe ab alma Urbe. - Majori utique prae aliis commoditate potiuntur Auctores Romae scribentes; sed exinde minus recte quis concluderet, istos, eo quod in Urbe scribant, sensum Constitutionum Apostolicarum rectius semper assequi; facile namque probari posset, plures Auctores, licet « longe ab Urbe absentes », accuratius scripsisse quam alii, qui « in hujus Urbis luce » opera sua exararunt. - Constat insuper, S. Alphonsum, ad plurium quaestionum solutionem, tum Theologos tunc temporis in Urbe florentes, tum maxime Sacras Congregationes saepius consuluisse.

Adde, quod si praelaudati Scriptores opera sua *Benedicto XIV. dedicarunt,* aut ab ipso *commendati* fue-

runt, idipsum et S. Alphonsus sibi vindicare potuit. Eidem namque Pontifici Opus suum morale dicavit, et quidem (notatu dignum) secundam editionem, in qua sententiam hac de re in priori opere traditam reformavit, et in cujus fronte legitur Elenchus Quaestionum reformatarum. – Ad commendationem quod attinet, doctissimus Pontifex, qui maximi faciebat S. Alphonsi doctrinam, [1] sub die 15. Julii 1755. ipsi rescripsit: « *Abbiamo ricevuto una sua lettera degli otto di Giugno, unitamente col secondo Tomo della sua Morale... Noi la ringraziamo del regalo, ed avendo data una scorsa al libro della sua Morale, ch' è dedicato a Noi, l'abbiamo ritrovato pieno di buone notizie; ed ella può restar sicura del gradimento universale, e della pubblica utilità. Tratto tratto l'anderemo leggendo, e speriamo, che quanto leggeremo, corrisponderà a quanto abbiamo letto...* » [2]

4. Ex omnibus hucusque allatis, cl. Professor fidenter pronuntiat: « *Concludendum est igitur, nemini* » *praeter S. Alphonsum, vel ullam* » *suspicionem de hac Benedicti XIV.* » *definitione obortam esse.* » Ac paulo post, omnia reassumens, subdit: « Et haec quidem historica expositio » sensus, quem tum Theologi, tum » Canonistae Constitutionibus sive » Innocentii XII. sive Benedicti XIV. » (perinde enim est, de utravis sermo sit) universim tribuerunt, satis » esse posset, ut quis concluderet, » *valde dubitandum, num nova illa* » *earumdem interpretatio, quam* » *contra unanimem catholicarum* » *Scholarum omnium sententiam* » *B. Alphonsus invexit, legitima* » *censeri queat.* »

Nec satis. Nam, judice cl. Professore, sententia S. Doctoris non modo singularis est, sed et falso principio innixa: « Superest itaque inquirendum, *an solido aliquo fundamento innitatur.* Hoc autem reipsa » totum residet in hisce ejusdem verbis (Lib. 6. n. 1135.): « *Attende,* » *quod Papa dicendo:* Possit reconvalidationem concedere, *non habet* » *pro validis matrimonia cum tali* » *reticentia contracta.* » Quod quidem argumentum (nunquam antea » ex Innocentii verbis ductum) generali huic principio innitatur oportet, nunquam a Superiore delegari » potestatem aliquam, nisi omnino » certa sit causa necessitatis, cui per » exercitium delegatae potestatis sibi » subveniri subditi postulent. – *At* » *vero ejusmodi principium facile* » *fallax apparebit, illudque falsi-* » *tatis arguit vel quotidiana pra-* » *xis...* »

Nihil itaque nobis superesse videtur, nisi ut cl. Ballerinio victas manus porrigamus, atque ultro fateamur, hanc singularissimam et falsam S. Doctoris opinionem plane rejiciendam esse. – Qua de re tamen, nimius nos angor non premat; siquidem contra omnium expectationem, ipse cl. Professor thesim suam funditus evertit, ita ut omnia ab ipso discussa in sacculum pertusum cecidisse dicas.

III. – « Et haec quidem ita scripseram (subdit cl. Professor) ut eorum, » quae in praecedenti hujus Compendii editione hoc loco dixeram, quaeque a quibusdam minus probari audieram, aliquam rationem reddere, atque adeo ostenderem, neque » *gratis,* neque *pruritu,* ut quidam » dictitabant, *contradicendi S. Alphonso,* me ab ejusdem sententia » tunc discessisse. Quinimo, iis omnibus perspectis, quae hucusque exposui, aequus quisque lector, ut » puto, dabit ultro, me in eam opinionem adductum ob ea dumtaxat » fuisse, quae ab Auctoribus communi » consensu *probatis* didiceram, et eo » demum instrumentorum apparatu, » eoque argumentorum genere me » usum esse, quibus Auctores illos » *probatos* in eadem quaestione tra

1) Vid. supra, pag. 259. n. V., et pag. 781. n. 5. — 2) Ex ipso Originali.

» ctanda usos cernebam. Ut enim ex » totius hujus operis contextu facile » quisque colliget, nihil unquam an- » tiquius habui, quam ut posthabitis » in re qualibet opinamentis meis, » quaecumque scriberem, ea ad nor- » mam probatiorum Auctorum, quo- » rum haereditate pretiosissima frui- » mur, nunquam non exigerem, eo- » rumque vestigiis presse ac fideliter » insisterem.

» Nunc autem, cum ad notitiam » meam devenerit, *S. Poenitentia- » riam Apostolicam* pluries jam in » Actis ac Responsionibus suis mani- » festasse, *illi sese adhaerere senten- » tiae, quam et S. Alphonsus am- » plexus est,* quin et novissime hoc » idem Ejusdem sententiam requiren- » tibus responderit; jam veritatis stu- » dium, quo solo quisque catholicae » Ecclesiae filius et ad scribendum » moveri, et in scribendo dirigi de- » bet, exigit, ut non modo Responsum » eo, quo par est, obsequio excipiam, » verum etiam ut, quantum in me » est, ipsum in eorum notitiam de- » ducam, qui adnotata a me de hoc » argumento in praecedenti editione » forte perlegerint. - Nihil itaque » cunctor, id mihi ultro consentiente, » imo et omnino probante ecclesia- » stica Auctoritate imprimendis li- » bris praeposita, hoc Responsum » oculis omnium subjicere, quod sic » se habet:

« *Sacrae Poenitentiariae proposi- » tum fuit dubium sequens: Utrum » per Bullam Benedicti XIV.* Pastor » bonus, *intelligatur* CANONICE DECI- » SAM *fuisse quaestionem, alias agi- » tatam, super validitate vel nulli- » tate dispensationum obtentarum, » reticita copula incestuosa vel oc- » culta, et malitiosa intentione in » ipsa copula habita ad facilius obti- » nendam dispensationem?* »

« *Sacra Poenitentiaria, sub die » 20. Julii 1869. respondit: Post » Constitutionem Benedicti XIV.* Pa- » stor bonus, NON POSSE AMPLIUS DU- » BITARI DE NULLITATE DISPENSATIO- » NIS OBTENTAE, *reticita incestuosa » copula, vel prava intentione faci- » lius obtinendi dispensationem ha- » bita in ea patranda.* »

1. Mira sane conclusio, quacum haud componi posse videntur, quae cl. Professor per quindecim paginas contra S. Alphonsi doctrinam congessit. - Quidquid sit, libenter fidem ipsi habemus, dum testatur, se « *neque gratis, neque pruritu,* ut quidam dictitabant, *contradicendi S. Alphonso*, ab ejusdem sententia discessisse. » Mirum tamen sibi videri non debet, si « *a quibusdam minus probari* » audierit, quae tum in hac, tum in aliis permultis quaestionibus, acerrimo (ne plura dicamus) stylo contra S. Doctorem scripserat.

2. Gratulamur quidem cl. Ballerinio, quod S. Poenitentiariae Responsum oculis omnium subjecerit; licet non paucis sat aenigmaticum videri possit, se id fecisse « *ultro consen- » tiente, imo et omnino probante ec- » clesiastica Auctoritate imprimen- » dis libris praeposita.* » - Interim libenter admittimus, quod ipse praefatum Responsum habeat tanquam expressam et authenticam interpretationem Bullae Benedicti XIV. *Pastor bonus;* ita ut, vi ejusdem Bullae et authenticae ipsius interpretationis, « *non possit amplius dubitari de nullitate dispensationis* » in casu proposito. Siquidem ex citata Bulla, Poenitentiario Majori plena facultas competit declarandi « *dubia omnia in materia peccatorum, seu forum poenitentiale alias quomodolibet concernentia.* » - Exinde autem sequitur, omnia a P. Ballerinio doctrinae S. Alphonsi objecta, nonnisi ad meram eruditionem inservire posse. Hinc (pace cl. viri) majori laude dignus fuisset, si integram Adnotationem, utpote cum praelaudato Responso apertissime pugnantem, penitus expunxisset, aut saltem sincere fassus fuisset, sententiam a se propugnatam, stante hoc Responso, non posse amplius in praxim deduci. Qua aperta declaratione, luculentius apparuisset ipsiusmet « *veritatis studium, quo solo*

» *quisque catholicae Ecclesiae filius* » *et ad scribendum moveri, et in* » *scribendo dirigi debet.* » [1]

3. Tandem, pro singulari quam erga S. Doctorem profitetur devotione, cl. Ballerinius ex praefato Responso concludere potuisset, quanti habenda sit in re morali auctoritas S. Alphonsi. - Licet enim « historica » expositio sensus, quem tum Theologi, tum Canonistae Constitutionibus sive Innocentii XII., sive Benedicti XIV., universim tribuerunt, satis esse posset, ut quis concluderet, *valde dubitandum, num* » *nova illa earumdem interpretatio,* » *quam contra unanimem catholicarum Scholarum omnium sententiam B. Alphonsus invexit, legitima censeri queat*»: authentice tamen constat, hanc SOLIUS S. ALPHONSI interpretationem dicendam esse unice « *legitimam* », atque omnino in praxi tenendam. [2]

QUAESTIO VIII.

An ab omni, etiam veniali, peccato immunis sit voluptas in opere conjugii quaesita.

(S. Alph. Lib. VI. n. 912. etc. — P. Ball. Tom. II. n. 908. etc.)

Aegre tantum de lubrica ista materia sermonem instituimus; ast, ipsam silentio praeterire non licet: tum quia maxime ad praxim pertinet, tum quia cl. Ballerinius, fusius et in pluribus Adnotationibus ea de re disserens, sententias, pro quibus P. Gury auctoritatem S. Doctoris expresse adducit, passim limitat aut rejicit. - Quo melius ordini consulatur, 1. Doctrinam *S. Alphonsi* exponemus; 2. Sententiam *P. Ballerini* de opere *conjugii* referemus ac perpendemus; 3. Considerabimus, quid de ipsius doctrina *circa actus delectabiles in genere* sentiendum sit; 4. Utrum cl. Professoris interpretatio Propositionum ab *Innocentio XI.* proscriptarum admitti possit, examinabimus.

ARTICULUS 1.

Exponitur S. Alphonsi doctrina.

I. - S. Doctor constanter docet, delectationem a conjugibus *quaesitam*, sive in copula, sive in tactibus et

1) Non immerito tamen quis dubitare posset, num cl. Professor in praefato Responso authenticam interpretationem agnoscat. Siquidem in fine totius Tractatus de Matrimonio, pag. 661. ejusdem secundae editionis, haec iterum leguntur: « In Not. ad n. 867. (pag. 617-619.) » Scriptores prolati sunt, qui idonei testes essent de sensu, qui Constitutioni *Benedicti XIV.* » circa quaestionem ibi agitatam in scholis utcumque variis tribuebatur. *Visum est itaque,* » *alio testimonio*, quod ab egregio Theologo ex Ord. Servor. B. M. V., nempe *Marco M.* » *Struggl* habemus, *lectorem non fraudare.* » Et post allegata ejusdem verba, concludit: « *Struggl* itaque, non secus ac Reiffenstuel, censuit, exprimendam utique *pravam intention* » in habenda copula, quando haec allegabatur ut *causa* dispensandi, itemque exprimendam copulam, si *publica* esset; *aliis vero in casibus nuspiam.* »

Sed quid dicemus de hujusmodi agendi ratione? Ergo de vero et unico sensu Constitutionis Benedicti XIV. certo non constat? Si cl. Professori visum est, alio testimonio sibi favenli lectorem non fraudare; nonne saltem « *veritatis studium* » ab ipso postulasset, ut et lectorem moneret, ex authentico S. Poenitentiariae Responso « *non posse amplius dubitari de nullitate dispensationis obtentae, reticita incestuosa copula* », sive publica, sive *occulta*, et etiamsi *absque* prava intentione dispensationem facilius obtinendi habita fuerit?

2) Ad eamdem Quaestionem referuntur tres aliae Adnotationes, numeris *872.* et *887.* adjectae. Cum autem, fatente ipso cl. Professore, earumdem solutiones a se traditae eodem, quo praesens, innitantur fundamento; sequitur, ipsas a praelaudato S. Poenitentiariae responso (cujus iterum nulla prorsus mentio occurrit) non leviter feriri; ac proinde illas speciatim confutare haud necessarium ducimus.

aspectibus, sive etiam in cogitatione de copula habita vel habenda, esse peccatum *veniale, nisi ad alium finem licitum ordinetur.* - Esset vero *mortale,* si finis ultimus in tali voluptate constitueretur; vel si ex voluptate, in tactibus, aspectibus aut cogitationibus quaesita, periculum pollutionis sequeretur.

II. - Antequam demonstretur, hanc esse veram et rectam S. Alphonsi doctrinam, breviter exponere juvat, quinam sint *fines* matrimonii contrahendi: « *iidem enim fines* (ait S. Doctor, lib. 6. num. 927.), *quos* » *habere licet ad matrimonium con-* » *trahendum, cohonestant etiam pe-* » *titionem copulae.* » - Porro, fines matrimonii, ex S. Alphonso, egregie sic exponit *P. Martinus Schmitt, C. SS. R.,* dicens: [1]

« Tres fines in matrimonio considerari possunt, nimirum: 1°. *Intrinseci essentiales;* suntque *traditio mutua corporum,* cum obligatione reddendi debitum, et *vinculum indissolubile.* - Porro certum est, quod, si quis contraheret, positive excludendo hos fines, nempe animo non suscipiendi obligationem reddendi debiti, vel contrahendi ad tempus, non solum peccaret, sed nullum iniret matrimonium. »

« 2°. *Intrinseci accidentales* duo sunt, nempe *procreatio prolis,* et *concupiscentiae remedium;* quos fines si quis excluderet, non solum valide, sed et licite posset quandoque contrahere, e. g. senes, qui nubunt sine spe procreandi prolem, nec intendunt concupiscentiae remedium; saltem enim fines essentiales salvantur. - Unde, qui nubit *principaliter ob remedium concupiscentiae,* modo non excludat *positive* finem procreandae prolis, non peccat; quia matrimonium a Deo institutum est, non tantum ad procreandam prolem, sed etiam in remedium concupiscentiae, ut patet ex 1. Cor. VII. 2: *Propter fornicationem autem, unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum...*; et quod ibi Apostolus loquatur, non de periculo compartis, sed de propria viri seu mulieris fornicatione, innuit vers. 1. ubi dicit: *Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem...*; et vers. 9.: *Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.* Vid. S. Joan. Chrysost. in h. l., et qui eum secutus est Cornelius a Lapide. »

« 3°. *Accidentales extrinseci* plurimi esse possunt, ut pax concilianda, captanda voluptas, divitiae, etc.; quorum occasione quaeritur: an liceat contrahere matrimonium *principaliter* ob fines hos accidentales et extrinsecos? - Distinguendum: Si finis sit *per se honestus,* ut pax populi, decus familiae, congrua sustentatio, *licitum est,* quia non est deordinatio, eligere aliquem ex finibus secundariis honestis prae fine primario, modo iste non excludatur; *secus vero, si finis non sit honestus,* ut *voluptas,* avaritia, etc. »

III. - Hisce praenotatis, veniamus ad singulos tres casus propositos, in quibus cernere est conclusiones, quas ex istis principiis S. Doctor deducit.

1. De ipsa *copula conjugali* tractans, atque varios enumerans casus, in quibus illicitus est usus matrimonii, S. Alphonsus, Lib. VI. *n. 912.* primum refert sequentia *Busembaumii* verba: « Si fiat pravo fine, v. gr. tantum voluptatis causa: quod tamen DD. communiter, ut Sanchez, Bonacina, censent esse tantum veniale, contra Pontium, qui vult esse nullum; nullum autem erit, si delectatio non quaesita sentiatur, vel ad eam se excitent, quando copula debita redditur... » - Quo textu relato, ipse S. Doctor subjungit: « *Certum* » *est, esse illicitum habere copulam* » *propter solam voluptatem;* ut pa- » tet ex Prop. 9. damnata ab In- » noc. XI., quae dicebat: *Opus con-*

1) Epitome Theol. mor., Lugduni, Pelagaud 1848. *s.* 121. pag. 524.

» *jugii, ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Commune tamen est apud omnes, id non esse mortale, sed tamen *veniale* peccatum: ita Sanchez, Pontius, Bossius, et alii passim *ex D. Thoma, suppl. q. 64. art. 6., ubi expresse id docet.* Et ratio, cur non sit mortale, est, quia delectatio de aliquo objecto ex duplici tantum capite potest esse mortalis: vel quia objectum ipsum est graviter vetitum, vel quia homo delectatur de illo tanquam ultimo fine. Sed in hac delectatione neutrum intervenit: non primum, ut patet; non secundum, ut supponitur. - *Non excusatur autem a veniali, quia est perversio quaedam ordinis:* cum delectatio, quae intenta est a natura *ut medium* ad generationem, fit *finis* habendae copulae. - *Nullum* autem erit peccatum, ut recte ajunt Croix et Viva, si conjux principaliter intendat procreationem prolis, et *utatur* voluptate (eam moderate intendens), ut se excitet ad copulam: sicut pariter minime peccat, qui intendit moderatam delectationem in comedendo, *ad praestandum corpori conveniens alimentum.* »

2. Ad *tactus et aspectus* quod attinet, inter conjuges habitos, S. Alphonsus *n. 933.* quaerit: « *An sint mortales tactus et aspectus turpes inter conjuges, propter solam voluptatem, sine ordine ad copulam, si non adsit periculum pollutionis?* » Et respondet: « Affirmant S. Antoninus, Sylvester, Margarita Confessorum, etc. apud Sanchez; quia (ut dicunt) omnis actus venereus, non relatus ad copulam conjugalem, est mortalis. - *Negat* vero *sententia communis et verior;* eamque tenent Laymann, Palaus, Lessius, Bonacina, Sporer, Sanchez cum Abulensi, Victoria, Angles, Armilla, Sà, Medina, Ledesma, etc.; Salmanticenses cum Henriquez, Aversa, Perez et Diana; Bossius cum Vasquez, Fagundez, Villalobos et Hurtado; ac Croix cum Soto, Toleto, Cajetano, Coninchio, Filliuccio, et pluribus aliis. Ratio, quia status conjugalis, sicut cohonestat copulam, ita etiam hujusmodi tactus et aspectus; alias enim, cum sit tanta inter conjuges societas, et ipsi multoties non possint coire, jugibus periculis essent expositi, si tales actus essent eis graviter illiciti. Sicut autem *delectatio quaesita in copula culpam venialem non excedit,* ita etiam *in his tactibus et aspectibus...* » Et in *Hom. Apost.* Tr. 18. n. 42. S. Doctor ait: « Tactus etiam impudici, si ad copulam ordinantur, sine dubio conjugibus permittuntur. Si vero non ordinantur, ut communiter et verius docent Sotus, Cajetanus, Toletus, Vasquez, Lessius, Laymann, Sanchez, Castropalaus, Abulensis, Armilla, Bonacina, Salmanticenses, Coninchius, Sà, etc. (contra quosdam), *sunt tantum veniales;* quia status conjugalis excusat eos a mortali. »

3. De *Cogitatione* vero *morosa*, S. Alphonsus *n. 937.* quaestionem proponit: « *An sit mortalis delectatio morosa in conjuge, de copula habita vel habenda, quae tamen non possit haberi de praesenti?* » Et tres sententias refert, quarum prima affirmat; secunda communior negat; et tertia distinguit, dicens, « quod si delectatio sit absque commotione spirituum, non erit mortalis; secus, si cum commotione et titillatione partium. » - Quibus expositis, S. Doctor propriam sententiam sic exponit: « Ego meum judicium proferam. Si delectatio habeatur, non solum cum commotione spirituum, sed etiam cum titillatione seu voluptate venerea, sentio cum Concina (contra Sporer, ut supra), eam non posse excusari *a mortali:* quia talis delectatio est proxime conjuncta cum periculo pollutionis. Secus vero puto dicendum, si absit illa voluptuosa titillatio: quia tunc non est delectationi proxime

» annexum periculum pollutionis, » etiamsi adsit commotio spirituum; » et sic revera sentit Sanchez cum » Vasquez, cum non excuset delectatione cum voluptate venerea, sed » tantum (ut ait) cum commotione et » alteratione partium, absque pollutionis periculo. At, quia talis » commotio propinqua est illi titillationi voluptuosae, ideo maxime » hortandi sunt conjuges, ut abstineant » morosa... » – Quocirca notandum est, S. Alphonsum, duplici ratione, scite omnino uti verbis : « *maxime hortandi sunt conjuges, ut abstineant...* » Et primo quidem, quia non semper delectatio morosa a conjugibus haberi supponitur *ob* voluptatem positive quaesitam, sed potius *cum* voluptate; unde, si cogitatio (etiam delectabilis) de copula non conjungatur cum voluptate *venerea*, immunis esse potest a peccato etiam veniali: v. gr., si cogitatio feratur in conjugem propter amorem, complacentiam in illo, etc. Rectissime tamen dicit S. Doctor, *maxime hortandos* esse conjuges; quia in hujusmodi cogitationibus semper adest aliquod periculum peccati, non solum venialis, sed etiam mortalis; ut ex supra dictis patet.

Articulus 2.

Exponitur et perpenditur sententia cl. Ballerinii, de opere conjugii ob voluptatem exercito.

I.–Cl. Professor, a S. Alphonso dissentiens, tenet, voluptatem *quaesitam* a conjugibus, sive in copula, sive in cogitationibus, *omni prorsus culpa* carere, semper ac intrinseci fines operis conjugii *positive* non excludantur. Quod ex textibus modo allegandis patebit.

1. De *opere conjugali* haec tradit *P. Gury*, T. II. *n. 908.* pag. 797.[1]: « Illicitus est conjugii usus, si fiat ob solam voluptatem, id est, alios fines *expresse* excludendo. Patet ex Prop. 9. ab Innoc. XI. damnata, quae sic sonat: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Per se tamen esset tantum *veniale* peccatum; quemadmodum veniale est, *cibum* ob solam delectationem sumere. Immunis autem ab hac culpa est conjugii usus, si remedium sit concupiscentiae; quippe tamquam concupiscentiae remedium licita est ejus satisfactio, *sive expresse, sive implicite intendatur. - S. Lig. n. 912.* »[2]

Ad quae verba, P. Ballerini longiorem adnotationem sic exorditur: « Voluit Auctor per haec adsignifi- » care, etiam levem istam inordina- » tionem seu culpam *operantis pro-* » *pter solam voluptatem* vix unquam » reipsa adesse. [3] Et ratio patet; quia » inordinatio non residet in appeten- » do delectationem : ut enim inquit » *S. Thomas* (Contra Gent. lib. 3. » cap. 26. n. 6.): « Delectatio, quae » consequitur bonas et appetendas » operationes, bona est, et appeten- » da »; idque (ut ibid. n. 7. subdit » Angelicus) « convenit cum ordine » naturae... Videmus enim, quod na-

1) In altera edit. pag. 643.

2) In prioribus editionibus (cfr. edit. Parmens. 1852. n. 588.) *P. Gury* sententiam suam ex S. Alphonso rectius sic exposuerat: « Illicitus est conjugii usus, si fiat ob solam voluptatem; sola enim voluptatis ratio opponitur ordini. Constat etiam ex propos. ab Innoc. XI. damnata. Per se tamen est veniale tantum peccatum; quemadmodum veniale est, cibum ob solam delectationem sumere. *Grave autem foret, si alius honestus finis excluderetur, sive expresse, sive implicite;* quia tunc finis ultimus in voluptate sisteret. » — Mirum est, quod in recentioribus editionibus, principium expositionis cum conclusionibus non cohaereat.

3) Alii tamen non tam benigne sentiunt de conjugibus. Sic *Thomas Ex Charmes* (De matr. c. 3. art. 2. q. 3. §. 3.), postquam statuerat, licitum esse actum conjugii in remedium concupiscentiae, hanc affert objectionem: « Nonnulli ex SS. Patribus eos, qui actum conjugalem exercent ad vitandam propriam suam incontinentiam, asserunt peccare venialiter. » — Et respondet: « Docent peccare venialiter, *quia rarissime contingit, ut conjuges, sub praetextu vitandae incontinentiae, potius libidini non serviant, quam rationem sequantur.* »

» tura illis operationibus animalium » delectationem apposuit, quae sunt » manifeste ad fines necessarios or- » dinatae... Nisi enim adesset dele- » ctatio, animalia a praedictis usibus » necessariis abstinerent. » - *Inordi- » natio itaque operantis* PROPTER » SOLAM VOLUPTATEM *tunc aderit, » cum quis ita in voluptate sistit, » ut* POSITIVE *quemlibet alium finem » excludat.* Dixi: *excludat positive;* » nam quod de qualibet actione com- » munis ac certa doctrina tradit (Vid. » quae ex *S. Thoma* attulimus, *Vol. I. » n. 31. 32.*), ad actum *bonum* satis » esse, quod fines, aut ulteriores, aut » operi intrinseci, non excludantur, » *licet quoad ipsos agens alioquin » negative se habeat,* id est, de iis » inter operandum minime cogitet, » sed solum generali quodam conce- » ptu actum ut sibi licitum atque adeo » honestum apprehendat: hoc ipsum » etiam *de actu conjugali* dicendum » est, nimirum, ad ejus honestatem » sufficere, quod fines huic operi in- » trinseci, quos et A. *(n. praec.)* re- » censet, *positive* non excludantur, » agens vero opus ut sibi licitum, » seu (quod idem est) non illicitum » apprehendat, licet de illis finibus » nihil inter agendum cogitet.

» Vix porro contingere potest, ut » fines operi conjugali intrinseci *po- » sitive* prorsus excludantur. Et hoc » quidem Auctor innuere voluit, dum » sermonem injicit de conjugii usu, » tamquam de concupiscentiae re- » medio. »

Quibus praemissis, cl. Professor, tum ex verbis S. Pauli, tum ex auctoritate S. Chrysostomi probat, « hunc » quoque matrimonio finem inesse, » et quidem intrinsecum, ut concu- » piscentiae sit remedium. » Quocirca jam ipsum S. Alphonsum consentientem audivimus.

Dein, post allegatos pro eadem sententia quosdam *D. Thomae* textus, sat ingeniose simul compositos, cl. BALLERINIUS sic pergit: «Docente ergo » S. Thoma, concupiscentiae reme- » dium, divinitus per matrimonii in- » stitutionem homini paratum, in eo » resident, ut per actus in legitimo con- » jugio generationi idoneos ipsi concu- » piscentiae satisfiat, cedatur nimirum » ac satisfiat illi appetitioni venereo- » rum, quam excitat apprehensa de- » lectationis vehementia. Cumque » haec concupiscentiae satisfactio con- » stituat finem operis intrinsecum, » manifestum est, eum, qui delecta- » tionis apprehensione movetur ad » actus conjugales, quos alioquin sibi » legitimis nuptiis copulato plane li- » citos esse novit, adeo finem debi- » tum non excludere, ut potius, dum » huic appetitioni vult satisfacere, » ipsum finem, propter quem nuptiae » a Deo sunt institutae, sectetur et » impleat. - Quocirca proscripta illa » propositio, quam Auctor memorat, » damnanda utique fuit; sed hac etiam » de causa profecto fuit damnanda, » quod opus conjugii absurde exhi- » beat velut opus indifferens, ob so- » lam voluptatem susceptum, quando » in eo opus potius sedandi concupi- » scentiam per venerei appetitus sa- » tisfactionem, in quo intrinsecus » ipsius operis finis consistit, ex do- » ctrina Apostolica inspici debuit. »

Sed clarius adhuc mentem suam declarat cl. Professor, in alia adnotatione. - *P. Gury, n. 914. ad 7.* pag. 805. [1] scribit: « Denique, *per se* non prohibetur *die sacrae Communionis,* quamvis ad eam ex pietate tantum accedant conjuges, *modo ex honesto fine agant.* Ita communiter. *S. Lig. n. 922. et lib. 6. n. 273.*, Lugo, Sanchez, aliique; qui docent, esse de mero consilio abstinere a copula die Communionis, sive ante, sive post Communionem: modo non immediate post eam susceptam, neque *ex mera voluptatis causa* habeatur. »

Ad relata autem verba: « *modo ex honesto fine agant* », P. BALLERINI sequentia subnectit: « *Quid haec sibi » velint, vix intelliges;* nunquam

1) In altera edit. pag. 649.

» enim sine honesto fine agere quidpiam licet, sive die Communionis, sive aliis diebus. *Vides nimirum lacinias singularium de finibus matrimonii opinionum.* [1] *Idem dicito de exceptione inferius addita, de* MERA VOLUPTATIS CAUSA: qua de re, vide adnotata *ad n. 908.*; et *siquidem actum per se culpa carere demum definias, concludes, et hoc* AD MERUM CONSILIUM, *non autem ad praeceptum, aut grave, aut leve,* pertinere.»

Judicio itaque cl. Professoris, actus conjugalis, *mera voluptatis causa* exercitus, sufficienter honestus est; nec ad ullum, sive grave, sive leve praeceptum, sed *ad merum consilium* pertinet, ipso die Communionis a copula abstinere, quae *ex mera voluptatis causa* haberetur. [2] - Quid autem de ista doctrina sentiendum sit, infra videbimus.

2. De cogitatione, seu *de delectatione morosa* a conjugibus habita, disserens, *P. Gury, num. 920. ad 6.* pag. 814. (in altera edit. pag. 655.), haec tradit: « Delectatio morosa de copula habita, vel remote habenda, secluso pollutionis periculo, juxta communem sententiam est peccatum veniale tantum. - 1°. *Est peccatum aliquod;* quia in hac voluptate, ad proximam copulam non relata, inordinatio invenitur: cum desit finis honestus, et frustra moveantur, inchoative saltem, spiritus genitales. 2°. *Veniale non excedit;* quia, cum copula sit conjugibus *per se* licita, non potest esse graviter illicitum de illa delectari. Non autem illicita est *simplex cogitatio* de his habendis, vel habitis. - *S. Lig. n. 937...* »

Haec tamen, ex S. Alphonso sat fideliter relata, cl. BALLERINIO non probantur; hinc demonstrare conatur, praefatam sententiam penitus adversari doctrinae D. Thomae, et consequenter ipsius S. Alphonsi, auctoritatem Angelici invocantis. - Ait itaque cl. Professor: « *S. Alphonsus* » (lib. 6. n. 937.) in hanc rem affert

1) S. ALPHONSUS, lib. 6. n. 924., et brevius in *Hom. Apost.* tr. 18. n. 41. docet: « *Tempore praegnationis*, usus (conjugii), ut *communiter* docetur, non est nisi veniale (modo absit abortus periculum, quod ordinarie non adest); et nullum, si periculum adsit incontinentiae, vel alia justa causa. » — Et ratio est, quia, deficiente primario et naturali operis fine, sc. procreatione, alius omnino requiritur finis, et quidem honestus, ut actus fiat licitus. Secus, propter solam voluptatem exerceretur: quod, ut jam diximus, est veniale.

Sapienter quidem P. BALLERINI (ad n. 913. 2°.) Confessarium monet, quod « longos miscere sermones, interrogationesque de ea materia, a qua tangenda, ex omnium sententia, nisi gravis adsit necessitas, summopere cavere debet. » — Attamen minus recte de praefata *S. Alphonsi* sententia dicit: « *Haec, et alia hujusmodi, ad meram eruditionem* commemorantur. » Quamvis enim Confessarius de hisce interrogare non debeat; tamen, casu quo ipse ea de re interrogetur, ignorare nequit, quid (breviter sane, at recte) respondendum sit. Eo magis, quia non desunt poenitentes, qui de hisce se accusant, tamquam de peccatis dubiis, aut etiam lethalibus. Hinc scire debet Confessarius, quaenam in his materiis liceant, quae non, quid sit veniale, quid mortale: tum ad recte efformandam poenitentis conscientiam, tum ad horrorem peccati, etiam venialis, injiciendum.

2) Rationem, cur per se sit veniale ad S. Communionem accedere, post copulam ex voluptate exercitam, S. ALPHONSUS, lib. 6. *n.* 273. sic exponit: « ... Sed dicendum *cum communi DD.*, esse *veniale*, accedere ad communionem eodem die, quo habita est copula *causa voluptatis;* quia *id excusari non potest ab aliqua indecentia.* Ita S. Thomas, Tournely, Salmanticenses, et Sanchez cum S. Bonaventura, S. Antonino, Suario, Sylvestro, Ledesma, Lopez, et aliis pluribus. Et probatur ex Cap. *Vir cum propria*, 7. caus. 33. q. 4. ubi D. Gregorius ait: *Cum vero non amor ob procreandas soboles, sed voluptas dominatur in opere, tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum...* » — Et jam *n.* 272. in fine, S. Doctor dixerat: « *Omnes autem Doctores conveniunt*, esse veniale accedere ad Eucharistiam cum praedicta perturbatione, orta ex delectatione habita, vel ex turpi imaginatione pollutionem concomitante; saltem usquedum perdurat mentis evagatio. Nisi homo conetur eam repellere, faciens quantum in se est, ut devote accedat: ut dicunt Salmanticenses, Palaus, Holzmann, Laymann, Suarez, ubi affert S. Justinum dicentem: *Non est aequum, propter hanc involuntariam passionem abstinere a mysteriis;* et Sanchez cum Gersone, Gabriele et Majore. Vel nisi aliqua justa causa necessitatis aut devotionis aliud exposcat; ut dicunt praefati AA., et docet idem D. Thomas, dicens: *Si necessitas immineat, vel devotio exposcat, talis non impeditur.* »

» illud *S. Thomae* (De mal. q. 15. » art. 2. ad 17.): « *Delectationes in* » *bonitate et malitia consequuntur* » *operationes delectabiles; et ideo,* » *sicut carnalis commixtio non est* » *peccatum mortale conjugato, est* » *autem peccatum mortale non con-* » *jugato: similis etiam differentia* » *est de delectatione et de consensu* » *in delectationem. Non enim pot-* » *est esse gravius peccatum consen-* » *sus in delectationem, quam con-* » *sensus in actum, ut patet per Au-* » *gustinum....* » At vero hoc argu- » mentum probat, non modo consen- » sum in delectationem (nam hoc di- » cit *morosa delectatio*) non esse » mortale, sed *ne veniale quidem* » esse peccatum. Et huc directe ducit » etiam ratio ab Auctore allata, sci- » licet, quod non possit esse graviter » illicitum delectari de re licita: cur » enim illicitum utcumque erit de re » licita delectari, quando, ut ait » S. Thomas, bonitas vel malitia de- » lectationis desumitur ex bona vel » mala re, de qua quis delectetur? » Vide quae allata sunt ex D. Thoma » de morosa delectatione, in not. ad » n. 169. Vol. I. » [1]

II. – Hisce expositis, examinare juvat, quid de praefata doctrina cl. Ballerinii sentiendum sit.

1. Cl. Professor duo confundere videtur, quae omnino distinguenda sunt, agere scilicet *ob voluptatem,* et agere *in remedium concupiscentiae.* – Equidem, stante sententia multo probabiliore S. Chrysostomi et S. Alphonsi, contra S. Augustinum, *conjugio uti licet,* non solum ad procreationem prolis, sed etiam *in remedium concupiscentiae,* ut vitetur scilicet incontinentia *in alterutro* conjugum. – Licet etiam ipsis agere *cum delectatione:* quia delectatio ab ipso opere inseparabilis est, et ideo jus ad unum praebet jus ad alterum; nec peccato damnandi sunt conjuges, quod (sive in copula, sive in cogitatione copulae) in delectationem respective licitam consentiant. – Imo, eisdem licet *intendere* voluptatem (*moderate* tamen, uti S. Alphonsus advertit) *tanquam medium* ad ulteriorem ac nobiliorem finem obtinendum.

At vero non licet, seu *omni culpa non caret,* uti conjugio, vel delectatione morosa, *mere ad captandam voluptatem;* quia *voluptas non est finis honestus,* nec potest habere nisi rationem *medii* ad finem. Sic voluptas ab ipsa natura, seu a Deo auctore naturae intenditur; ac proinde sic etiam a rationali voluntate intendi debet. – Recte igitur scribit

1) Ad *actus imperfectos* quod attinet, cl. Ballerinius sententiae *Dianae* subscribit. Siquidem pag. 810. (in altera edit. pag. 652.) scribit: « *Et quoad istos actus imperfectos* » *memoranda ea veniunt, quae habet Diana* (tom. 2. tr. 6. res. 207.) *ubi hunc casum pro-* » *ponit:* « Quidam inchoabat copulam cum uxore, et postea, ob morbi periculum, ex ejus » consensu se retrahebat; verum ex hoc aliquando sequebatur pollutio: quaesitum a me » fuit, *an talis tactus esset licitus?* Respondi *affirmative:* quia non est peccatum dare » operam rei licitae et actioni honestae, quamvis praevideatur secutura pollutio; dummodo » absit periculum consensus, ut erat in casu, de quo interrogatus fui; quia tunc pollutio » non est in se volita, ut supponitur, neque dici potest volita in causa, quia non teneor » illam actionem omittere, ne sequatur pollutio, stante justa causa. » — *Cujus resolutionis* » *rationem clarius propositam habes in doctrina S. Alphonsi, quam alibi* (Vol. I. not. ad » n. 412.) *retulimus...* »

Verum, S. Alphonsus (Lib. 6. num. 918.) de eadem quaestione haec docet, sententiae *Dianae* opposita: « Quaer. 3. *An peccent mortaliter conjuges, si incepta copula, cohi-* » *beant seminationem?* Respondetur: Si conjuges ambo in hoc consentiunt, nec adsit pe- » riculum seminandi extra vas, id per se loquendo non est mortale; illa enim penetratio » vasis foeminei tunc reputatur instar tactus verendorum, qui inter conjuges permittitur, » vel saltem non est mortalis, secluso periculo pollutionis. Ita communiter..... Dixi 1°. *si* » *ambo consentiunt;* nam si alter se retrahit sine alterius consensu, certe graviter peccat, ut » dicunt omnes AA. praefati. Dixi 2°. *per se loquendo;* nam sapienter advertit Sanchez cum » Veracrux, *id ordinarie esse mortale:* quia ordinarie adest periculum ex tali retractione » effundendi semen, nisi conjuges experti sint oppositum; quo casu tamen puto, *nullo modo* » *posse eos excusari saltem a veniali,* quidquid dicat Sanchez cum aliis... »

Roncaglia: [1] « Cum omnis deliberate agens agat propter aliquem finem, jam necesse erit, voluntatem habere pro objecto vel bonum *jucundum*, vel bonum *honestum;* nam bonum *utile*, reduplicative ut utile, non appetitur propter se, sed in ordine ad aliud: ut, si e. gr. desideretur pecunia ad laute vivendum; quapropter bonum utile non potest habere rationem finis, qui intenditur propter se. Remanet ergo, quod deliberate operans vel intendat pro fine bonum honestum, vel jucundum. Si bonum *honestum*, jam actus bonus est, et de sua natura in Deum tendit. Si intendat pro fine bonum *jucundum*, seu *delectabile*, actus *malus* est; *cum talis finis non sit proportionatus voluntati*, quae, utpote appetitus rationalis, debet intendere bonum sibi competens, nempe honestum, seu rationale. »

2. Adde, duos istos fines: agere *propter voluptatem*, et agere *in remedium concupiscentiae*, eo minus confundendos esse, quia *sibi potius opponuntur*, et ita saepe sese excludunt, ut alter alterius sit destructivus. – Et re quidem vera: dum quis, in usu sui juris conjugalis, non intendit nisi voluptatem, idipsum sibi accidit, quod evenit bibulo delectationem vini prosequenti. Is namque sitim aut concupiscentiam non modo non exstinguit, sed ipsam potius auget atque inflammat; ita ut, quo magis bibit aut voluptatem prosequitur, eo magis bibere ac voluptate frui concupiscit.

Sed, posito etiam, quod ex prosecutione voluptatis concupiscentia non augeatur; semper tamen id verum est quod innuit S. Alphonsus (lib. 6. n. 274.), nempe, eum, qui voluptatem assumit *in remedium concupiscentiae*, seu ad vitandam incontinentiam, potius agere *ex amore virtutis*, quam ex amore voluptatis: quippe qui servare continentiam et peccatum vitare intendit. Qui vero *voluptatem propter seipsam* appetit, ducitur amore, non virtutis, sed voluptatis: quod honestum dici nequit.

3. Insuper probe notandum est, matrimonium esse remedium concupiscentiae, non solum quia moderata voluptas in eo statu legitime captari potest; sed etiam et praecipue, quia est *Sacramentum*, et annexas habet *gratias sacramentales*, quibus moderatur et refraenatur concupiscentia. [2] – Quocirca *P. Gury* (T. II. n. 195. ad 7.) recte advertit: « *Effectus gratiae Matrimonii est refraenare inordinatam concupiscentiam*, vires tribuere ad onera status conjugalis sustinenda, ad fidem conjugalem servandam, et ad prolem christiane educandam, et ideo jus conferre ad auxilia pro his omnibus adimplendis necessaria. » – Unde S. Alphonsus (lib. 3. n. 432. in fine), de fornicatione tractans, haec habet notatu dignissima: « De se est *contra jus* » *naturae*, carni rationem subjicere, » ut accidit in fornicatione, *ob delectationem actus*. In *matrimonio* » autem, esto eadem delectatio interveniat, Deus tamen *speciali providentia* disponit, ut talis deordinatio absit. Vide *Roncaglia*, de » *6. praec. cap. 2. q. 2.* »

Porro *Roncaglia*, loco cit. scribit: « Addendum, *contra naturam* esse, rationem carni subjicere, ut evenit in fornicatione, in qua ratio a delectatione absorbetur. Et quamvis hujusmodi delectatio etiam sit in copula conjugali; nihilominus, si *re-*

1) Tr. 1. de act. hum. q. 3. c. 1. quaer. 6.

2) Hinc *P. Ballerini*, in adnot. *ad n. 919. 3.* licet optima quaedam tradat monita, minus recte tamen loquitur, dum dicit: « ... *quasi non ideo etiam matrimonium institutum* » *fuerit, ut effraenis libidinis* (Vid. S. Thom. sup. in not. ad n. 908.) *remedium foret; aut* » *quasi* ALITER *matrimonium libidinis remedium foret, quam ut vehementi delectationis* » *appetitui satisfiat, ea demum lege tantum ipsi apposita, quam et S. Thomas* (l. c.) *in-* » *nuit, ut nec extra legitimum matrimonium excurrat, nec naturae fini adversetur!* » — Quocirca obiter cum S. Alphonso (Lib. 3. n. 209.) advertere juvat, matrimonium esse « *infimum remedium concupiscentiae.* »

cto fine exerceatur, pertinet ad Dei providentiam subministrare auxilia, quae talem deordinationem impediant. » – Similiter *Viva, S. J.*,[1] dicit: « Quod autem haec incommoda ex actu conjugali non promanent, ostendit tum experientia, tum communis Patrum et DD. sensus, tum ratio; quia scilicet Deus auctor conjugii debuit sua providentia efficere, *ne ex voluptate conjugali pravi effectus orirentur:* quod praestat, conferendo ad id sua auxilia, praesertim *per matrimonii Sacramentum,* quibus amor conjugalis *intra limites virtutis* facile contineri possit. »

Istas autem gratias sacramentales, hanc specialem Dei providentiam non meretur, aut saltem eis non cooperatur, qui, posthabito vel etiam simpliciter neglecto fine honesto, voluptatem velut *unicum finem* sibi proponit.

III. – Cum P. Ballerini speciatim D. Thomae auctoritatem pro sua sententia invocet, non possumus, quin doctrinam Angelici propius examinemus.

1. In cit. Adnotatione ad *n. 908.*, cl. Professor scribit: « *Juverit tamen* » *id ex S. Thoma audire, qui ad al-* » *latum Apostoli textum (Lect. 1. in* » *cap. 7. epist. 1. ad Corinth.), haec* » *inter alia habet:* « Apostolus, con- » siderans humanum genus jam mul- » tiplicatum..., intermisit hanc ne- » cessitatem, qua scilicet institutum » matrimonium fuerat in officium na- » turae, et proposuit secundam ne- » cessitatem, secundum quam insti- » tutum est in remedium culpae. » Quia enim carnalis concupiscentia » adhuc post baptismum in fidelibus » remanet..., instigat homines ma- » xime ad actus venereos propter » vehementiam delectationis. Et quia » majoris virtutis est, totaliter hanc » concupiscentiam superare, quam » possit hominibus convenire..., ne- » cessarium est, quod in parte con- » cupiscentiae cedatur, et in parte » superetur; quod quidem fit, dum » actus generationis ratione ordina- » tur... »[2] – *Per duo autem, juxta* » *eundem S. Doctorem, generationis* » *actus ratione ordinatur, scilicet* » *(ibid.) 1°.* « quod homo utatur ge- » nerationis actu, secundum quod » convenit generationi... filiorum;[3] » *2°.* quod in specie humana non sint » vagi et incerti concubitus, quales » sunt concubitus fornicarii; sed sint » determinati viri ad determinatas » foeminas: quae quidem determina- » tio fit per legem matrimonii. »

At vero paulo inferius, eodem cit. Cap., *Angelicus* haec docet, quae cl. Professori sat aperte contradicunt: « Alio modo potest accipi indulgentia prout respicit culpam, secundum illud Isai. 26. 15.: *Indulsisti Domine, indulsisti genti;* et secundum hoc, indulgentia refertur ad actum conjugalem, secundum quod habet annexam culpam *venialem,* tamen *propter bona matrimonii, sine quibus esset mortalis.* – Unde consideran-

1) In prop. 48. et 49. ab Innoc. XI. damn., n. 11.

2) Punctorum loco, cl. Ballerinius adde.e potuisset sequentia haud inutilia verba D. Thomae: « *et non totaliter homo concupiscentia ducitur, sed magis concupiscentia subditur rationi.* »

3) Integra propositio S. Thomae sic sonat: « *Habet autem hoc ratio naturalis, quod homo utatur generationis actu, secundum quod convenit generationi* ET EDUCATIONI *filiorum.* » — Porro, vox ista a cl. Professore suppressa, cardo est totius argumentationis; ostendit enim Angelicus in iis, quae immediate sequuntur, solam foeminam in specie humana non sufficere ad *educationem* prolis, sicuti sufficit « *in canibus et aliis hujusmodi animalibus, in quibus sola foemina nutrit prolem* »; sed requiri sollicitudinem maris prolem suam cognoscentis, « *ut patet in columbis, turturibus, et hujusmodi,* (quibus) *naturaliter indita est sollicitudo de educatione prolis.* » Et idcirco, idem semper argumentum prosequens (non diversum a priore, prout innuit cl. Professor), D. Thomas per modum *conclusionis* subjungit: « *Et ideo ratio naturalis dictat, quod in specie humana non sint vagi et incerti concubitus, quales sunt concubitus fornicarii; sed sint* (concubitus) *determinati viri ad determinatam foeminam: quae quidem determinatio fit per legem matrimonii...* »

dum est, quod actus conjugalis quandoque quidem est meritorius, et absque omni culpa mortali, vel veniali: puta, cum ordinatur ad bonum prolis procreandae, et educandae ad cultum Dei: sic enim est actus religionis; vel, cum fit causa reddendi debitum: sic enim est actus justitiae. Omnis autem actus virtutis est meritorius, si fit cum charitate. Quandoque vero est *cum culpa veniali;* scilicet, *cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur,* quae tamen intra limites matrimonii sistit, ut scilicet cum sola uxore sit contentus. Quandoque vero est culpa mortalis; puta, cum concupiscentia fertur extra limites matrimonii, scilicet, cum aliquis accedit ad uxorem, aeque libenter, vel libentius ad aliam accessurus. – Primo ergo modo, actus matrimonii non requirit indulgentiam; secundo modo, habet indulgentiam, *in quantum aliquis consentiens concupiscentiae in uxorem, non fit reus peccati mortalis;* tertio modo, omnino indulgentiam non habet. »

2. Sed adhuc magis ad rem faciunt, quae leguntur in *Supplem.* Summae theol., *q. 49. art. 5.* (desumpta ex 4. Sent. dist. 31. q. 2. art. 2.). – Ibidem objicitur primo: « *Videtur quod actus matrimonialis excusari possit, etiam sine bonis* [1] *matrimonii.* Qui enim a natura tantum movetur ad actum matrimonii, non videtur aliquod bonum matrimonii intendere, quia bona matrimonii pertinent ad gratiam vel virtutem. Sed quando aliquis solo appetitu naturali movetur ad actum praedictum, non videtur esse peccatum, quia nullum naturale est malum: cum malum sit praeter naturam et praeter ordinem, ut Dionysius dicit. Ergo actus matrimonialis excusari potest, etiam sine bonis matrimonii. » – En vero responsum: « Ad primum ergo dicendum, quod *proles,* prout est bonum Sacramenti, addit supra prolem prout est bonum intentum a natura. Natura enim intendit prolem, prout in ipsa salvatur bonum speciei. Sed in prole, secundum quod est bonum Sacramenti matrimonii, ultra hoc intelligitur, ut proles suscepta ulterius ordinetur in Deum. Et ideo oportet quod intentio naturae, quae prolem intendit, referatur actu vel habitu ad intentionem prolis, prout est bonum Sacramenti; alias, staretur in creatura: quod sine peccato esse non potest. Et ideo, *quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non excusatur a peccato omnino,* nisi in quantum motus naturae *ordinatur actu vel habitu ulterius* ad prolem, secundum quod est bonum Sacramenti. Nec tamen sequitur, quod motus naturae sit malus, sed quod sit *imperfectus, nisi ad aliquod bonum matrimonii ulterius ordinetur.* »

Objicitur secundo: « *Praeterea, ille qui utitur conjuge ad fornicationem vitandam, non videtur aliquod bonum matrimonii intendere.* Sed talis non peccat, ut videtur; quia ad hoc est matrimonium concessum humanae infirmitati, ut fornicatio vitetur, ut patet *1. Cor. VII.* Ergo, etiam sine bonis matrimonii potest actus ejus excusari. » – Et sequitur responsum: « Ad secundum dicendum, quod si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum; quia haec est quaedam redditio debiti, quae ad bonum fidei pertinet. Sed *si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas;* [2] *et secundum hoc est peccatum veniale;* nec ad hoc est

1) In eodem *Suppl.* q. 49. art. 1. corp., *D. Thomas* docet, quod, cum in conjunctione viri et mulieris, propter delectationem et temporalium sollicitudinem, quaedam rationis jactura accidat, oportet aliqua *bona* esse, *quibus matrimonii ratio honesta appareat, et haec jactura compensaretur.* — Porro, juxta Angelicum (ibid. art. 2.) bona ista matrimonii sunt *proles, fides* et *sacramentum.*

2) S. Alphonsus, in edit. 9. legit: *superfluitas;* sic etiam in editione Veneta anni 1787., quam

matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quae est de peccatis venialibus. »

3. Mirum itaque videri potest, quod cl. Ballerinius *D. Thomam*, tanquam sibi faventem exhibere contendat. Eo magis, quia ipsum sane non latebat, postremam hanc responsionem, utpote *nimis rigidam*, nec ab ipso quidem *S. Alphonso* admitti. Etenim, *Lib. 6. num. 882. dub. 1.*, S. Doctor praefatum Angelici textum refert; at vero addit: « *Sed venia tanti Doctoris* (cujus sententiis universe obsequi in caeteris ego studui), magis propria videtur interpretatio *S. Joannis Chrysostomi*, cujus verba mox infra afferam, et quem secuti sunt Estius, Salmeron et Cornelius, nempe, quod illud *propter fornicationem* non intelligatur de vitanda fornicatione conjugis, sed *propria* ... »

Articulus 3.

Perpenditur doctrina cl. Ballerinii de actibus delectabilibus in genere.

Quae hucusque cl. Professor de opere conjugii ob solam voluptatem exercito tradidit, ipso fatente, iis innituntur, quae alibi de delectatione in genere statuerat. Etenim ad *num. 908.* jam superius relatum, in quo *P. Gury* dicit: « Illicitus est conjugii usus, si fiat ob solam voluptatem, id est, alios fines expresse excludendo »; *cl. Ballerinius* addit: « *Vide uberiorem hujus doctrinae explicationem*, in nota ad num. 28. Vol. I., *quae sane prae oculis sedulo habenda est, ne quis, quoad delectationum usum, inanibus angustiis et semet et alios importune divexet.* »

Ad pleniorem itaque praesentis quaestionis intelligentiam, opportunum censemus et hanc generalem thesim examini subjicere: ex quo patebit, non pauca ibidem, sive falsa, sive sophistica in medium proferri.

I. - *P. Gury*, T. I. *n. 28.* pag. 30.,[1] de actibus humanis disserens, scribit: « Dico 2°. *Peccat, qui agit propter solam delectationem.* »

1. Ad quae verba, P. Ballerini in subjecta adnotatione advertit: « Aliud est agere propter delectationem, aliud agere propter *solam* delectationem. Hoc posterius ulteriorem operis finem *positive* excludit, ideoque inordinatum est, et quidem non solum in appetenda delectatione, sed in cujusvis quoque virtutis actu; quia, si ita exercetur, seu in ipso ita sistitur, ut superior seu *ultimus finis* excludatur, actus jam fiet vitiosus ... »

2. Respondemus: Talis actus procul dubio jam fiet *vitiosus;* quinimo ita vitiosus evadet, ut peccati *mortalis* reatum inducat. Sed hoc extra praesentem thesim est; siquidem, ut patet ex supra dictis, omne prorsus peccatum excludi debet.

Porro, citato Tom. I. *num. 150.* pag. 145.,[2] *P. Gury* haec tradit: « Differentia inter peccatum mortale et veniale sita est in hoc, quod is, qui peccat *mortaliter*, a Deo fine suo ultimo recedit, ut ad creaturam se convertat, atque in ea tanquam in fine suo quiescat; contra vero, qui peccat *venialiter*, non recedit a Deo, sed actus ponit ita deordinatos, ut nullatenus ad Deum tendere possint. - *Ita communiter cum S. Thoma*, 1. 2. q. 72. art. 5. »

Ex quibus evidenter liquet, *agere propter solam delectationem*, in sensu quem cl. Ballerinius exponit, nunquam esse peccatum veniale, sed reatum peccati *mortalis* semper inducere. Ex ipsius namque hypothesi, *tunc tantum* propter *solam* delectationem quis agit, quando ulteriorem operis finem *positive* excludit, atque

secutae sunt recentiores Parisienses ann. 1846. et 1860. — In edit. vero Lugdun. anni 1575., loco vocis: *superfluitas*, legitur: *infirmitas*.

1) In altera edit. pag. 23. — 2) Ibid. pag. 113.

in appetenda delectatione ita sistit, ut superior seu *ultimus finis* ab ipso excludatur. - Porro, in sequenti Articulo videbimus, neutram ex Propositionibus damnatis de solo peccato mortali intelligi posse.

II. - In praefata autem adnotatione, P. Ballerini sic pergit: « *At, primum illud* (scilicet agere propter delectationem) *nullam ejusmodi inordinationem involvit.* Nam primo quidem delectatio, ut ait *S. Thomas* (contra Gent. lib. 3. cap. 26. n. 6.), bona est et appetenda, si bonam consequatur operationem: et proprium virtutis temperantiae est, ut usum delectabilium moderetur, et ab iis quidem retrahat, quae sunt contra rationem, non vero ab iis, quae secundum rationem sunt convenientia (V. *S. Thom.* 2. 2. q. 141. art. 1. ad 1.)... » - Cum itaque cl. Professor denuo auctoritatem *D. Thomae* pro sua sententia adducat, ipsum Angelicum hac de re audire juvabit.

1. In *Summa contra Gent.*, D. Thomas loco cit. quaerit, *utrum in delectatione consistat finis ultimus;* et respondet: « *Si delectatio esset ultimus finis, ipsa secundum seipsam esset appetenda. Hoc autem est falsum;* refert enim (scire), quae delectatio appetatur ex eo, ad quod consequitur delectatio; nam delectatio, quae consequitur bonas et appetendas operationes, bona est et appetenda; quae autem malas, mala est et fugienda. *Habet igitur,* quod sit bona et appetenda *ex alio.* Non est igitur ipsa ultimus finis, quod est felicitas. - Adhuc: rectus ordo rerum convenit cum ordine naturae; nam res naturales ordinantur in suum finem absque errore. In naturalibus autem est delectatio propter operationem, *et non e converso;* videmus enim, quod natura illis operationibus animalium delectationem apposuit, quae sunt manifeste ad fines necessarios ordinatae: sicut in usu ciborum, qui ordinatur ad conservationem individui, et in usu venereorum, qui ordinatur ad conservationem speciei; nisi enim adesset delectatio, animalia a praedictis usibus necessariis abstinerent. Impossibile ergo est, quod delectatio sit ultimus finis. » - Et in principio seq. capitis 27., Angelicus idem repetit, dicens: « *Ostensum est enim* (c. 26.) *quod, secundum naturae ordinem, delectatio est propter operationem, et non e converso.*»

Ex doctrina itaque D. Thomae, 1°. Ad rectum naturae ordinem servandum, requiritur, ut delectatio, etsi bona, appetatur *non propter seipsam* (uti censet cl. Professor), sed propter aliud. 2°. Delectatio, in recte operante, est propter operationem (seu medium ad finem), *minime vero operatio propter delectationem.* - Quod insuper patet ex iis, quae D. Thomas, loco cit. cap. 27. subdit: « *Si igitur delectationes praemissae* (ciborum et venereorum) *essent secundum se bonae, oporteret quod maxime uti eis esset optimum. Hoc autem patet esse falsum;* nam nimius usus eorum reputatur in vitium, et est etiam corpori noxius, et similium delectationum impeditivus. » - Idem docet D. Thomas, in eadem Summa contra Gentes, lib. 4. cap. 83. n. 7.

2. Sed cl. Professor lectorem ad alium Angelici textum remittit, videlicet ad Summam, *2. 2. q. 141. art. 1. ad 1.* - Ibidem *S. Thomas* ait: « *Videtur, quod temperantia non sit virtus.* Nulla enim virtus repugnat inclinationi naturae, eo quod in nobis est naturalis aptitudo ad virtutem ... Sed temperantia retrahit a delectationibus, ad quas natura inclinat ... Ergo temperantia non est virtus. » - Ad quam objectionem respondet: « Ad primum ergo dicendum, quod natura inclinat in id, quod est conveniens unicuique. Unde homo naturaliter appetit delectationem sibi convenientem. Quia vero homo, in quantum hujusmodi, *est rationalis;* consequens est, quod

delectationes sunt homini convenientes, *quae sunt secundum rationem.* Et ab his non retrahit temperantia, sed potius ab his quae sunt contra rationem. Unde patet, quod temperantia non contrariatur inclinationi naturae humanae, sed convenit cum ea. *Contrariatur tamen inclinationi naturae bestialis,* non subjectae rationi. »

Porro *Sylvius,* in Comment. D. Thomae, praefatum textum sic interpretatur: « Pro resp. ad primum Articuli primi dicendum, quod temperantia retrahit a delectationibus, ad quas natura, *ut solum est natura,* et ut non subjicitur rationi, inclinat; sed non retrahit ab illis, ad quas natura humana, secundum dictamen rectae rationis, inclinat; ac proinde non repugnat inclinationi hominis naturali, ipsam considerando prout est naturalis homini *secundum quod est homo, seu rationalis.* Sic enim ejus inclinatio naturalis est, qua naturaliter inclinatur ad id, quod sibi secundum rationem est conveniens. » – Similiter et fusius quidem de hac re tractant *Lessius,* [1] *Wiggers,* [2] etc.

III. – Post praemissa, cl. Ballerinius prosequitur dicens: « Deinde » vero non excluditur finis ulterior, » nisi forte *negative* tantum. At » vero *exclusio finis negativa actum* » *non vitiat;* neque enim ad actio- » nis honestatem necesse est de ulteriori, aut etiam de fine operis intrinseco cogitare. Proinde, ut honeste quis delectationem, ex ludo, » aut cibo, aut quiete capiat, nequaquam opus est, ut de ludi, aut cibi, » aut quietis fine, sive intrinseco, » sive ulteriori cogitet; sed satis est, » ut actionem ceu rectae rationi consonam apprehendat, seu etiam, ut » nihil in ea ordini rationis contrarium inveniat; quippe, ut habet » S. *Thomas* (Suppl. q. 49. a. 4.) *ex* » *eodem habet actus aliquis, quod* » *non sit malus in genere moris, et* » *quod sit bonus, quia non est ali-* » *quis actus indifferens.* »

1. Responsio patet ex iis, quae superius [3] diximus de *necessitate referendi* ad Deum, saltem implicite, actus deliberatos, quatenus scilicet ad bonum honestum, saltem virtualiter, referendi sunt. – Ex ibidem namque expositis sequitur, quod, *si exclusio finis negativa actum non vitiat, ipsa tamen eumdem nec honestat.* Vel potius dicendum erit: Exclusio finis negativa actum non vitiat *per se:* concedo; illum neque vitiat *per accidens:* nego. Cum enim negative excluditur seu negligitur finis operis intrinsecus, huic, in omni deliberate agente, necessario substituitur aliquis finis extrinsecus; porro finis iste potest esse vel bonus, vel malus: si bonus, actio erit bona; si autem malus, actio mala erit.

2. In quantum vero cl. Professor dicit: « *Ut honeste quis delectatio-* » *nem ex ludo... capiat, nequaquam* » *opus est, ut de ludi... fine, sive* » *intrinseco, sive ulteriori cogitet* »; a S. Alphonso non longe distaret, si adderet, *aliquem finem honestum esse necessarium, saltem virtualiter intentum.* – Ait enim S. Doctor noster (Lib. V. de act. hum. n. XLIV. in fine): « Non requiritur quippe » *actualis* relatio omnium, sive ver- » borum, sive operum, *in bonum ho-* » *nestum:* quod esset importabile » pondus, et res sexcentis implexa » scrupulis; sed *sufficit virtualis,* ut » diximus. Unde, quamvis aliquis ac- » cedens ad mensam, non cogitat de » conservatione vitae, sed solum de » cibi delectatione, ut ait Gonet, non » propterea peccat; quia talem de- » lectationem, saltem virtualiter, » *vult propter conservationem vi-* » *tae,* sicque non inordinate illam » appetit. »

Et alibi, [4] S. Alphonsus speciatim de delectatione in sumendo cibo dis-

1) De just. et jure, lib. 4. c. 1. dub. 1. et 2. — 2) Tr. de temper. c. 1. dub. 1. — 3) Cfr. Part. 2. quaest. 1. pag. 127. — 4) *La vera Sposa,* c. 8. §. 2. n. 14.

serens, egregie sic docet: « Importa » che si prenda il cibo *col retto fine* » di mantenere le forze al corpo, ac» ciocchè la persona possa essere atta » a servire il Signore. Il mangiare » all' incontro *per solo diletto* non » può scusarsi almeno da colpa *ve*» *niale;* essendo già stata condan» nata da Innocenzo XI. la proposi» zione di coloro che diceano, non » esser alcun peccato il mangiare e » bere per sola soddisfazione della » gola. Ciò nondimeno non s' intende » che sia peccato *il sentir piacere* » nel cibarsi; perchè, ordinariamen» te parlando, non è possibile che, » nel prendersi il cibo, non si speri» menti quel diletto naturale che vi è; » *s' intende esser colpa il cibarsi a* » *solo fine di aver quella dilettazione* » *sensuale* a modo di bestie, *senza* » *alcun fine onesto.* Quindi è, che » *quando vi è il retto fine,* noi pos» siamo prender cibi anche delicati, » senza alcuna colpa; ed all' incon» tro, possiamo prender cibi vili con » colpa, quando si mangia per attacco » al piacere. »

3. Ad firmandam suam sententiam, cl. Professor ad *D. Thomae* auctoritatem iterum recurrit; ast, haud felici successu. - Etenim loc. cit. *(Suppl. q. 49. art. 4.),* Angelicus quaestionem instituit, *utrum actus conjugalis excusetur per bona matrimonii;* ac praemissis de more pluribus objectionibus, sic respondet: « Sed contra, *concubitus conjugalis non differt a fornicatione, nisi per bona matrimonii.* Si ergo haec non sufficerent excusare, ipsum tunc matrimonium semper illicitum remaneret, quod est contra id quod habitum est supra (q. 41. art. 3.). - Praeterea, bona matrimonii se habent ad actum ejus sicut *circumstantiae debitae,* sicut dictum est. Sed circumstantiae tales sufficienter faciunt, quod actus aliquis non sit malus. Ergo et haec bona possunt excusare matrimonium, ut nullo modo sit peccatum. »

Et ad mentem suam uberius explicandam, *D. Thomas* ibidem sic prosequitur: « Respondeo dicendum, quod aliquis actus dicitur *excusari* dupliciter: Uno modo, *ex parte facientis,* ita quod non imputetur facienti in culpam, quamvis sit malus, vel saltem non in tantam culpam; sicut ignorantia dicitur excusare peccatum, in toto vel in parte. Alio modo dicitur excusari actus, *ex parte sui,* ita scilicet quod non sit malus; et hoc modo praedicta bona dicuntur excusare actum matrimonii. *Ex eodem autem habet actus aliquis, quod non sit malus in genere moris, et quod sit bonus; quia non est aliquis actus indifferens,* ut in II. Libro dictum est (dist. 40. q. 1. art. 5.). - Dicitur autem aliquis humanus actus *bonus* dupliciter: Uno modo, *bonitate virtutis.* Et sic habet actus quod sit bonus, ex his quae ipsum in medio ponunt. Et hoc faciunt in actu matrimonii, *fides* et *proles,* ut ex dictis patet (art. 2.). Alio modo, *bonitate Sacramenti,* secundum quod actus non solum *bonus,* sed etiam *sanctus* dicitur. Et hanc bonitatem habet actus matrimonii ex indivisibilitate conjunctionis, secundum quam significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam. - Et sic patet, quod praedicta bona sufficienter actum matrimonii excusant. »

Ex quibus luculenter apparet, quaenam, in quaestione, recta sit applicatio praefati principii D. Thomae, a cl. Ballerinio allegati: « *Ex eodem habet actus aliquis, quod non sit malus in genere moris, et quod sit bonus.* » Haec nempe rigorosa est conclusio doctrinae Angelici: Ex *solis* bonis matrimonii, quae sunt *proles, fides* et *sacramentum,* habet actus conjugalis quod *non sit malus,* et a fornicatione dissimilis; *ergo ex iisdem tantum bonis habet, quod sit bonus.*

Imo, in *art. 5.* cit. q. 49., majori adhuc claritate mentem suam aperiens, *D. Thomas* docet, actum conjugalem ex duplici tantum fine licitum evadere, videlicet, *procreandae prolis* vel *debiti reddendi.* - En ipsius

*

Angelici verba: « *Utrum actus matrimonialis excusari possit sine bonis matrimonii?...* Respondeo dicendum, quod, sicut bona matrimonii, secundum quod sunt in habitu, faciunt *matrimonium* honestum et sanctum; ita etiam, secundum quod sunt in actuali intentione, faciunt *actum matrimonii* honestum, quantum ad illa *duo* bona matrimonii, quae ipsius actum respiciunt. Unde, quando conjuges conveniunt causa *prolis procreandae,* vel ut sibi invicem *debitum reddant,* quod ad *fidem* pertinet, totaliter excusantur a peccato. Sed *tertium* bonum *non pertinet ad usum matrimonii,* sed ad essentiam ipsius, ut dictum est art. 3. Unde facit ipsum *matrimonium* honestum, non autem *actum* ejus, ut per hoc actus ejus absque peccato reddatur, quia causa alicujus significationis conveniunt. - *Et ideo, duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet, causa procreandae prolis et debiti reddendi; alias autem, semper est ibi peccatum, ad minus veniale.* »

IV. - Hisce tandem verbis P. Ballerini concludit: « Exinde se manifeste prodit ratio, cur merito ab *Innocentio XI.* proscriptae sint Propositiones VIII. et IX. de opere conjugii aut actu comedendi, ob *solam* voluptatem. Intrinseco enim vitio laborant, ob particulam *solam,* quae *positive* excludit alios quosvis fines, in quos actiones ejusmodi ordinantur. Nam, quod aliquin ad opus quis alliciatur ac *moveatur* appetitu delectationis, quemadmodum et ad laborem spe praemii seu mercedis, *id ordini naturae est consentaneum,* ut habet S. Thomas, l. c. »

1. Ad priorem conclusionis partem quod attinet, quo nempe sensu praefatae Propositiones damnatae fuerint, in sequenti Articulo speciatim examinabimus.

2. Quomodo autem verba *D. Thomae* intelligenda sint, ex superius expositis sat clare liquet. - Idcirco id unum tantum subjungimus. Quod *puer* solo delectationis appetitu alliciatur, quinimo et *moveatur,* id ordini naturae consentaneum est: siquidem a puero, rationis experte, rectus ordo nihil amplius requirit. - Quod autem *homo, rationis compos ac deliberate agens,* eodem sensualis delectationis motivo contentus sit, nec, saltem virtualiter, aliud nobilius adjiciat, hoc naturae rationalis ordini consentaneum nullatenus dici potest: proprium enim hominis est, agere ex motivo rationali et honesto.

Articulus 4.

Examinatur, utrum admitti possit interpretatio, a cl. Ballerinio tradita, Propositionum 8. et 9. ab Innocentio XI. profligatarum.

I. - Praefatae Propositiones sic sonant: « *8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* - *9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* »

Porro, cl. Ballerinius, in textibus supra allatis, propositiones istas sic interpretatur: « Intrinseco vitio laborant ob particulam *solam,* quae *positive* excludit alios quosvis fines, in quos actiones ejusmodi ordinantur. » - Et alibi: « Inordinatio itaque *operantis propter solam voluptatem* tunc aderit, cum quasi ita in voluptate sistit, ut *positive* quemlibet alium finem excludat. » Sed, judicio nostro, haec cl. Professoris interpretatio sustineri nequit. Etenim

1. Propositiones damnatae (ut ex ipsarum tenore patet), ita explicandae sunt, ut excludatur omne peccatum, quaevis culpa, sive mortalis, sive venialis. - Id unum igitur quaerendum est: Quandonam saltem *venialis* erit inordinatio operantis propter solam voluptatem? Responsio in

promptu est: *omnis inordinatio moralis in actu humano peccatum est;* atqui homo operans, etiam in licitis, ob ipsam voluptatem, seu proponens sibi voluptatem, non ut *medium* ad honestum finem, sed ut ipsum sui actus *finem,* inordinate agit. Ratio quia, ut jam supra probavimus, sic operans invertit ordinema Deo auctore naturae constitutum.

2. Ad verificandam propositionem damnatam, necesse non est, ut quis voluptatem quaerens, quemlibet alium finem *positive* excludat; sufficit ut excludat *negative.* Sive enim positive, sive negative alii fines excludantur, semper verum est quod talis operans agat propter solam voluptatem, seu, quod alium non habeat finem, nisi ipsam voluptatem. - Hinc genuinus sensus propositionis 9. damnatae est: « Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum *(i. e. ad nullum alium finem relatum, quam ad voluptatem),* omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. » Quod recte exprimit cl. *Martinet* [1] his verbis: « Qui in copula, conjugii fines *nec excludens, nec intendens,* solam quaerit delectationem, inordinate profecto agit, nec excusari potest a culpa veniali, ex damnata ab Innocentio XI. prop.: *Opus conjugii,* etc.» - Cum itaque P. Ballerini genuinum hunc sensum non admittat, non videmus, quanam ratione ipsius interpretatio recta censeri possit.

3. Insuper, vix intelligimus, quomodo, stante praefatae propositionis damnatione, sententia cl. Professoris aliquantisper sustineri queat. Etenim quaeri posset, quaenam sit differentia inter duas istas propositiones: agere *mera voluptatis causa,* et agere *ob solam voluptatem?* - Prius licitum esse dicit P. Ballerini, in adnot. ad n. 914. (cfr. supra, pag. 827.); hoc autem posito, quanam ratione alterum illicitum ac damnatum dici debeat, judicent alii.

II. - Ad confirmanda quae diximus, aliquos saltem Auctores adducemus, qui, in explicandis Propositionibus damnatis, expresse de hac quaestione tractant.

1. Sic *Reuter, S. J.,* [2] scribit: « Ostenditur falsitas utriusque propositionis; nam, sive comestio et bibitio ad satietatem fiat cum excessu in quantitate, sive sine eo, si ob solam voluptatem fiat, semper est inordinata, quia invertit ordinem a Deo auctore naturae constitutum; nam ipse voluptatem sensuum in sumptione cibi et potus, et aliis, *voluit esse medium ad finem alium,* nempe ut homo per voluptatem in cibi et potus usu alliceretur ad conservationem individui; in usu autem matrimonii, ad conservationem et propagationem speciei; *hunc autem ordinem invertit,* qui fruitur voluptatibus sensuum, id est, in iis sistit, *non referendo ad finem* iis a Deo praefixum, ad quem si referrentur, esset illis uti. Ex quo patet *inordinatio,* consequenter *peccatum per se veniale.* - Dein bruta, quae unice delectatione provocantur ad pabulum, abstinent tamen ab immoderato, solumque ad sufficientiam id sumunt, immo abhorrent a voluptate venerea, quando cessat finis a natura intentus: brutum enim praegnans abhorret venerem. - Audiatur S. Augustinus: [3] « *Conjugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentiae vero satiandae, tamen cum conjuge, venialem.* Audiatur S. Thomas: [4] *Regula omnium,* inquit, *delectabilium in hac vita, est vitae aliqua necessitas, aut utilitas vel convenientia.* Et: [5] *Regula rationis haec est, ut homo sumat cibum, secundum quod convenit sustentationi naturae, et bonae habitudini hominis, et conservationi eorum, cum quibus vivit.* Vide dicta de Confess. n. 83. »

2. *Viva, S. J.,* [6] eadem argumenta

1) Theol. mor. lib. V. art. 8. *§.* 6. — 2) Analysis doctrinae mor. reprobatae, part. 2. ad prop. 36. et 37. num. 93. — 3) L. de bono conjugii, c. 6. — 4) 2. 2. q. 141. a. 6. — 5) Q. 14. de malo, a. 1. — 6) *Damnatae theses,* in exposit. cit. Propos.

fusius exponit, ex quibus, brevitatis ergo, haec pauca desumimus: « V. Ratio horum omnium videtur esse: tum, quia non potest vacare culpa cibus immoderatus propter meram delectationem sumptus, quando bruta ipsa, quae unice a delectatione provocantur ad comedendum, abstinent tamen a cibo immoderato, et solum ad sufficientiam, non ad satietatem comedunt; tum etiam, quia natura in comestione delectationem annexuit, *non ut finem, sed ut medium,* videlicet ut ea alliceremur ad comedendum: ergo comedere et bibere ad satietatem ob meram voluptatem, est invertere naturae ordinem, ordinando finem ad medium, non medium ad finem. »

3. *Didacus Hurtado, S. J.,* [1] non quidem pro plane certo habet, « quemlibet debere agere ex motivo honesto opera sua »; at nihilominus asserit, sententiam nostram esse *communem.* – Citato enim cap. 4. quaestionem proponit: « *Utrum opus conjugii, alioqui honestum, aut licitum, vitietur, si ab operante propter solam voluptatem de facto exerceatur?* » Et respondet: « *36.* Sententia affirmans vitiari, et esse culpam venialem, *adeo communis est,* ut P. Suarez [2] dixerit, esse *Augustini et Theologorum omnium,* idipsum asserente Montesinos. [3] Eam sequitur, et *ultra quinquaginta* Auctores pro illa profert P. Thomas Sanchez, [4] eisdemque adjungit Leander, [5] Bonacinam, Fagundez, Moure, Ochagavia, Villalobos, Coninchium, Bauni. Quibus insuper accedunt Gonet, [6] P. Antonius de Escobar, [7] Tamburinus, [8] Filguera, [9] et alii scribentes passim, ut Laymann, [10] Tannerus, [11] Franciscus Amicus, [12] Praepositus, [13] Dicastillo ut probabilius; [14] praeiverantque cum Magistro Sententiarum, S. Bonaventura et S. Thomas, [15] et B. Albertus Magnus [16] his praeter caetera: *Cum sola libido movet coeuntem: aut movet fervens extra honestatem matrimonii et concessionem, et tunc quodammodo adulter est, ut paulo ante patuit; aut fervet* INTRA *metas honestatis et concessionis matrimonii, et tunc veniale dicendum est.* »

« *37.* Fundamenta hujus sententiae sumuntur ex Augustino, et aliis Ecclesiae Patribus, quorum plura verba satis indigeste agglomerat Gonet, locis praecitatis. – Accedit et ratio: Quia coitus non est institutus a natura propter voluptatem, *sed voluptas propter ipsum:* ne scilicet animantia pertaesa laboris desisterent ab officio multiplicandi suam speciem, et homines propter onera conjugii ejus usum detrectarent. Unde *culpabilis inordinatio* est, sic ista invertere, ut per modum *finis* proximi atque principalis expetatur, *quod natura sua non est nisi medium,* et quasi stipendium actus: et vice versa, quod ad ipsum per modum medii ordinetur, quod deberet esse finis. – Confirmatur. Quia *voluptas sensibilis et irrationalis,* utpote communis brutis, ac de se indifferens ad mediocritatem et excessum, *non est motivum honestum,* nec condecens naturam rationalem; debet autem unusquisque in suis operibus agere juxta praescriptum rationis, et honestatem, quae est bonum speciale ipsius, pro viribus consectari. Quo spectant praecepta illa, quibus nos instruxit Paulus: [17] *Omnia vestra in charitate fiant.* Et: [18] *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* »

4. *Croix, S. J.,* [19] scribit: « Non est licitum exercere actum conjugalem

1) Theologia reformata, diss. 6. c. 4. n. 46. — 2) 1. 2. tr. 3. de bonit. et malit. actuum hum. disp. 9. sect. 3. n. 8. in fine. — 3) T. 1. in 1. 2. disp. et q. 3. num. 65. — 4) Lib. 9. de matrim. disp. 11. num. 4. — 5) Ubi supra q. 17. — 6) T. 3. disp. 5. §. 5. n. 39., et dissert. de opin. probab. n. 125. — 7) T. 3. theol. mor. p. 2. lib. 25. n. 24. — 8) Lib. 7. in Decal. c. 3. §. 5. n. 10. — 9) In praesent. — 10) Supra n. 4. — 11) Q. 6. de matrim. dub. 3. n. 42. — 12) Disp. 26. n. 36. — 13) Q. 6. n. 172. — 14) Disp. 9. n. 14. et 15. — 15) Lib. 4. contra gentes, c. 83. n. 7. — 16) In 4. dist. 31. art. 21. q. 4. tom. 16. novae edit. — 17) 1. Corinth. 16. 14. — 18) Ibid. 10. 31. — 19) Lib. 6. p. 3. n. 294.

ob solam voluptatem; nam Innoc. XI. damnavit hanc nonam propos.: « *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Hinc oppositum, quod antehac tenuerunt plures, nunc sustineri non potest. *Tum autem exercetur ob* solam *voluptatem, quando voluptas intenditur, et in ea sistitur. Tum in ea sistitur, quando intendens* NON REFERT *eam neque ad primarium vel secundarium matrimonii finem, neque ad alium de se bonum et honestum...* »

5. *Cardenas, S. J.,* [1] de opere conjugii speciatim disserens, ait: « *53.* Pro claritate quaestionis, et *legitima* intelligentia damnationis hujus nonae propositionis suppono, *nullam* omnino esse culpam, vacare copulae conjugali *propter voluptatem, tanquam propter finem subordinatum fini primario matrimonii;* v. gr. cum quis vult illi copulae vacare propter voluptatem in ordine ad generationem prolis, ita ut habeat voluptatem pro fine intermedio, et generationem prolis pro fine primario, ad quem dirigitur voluptas. » - Quo probato, sic pergit: « *56.* Dicendum ergo est, merito esse damnatam eam propositionem, quae negat, copulam conjugalem habitam propter solam voluptatem, carere omni culpa etiam veniali. Censeo autem, esse sufficiens motivum pro damnatione illius, quod SS. Patres doceant oppositam sententiam. Nam in materia morum, doctrina SS. Patrum, qui praecipue in materia morum a Deo illuminati sunt, pro certa regula tenenda est; nisi forte, quando inter ipsos Patres est controversia. » - Et post adductam SS. Augustini, Gregorii et Anselmi auctoritatem, subdit: « *60. S. Thomas* in eundem textum Epist. 1. ad Corinth. sic ait: *Quandoque vero* (actus conjugalis) *est cum culpa veniali, scilicet, cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quae tamen intra limites matrimonii sistit, ut scilicet cum sola uxore sit contentus.* Quod etiam docuit in 4. dist. 31. q. 2. art. 3. corp. »

« *61. Constat autem, hanc esse communiorem sententiam Doctorum,* quos refert et sequitur P. Thom. Sanchez.[2] Hi sunt Magister, S. Bonaventura, Durandus, Richardus, Albertus Magnus, Paludanus, Gabriel, Borrilongus, Sotus, Altisiodorensis, Gerson, Orbellis, D. Antoninus, Abulensis, Victoria, Petrus de Soto, Ledesma, Veracruz, Margarita Confess., Pedraza, Angeles, Enriquez, Barth. de Ledesma, Petrus de Ledesma, Rodriquez, Emmanuel Sà, Canendo, Capua, Alensis, Adrianus, Metina. - Et ex Jurisperitis, Glossa in varios textus juris, Alexander de Nevo, Praepositus, Henricus, Raynerius, Friburgo, Astensis, Angelus, Rosella, Sylvester, Tabiena, Armilla, Turrecremata, Gaeta, Gregorius Lopez, Perez, Matienzo et Ugolinus. *Et ideo Authores Societatis* (Jesu) *stant pro hac sententia.* Ita, ultra Thom. Sanchez, et Enriquez, [3] Toletus, [4] Tannerus, [5] Fagundez, [6] Praepositus, [7] Amicus, [8] Dicastillo, [9] Coninck, [10] et quamplures alii. - *62.* Cum ergo haec sit sententia SS. Patrum, et quam, agmine facto, secuti sunt Theologi et Jurisprudentes; dicendum est, id esse sufficiens motivum ad damnationem oppositae doctrinae. Et authoritas paucorum, qui tenuere oppositam opinionem absque urgenti fundamento, reputari debet levis momenti; ideoque dare non potuit probabilitatem suae opinioni. »

Tandem *Cardenas,* sensum argumentationis suae declarans, sic concludit: « *64.* Confirmatur. Nam *omnia delectabilia,* quae in usum hominis veniunt, *ordinantur* ad aliquam hujus vitae necessitatem sublevandam, *tanquam ad finem;* ut loquitur

1) Crisis theol., diss. 7. c. 2. art. 2. — 2) Lib. 9. de matr. disp. 11. n. 4. — 3) Lib. 11. c. 4. n. 2. — 4) Summ. lib. 7. c. 24. n. 2. — 5) Q. 6. de matr. dub. 3. n. 42. — 6) In 6. praec. decal. lib. 6. c. 3. n. 5. — 7) Q. 6. de matr. dub. 23. n. 172. — 8) Disp. 26. de matr. sect. 3. n. 36. — 9) Disp. 9. de matr. dub. 2. n. 14. — 10) Disp. 34. de Sacr. dub. 1. n. 12.

S. Thomas citatus cap. 1. art. 3. q. 2. Ergo voluptas, quae intervenit in copula, ordinatur ad necessitatem conservationis speciei, tanquam ad finem; *ergo pervertit hunc ordinem, qui ordinat copulam ad voluptatem.* »

SIT IGITUR CONCLUSIO:

Juxta S. Alphonsum et communem DD. sententiam,

1. *Delectatio,* quae actum conjugii, vel actum manducationis et potationis comitatur, *nunquam propter seipsam* quaeri aut intendi potest; sed ab homine deliberate agente, *ad alium honestum finem* semper, saltem virtualiter, dirigi debet. Et ratio praecipua est, quia bonum jucundum seu *delectabile* rationem *medii, non finis,* a natura obtinet.

2. Qui ergo in praedictis actibus, *alios fines honestos neque excludens, neque intendens,* unice quaerit delectationem, *inordinate* profecto agit, et idcirco a culpa *veniali* non excusatur. - Ad verificandum itaque sensum Propositionum damnatarum, necesse non est, ut quis voluptatem quaerens, quemlibet alium finem *positive* excludat, ceu contendit cl. Ballerinius; sed sufficit, ut ad omnem alium finem *negative* se habeat.

PARS OCTAVA

DE CENSURIS

QUAESTIO I.

An censuram incurrat qui mandatum consiliumve dedit, si, facti poenitens, criminis executionem vel effectum pro viribus impedire conetur, at revera impedire nequeat.

(S. Alph. Lib. VII. n. 40. 280. 368. — P. Ball. Tom. II. n. 934.)

P. Gury, T. II. n. 934. pag. 826,[1] Censurarum conditiones enumerans, ait: « Requiritur ad censurae validitatem, ut peccatum, cui infligitur, sit... *consummatum opere*, in genere suo. »

Ad quem textum, P. Ballerini sequentia adnotat: « Clarius hanc » conditionem sic *Schmalzgrueber* » (lib. 5. tit. 39. n. 64.) proponit, ut » exceptionibus non indigeat: « *Ut* » *incurratur censura, peccatum illud externum, ob quod censura* » *contrahenda est, debet esse completum in suo genere secundum* » *proprietatem verborum, quae in* » *praecepto seu lege continentur.* »

» Huc pertinet regula, ad censuram incurrendam requiri, ut *completus sit ille effectus, quem legislator intendit sub censura prohibere.* Proinde si verba, diligenter inspecta, significent prohiberi *ultimum* effectum, v.gr. homicidium; censura non incurritur, nisi effectu illo ultimo sequuto, scil. morte. Quando vero sub censura prohibetur principaliter ipsa *actio* vel *conatus;* tunc ea posita, statim incurretur censura, etiam effectu non sequuto. Vid. *Bonacina* (De Cens. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 12. 13.) et *Croix* (lib. 7. n. 59.).

» Ex probabiliori autem sententia censuram non incurrit, qui consilium vel mandatum revocaverit ante executionem (*Suarez*, de Cens. disp. 44. sect. 3. n. 13., *S. Alph.* lib. 7. n. 40.). - Quoad eum vero, qui utut optaret et conatus sit, revocationem consilii seu mandati non potuit mandatario seu executori significare, vel qui poenitentiam agit post positam causam, v. gr. mortis, sed ante sequutum effectum, quem non potuit impedire, ex sententia *Card. De Lugo* (De Poenit. disp. 16. n. 453.) et *Suarezii* (de Peccat. disp.3.sect.4. n. 3.) certum est, censuram ab eo incurri; *nec ulla vis rationi, quam S. Alphonsus* (lib. 7. num. 40., et lib. 4. num. 149.) *ex Salmanticensibus contra affert, inesse videtur.* »[2]

Ut huic animadversioni satisfiat, 1. Exponemus *S. Alphonsi* doctrinam; 2. Auctoritates *Suarii* et *Lugo-*

1) In altera edit. pag. 664.

2) Idem omnino argumentum cl. Professor jam protulit in adnot. ad *n. 663. q. 4.* Tom. I., cujus confutationem suo loco praetermisimus. Ex iis enim quae in hac quaestione respondebimus, sufficienter apparebit, quid de illa sentiendum sit.

nis, a cl. Professore contra S. Doctorem allegatas, perpendemus.

Articulus 1.

Exponitur doctrina S. Alphonsi.

I. Ad clariorem hujus quaestionis intelligentiam, sequentia tria Dubia a S. Doctore proposita referre juvat.

1. Lib. VII. *n. 40.* quaerit: « *An* » *mandans, sive dans consilium pro* » *occisione clerici, incurrat censu-* » *ram, si ante executionem consi-* » *lium pro viribus revocetur?* - Af- » firmat Concina cum Navarro, Co- » ninchio et Bonacina; quia malum » consilium praestitum semper per- » git influere. Sed *communius et pro-* » *babilius negant* Suarez, Palaus, » Laymann, Viva, et Salmanticenses » cum Avila, Hurtado, Tabiena, Dia- » na, Giballino et aliis; quia Eccle- » sia nequit ligare censuris nisi con- » tumaces. - Et *idem probabiliter di-* » *cunt* Viva et Palaus, Salmanticen- » ses cum Filliuccio, Giballino et Ta- » biena, ac Croix cum Bossio (contra » Coninchium, Cornejum, Avila, etc. » apud Salmanticenses), *etiamsi re-* » *vocatio consilii non potuerit inno-* » *tesci exècutori;* prout *idem dicunt* » *Salmanticenses de eo qui dedit ve-* » *nenum clerico, et antequam inci-* » *piat operari, animum retractavit,* » *et modo quo potuit procuravit ef-* » *fectum impedire:* quia dum postea » evenit laesio, *ille non est contu-* » *max*, unde non debet incurrere » censuram, quae est *poena medici-* » *nalis* ad impedienda peccata. Idque » *videtur satis probabile,* juxta di- » cenda *n. 480. dub. 2.*, ubi proba- » bilius est, quod praebens clerico ve- » nenum non incurrit censuram, nisi » illud incipiat parere effectum, id » est laedere. - Et quod dictum est » de consulente, idem affirmandum de » mandante.

» Advertendum tamen 1. quod con- » sulens, sive mandans in tali casu, » etsi excusatur a censura, *non ideo* » *tamen excusatur a restitutione*, » ut Salmanticenses, juxta probabi- » liorem sententiam relatam lib. 3. » n. 559. - An autem consilium dans, » aut mandans, vel qui dedit vene- » num, revocando consilium, aut » mandatum, aut poenitendo veneni » dati, antequam mors sequatur, ir- » regularitatem incurrat? Vide di- » cenda de irregular. n. 370. - Ad- » vertendum 2., quod qui consilium » praebuit, si executionem nequeat » impedire, *tenetur nihilominus ex* » *justitia monere laedendum*, ut se » caveat; alias nec a censura excu- » satur, quia omittit modum, quo ille » possit vitare damnum, in quod jam » suo consilio influxit: Salmant.; nam » tenetur ex justitia avertere homi- » cidium; unde si non avertit, illud » ejus culpae imputatur.»

2. Eodem Lib. VII. *De excommunicatione ob percussionem clerici*, S. Alphonsus in cit. *n. 280.* quaestionem proponit: « Dubitatur 2. *An* » *incurrat hanc censuram, qui cleri-* » *co venenum praebet?* Adsunt qua- » tuor sententiae. - *Prima*, quam » tenent Avila et Rodriquez apud » Diana, *absolute negat,* nisi vene- » num per vim praebeatur ad potan- » dum; nam alias (ut ajunt) non fit » violentia personae, sed naturae. » Sed merito Diana hanc opinionem » rejicit, cum sit contra communem; » et Renzius refert, anno 1640. eam » fuisse expunctam ex Summa Ro- » driquezii, ob mandatum S. Inqui- » sitionis in suo expurgatorio. - *Se-* » *cunda* sententia, quam tenent Fil- » liuccius et Suarez, ac alii apud » Croix, dicit, *non incurrere censu-* » *ram, nisi morte secuta;* sed neque » haec opinio videtur satis probabi- » lis. - *Tertia* sententia, quam tenet » Croix cum Beja et Sperelli, dicit, » hunc *ab initio incurrere;* quia ve- » nenum de se est aptum statim lae- » dere. - *Quarta* demum sententia » *communior, quae videtur mihi* » *probabilior,* dicit, *non incurrere,* » *nisi postquam venenum inceperit* » *laedere.* Ratio, quia ad incurren- » dam censuram canonis non requi- » ritur mors, sed requiritur quidem

» *effectus secutus*, nempe violentia » illata; antequam autem venenum » laedat, non adest effectiva vio- » lentia, sed tantum actio apta ad » violentiam inferendam; ita Bona- » cina, Viva, et Diana cum Squil- » lante, quibus adhaeret etiam Ren- » zius. »

3. Demum eodem Libro VII. *De irregularitate ex delicto*, S. Doctor, *n. 368.* quaerit: « Dubitatur, » *an si homicida poeniteat facti an- » te mortem, incurrat irregularita- » tem?* - Negant Salmanticenses, quia » (ut ajunt) tunc occisori mors illa » non est voluntaria in seipsa, sed » tantum in causa, quae, cum jam » retractata fuerit, ipse non influit » amplius moraliter in mortem. Sed » *verius affirmant* Suarez et Viva. » Nam in hoc differt causa moralis » a physica: qui posuit causam tan- » tum *moralem*, sufficit, ut eam mo- » raliter auferat, ne effectus ei im- » putetur; hinc mandans homicidium, » revocando mandatum ante ejus exe- » cutionem, bene excusatur ab irre- » gularitate, quia jam desinit mora- » liter influere. Qui vero posuit cau- » sam *physicam* mortis, nempe vul- » nus aut venenum, non excusatur, » si poeniteat, quia causa necessario » pergit influere in mortem. Imo re- » cte docet Suarez, nec etiam man- » dantem excusari ab irregularitate, » si revocatio mandati casu non per- » veniat ad mandatarium. - *Valde » probabiliter* tamen (ut diximus » *n. 40.*, et tenent iidem Salmanti- » censes cum Suarez, Sayro, Avila, » Cornejo, etc., ac consentit ipse Vi- » va) *excusabitur ab excommunica- » tione* mandans percuti clericum, si » ante executionem poeniteat man- » dati, sive consilii, licet revocatio » mandatario non innotuerit; quia » *cessat contumacia* requisita ad *cen- » suram* incurrendam. - Certum au- » tem est, quod si quis lethaliter » quantumcunque vulneret, si mors » non sequitur, irregularitatem non » incurrit; quia nulla assignatur in » jure propter conatum occisionis, » sed tantum propter homicidium » aut mutilationem; ita Suarez, et » Salmanticenses cum Avila et Say- » ro, ac alii passim. »

II. Cum autem P. Ballerini dicat: « *nec ulla vis rationi, quam S. Al- » phonsus ex Salmanticensibus con- » tra affert, inesse videtur* », doctrinam modo expositam paulisper examinabimus.

1. Ut ex allatis textibus patet, S. Alphonsus doctrinam *Salmanticensium* in hac materia ex parte approbat, et ex parte rejicit. - In quantum Salmanticenses [1] dicunt, in casu proposito *irregularitatem non incurri*, S. Doctor dissentit, et cum Suarez *oppositum* docet. - In quantum vero Salmanticenses [1] *negant*, a mandante vel consulente *excommunicationem incurri*, hanc sententiam *probabilem* censet; addita tamen duplici restrictione, scilicet, quod non excusentur a *restitutione*, et quod consulens, si executionem impedire nequeat, nihilominus ex justitia laedendum *monere* teneatur, ut sibi caveat. Consequenter S. Alphonsus etiam *probabile* censet, *excommunicationem non incurri* ab eo, qui venenum dedit clerico, sed effectum pro viribus impedire conatur, *antequam venenum operari incipiat;* « quia ad incurrendam censu- » ram canonis non requiritur mors, » sed requiritur quidem effectus se- » cutus, nempe violentia illata », quae non adest, « antequam venenum laedat. »

2. Ratio autem, quam S. Doctor, inter *irregularitatem* et *excommunicationem* distinguendo, adhibet, in eo consistit: quia *irregularitas* impedimentum est et poena *vindicativa; excommunicatio* autem poena *medicinalis*, requirens delinquentis *contumaciam*, quae in vere poenitente, et executionem seu effectum

1) De cens. c. 8. punct. 1. n. 4. — 2) Cap. 1. punct. 13. n. 153.

pro viribus impedire sollicito non reperitur.

3. Eamdem sententiam ut veriorem propugnat, atque eamdem rationem adfert *Castropalaus, S. J.,*[1] a S. Alphonso citatus: « Quocirca difficultas est, *an incidas in censuram* latam adversus mandantem vel consulentem, si revocares mandatum vel consilium quantum posses, *cum tamen de facto non revocentur:* vel quia mandati seu consilii revocationem notam facere mandatario seu consiliario non potuisti; vel quia rationes allatae ad revocandum consilium inefficaces fuerunt? - *Affirmat* Coninchius, [2] et alii relati a Suarezio. [3] Moventur, quia hae censurae latae sunt adversus eos, quorum consilio vel mandato facinus est perpetratum, sicuti in praesenti contingit. Neque obest, quod mandati vel consilii poenitueris; siquidem poenitentia efficaciam mandati vel consilii non sustulit: alias mandans vel consulens homicidium, ex quo mandato vel consilio homicidium fieret, vitaret irregularitatem et obligationem restituendi, si ante factum poeniteret. »

« *Sed rectius contrarium docuerunt* Innocentius, [4] Tabiena, [5] Steph. Davila, [6] Caspar Hurtado; [7] eo quod, ea revocatione et poenitentia posita, non causas culpabiliter opus medio mandato et consilio dato, sed omnino inculpabiliter: cum culpa praeterita, media poenitentia, deleta sit. *Ergo non incurris censuram,* quae, utpote poena *medicinalis,* solum afficere potest *actu delinquentes inobedientes et rebelles,* non vero eos qui ab inobedientia, rebellione delictoque recesserunt. - Secus vero est de poena *irregularitatis* et de obligatione *restituendi,* quae ob delictum praeteritum *actu innocentem* afficere possunt. »

Articulus 2.

Perpenduntur Auctoritates Suarii et Lugonis, contra S. A. allegatae.

Ait cl. Professor: « Quoad eum vero, qui, *utut optaret et conatus sit,* » revocationem consilii seu mandati, » *non potuit mandatario seu executori significare;* vel qui *poenitentiam* agit post positam causam, » v. gr. mortis, sed *ante sequutum* » *effectum, quem non potuit impedire:* ex sententia *Card. de Lugo* » (de Poenit. disp. 16. n. 453.) et » *Suarezii* (de Peccat. disp.3. sect.4. » n. 3.) *certum est, censuram ab eo* » *incurri.* »

I. Quid primum doceat *Suarez, S. J.,* videamus.

1. In cit. Sectione 4. quaestionem examinat: « *Quo tempore censeatur quis peccare tempore omissionis?* » et respondet:

« *1.* Difficultas hujus quaestionis versatur *in ea omissione, quae non est actus voluntatis, eo tempore quo praeceptum urget:* de quâ est *prima* sententia, quae affirmat, posse illam esse peccatum, licet neque eo tempore, quo praeceptum obligat, volita sit, neque interior culpa praecesserit: ita Marsil. in 2. q. 21.; sed est sententia *improbabilis:* nam impossibile est, eum qui se somno committit in gratia et sine peccato mortali, dum actu dormit, amittere gratiam et peccare mortaliter: quia non habet libertatem, neque usum rationis: alias amens, et puer ante usum rationis posset amittere gratiam: impossibile ergo est, ut omissio illa sit peccatum, nisi ratione praecedentis voluntatis: et ratio est, quia nullum est peccatum, nisi sit liberum: ergo vel voluntate praesenti vel voluntate praeterita; ergo debuit praecedere interior culpa. »

« *2. Secunda* sententia est, quae

1) De cens. disp. 1. punct. 7. n. 15. — 2) Disp. 14. dub. 15. concl. 3. n. 183. — 3) Disp. 44. sect. 3. n. 7.— 4) In cap. *Mulieres,* de sent. excom. — 5) V. *Excommunicatio* 5. cas. 1. n. 35. — 6) 2. P. de cens. disp. 3. dub. 7. — 7) De cens., difficult. 15. num. 68.

vult totum hoc peccatum omissionis committi, *cum aliquis dat sufficientem causam omissionis*, postmodum vero, tempore praecepti, nullum esse peccatum; ita Alensis, [1] Gabriel. [2] Fundamentum est, quia omne peccatum sequitur voluntatem. »

« *3. Tertia* sententia dicit, tunc omissionem imputari ad peccatum et culpam, *quando adest tempus implendi praeceptum:* est D. Thomae; et ratio esse potest, quia peccatum consistit in transgressione praecepti: haec autem obligatio solum est eo tempore, quo praeceptum obligat. Confirmatur a signo: nam si illa causa omissionis esset somnus vel ebrietas, et casu ille excitaretur, vel ad se rediret et impleret praeceptum, revera non omisisset, atque si tali omissioni esset imposita poena excommunicationis vel irregularitatis, non illam incurreret: vide Cajetanum; [3] sed forte dissensio est de nomine. »

Num. 4. et 5. Suarez suam sententiam duabus propositionibus explicat. Prima est: « Culpa et peccatum interius committitur, *cum quis voluntarie dat causam futurae omissionis:* est certa, quia omnis culpa formaliter est in voluntate. » – Altera: « Exterior omissio tunc intelligitur fieri, *cum occurrit tempus praecepti;* et licet nullam mortalem malitiam addat, ipsa tamen peccatum proprie dici potest. »

Demum *n.* 7. quaestionem attingit, quae proxime ad nostram accedit: « *Sed quaeres, an possit contingere, voluntatem, quae est causa omissionis ut sic, esse culpam, et tamen omissionem postea sequutam nullo modo esse peccatum?* – Non videtur posse accidere, si aliquem, antequam sequatur omissio, poeniteat prioris culpae et causae datae, tamen non possit impedire effectum; nam tunc omissio sequens est simpliciter involuntaria: ergo. Confirmatur; quia alias contingere posset, eum, qui est in gratia, dum est in gratia, peccare mortaliter peccato exteriori, quod videtur inconveniens. Item sequitur, aliquando teneri hominem ad efficiendum actum illum exteriorem, qui est peccatum; ut, si quis voluntarie incidit in morbum, ex quo sequitur culpabilis omissio, postea dum jam aegrotat, et recte facit et debet omittere. – In contrarium vero est, quantumvis illum hominem poeniteat postea, propter illum actum juste punitur, et manet irregularis: ergo ille actus exterior habet rationem peccati; praeterea, in simili quaestione actus commissionis vere peccatum est, ut homicidium; ergo etc. »

« *8.* Dico breviter, *utrumque modum loquendi esse probabilem.* Priorem videtur sequi *Soto;* [4] et dicendum esset, poenam non solum esse impositam actioni exteriori, quia peccatum est, tunc cum fit; sed quia per se culpabilis est et causam habet pravam voluntatem, licet per accidens contingeret non esse peccatum propter mutationem voluntatis: sed forte magis proprie illa peccata dicerentur, quia procedunt a causa libera et deficiente, quatenus tenetur illa evitare: neque refert voluntas subsequens, quia illa non est principium omissionis, quae sequitur, sed alia prior quae praecessit: actio autem exterior, vel omissio denominatur peccatum a voluntate, a qua procedit: unde simul eadem omissio, et est volita, ut effectus a voluntate, quae est causa ejus, et est nolita per modum objecti, et prima voluntas est *volo,* secunda est *nollem* sequi effectum. Ad confirmationem respondeo, illam omissionem habere duplicem respectum, alterum ad praecedentem voluntatem pravam, cujus est effectus, alterum ad praesentes circumstantias, et voluntatem; et ut sic, recipit denominationes diversas; ne-

1) 2. P. q. 130. memb. *b.* — 2) 2. d. 45. dub. 3. ad 7. — 3) 2. 2. q. 150. art. 4. — 4) 4. dist. 12. q. 1. art. 7.

que est inconveniens eundem actum exteriorem denominari bonum et malum a diversis voluntatibus. »

2. Utrumque ergo loquendi modum Suarez probabilem dicit. In quantum vero concedit, etiam reum poenitentem juste puniri posse, bene advertendum est, id de sola *irregularitate* dici. Reus poenitens juste utique poena irregularitatis mulctatur, propter primam voluntatem praeteritam *volo*, nulla ratione habita secundae voluntatis praesentis *nollem;* quia irregularitas poena vindicativa est. Non autem mulctatur poena excommunicationis, quia medicinalis est : supposito tamen, quod poenitentia rei vera et ideo efficax sit. - Si quis homicidium mandavit vel consiliatus est, et postea id fecisse ipsum poenitet, simplex voluntatis retractatio non sufficit; sed mandatum seu consilium revocare, omnemque conatum adhibere tenetur, quo executio impediatur. Unde si aliquid omisit, quod in sua potestate fuit, homicidium ipsi imputatur, et excommunicationem non effugit; quia poenitentia inefficaci, aut non adeo efficaci, quemadmodum oportet, contumacia non tollitur. - Si vero fecit quod potuit, et executionem impedire nequivit, excommunicationem non incurrit, quia contumacia deest, quae ad quamlibet censuram incurrendam necessario requiritur, et excommunicatio mera vindicta delicti praeteriti esset.

3. Suarez itaque nullatenus oppositam sententiam tenet, nec ullo modo S. Doctori nostro contrarius est.

II. Verum P. Ballerini pro certitudine sententiae oppositae alterum testem interpellat, videlicet *Cardinalem de Lugo*. Hujus ergo doctrinam inspiciamus.

1. *Lugo, S. J.,* de Poenit. disp. 16. sect. 9. quaestionem perpendit: *An effectus peccati subsequutus in confessione necessario explicandus sit;* et sententiam *negativam* propugnat, scilicet, poenitentem explicare teneri peccata interna et externa, non autem effectum peccati. In quem finem plura argumenta adfert, quae ab adversariis huic doctrinae opponuntur :

« *450.* Objicies primo: Quando ille alius moritur, tunc qui venenum dedit, incipit denominari homicida; ergo tunc occidit: nam homicida non est, nisi qui aliquando occidit hominem: sed antea nondum occiderat; ergo nunc occidit. » - Ad quam objectionem in substantia respondet, verum non esse, quod tunc occidit, sed quod ponitur ultimus terminus, cujus ratione verum est jam, quod antea occidit.

« *452.* Urgebis: quia homicidium essentialiter est peccatum actuale : sed nunc, quando ille alius moritur, incipis esse et denominari homicida; ergo nunc incipis denominari peccator. - Respondetur, homicidium includere quidem essentialiter peccatum, sed non solum: homicida enim est ille, ex cujus actione injusta aliquis homo moritur: includit ergo peccatum, vel praesens, vel praeteritum, et addit effectum mortis sequutum, ex cujus defectu non dicebaris antea homicida; dicebaris tamen jam peccator ex actione injusta jam posita.»

« *453.* Objiciunt secundo : Quia nunc incurritur censura, quando ponitur effectus, et non antea : haec autem non incurritur, nisi propter peccatum: ergo nunc ponitur etiam peccatum. - Respondetur, negando consequentiam; nam censura incurritur nunc propter peccatum praeteritum, quod tamen Ecclesia non vult punire, nisi posita tali conditione effectus sequuti. Unde contingere etiam potest, quod incurratur censura ab eo, qui jam per contritionem, vel per attritionem cum Sacramento, est justificatus a peccato praeterito: quia censura est poena, qua adhuc Ecclesia juste punire potest hominem propter peccatum praeteritum. Et sicut excommunicatus, licet per contritionem justificetur, adhuc maneat excommunicatus, do-

nec absolvatur : ita potest, quando jam est contritus, incurrere *de novo* excommunicationem propter peccatum praeteritum. Et quidem propter censuram aut reservationem, quae incurritur, aliquando, non aliter, nisi sequuto effectu, oportebit in confessione explicare etiam effectum sequutum. »

2. Recte hic dicit De Lugo, excommunicatum, licet per contritionem justificatus sit, *excommunicatum manere, donec absolvatur.* Quod est certum; et ratio ea est, quam allegat Suarez, quia, licet poenituerit, non coram Ecclesia poenituit. – Addit autem Suarez cum sententia communi, *resipiscentem et vere poenitentem* statim ac necessario ab Ecclesia esse recipiendum et absolvendum ; quia excommunicatio poena *medicinalis* est, in qua semper subintelligitur conditio: nisi resipiscas. De Cens. disp. 4. sect. 5.

3. In ceteris autem, quae Lugo hic profert, doctrinam prorsus singularem tradit. Ex ejus sententia, mandans vel consilians homicidium, eo tempore, quo mandatum dat vel consilium, excommunicationem, at non poenas excommunicationi adnexas incurreret ; quia Ecclesia eum non vult punire nisi posita conditione effectus sequuti. Quod si interea veram poenitentiam ageret de delicto commisso, a vinculo excommunicationis liberaretur, nihilominus autem effectu secuto *de novo* excommunicationem, et quidem hac vice cum poenis adnexis incurreret. Etenim non videmus, quomodo haec ejus sententia aliter explicari possit, cum expresse dicat: *de novo.* – Verum haec doctrina, quod sciamus, a nullo alio auctore traditur, et vix ulla solida ratione probari potest.

SIT ERGO CONCLUSIO :

1. S. Doctor distinguendum esse dicit inter *irregularitatem* et *excommunicationem.* Illa non est censura, sed potius impedimentum seu inhabilitas, cui etiam delinquens affici potest, licet jam poeniteat, ideoque amplius non sit contumax; *excommunicatio* autem est censura, seu poena medicinalis, quae afficere nequit nisi reum *contumacem.*

2. Huic regulae innixus, S. A. docet, *ab irregularitate non excusari,* qui alteri vulnus inflixit aut venenum dedit, etiamsi ante illius mortem poeniteat, « *quia causa necessario pergit influere in mortem* »; – nec, qui mandavit crimen aliquod committi, « *licet revocatio mandati casu non perveniat ad mandatarium* » (cit. n. 368.).

3. E contra dicit: « Valde probabiliter *excusabitur ab excommunicatione* mandans percuti clericum, si *ante* executionem poeniteat ipsum mandati sive consilii, *licet revocatio mandatario non innotuerit;* quia *cessat contumacia* ad censuram incurrendam » *(n. 368.).* – Idemque dicendum censet « de eo, qui dedit venenum clerico, et *antequam incipiat operari,* animum retractavit, et *modo quo potuit, procuravit impedire effectum;* quia, dum postea evenit laesio, ille *non est contumax:* unde non debet incurrere censuram, quae est *poena medicinalis* ad impedienda peccata » *(n. 40. et n. 280.).* – Advertit tamen, consulentem sive mandantem non excusari a restitutione, ipsumque teneri ex justitia laedendum monere, ut sibi caveat.

4. Judice autem cl. Professore, haec doctrina S. A. de *excommunicatione non incurrenda,* admitti nequit; tum quia *rationi* a S. Doctore allatae *nulla vis inesse videtur,* tum quia, ex sententia *Suarii* et *Lugonis,* certum est, in casibus propositis censuram incurri. – At vero, 1°. Utrum huic *rationi,* cui accedit regula generalis: *poenas non esse ampliandas, sed restringendas,* nulla vis insit, judicio cujuslibet hanc quaestionem sedulo examinantis relinquimus. 2°. *Suarez,* ut vidimus, S. Doctori nostro minime con-

trarius est. *Lugo* autem quaestionem de excommunicatione propter homicidium incurrenda, nonnisi per incidens hic attingit, imo quaedam singularia tradit. Caeterum praesumere licet, quod tantus Doctor, qui merito inter classicos et clarissimos numeratur, sententiam suam reformasset, si quaestionem istam ex professo pertractasset, et singula ejusdem momenta, Auctorumque sententias consueta sagacitate perpendisset.

QUAESTIO II.

An excuset a Censuris Ignorantia vincibilis, vel affectata.

(S. Alph. Lib. VII. n. 45. 48. — P. Ball. Tom. II. n. 939.)

Duplex est Dubium in hac quaestione pertractandum, videlicet: 1. Utrum a censura excuset ignorantia *vincibilis*, si nempe graviter sit culpabilis; 2. Utrum excuset ignorantia *affectata*.

Articulus 1.

Utrum a censura excuset Ignorantia vincibilis, si graviter sit culpabilis.

Lib. VII. num. 45. S. Alphonsus quaerit: « *An possit dari aliqua* » *Ignorantia vincibilis, quae excu-* » *set a censura, licet non excuset* » *a peccato gravi?* » Et respondet: « *Affirmant* Sanchez; ac Palaus, » Diana, etc. apud Salmanticenses, » dicentes, posse dari ignorantiam, » quae non sit crassa, seu supina, » et tamen sit graviter culpabilis: » nam ignorantia crassa involvit » summam negligentiam; ergo (ut » ajunt) ignorantia, quae accidit ob » magnam, sed non summam negli- » gentiam, erit mortalis, sed non » crassa; et ideo excusabit a censu- » ra, ut inferunt ex C. *De condit.* in » 6., ubi ignorantes excusantur a » censura: *Dum tamen ignorantia* » *crassa non fuerit, aut supina.* – » Verumtamen *merito contradicunt* » Laymann, Bonacina, Bossius cum » Suarez, et *communi;* ac Salmanti- » censes cum Vasquez, Coninchio, » Cornejo etc.; qui asserunt, *praedi-* » *ctam sententiam vix esse practi-* » *ce probabilem, cum vix inveniri* » *possit ignorantia graviter culpa-* » *bilis, quae non sit etiam crassa.* » Crassa enim evenire potest, non » solum quando nulla diligentia, sed » etiam quando valde parva adhi- » betur. »

P. Gury, T. II. n. 939. pag. 830.[1] similiter *negat*, excusare a censura Ignorantiam vincibilem, « si illa ignorantia sit *graviter* culpabilis, quia tunc potest dici crassa... *S. Lig. n. 45. et alii communiter...* Plures tamen contendunt, ignorantiam graviter culpabilem a censura excusare, licet a peccato mortali non excuset... »

Sententia vero negans cl. Ballerinio non probatur; hinc ad verba: « *S. Lig... et alii communiter* », sequentia adnotat: « Vix apparet, » cur *S. Alphonsus* (Lib. 7. n. 45.) » hanc sententiam dixerit *commu-* » *nem,* quando *Salmanticenses, e* » *quibus hanc opinionem mutuatus* » *est,* plures Auctores pro opposita, » quam pro ea afferunt (de Cens. » cap. 1. n. 196.); quin et ipse *Sua-* » *rez* (de Cens. disp. 4. sect. 10. » n. 12.) fatetur, *alios modernos au-* » *ctores* in aliam abiisse sententiam. » Ratio vero, a Suarezio allata *(si* » *ratio dicenda sit)* nullius est mo- » menti. Nihil ergo impedire debet, » quominus oppositam sententiam,

1) In altera edit. pag. 667.

» quam mox Auctor (P. Gury) subjicit, quis tuto sequatur. »

Videamus autem, utrum cl. Ballerinio subscribendum sit.

I. Ait primum: « Vix apparet, cur » *S. Alphonsus* hanc sententiam dixerit *communem*, quando *Salmanticenses... plures auctores pro opposita*, quam pro ea afferunt. » - Mira utique argumentatio ! Quasi ergo Salmanticenses exactum Auctorum catalogum texere intendissent, et quasi Auctores, quos pro sententia negativa praetermittunt, pro non existentibus habendi sint!

II. Insuper minus recte affirmat, quod « *S. Alphonsus hanc opinionem e Salmanticensibus mutuatus est.* » - Etenim S. Doctor, antequam Salmanticenses vel nominet, citat Laymann, Bonacinam, Bossium cum Suarez et communi; Bonacina, autem allegat Molinam, Salas, Coninchium, Filliuccium, Reginaldum et Alterium, quos Salmanticenses non afferunt.

III. Cum S. Alphonsus dicat: « *cum Suarez et communi* », hunc speciatim allegari oportet; eo magis quia cl. Professor subdit: « et ipse *Suarez* » fatetur, *alios modernos auctores* » in aliam abiisse sententiam. »

1. *Suarez, S. J.*, [1] quaestionem ponit: « *Num vincibilis ignorantia, quae affectata, crassa aut supina non sit, censuram excuset?* » et tres sententias adducit. Primam generaliter affirmantem, quam, ut dicit, tenent aliqui moderni et Sylvestro attribuunt, qui eam, licet obscure, attingit. Secundam, inter leges Summi Pontificis et inferiorum Statuta distinguentem, quam Dominicus Soto, licet dubitanter, attingit. Et demum tertiam: « *generaliter docentem, ignorantiam facti vel juris numquam excusare a censura, nisi excuset etiam a culpa mortali.* »

2. Qua exposita, pergit *n. 10.*: « *Hanc ergo opinionem sic expositam omnino veram existimo, neque auderem dicere, oppositam esse practice, aut moraliter probabilem.* Quia nullum habet auctorem praeter *unum vel alium recentiorem:* qui non ex gravi, aut urgente fundamento movetur; sed quadam pietate, ad evitanda animarum pericula, quae fuit ratio Pontificis in illo cap. 2. de Constit.; tamen ipsemet Pontifex noluit ita subvenire animarum periculis, ut disciplinam ecclesiasticam relaxaret. - *Ratio autem, quae me potissimum movet,* est, quia in jure non invenio ignorantiam vincibilem, quae ad mortalem culpam sufficiat, quae non comprehendatur sub illis duobus membris, crassa vel supina, nisi sit major illis, ut est affectata: quae fortasse in jure potius censetur apertus dolus et malitia, quam ignorantia. Illa ergo omissa, omnis alia ignorantia, quae indirecte voluntaria est, ex duplici capite nascitur; scilicet, vel *ex pura negligentia et desidia,* vel *ex nimia sollicitudine et affectione ad res alias,* vel alia negotia, quae impediunt debitam curam addiscendi et sciendi ea, quae quis scire tenetur. Et quando nascitur ex priori capite, vocatur *crassa:* quando ex posteriore, dicitur *supina*, ut recte notavit Cordubensis libro 2. q. 1., non admittens aliam ignorantiam vincibilem et indirecte voluntariam, praeter has duas; quia revera nulla alia excogitari potest, quae ab his differat formaliter, ut sic dicam, seu in principio et radice ipsius ignorantiae. »

3. Deinde sententiam Dominici Soto fusius explicat, et pergit *n. 12.*: « *Alii vero moderni auctores non videntur locuti in hoc sensu:* nam referendo sententiam Soti, approbant priorem partem ejus, et illam extendunt ad omnes leges ecclesiasticas: et ideo in ipsamet ignorantia, quae ad mortale peccatum sufficit,

1) De Cens. disp. 4. sect. 10.

videntur distinguere gradus; ut infra certum gradum non sit crassa nec supina, sed vincibilis tantum, licet mortalis: et ideo excuset; ultra illum autem gradum jam sit crassa, vel supina, et non excuset. - *At certe talium graduum distinctio, et nullo jure fundata est, et nulla ratione explicari potest.* Quis enim dicat, negligentiam ad mortaliter peccandum sufficientem in tali gradu esse crassam, non vero in tali; aut qua ratione poterunt discerni hi gradus? Hoc ergo modo magis implicantur conscientiae, et leges, quam explicentur. Item in ordine ad restitutionem, vel ad alias similes obligationes in conscientia, illa ignorantia, quae est ita negligens, ut sufficiat ad peccatum mortale injustitiae, censetur crassa et supina, ut colligitur ex leg. 15. §. ult. ff. *de Contrahenda emptio.*, et in leg. 6. ff. *de Jur. et fact. ignorant.* Ergo etiam in praesenti materia, *omnis ignorantia, quae ad mortalem transgressionem vel inobedientiam sufficit, crassa vel supina dicenda est.* »

4. Ex hisce textibus tria patent: 1°. Suarez sententiam, quam S. Alphonsus tenet, *omnino veram* et oppositam *nec practice nec moraliter probabilem* existimat. 2°. *Gravissimas rationes* pro ea adfert. 3°. Eadem sententia suo tempore non tantum communis, sed *communissima* fuit; cum, ipso testante, opposita nullum *praeter unum vel alium recentiorem* patronum habuerit. Si vero postea accesserunt alii patroni, itidem etiam accesserunt defensores adversae partis.

IV. Affirmat autem P. Ballerini: « *Ratio vero a Suarezio allata (si* » *ratio dicenda sit) nullius est mo-* » *menti.* » Et concludit: « Nihil er- » go impedire debet, quominus op- » positam sententiam... quis tuto » sequatur. »

Si quis reapse rationes a Suario et aliis Auctoribus allatas nullius momenti aestimat, utique nihil est, quo ab amplectenda opposita prohiberetur. At vero sola auctoritas cl. Professoris, rationes istas nequidem adducentis et nihilominus damnantis, nequaquam sufficit; de nullo namque titulo nobis constat, quo hanc praerogativam sibi vindicare posset.

Articulus 2.

Utrum a censura excuset Ignorantia affectata.

Eodem Lib. VII. n. 48., S. Doctor sequens dubium proponit: « Quaestio » est: *An, si Censura sit imposita* » *scienter peccantibus, excuset Igno-* » *rantia affectata?* » Et respondet: « *Prima sententia communior ne-* » *gat;* et hanc tenent Suarez, Pa- » laus, Continuator Tournelii, Con- » cina, Viva, Auctor additionum ad » Sporer; Bossius cum S. Antonino, » Pontio, Perez, Filliuccio, Salas, » Reginaldo, etc. Item Avila, Hen- » riquez, Ledesma, Villalobus, etc. » apud Salmanticenses.- Ratio, tum » quia ignorantia affectata includit » *dolum formalem;* tum quia talis » ignorantia aequivalet *scientiae,* ut » probatur ex C. *Eos qui,* de temp. » ordin. in 6., ubi: *Eos qui clericos* » *parochiae alienae absque Supe-* » *rioris ordinandorum licentia sci-* » *enter, seu affectata ignorantia,* » *vel quocunque alio figmento quae-* » *sito, praesumpserint ordinare, per* » *annum a collatione Ordinum de-* » *cernimus esse suspensos.* Et ibi » Glossa, verb. *Affectata* dicit: *Ae-* » *quipollent ergo scientia et affe-* » *ctata ignorantia.*

» *Secunda* vero sententia *affir-* » *mat,* eamque tenent Sanchez, Bo- » nacina, Roncaglia; et Salmanticen- » ses cum Sylvestro, Tannero, Hur- » tado, Diana, Coelestino, Cornejo, » Duardo, etc. - Ratio, quia ignoran- » tia affectata in rigore non est » vera scientia, qualis requiritur in » poenis impositis scienter peccan- » tibus, cum poenae stricte sint in- » telligendae; licet autem talis igno-

» rantia includat dolum virtualem, » non tamen formalem ; qui enim » peccat scienter contra legem, vere » contemnit eam ; qui vero peccat » ex ignorantia affectata, etsi velit » ignorare ut liberius peccet, tamen » demonstrat aliquam reverentiam » erga legem, dum quaerit ipsam » ignorare ex timore, quod, si ipsam » sciret, retraheretur a peccando. – » Ad textum autem oppositum re- » sponderi potest, quod ibi per spe- » cialem dispositionem legis suspen- » ditur Episcopus sic injuste ordi- » nans, non solum si sciat, sed et- » iam si affectate suspensionem igno- » ret.

» *Hanc secundam sententiam non* » *audeo dicere improbabilem ; sed* » *primae magis adhaereo, saltem* » *ut communiori.* – Recte autem » Sanchez, et Salmanticenses cum » Covarruvias minime approbant » sententiam Panormitani (quamvis » probabilem eam putent S. Anto- » ninus, Sylvester, Rodriquez, etc.), » scilicet, quod si quis cum igno- » rantia crassa, et etiam affectata, » clericum occidit, excusatur a cen- » sura Canonis, cum ibi dicatur: *Si* » *quis, suadente diabolo,* etc.; nam » respondetur, quod haec verba non » important scientiam formalem cen- » surae, sed tantum peccati. »

P. Gury de ignorantia affectata speciatim non tractat; sed in cit. *n. 939.*, postquam negavit, a censura excusare ignorantiam vincibilem, si illa ignorantia sit graviter culpabilis, in genere tantum dicit: « Excipe tamen, si in Decreto censurae dicatur: qui hoc fecerit *scienter, consulto, temere, qui praesumpserit,* etc. Haec enim verba postulant voluntarium perfectum ac directum, et ex certa scientia censurae. *S. Lig.* n. 46. »

P. Ballerini autem, cit. pag. 830.[1] ad hunc textum, et quidem ad vocem: *temere,* advertit: « Merito San- » chez (de Matrim. lib. 9. disp. 32. » n. 38.) notat Suarezium, qui (de » Cens. disp. 4. sect. 10. n. 3.) *teme-* » *ritatem* hic accipit pro *imprudentia,* qua ignorans se exponit periculo agendi contra legem; nam *temeritas* reipsa actum contra expressam legis notitiam positum designat.

» Et haec quidem animadversio » Sanchezii aeque militare videtur » pro ignorantia *affectata;* qua tamen de re idem *Sanchez,* minus » sibi cohaerens, eam excusare docet *in Decal. lib. 2. cap. 10.* » *n. 38.,* excusare autem negat *De* » *Matrim. lib. 9. disp. 32. n. 39. 40.* » – Dissident item in hac quaestione doctores, ut videre est etiam » apud *S. Alphonsum* (lib. 7. n. 48.), » qui *neganti* opinioni se adhaerere » dicit quasi *communiori;* at si Auctores pro utraque opinione allatos a Salmanticensibus (de Cens. » cap. 1. n. 199.) enumeres, *plures* » *reipsa invenies pro affirmante.* » Hinc sive *auctoritatem* consideres, » sive *rationes* (de quibus vid. *Ron-* » *caglia,* de Cens. q. V. c. 5. q. 1. » resp. 4., et *Bonacina,* de Cens. » disp. 1. q. 2. p. 1. n. 11., ac *Sal-* » *manticenses* l. c.) *concludes, in re* » *incerta adhibendum generale prin-* » *cipium,* atque adeo possidere jus » fruendi bonis spiritualibus, ubi op- » positum non evincitur. »

Verum vana sunt, quae cl. Professor hic in medium profert.

1. *Suarez* l. c. quaestionem examinat, an ignorantia affectata a censura excuset, quando particulae vel clausulae: *scienter, consulto, qui praesumpserit, qui contempserit, qui temere, vel qui temerarius violator legis extiterit,* adjectae sunt; et dicit:

« Quamvis in his, et praesertim in ultima (particula), dubitari possit, an qui ex ignorantia affectata talem legem transgreditur, censuram

1) In altera edit. pag. 667.

incurrat: nam revera videtur satis temerarius violator legis: et ideo probabiliter potest timere censuram. Aliunde tamen non videtur eam incurrere: nam, licet sic operari quaedam temeritas sit; non est tamen directa temeritas contra legem, de qua ipsa loquitur. - *Nihilominus tamen prior pars videtur securior:* imo ut aliquis dicatur non temere transgredi legem, necesse est, ut, si suspicionem, vel dubitationem habet talis legis, aliqualem diligentiam adhibeat, ut sciat, an sit talis lex: *alioqui temere se exponet periculo transgrediendi illam.* Et si in re illam violare contingat, merito dicetur temerarius violator illius. Qui autem habet *affectatam* ignorantiam legis, *necessario supponitur habuisse cogitationem aliquam, et suspicionem legis, et noluisse veritatem agnoscere: merito igitur dicetur temerarius transgressor.* Propter quod etiam existimo, hujusmodi hominem non excusari, etiamsi lex utatur verbo *praesumpserit:* quia satis propria, et magna praesumptio est, *ex directa voluntate* sic operari cum morali periculo agendi contra legem, per quam censura infertur. Et ideo, si cum tali voluntate in re ipsa committatur actus contrarius legi, merito dicetur ille *ex praesumptione egisse contra legem, et incurrisse censuram.* - Quod secus est in ignorantia tantum indirecte voluntaria, etiamsi crassa sit, vel supina: nam illud peccatum semper est ex negligentia potius, quam ex praesumptione, vel malitia. Et per haec judicandum est de similibus verbis legum, ut distinctius infra dicemus, agentes in particulari et in individuo de singulis censuris. »

Nequaquam ergo Suarez *temeritatem* pro *imprudentia* accipit. Cum enim propter culpam venialem censurae non incurrantur, supponit, ignorantiam affectantem, dum *ex directa voluntate* periculo legem transgrediendi se exponit, graviter peccare. At vero mera imprudentia per se numquam culpam mortalem inducit.

2. *Sanchez* l. c. *de Matrimonio* id solum in argumentatione Suarii non approbat, quod quilibet, ex directa voluntate periculo transgressionis se exponens et graviter peccans, ideo jam temerarius legis violator dicendus sit; et concludit *n. 39:* « Quando ignorantia esset adeo crassa, ut esset ingens temeritas, non excusaret a poena Canonis contra scienter facientes lata. » - Quod autem ignorantiam affectatam attinet, dicit *n. 40:* « *Affectata* ignorantia, qua videlicet ignorans eligit nescire, quo liberius delinquat, *nunquam excusat ab his poenis scientiam ac praesumptionem exigentibus.* Quia tantum abest, ut ignorantia haec involuntarium actum efficiat, culpamque minuat, quae in causa sunt, ut ignorantia a poenis eximat: quin potius voluntarium, culpamque augeat: cum directe et per se eligatur: teste D. Thoma.[1] Atque ita sustinent Glossa, [2] Francus, [3] D. Antoninus, [4] Rosella, [5] Sylvester, [6] Tabiena, [7] Graffius, [8] Enriquez et Petrus de Ledesma, [9] Suarez. [10] »

Hanc autem sententiam, *Sanchez* postea aliquantulum temperavit in opere *de Decalogo,* l. c., ubi de lectione librorum haereticorum loquens, ait: « Septimo deducitur, ex tertia conditione, ut scienter legat, teneat, imprimat, vel defendat praedictos libros, eximi ab hac censura, qui ignorantia, quantumvis crassa et lata culpa, quidvis horum fecerit: nisi adeo crassa sit, ut sit ingens temeritas. Quia haec clausula petit scienter haec fieri. At *quando scientia petitur, excusat quaevis ignorantia: nisi ingens sit temeritas.* Ut probavi lib. 9. de matrimonio

1) 1. 2. q. 6. art. 4. in corp. — 2) Clem. 1. verb. *Scienter,* de consang. — 3) Cap. 2. n. 4. de constit. in 6. — 4) 3. P. t. 24. c. 34. statim in princ. — 5) V. *Excommunicatio* 1. cas. 43. n. 2. — 6) V. *Excom.* 9. cas. 41. n. 76. in fine. — 7) *Excom.* V. cas. 49. n. 3. notab. 2. — 8) 1. P. decis. lib. 4. c. 9. n. 38. — 9) Num. praec. allegati. — 10) 5. Tom. in 3. P. disp. 4. sect. 10. n. 1.

disp. 32. n. 36. et 39. *Atque idem credo, etsi ignorantia esset affectata.* Quia nimirum quis affectavit nescire cujus authoris sit liber: aut qua de re tractet, ut liberius legat. Quia revera non dicitur hic *scienter* legere. Nec est ingens temeritas: *nisi quando vehementem suspicionem habuit malitiae libri. Tunc enim reputabitur sciens.* » – Si ergo suspicio vehemens est, etiam Sanchez ignorantiam affectatam a censura non excusat.

3. Iterum inepte advertit P. Ballerini: « At, si Auctores pro utraque » opinione allatos a *Salmanticensi-* » *bus* enumeres, *plures reipsa inve-* » *nies pro affirmante.* » – Quid ad rem, sive plures sive pauciores a Salmanticensibus allegentur? Numquid omnes isti Auctores, quos citat S. *Alphonsus,* praeter citatos a Salmant., non computandi sunt?

4. Rationes, quas Roncaglia, Bonacina [1] et alii pro affirmativa sententia afferunt, S. Doctor alioquin exponit; et propter easdem rationes demum dicit, se quidem magis *negativae* saltem ut *communiori* adhaerere, sed *alteram improbabilem dicere non audere.* – Ad quid ergo, quaerimus, tota haec disputatio?

HINC CONCLUDIMUS:

1. Jure optimo S. Doctor *communem* censet atque propugnat sententiam, quae *negat:* dari posse aliquam Ignorantiam *vincibilem a censura excusantem, licet non excuset a peccato gravi.* Oppositā namque sententia « *vix est practice probabilis,* » *cum vix inveniri possit ignoran-* » *tia graviter culpabilis, quae non* » *sit etiam crassa.* »

2. Rectissime etiam S. Alphonsus *communiori* sententiae adhaeret, quae similiter *negat:* excusare Ignorantiam *affectatam,* si censura sit imposita scienter delinquentibus; « tum quia ignorantia affectata in- » cludit *dolum formalem,* tum quia » talis ignorantia aequivalet *scien-* » *tiae* ». – Quae autem cl. Professor contra hanc doctrinam objicit, ad ejusdem auctoritates extenuandas aut rationes infirmandas, nullatenus valent. Nec dici potest quod agatur de « re incerta »; siquidem Auctores communius sententiae neganti adhaerent; insuper distinctio quam oppositae sententiae patroni (et quidem haesitanter) adducunt inter ingentem aut minorem temeritatem, vix in praxi fieri potest.

QUAESTIO III.

An requiratur Monitio, si censura sit comminata a Jure ferendae sententiae.

(S. Alph. Lib. VII. n. 55. — P. Ball. Tom. II. n. 941.)

Ad propositam quaestionem, S. ALPHONSUS, Lib. VII. n. 55. respondet: « Si censura sit comminata *ab ho-* » *mine,* certum est non requiri mo- » nitionem: quia per illud praece- » ptum jam etiam habetur monitio » ab ipso judice facta; ut Sanchez et » Salmanticenses.

» Dubium ergo est, si sit *a Jure.* » Duae sunt sententiae. – *Prima* di- » cit, omnino requiri monitionem; et » hanc tenent Palaus, Suarez, Lay-

1) *Bonacina*, quem P. Ballerini allegat, non absolute affirmativam tenet, sed eamdem, quam Sanchez, distinctionem adhibet. — L. c. sententiam Suarii de ignorantia affectata adducit, et subjungit: « *Sed contrarium mihi videtur probabilius;* nam Superior illo modo loquendi non videtur requirere quamlibet temeritatem, praesumptionem vel contemptum; sed videtur exigere temeritatem et praesumptionem provenientem *ex certa scientia,* aut saltem conjunctam *cum ingenti temeritate.* »

» mann, et Salmanticenses cum Cajetano, Cornejo, Diana, etc., quia » (ut dicunt) cum sententia censurae » ferenda est ab homine, sicut censura lata a jure petit monitionem » a jure, sic ferenda ab homine petit monitionem ab homine. - *Secunda* tamen *probabilior* sententia dicit, *non requiri monitionem;* eamque tenent *Busembaum,* ut supra n. 51., *Bonacina,* [1] *Sanchez;* [2] item Filliuccius, Abbas et Avila apud *Palaum,* [3] qui probabilem putat. *Ratio, quia ad hanc censuram jam habetur utrumque, monitio et contumacia:* monitio, quae facta est ab ipsa lege; tam enim monet lex infligens censuram latae sententiae, quam ferendae; et contumacia, quia ille jam monitus noluit obtemperare. Nec obstat ratio opposita; quia tunc Superior, cum teneat locum primi legislatoris, sicut posset legislator, sic etiam ipse superior potest censuram exequi. - Bene tamen advertunt Suarez, Toletus, et Bonacina cum Navarro, Filliuccio, Felino, etc., quod eo casu *requiritur citatio rei ad censuram declarandam,* cum bene fieri possit, quod reus probabilem sui facti excusationem afferat; *nisi forte,* excipit Bonacina, *crimen sit adeo notorium,* ut evidenter constet, nullam reo competere defensionem. »

P. Gury autem, T. II. n. 941. pag. 831.[4] in genere quaestionem ponit: « An requiratur, ut admonitio delinquentis censuram praecedat? - *Resp. 1°.* Nulla requiritur monitio pro censuris *a jure latis;* quia lex ipsa lata et cognita, satis subditos admonet. *Ita omnes.* - *Resp. 2°.* Requiritur autem admonitio pro censuris *ab homine* ferendis. Ratio est, quia non est *contumax,* qui ante non fuit admonitus de praecepto et de poena adnexa. Imo ex Jure canonico requiritur monitio triplex, vel saltem una, in qua exprimatur, eam valere pro triplici. *Excipe 1°.,* si agatur de censura *ab homine* per sententiam generalem, vel etiam specialem respectu actus futuri; tunc enim non est necessaria admonitio, cum Decretum de ferenda censura admonitionis locum teneat... »

Ad quem textum, P. Ballerini duplicem adnotationem subnectit. - Post primam responsionem Patris Gury, ad verba: « *Ita omnes* », sequentia advertit: « Quamvis censura » *a jure* sit *latae* sententiae, si tamen crimen sit occultum, ad denunciandum seu declarandum quempiam contumacem tamquam censura ligatum, monitio aliqua juridica seu citatio praerequiritur. Secus, nec licita nec valida declaratio evadet. - Quando autem censura *a jure* sit sententiae *ferendae, S. Alphonsus* quidem contra alios plures *probabilius* habet (Lib. 7. n. 55.), nullam monitionem praerequiri. *At sincere dicendum, et Auctores ab ipso citatos abs re afferri, et nulla solida ratione eam opinionem muniri.* »

Ad secundam vero Patris Gury responsionem, cl. Professor subdit: « Clarior erit resolutio, si juxta dicta *in not. praec.* distinguas censuras *ipso facto* incurrendas, a censuris *ferendae* sententiae. Nam in secundo hoc casu, praesertim si crimen se aliquo modo extendat in futurum, *verior est sententia, quae monitionem necessariam censet.* Vid. *Suarez* (de Cens. disp. 3. sect. 9. n. 4.). »

Judice ergo cl. Professore, « *verior* est sententia, quae *monitionem necessariam* censet »; ac de opposita S. Alphonsi doctrina *sincere* dicit: « et *Auctores* ab ipso citatos abs re afferri, et *nulla solida ratione* eam opinionem muniri. » - Videamus itaque, utrum ista sincere dicta, et-

1) Quaest. 1. p. 9. n. 4. — 2) De matr. lib. 2. d. 24. n. 28. — 3) De cens. disp. 1. p. 5. n. 6. — 4) In altera edit. pag. 668.

iam recta et vera sint; atque hunc in finem, 1. *Auctoritates*, 2. *Rationes* examinabimus.

Articulus 1.

Utrum Auctores a S. Alphonso pro sententia negante citati, abs re afferantur.

I. Pro ista sententia S. Doctor, ut ex textu supra relato patet, quatuor Auctores adducit, nimirum: *Busembaum, Bonacinam, Sanchez* et *Palaum* cum aliis. Quid ergo doceant, videamus.

1. *Busembaum*, loco cit. n. 51. dicit: « (Censura invalida est) Secundo, si substantialis ordo judicii praetereatur, ut, si reus non citetur, nec moneatur sub comminatione censurae. Ratio, quia non est contumax, qui ante non fuit monitus de praecepto, et poena adnexa. Quod tamen intellige de censura ab homine lata per sententiam particularem; quia *quae fertur a jure, vel per sententiam generalem, vel etiam specialem, respectu tamen actus futuri, non eget alia monitione; cum lex, aut sententia, seipsa satis monet.* Idem est de sententia non illativa censurae, sed declaratoria tantum: quia absque alia monitione declarari potest censura incursa, quando crimen, cui est annexa, commissum esse evidenter constat. »

Dicit hic Busembaum, censuram, quae *a jure* fertur, *monitione non egere;* et cum non distinguat, utramque speciem comprehendit, tum illam quam lex seu statutum ipso facto fert, tum alteram quam comminatorie fert. Id patet etiam ex ratione allegata, cur, quoad censuram ab homine latam per sententiam particularem, monitio requiratur: « *quia non est contumax, qui ante non fuit monitus de praecepto et poena annexa.* » At vero si comminatio censurae jure continetur, opus non est monitione de praecepto et de poena comminatorie adnexa; utrumque enim habetur in lege vel statuto, promulgatione speciali non egente. Quapropter qui delictum perpetrat, quod sub comminatione censurae prohibitum esse novit, jam contumax est, quod nemo negat. Ut autem ejus contumacia juridice comprobetur, ipsius *citatio* necessaria est; qua praemissa, numquam fieri potest, quod non contumax ligetur. Et ideo dicit Busembaum, censuram invalidam esse, si substantialis ordo judicii praetereatur, et reus nec citetur, nec moneatur sub comminatione censurae.

2. *Bonacina* l. c. dicit: « *3.* Sed modo dubium est primo, utrum in censuris comminatorie latis pro futuris culpis, requiratur *admonitio distincta a publicatione legis seu edicti conditi sub poena excommunicationis:* ut, si excommunicatio hoc pacto feratur: Clerici, qui Moniales sine facultate superioris alloquuti fuerint, excommunicabuntur?»

« Respondent Covarruvias, [1] Suarez, [2] Cajetanus, [3] et alii apud Covarruviam, *requiri admonitionem peculiarem distinctam a prohibitione legis;* consequenter judicem non posse censuram contra delinquentem statim absque ulla praevia monitione inferre. Ratio est, tum quia in Cap. *reprehensibilis, de appellationibus,* ab onere denuntiationis faciendae excipitur solum, quando censura est ipso jure lata; exceptio autem firmat regulam in casibus non exceptis, ut multis probat Everardus *in loco ab except. ad regul.* Tum quia de necessitate censurae est, ut ipsam admonitio praecedat; praeceptum autem latum sub poena excommunicationis ferenda non continet admonitionem. Tum quia haec sententia benignior est, et magis suavem reddit censurarum praxim. »

« *4. Sed oppositum mihi verius*

1) 1. P. §. 9. n. 5. — 2) Disp. 3. sect. 8. n. 20. — 3) In Summa, V. *Clericorum peccata*, et V. *Praeceptum.*

videtur. Ratio est; tum quia adest *sufficiens admonitio* ex parte judicis, et *sufficiens contumacia* ex parte delinquentis, qui novit prohibitionem sub poena censurae ferendae: tum quia non est major ratio, cur ad ferendam ipso facto censuram antea comminatorie latam nova requiratur admonitio distincta a prohibitione, non autem requiratur, dum praeceptum, vel prohibitio edita est sub poena censurae ipso facto. Sed ad hanc non requiritur nova publicatio; ergo neque ad illam. Ita ex parte sentit Filliuccius. [1] - Ad primam rationem *C. reprehensibilis*, respondetur, illud loqui de suspensione, et poni loco exempli ad judicandum quid in similibus sentiendum sit. Ad secundam, patet ex dictis, sufficientem admonitionem adesse. Ad tertiam respondeo, me loqui non juxta benigniorem censurarum usum, sed juxta rationis vim, et rigorem.»

Adeo ergo claris et manifestis verbis, *Bonacina* de censuris ferendae sententiae loquitur, ut plane non comprehendamus, quo pacto P. Ballerini affirmare potuerit, ipsum abs re afferri.

3. *Sanchez, S. J.*, l. c. dicit, in casu, quem exponit, sententiam excommunicationis sine ulla monitione ferri posse: « quia (ut bene docent Innocentius, [2] Abbas, [3] Humada [4]) quando praecipitur aliquid sub excommunicationis poena, potest non obtemperans absque alia monitione excommunicari: *nam id praeceptum fuit monitio, et praecessit contumacia non obediendo.* » - Verumtamen Sanchez de censura ferendae sententiae non *a jure*, sed *a judice* pronuntiatae loquitur. Unde S. Alphonsus recte ipsum pro hac sententia supra citaverat; in quantum vero hic, ubi de censuris *jure* contentis agitur, denuo eundem locum citat, id nonnisi inadvertentiae attribuendum est. Fortasse alium locum citare voluit, quem Palaus allegat, nimirum *de Matrim. lib. 9. disp. 32. n. 12. et 13.*, ubi Sanchez quaestionem pertractat, an ad incurrendam excommunicationem non sufficiat scientia juris positivi rem illam prohibentis, sed requiratur etiam scientia ipsius poenae; et sententiam illorum qui requiri negant, probabilem dicit.

4. *Palaus, S. J.*, loc. cit. dicit: « 5. Quoad modum autem ferendi censuram, necessario praecedere debet monitio, seu illius comminatio; quia fertur ob contumaciam et inobedientiam actualem: at qui monitus non est a ferente censuras, non est illi rebellis et inobediens. Ergo absque monitione ligari censura non potest.... Praedicta doctrina explicari potest in hunc modum: nulla censura fertur, nisi pro praeveniendo peccato futuro, vel in satisfactionem praeteriti. *At eo ipso, quo tibi praecipitur sub comminatione censurae vitare peccatum, vel illius praestare satisfactionem, monitus es;* ergo numquam censura ferri potest absque monitione. - 6. Solum est dubium: an, si tibi sub excommunicatione, vel suspensione ferenda prohibeatur, vel praecipiatur aliquod factum, possit judex, *nulla alia monitione* excommunicationis vel suspensionis, sententiam in se inobedientem proferre? Affirmat satis probabiliter Abbas, [5] Sanchez, [6] Filliuccius, [7] Bonacina, [8] Stephanus Davila [9]; eo quod jam inobediens et rebellis mandatis Ecclesiae exstitisti: alias nullius effectus erit comminatio censurae ferendae, si post patratum delictum inferri nequit, sed nova monitione indiget, qua posita poteris censuram effugere.»

Et demum expositis, quae ad monitionem spectant, *n. 12.* dicit: « Adverte, praedictas conditiones pro latione censurae per modum sententiae

1) C. 3. q. 3. n. 95. — 2) C. *Ex parte*, el. 1. n. 4. de verb. signif. — 3) C. *Cum sit Romana*, n. 28. de appell.— 4) Super l. 10. t. 9. p. 1. glo. 1. n. 8.— 5) In Cap. *Cum sit Romana*, n. 28. de appellat.— 6) Lib. 2. de matr. disp. 24. n. 28., et lib. 9. disp. 32. n. 13.— 7) De cens. c. 3. q. 3. n. 95. — 8) Disp. 1. q. 1. punct. 9. n. 4. — 9) De cens. 2. part. c. 5. disp. 1. dub. 5.

requisitas esse. *Nam censura, quae a jure fertur per legem vel statutum, ea sola publicatione et monitione contenta est, quae ad constituendam legem seu statutum requiritur.* »

II. Eadem ergo claritate omni exceptione majore, qua Bonacina, et Palaus de censuris ferendae sententiae, sive ab homine, sive a jure pronuntiatis, loquitur. – De mente *Busembaumii* dubitari potest, quia non satis clara sunt, quae dicit; nullatenus autem de mente *Bonacinae* et *Palai;* nec non *Sanchezii*, in quantum de censura comminata a judice agitur.

Et haec quidem de Auctoritatibus; ad Rationes perpendendas modo transeamus.

Articulus 2.

Utrum revera S. Alphonsi doctrina talis sit, ut nulla solida ratione muniatur.

Testante cl. Ballerinio, non solum Auctores a S. Doctore pro sententia negante citati, abs re afferuntur; sed insuper « *sincere dicendum,... nulla solida ratione eam opinionem muniri.* » Hinc lectorem delegat ad *Suarez,* de Cens. disp. 3. sect. 9. n. 4.

At *sincere* respondemus, falsam esse istam assertionem, et doctrinam S. Alphonsi non modo solidis, verum et *gravissimis rationibus* muniri. – Etenim I. S. Doctor (prout ex allato textu patet) in casu semper requirit *citationem* rei, ad censuram declarandam; et omnino cum Suario convenit, sententiam non esse ferendam in reum *resipiscentem.* II. Convenit autem Suarez cum S. Alphonso, qui tenet, sententiam a judice ferri posse in reum jam *citatum,* sed *contumacem*, quin specialis requiratur monitio, praeter illam juridicam, quae implicite in ipsa citatione continetur. III. Plures Auctores generatim dicunt, *absque praevia monitione* sententiam ferri posse, *casu quo tum delictum, tum contumacia sint notoria.* IV. Auctores vero, qui ad censuras ferendae sententiae indistincte praeviam monitionem requirunt, *rationes* afferunt quae non probant, si *citatio* delinquentis praecessit. V. Demum ex iis quae *Suarez* tradit quoad delicta, quae futurum non respiciunt, nullamque obligationem hominibus, sed soli Deo, satisfaciendi relinquunt, clare etiam patet, doctrinam S. Alphonsi gravissimis rationibus inniti.

Haec igitur breviter enuntiata, paulo fusius examinabimus.

I. Prae caeteris allegandus est *Suarez,* a cl. Professore contra S. Doctoris sententiam adductus.

1. *Suarez,* l. c. dicit: « Aut agitur de delicto commisso, aut de vitando damno, aut opere aliquo, quod timetur. Quando censura est *hujus posterioris generis,* jam diximus, non esse necessariam aliam admonitionem, praeter illam, quae in peccato ipso vel lege continetur; et jura quae de hac admonitione tractant, non loqui de hujusmodi censura: ideoque certum est, Praelatum, qui hoc modo fert censuram in ordine ad futurum, posse terminos ejus coarctare quantum judicaverit expedire, juxta negotii qualitatem et periculum, quod imminere potest. – Si autem censura respicit *delictum jam factum,* non fertur absolute ad puniendum illud, eo quod factum sit, ut supponimus; sed ut ab illo resipiscat, vel pro illo satisfiat, et ex hac parte jam respicit futurum: et ideo ferri non potest sine aliquo genere admonitionis, quia non potest absolute ferri, sed conditionali modo, ut supra tactum est, scilicet: *Nisi intra tale tempus resipueris, vel satisfeceris, talem censuram incurres.* In hac autem forma ferendi censuram *intrinsece includitur admonitio.* – Voluerunt autem jura, ut haec admonitio sit trina, vel formaliter, vel virtute, id est, una pro trina, cum eo temporis intervallo, quod et ad moralem interruptionem et ad humanam consultationem et deliberationem sufficeret. Quia re-

ro negotiorum qualitas, vel instantia non semper permittit tantum tempus concedere sine gravi periculo majoris damni; ideo ipsamet lex humana prudenter addidit, ex necessitate posse judicem tempus illud moderari: in quo includitur, ut possit etiam, si necesse sit, nullam aliam admonitionem praemittere, praeter eam, quae in ipso praecepto, seu sententia conditionata includitur. »

2. Supponit hic Suarez, censuram ferendae sententiae non ferri absolute ad puniendum delictum, eo quod factum sit, sed ut reus ab illo resipiscat, vel pro illo satisfaciat. Verum ex hac suppositione nihil aliud sequitur, nisi *sententiam non esse ferendam*, si citatus *jam satisfecit*, aut *poenitentem* et ad omnem, qua opus est, satisfactionem paratum se exhibet.

3. In hoc autem S. Doctor cum Suario plane convenit, quamvis id expressis verbis in allato textu non dicat, sed ut rem certam et exploratam supponat. — Etenim cit. Libro VII. *n. 122.* docet: « Certum au- » tem est, quod etiam *secuta emen-* » *datione,* vel *satisfacta parte,* ad » cujus instantiam lata est censura, » haec non aufertur sine absolutio- » ne,... *licet, cessante contumacia,* » *censura debeat statim absolvi...* » — Et haec est sententia *communis,* ut testantur *Salmanticenses:* [1] « Unde est communis Doctorum sententia, quod statim ac a peccato resipuerit, emendatus fuerit vel satisfecerit, tollenda est ab eo censura: quia est per modum medicinae, quae, salute consecuta, cessare debet. Cap. *Qua fronte,* de appellationibus; cap. *Ex litteris,* de constitutionibus. » — Si ergo reus resipiscens, qui censuram jam contraxit, non est denuntiandus, sed absolvendus, tanto minus, ut per se patet, sententia censurae in *resipiscentem* ferri potest.

4. Si autem reus nondum satisfecit, at vero vel cautionem vel juramentum praestat, se satisfacturum esse, quantocius potuerit, similiter statim absolvendus est. Et etiam « *quando reus impotens est ad sa-* » *tisfaciendum, tunc judex eum ab-* » *solvere bene potest, imo tenetur, et* » *valet compelli; quia cessante con-* » *tumacia, debet reus absolvi* »; ut dicit S. Doctor *n. 128.* — Nullus ergo secundum ejus doctrinam casus est, in quo reus resipiscens, qui censuram contraxit, denuntiandus, et consequenter a fortiori nullus, in quo sententia ferenda esset in resipiscentem.

5. Insuper S. Alphonsus *Bonacinam* citat, qui [2] docet, dum declarandum est, aliquem in censuram incidisse, *citationem* necessariam, et sententiam inaudita parte latam irritam esse; pluresque Auctores allegat: « Ita *Panormitanus,* [3] asserens, non esse denuntiandum aliquem excommunicatum ob clerici percussionem, nisi ipso antea citato, et receptis etiam probationibus super veritate facti: [4] nisi forte excessus sit adeo notorius et manifestus, ut expresse constet, absque indagine nullam competere reo defensionem aut excusationem a delicto. Idem tradit *Glossa,* [5] *Toletus,* [6] *Felinus,* [7] *Navarrus,* [8] *Alterius,* [9] affirmantes, sententiam declaratoriam, quod aliquis inciderit in censuram, ferri non posse absque citatione, et antequam audiatur, vel contumax judicetur, et declarationem absque citatione et auditione factam ipso jure nullam esse; consequenter non obesse, quominus acta facta per obstrictum censuris subsistant et valeant, nisi forte delinquens esset excommunicatus ob notoriam clerici percussionem; nam

1) Tr. 10. c. 1. n. 120. — 2) De Cens. disp. 1. q. 1. punct. 9. n. 4. V. *Quarto.* — 3) In C. *Pervenit* 1. n. 5. de appellat. — 4) C. *Cum secundum leges,* de haereticis in 6. — 5) In C. *Sacro,* v. *Constiterit* de sent. excom. — 6) Lib. 1. c. 45. n. 3. vers. *Adverte.* — 7) In C. *Rodulphus* n. 9. de rescript. — 8) Consil. 56. n. 5. de sent. excom. — 9) T. 2. de suspens. disp. 7. c. 2. vers. *Verum advertendum,* vers. *Tandem illud,* col. 5. et 6., et de Interdict. disp. 10. c. 3. col. 5.

hujusmodi excommunicatus est vitandus et non toleratus, consequenter actus jurisdictionis ab ipso facti irriti videntur, ut alibi probavi. » – Si autem citatus resipiscit et poenitentiam agit, contumax judicari non potest.

6. Non quidem de sententia *illativa* loquuntur isti Auctores, sed de *declaratoria;* merito tamen, quae de hac dicuntur, S. Doctor ad alteram extendit, quia *eadem ratio pro utraque currit.* – Quemadmodum enim per hanc sententiam judex declarat, reum reapse crimen perpetrasse, cui censura *ipso facto* adnexa est, et ideo eadem censura ligatum esse: ita per alteram judex declarat, reum reapse crimen perpetrasse cui censura *comminatorie* adnexa est, et ideo eadem censura ipsum ligat. Utraque sententia *contumaciam delinquentis* supponit, et in utraque judex executor est poenae a lege vel a Superiore injunctae. – Unde Bonacina, punct. 13. n. 5. (quem locum S. Alphonsus similiter citat) docet, reum non statim post delictum, quantumvis notorium, denuntiandum, sed *citationem* et *sententiam criminis declaratoriam* praemittendam esse. Et duplicem rationem allegat: tum quia denuntiatio est quaedam executio poenae injunctae; tum quia fieri potest, ut citatus innocentiam suam probet, aut probabilem facti excusationem adferat.

7. Consentit ergo S. Alphonsus cum Suario, in eo quod sententiam ferre non liceat in reum *resipiscentem.*

II. Quid autem, si delinquens citatus citationi non obtemperet, aut quidem compareat, at *nequaquam resipiscens* et poenitentiam agens, satisfactionem nec praestitit nec ad eam praestandam paratum se declarat, sed *in contumacia sua persistit?*

1. In hoc casu *S. Alphonsus* tenet, judicem sententiam ferre posse *sine alia monitione* praeter illam juridicam, quae implicite ipsa citatione continetur.

2. Idem tenet etiam *Suarez.* Subsequente enim Sectione 10., quoad censuras ferendae sententiae inquirit: « *Utrum admonitio adeo necessaria sit, ut nullam exceptionem patiatur?* » et *n. 8.* dicit:

« Quarta exceptio est, quando jam est cognita et *manifesta contumacia,* ut, quia reus antea praedixit, et publicavit se non pariturum. Quae exceptio, ut aliquam probabilitatem habeat, explicari debet per illam, quam Theologi adhibere solent ad praeceptum de correctione fraterna: tunc enim dicunt omittendam esse, *quando non est spes fructus,* quia tunc actio esset otiosa; ita ergo in praesenti, si tanta sit cognita contumacia, et moraliter nulla sit spes fructus admonitionis, merito videbitur omittenda. – Quae quidem causa videtur mihi sufficiens, quantum ad forum *conscientiae* spectat, *ad omittendam trinam admonitionem, seu praeviam, et ut statim ferri possit censura,* quae ipso facto incurratur perseverante contumacia; non tamen videtur haec causa posse aliquando sufficere, ut juste omittatur haec conditio et *admonitio in illa inclusa.* Quia, quantacunque appareat in praesenti contumacia peccatoris, potest, quando contra illum profertur censurae sententia, mutari; et semper manet in illo hoc jus, ut si pravam voluntatem mutet et parere velit, possit censuram evitare. Neque refert, quod sit parva vel moraliter nulla spes talis mutationis: quia hoc non tollit, quin illi servandum sit jus suum. Deinde, quia intentio etiam Ecclesiae in his censuris ferendis est, ut non ita ferantur propter peccata commissa, ut existimentur inevitabiles ex parte ipsius Ecclesiae, si peccator illam audire velit et obedire. Unde talis admonitio non fundatur solum in spe fructus, sed etiam in debito et juridico usu ipsius censurae. Verum est, quia hae poenae medicinales sunt, interdum esse omittendas, quando non est spes fructus, ut inferius dicemus: tamen

quia per eas non solum intenditur bonum ejus contra quem feruntur, sed etiam aliorum et praesertim communitatis, ideo interdum juste feruntur absque morali spe privati fructus ipsius peccatoris. Et tunc dicimus, servandam esse formam talem in ferenda censura, quae admonitionem contineat. »

« 9. Quod vero spectat ad forum *contentiosum*, proprium est Jurisperitorum id definire. Mihi tamen videtur, idem esse judicandum in illo foro: nam, quantumvis aliquis affirmet, vel etiam juret, se non compariturum, licet citetur, vel non obediturum, licet ipsi aliquid praecipiatur; nihilominus, *donec actu citetur, vel praeceptum ei imponatur*, et ipse non pareat vel compareat, non poterit juste excommunicari, aut excommunicatus declarari. Quia propter prius delictum, ut sic, excommunicari non potest sine ordine ad futurum, et prior contumacia non tam fuit in effectu, quam in affectu, nec tam in re, quam in signis seu verbis: censura autem directe cadit in contumaciam externam, seu actu ipso vel omissione consummatam. »

III. Plures vero Auctores generatim dicunt, sententiam ferri posse *sine praevia monitione*, si utrumque, *delictum* scilicet et *contumacia* delinquentis, *notorium* sit.

1. Sic censent *Covarruvias, Ugolinus* et *alii*, quos citat Suarez, n. 11.

2. Porro inter recentiores accedit *Schmalzgrueber, S.J.*, qui, P. 4. tit. 39. scribit: « *30.* Dub. 2. quando ad censurae legitimam prolationem exigatur monitio praevia? *R.* Tunc solum exigitur, quando infligitur per sententiam specialem et ut vera censura.... *31. Non est opus monitione speciali, quando censura a jure vel per sententiam generalem pro futuris culpis lata est; tunc enim ipso facto incurritur... 32.* Non requiritur monitio, si *delictum* et ipsa etiam delinquentis non resipiscentis *contumacia publica et notoria* foret; cum enim excessus notorius excusatione, examinatione et probatione non indigeat[1]: casu, quo delictum et contumacia publica et notoria est, sententia excommunicationis etc. praeviam monitionem necessario non exposcit. – *33.* Dub. 3., an si quis commisit delictum, cui ipso jure annexa censura est latae sententiae, judex eundem *absque praevia monitione* declarare et denuntiare possit, tanquam ligatum censura? *R.* posse; modo delictum publicum sit et notorium, neque delinquens ejusdem poenituerit. »

3. Si autem delinquens citatur, et citationi non obtemperat, aut comparet at non resipiscit, ejus contumacia non tantum notoria et publica, sed et juridice comprobata est.

4. *Suarez* sententiam, quam n. 11. allegat, non approbat, sed nonnisi eam ob rationem, quia isti Auctores absolute dicunt, nullam monitionem requiri, et nequidem citationem delinquentis exigunt. Ait enim ibidem: « Sed certe, si contumacia praecessit, necesse est monitionem praecessisse; si autem futura creditur, non sufficit. » – At vero si reus citatur, et citationi non paret, aut comparens non resipiscit, Suarez sufficientem, ut supra vidimus, censet hanc *citationem*, quam Sect. 10. *monitionem juridicam* vocat.

IV. Illi autem Auctores, qui quoad censuras ferendae sententiae indistincte *praeviam monitionem requirunt*, adferunt *rationes*, quae non quadrant, si *citatio* delinquentis praecessit. – Quod jam ex praecedentibus patet, et late exponit *Continuator Tournely*, qui[2] propositionem propugnat, probabilius esse, monitionem non esse necessariam, ut de facto feratur censura contra eum, qui trans-

1) Can. *Manifesta* 15. etc. causa 2. q. 1., C. *Bonae* 23. ¶. *Porro de elect.*, C. *Evidentia* 9. de accusat. — 2) De cens. p. 1. c. 3. art. 4. sect. 1.

gressus est legem censurae comminatoriam; et argumenta et objectiones adversariorum egregie confutat.

1. « Objiciunt 3. Censura ferri non potest ob crimen praeteritum et emendatum: atqui si Judex censuram ferendae sententiae exequeretur contra reum absque monitione, fieri posset, ut ea ferretur propter crimen praeteritum et emendatum. Quid enim, si reum culpae poeniteat, ita ut pro ea satisfacere paratus sit? An tunc excommunicari poterit, qui si antea censuram incurrisset, ab ea potius absolvi deberet? »

Ad quam objectionem respondet, huic incommodo obviam iri per *citationem.* Si citatus citationi non obtemperat, fieri quidem potest, quod eo momento, quo sententia fertur, resipuerit et Deo satisfecerit; nihilominus autem valide et juste ligatur, quia *non coram Ecclesia resipuit,* et ideo postmodum absolvendus est.

2. Aliam objectionem *Cont. Tournelii* sic refert: « Censura, quam lex minatur, de facto non fertur a lege, sed ab homine; ergo debet praeviam habere monitionem ab homine. Probatur consequens: Non potest a lege excommunicari ipso facto, nisi ob spretam legis monitionem, unde oriatur contumacia contra legem; ergo nec potest quis excommunicari ab homine, nisi ob spretam hominis monitionem, unde oriatur contumacia contra hominem. »

« Respondeo negando utramque consequentiam. Sicut enim spreta lege, quae censuram *ipso facto* incurrendam declarat, satis spernitur *legislator,* neque nova opus est monitione, ut quis contra eum contumax esse intelligatur; ita spreta lege, quae censuram *comminatur,* satis spernitur *persona* illius, qui legem tulit. »

3. Insuper, cum citatio monitionem judicis includat, reus jam habet illam *monitionem ab homine,* quam adversarii requirunt; et, praemissa citatione, sententia contra ipsum fertur propter spretam monitionem tam legislatoris, quam judicis, et duplicem contumaciam inde procedentem.

4. Et demum ad argumentum positivum, quod adversarii ex C. *Reprehensibilis* de appellationibus deducunt, quasi ibidem diceretur, ad omnem censuram, quae non ipso facto incurritur, monitionem requiri, *Continuator Tournely* respondet: « Non nego requiri monitionem, *nego requiri novam ab homine:* unde tota oppositio, quae inter duas objecti Canonis partes existit, inde desumenda est, quod in prima Canonis parte, ut feratur censura in eum, qui gravem admisit culpam sub censura prius non prohibitam, requiratur monitio ab homine, qua contempta, fit aliquis contumax; et hanc quidem monitionem non raro praetermittebant Episcopi tempore Concilii Lateranensis, in quo decretum hoc conditum est. In secunda vero Canonis parte indicatur, sufficere monitionem, quae fit per legem ipsam, ita ut non requiratur nova monitio ab homine, sed sufficiat commissio culpae, quae sub excommunicationis comminatione prohibita fuerat: talis enim culpa dici potest censuram inducere, sicut in judicio saeculari dicitur crimen aliquod inducere poenam mortis, non quasi eam ipso facto inducat, sed quod reum in eo constituit statu, in quo potest judex adversus eum ferre mortis sententiam. »

V. Ad complementum hujus materiae, addimus quae *Suarez*[1] dicit de delictis, quae futurum non respiciunt, nullamque obligationem hominibus satisfaciendi relinquunt.

1. Ait ergo: « Si delictum tale sit, ut *nullo modo extendatur in futurum,* sed simul ac consummatur omnino transeat, nulla relicta obligatione restituendi, vel satisfaciendi respectu hominum, sed *tantum respectu Dei,* tale delictum *non posse*

1) Sect. 10. n. 21.

prohiberi per legem comminatione censurae ferendae, sed vel ipso jure imponi debere, aut nullo modo. »

2. Quocirca *Filliuccius, S. J.,*[1] sequentia advertit. *N. 92.* quaestionem ponit: « An requiratur admonitio in censura ferendae sententiae? Exemplum est. Si prohibeatur ingressus in sacellum aliquod viris tali die, sub poena excommunicationis. Titius transgreditur: *poteritne excommunicari absque alia admonitione?* » – Et exposita hujus quaestionis duplici sententia, affirmativa, quam probabilem vocat, et negativa, sic pergit: « Pro solutione respondeo, et dico primo, absolute loquendo et regulariter *veriorem videri secundam* (negativam) *sententiam;* tum quia benigniorem facit usum censurarum, tum quia videtur conformior juri, tum quia, si in denuntiatione censurae incursae, primo citanda est pars, et offerente hac satisfactionem, desistendum est a denuntiatione; multo magis admonitio facienda erit ei, qui praeceptum transgressus est, ut, nisi det satisfactionem, ipso jure incidat in excommunicationem. Poterit enim, hac admonitione praemissa, offerre satisfactionem, et pro transgressione facta imponi alia poena vindicativa, non excommunicatio, quae poena est medicinalis, non vindicativa. »

« Dico secundo. Quando delictum esset tale, ut *nullo modo extenderetur in futurum,* sed tantum relinqueret *obligationem satisfaciendi Deo, probabilius videtur, tunc posse procedi ad executionem,* si alias transgressio fuit *notoria* et auctor est notus. Ratio, quia alias nullius efficaciae esset comminatio ejus censurae, *si expectanda esset alia admonitio,* et daretur occasio ejus vitandae ob securitatem poenae non infligendae absque transgressoris nova contumacia; quod apparet in exemplo posito non ingrediendi in aliquod sacellum sub poena excommunicationis. Quod enim addit *Suarez* n. 21. in fine, vel imponi debere censuram ipso jure, vel nullo modo sub comminatione, *est contra praxim.* Cum ea ratione videamus in multis locis ferri censuram eo pacto, ut potius defendenda sit communis praxis, quam improbanda, nisi manifesta ratio in contrarium urgeat; et sic patet, quid unaquaeque ex sententiis allatis habeat veritatis. »

3. Sed et aliae gravissimae rationes sententiae Suarii obstant, atque illam *S. Alphonsi* vindicant, qui generatim in censuris ferendae sententiae admonitionem canonicam non esse necessariam docet, verumtamen semper citationem delinquentis requiri. – Si enim ejusmodi delicta sub censura *ferendae* sententiae prohiberi non possent, nec possent sub censura *ipso facto* incurrenda; nam censurae sunt poenae medicinales et non vindicativae, sive ferendae sive latae sententiae sint.

4. Porro, quod est summa rei, propter ejusmodi delicta non tantum Deo, sed et *Ecclesiae* satisfaciendum est propter scandalum, quod dat sciens delictum speciatim ab Ecclesia sub comminatione censurae prohibitum esse, et nihilominus illud perpetravit. Idcirco etiam in hisce delictis, censurae ferendae sententiae semper *futurum* respiciunt. Si enim citatus poenitens comparet, se humiliat, et ad poenitentiam pro delicto accipiendam paratus est, satisfactionem Ecclesiae debitam praestitit; et ideo in emendatum censura non est ferenda. Si autem citationi non paret aut impoenitens comparet, propter contumaciam ligari potest; imo *ratione scandali publici,* necessitas ipsum ligandi accedit.

SIT IGITUR CONCLUSIO:

1. Ad quaestionem: « *An requiratur monitio, si censura sit comminata a Jure ferendae sententiae* », S. Alphonsus respondet, eo casu sem-

1) De cens. tr. 1. c. 4.

per *requiri citationem rei* ad censuram declarandam, nisi delictum et contumacia sint notoria ; convenit etiam cum Suario, sententiam non esse ferendam in reum *resipiscentem ;* docet autem, in reum *contumacem* ferri posse sententiam, *absque alia praevia monitione,* praeter juridicam delinquentis *citationem,* quia ista jam monitionem includit. Et attentis tum Auctoritatibus, tum gravissimis rationibus, S. Doctor hanc opinionem optimo jure *probabiliorem* censet.

2. Hinc cl. Professor *sincere* quidem credere potest, sed haud recte affirmat: « *et Auctores ab ipso* (S. Alphonso) *citatos abs re afferri, et nulla solida ratione eam opinionem muniri.* »

QUAESTIO IV.

An Monitio canonica facienda sit in scriptis.

(S. Alph. Lib. VII. n. 56. — P. Ball. Tom. II. n. 941.)

Lib. VII. n. 56. S. Alphonsus conditiones exponit in monitione canonica servandas; quocirca inter alia advertit: « *Notandum 3.* Quod monitio debet fieri ab ipso judice, vel ab alio ejus nomine. Et si censura imponitur *in commodum partis, ad illius instantiam* citatio fieri debet; ita Suarez, Bonacina, et Salmanticenses cum aliis. *Debet etiam monitio fieri in scriptis, nisi judex procedat ex officio,* prout tenetur aliquando ob bonum commune, ex C. *Venerabilibus,* §. *Porro, de sent. exc. in 6.* Quia tunc sufficit, si monitio fiat *oretenus,* ita tamen ut probari possit in foro. Ita *Salmanticenses* cum Giballino et Cornejo, ex C. *Sacro, de sent. excomm.* »

De hac materia P. Gury nihil habet. Verum P. Ballerini, T. II. pag. 832.[1] ad secundam Adnotationem in praecedenti Quaestione relatam, sequentia subnectit: « De solemnitatibus vero in monitione servandis, vid. *Suarez* (cit. disp. 3. sect. 9. et seq.) ac *Bonacina* (de cens. disp. 1. q. 1. p. 9.). Illud autem adverte, *Palaum* (de cens. disp. 1. p. 5. n. 9.), *a quo dein exscripserunt Schmalzgrueber* (lib. 5. tit. 39. n. 28.) *et Reiffenstuel* (eod. tit. n. 25.) adstruxisse necessitatem faciendi monitionem *in scriptis,* quasi id caveatur in Cap. *Medicinalis* 1. de sent. excomm. in VI; *quam itidem opinionem S. Alphonsus ex lapsu oculi perperam*[2] *putavit, se reperisse apud Salmanticenses, qui reipsa oppositum docent.* At enim in Cap. *Medicinalis* non de monitione sermo fit, sed de sententia excommunicationis ; *corruit ergo totum illius opinionis fundamentum, quae alioquin est contra communem aliorum Doctorum.* »

Iterum ergo habemus *lapsum oculorum* S. Alphonsi , qui jam tot in quaestionibus perperam *Salmanticenses* exscripsit! Ast, nec in praesenti quaestione rectiores nobis videntur oculi cl. Professoris; etenim I. S. Doctor *non generatim* scripturam requirit; II. *Salmanticenses* recte allegat; III. Ejusdem sententiae non desunt *rationes* intrinsecae; IV. *Palaum, Schmalzgrueber* et *Anacletum Reiffenstuel,* P. Ballerini immerito impugnat; V. Demum *plures Auctores* scripturam requirunt, quin vel Palai, vel C. *Medicinalis* auctoritatem invocent.

I. Prae caeteris advertendum est, quod S. Doctor non generatim scripturam requirat, prout falso cl. Pro-

1) In altera edit. pag. 668. — 2) Ibidem deest vox: *perperam.*

fessor supponit; sed pro illis tantum monitionibus, quae *ad instantiam partis privatae* fiunt.

II. P. Ballerini asserit: « *quam* » *itidem opinionem, S. Alphonsus* » *ex lapsu oculi perperam putavit* » *se reperisse apud Salmanticenses,* » *qui reipsa oppositum docent.* » - Sed ipse potius, perlegendo textum Salmanticensium, hallucinatione oculorum laborasse videtur.

1. Dicunt enim *Salmanticenses*[1]: « Inquires primo: *Quomodo dicta monitio debeat fieri?* - Respondetur in primis, debere fieri ab ipso judice, vel nomine illius qui habet citationis vim, quae nomine et auctoritate ejus, a quo fertur, debet fieri: et quia censura non incurritur nisi per inobedientiam et contumaciam contra mandatum Superioris, quae non datur, nisi nomine ejus monitio fiat: Suarez, Bonacina; et quando in commodum alicujus particularis fertur, ad instantiam illius debet fieri. *Si vero in bonum commune,* ex proprio motu judicis potest procedere: quia ex officio ad hoc tenetur, Cap. *Venerabilibus,* §. Porro de sent. excom. in 6., *non requiritur, quod fiat in scriptis,* bene tamen coram testibus idoneis, quibus in foro exteriori probari possit; C. *Sacro* de sent. excom. Diana, Giballino, Cornejo. »

2. Cum ergo Salmanticenses dicant: « Si vero in bonum commune, ex proprio motu judicis potest procedere,... non requiritur, quod fiat in scriptis»; - necessario concludendum est, *requiri, ut fiat in scriptis, quando monitio fertur in alicujus particularis commodum ad ejus instantiam.* Secus verba illa sanum sensum non funderent, et Salmanticenses potius dicere debuissent: Sive monitio in alicujus particularis commodum, sive in bonum commune feratur, numquam requiritur, ut fiat in scriptis.

III. Nec desunt *rationes intrinsecae.* Nulla quidem lex et nullus textus Juris expressis verbis praescribit, ut monitio in scriptis fiat; at vero plures textus existunt *pro similibus intimationibus* scripturam praescribentes, qui optimo jure ad monitiones extendi possunt, juxta notam illam regulam: *Ubi eadem est ratio, ibi eadem currit legis dispositio.*

1. *Suarez*[2] explicans, monitionem fieri debere auctoritate et nomine judicis, qui sententiam laturus est, dicit: « Ratio est manifesta, quia admonitio talis esse debet, ut, si quis non pareat, contumax et inobediens existat, quod esse non potest, nisi admonitio auctoritate Superioris facta sit. Canonistae addunt aliam rationem, nimirum quod haec admonitio habet vim citationis: citatio autem, ut sit alicujus momenti, judicis auctoritatem requirit. De quo late Abbas.[3] Qui etiam addunt, quando censura ferenda est in commodum alicujus privatae personae, tunc oportere admonitionem fieri ad instantiam ejus, quia habet vim citationis: et citatio, ut valida sit, ad instantiam partis fieri debet, quia propter privatam utilitatem non debet judex proprio motu suum officium interponere.»

2. Omissa autem hac *monitione,* quae *vim citationis* habet, aut non rite peracta, sententia lata sine dubio invalida esset; et ideo *omnes cautiones* adhibendae sunt, ne hujusmodi sententiae temere ferantur. Si monitio *oretenus* fit, evenire potest, quod nuntius debito modo munere suo non fungatur, praesertim cum Glossa in C. *Constitutionem,* et plures Theologi et Canonistae tenent, *causam* esse inserendam, propter quam fit monitio. Si vero monitio *litteris* consignata, coram testibus ipsi, ad quem spectat, legitur aut traditur, omnes exceptiones praecluduntur; et nihil excogitari potest, quo validitas monitionis in dubium revocetur.

3. Cum autem Innocentius IV. *C. Cum medicinalis, de sent. excom.*

1) Tr. 10. c. 1. n. 95. — 2) Disp. 3, sect. 11. n. 1. — 3) In C. 1. de judiciis, n. 33.

in 6. praescripsit: « Quisquis igitur excommunicat, *excommunicationem in scriptis proferat,* et causam excommunicationis expresse conscribat », idque similiter in *suspensionis* et *interdicti* sententiis observari voluit; recte colligitur, eamdem formam etiam in *monitionibus* esse servandam. – Si enim, ut omnes dicunt, Pontifex hac forma impedire intenderat, ne censurae *temere et imprudenter* fulminentur; eadem ratio pro monitionibus currit, et quidem *a fortiori* pro iis, quae *in commodum personae privatae* fiunt et *vim citationis* habent.

4. Porro in Clement. *Causam 3. de elect.* praescribitur, *appellationem* appellato *sub scriptura authentica* esse intimandam; et in fine dicitur: « Idem quoque *in aliis casibus* observari volumus, in quibus requiritur *intimatio* facienda. »

5. Item in C. *Constitutionem, de sent. excomm. in 6.,* quoad participantes excommunicatis praecipitur, *ut ii qui monendi sunt, nominatim exprimantur:* quibus verbis, secundum communem usum loquendi, *monitio litteris consignata* significatur. – Nec dicendum, hanc dispositionem adeo particularem esse, ut ad alios casus extendi nequeat; nam ratio particularis solummodo exigit, ut participantes non generaliter, sed singuli singillatim moneantur.

6. Certum denique est, monitiones *jam antiquis temporibus* litteris consignatas fuisse; ut patet ex Glossa supra citata ad C. *Constitutionem,* quae non tantum monitionem *scriptis* fieri debere, sed etiam *causam* inserendam esse dicit. Et ideo accedit *consuetudo generalis,* quae legem in hoc sensu interpretatur, et vim legis sibi vindicat, ex axiomate ab omnibus recepto: *Consuetudo optima legum interpres.*

IV. Cl. Professor insuper advertit, « *Palaum* (de cens. disp. 1. p. 5. n. 9.), » *a quo dein excripserunt Schmalz-* » *grueber* (lib. 5. tit. 39. n. 28.) et » *Reiffenstuel* (eod. tit. n. 25.), *ad-* » *struxisse necessitatem faciendi mo-* » *nitionem in scriptis, quasi id ca-* » *veatur in Cap.* Medicinalis 1. de » sent. excom. in VI... *At enim in* » *Cap.* Medicinalis *non de monitione* » *sermo fit, sed de sententia excom-* » *municationis.* » – At vero, nec Palaus, nec clarissimi duo Canonistae Cap. *Cum medicinalis* in hunc finem allegant; et si hoc fecissent, per analogiam allegassent. Quomodo enim praesumi potest, tantos viros ignorasse, celeberrimum Cap. *Cum medicinalis* non de monitione loqui, sed de sententia?

1. *Palaus, S. J.,* l. c. n. 9. dicit: « Secundo, haec *monitio* debet fieri *in scriptis* continentibus *causam,* pro qua censura fertur, quaeque tradi debet reo, cui censura imponitur. » – Nullum autem textum Juris pro hac assertione adfert; sed statim sermonem ad sententiam excommunicationis convertit, quam similiter scripto proferendam esse dicit: « Quod si judex (nisi fuerit Episcopus) absque urgenti causa, solo verbo, et non scripto excommunicationem protulerit, ab ingressu Ecclesiae, et divinis officiis, ipso jure suspenditur per mensem; et si intra illud tempus se divinis ingesserit, fit irregularis. Quae omnia habentur in Cap. 1. de sent. excomm. in 6. Dixi: *excepto Episcopo;* quia Episcopus sub praedicto decreto non comprehenditur: cum illius non fuerit mentio expresse facta, juxta textum in Cap. *Quia periculosam* de sent. excomm. in 6. Dixi: *absque urgenti causa;* nam ea stante, non solum valide, sed licite verbotenus excommunicatio proferri potest; siquidem textus in d. Cap. 1. *Cum medicinalis* de sent. excomm. in 6., temeritatem requirit; inquit enim: *Si quis judicum hujusmodi Constitutionis temerarius extiterit violator:* et notavit Glossa ibi, et Stephanus Davila.[1] »

2. Similiter *Schmalzgueber, S. J.,*

1) De cens. 2. p. c. 2. dub. 3.

loc. cit.: « Haec monitio debet fieri *in scriptis*, quae continere debent causam, pro qua censura imponitur, et tradi reo, cui illa imponitur. Quodsi vero judex (nisi fuerit Episcopus) absque urgenti causa, solo verbo, et non scripto excommunicationem intulerit, ab ingressu Ecclesiae et divinis officiis ipso jure suspenditur per mensem, et si illo tempore se divinis ingesserit, fit irregularis; prout habetur C. *Cum medicinalis* l. h. tit. in 6., *Palao,* [1] *Vallensis,* [2] *Wiestner,* [3] *Reiffenstuel* [4] cum aliis. »

3. *Reiffenstuel* autem l. c. simpliciter dicit, Palaum velle, ut monitio fiat in scriptis: « Porro, ut monitio haec legitime fiat, debet fieri in scriptis, ut vult Palao, [5] et coram testibus tradi vel legi ipsi personae excommunicandae; C. *Sacro* 48. h. tit. ibi: *Personis praesentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio.* »

4. Similiter *Ferraris:* [6] « Et talis monitio debet fieri *in scriptis* cum expressione causae, et nominis tam ejus, qui fert, quam ejus contra quem fertur censura, *maxime excommunicationis,* ut vult Palao, et alii passim; et coram testibus tradi vel legi ipsi personae excommunicandae; cap. *Sacro* 48. de sent. excomm., ibi: *Personis praesentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio.* »

V. Sunt autem et alii Auctores, qui scripturam requirunt, et nec cap. *Cum medicinalis,* nec *Palaum* allegant.

1. *Lacroix, S. J.,* [7] dicit: « Ut incurratur censura ipso facto a jure lata, aut etiam ab homine per sententiam generalem et publicam circa delicta futura, non praerequiritur ulla monitio; quia jus et statutum censuram imponens, cum sit publicum et permanens, semper monere intelligitur, uti recte Busembaum, Delbene, [8] Engel. [9] Quod si censura feratur ab homine ob culpam commissam, ut censeatur contumax, praerequiritur monitio ad instantiam partis laesae, et auctoritate ejus, qui censuram feret, facta personaliter ipsimet censurando coram testibus, aut si dolose lateat, in ejus domo vel ecclesia, aliove loco publico, atque trina et *in scripto,* additis causis, et concessis debitis intervallis, v. gr. duorum saltem dierum; ita *De Luca,* [10] *Pignatelli.*» [11]

2. *Pichler, S. J.,* [12] ait: « Ut per sententiam particularem rite feratur censura, regulariter debet praecedere monitio, eaque trina vel una peremptoria... *3.* item *facta... expressione causae.* »

3. *Concina* [13] scribit: « Duplex distingui monitio solet: altera *non canonica,* quae est ipsum praeceptum juris vel hominis, aliquid sub poena censurae praecipiens aut prohibens; *canonica* altera, et est illa, quae juxta Canones, judicis auctoritate reo intimatur personaliter coram testibus *in scriptis,* ut a culpa, quae in ipsa monitione explicatur, resipiscat. » – Postea vero *n. 6.* dicit: « Monitio haec a judice aut ejusdem nomine fieri debet *vel in scriptis, vel voce coram testibus idoneis.* »

4. Idem tenent *Covarruvias, Ugolinus* et alii, quos citat Suarez, sect. 10., quamvis ipsis non adhaereat.

HINC CONCLUDIMUS:

1. Recte docet S. Alphonsus, monitionem canonicam faciendam esse *in scriptis,* non quidem generatim, sed pro illis tantum monitionibus, quae fiunt *ad instantiam partis privatae.*

2. Caeterum quoad praxim, haec quaestio *haud magni momenti* est; tum quia *ex consuetudine generali*

1) P. 5. cit. n. 9. — 2) *§.* 2. n. 5. — 3) Num. 23. — 4) Num. 25. — 5) Tr. 29. disp. 1. punct. 5. n. 9. — 6) Verb. *Censura,* n. 22. — 7) Lib. 7. n. 73. — 8) C. 2. d. 4. sect. 22. — 9) Lib. 5. t. 39. n. 8. — 10) De Benef. disc. 60. n. 7. — 11) T. 6. cons. 19. n. 4. — 12) Lib. 5. tit. 39. n. 9. — 13) De cens. diss. 1. c. 3. n. 4.

monitiones alioquin *in scriptis* fiunt; tum quia praefati Auctores scripturam requirunt, ut monitio *legitima* sit, non autem quasi omissio hujus formae latam sententiam invalidam redderet. Quod per se intelligitur; cum, juxta sententiam communem (ut testatur *Suarez,* [1] cui et ipse adhaeret), judex, qui monitiones sine necessitate penitus omitteret, graviter quidem peccaret, sed sententia lata idcirco non esset invalida.

QUAESTIO V.

An Papa, ex plenitudine potestatis, possit committere mulieri facultatem ferendi censuras.

(S. Alph. Lib. VII. n. 12. — P. Ball. Tom. II. n. 943.)

S. Alphonsus, Lib. VII. n. 12. respondet: « *Probabilius negant* Salmanticenses cum S. Thoma, Coninchio, Soto, etc., contra Croix cum Paludano, Leandro, etc. Ratio, quia potestas haec data est Apostolis et eorum successoribus, quibus traditae sunt claves Ecclesiae; *potestas autem clavium nullo modo mulieribus tradi potest.* »

T. II. n. 943. ad 3. pag. 834., [2] *P. Gury* item ait: « ... *Mulieres, ne ex delegatione quidem, censuras ferre possunt.* » — Quocirca P. Ballerini advertit: « Quoad foeminas, *S. Alphonsus* (Lib. 7. n. 12.) post Salmanticenses (de Cens. cap. 1. n. 48.) censuit, incapacitatem jurisdictionis *probabilius esse juris divini.* Alii contra putant, *probabilius esse juris mere humani,* atque adeo *posse* Pontificem, ex plenitudine potestatis, eis delegare facultatem ferendi censuras. Praeter alios, quos allegant Salmanticenses (l. c. n. 47.), hanc sententiam tenent Sayrus, Suarez, Laymann, Palaus, Pirhing, Croix apud Schmalzgrueber (Lib. 5. tit. 39. n. 16.) qui ipsis adhaeret. »

Cum cl. Professor quaestionem hanc *mere speculativam* attingat, eamdem et nos breviter attingemus.

1. *Salmanticenses,* l. c. sententiam negativam probabiliorem dicunt, multisque argumentis probant, et pro ea S. Thomam, [3] Coninchium, Cornejum, Avilam et P. Antonium Salmanticensem Scholasticum allegant; quibus et recentiores, ut Wigandt, Concina, Billuart, accesserunt.

2. *S. Thomas,* l. c. dicit: « Mulier, secundum Apostolum, est in statu subjectionis; et ideo ipsa non potest habere aliquam jurisdictionem spiritualem: quia, etiam secundum Philosophum, [4] *corruptio urbanitatis est, quando ad mulierem pervenit dominium;* unde mulier non habet neque clavem *ordinis,* nec clavem *jurisdictionis.* Sed mulieri committitur aliquis usus clavium, sicut habere correptionem in subditas mulieres, propter periculum quod imminere posset, si viri mulieribus cohabitarent. »

3. *Suarez* autem, quem Schmalzgrueber citat, non ex omni parte sententiae affirmativae adhaeret; dicit enim: [5] « Addo praeterea, aliud esse loqui de *potestate* (ut sic dicam) *absoluta* Summi Pontificis, aliud de *ordinaria lege ecclesiastica.* Nam priori modo *fortasse non repugnat,* Summum Pontificem concedere hanc potestatem alicui foeminae: quod tenet Paludanus, et non dissentit Soto, Navarrus et Ugolinus. Quoniam hoc non est contra jus divinum: et ideo nihil est, cur Ponti-

1) Disp. 3. sect. 12. n. 3. — 2) In altera edit. pag. 670. — 3) In 4. dist. 19. q. 1. art. 1. q. 3. ad 4. — 4) In 8. Eth. c. 7., et 1. Polit. c. ult. — 5) De cens. disp. 2. sect. 3. n. 7.

*

fex ex absoluta potestate id facere non possit, sicut etiam potest hanc jurisdictionem laico conferre. - *At secundum communem legem et usum Ecclesiae, hoc nunquam fit:* et ideo nec consuetudine introduci potest, neque ab Episcopis concedi; *neque a Pontifice Summo aliquando factum esse legimus, quia non decet;* et licet non sit simpliciter contra jus divinum, aut naturae, est tamen *minus consentaneum illis.* »

QUAESTIO VI.

An Episcopus possit censura ligare subditum alienum in sua dioecesi delinquentem.

(S. Alph. Lib. VII. n. 26. 27. etc. — P. Ball. Tom. II. n. 946.)

P. Gury, T. II. n. 946. pag. 836.,[1] ad propositam quaestionem respondet: « *Affirmative.* Ratio est, quia omnis delinquens sortitur forum loci, in quo delinquit. Sic *ex Jure can. lib. 2. tit. 2. de foro competenti, cap. 3.* Licet autem Episcopus non possit ferre censuram in peregrinum ante monitionem, saltem probabilius, potest tamen postquam is deliquerit in loco, et eum citaverit. - *S. Lig. lib. 7. n. 26. et lib. 6. n. 591.* »

Ad quem textum, P. Ballerini sequentia adnotat: « Haec, uti patet, » dicuntur de Censuris *ab homine per* » *sententiam.* Nam si sermo sit de » Censuris *speciali jure illius loci* » inflictis in delinquentes vel contra » jus commune, vel contra leges ejus- » dem loci proprias, juxta commu- » niorem sententiam, quae advenas » et peregrinos eximit ab obligatione » servandi leges eorum locorum pro- » prias, isti illas non incurrunt. *Per-* » *peram vero urgeres cum quibus-* » *dam* (Vid. *S. Alphons.* lib. 1. n. 156. » dub. 2., et lib. 3. n. 332. §. *An* » *autem*) *sententiae oppositae qua-* » *lemcumque probabilitatem. Proba-* » *bilitas enim non sufficit ad obli-* » *gationem imponendam, multoque* » *minus ad poenas contrahendas.* » Vid. Lugo (Resp. moral. lib. 6. » dub. 22. n. 3-5.). - Casus autem, » in quibus peregrinus ratione de- » licti sortiatur forum, et censuris » possit plecti, vid. apud eundem » De Lugo (l. c. n. 6.) et *Suarez* (de » Cens. disp. 5. sect. 5. n. 12.). »

Ut hisce a cl. Professore objectis satisfiat, 1. Integram *S. Alphonsi* doctrinam de hac materia referemus; 2. Assertiones *P. Ballerinii* perpendemus, nec non auctoritatem *Suarii* ab ipso adductam.

Articulus 1.

Exponitur S. Alphonsi doctrina.

I. - S. Doctor, lib. VII. n. 26. et 27. sequentes quaestiones pertractat:

« *26.* Quaeritur 4. *An Episcopus* » *possit censuris ligare alienum sub-* » *ditum in sua dioecesi delinquen-* » *tem?* - *Affirma,* quia quicumque » delinquens sortitur forum illius » loci, ubi delinquit, *ex C. fin. de* » *foro comp.* - Excipe 1°., Si delin- » quens esset illius Episcopi *Supe-* » *rior,* ut ejus Archiepiscopus, vel » Patriarcha: secus, si Episcopus non » esset illi suffraganeus: nam, licet » par in parem jurisdictionem non » habeat, ut notant Salmanticenses » cum Ugolino, ratione tamen deli- » cti ille Archiepiscopus fit Episcopi » subditus, ut dicunt Salmanticenses » cum Cornejo. Ex qua ratione sen- » tit Croix (contra Salmanticenses) » cum Pignatello, et Giballino, affe- » rente declarationem S. C., quod » Episcopus etiam Archiepiscopum » suum in dioecesi Episcopi delin- » quentem possit excommunicare.

1) In altera edit. pag. 671.

» *Regulares* autem sunt simpliciter » exempti a jurisdictione episcopali, » ex C. *Ne aliqui, de priv. in 6.* » Vid. Salmanticenses. Et in Reli- » giosos exemptos, sive privilegia- » tos, ut *Mendicantes,* et *Jesuitas* » (vide infra n. 241. dub. 9.), nequit » Episcopus ferre censuras, etiamsi » procedat tamquam delegatus apo- » stolicus; ut Croix cum Pellizzario » et aliis. - Excipe 2°. *Si reus, an- » tequam ejus causa cognoscatur ab » Ordinario loci, ab illius territorio » exeat* (ad differentiam delinquentis » in sua patria, qui, etiamsi postea » a proprio territorio discedat ante » sententiam et ante citationem, » bene potest censura ligari a suo » Ordinario, ut diximus supra q. 2.). » Secus, si delinquens in alieno ter- » ritorio, antequam discedat, *cita- » tione* praeveniatur; tunc enim, ra- » tione judicii inchoati, subjectus re- » manet Episcopo loci; ita Concina, » Roncaglia cum Hurtado, Laymann » cum Abbate, Henriquez ac Sayro, » ac Coninchius, Diana, Sylvester, » Avila, Cornejus, etc. cum Salman- » ticensibus.

» 27. Quaer. 5. *An censura ali- » cubi lata,* v. gr. contra furantes » in ecclesia, vel contra non reve- » lantes furtum, *liget etiam alieni- » genas ibi existentes?* - Si censura » sit lata *per modum praecepti par- » ticularis, seu sententiae in casu » particulari,* nempe si sit lata ex- » communicatio contra non revelan- » tes fures, *haec non ligat alieni- » genas;* quia praeceptum particu- » lare non potest non subditos ad- » stringere. Ita *communiter* Suarez, » Coninchius, Diana, Sylvester, Say- » rus, etc. cum Salmanticensibus, ex » Cap. *A nobis 25. de sent. exc.* - » Si autem censura sit lata *per mo- » dum statuti generalis pro delictis » futuris,* puta contra furantes in » ecclesia, *tunc ligat etiam alieni- » genas in illo loco existentes,* si ibi » sint animo commorandi majorem » partem anni; *secus, si transeun- » ter ibi commorentur.* Ita Sanchez, » et Salmanticenses cum Suarez, » Bonacina, Sylvestro, Sayro, etc. - » Haec sententia *probabilior* mihi » est; sed *non puto improbabile,* » quod tam in primo, quam in se- » cundo casu peregrini ligentur cen- » sura, etiamsi alicubi sint per breve » tempus; quia *satis probabile est, » quod peregrini fiant subditi, si » adhuc per breve tempus in aliquo » loco morentur,* juxta sententiam » relatam lib. 3. n. 332. »

II. - Porro, in cit. lib. III. n. 332. versus fin., S. Alphonsus quaerit: « *An autem peregrini teneantur au- » dire Missam, quae audienda est » ex peculiari praecepto loci, ubi » sunt, etiamsi per unum diem ibi » commorentur?* - *Affirmant* Suarez, » Pontius, Jos. de Januario et Salas » apud Palaum, qui merito *probabile* » id vocat, cum Sanchez et Salman- » ticensibus. Ratio, quia peregrini » vere fiunt subditi Superioris loci » ubi sunt, licet per breve tempus » ibi commorentur. - *Probabilius* » tamen *negant* Sanchez cum Tole- » to, Azorio, Sayro, etc.; Bonacina, » Sylvester, Elbel; item S. Antoni- » nus, Granada, Vega, etc. apud Sal- » manticenses. Ratio, quia Superior » loci non habet jurisdictionem in » peregrinos, nisi ii maneant, vel » saltem animum permanendi ha- » beant per majorem anni partem, » juxta dicta *de legib.* lib. 1. n. 156. »

III. - Demum, cit. lib. I. n. 156. S. Doctor dicit: « Dubitatur 2. *An » si quis in aliquo loco ad breve » tempus moretur, teneatur leges il- » lius servare?* - *Prima sententia » affirmat;* et hanc tenent Pontius, » Suarez, Salas, Tapia; et Covarru- » vias, Gordonus, Henriquez, etc. » apud Salmanticenses; et alii plures » apud Sanchez, qui vocat *valde pro- » babilem,* sicut etiam putant Sal- » manticenses. - Probant 1. ex C. *Illa,* » dist. 20., ubi refertur illud celebre » D. Ambrosii: *Cum Romam venio, » sabbatum jejuno; cum Mediolani*

» *sum, non jejuno; sic et tu, ad* » *quamcumque Ecclesiam veneris,* » *ejus morem serva; si cuiquam non* » *vis esse scandalo, nec quemquam* » *tibi.* Probant 2. *ratione;* tum quia » qui sentit commodum, debet sen- » tire et incommodum : sicut enim » talis advena deobligatur legibus » patriae, a qua abest, ita aequum » est, eum obligari legibus loci, ubi » moratur; et hoc modo advena vere » fit subditus Superioris loci, quam- » vis brevi ibi sit; tum quia expedit » ad pacem publicam servandam et » ad scandalum vitandum, ut omnes » servent leges loci, ubi reperiuntur, » uti colligitur ex relata doctrina » D. Ambrosii; et saltem ratione » dicti scandali vitandi, ut ait Sua- » rez, Episcopus loci jurisdictionem » habet in peregrinos; eadem enim » jurisdictio, quae ipsi competit su- » per oves suas, ut eas bene regere » possit, competit etiam super ad- » venas, ne scandalum ovibus prae- » beant, leges loci non servando. » Plures alias rationes pro hac sen- » tentia adducit *Suarez.* – Fatentur » tamen AA. citati, *non satis esse* » *solum transitum ad hanc obli-* » *gationem contrahendam;* etenim » (apud Sanchez) *Emmanuel Sà* di- » cit, teneri peregrinum, si maneat » illa die, qua pervenit: *Leonardus,* » si integra die : *Sayrus,* si illuc ac- » cedat multo spatio ante prandium, » et tota die ibi quiescat. Sed melius » videtur distinguere *Suarez* dicens, » quod *si quis venit ad locum de-* » *stinatum ut terminum viae, tene-* » *tur ejus legibus, licet parum ibi* » *adsit;* secus, si ibi sit in via, sive » per transitum ad alium locum; » tunc enim, si praeceptum est *affir-* » *mativum,* puta audiendi Sacrum, » *non tenetur,* quia tale praeceptum » obligat existentes, quales non sunt » itinerantes; *tenetur* vero, si prae- » ceptum sit *negativum,* nempe abs- » tinendi a carnibus, vel ab opere » servili, etiamsi ibi moretur ad ho- » ram : quia praeceptum negativum, » cum obliget pro semper, habet tra- » ctum successivum per totum diem.

» Haec sententia est *satis proba-* » *bilis;* sed *probabilior* [1] *videtur se-* » *cunda,* quae dicit *advenam non* » *teneri legibus loci, ubi non mora-* » *tur nec intendit morari per ma-* » *jorem anni partem.* Hanc tenent » Sanchez cum pluribus aliis, Bona- » cina, S. Antoninus, Azorius, Tole- » tus, Laymann cum Sylvestro, An- » gelo et Medina; item Sayrus, Dia- » na, Granado et alii apud Salman- » ticenses, qui hanc non minus pro- » babilem vocant. – Ratio, tum quia » leges non obligant nisi *subditos,* » quales non sunt peregrini : cum » ipsi, ob brevem illam moram, mi- » nime subjiciuntur jurisdictioni Su- » perioris loci, ut habetur ex plu- » ries citata l. *Haeres absens;* tum » quia non dicitur *moraliter commo-* » *rari* in aliquo loco, qui ibi non » manet, nec animum manendi habet » per majorem partem anni. – Ad » textum autem *D. Ambrosii* respon- » detur 1°. illum procedere tantum, » ubi vitandum est scandalum. Re- » spondetur 2°. S. Doctorem loqui ibi » de lege communi servandi jejunii, » quod Mediolani non servatur in » primis quatuor diebus Quadrage- » simae; sed lex communis utique » servanda est a peregrinis, quando » absunt a patria, ubi lex illa non » servatur; ut ex communi senten- » tia docent Suarez, et Laymann » cum Medina et Henriquez. Quam- » vis tamen Laymann non improbet » oppositam Sanchezii, qui ait, ci- » ves mox in patriam redituros, per » fictionem juris pro praesentibus » haberi.

» *Limitatur* vero haec *secunda*

1) In opere cui tit. *Homo Apostolicus,* Tr. 2. n. 41., S. Doctor eamdem quaestionem per- » pendens, ait: « Haec prima sententia est satis probabilis; sed *communius et probabilius* » *est,* non teneri legibus loci peregrinum, qui ibi *quasi-domicilium* non contraxit... Dum- » modo (limitatur) non sit lex *de jure communi,* aut versaretur circa validitatem contra- » ctuum. »

» sententia 1°. in legibus *de jure communi,* vel circa *solemnitates contractuum,* aut circa *commoda ipsius loci,* v. gr. de non extrahendo triticum, arma, etc. 2°. Limitatur, » *si eaedem leges vigeant in patria peregrini,* licet Sanchez cum Diana huic contradicat. 3°. Limitatur, » *si peregrinus ibi delinquat contra jus commune;* tunc enim fit subditus ratione delicti, *ex C. Finali, de foro compet.* Vide Salmanticenses et Sanchez. »

IV. — Ex hisce S. Alphonsi textibus sequentia concludere licet:

1. S. Doctor, quamvis non improbabilem censeat opinionem, quae dicit, omnes peregrinos, licet brevi tempore in aliena dioecesi commorantes, feriri a censuris episcopalibus latis, sive per modum praecepti, sive per modum legis, eam tamen non admittit; sed uti *probabilius* docet, peregrinos seu alienigenas non attingi nisi a censuris, quae latae sunt *per modum legis seu statuti generalis pro delictis futuris,* et tunc tantum, *cum ibi sint animo commorandi per majorem anni partem.*

2. S. Alphonsus generatim *non urget* pro alienigenis obligationem parendi legibus specialibus loci, nisi ibi sint animo commorandi per majorem anni partem, seu, nisi ibidem contraxerint *quasi-domicilium,* ut docet in prima parte citatae quaestionis, Lib. I. n. 156.; vel nisi deliquerint *contra jus commune:* quo casu, per sententiam ab Episcopo puniri possunt, quia subditi fiunt ratione delicti.

Quibus expositis, oppugnationem cl. Professoris examini subjiciamus.

Articulus 2.

Perpenduntur assertiones cl. Ballerinii, necnon auctoritas Suarii ab ipso adducta.

I. Pro certo habet cl. Professor, *ab advenis et peregrinis non incurri « Censuras speciali jure illius loci » inflictas in delinquentes vel contra jus commune, vel contra leges » ejusdem loci proprias. »* Ratio, quia communior sententia « *advenas et » peregrinos eximit ab obligatione » servandi leges eorum locorum pro» prias. »*

1. At vero *communior* sententia, prout vidimus, non eximit (uti supponit cl. Professor) ab obligatione servandi leges locales, omnes advenas aut peregrinos indiscriminatim; sed illos tantum qui transeunt, aut ibidem brevi tempore morantur, quin animum habeant per majorem anni partem commorandi.

2. Hoc confirmat atque expressius docet *S. Alphonsus,* loc. cit. Lib. I. n. 156. dub. 1., dum scribit: « His » positis, dubitatur 1. *An, ut quis » teneatur legibus loci ubi est, re» quiratur ut ibi verum domicilium » contraxerit?* Affirmant Glossa, in » C. *Quae contra,* dist. 8. verb. *Aut » peregrini,* et alii apud Sanchez. » Quia advena (ut ajunt) donec non » acquirat verum domicilium, saltem » per animum ibi perpetuo manendi, » non fit subditus illius loci. — Sed » *communis sententia tenenda do» cet, sufficere quod is contraxerit ibi » quasi-domicilium.* Ita Suarez (qui » appositam putat non esse practice » probabilem), Sanchez, Salmanti» censes, et Laymann cum S. Anto» nino, Paludano, Sylvestro, Rosel» la, etc. Ratio, quia tales peregrini » jam subjiciuntur jurisdictioni Su» periorum illius loci, ergo etiam » legibus tenentur; et *tenentur a » prima die, qua illuc perveniunt » animo habitandi per majorem an» ni partem:* ut recte notat Sanchez » cum Sylvestro, Paludano, Rosel» la, etc. »

3. Itaque nec S. Doctor, nec alius cum ipso, *perperam urget* obligationes; sed potius cl. Professor perperam confundit quaestiones, quae a S. Alphonso dilucide exponuntur ac solide probantur.

II. Quoad illud principium, a cl. Ballerinio, uti saepe alias, hic ite-

rum revocatum, videlicet *qualemcunque probabilitatem non sufficere ad obligationem imponendam,* non opus est ut in illo confutando denuo immoremur. Ex discussione enim Systematis moralis in prima Parte hujus Operis, luce clarius apparet, falsum esse praefatum principium, quoties (sicut in praesenti quaestione) extenditur ad probabilitatem prae opposita *notabiliter* seu *certe* majorem. [1]

III. Ad specialem quaestionem de *Censuris* quod attinet, cl. Professor lectorem ad *Suarez* (de Cens. disp. 5. sect. 5. n. 12.) delegat, ubi videre liceat « *casus, in quibus peregrinus ratione delicti sortiatur forum, et censuris possit plecti.* » Videamus ergo.

Suarez l. c. *n.* 7. dicit: « Dubitari potest, *an subditus unius dioecesis, existens in altera dioecesi, et ibi agens contra praecepta Episcopi illius dioecesis, incurrat censuras ab illo latas.* - Videtur enim ex dicto Cap. *A nobis 1.* colligi, non incurrere, quia, ut ibi dicitur, generalis clausula non extenditur ad eos, qui non sunt de jurisdictione ferentis... *8.* Quocirca necessario hic distinguendum est inter *statutum* et *sententiam;* nam, quando praeceptum Praelati fertur per modum *sententiae,* non ligat nisi *subditos* ejus : non vero extraneos, etiamsi in ejus territorio delinquant. Ita enim aperte traditur in dicto C. *A nobis 1.* de sent. excom., et ita ibi intelligunt Glossa, Abbas, et alii Doctores : et Covarruvias. [2] » - Et rationibus, quas adferunt, examinatis, Suarez sic pergit:

« *10.* Ratio ergo propria est, quia hujusmodi sententia, licet generalis sit, directe fertur in personas, ut earum contumaciam coerceat et puniat: ideoque non extenditur ad extraneos: qui licet versentur in alieno territorio, illic simpliciter non sunt subditi, neque intervenit aliquis titulus, quo fiant subditi; nam delictum non facit subditum quoad hujusmodi censuram, ut supra insinuavi, et statim iterum dicam. - Secus vero est de *statuto;* nam (ex communi sententia) *qui existens in alieno Episcopatu, frangit illius statutum, ejus censura ligatur;* ut constat ex Abbate, [3] Sylvestro, [4] Tabiena, [5] et aliis, quos referunt et sequuntur Covarruvias et Ugolinus 5. et Jacobus de Graffiis. [6] Qui omnes rationem reddunt, *quia ille fit subditus ratione delicti.* Quae ratio videtur supponere probandum, ut argumentum supra positum videtur demonstrare. Delictum enim solum potest facere subditum in ordine ad futurum judicium, et consequenter respectu omnium, quae ad punitionem illius delicti ordinari possunt; non tamen potest facere subditum in ordine ad statutum, quod per tale delictum frangitur, quia hujusmodi delictum supponit obligationem statuti et consequenter subjectionem. »

« *11.* Dices: statutum prohibet furtum v. gr., vel aliquid simile, quod per se delictum est, quod censura afficit, et ita potest homo ratione illius delicti fieri subditus, ut in eum cadat censura. - Sed hoc inprimis non est universale; quia doctrina data non tantum est vera de statutis prohibentibus res per se malas, sed etiam de facientibus, ut actiones malae sint, quia prohibitae. Tunc autem non potest actio ad delictum imputari, nisi persona supponatur subdita, et per tale praeceptum obligata. - Addo et-

1) Obiter hic advertimus, cum grano salis (ut ajunt) accipiendos esse textus S. Antonini, S. Raymundi, Gersonis et Gabrielis Biel, quos P. Ballerini in adnot. ad *n. 152.* T. I. adducit, ad probandum, *non esse adstruendum mortale, nisi de eo* CERTO *constet.* Duplex namque haberi potest certitudo, altera *directa*, altera vero *indirecta* ex principiis reflexis seu concomitantibus (cfr. supra, de Systemate, pag. 103. ad II.).

2) In dict. C. *Alma*, p. 1. §. 10. n. 2. — 3) In dicto C. *A nobis* n. 7., et in C. ult. *de Foro compet.* n. 39. — 4) V. *Excom.* 2. n. 5. — 5) V. *Excom.* 4. n. 2. — 6) Lib. 4. decis. c. 8. n. 39.

iam, in institutis prohibentibus res intrinsece malas necessario debere supponi subjectionem, ut delictum illud tale sit, quod sufficiat ad incurrendam censuram ipso facto; quia ad hoc non sufficit illud delictum praecise spectatum, ut est contra legem naturalem vel divinam, sed ut est contra ecclesiasticam et includit contumaciam, quae supponit obligationem talis legis, et consequenter subjectionem ad illam. Quocirca, licet delictum in territorio commissum constituat hominem delinquentem talis fori, et, supposito foro, possit citari et contumax fieri; tamen, si ante delictum commissum non est subjectus, fieri non potest, ut per delictum immediate ac simul fiat subjectus et contumax, et censuram incurrens. »

« *12.* Quod etiam videre licet in his, quae de sententia diximus. Nam, si extraneus in alieno territorio delictum committat, etiam per illud delictum fit ita subjectus, ut contra illum ibi procedi possit, ubi deliquit; et nihilominus, licet in eo territorio per sententiam sit lata censura ob illud delictum, illam non incurrit, quamvis talis sententia omnes subditos comprehendat. Cujus ratio non est alia, nisi, quia sententia generalis, quae lata est ante delictum commissum, solum potest obligare eos, qui sunt subditi absque tali delicto, non vero eos, qui postea subjiciuntur ratione delicti. – Quod si fortasse hoc tantum voluit *Covarruvias,* cum dixit, sententiam solum ferri in eos, qui jam sunt subditi, scilicet ante delictum, verum quidem dixit; sed non debuisset constituere in hoc discrimen inter sententiam et statutum, quia revera non est, ut rationes factae probant. »

Et demum concludit: « *14. Vera ergo ratio* ex eo petenda est, quod lex, vel, quod idem est, statutum vel constitutio, de quo agimus, primo et per se datur *pro ipso territorio,* scilicet, ut in eo, tali ordine ac modo homines operentur; *quando autem statutum hujusmodi est, non solum obligat homines habentes domicilium in illo territorio, sed etiam homines peregrinantes, qui in illo versantur per aliquod tempus:* nam pro illo tempore tenentur se conformare legibus illius territorii; quia ita expedit, ad commune bonum et pacem, ut latius traditur in materia de Legibus. – Atque ita, prima subjectio ad illud statutum non oritur ex delicto, sed *praecise ex actuali existentia et conversatione in tali provincia,* et ex *obligatione quasi naturali,* quae inde nascitur, ut unusquisque sese conformet moribus ejus regionis, in qua degit pro eo tempore, quo ibi versatur, praesertim in his rebus, quae publico ritu vel statuto ad omnes spectant, et ad rectitudinem vitae ibi necessariae existimantur, ut latius tradidit Augustinus in Ep. 86. ad Casulanum: supposito ergo hoc titulo subjectionis, qui contra illud statutum agit, etiamsi alioquin extraneus sit, re vera est inobediens et contumax, quia per ipsum statutum sufficienter admonetur, sicut alii subditi: *et ideo merito censuram incurrit tali statuto annexam.* Et confirmatur ac declaratur: nam, quamvis illi statuto non esset annexa censura, talis homo peccaret frangendo statutum, ut v. gr. comedendo carnes die prohibito in aliquo Episcopatu, ex peculiari statuto illius: ergo signum est obligare statutum, antequam contra illud delinquat: ergo, si illi statuto esset annexa censura ipso facto incurrenda, obligaretur ex vi illius sub eadem comminatione, atque adeo sufficienter ad incurrendam censuram, si statutum violet. »

IV. Quomodo autem, quae *Suarez* hic docet, conciliari possint cum assertionibus cl. Professoris, non comprehendimus.

Contendit *P. Ballerini*, advenas et peregrinos eximi ab obligatione servandi proprias leges locorum, ubi morantur, et ideo non incurrere censuras jure speciali istorum locorum

inflictas, nec ullam qualemcumque probabilitatem in contrarium opponere licere. – *Suarez* autem ex diametro oppositum docet, scilicet, advenas et peregrinos ab obligatione servandi leges seu statuta istis locis propria non eximi, et *incurrere censuras jure speciali legibus seu statutis eorumdem locorum inflictas.*

HINC CONCLUDIMUS :

1. S. Doctor *probabiliorem et communiorem* dicit sententiam, juxta quam advenae et peregrini, brevi tempore in aliena dioecesi commorantes, nec domicilium aut quasi-domicilium in ea acquirentes, *non* incurrunt censuras *legibus seu statutis jure speciali loci* inflictas. Oppositam tamen *affirmantem* ipse *probabilem* censet.

2. Ad cl. Ballerinium quod attinet, ipse non levem invexit *confusionem*, dum S. Alphonsi conclusionem ad *omnes* advenas et peregrinos extendit. Insuper haud recta est ipsius assertio, ad inducendam obligationem non sufficere *qualemcumque probabilitatem*. Demum immerito contendit, *Suarium* in proposita quaestione cum S. Doctore non convenire.

QUAESTIO VII.

An Regulares, in iis, in quibus jurisdictioni Episcoporum subjiciuntur, Censuris ab iisdem ligari possint.

(S. Alph. Lib. VII. n. 241. etc. — P. Ball. Tom. II. n. 949.)

T. II n. 949. pag. 338. [1] *P. Gury* quaerit : « An Religiosi exempti ab Episcopo loci, censuris episcopalibus ligari possint? » Et respondet: « 1°. *Affirm. probabilius, si Regulares, licet exempti, delinquant circa ea in quibus, vi Canonum et Constitutionum, subjiciuntur Episcoporum jurisdictioni,* v. gr. in observatione festorum, quae Episcopus indixerit servanda in sua dioecesi, vel in observatione censurarum ab Episcopo promulgatarum, etc... Ita Jura, et unanimis tum Canonist., tum Theolog. sententia, apud Pignatelli. Ex communiori autem sententia, Episcopi quoad haec, non ordinaria, sed delegata a Sede Apostolica potestate procedunt. 1ta *S. Alph.*, l. 7. n. 241.... *Id nihilominus a non paucis Auctoribus absolute negatur,* quibus favere videntur plura Decreta Pontificum et S. C. Conc. – Resp. 2°. *Neg.*, si sermo sit de illis Regularibus, qui non solum generali exemptionis privilegio, sed praeterea *privilegio specialiori* gaudent... *S. Lig.* n. 241. »

Ad utramque hanc responsionem, P. Ballerini adnotationem subnectit.

Ad priorem sequentia advertit : « In his vestigium habes *haud mediocris confusionis* in hanc quaestionem inductae ; cui etiam debetur, quod *S. Alphonsus, collatis simulvariis ejusdem sententiis* (Conf. de Privil. n. 75., ibid. n. 77., et Lib. 7. n. 241.), *sibi minus cohaerens appareat...* » Dein ostendit, minime dubitari posse de praefata potestate Episcoporum in Regulares, qui *generali* tantum *Exemptionis privilegio* gaudent ; et addit: « *Benedictus XIV.* (de Synod. lib. 9. cap. 16. n. 5. et lib. 7. cap. 41. n. 5.) testatur id *uti certum, decretum et declaratum* a S. Congreg. 17. Febr. 1632. his verbis: *In his, in quibus a Jure communi, a S. Concilio Tridentino, a Constitutionibus Apostolicis, tributa est Episcopo jurisdictio in Regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere...* »

1) In altera edit. pag. 673.

Ad alteram responsionem Patris Gury, cl. Professor adnotat, duplicem distinguendam esse Regularium exemptionem seu immunitatem ab Episcoporum censuris. Prima species est illorum Regularium, qui, *generali* privilegio gaudentes, in quibusdam penitus exempti sunt ab Ordinariorum jurisdictione, in aliis tamen (ut supra dictum est) Episcoporum jurisdictioni subjiciuntur. « Altera vero ex eo provenit, quod *privilegio speciali* quidam Regulares » censuris feriri non possint *etiam in iis, in quibus alioquin Ordinariorum jurisdictioni subjiciuntur*, » quamvis aliis poenis coerceri ac puniri ab iisdem possint... Ceterum, » quod quibusdam Regularibus tributum ab Apostolica Sede fuerit » speciale illud privilegium a communi exemptionis praerogativa plane distinctum, manifestum est.... » Hoc ipsum de Mendicantibus testatur S. Alphonsus *(Lib. 7. n. 241.)*, » et concessum denuo hominibus Societatis Jesu patet aperte ex Const. » *Licet debitum* Pauli III., 18. Octobris 1549... »

Recta quidem sunt, quae P. Ballerini hic tradit; verum minus recte asserit, quod « *S. Alphonsus collatis* » *simul variis ejusdem sententiis* » (Conf. de Privil. n. 75., ibid. n. 77., et Lib. 7. n. 241.), *sibi minus cohaerens appareat.* » Ex dicendis namque patebit, S. Doctorem nostrum bene sibi cohaerere, et, quae cl. Professor tradit, etiam a S. Alphonso doceri.

Videamus itaque, quaenam sit S. A. doctrina.

1. Lib. VII. *n. 26.* in praecedenti quaestione jam citato, dicit: « Regulares autem sunt simpliciter exempti a jurisdictione episcopali, ex » C. *Ne aliqui, de priv. in 6.* Vide » Salmanticenses. *Et in Religiosos* » *exemptos sive privilegiatos, ut* » *Mendicantes et Jesuitas* (Vid. infra, *n. 241. dub. 9.*) *nequit Episcopus ferre censuras, etiamsi procedat tamquam delegatus apostolicus...* »

2. In citato autem *n. 241.*, S. Doctor quaerit: « Dubitatur 9. *An Regulares colloquentes cum Monialibus, incurrant excommunicationem reservatam latam ab Episcopo?* – Adsunt quatuor sententiae: » *Prima absolute negat* cum Diana, Lezana, Quarti, et Merolla apud » Ciera; quia, licet Episcopi circa » clausuram Monialium ex Tridentino, Sess. 25. c. 5., procedant ut » delegati Sedis Apostolicae; tamen » ibi nulla fit mentio facultatis ferendi censuras contra Religiosos. – » *Secunda* sententia omnino opposita, quam tenent Navarrus, Graffius, et Campanilus apud Barbosa, » et cui adhaeret Ciera, dicit *omnes* » *Regulares,* etiam speciali privilegio donatos, *incurrere* excommunicationem latam ab Episcopo. – » *Tertia* sententia, quam tenent Januarius, Duardus, Fagundez et Ricius apud eumdem Ciera, distinguit et dicit, *non incurrere, si* » *monasteria sint Episcopo subjecta;* quia, cum in illis Episcopus » procedat jurisdictione ordinaria, ei » non subduntur Regulares; *secus* » *vero si sint exempta,* quia in his » Episcopi procedunt ut Papae delegati.

» *Quarta* demum sententia *communior, cui magis adhaereo*, et » tenent Sanchez, Barbosa, Bonacina, Fagnanus et de Alexandris, » cum decreto S. Congr. 9. Aprilis anno 1583., aliter distinguit, et ait, » quod Regulares si habeant *speciale* » *privilegium,* quod non possint excommunicari aut suspendi ab Epi» scopis (prout habent *Mendicantes,* » ex compendio privileg. V. Exemptio n. 9. 23. et 24., et Religiosi » *Societatis Jesu,* ex bulla Pauli III. » anno 1549.), hi non incurrunt excommunicationem ab Episcopo latam; *secus vero, si tali privilegio* » *careant.* Idque probatur ex bulla *Inscrutabili,* edita 5. Februarii 1522. » a Gregorio XV., ubi sic dictum fuit:

» *Ad haec tam Saeculares quam Re-* » *gulares nullis privilegiis et exem-* » *ptionibus tueri se possint, quomi-* » *nus si deliquerint circa personas* » *intra septa degentes, aut circa* » *clausuram, aut circa administra-* » *tionem bonorum monasteriorum* » *Monialium, etiam Regularibus* » *subjectarum, ab Episcopo loci si-* » *militer tamquam ad hoc Sedis Apo-* » *stolicae Delegato, quoties et quan-* » *do opus fuerit, puniri et corrigi* » *valeant.* - Unde infertur, quod Re- » gulares, *speciali privilegio non* » *muniti,* bene incurrunt excommu- » nicationem latam ab Episcopo in » colloquentes cum Monialibus, sive » monasterium sit exemptum, sive » subjectum Episcopo; quia etiam in » hoc Episcopus procedit contra Re- » gulares tanquam Delegatus Sedis » Apostolicae: alias in eos nullam » haberet jurisdictionem puniendi et » corrigendi, sicut habere dicitur in » Bulla. Secus vero dicendum de Re- » gularibus *speciali privilegio gau-* » *dentibus;* tale enim privilegium » hoc importare debet, ut contra eos » Episcopus, nec etiam ut Delegatus » Sedis Apostolicae, possit procede- » re: quia, cum Regulares ordinarie » in aliis sint exempti a jurisdictione » Episcopi, quando contra eos Epi- » scopus procedit, semper ut Dele- » gatus procedere debet. Hoc tamen » intelligendum, si privilegium post » Bullam Gregorii sit concessum, » non vero si ante; dum in Bulla di- » citur: *nullis privilegiis et exem-* » *ptionibus tueri se possint,* etc. »

3. In Tractatu vero *de Privilegiis n. 75.*, S. Doctor *in genere* de exemptione Regularium disserens, plura enumerat, in quibus Regulares a jurisdictione Episcoporum non eximuntur; et subjungit: « Notandum, quod » adest responsum S. C. ad Episcopum » Nebiensem 7. Febr. 1632. (lib. 14. » Decret. pag. 571. a tergo) ubi ge- » neraliter loquendo dictum fuit: *In* » *his, in quibus a jure communi, a* » *S. Concilio Tridentino, a Consti-* » *tutionibus apostolicis tributa est* » *Episcopo jurisdictio in Regulares,* » *potest illos etiam per censuras ec-* » *clesiasticas compellere.* Et idem » decisum fuit die 4. Junii 1672. » (lib. 27. Decret. pag. 406.). Qua- » re, sicut bene advertit *Benedi-* » *ctus XIV.*, de Synod. lib. 9. c. 16. » n. 5., Episcopi, *quoad celebrandas* » *Missas*, possunt adigere omnes, » quamvis Regulares, ad observanda » non solum ea, quae statuuntur a » Concilio, sed etiam quae statuuntur » a se ipsis. »

4. Cum autem *Salmanticenses* cum aliis Auctoribus etiam recentioribus, quos allegant, probabilius censuerint, Episcopos non posse Regulares censuris ad obediendum compellere, praeterquam *in tribus casibus* a Concilio Tridentino expressis; S. Alphonsus hanc controversiam Tr. *de Privil. n. 77.* breviter attingit. - Ibidem quaerit: An Episcopi *in ceteris casibus,* in quibus Regulares eorum jurisdictioni subjiciuntur, censuras adhibere possint; et dicit: « *Affirmant* » Barbosa, Garzia et alii. Sed *com-* » *munius negant* Sanchez, Lezana, » et Salmanticenses cum aliis, pro- » pter multa privilegia papalia, quae » hac de re afferunt; et addunt cum » Barbosa, Diana, Lezana (contra » alios), quod Episcopus ne denun- » tiare quidem potest Regulares ex- » communicatos, etiam ob publicum » delictum. »

5. Simpliciter ergo S. Doctor in allato textu utramque sententiam adducit, neutram nec approbando, nec reprobando. *Affirmativam* non approbat; quia excipiendi sunt Regulares *speciali* privilegio gaudentes, et quidem non tantum in casibus, de quibus agitur, sed etiam in casibus in Tridentino expressis. *Negativam* non reprobat, quia isti Auctores privilegia specialia, non tantum Mendicantibus et Jesuitis, sed etiam aliis Regularibus concessa, adferunt. - Utrum autem haec privilegia exceptionem praedictam reapse contineant, nec revocata sint, et utrum aliqui Ordines per communicationem

in forma extraordinaria, ut dicunt, a S. Sede ipsis concessam, privilegium speciale aliorum participent: S. Alphonsus non inquirit, et singulis Ordinibus, qui hanc exceptionem sibi vindicant, probandum relinquit. Quaestionem autem generalem late et exacte pertractat Lib. 7. n. 241., ut supra vidimus.

6. Bene igitur *sibi cohaeret* S. Doctor, et easdem propositiones sustinet, quas P. Ballerini tuetur.

QUAESTIO VIII.

An suspicio Haeresis, quam incurrit qui per annum in Excommunicatione contumaciter persistit, ad alias etiam Censuras extendatur.

(S. Alph. Lib. VII. n. 157. — P. Ball. Tom. II. n. 959.)

Lib. VII. n. 157. S. Alphonsus allegat textum *Busembaumii*: « Si excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter persistat, et, ut Jura loquuntur, insordescat, fit suspectus de Haeresi, et contra eum, ut talem procedi potest... » – Dein ipse S. Doctor addit: « *Insordescere* est, per annum *animo pertinaci et cum contemptu potestatis Ecclesiae* perseverare » in eadem excommunicatione, *sive* » *in alia censura*, ut dicit *Croix*, » lib. 7. n. 287., et probat ex *Tridentino*, Sess. 25. cap. 3. »

Lacroix autem modo citatus, ait: « Quid notandum sit circa illum, qui dicitur insordescere in censura? Resp. §. 1. Insordescentia *praecipue* dicitur *ratione excommunicationis; tamen etiam convenit aliis censuris;* ille autem dicitur insordescens in censura, secundum *Trid.* relatum n. 18., *qui animo pertinaci, et cum contemptu potestatis ecclesiasticae perseverat in censura per annum.*»

Quocirca P. Ballerini, T. II. ad n. 959. pag. 857. [1] adnotat: « Sunt » autem (effectus mediati excommu» nicationis)... *Suspicio haeresis,* » quam ille incurrit, qui toto anno » contumaciter in *excommunicatione* persistat, seu *insordescat; ratio, quia hic praesumitur male sentire de potestate Ecclesiae,* dum » nihil curat tum de Censuris ab » ipsa latis, tum de Sacramentis, » quae contra Ecclesiae praeceptum » ab eo omittuntur. Vide... *Suarez* » (de Cens. disp. 17. sect. 1. n. 6.). » Et huc pertinet illud *Synodi Trid.* » (sess. 25. de ref. cap. 3.): Si obdu» rato animo censuris annexus in » illis per annum insorduerit, etiam » contra eum, tamquam de haeresi » suspectum, procedi possit. – *Quod* » *tamen La-Croix* (lib. 7. n. 287.), » *quem secutus est S. Alphonsus* » (lib. 7. n. 157.), *abs re transfert* » *ad censuras omnes;* nam expresse » contextus Synodi spectat *excommunicatos...* »

Sed videamus, utrum recta sit hujusmodi cl. Professoris objectio; et utrum revera S. Doctor cum Croix, *ad alias Censuras abs re transferat* quae Tridentinum de *excommunicatis* dicit.

1. Tridentinum, loco cit., utique de *excommunicato* loquitur: quod tamen *Croix* non ignorat. Siquidem aperte dicit: « Insordescentia *praecipue* dicitur ratione excommunicationis »; hinc propositionem suam, non directe, sed indirecte ex textu citato probat, dicendo: « *convenit etiam aliis censuris.* » – Convenit autem, quia eadem ratio adaequata etiam pro ceteris censuris currit.

1) In altera edit. pag. 686.

Si enim de haeresi suspectus fit, qui per annum animo pertinaci et cum contemptu potestatis Ecclesiae in eadem excommunicatione perseverat, quia de hac potestate et de Sacramentis male sentire videtur: idem sine dubio, et quidem necessario de illis dicendum est, *qui eodem modo perseverant in suspensione vel interdicto personali, per modum verae censurae,* i. e. tanquam poenae medicinales inflictis.

2. *Suarez,* ad quem P. Ballerini remittit, l. c. dicit: « Alius et praecipuus effectus, quem hic exponere oportet, est, quia si excommunicatus per annum in excommunicatione persistat, suspectus de haeresi fiet. Ita affirmant communiter Canonistae cum Glossa.... Quae sententia ratione videtur fundata: non enim invenio textum juris communis, in quo expresse hoc caveatur, praeter C. *Cum contumacia,* de Haeret. in 6., ubi *non de quolibet excommunicato* sermo est, sed de illo, qui antea erat suspectus de haeresi, et vocatus, ut de fide responderet, non comparet, et propter talem contumaciam excommunicatus, per annum in illa excommunicatione perseverat; nam de illo dicitur, esse ut haereticum condemnandum, propter vehementem praesumptionem et contumaciam in tali materia. – *Hinc vero facta est extensio ad omnem excommunicatum,* per annum in tali censura perseverantem: nam is et claves Ecclesiae, et suffragia, et Sacramenta contemnere videtur, ideoque in suspicionem venit, quod male de illis sentiat, ac per hoc suspensus in fide efficitur. Quam sententiam confirmavit Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de Reform. in fine, dicens: *Contra hunc tanquam de haeresi suspectum procedi posse.* Est autem haec suspicio non levis; et hoc operatur, ut sic suspectus sese canonice purgare teneatur, et nisi id faciat, pro convicto habeatur. »

3. Ergo jam ante Concilium Tridentinum, Canonistae communiter tenuerunt, *quemlibet excommunicatum,* per annum in excommunicatione perseverantem, de haeresi suspectum fieri, quamvis id in jure expressum non fuit. Si autem ipsis licuit, casum particularem certis conditionibus circumscriptum, propter identitatem rationis *ad omnes casus excommunicationis* extendere: eodem sane jure dispositionem Concilii Tridentini, propter eamdem identitatem, *ad ceteras censuras* extendere licet.

4. Porro, *purgatio canonica,* ut apud omnes in confesso est, *indici potest suspectis cujusvis criminis vel delicti ad forum ecclesiasticum spectantis;* imo et *propter meram maculam,* defectum vel impedimentum, quominus v. g. quis ad Ordines vel ad beneficium promoveatur. – Et ideo, etiam abstrahendo a speciali juris dispositione, procedi potest contra sordescentem in suspensione vel interdicto personali, tamquam suspectum de haeresi: quia sufficientem suspicionem excitat, quod de potestate Ecclesiae et de Sacramentis male sentiat.

QUAESTIO IX.

An peccet, et excommunicationem incurrat acceptans Duellum, ad necessariam conservationem bonorum magni momenti.

(S. Alph. Lib. III. n. 400. etc. — P. Ball. Tom. I. n. 405. ad 5. etc.)

I. - S. Alphonsus, in priori Elencho Quaestionum reformatarum, *n.* 97. haec habet: « An duellum » possit *acceptari*, ne incurratur » magna et certa jactura bonorum? » Quidquid dictum sit cum Salmanticensibus in priori Libro (sc. in » prima editione Theol. mor.), *hodie* » *haec opinio damnata est a Benedicto XIV.* - Vid. Lib. 3. *n.400.* » prop. 4. »

Porro, loc. cit. S. Doctor quaerit: « *An liceat viro nobili vel militari* » *acceptare duellum*, et adhuc illud » offerre, *si alias, honore amisso,* » *certe privandus esset officio, quo* » *se et familiam sustentat?* » Et respondet: « Affirmant Holzmann cum » Pichler et Anacleto, item Sporer, » ac Elbel cum aliis. Ratio, ut dicunt Auctores praefati, quia eo » casu non solus honor defenditur, » sed etiam bona ad vitam necessaria, quorum jactura certo suppo» nitur non posse aliter reparari. » Et huic sententiae adhaerent Lessius, Sanchez, Palaus cum Coninchio et Valentia, dum dicunt, licite posse acceptari duellum ad » necessariam defensionem bonorum » magni momenti; hocque probabile » putant Roncaglia et Croix, modo » actu alter bona invadat, et actu » pugnandum sit: non vero, si in » posterum. - *Sed hodie hae ambae* » *praedictae opiniones amplius non* » *sunt probabiles,* ex *prima* et *quarta* inter quinque Propositiones, » quas SS. P. *Benedictus XIV.* nu» per damnavit in sua Constitutio» ne, quae incipit: *Detestabilem,* edita die 10. Nov. ann. 1752.

» Propositiones enunciatae hae » sunt: « *I. Vir militaris, qui, nisi* » *offerat et acceptet duellum, tam*» *quam formidolosus, timidus, ab*» *jectus, et ad officia militaria in*» *eptus haberetur, indeque officio,* » *quo se suosque sustentat, priva*» *retur, vel promotionis alias sibi* » *debitae ac promeritae spe perpe*» *tuo carere deberet, culpa et poe*» *na vacaret, sive offerat, sive ac*» *ceptet duellum... IV. Licitum est* » *in statu hominis naturalis acce*» *ptare et offerre duellum, ad ser*» *vandas cum honore fortunas,* » *quando alio remedio eorum ja*» *ctura propulsari nequit...* »

Dein, *n. 401.* de poenis duello impositis tractans, S. Alphonsus advertit: « Istae autem poenae incurrun» tur tantum *ob duellum stricte* » *sumptum,* scil. convento loco, tem» pore et armis; non vero ob confli» ctum improvisum, quamvis pu» gnantes ex eodem impetu rixae » perrexerint ad aliquem locum ido» neum... »

Demum, *Lib. 7. n. 218.*, censuras recensens Papae reservatas, ait, ipsas incurrere « *committentes duellum et* » *ad id cooperantes, suadendo* etc.» Quod uberius *n. 220.* explicans, subdit: « Notandum 1. ex quinque Pro» positionibus damnatis a SS. P. Be» nedicto XIV...., non esse licitum » offerre aut *acceptare* duellum, ne » quis privetur officio, *etiamsi ex eo* » *aliquis se suosque sustentet*, vel » spem habeat promotionis alias sibi » debitae... »

II. - *P. Gury*, T. II. num. 973. pag. 867.,[1] similiter ait, excommunicationem incurrere: « Committentes

1) In altera edit. pag. 694.

duellum, vel illud *acceptantes*... S. Lig. n. 218. Recole insuper dicta de duello, in Tract. *de quinto praecepto, n. 404.* » – Loco autem citato, nempe T. I. *n. 405. ad 5.* pag. 438., inter alia dicit: « Licet pugnare in duello ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur, aut amissio bonorum secutura sit, nisi pugna acceptetur, nec adsit alia ratio hoc periculum evadendi; sed non licet se conferre ad alium locum, aut indicere ad defensionem aliud tempus determinatum: quia tunc duellum proprie dictum haberetur. »

Ad quem textum, et quidem ad verba: « *sed non licet se conferre ad alium locum* », P. BALLERINI sequentia adnotat: « Si tamen mors » tibi intentetur, nisi continenter » in alium locum pergas, ubi te defendere possis, haec circumstantia » non videtur resolutionis praecedentis rationem immutare. – S. *Alphonsus* (Lib. 3. n. 400.), postquam » retulit plurium DD. sententiam » circa casum *amissionis bonorum,* » subdit, eam opinionem non esse » amplius probabilem ob *primam* et » *quartam* e propositionibus a *Benedicto XIV.* proscriptis. *Verum* » *non constat, hunc casum in iis* » *comprehendi.* Illae enim de duello » etiam *offerendo* loquuntur; hic vero agitur de sola *acceptatione* ad » necessariam bonorum (magni momenti) ab actuali invasione defensionem. » [1]

In altera editione, pag. 332., cl.

1) Inter Adnotationes, quas cl. Ballerinius ad textum Patris Gury de quinto Praecepto adjecit, duae habentur, quas, utpote minoris momenti, silentio praetermisimus. Cum tamen in iisdem agatur de auctoritate *D. Thomae*, deque cura, quam S. Alphonsus in eo allegando semper habuit, breviter easdem perpendere abs re non erit.

I. — *P. Gury*, T. I. *n. 390.* pag. 416. (in altera edit. pag. 315.) quaerit: « *An liceat incendere navim aut turrim, ut hostes grave damnum patiantur, sed cum certa vitae propriae jactura?* » Et respondet: « *Affirm.* saltem *probabilius;* quia expedit damnum publicum vitari, vel commune bonum procurari, etiam cum damno privatorum certissimo. *S. Lig. n. 367.* » — Quocirca P. BALLERINI advertit: « *S. Alphonsus* (Lib. 3. n. 367. q. II.) de hac » re inducit Doctores quasi dissentientes, et pro opinione negante etiam *S. Thomam* (2. 2. » q. 64. art. 5.) allegat. Sed reipsa nulla est inter Doctores dissensio: qui ideo solum diversam quaestionis solutionem protulerunt, quia diversam statuunt hypothesim seu quaestionem. *S. Thomas* itaque, et alii cum eo, licere id negant ad privatum vitandum incommodum, seu *ad alias hujus vitae miserias* evadendas, v. gr. captivitatem aut etiam mortem » sibi ab aliis inferendam. Hoc autem non pugnat cum aliorum communi sententia, quod » id liceat, ubi causa boni publici, aut ratio damni publici avertendi intercedat. »

Hac animadversione, *S. Alphonsus* eo magis feritur, quia in Praefatione Operis expresse declarat: « *Praesertim sedulam operam navavi in adnotandis doctrinis D. Thomae, quas* » *in suis fontibus observare curavi.* » — Videamus itaque, num in praesenti quaestione, in qua lectorem ad *2. 2. q. 64. art. 5.* remittit, doctrinam Angelici perperam inspexerit.

Loco citato, *D. Thomas* id quidem asserit, quod P. Ballerini refert, videlicet, non licere sibi mortem inferre « *ad alias hujus vitae miserias evadendas.* » Verum oculos cl. Professoris effugerunt quae in eodem articulo paulo inferius *(resp. ad 4.)* leguntur. — Objectio desumpta erat ex *Samsonis* exemplo, qui in casu simillimo, nempe ad inferendum Philistinis grave damnum, concussis columnis totam domum subverterat, cum certa vitae propriae jactura. Et *S. Thomas* respondet: « Ad quartum dicendum, quod, sicut *Augustinus* dicit in primo de Civ. Dei, *nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quod latenter Spiritus sanctus hoc jusserat*, qui per illum miracula faciebat. *Et eamdem rationem assignat de quibusdam sanctis feminis, quae tempore persecutionis seipsas occiderunt*, quarum memoria in Ecclesia celebratur. »

Sive itaque ratio intercedat boni publici, ut in Samsone; sive non, prout in exemplis sanctarum feminarum: *D. Thomas* pariter *negat* cum S. Augustino, posse aliquem mortis *certae* periculum incurrere, *nisi ad id impulsus fuerit ab ipso Deo*, ad quem (uti advertit Angelicus, in corp. cit. art.) pertinet judicium mortis et vitae. — Recte igitur S. Alphonsus pro sententia negante D. Thomam adducit.

II. — Citato Tom. I. *n. 391.* pag. 417. (in altera edit. pag. 317.) *P. Gury* scribit: « Quisque tenetur ad vitam conservandam; cum nemo hujus vitae donum abjicere sine peccato possit, et peinde sit vitam non conservare, et eam sibi adimere. » — Ad quae verba, P. BALLERINI sequentia adnotat: « Licet nihilominus, ex communissima DD. sententia, *tabulam amico cedere* in naufragio, etiam cum certa vitae jactura: quinimo ex *S. Thoma* id perfectissimae

Professor eamdem Adnotationem novis argumentis, tum intrinsecis, tum extrinsecis, confirmare studet: a quibus proin saltem breviter examinandis abstinere non possumus.

III. — Primum a P. Ballerinio allatum argumentum sic sonat: « Norunt porro omnes, damnationem Propositionis complexae nequaquam exigere, ut omnia ejusdem membra censeantur falsa, sed *satis esse, si falsum reperiatur alterum;* quinimo prius illud ad absurdum per se inducit; nam si v. gr. dicas: *SS. Apostolis Petro et Paulo amputatum caput fuit,* concludendum ex damnatione foret, *neque Paulo amputatum caput fuisse:* quod est aperte falsum. Sancte itaque servanda regula illa logicorum est, Propositionis damnatae atque adeo falsae veram habendam esse non quidem *contrariam,* sed *contradictoriam* tantummodo. — Porro propositionis *copulativae,* cujusmodi sunt objectae *prima* et *quarta,* contradictoria erit hujusmodi: *Aut offerre, aut acceptare duellum, etc., illicitum est.* Atqui, vi *disjunctivae* istius thesis *absurde* inferres, illicitum esse *utrumque* simul ipsius membrum. Ergo, ex illarum Propositionum damnatione, *nihil erui certe potest* adversus eam opinionem, adeo ut damnata dici queat. »

Ast, hic fucum sibi facere videtur cl. Professor. Nam, servando etiam regulas quas ipse tradit, ad recte convertendas propositiones damnatas, ex iisdem clare eruitur, *condemnatam esse acceptationem duelli, ad servandas cum honore fortunas.*

1. Etenim contradictoria *primae* Propositionis damnatae alia esse nequit, nisi sequens: « *Vir militaris,*

» esset virtutis (Vid. Fagundez, in Dec. lib. 5. cap. 12. n. 18.). Unde *inanis censendus est* » *scrupulus Sylvii* (apud S. *Alph.* lib. 3. n. 366.), qui limitat, *nisi propter peritiam na-* » *tandi absit periculum mortis* (In 2. 2. q. 26. art. 4.). »

Ergo S. Doctor noster cum Sylvio inani detinetur scrupulo. Quinam autem praecise sit iste scrupulus, paulisper examinare juvat.

S. Alphonsus, lib. 3. *n. 366.*, sequentem refert textum *Busembaumii*: « Similiter *licet* se objicere telo vel ictui, ad servandam vitam Principis, amici ad mortem injuste damnati vices subire, vel *in naufragio tabulam celere.* » — Ad quae ultima verba, ipse S. Doctor addit: « *Etiamsi tabula jam sit capta, ut..... docent Sylvius..... ex D. Thoma*, qui in 3. D. 29. » art. 5. ad 3. dicit, quod tradere seipsum morti propter amicum est *perfectissimus actus* » *virtutis;* unde hunc actum magis appetit virtuosus, quam vitam propriam corporalem. » *Recte autem advertit Sylvius, eum non posse, ad tabulam cedendam, se projicere in* » *mare, quia nemo potest positive se occidere...* » — Porro Sylvius, 2. 2. q. 26. art. 4. q. 3. concl. 3. (qui textus a recentioribus Theol. mor. S. A. editoribus affertur), haec habet: « Si jam coepit tabula uti, non videtur posse illam reliquere, *ita ut seipsum in mare projiciat:* nisi propter peritiam natandi absit periculum mortis. *Talis enim sui ipsius praecipitatio videtur ad occisionem sui pertinere:* etsi non desint qui aliter sentiant. Si vero necdum coepit illa uti, vel coepit quidem, sed cedere potest *absque eo quod seipsum in mare praecipitet*, potest permittere ut ab altero occupetur. »

Ex allatis textibus evidenter patet, principium D. Thomae, quod innuit cl. Professor, nec a S. Alphonso, nec a Sylvio rejici aut limitari. Quinimo S. Doctor illud adducit ad confirmandam et extendendam Busembaumii sententiam; siquidem illud etiam ad casum applicat, quo tabula amico cedenda jam capta aut occupata sit a naufrago, hujusmodi charitatis actum exercente. Id tantum requirit, *ut in mare sese non projiciat*, nisi (seu intelligi potest cum Sylvio) propter peritiam natandi absit periculum mortis: « *quia nemo potest positive se occidere.* »

Num autem talis conditio apposita dici possit *inanis scrupulus*, judicent alii. Quidquid sit, S. Alphonsus (cit. lib. 3. n. 367.) cum communi docet: « *Directe se occidere nunquam licet* »; atque idem affirmat (n. 369.) de damnato ad mortem, qui potest quidem scalam ascendere, collum gladio aptare, etc., nunquam tamen sibimet ictum lethalem inferre. — Nec ullatenus doctrinae S. Alphonsi contradicit *D. Thomas*, qui loco cit. tantum docet « *quod tradere seipsum morti propter amicum, est perfectissimus actus virtutis.* » Qua de re nullus sane dubitabit, postquam ipse Dominus noster non solum nos edocuit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* » (Joann. 15. 13.); verum et infinito amore « *tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* » (Eph. 5. 2.).

qui, nisi offerat et acceptet duellum,... officio, quo se suosque sustentat, privaretur,... culpa et poena NON *vacaret, sive offerat,* SIVE ACCEPTET *duellum.* » Nihil sane clarius desiderari posset.

2. Altera Propositio contradictorie sic sonat: « *Licitum* NON *est... acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas...* » Damnatio opinionis id negantis non statim quidem oculis affulget, quia dicitur: *acceptare et offerre.* At vero, si non damnatur alter *acceptans,* quia propositio est copulativa; pari ratione, neque damnari potest alter *offerens;* ergo, in praefata propositione *neuter* certo damnatur: quod est absurdum. Porro, prima legum interpretationis regula haec est: *ne quid absurdum sequatur.* Ergo interpretatio cl. Ballerinii admitti nequit. Adde, quod sensus quartae propositionis damnatae jam clare continetur in prima propositione. – Ex quibus sequitur, interpretationem S. Alphonsi rectam esse dicendam.

3. Cum cl. Professor regulas tradat ad genuinam hujusmodi Propositionum intelligentiam, audire juvat *Joannem Reuter, S. J.,* eadem de re disserentem: [1] « Cum Propositio damnata possit facere sensum vel universalem, vel particularem; composita vero sensum copulativum, vel divisum: ut intelligatur, in quo sensu sit damnata, quaeque *contradictoria* illi opposita sit vera, considerare oportet tum *materiam,* quae proscribitur, tum *rationum momenta,* ob quae proscribi meruit, tum *mentem* eorum, qui eam propositionem docuerunt, tum denique *communem Doctorum sensum.* » – Porro, quinam hac in re communis sit DD. sensus, ex modo dicendis patebit.

IV. – Alterum argumentum a cl. BALLERINI desumitur ex auctoritate: « Et reipsa (inquit) eximius ex Ordine Serv. B. Mariae Virg. theologus, *Marcus Struggl,* postquam diligentissime perpendit has quoque Propositiones a Benedicto XIV. proscriptas, nihilominus *(Th. mor. tr. 7. q. 3. art. 6. n. 65.)* statuit, *licitum posse evadere duellum..., si contra injustum aggressorem ad defensionem vitae vel ingentium bonorum, necessario debeat suscipi; ut si quis actualiter intentaret certam mortem, direptionem bonorum, aut incendium domus, nisi cum illo actualiter duellum ineas; nam licitum est se defendere contra injustum aggressorem vitae, et ingentium bonorum alia via irrecuperabilium.* »

Prae caeteris responderi posset, ex hac unius auctoritate, licet « eximii Theologi », nullatenus everti aut infirmari interpretationem S. Alphonsi; quippe qui et ipse, et potiori sane jure, eximius Theologus censendus est. Ex supra dictis itaque interpretationi S. Doctoris insistimus, quoadusque cl. Professor, tum validioribus argumentis, tum ex communi Auctorum sensu, contrarium probet.

Et re quidem vera. Nam praefatae auctoritati Marci Struggl plures opponi possunt. Pauci quidem sunt Theologi, qui post Benedictum XIV. hac de re scripserunt; et plerique eorum memoratas Propositiones simpliciter et absque ullo commentario referunt. Non desunt tamen Auctores, qui cum S. Alphonso sentiunt, eamdemque interpretationem expresse tradunt. Sic

1. *Theologus Romanus* in adnot. ad *Lucium Ferraris,* de iisdem Propositionibus disserens, ait: [2] « Ex earum proscriptione manifestum fit: 1°. Non licere viro militari offerre, *vel acceptare* duellum, ne... officio militari privetur, quo se suamque familiam sustentet: quia timore amissionis officii, quo sustentatur, licita

1) Theol. mor., *Analysis,* q. 4. n. 21. — 2) Verb. *Duellum,* art. 1. n. 21. *nota* (cfr. edit. Abbatiae Montis Casini, 1847.).

non potest fieri actio, qua propriam et alienam vitam periculo exponit... 4°. Ne quidem in statu naturali, ubi scilicet tribunalia et judicia desint pro honoris, bonorumque defensione, *acceptari*, vel offerri duella posse: nunquam enim licet propriam et alienam vitam, cujus Deus Dominus est, certo periculo exponere, et animam aeternae damnationi subjicere... »

2. *Patuzzi:* [1] « Cum itaque duellum sit jure omni vetitum, non licet *vel acceptare*, vel ad illud provocare, nec vitae tuendae gratia; nam, cum duellum non sit ex improvisa rixa, sed *ex condicto*, nemo illo indiget ad salvandam vitam, cum facile possit pugnam declinare... Nec ad propriam conservandam dignitatem, *officium, stipendium*, quae obtinet vir militaris, *ex quibus sua suorumque sustentatio pendet*, licet illi duellum *acceptare*. – Oppositum docuere plurimi ex recentioribus Casuistis; verum *hujus doctrinae falsitatem detexit et profligavit Bened. XIV...* »

3. *Concina,* [2] primam damnatam Propositionem examinans, haec habet: « Alii, ut fucatius eluderent thesim proscriptam ab Alexandro VII.... negarunt, licitum esse duellum ob periculum amittendae dignitatis, vel Principis favoris. Propterea addunt, reducto casu ad illas angustias, quod *nisi acceptet*, certus moraliter sit *se ad mendicitatem redactum iri*, ita ut acceptare et pugnare, non tam sit duellum inire, quam *se defendere ab injusto omnium bonorum suorum expoliatore*, licite posse duellum acceptari... Defensio isthaec chimaerica omnino est... Idcirco jure proscripta in prima thesi: « *Indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur...* » Tandem defensionis oppositae futilitas ex aliis capitibus horrida apparet. Qui duellum acceptat, periculo mortis sese exponit. Si moriatur, quis tunc familiam sustentabit? Quamdiu homo vivit, potest industria sua et se, et familiam sustentare. Et proximo mortis periculo poterit quis se exponere, ne officium amittat? Ubi confidentia in illa divina providentia, quae alimenta omnibus in se confidentibus spondet? Si provocatus provocatorem occidat, ad infernum ejus animam detrudit, et semetipsum aeternae damnationis evidenti periculo exponit... Vitam igitur propriam, animam, et familiam perdendam exponit provocatus, dum duellum acceptat. *Prima itaque sacrosancti Evangelii principia evertunt duelli in descripto casu defensores.* »

4. *Flavianus Ricci,* [3] in editione Anacleti Reiffenstuel, post Constit. Benedicti XIV. evulgata, generatim scribit: « Si provocatus, nisi mox acceptet duellum, sit statim occidendus, licite se defendere potest; et hic procedit quaestio in terminis de injusto vitae aggressore. – Si vero provocans non aggrediatur provocatum, *duellum acceptari non potest;* sed vis vi repellenda tunc solum, cum provocans eam infert. »

5. *Voit, S. J.,* [4] casum ponit: « An Bonifacius potuerit licite *acceptare* duellum ex eo, quod facta provocatio non tantum sit *actualis aggressio* honoris, sed officii ac dignitatis, *quae inter temporalia magni momenti* reputantur? » Et respondet: « *Negative.* Vide in P. II. n. 1430. propositiones damnatas a Bened. XIV. »

6. *Ambrosius Stapf,* [5] postquam de poenis a Tridentino duellantibus inflictas disseruit, haec subdit: « Cum vero postmodum Doctores aliqui assererent, duellum in nonnullis saltem circumstantiis offerri, *oblatumve acceptari posse*, e. gr., ne vir militaris pro ignavo habeatur, *vel officio excidat;* Benedictus XIV. omnes hasce assertiones ceu erroneas rejecit, et quaecunque duella jure tum na-

1) Tr. 5. de quinto Praec. part. 5. c. 9. *§.* 8. n. 14. et 16. — 2) Compendium, lib. 5. c. 5. *§.* 8. — 3) Tr. 9. dist. 3. q. 3. n. 86. — 4) Theol. mor. n. 680. — 5) Theol. mor. tom. 3. sect. 4. c. 4. *§.* 391. n. 5.

turali, tum positivo, divino atque ecclesiastico, absolute prohibita declaravit. »

7. *Card. Gousset,* [1] scribit: « En morale et aux yeux de la religion, le duel est un crime. On ne peut l'autoriser, ni pour mettre au jour la vérité, ni pour terminer un procès, ni pour sauver son honneur, ni pour éviter le reproche de lâcheté. » – Et ad propositiones ab Alex. VII. et Bened. XIV. damnatas se referens, scite advertit: « *Il n'est pas de prétexte que la passion n'ait imaginé pour justifier le duel;* mais il n'en est pas un, qui ait échappé à la vigilance et aux censures des Papes et des évêques. »

8. *Scavini* [2] postquam ostendit, duellum esse prorsus illicitum, intrinsece malum et mortale, subjungit: « Quare Tridentinum fortiter ait: *Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur.* Et Alexander VII. damnat hanc sub n. 2. propositionem: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud* acceptare, *ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Quod valet ex Benedicto XIV., licet aliunde *officio et sustentatione privaretur...* et licet id faciat *ad bona conservanda;* neque enim sunt facienda mala sub quacumque boni specie. »

9. *Martinet:* [3] « *Quidquid protulerint* plures Theologi insignes, Lessius, Sanchez, Laymann, Lacroix, etc., ad excusandam *acceptationem*, etiam provocationem duelli in statu nobili et militari, omnem opinioni eorum probabilitatem abstulit Benedictus XIV.... » Et in fine lectorem remittit ad S. Alphonsum.

10. *Albrand,* [4] post relatas quinque Propositiones a Bened. XIV. damnatas, concludit: « Unde patet, *nullo in casu, nullam ob causam,* duellum privatum aut offerre, aut *acceptare* licitum esse. »

11. *Frassinetti:* [5] « Sono da notare la seconda delle proposizioni condannate da Alessandro VII., e le cinque condannate da Benedetto XIV., nelle quali si riprova il duello, *ancorchè fosse accettato* per difendere il proprio onore, l'impiego, e *i mezzi di sostentazione propria e della famiglia.* »

12. Cl. *Müller,* quamvis verba alleget P. Ballerinii, qui merito extollit Romani Pontificis sapientiam in coercendo duello, atque eas gentes insipientiae arguit, e quarum codicibus hujusmodi leges abrasae fuerunt; in praesenti tamen quaestione a cl. Professore dissentit. Ait enim: [6] « Cumque nihilominus nonnulli extiterint Auctores, qui in quibusdam circumstantiis, defensionis titulo duella licere pronuntiarent, videlicet, *si non acceptans officio et sustentatione privaretur,...* vel si quis acceptet duellum... *ad servandas cum honore fortunas....*: has omnes assertiones Benedictus XIV. in Bulla praelaudata *Detestabilem,* tamquam falsas, scandalosas ac perniciosas rejecit, damnavit ac prohibuit. »

13. *Bouvier:* [7] « Plures, inter quos Lessius, Sanchez, Laymann, Lacroix, etc., opinati sunt, virum nobilem vel militarem *acceptare posse* duellum et quandoque illud offerre, si alias, amisso honore in exercitu, privandus esset officio, quo se et familiam suam sustentat; quia eo in casu, non solus honor defenditur, sed *bona ad vitam necessaria,* ipsaque vita. – Verum, ea opinio *omnino rejicienda* est, et quodlibet duellum, privata auctoritate susceptum, est peccatum mortale. Constat... » Dein refert propositiones a Benedicto XIV. damnatas.

14. Sit tandem *Cuniliati,* [8] qui primum sic scripserat: « Reducto igitur casu ad illas angustias, quod,

1) Théol. mor. T. 1. n. 620. — 2) Theol. mor. T. 2. n. 709. — 3) Instit. theol. T. 3. lib. 4. art. 13. §. 3. — 4) Theol. univ. Thomae ex Charmes, T. 5. Parisiis 1871. pag. 444. — 5) Compendio, ediz. 3. n. 147. — 6) Theol. mor. Lib. 2. p. 2. §. 151. pag. 468. — 7) De quinto Praec. art. 5. — 8) Theol. mor. tr. 4. c. 9. §. 5. n. 5.

nisi acceptet, certus moraliter sit *se ad mendicitatem redactum iri*, ita ut acceptare et pugnare non tam sit duellum inire, quam *se defendere ab injusto omnium suorum bonorum expoliatore;*... et putamus, longe diversum (casum) ab illo thesis damnatae (ab Alex. VII.): aliud enim est acceptare, ne timiditatis nota incurratur; et longe aliud, ne ab injusto invasore de statu honesto ad mendicitatem redigatur. Idcirco, secluso omni scandalo, *fortasse apparere potest licitum acceptare ob purum motivum defendendi illa bona*, ad honestam vitam viri equestris aut militaris necessaria: dixi *fortasse;* quia non sine metu haec proferimus, et sapientiori judicio emendanda subjicimus. »

Dein vero addit: « Ita scribebam in prima editione, *quia nondum emanaverat Constitutio S. P. Benedicti XIV...* » Et relatis quinque Propositionibus damnatis, subjungit: « Ne igitur videar, vel specietenus, ad primam harum damnatarum thesium accedere, *rejicio animadversionem*, quam sapientiori judicio examinandam et emendandam proposueram n. 5.; atque, *post S. Sedis oraculum, conticescat omnis lingua.* »

HINC CONCLUDIMUS:

Doctrina S. Alphonsi argumentis sive intrinsecis, sive extrinsecis cl. Ballerinii nec evincitur, nec infirmatur; quin potius *multo communior*, imo *communissima* dicenda est interpretatio S. Doctoris circa Propositiones a Benedicto XIV. damnatas. Hinc,

1. Si quis, ad necessariam bonorum magni momenti defensionem, *aggressorem statim armis repellat, cum moderamine inculpatae tutelae*, non peccat; quia probabilius id licet, juxta sententiam, quam S. Alphonsus (lib. 3. n. 383.) communem dicit.

2. Si pugnantes, sive ad conservationem bonorum, sive aliam ob causam, *ex eodem impetu rixae*, ad aliquem locum pergant, *quin interveniat ullum condictum*, peccant ratione irae et rixae; attamen censuram aut poenas duellantibus inflictas non incurrunt, quia tunc non est duellum proprie dictum.

3. Si autem *duellum proprie dictum* habeatur, id est, si de loco et tempore certaminis ambo conveniant, quamvis illud alter non *acceptet*, nisi *ad actualem et necessariam bonorum magni momenti conservationem*, aut quamvis duellum *ex condicto statim sequatur:* uterque graviter *peccat* contra quintum praeceptum, atque insuper incurrit censuram, seu *excommunicationem* Summo Pontifici reservatam, praeter alias poenas a Jure duellantibus inflictas.

APPENDICES

APPENDIX I.

CONSPECTUS GENERALIS

QUAESTIONUM S. ALPHONSI ET ADNOTATIONUM CL. BALLERINII,

QUAE IN HOC OPERE AUT VINDICANTUR
AUT CONFUTANTUR.

Pro majori commoditate lectorum, qui prae manibus habent Compendium P. Gury Adnotationibus cl. Ballerinii locupletatum, in vindicanda S. Alphonsi doctrina generatim eum secuti sumus ordinem, quo singulae S. Doctoris sententiae in praefatis Adnotationibus recensentur et oppugnantur. — Cum autem iste ordo passim a divisione Theologiae moralis S. Alphonsi differat; cum insuper non paucarum cl. Professoris adnotationum confutationes extra quaestionum seriem sparsae habeantur: opportunum ducimus, omnes hic ordinatim recensere, tum quaestiones S. Doctoris, tum cl. Ballerinii adnotationes; eum in finem, ut quo loco singuli textus occurrant, statim et absque ullo labore inspicere liceat.

§. 1.

Quaestiones Theologiae moralis S. Alphonsi,

quae in hoc Opere vindicantur aut exponuntur.

Praef. in fin. Monitum S. Doctoris, respiciens modum quo sententias suas passim enuntiare solet. *pag.* 900

LIB. I. DE CONSC. ET LEGIBUS.

Tract. I. de Conscientia.

Num. 20. Quid sit dubium positivum. . . . . » 120

26. Quaenam sint praecipua principia reflexa . . . . . » 13

28. 29. Stante probabili tantum impletione voti etc., possidet obligatio . . . . . » 19

34. Non sufficit dubia solutio debiti certi . . . . . » 20

40. Definitio conscientiae probabilis. . . . . » 13

40. Quid sit opinio tuta, quid tutior. . . . . » 8

41-52. De usu illicito opinionis probabilis, probabilitate facti, etc. » 14

47. Judex tenetur judicare secundum sententiam probabiliorem . . » 799

48-51. In collatione et susceptione Sacramentorum, uti non licet opinione probabili, nec etiam probabiliori, circa eorum valorem. » 15. 412

59. De licito usu opinionis aeque probabilis, etc. . . . . » 17

67. De natura opinionis certe probabilioris. . . . » 5. 61. 68. 72

71. Ex duplici opinione aeque probabili, merum resultat dubium de existentia legis. . . . . *pag.* 36

82. Quid sit opinio probabiliss. » 5. 9

Tract. II. De Legibus.

96. q. 2. An, ut lex pontificia obliget, requiratur spatium duorum mensium a promulgatione. . » 910

97. In dubio de sufficienti causa excusante, possidet lex . . » 19. »

99. Quid in dubio, an legem impleveris . . . . . » 120

100. An lex humana possit praecipere actus internos . . . . . » 909

106. q. 2. An declarationes SS. Congr. Rom. vim legis habeant. . . » 905

156. An peregrinus teneatur ad leges loci, ubi est . . . » 871. 869

158. An peregrini dispensari possint ab Episcopo loci, tam in legibus communibus, quam in votis et juramentis. . . . . » 553

Appendix II. De Privilegiis.

Num. 32. De facultate Episcopi, quoad absolvendos peregrinos. . » 553

57. An Episcopus, ante matrimonium contractum, dispensare possit in imped. dirimente, si imminet periculum infamiae, etc. » 814

75. 77. An Episcopi censuras ferre possint in Regulares. . . . » 876

LIB. II. DE PRAEC. VIRT. THEOL.

Tract. I. De Praec. Fidei.

Num. 2. An repetenda sit confessio peccati gravis, facta cum ignorantia myst. SS. Trin. et Incar. *pag.* 463

8. Quoties obliget in vita actus charitatis. . . . . » 145

Tract. III. De Praec. Charitatis.

23. An urgeat praeceptum charitatis in articulo mortis. . . . . » 149

24. Quodnam sit objectum formale charitatis. . . . . » 400

32. De obligatione gravi dandi eleemosynam ex superfluis statui. . . . . » 152. 161

45. An in scandalo duplex sit peccatum. . . . . » 915

63. Quid sit cooperatio materialis, quid formalis . . . . . » 167

64. De famulo comitante herum, etc. » 165

65. Non licet famulo deferre munera meretrici, etc. . . . . » 173

67. De famulo scribente vel deferente litteras, etc. . . . . » 175

71. An liceat vendere ornatus puellae iis abusurae . . . . . » 180

LIB. III. DE PRAEC. DEC. ET ECCL.

Tract. I. De 1. Praec.

Num. 30. An in tentatione Dei interpretativa detur parvitas materiae. . . . . » 187

47. An violatio cujusvis voti, speciatim simplicis voti castitatis, sit sacrilegium. . . . . » 191

57. An sit simonia dare mutuum, etc. » 222

59. An sit simonia dare temporale, pro spirituali ab alio in commodum sui praestando . . . . » 244

109. 110. 117. An, ob simoniacam ordinationem, etiam primae tonsurae, incurratur excom. et suspensio S. Pontifici reservata. » 230. 240

112. q. 3. Quid, si probabile est, quod lex abolita sit, etc. . . » 122

115. Cui restituendum sit pretium simoniacum. . . . . » 249

Tract. II. De 2. Praec.

126. An in confess. explicandum, si quis blasphemando directe intenderit Deum inhonorare . . . » 918

127. An in blasphemando semper sit aliqua advertentia de malitia. . . . . » 256

146. An sit peccatum grave defectus justitiae in juramento assertorio, etc. . . . . » 260

150. An a mortali excusentur rustici pejerantes. . . . . *pag.* 675

190. An facultatem habens dispensandi in votis, possit etiam in juramentis. . . . . » 269

206. ad 5. An valeat votum factum ex malo fine, etc. . . . . » 919

221. An peccet mortaliter, qui diu differt implere votum pro tempore indeterminato factum. . . . » »

Tract. III. De 3. Praec.

290. An, in dubio de consuetudine, possideat praeceptum, etc. . » 121

314. An satisfaciat praecepto, qui tempore missae confitetur . . » 275

326. De causis ab auditione missae excusantibus. . . . . » 22

332. De peregrinis, quoad missam audiendam . . . . . » 869

Tract. IV. De 5. et 6. Praec.

366. An liceat amico tabulam cedere in naufragio, etc. . . . » 881

367. q. 2. An liceat incendere navim etc., cum evidenti periculo vitae . . . . . » 880

400. 401. An duellum acceptare liceat ad necessariam bonorum defensionem . . . . . » 879

415. 416. An detur parvitas materiae in delectatione sensibili, etc. » 283

432. De delect. in matrimonio. . » 829

458-462. An copula maritalis, et actus turpes externi in ecclesia, sint sacrilegia . . . . . » 205

Tract. V. De 7. Praec.

584. Undenam repetenda sit obligatio ad restitutionem . . . » 923

629. Quid, si quis incenderit domum Titii, putans eam esse Caji. » »

642. §. 2. De defloratione cum ficta promissione matrimonii. . . » 361

700. q. 2. fin. Probabilis solutio debiti certi non sufficit. . . . » 20

712. q. 1. An inducant obligationem pacta de re prava et turpi. . » 334

718. An contractus, ex metu levi initus, sit rescindibilis. . . . » 789

Tract. VI. De Praec. Ecclesiae.

1037. An excusentur a jejunio foeminae quinquagenariae. . . » 922

LIB. IV. DE PRAECEPT. PART.

Num. 3. An Episcopus regularis teneatur ad observantiam suae regulae . . . . . » 904

24. An et quando graviter peccet Religiosus, qui sine licentia dona ab extraneis accipit, ad aliis praestandum . . . . . » 372

47. An subditus, dubitans de licitate praecepti Superioris, obedire teneatur . . . . . *pag.* 20. 21
150. De causa excusante ab Officio divino repetendo . . . . . » 21
174. q. 1. De recitatione Matutini ante tempus debitum. . . . . » 927

LIB. V. DE ACT. HUM. ET PECCAT.

Tract. de Actibus hum.
Num. XIV. Non facile credat Confessarius poenitenti, qui se excusat pejerasse, etc. . . . . » 258
XLIV. De actibus ad Deum referendis. . . . . » 127
Tract. de Peccatis.
Num. 20. 21. An liceat delectari de opere malo ob bonum effectum, etc. » 135
45–50. An peccata multiplicentur ex diversitate objector. total. » 912. 921
63. An peccet mortaliter, qui se exponit periculo probabili mortaliter peccandi. . . . . » 295
76. fin. De modo, quo S. A. passim sententias suas enuntiare solet. » 901

LIB. VI. DE SACRAMENTIS.

Tract. I. De Sacram. in gen.
Num. 32. An peccet graviter minister, qui confert in mortali Sacramentum, ad quod non sit specialiter ordinatus. . . . . » 928
63-77. De clerico ordinando, in vitio turpi habituato. . . . . » 778
80. De intentione requisita in Sacramenta suscipientibus. . . » 416
88. 89. An liceat petere Sacramenta a ministro indigno. . . . . » 816
Tract. II. De Bapt. et Confirm.
107. An absolute vel sub conditione baptizandus sit infans in utero matris. . . . . » 929
182. An sit obligatio gravis recipiendi Confirmationem . . . » 944
Tract. III. De Eucharistia.
217. An consecratum censeatur Ciborium ex oblivione extra corporale relictum. . . . . » 380
220. An omissio vocis *enim* in consecratione, sit gravis. . . . » 930
240. ad 5. De prohibitione S. Com. ministrandi in ecclesiis Regul., die paschatis . . . . . » 931
265. q. 1. An habens peccatum reserv., deficiente Confess. facultate praedito, teneatur confiteri apud simplicem, ut possit communicare. . . . . » 499. 940
273. An liceat conjugato ad Com. accedere, die quo habita est copula, voluptatis causa, . . *pag.* 827
285. dub. 1. De Communione suscipienda ab infirmis non jejunis. » 932
322. dub. 4. An liceat cum alio Sacerdote permutare intentionem missae, etc. . . . . » 386
359. An Episcopus facultatem concedere possit, missam in oratorio privato dicendi. . . . . » 904
370. dub. 2. An calix et patena consecrationem amittant, si inauratio percat. . . . . » 933
Tract. IV. De Sacram. Poenitentiae.
431–432. An et quando possit valide et licite dari absolutio sub conditione. . . . . » 654
432. 459. An possit absolvi recidivus in venialia, dubie tantum dispositus . . . . . » 480. 650
436. Ex quo motivo elici debeat actus perfectae contritionis. . » 400
443. An sufficiat attritio ex metu poenarum temporal., prout infliguntur a Deo . . . . . » 426
444. fin. Semper consultum, imo quandoque necessarium est, ut dolor eliciatur ex motivo generali. » 461
447. An dolor eliciendus sit cum intentione confessionis. . . . » 411
448. An, si quis statim post absol. confitetur peccatum oblitum, teneatur novum doloris actum elicere. » 418
450. An sufficiat propositum virtuale, inclusum in dolore . . . » 443
451. An firmum censeatur habere propositum, qui certo credit se relapsurum. . . . . » 440
452. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum iis, qui sunt in occasione peccandi. . . » 608–609
455. 456. An possint absolvi, qui sunt in occas. proxima necessaria. » 775
456. fin. Regula generalis a Confessario observanda, in delectu opinionum . . . . . » 609
457. An absolvi possit, qui in occas. necess., etiam adhib. remediis, semper eodem modo relabitur. » 603
459–461. Doctrina circa absolvendos consuetudinarios, et recidivos dubie dispositos. . . . » 649–752
462-464. An Confessarius, ut medicus, possit aut quandoque debeat differre absol. recidivo satis disposito. . . . . » 752–771
463. De recidivo satis disposito, ex fragilitate intrinseca relapso. » 768

464. De recidivo satis disposito, in occasione proxima necessaria constituto. . . . . *pag.* 771
477. An sufficiat probabilis accusatio peccati certi . . . » 19. 21
478. Qui peccatum uti dubium accusavit, an teneatur repetere etc. » 472
479. An ignarus idiomatis, in articulo mortis adhibere debeat interpretem. . . . . » 480
480. An, in articulo mortis, semper requiratur accusatio alicujus peccati distincti. . . . . » »
502. dub. 1. An distincte repetenda sint in conf. peccata, extra confessionem mere historice Confessario enarrata. . . . . » »
505. Quomodo intelligenda sit regula: non esse repetendas confessiones, nisi de earum nullitate moraliter certo constet. . . » 460
516. An quis poenitentiam recusare possit, ut in purgat. satisfaciat. » 938
537. q. 2. An per confessionem invalidam in Jubilaeo, auferatur reservatio . . . . . » 576
548. A quonam Ordinario habenda sit approbatio . . . . . » 526
562. 563. An Sacerdos simplex absolvere possit moribundum, praesente Confess. approbato. . . » 501
569. An peregrini confiteri possint cuivis approbato, in loco ubi reperiuntur. . . . . » 507
573. An liceat administrare Sacr. Poenit. cum jurisdictione tantum probabili. . . . . » 485
580. 581. An ignorantes invincibiliter reservationem, incurrant casus, sive a Papa, sive ab Episcopo reservatos. . . . . » 515
585. Quid possit simplex Confessarius circa casus, sive a Papa, sive ab Episc. reservatos. . . . » 554
588. An simplex Confess. absolvere possit peregrinum a peccato, in illa tantum dioecesi reservato, etc. » 525
589. An possit absolvi peregrinus, irretitus peccato, quod est tantum in sua patria reservatum . . » 533
597. An, qui Superiori confitens, inculpabiliter oblitus est peccati reservati, possit dein a quovis absolvi . . . . . » 572
598. q. 3. An per confessionem inculpabiliter invalidam, tollatur reservatio. . . . . » 577
598. q. 4. An tollatur reservatio per confess. culpabiliter nullam . » 575
600. Utrum, in dubio an poenitens casum reserv. incurrerit, possit illum absolvere simplex Confess. *pag.* 500
605. Quaedam opiniones forsan speculative probabiles, at in praxi valde periculosae. . . . . » 902
619. Ad quid teneatur Confess., si erravit circa valorem Sacramenti. » 621
631. Quid agendum Confessario, qui certo cognovit peccatum a poenitente non declaratum. . . . » 587
633. 634. In materia sigilli, licitum non est uti opinione probabili, etc. . . . . » 642. 643
642. An manifestare defectus naturales poenitentis, sit violatio sigilli. . . . . » 643
644. An Confess. dicere possit, suum poenitentem esse scrupulosum. » »
654. dub. 1. An Confess. violet sigillum, si asserit in aliquo loco gravia crimina perpetrari. . » 624
654. dub. 2. An frangat sigillum, si dicit, Religiosum ex tali Conventu vel Ordine sibi confessum esse peccatum grave. . . . . » 625
657. 658. An et quatenus Confess. uti possit notitia ex confess. habita. » 590
678. dub. 2. An denuntiari debeat Conf., qui post auditam mulieris confessionem, eam domi sollicitaverit. . . . . » 582
681. An sit denuntiandus Confess., consentiens mulieri sollicitanti in confessione. 579
687. q. 8. An, si consentiat ob metum accusationis . . . . . » 580
693. An poenitens sollicitatus, facta denuntiatione, absolvi possit a quovis Confessario, etc. . » 578
Tract. V. De Extr. Unct. et Ordine.
711. Quibus in partibus sacra unctio facienda sit. . . . . » 944
733. An sit obligatio gravis recipiendi Extremam Unctionem. » »
743. An, ad valorem Ordinat., requiratur tactus physicus instrum. » 388
753. An valide ordinetur, qui solum calicem immediate tangit, sed non patenam. . . . . » 390
808. An obligatio caelibatus sit ex praecepto Eccles. vel ex voto. . » 926
Tract. VI. De Matrimonio.
844. q. 2. 3. An valida et rescindibilia sint sponsalia, ex metu levi contracta . . . . . » 789
854. An, inter sponsos, sint peccata mortalia tactus pudici, ad captandam delect. sensib. . . . » 296

857. An per impedim. superveniens, sponsalia dissolvantur. . *pag.* 792
858. An qui imped. apposuit, teneatur dispens. obtinere, etc. . » 793
859. An valeant sponsalia, sub conditione si Papa dispensaverit. » 946
875. An per matrim. subsequens, omnino solvantur sponsalia antecedentia, etc. . . . . » »
876. Quid, si sponso nova superveniat haereditas, aut conjugium cum ditiore offeratur. . . . » 797
901. An liceat matrim. contrahere, cum dubio de imped. dirimente. » 792
906. An conjux, dubitans de morte prioris conjugis, petere possit. » 20
912. Illicita est copula ob solam voluptatem habita. . . . . » 823
918. De actibus imperfectis inter conjuges. . . . . » 823
924. An liceat usus conjugii tempore praegnationis. . . . . » 827
927. Fines copulam cohonestantes, iidem sunt quos habere licet ad matrim. contrahendum . . . » 823
933. De tactibus turp. inter conjuges ob solam voluptatem. . . » 824
937. An sit mortalis delectatio morosa in conjuge, etc. . . . . » »
959. An possit Papa, ex dispensatione, solvere matr. ratum et non consummatum . . . . . » 800
962. An liceat divortium ob sodomiam aut best. a conjugis. . » 806
1036. ad 6. An, ad incurrendum imped. criminis, requiratur manifestatio intentionis, etc. . . » »
1079. An unquam validum sit matr. clandest., in casu necessit. part. » 807
1083. An Parochus excommunicatus, etc., assistens matrimonio, graviter peccet. . . . . » 816
1122. An Episcopus possit dispensare in imped. dirim., ante matr. contractum, urgente necessitate. » 814
1134. 1135. An, in petitione dispensationis, exprimenda sit sub poena nullitatis, copula incestuosa. *pag.* 817

LIB. VII. DE CENSURIS.

Num. 12. An Papa committere possit mulieri facultatem ferendi censuras. . . . . » 867
26. 27. An Episcopus possit censuris ligare alienum subditum in sua dioecesi delinquentem, aut Regulares. . . . . » 868. 875
40. An censuram incurrat, qui ante executionem consilium revocat, etc. . . . . » 842
45. An a censura excuset ignorantia vincibilis. . . . . » 848
48. An excuset ignor. affectata. » 850
55. An requiratur monitio, si censura sit comminata a jure ferendae sententiae . . . . . » 853
56. An monitio facienda sit in scriptis. . . . . » 863
87. An, qui impeditus fuit Pontificem adire, teneatur, cessante imped., sese praesentare, etc. . » 566
91. 92. fin. De casibus ab Episcopo, sive absque, sive cum censura reservatis. . . . . » 555
92. An censura pontificia ligatus, et impeditus Papam et Episc. adire, a quovis absolvi possit. . . » 562
122. An, secuta satisfactione, de se auferatur censura. 858
157. An in quavis censura insordescens, suspectus fiat de haeresi. » 877
218. 220. De censuris duellantibus inflictis. . . . . » 879
241. An Regulares incurrant excomm. latam ab Episcopo. . . . . » 875
280. dub. 2. An cens. incurrat, qui clerico venenum praebet, etc. » 842
368. An, si homicidam poeniteat facti ante mortem, incurrat irregularitatem. . . . . » 843

§. 2.

Adnotationes cl. Ballerinii,

quae in hoc Opere perpenduntur aut confutantur.

TOMUS PRIMUS.

TRACT. DE ACTIBUS HUM.

Ad n. 28. An peccet, qui agit propter delectationem. . . . . » 832
31. De actibus ad Deum referendis. » 128
32. q. 8. An, ut actus sit meritorius, necesse sit agere ex motivo supernaturali. . . . . » 907

TRACT. DE CONSCIENTIA.

Ad n. 53. An S. Alphonsus a communi systemate Probabilismi unquam recesserit. . . . » 1. 32. 97

80. fin. De sensu axiomatis: Non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam. . . . . *pag.* 118

TRACT. DE LEGIBUS.

Ad n. 89. q. 2. An lex humana possit praecipere actus internos. » 909
97. q. 2. An leges pontificiae statim obligent ac promulgatae sunt. » 910
118. q. 4. Quid in dubio, an causa sit sufficiens ad excusandum a lege. » »

TRACT. DE PECCATIS.

Ad n. 152. Non est adstruendum mortale, nisi de eo certo constet. 872
163. ad 8. An multiplicentur peccata ex diversitate objectorum totalium. . . . . » 912
172. 173. An liceat delectari de opere malo, etc. . . . . » 136

TRACT. DE VIRTUTIBUS.

Cap. III. De Charitate.
Ad n. 217. Quodnam sit formale charitatis objectum. . . . . » 399
218. q. 2. Quandonam in vita urgeat praeceptum charitatis. . . . » 146
219. ad 2. An urgeat in articulo mortis. . . . . » 150
228. An sub gravi obliget praeceptum eleemosynae . » 153. 158. 163
236. q. 3. An in scandalo duplex sit peccatum. . . . . » 915
251. De famulo comitante herum. » 165
251. q. 4. An liceat famulo deferre dona meretrici. . . . . » 173
251. q. 5. De famulo litteras amatorias deferente, etc. . . . . » 176
254. An liceat vendere ornatus puellae iis abusurae. . . . . » 180

TRACT. DE PRAEC. DECAL.

De I. Praecepto.
Ad n. 283. ad 3. An in tentatione Dei interpretativa detur parvitas materiae. . . . . » 187
286. q. 1. An sit sacrilegium, violatio personae voto simplici castitatis ligatae. . . . . » 191
286. q. 2. An actus turpes externi in ecclesia, et copula maritalis, sint sacrilegia . . . . . » 206
288. An sit simonia dare mutuum pro re spirituali, etc. . . . » 222
293. An, ob simoniacam Ordinationem, etiam primae Tonsurae, incurratur excom. et susp. S. Pontifici reservata. . . » 231. 237. 241
295. An sit simonia dare temporale, ut alter praestet spirituale in commodum sui, etc. . . . . *pag.* 245
295. q. 3. Cui restituendum sit pretium simoniacum. . . . . » 250
De II. Praecepto.
299. An in confess. explicandum, si quis blasphemando directe intenderit Deum inhonorare. . . » 918
300. ad 3. An in blasphemando semper sit aliqua advertentia de malitia. . . . . » 256
309. An sit peccatum grave defectus justitiae in juram. assertorio. » 261
314. q. 4. An facultatem habens dispensandi in votis, possit etiam in juramentis. . . . . » 270
324. q. 2. An valeat votum rei bonae cum fine pravo, etc. . . » 919
327. q. 4. An peccet mortaliter, qui diu differt implere votum, pro temp. indeterminato factum. . » »
332. Potestne Episcopus in votis et juram. dispensare etiam cum peregrinis. . . . . » 553
De III. Praecepto.
346. An satisfaciat praecepto, qui tempore missae confitetur. . » 276
De V. Praecepto.
390. An liceat incendere navim etc., cum certa vitae jactura. . . » 880
391. An liceat amico tabulam cedere in naufragio, etc. . . . . » »
401. ad 4. De baptismo infantis in utero matris. . . . . » 930
405. ad 5. An excommunicationem incurrat duellum acceptans, ad necess. bonorum defensionem. . » 880
De VI. Praecepto.
411. An detur parvitas materiae in delect. sensibili. . » 285. 287. 293
413. An liceant sponsis tactus pudici, in amoris ostensionem.» 298. 301
414. An iidem liceant ad captandam delect. sensibilem.» 303. 312. 330. 331
De VIII. Praecepto.
449. q. 2. An specie differant detractiones in materiis specie diversis. . . . . » 921

TRACT. DE PRAEC. ECCL.

Ad n. 509. De muliere quinquagenaria, quoad jejunium. . . . » 922

TRACT. DE JUST. ET JURE.

Ad n. 663. An irregular. aut censuram incurrat, qui ante criminis executionem, consilium revocat, etc. . . . . » 841

TRACT. DE CONTRACTIBUS.

Ad n. 729. 760. fin. An violator teneatur ducere puellam sub promissione matrim. violatam. *pag.* 361
760. An semper restituenda sit res ex turpi contractu accepta. . » 336

TOMUS SECUNDUS.

TRACT. DE STATIBUS PART.

Ad n. 41. An obligatio caelibatus procedat immediate ex praec. Ecclesiae, etc. . . . . » 926
65. q. 5. De recitatione Matutini ante tempus debitum. . . . . » 927
159. Quaenam materia censenda sit gravis in violatione voti Paupertatis . . . . . » 373
172. q. 6. An ad rationem meriti requiratur, ut quis agat ex motivo supernaturali . . . . . » 907

TRACT. DE SACR. IN GEN.

Ad n. 208. q. 1. An peccet graviter minister, conferens in mortali Sacram., ad quod non est specialiter ordinatus. . . . . » 928

TRACT. DE BAPTISMO.

Ad n. 259. An certo validus sit baptism. infantis in utero matris. » 929

TRACT. DE EUCHARISTIA.

Ad n. 283. An consecratum censeatur Ciborium ex oblivione extra corporale relictum. . . . . » 379
287. An omissio vocis *enim* in consecratione sit gravis. . . . . » 930
290. q. 2. De prohibitione S. Com. ministrandi in eccl. Regul. die paschatis. . . . . » 931
335. q. 13. De Com. danda infirmis non jejunis. . . . . » 932
372. q. 10. An liceat cum alio Sacerd. permutare intent. missae, etc. » 386

TRACT. DE POENITENTIA.

Ad n. 419. De integra confess. facienda a neo-conversis. . . » 463
421. An accusatio generalis sit materia sufficiens, etc. . . . . » 479
431. An fallax sit argumentum, auctores rigidiores allegare. » 639
441. Ex quo motivo elici debeat actus perfectae contritionis. » 399
447. q. 7. An dolor eliciendus sit cum intentione confessionis. . » 412
448. An requiratur novus actus doloris, ad novam recipiendam absolutionem, etc. . . . . *pag.* 419
452. q. 7. An sufficiat attritio ex metu poenarum temporal., prout infliguntur a Deo . . . . . » 426
461. An prudenter censeatur habere firmum propositum, qui pertimescit se relapsurum. . . . . » 441
462. An sufficiat propositum virtuale, inclusum in dolore . . . » 444
480. An, qui peccatum uti dubium accusavit, teneatur illud repetere, etc. . . . . » 473
504. q. 9. An ignarus idiomatis, in articulo mortis adhibere debeat interpretem. . . . . » 480
514. An repetenda sint explicite in conf., peccata mere historice extra confessionem enarrata . . . » 482
522. An quis poenitentiam recusare possit, ut in purgatorio satisfaciat. . . . . » 938
549. q. 4. An liceat absolvere cum jurisdictione probabili. . . » 486
551. q. 8. An Sacerdos simplex possit absolvere moribundum, praesente Conf. approbato . . . » 503
555. An Episcopus possit, sub poena nullit., prohibere ne dioecesani exeant ad confitendum. . . » 507
571. An ignorantia reservationis ab ea incurrenda excuset. . . » 516
573. Utrum absolvi possit subditus alterius dioec., si casus est tantum reservatus in loco confess. . » 525
573. q. 5. An idem absolvi possit, si peccatum reservatum est in ipsius dioec., non in loco conf. . . » 534
575. An simplex Confessarius absolvere possit a casibus, quos Episcopus sibi reservavit, etc. . » 555
575. An censura pontificia ligatus, et impeditus Papam et Episc. adire, possit a quovis absolvi. . » 563
576. An absolutus a reservatis in art. mortis a simplici Conf., teneatur se sistere Superiori, si convalescat. . . . . » 567
577. resp. 3. An reservatione ligatus, teneatur in casu necess. Confessario simplici confiteri. . » 940
580. q. 9. An tollatur reservatio per confessionem invalidam tempore Jubilaei. . . . . » 576
581. An tollatur reservatio, si poenitens confitendo apud Super., casus reserv. obliviscatur. . . » 573
590. ad III. An poenitens sollicita-

tus, facta denuntiatione, possit a quovis absolvi, etc. . . . *pag.* 578
591. q. 2. An denuntiandus sit Confess., sollicitationi consentiens. » 581
619. Quid agendum Confessario, si certo cognoscat peccatum a poenit. non declaratum. . . . » 588. 595
621. ad II. Utrum differri possit absolutio recidivo satis disposito. . . . . » 755–765
623. An expediat differre absol. recidivo sufficienter disposito. . » 766
623. Utrum, quoad recidivum ex fragilitate intrins., S. A. ad rigidiorem viam declinet . . . . » 768
623. De recidivo in occasione prox. necessaria constituto. . . . » 771
631. An possit absolvi, qui in occas. necess., etiam remediis adhibitis, eodem semper modo labitur. . » 605
636. De absolvendis recidivis dubie dispositis. . . . . » 657-752
643. Ad quid teneatur Confess., si erravit circa valorem Sacramenti. » 622
657. q. 1. An manifestatio scrupulositatis aut donorum spirit. poenitentis, sit violatio sigilli. » 642. 643
657. q. 2. An sit fractio sigilli, manifestare defectus naturales poenitentis. . . . . » »
664. Undenam oriatur violatio sigilli . . . . . » 643
666. An frangat sigillum Conf., qui dicit, Religiosum ex tali Conventu vel Ordine sibi confessum esse peccatum grave . . . . . » 625

Tract. de Ordine.

Ad n. 702. An, ad valorem Ordinationis, requiratur tactus physicus instrumentorum. . . . . » 389
718. De clerico ordinando, in vitio turpi habituato. . . . . » 780

Tract. de Matrimonio.

Ad n. 724. q. 2. An valida sint sponsalia, ex metu levi inita. . . » 790
725. An valeant sponsalia, contracta sub conditione si Papa dispensaverit. . . . . » 946
730. art. III. An per impedimentum superveniens sponsalia dissolvantur. . . . . » 793
731. Quid, si sponso adveniat pinguis haereditas. . . . . » »
733. An per matrim. subsequens, omnino solvantur sponsalia antecedentia, etc. . . . . *pag.* 946
759. An possit Papa solvere matrim. ratum et non consummatum. . » 801
761. ad 3. An liceat facere divortium, ob sodomiam aut best. commissam a conjuge. . . . . » 806
788. q. 2. An incurrantur, licet ignorata, impedimenta, quae videntur habere rationem poenae. . . » 792
822. ad 2. An, ad incurrendum imped. criminis, requiratur manifestatio intentionis, etc. 806
840. q. 4. An validum sit matr. clandest, in casu necessitatis part. » 808
867. An, in petitione dispensationis, exprimenda sit sub poena nullit., copula incestuosa. . . . . » 818
872. 887. Quaedam alia de praefata dispensatione. . . . . » 822
908. De usu conjugii ob solam voluptatem. . . . . » 825. 830
913. ad 2. De eodem, tempore praegnationis . . . . . » 827
914. ad 7. An usus conjugii mera voluptatis causa habitus, impediat a Communione. . . . . » 826
919. ad 2. De actibus imperfectis inter conjuges. . . . . » 828
919. ad 3. De matrimonio, ut effraenis libidinis remedio. . . . » 829
920. ad 6. An licita sit conjugi delectatio morosa, etc. . . . » 827

Tract. de Censuris.

Ad n. 934. ad 3. An censuram incurrat, qui ante criminis execut., consilium revocat, etc. . . » 841
939. An a censura excuset ignorantia vincibilis aut affectata. . » 848. 851
941. An requiratur monitio, si censura sit comminata a jure ferendae sententiae . . . . . » 854
941. An monitio facienda sit in scriptis. . . . . » 863
943. ad 3. An Papa possit committere mulieri facultatem ferendi censuras. . . . . » 867
946. An Episcopus censura ligare possit subditum alienum in sua dioec. delinquentem. . . . » 868
949. An Episcopi censuris ligare possint Regulares. . . . . » 874
959. An in quavis censura insordescens, suspectus fiat de haeresi. » 877

APPENDIX II.

ELENCHUS QUAESTIONUM

QUAE,

ADDITIS PASSIM NOVIS, SIVE ARGUMENTIS, SIVE AUCTORITATIBUS,

EX ACTIS DOCTORATUS S. A. DESUMPTAE SUNT.

1. - Dissertatio de Systemate morali S. A. . . . . *pag.* 1-117
2. - De actibus in Deum referendis. » 127
3. - An liceat delectari de opere malo ob bonum effectum, etc. . . » 135
4. - Quandonam in vita urgeat praeceptum charitatis. . . . . » 145
5. - De obligatione gravi dandi eleemosynam ex superfluis statui. » 152
6. - De famulo comitante herum... » 165
7. - An liceat famulo deferre munera meretrici, etc. . . . . » 173
8. - An ipsi liceat scribere vel deferre litteras amatorias, etc. . » 175
9. - An liceat vendere ornatus puellae iis abusurae. . . . . » 180
10. - An actus externi turpes, et speciatim cop. marit., in ecclesia, sint sacrilegia. . . . . » 205
11. - An in blasphemando semper adsit aliqua advertentia. . . » 256
12. - An facultatem habens dispensandi in votis, possit etiam in juramentis. . . . . » 269
13. - An satisfaciat praecepto, qui tempore missae confitetur. . » 275
14. - An detur parvitas materiae in delect. sensibili . . . . . » 283
15. - De tactibus pudicis inter sponsos. . . . . » 296
16. - An inducant obligationem pacta de re prava et turpi. . . » 334
17. - De ficta promissione matr. ad obtinendam defloral. . . . » 361
18. - An liceat cum alio Sacerd. permutare intentionem missae. » 386
19. - An, ad valorem Ordinat., requiratur tactus physic. instrum. » 388
20. - Ex quo motivo elici debeat actus perfectae contritionis. . » 399
21. - An sufficiat attritio ex metu poen. temporal., etc. . . *pag.* 426
22. - An firmum censeatur habere propositum, qui certo credit se relapsurum. . . . . » 440
23. - An sufficiat propositum virtuale, inclusum in dolore. . . » 443
24. - An qui confessus est peccatum mortale uti dubium, teneatur repetere etc. . . . . » 472
25. - Quid, si poenitens in confess. apud Super. oblitus sit peccati reservati, etc. . . . . » 572
26. - An poenitens sollicitatus, facta denuntiatione, a quovis absolvi possit, etc. . . . . » 578
27. - An denuntiandus sit Confess., sollicitationi consentiens. . » 579
28. - Quid agendum Confessario, si certo cognoscat peccat. a poenitente non declaratum. . . . . » 587
29. - De eo, qui in occas. necess., etiam remediis adhibitis, semper eodem modo labitur . . . . » 603
30. - Ad quid teneatur Confess., si erravit circa valorem Sacramenti. » 621
31. - An frangat sigillum Confess., qui dicit se audivisse peccatum Religiosi alicujus Monasterii vel Ordinis . . . . . » 624
32. - Dissertatio de Recidivis. » 647-778
33. - An solvi possint sponsalia per novam haereditatem sponso supervenientem. . . . . » 797
34. - An possit Papa solvere matrimonium ratum et non consummatum. . . . . » 800
35. - An unquam validum sit matrimonium clandest. in necessitate particulari. . . . . » 807

APPENDIX III.

CLAVIS OPERUM MORALIUM S. A.

SEU

QUAEDAM REGULAE AD VERAS IPSIUS SENTENTIAS DISCERNENDAS.

Ex decisione S. Poenitentiariae de die 5. Julii 1831., quam S. M. Gregorius XVI. sub die 22. ejusdem mensis et anni confirmavit et approbavit, certo constat, sacrae Theologiae *Professorem* tuto sequi ac profiteri posse opiniones, quas profitetur S. Alphonsus, nec inquietandum esse *Confessarium*, qui omnes ejusdem S. Doctoris sequitur opiniones in praxi sacri Poenitentiae tribunalis. [1] — Summopere itaque interest, ut discipulus S. Alphonsi clare cognoscat, *quaenam sint opiniones quas ipse S. Doctor profitetur:* siquidem has solas respicit praefatum S. Poenitentiariae responsum, minime vero alias a S. Alphonso quidem recensitas, quas autem ipse non amplectitur. Hoc insuper eo majoris est momenti, quod nonnulli Scriptores passim S. Doctori plures opiniones immerito adscribant, et sic non pauci ejusdem Theologiae moralis studiosi in errorem inducantur. Itaque operae pretium esse duximus, *quasdam saltem regulas generales* hic exponere, quarum ope discipulus S. Alphonsi genuinam ipsius sententiam variis in quaestionibus facilius discernere valeat. — Hinc pauca dicemus 1. De variis S. Doctoris *Operibus* moralibus; 2. De *modo*, quo S. A. *propriam suam sententiam* passim enuntiare solet.

§. 1.

Exponitur, cuinam ex variis Operibus moralibus S. A. praecipue inhaerendum sit, ad cognoscendum genuinum ipsius sensum.

I. – Apud omnes in confesso est, veram ac genuinam alicujus Auctoris sententiam non modo quaerendam esse, ubi *ex professo* de aliqua materia disserit, sed insuper sedulo inspiciendum esse, quid in *postremis* suis scriptis doceat; ita ut generatim *vera* cujuscunque Auctoris sententia illa tantum dicenda sit, quam *postremum* enuntiavit. – Porro, neminem latet, S. Alphonsum plura, variis temporibus, evulgasse Opera et Compendia moralia; [2] et ideo inquirere juvat, quaenam sit *ultima*, ac proin *praeferenda* S. Doctoris sententia, casu, quo ipse in variis suis Operibus diversas sequi videatur sententias. – Qua de re, sequentia breviter exponere liceat.

II. – Vera S. Alphonsi sententia *generatim* desumenda est ex Opere majori, inscripto *Theologia moralis*, et quoad materiarum ordinem, juxta *Busembaumii* textum concinnato. [3] Cum autem hu-

1) Cfr. Dissertationem in princ. Operis positam, pag. XVI. n. 3.

2) Praeter *novem* editiones *Theologiae moralis*, aliaque plura *Opuscula*, *Dissertationes* et *Apologias*, de Systemate aliisve materiis tractantia, praecipua Opera moralia S. A. sunt: 1°. *Pratica del Confessore per ben esercitare il suo ministerio* (1748); latine: *Praxis Confessarii ad bene excipiendas confessiones* (1760); — 2°. *Istruzione e pratica per li Confessori* (1756); latine: *Homo Apostolicus*, cum quatuor Appendicibus (1759); — 3°. *Il Confessore diretto per le confessioni della gente di campagna* (1764); — 4°. *Istruzione al popolo...* latine: *Institutio catechistica ad populum, in praecepta Decalogi et Sacramenta* (1768).

3) Hac de re, ipsum *S. Alphonsum* audire praestat. — Anno 1748. primum apparuit Opus morale, cui titulus: « *Medulla Theologiae moralis R. P. Hermanni Busembaum, S. J.*,

jusce Operis, superstite S. Auctore, novem editiones prodierint, clare patet, prae aliis standum esse *nonae*, anno 1785. evulgatae; tum quia *ultima* est, tum quia a S. Sede revisa et tamquam *nihil censura dignum* continens approbata fuit. - Ratio est, quia constat, S. Doctorem pluribus in quaestionibus *Theologiam moralem* ad finem usque vitae emendasse: quod de aliis Operibus eodem jure dici nequit. -- Haec tamen regula, communiter ab interpretibus S. Alphonsi admissa, nonnullas patitur exceptiones. Etenim

1. In praefata Theologia morali, S. Doctor non ad omnes et singulas partes textus Busembaumii, Adnotationes aut Quaestiones a se elaboratas, adjecit. Ad cognoscendum itaque, utrum ipse ab istius Auctoris sententiis explicite a se nec rejectis, nec approbatis, recedat, vel saltem in modo easdem enuntiandi discrepet: praeter Opus majus, inspiciendi sunt textus aliorum Operum (praesertim *Hom. Apost.*), in quibus eamdem materiam tractat. Ista enim Opera minora, utpote ex toto a S. Alphonso exarata, eo in casu, non modo accuratius, sed etiam *positive* ipsius sensum exhibent; dum textus Busembaumii a S. Doctore non emendatus, illum nonnisi *negative* refert.

2. Constat insuper ex variis inspectis Operibus, S. Alphonsum, decursu temporis, plures opiniones reformasse, aut saltem partim immutasse, iisdem majus minusve pondus tribuendo, vel distinctiones prius non factas adducendo: quin tamen omnes et singulas hujusmodi emendationes, uni alterive Operi insertas, in subsequentibus Theologiae moralis editionibus, propriis locis explicite commemoret. Et idcirco diversae istius Operis majoris conferendae sunt editiones, praesertim *secunda* de annis 1753–1755. cum *nona* a S. Sede approbata: ut ex illarum collatione, quid et quandonam immutatum sit, evidenter appareat. -- Hinc, alia regula statuenda est, videlicet: *Quoties textus* NONAE *editionis Theologiae moralis perfecte concordat cum* SECUNDA, *quin ulla occurrat emendatio facta in Elencho quaestionum reformatarum eidem Operi adjecto: regulariter praeferendus est textus Operum minorum praefatae editioni secundae posteriorum, casu, quo ista Opera minora ab hac editione discrepent.* Ratio quia, hoc in casu, ultima editio Theologiae moralis non est nisi mera reimpressio secundae, ac proin, licet postremum evulgata, revera dici nequit ultimus S. Alphonsi sensus. Hoc saltem valet pro iis quaestionibus, de quibus S. Doctor in praefatis Compendiis expressis verbis testatur, se, re maturius perpensa, aut in aliam devenisse sententiam, aut priorem opinionem partim saltem immutasse. [1]

cum adnotationibus per R. P. D. Alphonsum de Ligorio... adjunctis.» Quid autem S. Doctor de priori hoc Libro senserit, ipsemet declarat in Praefatione suae *Theologiae moralis*, ann. *1753–1755.* evulgatae, ac *Benedicto XIV.* dicatae (cfr. Dissert. prooemial. pag. XII.), quacum aliae posteriores editiones, variis tamen sententiis immutatis, perfecte concordant. Ibidem namque scribit: « Opus absolvi; sed quia nimis festinanter fuit illud typis demanda» tum, ut aliis satisfacerem, mihi non satisfeci... Idcirco... animum ad *secundam* editionem » applicui, in qua ad meliorem ordinem omnia redigere curavi, et *utilissimis doctrinis Li*» *brum copiosiorem reddere*... Propterea in lucem edere deliberavi HOC NOVUM OPUS... Ut » autem *justa Methodus* servaretur, *Medullam Hermanni Busembaum* praemittendam » censui: non jam, ut omnes ipsius Auctoris opiniones approbarem; *sed tantum ut ejus*» *dem methodum sequerer*, quae inter aliorum Auctorum methodos, ad res morales expo» nendas valde accommodata mihi visa fuit... »

Fusius autem et apertius mentem suam declarat in Dissertatione edita anno 1774. et inscripta: « *Dichiarazione del Sistema che tiene l'autore...* », ubi inter caetera, haec habet: « *Nè mi si dica, che io ho seguitato la dottrina del P. Busembaum;* perchè quan» tunque nella mia Opera grande di Morale vi ho fatto mettere, prima delle *mie lunghe* » *Addizioni, il breve Compendio* di morale fatto da questo Autore, non però *io non l'ho* » *premesso per seguitare la sua dottrina*, o sia quella dei Gesuiti. Chi non ha occhi non » vede, che in moltissime sentenze io son contrario alle opinioni di Busembaum, e le con» futo. *Ho premesso quel suo compendio, per tenere l'ordine delle materie da esami*» *narsi*, il quale ordine da tutti è stato riputato eccellente. *Dico l'*ORDINE, *ma non già* » *la* DOTTRINA..... » Quocirca scitissime advertit cl. Defensor Causae in Actis Doctoratus (Respons. §. 216. pag. 101.): « Recolere oportet, libellum Patris Busembaum *300* paginas in » octavo non multum excedere; editionem autem Theologiae moralis S. Alphonsi in octavo » *4000* circa paginas complecti. Quemcumque Tractatum evolvere placeat, breves textus » *Medullae* reperientur, quibus S. Alphonsus *diffusas discussiones*, imo subinde *integras* » *Dissertationes* de quaestionibus adnectit, quas Busembaum paucis verbis, imo interdum » plane non attingit. »

1) De hujusmodi emendationibus a S. Alphonso factis, cl. Defensor in Causa Doctoratus

*

3. Praeterea, ista S. Alphonsi Compendia moralia apprime ad hoc inservire possunt, ut melius cognoscatur, *cuinam sententiae in praxi adhaerent.* Non raro namque evenit, ut S. Doctor, postquam in Opere majori de quaestione controversa dixerit: *Sapientioribus me remitto,* quin explicite propriam suam sententiam enuntiaverit, in praefatis Compendiis eidem opinioni controversae determinatam notam majoris minorisve probabilitatis adscribat.

III. – Non diffitemur, hanc Operum collationem, ad ultimum S. Doctoris sensum eruendum, vix a quoquam institui posse. Exinde tamen nullus prematur inanibus angustiis. Siquidem ex Decretis S. Sedis constat, cuivis licitum esse *illas omnes S. Alphonsi sententias* tuta conscientia tenere et profiteri, *quae vel ab ipsomet S. Doctore, vel a Sede Apostolica posterius reformatae non fuerint.* – [1] Quum tamen fideli S. Alphonsi discipulo maxime intersit clare cognoscere, quaenam in singulis quaestionibus censenda sit *ultima*, ac proin *vera* S. Doctoris sententia; consilium cepimus evulgandi, ut primum licuerit, novam accuratissimam editionem *Theologiae Moralis*, in qua, collatis caeteris Operibus moralibus, meliori quo poterimus modo, ubi opus fuerit indicabimus, quaenam sententia praeferenda videatur. Insuper, ut complurium desideriis satis fiat, speramus fore ut, sat brevi tempore, in lucem prodeat *Compendium morale*, in quo, servatis supra memoratis regulis, genuina et integra S. Alphonsi doctrina, quanta maxima fidelitate exponetur.

§. 2.

Perpenditur modus, quo S. Alphonsus passim sententias suas enuntiare solet.

Altera nunc quaestio examinanda venit: *Quaenam* nempe *sit vera et propria S. Alphonsi sententia*, quando diversas refert Auctorum opiniones, aut plures exponit rationes, *quin, quid in praxi tenendum sit, expressis verbis declaret?*

I. – Quocirca praemittendum est *Monitum*, quo ipse S.A. *Praefationem* Theol. moral. concludit: « Sategi ut plurimum » meam exponere sententiam, justum » pondus tribuendo majoris, vel aequalis, » vel minoris probabilitatis, cuique sen» tentiae, prout meae imbecillitati visum » fuit: *ne ancipitem relinquerem lecto*» *rem,* more aliquorum, qui sententias » aliorum tantum referentes, non parum » exosos legentibus se praebent. Ubi ve» ro non inveni rationem pro una parte » convincentem, non sum ausus opposi» tam damnare... Caeterum, benigne le» ctor, te admonitum volo, *ne existimes* » *me opiniones illas approbare, ex eo* » *quod non reprobem;* eas enim quan» doque fideliter exponam cum suis ra» tionibus et patronis, ut alii pro sua » prudentia, cujus ponderis sint, adju» dicent. – Deinde advertas, quod cum » aliquam opinionem *veriorem* voco, tunc » *contrariam non habeo ut probabilem,* » etsi non expresse ut improbabilem da» mnem. Insuper, quando unam ex sen» tentiis *probabiliorem* appello, *nullo* » *judicio dato de probabilitate alterius,* » aut utor hoc verbo: *non audeo damna*» *re; non propterea intelligo eam proba*» *bilem dicere,* sed judicio prudentiorum » remittere... »

Haec iisdem fere verbis S. Doctor con-

(§. 220. pag. 103.) egregie sic disserit: « Si quis vero gravate ferat, quod Alphonsus, dum » in vivis ageret, studiose elaboraverit in naevis emendandis, et plura deprehenderit quae in » prima vel altera editione exciderant, posteaque in melius reformari potuerunt; dicam mi» rum non esse, illum *inter tot millia quaestionum*, aliquas opiniones reperisse, quas pri» mitus ut satis probabiles admiserat, postmodum vero iterato examine, ut certo et nota» biliter minus probabiles cognovit. Etenim rationes pro singulis opinionibus ex utraque » parte militantes, accuratissime, imo scrupulose, et non semel tantum examinare ac pon» derare religioni sibi duxit... *in quo potius summopere laudandus et admirandus est*, » aliisque exemplo esse posset. Utinam omnes Theologi, tam rigidiores quam benigniores, » eamdem semper in veritate inquirenda sollicitudinem adhibuissent, eamdemque sanctam » intentionem, omni cupiditate gloriae et partium studio, omnibusque praejudiciis expertem, » adhibuissent! » — Caeterum, ut advertit idem cl. Defensor, plurimae hujusmodi retractationum ad quaestiones omnino secundarias spectant (Cfr. etiam Dissert. prooem. p. XXVIII. et LVI.). — 1) Cfr. Dissert. procemial. pag. XXVII. n. 5. et 6.

firmat *Lib. V. n. 76. in fine*, dum dicit: « Et hic rursus repeto id quod sub initio protestatus sum, nempe, quod cum » aliquam opinionem unice *probabiliorem* appello, non ideo contrariam dicere probabilem intelligo. Sicut pariter, cum dico de aliqua opinione: *non audeo damnare*, sive *improbabilem dicere*, non ideo admitto ut probabilem; » sed de ejus probabilitate dubito. Item, » cum aliquam sententiam *veriorem* voco, » intelligo oppositam non solida probabilitate mihi pollere, licet omnino non » reprobem. »

Porro, ex praefatis Monitis S. Alphonsi, sequentes determinari possunt praecipuae regulae:

1. Generatim ea sola opinio S. Doctori probabilis est, quam *ipsemet* probabilem vocat. – Quocirca attendendus est ejus loquendi modus Quando nempe ait: « *Probabiliter dicunt Auctores* », tunc regulariter ejusmodi sententiam probabilem censet. Dum autem scribit: « *Dicunt Doctores, probabiliter licere* », exinde non liquet, hanc sententiam ab ipsomet ceu probabilem haberi; sic enim loquendo, generatim mere refert illorum Auctorum judicium.

2. Si de aliqua opinione loquens, dicit: « *non videtur improbabilis* », aut: « *non improbabiliter dicitur* », tunc ipsam regulariter habet ut *satis probabilem*, saltem casu, quo eidem nihil certo vel notabiliter probabilius opponat. – Circa hujusmodi vero sententias, operae pretium erit alia S. Doctoris loca inspicere.

3. Opinionem, quam *neque probabilem, neque improbabilem* vocat, generatim aliorum judicio relinquit. – Videndum tamen est, quid sive antea, sive postea dicat; *si enim nihil omnino opponat*, et Auctor allegatus sit gravis, regulariter opinio illa ut satis probabilis habenda erit; uti v. gr. quando in fine quaestionis subjungit: « *Lugo addit, advertit...* »

4. Si de aliqua sententia expresse ait: « *non audeo damnare* », vel: « *non audeo eam improbabilem dicere* »: eo ipso declarat, illam esse, suo judicio, dubie probabilem, aut illam prudentiorum judicio remittere. – Attamen videndum est, an alio in loco vel Opere, judicium suum de ipsa proferat, nec ne.

5. Sententia, quam solam vocat *probabilem*, eidem nihil opponendo (qui tamen casus raro contingit), *ordinarie fundat pro praxi* certitudinem moralem.[1]

6. Cum aliquam opinionem dicit *veriorem*, vel *multo* aut *absolute probabiliorem*, vel *probabiliorem simulque communem aut communissimam*:[2] tunc oppositam *non judicat solide probabilem*, saltem *respectu alterius*, etiamsi ceu improbabilem expresse non rejiciat, aut quamvis eam in genere, seu *in se*, ante institutam utriusque ponderationem, forsan probabilem censeat.

7. Idem etiam dicendum est, quando unam ex sententiis *probabiliorem* aut *communiorem* nuncupat, *nullo a se judicio dato de opposita*; hoc enim scribendi modo, S. Alphonsus significare intendit, illam opinionem adeo probabiliorem sibi videri, ut oppositam vere probabilem non agnoscat.

8. Sententia, quam simpliciter *communem* dicit, nullo de opposita lato judicio, regulariter sua dicenda est.

Quocirca notare juverit, verba: « *sententia communis* », aut: « *communiter dicunt* », per se loquendo plus exprimere quam haec alia: « *sententia communior* », vel: « *communius dicunt.* » Etenim vox *communior*, cum sit comparativa, solummodo denotat, *plures* stare Auctores pro ista sententia, quam pro altera. E contra, vox *communis*, utpote positiva, declarat, Auctores *generatim* pro hac sententia stare. – Cum autem dicitur: « *communissima est sententia* », vel: « *communissime docent* »; eo ipso affirmatur, consensum Auctorum fere esse unanimem. – Tandem monet S. Alphonsus, sedulo advertendum esse, quod auctoritas Scriptorum non ex multitudine, sed ex eorum *gravitate* aestimanda sit: uti patet ex textibus in Dissert. prooem. (p. LIII.) allegatis; ubi etiam ostendimus, plerasque saltem sententias, quas tenet S. Doctor, hodiedum evasisse *communes*, easque generatim, ex praecellenti ipsius auctoritate, merito dicendas esse probabiles, vel etiam probabiliores.

II. – Regulae autem, quibus ultimo determinari possit S. Alphonsi (ac proin et ipsius discipuli) *praxis*, praecipuae sunt sequentes:

1. In primis, nunquam non prae oculis habendum est hocce gravissimum S. Doctoris Monitum, in *Praxi Confess.* cap. 8.

1) Cfr. supra, pag. 18. *Demum 4°.*, et pag. 22. *Tutis.* — 2) Vid. ex. gr. Lib. 3. n. 716. 717. 261. etc.

n. 114.: « 1°. Quando agitur *de vitando* » *peccato formali*, regulariter Confessa- » rius sequi debet *(quantum licet)* senten- » tias *benigniores;* cum solum peccatum » formale sit Dei offensa. - 2°. At, quando » opiniones benignae *exponunt poeniten-* » *tem periculo peccati formalis*, tunc Con- » fessarius sequi debet opiniones *rigidio-* » *res;* quoniam istae, in hoc casu, sunt » magis poenitentibus salutares. » - Quocirca sedulo notanda sunt, quae leguntur in Theol. mor. *Lib. VI. n. 605.*: « Sa- » pienter dicit Holzmann, quod Confes- » sarius in delectu opinionum tunc de- » bet benigniores sententias sequi, quan- » do illae potius inducunt poenitentem » ad vitandum peccatum. Secus vero, si » illae potius manuducant ad legis trans- » gressionem, prout sunt (ut bene adver- » tunt Roncaglia et Sporer) opiniones » illae, quae, licet *speculative videantur* » *probabiles*, tamen *in praxi* sunt *valde* » *periculosae;* sicut in materia *sexti prae-* » *cepti*, sunt opiniones aliquae de tacti- » bus, osculis, choreis, comoediis, de re- » primendis motibus sensualibus, et si- » milibus; item in materia *simoniae* et » *usurae*, ubi plura videntur excusari ra- » tione liberalis gratitudinis, sed in » praxi magnum periculum involvunt; » item quando agitur de *compensatione* » facienda, vel de *accusatione* prosequen- » da contra offensores, ubi facile est pe- » riculum injustitiae, aut vindictae. » (Vid. etiam supra, *pag. 24. nota 3.*)

2. Dicit ergo S. Alphonsus, quod Confessarius sententias *benigniores* sequi debet, *quantum licet.* -- Porro, regula generalis ex principiis Aequiprobabilismi S. Doctoris firmiter stabilita, haec est: *Non licet uti sententia benigniori, neque in* DUBIIS FACTI, *ubi periculum damni alteriusve mali a conscientia non pendentis certo vitari debet:* quia tunc pars tutior eligenda est; [1] -- *neque in* DUBIIS MERI JURIS, *quando pro legis* EXISTENTIA *militat opinio certe probabilior, seu evidenter praeponderans;* [2] *vel si pro* CESSATIONE *legis certae, talis non habetur probabilitas, quae aequivaleat certitudini morali.* [3]

3. Quocirca notare juvat, S. Alphonsum non semper, quin potius raro dicere expressis verbis: Haec, vel illa sententia est *certe aut notabiliter* probabilior. -- Attamen *ex contextu quaestionis* (v. gr. ex nota contrariis opinionibus affixa, ex praxi cui adhaeret, vel ex confutatione rationum, quibus sententia contraria innititur), aut *ex aliis Operibus minoribus*, uti jam supra monuimus, ordinarie apparet, quaenam, suo judicio, sit sententia *vere praeponderans:* sive *propter rationes intrinsecas*, quae, caeteris paribus, semper anteponuntur; sive *propter argumenta extrinseca* seu auctoritates, quando scilicet intrinseca deficiunt, aut sufficienti carent pondere; vel etiam quando, ob naturam alicujus opinionis, sententia DD. ex seipsa vim habet intrinsecam. Quibus in casibus, illa sententia procul dubio in praxi eligenda est.

4. Quid vero, si, inspectis tum contextu quaestionis, tum aliis S. Alphonsi textibus, *dubium* remanet: an sententia, quae (in dubio nempe circa existentiam legis) ab ipso simpliciter vocatur *probabilior*, inter valde et *certe* probabiliores, quae obligant, aut inter *parum* probabiliores, quae non obligant, numeranda sit? [4] -- In hoc casu (qui utique rarissime occurret), sic respondendum videtur. 1°. Eō ipso quod S. Doctor in aliqua opinione *majorem quemdam* probabilitatis gradum agnoscat, per se supponi potest, ipsum in eamdem magis saltem inclinare. Hinc consultum est, ut et S. Alphonsi discipulus, *ubi nihil obstat*, aut quando saltem id expedit, eidem sententiae adhaereat. - 2°. Ex principiis tamen Aequiprobabilismi S. Alphonsi, *per se loquendo* etiam liberum erit discipulo S. Doctoris, *benigniorem* partem eligere. Etenim praeponderantia dubia, seu de qua certo non constat, veram obligationem non inducit; et idcirco haec sententia, quae simpliciter probabilior vocatur, et ex nota oppositae sententiae affixa, vel aliunde, gradum certum, etsi unicum, praeponderantiae non acquirit, alteram *fere aeque probabilem* relinquere censenda est. [5]

5. Aliter tamen procedendum esse, prudentia non raro suggeret. Nam, ex una parte, si poenitens sit bonae voluntatis *tendatque ad perfectionem*, et generatim quoties id ei *magis proderit*, Confessarius ipsum dirigere *debet* juxta sententias *perfectiores*, seu legi magis faventes: modo tamen istarum usus et applicatio nullam anxietatibus et inanibus scrupulis ansam praebeat. [6] - Altera vero ex

1) Vid. supra, pag. 14. — 2) Pag. 5. n. III. et pag. 17. — 3) Pag. 18. — 4) Cfr. v. gr. Lib. I. n. 155.; Lib. III. n. 270. 690. etc. — 5) Vid. pag. 6. n. 2. — 6) Dissertatio scholastico-moralis, 1755. c. 3. n. 107., et Theol. mor. lib. 6. n. 605.

parte, si quis, *rectae sibi conscientiae efformandae capax*, ducitur opinione certe minus probabili, quae tamen ipsi Confessario non appareat omnino falsa aut improbabilis; absolvi poterit, modo alias prudenter judicetur dispositus. [1] – Insuper, sedulo advertendum est, in eligendis pro praxi opinionibus, *attendendam esse variam variarum quaestionum naturam*. Quamvis enim S. Alphonsus doceat, principia Aequiprobabilismi applicari posse in omni lege, etiam naturali; ipse nihilominus eumdem omnino rigorem non adhibet, respectu *legis humanae*, sicuti pro lege *divina:* quia haec est ordinis superioris, et majorem expostulat reverentiam. Et revera, mitius procedi ac facilius admitti posse causas excusantes, respectu legis mere ecclesiasticae aut civilis, quis unquam negaverit?

6. Praeterea notandum est, quod S. Doctor specialem adhibet severitatem, non solum ubi benignitas periculum augeret peccati formalis, sed etiam quando agitur *de bono communi procurando*. – Hinc minus benigne se habet erga Sacerdotes, illosque omnes *qui aliis praesunt:* tum quia isti tenentur, vi officii, bonum subditorum promovere, tum quia in istis generatim non admittitur ignorantia excusans.

III. – Quibus praemissis, tacenda non est objectio, quam nonnulli (at incaute sane) in *S. Doctorem* protulerunt, videlicet, *ipsum, tum speculative, tum practice, in casibus particularibus a Systemate suo deflexisse.*

1. Sic, inter alios, cl. *Bonifacius Fracaro,* [2] in expositione Systematis S. Alphonsi (praeter alia egregie dicta), sequentem recenset regulam: « Non licet » sequi opinionem *minus probabilem*, » quoties opinio, quae stat pro lege, sit » *certe probabilior.* » At verò subjungit: « *Animadvertimus tamen, Ligorium, tum* » *speculative, tum practice, ut cuique pa-* » *tet vel unam paginam Ejusdem Theolo-* » *giae moralis legenti, ab hac sententia* » *deflexisse. Quotiescumque enim aliquam* » *sententiam vere probabilem esse dicit,* » *tradit etiam, ipsam in praxim deduci* » *tuto posse. Et reapse, si sententia vere* » *probabilis legem existere negat, eo ipso* » *lex dubia est. Lex autem dubia, juxta* » *Ligorium non obligat. Ita mentem S. Do-* » *ctoris exponunt nobilissimi Societatis* » *Jesu theologi (Vide Gury, Tractat. de* » *Consc. cap. IV. art. 3.).* »

2. Sed pace tum cl. Scriptoris, tum nobilissimorum, quos sequitur, Societatis Jesu Theologorum, vix intelligimus, quomodo haec asseri possint. Non opus est, ut in iisdem confutandis diutius immoremur; de Systemate namque S. A. fusius in prima parte hujus Operis tractavimus, ad quam studiosum lectorem remittimus. [3] Hinc pauca tantum advertere sufficiat. – Cuique patet, non *unam*, sed *omnes paginas* ejusdem Theologiae moralis legenti, *S. Doctorem a sua sententia* NUNQUAM *deflexisse.* [4] *Nunquam enim, nec in Opere majori, nec in aliis Compendiis, sequi permittit opinionem minus probabilem libertati faventem, quando opinio, quae stat pro lege, est certe seu notabiliter probabilior.* – Saepe quidem dicit, opinionem aliquam esse *satis probabilem*, et ideo licitam, etiamsi opinionem contrariam, legi faventem, *probabiliorem* censeat. At vero, quid exinde sequitur? Nihil aliud sane, nisi, quod hujusmodi *probabilior* iis adnumeranda sit, quae sunt *dubie* aut *parum* probabiliores, ac proinde non obligant, quum eorumdem praeponderantia non certo et absolute percipiatur. – Quinimo fieri potest, ut aliqua opinio sit *communior simul et probabilior*, seu majore quadam, interna et externa, gaudeat probabilitate; et tamen non sit *sufficienter praeponderans*, nec stricte obligans: quia pro altera multi etiam et gravissimi stant DD., non levibus rationibus innixi. – Advertas autem, hoc in casu generatim agi *de legis humanae interpretatione*, ac de re, quae ab hominum, praesertim Doctorum, *aestimatione* maxime pendet; uti v. gr. in quaestione, an exterior attentio sufficiat ad implendum praeceptum de *Sacro audiendo*, vel de *recitando Breviario* (Lib. III. n. 313.; Lib. IV. n. 177.); item in quaestionibus de *jejunio:* quocirca notatu digna sunt, quae S. Doctor Lib. III. n. 1032. scribit: « *Sedulo cu-*

1) Cit. lib. 6. n. 604. — 2) Cfr. Dissert. inscript. *Systema morale S. Alphonsi expositum et vindicatum*, Patavii 1872., pag. 6. — 3) Cfr. praesertim pag. 34. II. 1. et pag. 107.

4) Vid. superius dicta, pag. 107. — Merito itaque testantur doctissimi Theologi *Bononienses*, in Actis Doctoratus: « In primo Tractatu, qui est de Conscientia (Alphonsus) *Sy-* » *stema* evolvit et enucleat, *a quo ne unguem quidem per totum Opus, tantae licet sit* » *molis, recedit* » (cfr. supra, pag. XLVI. n. 1.).

» *ravi super hoc puncto quamplures Au-* » *ctores observare, et hic recensere: eo* » *quod Doctorum auctoritas in hoc red-* » *undat in probabilitatem intrinsecam:* » *cum agatur de re, quae valde pendet* » *ab aestimatione sapientum.* »

3. Inanis ergo et futilis dicenda est assertio, S. Alphonsum in casibus particularibus a Systemate suo deflexisse.

IV. - Tandem hic quaeri potest, utrum et quando S. Alphonsi discipulus, *quin a Magistri principiis aut mente recedat,* ob mutatas tamen temporum circumstantias, aliudve ob motivum, *a quibusdam sententiis particularibus S. Doctoris recedere possit aut debeat?* - In Dissertatione prooemiali jam diximus, omnes S. Alphonsi sententias a Sede Apostolica declaratas fuisse sanas et tutas, ita ut a quovis *tuta conscientia* teneri possint; praeterea, quam *praecellens* sit ipsius *auctoritas* in re morali, ibidem exposuimus. Quum autem S. Sedes minime declaraverit, singulas Alphonsi opiniones veras esse aut necessario tenendas, pariter monuimus, *cuivis plane liberum esse* alias amplecti sententias, quas, sive ex propria scientia, sive gravi et probatae auctoritati innixus, probabiliores aut saltem vere probabiles censuerit. - Hic vero quaestionem instituere juvat, quandonam fidelis S. Alphonsi discipulus, *qui a mente tanti Magistri recedere nolit,* in casibus tamen particularibus sententiam S. Doctoris deserere possit aut debeat? Ad cujus rectam solutionem, valent regulae sequentes:

1. Et primo quidem, si agatur de aliqua sententia, *cui certo et expresse contradicit* Factum aliquod, v. gr. *authenticum Sedis Apostolicae decretum, S. Alphonso* anterius, *et ab ipso non commemoratum:* eo quod nondum publicatum fuerit, vel quia ipse forsitan dubitabat de ejusdem authenticitate, quae postea publici juris facta est; - tunc *omnino standum est praefatae decisioni,* ac proin recedendum ab opinione S. Doctoris, ea saltem in parte aut circumstantiis, quas decisio illa respicit[1]. Ipse namque S. Alphonsus nihil antiquius habuit, quam ut Sedis Apostolicae decreta aut decisiones summa veneratione ac plena submissione exciperet. - Antequam tamen aliqua S. Doctoris sententia falsitatis incrimineturr, prudentia inquirendum suadet, an non forte *aliud* exstet *recens decretum,* quo anterior illa decisio, ex toto vel ex parte immutata sit[2].

2. Similiter a sententia S. Alphonsi recedendum esset, si certo constaret, ipsam *posterius* a Sede Apostolica fuisse reformatam; vel etiam, si aliqua prodierit decisio, quacum ipsius opinio certo com-

1) Huc spectat v. gr. quaestio a S. A. *(lib. IV. n. 3.)* proposita: « *Utrum Episcopus regu-* » *laris teneatur ad observantiam suae regulae?* Resp. cum Busembaum et Salmant., et » Cajetano, Valentia, Bonacina, Palao, Sanchez, Soto, Suarez, Lessio, contra alios, *probabilius* » *esse, quod ipsi sub nulla culpa sint ad regulam obligati, sed solum ex honestatis* » *debito,* quod autem debitum ne sub levi quidem obligat, ut docent Lessius, Sotus, Pa- » laus, Sanchez, etc. Ratio, quia Episcopus regularis absolute a jugo regulae liberatur, ut » ex C. *Statutum,* ubi dicitur: *Monachus, quem canonica electio a jugo regulae mona-* » *sticae professionis absolvit,* etc. » — Porro, ex resolutione S. C. Ep. et Reg. de die 6. maji 1864. constat, quod « *ad praescriptum Constitutionis Benedicti XIII. incipientis* » Custodes (7. martii 1725.), Episcopus regularis *tenetur* observare regulas suae religionis, » quae mate.iam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observantias, » dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare, » qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem episcopalem: ita tamen, ut in peculia- » ribus casibus prudenter judicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali » illae conveniant. » — Quocirca notare juvat sequentia Consultoris verba: « Certus sum, » quod si piissima illa anima *S. Alphonsi* prae oculis habuisset Constitutionem Benedi- » cti XIII. *Custodes,* nunquam contrarium tradidisset, praesertim circa eos Regulares, quos » regula obligat sub gravi. » (Cfr. Ephemerid. inscript. *Acta S. Sedis*, Vol. I. pag. 449. et 501.).

2) Hujusmodi est decisio S. C. Concilii, de 23. jan. 1847., qua videbatur omnino reformata opinio, quam S. Alphonsus profitetur *Lib. VI. n. 359.*, dum, communi Theologorum et Canonistarum suffragio innixus, dicit, posse *Episcopum* concedere licentiam in *oratorio* domus privatae *Missam* celebrandi, *per modum actus transeuntis, pro aliquo tempore, si justa adsit causa.* — Siquidem ex praefata decisione constabat: « Non licere ulli Episcopo » hujusmodi licentias, *quocumque sub obtentu,* concedere, *ne pro actu quidem transeunte.* » — At vero Riñus Lucidi, in opere *de Visitatione Sacrorum Liminum,* Vol. I. pag. 97. n. 108., aliam posteriorem affert decisionem ejusdem S. C. Concilii, de 20. dec. 1855., qua, priori declaratione mitigata, Episcopis praedicta facultas conceditur « *si tamen magnae et ur-* *gentes adsint causae, et per modum actus tantum.* »

poni nequiret. - Hinc deserendae essent S. Doctoris opiniones, *quoties eisdem certo obstarent* authentica, sive *ipsius Summi Pontificis* decreta, sive *SS. Congregationum Romanarum* declarationes, quae saltem consulto SSmo eduntur, etiam illae, quibus proposita dubia particularia solvuntur. Istae enim declarationes, juxta S. Alphonsum, *vim legis* habent, non solum in casibus ab oratore expositis, sed etiam *in casibus similibus:* dummodo « jam in Ecclesia universaliter » divulgatae, et facto sic promulgatae » fuerint usu plurium annorum, vel re» latione Auctorum communiter eas re» ferentium » [1].

3. Idem dicendum est, casu quo contra opinionem aliquam S. Alphonsi unquam invaluerit *consuetudo vel desuetudo universalis,* a Sede Apostolica explicite vel saltem implicite confirmata, talis nempe, cui favet legitima praescriptio (saltem per decennium, vid. S. Alph. lib. I. n. 107. 139.). - Attamen cavendum est, ne *consuetudo mere localis,* quae forsan legitima in aliqua regione evasit, tanquam *universalis* reputetur. Unde, si lex universim subsistere pergat, integra etiam stabit doctrina S. Alphonsi, ita ut ubique applicari valeat, iis tantum locis exceptis, in quibus contraria viget legitima consuetudo.

4. Adde, doctrinam universalem S. Alphonsi, quae leges ecclesiasticas respicit, posse etiam modificari per *Constitutiones synodales* cujusque dioecesis; ac praesertim per *statuta Conciliorum provincialium :* quippe quae ad temporis necessitates magis se accommodant, et sanctionem quamdam ex revisione Romana accipiunt.

5. Insuper casu, quo opinioni S. Doctoris adversetur *nova lex civilis,* huic standum erit: posito, quod ista nec legi divinae repugnet, nec ab Ecclesia correcta aut reformata fuerit.

6. Si demum contra *interpretationem alicujus decisionis Pontificiae a S. Alphonso traditam*, plures stent graves Auctores aliter sentientes, nec ulla habeatur ipsius S. Sedis authentica interpretatio: nihilominus *tuto quivis stare potest sensui S. Doctoris;* imo tutius agit, spectata tum ipsius in dubiis dirimendis praecellenti ingenio, tum singulari, quo erga Sedem Apostolicam eminebat obsequii studio, tum maxima, qua, prae caeteris, in Ecclesia pollet auctoritate. - Qua de re, praeclarum recolere juvat exemplum in quaestione de impedimento consanguinitatis *(pag. 817. q. 7.),* ubi summam demirari licuit rectitudinem S. Doctoris in interpretanda Constitutione Benedicti XIV.

1) Vid. Lib. I. n. 106. et secund. Elench. quaest. reform. n. 2. — Quoad S. C. *Rituum*, S. Doctor *Hom. Apost.* tr. 2. num. 34. haec speciatim tradit: « Ut certum habendum, quod » *Decreta* S. C. Rituum putanda sunt ut oracula Pontificis, ut ex bulla 74. Sixti V., qui » voluit, etiam cappellam pontificiam subjici mandatis hujus Congregationis; ejus vero *De*» *clarationes*, ait Turrinus apud Merati, licet habendae sint tantum ut responsa sapientis» simorum virorum, attamen praeferendas esse aliorum DD. opinionibus » (cfr. etiam Theol. mor. Lib. VI. n. 401.).

APPENDIX IV.

PRAECIPUAE QUAESTIONES

IN QUIBUS P. GURY A S. ALPHONSO DISSENTIT.

Texentibus nobis hanc seriem quaestionum, in quibus P. Gury a S. Alphonso dissentit, non ea quidem mens fuit, ut claro Scriptori crimini verteremus, quod a S. Doctoris sententiis saepius recesserit. Hoc enim vetitum ipsi non erat, ubi bonis rationibus moveri se putabat, dumque modeste (ut reapse factum est) rationum momenta exponerentur. Hoc unum, in conferendis utriusque Auctoris opinionibus, adverti voluimus, frequentius quam vulgo existimatur, discipulum a Magistro secedere, maxime in posterioribus editionibus, ac praesertim in iis, quae adnotatae a P. Ballerinio fuerunt. — Repertas autem a nobis discrepantias, non omnes recensuimus; nam, neglectis compluribus, quae minoris visae sunt momenti, aut ex solo Auctoris silentio arguuntur, eas prae ceteris notavimus, quae vel ad praxim magis spectant, vel novis rationibus a cl. Ballerinio munitae fuerunt. Hinc, in subjectis paginis, subinde prout occasio se dabat, ad objectiones cl. Adnotatoris respondimus, at obiter tantum et levi calamo, ne nimiam in molem Opus excresceret. — Demum advertimus, quoad modum citationum, numero *romano*, absque alia indicatione, designari alterutrum TOMUM *P. Gury, juxta duplicem editionem a P. Ballerinio adnotatam;* vel LIBROS *Theologiae moralis S. Alphonsi.* Caetera S. Doctoris Opera nominatim allegantur.

TOMUS I.

TRACT. DE ACTIBUS HUMANIS.

P. Gury. **S. Alphonsus.**

1. *An omissio voluntaria in causa sit in se peccatum?*

Omissio actuum, de quibus homo nullatenus cogitat, non potest esse, *ne indirecte quidem voluntaria;* quia illi actus sunt impossibiles, cum sint penitus ignoti. Attamen talis omissio potest esse voluntaria et *imputabilis in causa*, si oblivio ex praecedenti negligentia proveniat. -- *Tom. I. n. 10. ad 10.*

Quaeritur, quot committat peccata, qui Officium in mare projiciens redditur impotens ad recitandum? Haec quidem quaestio pendet ab alia, an omissio volita in causa *sit in sese peccatum?* -- In ea quaestione,... sent. *verior* affirmat, et hanc tenent S. Thomas... Propterea, quoad casum nostrum respondetur, projicientem Officium *tot peccata committere, quot sunt omissiones quas praevidet, nisi poeniteat primi peccati:* nam alioquin perseverat voluntarium positum in causa. Ita Sanchez... cum communissima.-- *Lib. IV. n. 149* [1].

1) Cfr. supra, pag. 844. art. 2. textum Suarezii. — Pro praxi concluditur, « necessario » fatendam esse in confessione, non solum causam peccati, sed etiam omissionem, et effe- » ctus ad illam consecutos; quia in se sunt peccata, et complementum illius primi peccati. » (*Salmant.* Tr. 20. c. 10. n. 28.).

P. Gury. **S. Alphonsus.**

2. *Quomodo intelligendum sit praeceptum referendi virtualiter omnia in Deum?*

Ad hanc (virtualem omnium operum relationem) duo requiri et sufficere (statuit S. Thomas): primum quidem ex parte operis, *ut sit in Deum referibile*, nempe ut sit moraliter honestum, seu nulla mortalis aut venialis peccati labe infectum. Alterum ex parte agentis, *ut aliquando eliciat actum charitatis*, quo se et sua omnia in Deum tamquam ultimum finem ordinet. – *I. 31. q. 4. in fine.*

Ad haec (ut nullus actus in individuo sit malus aut indifferens) homo tenetur *omnes actus suos* ad Deum referre, *quando agit cum deliberatione et propter aliquem finem...* Non requiritur quippe actualis relatio omnium, sive verborum, sive operum, *in bonum honestum*, quod esset importabile pondus, et res sexcentis implexa scrupulis; sed sufficit virtualis... – *V. n. XLIV.* [1].

3. *An, ut actiones sint meritoriae, necesse sit agere ex motivo supernaturali?*

Sicut non oportet quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine; ita ad hoc, quod alicujus actionis finis sit Deus vel charitas, non oportet quod agendo illam actionem aliquis de Deo et charitate cogitet, sed sufficit quod prius per charitatis actum omnes actiones aliquando in finem, qui est Deus, ordinatae fuerint. Vide S. Thom. – *I. 32.q.8.*

Per lo merito *de condigno* si ricercano tre condizioni: una per parte dell'operante, l'altra per parte dell'opera, e la terza per parte di Dio... Per parte poi dell'opera, si ricerca ch'ella sia onesta, che proceda da *motivo sopranaturale* e sia *riferita a Dio con intenzione almeno virtuale*, allorchè si esercita, come dicono Silvio e Suarez [2]. – *Opera dogmat. sess. VI. n. 87, 88.*

TRACT. DE CONSCIENTIA.

4. *Quid sit Dubium positivum et negativum?*

Dubium est *positivum*, quando mens suspendit assensum ob apparentem aequalitatem rationum; et *negativum*, quando mens suspendit assensum defectu rationum. – *I. 40.* [3].

Dubium *negativum* est, quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles, sed tantum leves. *Positivum* est, quando pro utraque parte, *vel saltem pro una*, adest grave motivum, sufficiens ad formandam conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito; ideo dubium positivum *fere semper* coincidit cum opinione probabili. – *I. 20.*

5. *An liceat sequi opinionem probabilem, relicta vere probabiliori?*

Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore aeque probabili, vel *etiam vere probabiliori*, ubi de solo licito vel illicito agitur. – *I. 60. quarta Thesis* [4].

Dico, quod si opinio quae stat pro lege, *videatur certe probabilior*, ipsam omnino sectari tenemur. – *I. 56.* [5].

Prima (sent.) est, ut possit quis licite sequi opinionem etiam minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit certe probabilior;... sed nos dicimus *eam esse laxam*, et licite amplecti non posse. – *Hom. Ap. tr. I. n. 31.* [6].

1) Quo plenius intelligatur, in quo differentia consistat utriusque doctrinae, cfr. supra pág. 127. q. 1., et pag. 145. q. 3.

2) Hinc non assentimur cl. Ballerinio, in iis quae tum ad praefatum num. P. Gury *de merito* advertit; tum in iis quae in alia Adnotatione ad num. *172. q. 6.* Tom. II. repetit; quamvis caeteroquin de opinione agatur libere in Scholis agitata.

3) Vid. supra, pag. 120. *Prae caeteris.*

4) Haec thesis contradictionem involvit, quia vera et solida probabilitas subsistere nequit cum altera vere probabiliori; cfr. sup., pag. 31. *§.* 2. — 5) Ibid. pag. 68. — 6) Pag. 33. et 64.

P. Gury.

Nec dicas quod, deficiente lege directe certa, existat alia *lex indirecte certa*, id est, certo cognita, pariens obligationem certam: nam si talis lex fingi posset, vel esset lex vitandi periculum peccandi, vel lex tutius sequendi; porro neutrum fingi potest... – *I. 63.*

S. Alphonsus.

Ad licite operandum, debemus in rebus dubiis veritatem inquirere et sequi: at ubi veritas clare inveniri nequit, *tenemur amplecti saltem opinionem illam, quae propius ad veritatem accedit* [1], qualis est opinio probabilior... Quoties enim intellectui diserte apparet, veritatem multo magis stare pro lege, quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et sine culpa parti minus tutae adhaerere... – *I. 56.* [2]

6. *An opinio probabilis remaneat solide probabilis in concursu notabiliter probabilioris?*

Objic. 4°. Opinio probabilis non remanet probabilis in concursu probabilioris: minor enim probabilitas a majori elidituer et destruitur; ergo. – Resp. neg. Etenim, si elideretur minor probabilitas, jam *major probabilitas evaderet certitudo, seu dubium prudens excluderet.* Hoc autem esse falsum, manifeste patet. Insuper rationes ex principiis disparatis, et non subordinatis petitae, se invicem elidere nequeunt. Rationes enim meae, non obstante opposita probabilitate, in toto suo robore stabunt, *usquedum eas esse falsas probaveris.* – *I. 71.* [3]

At recte respondent (nempe Probabilioristis) Auctores nostri, falsum esse, majorem probabilitatem elidere minorem, nisi quando illa minor probabilitas ex eodem principio hauriatur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se *tam convincens argumentum*, ut contraria vere improbabilis, *vel non amplius graviter et certo probabilis videatur.* Secus tamen dicendum, *si excessus non sit notabilis*, et probabilitas opposita ex diversis principiis (ut fere semper accidit in opinionum concursu) vim accipiat [4].

7. *De usu axiomatis: Melior est conditio possidentis.*

Quaer. 5°. Quomodo intelligendum sit axioma: In dubio melior est conditio possidentis, et quinam ejusdem usus in conscientia efformanda? – Resp. 1°. Haec regula, prout a DD. tradi et admitti in scholis consuevit, *nunquam* de statu opinionis, sed solum *de statu dubii presse sumpti intellecta et recepta fuit.* Inter dubium autem et opinionem hoc

Hoc autem secundum Principium, licet aliqui illud infirmare conentur, dicentes, quod valet tantum pro foro, vel tantum in materia justitiae: ego tamen nescio, quomodo in omnibus negari possit. Quaestio tantum esse potest, *an in quolibet dubio morali* possideat lex, aut libertas. Antiprobabilistae dicunt, semper legem possidere; nos vero dicimus,

1) Lex intellectus, quae dictat id amplectendum esse *quod propius ad veritatem accedit*, est lex indubitata et certo cognita, quae, deficiente certitudine directa et absoluta, stante autem opinione certe seu notabiliter probabilione, certam obligationem parit. Hinc patet vitium logicum ratiocinii P. Gury, qui, vera hypothesi praetermissa, alias duas inanes sibi fingit. Et ideo sufficientes non sunt responsiones, quae *n. 71.* et *72.* in novissimis editionibus ejusdem Compendii, ad objectiones 5. 6. et 7. leguntur. — Vide etiam supra, pag. 34. not. 2., et pag. 103. n. 2. *Secunda ratio.*

2) Cfr. integros textus allegatos, pag. 68. et 61.

3) Haec responsio aperte pugnat cum sequenti regula, ab eodem P. Gury *n. 77. ad 4°.* his verbis tradita: « Non licet sequi opinionem probabilem, quando opposita apparet *proba-* » *bilissima* » (in prioribus edit. legitur: *longe probabilior*); « quia non videtur posse stare » motivum grave in conflictu motivi gravissimi; unde talis opinio habenda est ut dubie vel » tenuiter probabilis. » — Haec quidem recta sunt; cum autem opinio *notabiliter aut certe probabilior* (etiam in primo gradu) ejusdem sit roboris ac opinio *probabilissima*, evidenter liquet, nec licere sequi opinionem probabilem in concursu certe seu notabiliter probabilioris: quia opinio, sive huic sive illi opposita, saltem *dubie probabilis* pariter evadit (Cfr. supra, pag. 5. et 6.).

4) Cfr. supra, pag. 43. — Vid. etiam ibid. pag. 66. n. 2., pag. 68. n. 2., pag. 104. n. 3. etc.

P. Gury.

semper discrimen extat, ut illud omnimodam assensus suspensionem inter duo contradictoria importet, haec vero assensum in alterutram partem, licet non sine formidine oppositae. – *I. 79.*

S. Alphonsus.

aliquando possidere legem, aliquando libertatem, nempe *cum lex non est adhuc promulgata...* – *I. 26.* [1]

8. *Si dubites, utrum alicui obligationi jam satisfeceris, tenerisne adhuc satisfacere?*

Communissima et prorsus rationi consona sententia est, eum, qui *probabiliter* alicui obligationi satisfecit, *ad nihil* ulterius teneri. – *I. 80.*

Si quis *probabiliter* judicet, se implevisse votum, horas canonicas, sive poenitentiam, an teneatur eam satisfacere, si adhuc probabile sit vel dubium, non implevisse? Negant plures AA... Sed *oppositum est tenendum;* quia possidet obligatio jam contracta, *donec certe non fuerit impleta.* – *Quaest. rec. reform. n. 1.* [2] *

TRACT. DE LEGIBUS.

9. *An lex humana possit praecipere actus mere internos?*

Lex civilis certe non potest... Lex ecclesiastica *juxta plures* etiam non potest... S. Lig., S. Thomas, Suarez, Bened. XIV. etc. contra alios, qui *probabiliter etiam* affirmant. – *I. 89. q. 2.*

Probabilius negant Salm. cum S. Thoma, Cajet. Suar. Bonac. etc. *contra alios;* quia legislator humanus nequit judicare de internis. – *I. 100.* [3]

1) Si lex igitur promulgata sit (et ad hoc sufficit, ut eidem faveat opinio certe probabilior, prout in expositione Systematis passim demonstratum est), praefatum axioma libertatem non juvat. Quod a fortiori dicendum est, si, lege certo existente, pro libertate solvenda militet mera probabilitas. — Adverte, quod in prioribus editionibus Pater Gury dubitaverit, num idem axioma valeat extra materiam justitiae. — Cfr. supra, pag. 35. *Hisce generatim,* et pag. 37. ad IV.

2) Vide quae uberius hac de re dicta sunt, pag. 18. ad II. et pag. 117. §. 2.

* Dum haec de Systemate morali utriusque Auctoris scriberemus, prodiit e typis S. Congregationis de Propaganda Fide Tomus I. novae editionis Compendii Theologiae moralis Patris Gury, adnotationibus doctissimi Theologi romani illustratae. – Hic in prooemiali dissertatione (pag. 16.) et in adnotatione prima (ad calcem Voluminis adjecta) egregie de morali Systemate S. A. disserit, quod merito *Aequiprobabilismum late sumptum* nuncupat; probatque illud, quoad rei substantiam, nullatenus a *Probabilismo moderato* differre, qualis exponitur in antiquioribus Patris Gury editionibus (v. g. in Mediolanensi a. 1857., et Romana a. 1862.). In his enim legitur propositio: *licere sequi opinionem minus tutam et* PAULO *minus probabilem, modo vera et solida probabilitate gaudeat;* e qua dein propositione, in duplici editione a Patre Ballerini adnotata, sublata fuit vox *paulo.*

Concinit ergo thesis laudati Theologi romani cum iis quae superius in Expositione Systematis Alphonsiani diximus: videat tamen benignus lector (pag. 18.) additas a nobis explicationes circa aliam Systematis partem, quae cessationem legis respicit, nec non adductas pag. 30. n. 3. rationes, quas ad usurpandum ac retinendum *Aequiprobabilismi* nomen et formulam omnino efficaces arbitramur.

3) *Cl. Ballerinius* (pag. 90., in altera edit. pag. 73.) probabilitatem impugnat negativae sententiae, quam S. Alphonsus absolute ceu probabiliorem reputat — Verum rationes, quas cl. Professor affert, *nihil contra sententiam S. Doctoris crimen.* Quos enim actus laudatus Scriptor in specie adducit ceu subjectos potestati Ecclesiae, eos concedit S. Alphonsus posse ab Ecclesia *indirecte* praecipi, tum scilicet, cum *« actus interior per se cum exteriore conjungitur..., vel tamquam forma constituens actum externum in esse morali actus virtutis..., vel tamquam causa cum effectu. »* — Cfr. dicta de impedimento criminis, pag. 806. not. II.

P. Gury. **S. Alphonsus.**

10. *An a peregrinis servanda sit lex particularis loci, ubi reperiuntur, si eadem lex in eorum territorio viget?*

Probabiliter non tenentur peregrini ad legem particularem illius loci servandam, *etiamsi eadem lex particularis* in suo territorio vigeret. Reuter... contra S. Ligorium. – *I. 95. ad 6.*

Probabilior videtur (sent.) quae dicit, advenam non teneri legibus loci, ubi non moratur... *Limitatur* vero haec sententia, *si eaedem leges vigeant* in patria peregrini. – *I. 156. in fin.*

11. *An leges pontificiae obligent statim ac promulgatae sunt?*

Affirmative. Lex enim promulgata *statim* vim habet, et obligat in actu, ut ajunt, secundo eos omnes qui eam agnoscunt. – *I. 97. q. 2.*

Dub. *an tempus duorum mensium* [1], requisitum ut leges caesareae post earum promulgationem obligent, *etiam quoad leges pontificias... requiratur.* Alii negant; sed *probabilissime* affirmant alii plures graves DD. – *Hom. Ap. tr. II. 8.* – *(I. 96. q. 2.)*

12. *An Papa dispensare possit in iis, quae absolute a Dei voluntate pendent?*

Controvertitur, an vere *dispensare* possit ex gravissima causa, vel tantum declarare jus divinum tunc cessare. – *I. 115. q. 1.*

Communior et probabilior (sententia) *negat universaliter...* Nihilominus *valde probabiliter* dicunt Sotus... etc., quod Papa in *aliquo casu particulari* bene potest, non jam dispensare, sed *declarare,* legem divinam in illo casu particulari non obligare. – *Hom. Ap. II. 56.*

13. *An petenda sit dispensatio, in dubio an casus indigeat dispensatione?*

Non requiritur dispensatio in dubio *positivo,* seu cum probabile est, casum lege non comprehendi. – In dubio vero, *an causa sit sufficiens ad excusandum a lege* sine dispensatione, *controvertitur.* Quidam enim contendunt, requiri dispensationem. Alii tamen *melius negant.* Ita S. Lig. – *I. 118. q. 4.*

Sive dubium sit *positivum,* sive *negativum,* potest subditus uti sua libertate. – Quid in dubio, *an causa* quam habes *sit sufficiens* ad te excusandum a lege? Quidquid dicat Salas, *verius est, te teneri ad legem* [2]: quia tunc possidet lex antecedenter ad tuam libertatem. – *I. 192., 97. in med.*

TRACT. DE PECCATIS.

14. *An ad peccatum actuale requiratur necessario advertentia actualis?*

Ad peccatum actuale *requiritur necessario advertentia actualis...* Contradicunt quidem plures, asserendo sufficere ad

Meum proferam sensum... Si dicatur, ad omnia peccata mortalia necessario exposci actualem et expressam adver-

1) Lapsus duorum mensium, de quo hic agitur, judicio *P. Ballerinii* (pag. 96., in altera edit. pag. 78.), ad forum tantum *externum* spectat, ut nempe « *definiretur, quandonam* » *legis violatores, ad poenam evadendam, possent in judiciis probabilem ignorantiam* » *legis allegare.* » — Sed conclusio haec non subsistit: nam si quis rationem inspicit, quam affert S. Doctor, eamdem reperiet pro foro etiam *interno* valere. Citat enim S. Alphonsus hunc textum juris (Cap. 1. de concess. praeb. in 6.): « Lex et mandatum *nullos adstringunt...,* nisi post tempus, intra quod ignorari minime debuissent. » Quae verba: *nullos adstringunt,* conscientiam profecto et forum internum respiciunt.

2) Ergo requiritur dispensatio in secundo casu, non autem in primo, quidquid cl. Ballerinius (pag. 113., in altera edit. pag. 91.) addat in contrarium.

P. Gury.

peccatum advertentiam virtualem, seu interpretativam... Sed haec sent. *omnino rejicienda* est. Etenim nihil potest esse volitum, nisi eo modo et tempore, quo est cognitum... Peccatum igitur *absque actuali* cognitione commissum est *mere materiale*. – *I. 144.*

S. Alphonsus.

tentiam, *hoc utique falsum est:* quia multipliciter evenire potest, quod plura mala, quamvis actualiter et expresse non advertantur, *bene tamen imputantur ad culpam ea patrantibus*, si ipsorum ignorantia sit aliquo modo voluntaria, vel ob negligentiam, vel ob passionem, aut pravum habitum, vel ob voluntariam inconsiderationem in operando. – *V. 4. – Hom. Ap. III. 27-31.*

15. *An in peccatis voluntariis in causa, reatus tunc tantum contrahatur cum ponitur causa?*

Si fuit (peccatum) vere voluntarium in causa, tunc necessario affuit aliqua cognitio, ac proinde *tunc* peccatum patratum fuit. – De aliis peccatis, quae sunt voluntaria mere in causa... tunc reatus contrahitur, cum causa ponitur voluntarie; et cum totus reatus in causa resideat, eodem modo hic aderit, *sive actus ejusmodi consequantur, sive non,* et sive *pauciori,* sive *majori* numero iidem frequententur. – *I. 144. ad 2.; 145. 6°.*

Illi, qui secundum suam passionem operatur, bene imputabitur *omnis pravus effectus* tali passioni connexus, *licet in particulari non agnoscatur:* quia, cum homo passionem aliquam amplexatur, consequenter ipse amplectitur omnes effectus *communiter* ex illa passione provenientes... Existimamus, eum qui ita non advertit ad peccati malitiam, ut vel naturali raptus distractione, vel ob similem causam advertere non possit, peccato non teneri... Verum aliter dicendum de actionibus, quas eliciunt aut omittunt viri terrenis rebus absorpti, passionibus suis servientes, *assueti ut nequidem cogitent, se non cogitare.* – *V. 4. med. et vers. fin.* [1]

16. *Quot peccata committit is, qui pecuniam determinatam furari intendens, eamdem pluribus vicibus subripit?*

Unicum facit peccatum, qui summam aliquam determinatam pecuniae furari *intendens,* pluribus vicibus, ne detegatur, eam subripit; quia unicus est pravus voluntatis actus, qui in ultimo furto consummatur. – *I. 163. 5.*

Si quis *ex intentione* furandi centum aureos, *centenis* vicibus moraliter interruptis ea subripiat, *tunc centum peccata committit;* quia singuli actus habent in se consummatam malitiam. – *V. 44. – Sec. Elench. prop. ref. q. 6.*

1) Ex praefata S. Alphonsi doctrina sequitur, non admittenda esse quae *P. Ballerini* de simili materia ad *n. 300. 3°.* Patris Gury (pag. 332., in altera edit. pag. 253.) adnotat. Dicit enim, dum Confessarius confessiones excipit eorum, qui consuetudinem habent blasphemandi, aut aliis vitiis linguae implicantur, ad quae actualiter non advertunt, « inutile esse a poeni- » tente percontari *numerum* horum peccatorum seu actuum materialium. Totus enim (ait) » horum reatus *in causa* est; hic autem reatus nec augetur, nec minuitur, pro majori aut » minori actuum deinde sequentium numero. » — Verum quidem est, reatum non augeri formaliter, cum tota malitia in causa sit posita, et ex advertentia tunc habita pendeat. Attamen, *quoadusque causa non retractatur,* omnes actus, qui ex ipsa sequuntur, *malitiam causae certe induunt,* nec adeo mere materiales dici queunt, sed sunt in seipsis peccata, ac proinde in confessione exprimi debent, quatenus non excusat impossibilitas moralis. — (Vid. S. Alph. Lib. IV. 149., et supra, pag. 256. q. 8.).

Quoad alteram Adnotationis partem, in qua P. Ballerini regulas statuit, juxta quas vitiis linguae assuetis absolutio differenda aut deneganda sit, conferantur quae diximus superius, pag. 687. art. 5. etc.

P. Gury. **S. Alphonsus.**

17. *An unum vel plura peccata constituant, objecta materialiter et physice distincta, quae ad unum actum referuntur, atque adeo numerus horum objectorum in confessione sit exprimendus?*

Controvertitur. Alii... unum esse peccatum dicunt; alii cum S. Alphonso plura esse peccata volunt. *Sua utrique sententiae probabilitas favet.* Hinc probabiliter *unicum* facit peccatum, qui unico actu plures foeminas desiderat, plures homines occidere intendit, vel rapit crumenam ad plures socios pertinentem. – *I. 163. 8.* [1]

Sent. *communior, quam sequimur,* et tenent Cont. Tourn... *cum aliis innumeris,* docet, diversitatem objectorum totalium bene constituere diversa numero peccata... Hinc infertur, *diversa numero peccata* committere eum, qui uno ictu plures homines occidit, vel pluribus detrahit..., qui unico actu optat ad plures foeminas accedere... qui pluribus unica vice scandalum praebet. – *V. 45. 46.*

18. *An explicanda sint in confessione media ad peccatum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum?*

Alii affirmant, etiamsi media illa non fuerint mala in se... *Alii vero negant probabiliter, nisi media ista in se mala sint,* et tunc indicari debent, et quidem omnia, si sint specie diversa, ut tactus, aut verba obscoena ad sollicitandum adhibita. – *I. 164.*

Explicanda sunt, tanquam distincta peccata, *omnia media posita ad peccatum consummandum,* si postea peccatum non consummetur, ut ait Viva cum *communi.* Et hoc non solum, si praedicta media per se sint mala..., sed *etiam si sint indifferentia...* Ita valde probabiliter dicit Viva. – *V. 42.* – *Prax. n. 39.*

1) *P. Ballerini* in adnotatione huic quaestioni subjecta (pag. 156., in altera edit. pag. 122.) advertit, « *longe plures* (Auctores), et quidem *e gravioribus*, pro ea opinione stetisse, quae » poenitentem ab obligatione exprimendi objectorum (totalium) numerum eximit. » Hos tamen Auctores longe plures indicare omisit. — Contra vero S. Alphonsus, relata sententia affirmativa, quam ipse sequitur, testatur, eamdem *communiorem* esse, et ab *innumeris* Auctoribus teneri. Quocirca non pigeat eorum saltem Doctorum nomina adducere, qui ad manum erant, quique cum S. Alphonso sentiunt. Sunt autem sequentes: *Continuator Tournelii, Concina, Croix, Holzmann, Salmanticenses* cum *Azorio, Gaspare Hurtado, Vasquez, Diana, Dicastillo.* Ac praefati quidem Auctores a S. Alphonso citantur; quibus Salmanticenses (tr. 20. c. 12. n. 61.) praeterea addunt *Salas, Granadum, Henriquez, Godoy.* — Croix vero (lib. 5. n. 149.) hisce adnumerat *Tannerum, Georgium de Rhodes, Oviedum, Haunoldum;* ac Diana demum (P. 1. tr. 7. res. 17.; et P. 3. tr. 4. res. 164.) *Pesantium, Yribarne* et *Malderum.*

Adductis vero Doctoribus addi debent: *Sayrus* (Clav. reg. lib. 2. c. 5. n. 14.), *Castropalaus* (tr. 2. disp. 3. p. 3. n.7. etc.), *Sporer* (de Poen. part. 3. c. 3. n. 415. etc.), *Mastrius* (disp. 15. q. 5. n. 87. etc.), *Trullenchus* (prax. sacram. lib. 4. c. 6. dub. 3. n. 3.), *Alphonsus de Leone* (Recoll. 15. n. 78. etc.), *Ferraris* (V. Peccatum n. 39.) et apud eum *Adnotator Romanus; Reuter* (Pars I. tr. 5. n. 352.), et apud eum *Pallavicinus; Zacharias* (lib. 5. n. 149.), *Wigandt* (tr. 4. ex. 2. n. 32.), *Billuart* (Summ. Summ. tr. de peccat. diss. 1. c. 2. q. 2.), *Matthaeuccius* (lib. 1. c.17. n. 12.), et apud eum *Campionus; Tournely* (de sacr. Poen. q. 6. art. 4.), *Taberna* (tr. 3. de pec. c. 2. q. 2. et tr. 4. c. 4. q.7.), *Paluzzi* (tr. 3. diss. 3. c. 9.), *Voit* (de pecc. n. 289.), et penes eum *Babenstuber; Ricci* (tr. 5. dist. 1. q. 5. n. 57.), *Durandus Barth.* (diss. eccl. lib. 3. c. 1. n. 3.), *Thomas ex Charmes* (tr. 4. de pecc. diss. 1. c. 2. q. 2.), etc.

Praeterea inter Auctores qui pro opposita sententia adducuntur, aliqui, ut *Navarrus* (Man. c. 6. n. 18.), *Roncaglia* (tr. 2. q. 1. c. 2. q. 2. regula), *Filliuccius* (tr. 7. cap. 4. n. 85.) etiam nostrae favent. — Demum rationes, quas Lugo et alii secum sentientes afferunt, bene a S. Alphonso solvuntur.

Hinc patet, utri potius sententiae Auctores suffragentur, Patris Ballerini, an S. Alphonsi, qui testatur, sibi suffragari innumeros. Quod eo magis constat, quia (ut advertit *Concina*) affirmativam sententiam tuentur « *Thomistae et communiter extranei.* »

P. Gury. **S. Alphonsus.**

19. *An plura peccata committat, qui unico actu pluribus detrahit, vel uni tantum coram pluribus?*

Resp. *ad 1. Controvertitur*, et duplex datur sent. probabilis. – Resp. *ad 2. Controvertitur.* Probabiliter *unicum* tantum facit peccatum : quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggravans. – *I. 165. q. 2.*

Hinc dicimus, *plura committere peccata*, qui... unica detractione multos unius familiae infamat, aut unico sermone pluribus est scandalo. [1] – *Hom. Ap. III. 64.*

20. *An delectatio morosa induat malitiam specificam circumstantiarum, ut desiderium et gaudium?*

Controvertitur. *Neg. probabiliter.* Ratio est, quia simplex delectatio... quiescit (in objecto) ut repraesentato per intellectum. Porro intellectus praescindit ab aliis proprietatibus objecti, praeter illam quae delectationem movet. – *I. 170.*

In praxi dico... *sine dubio esse explicandas* in delectatione omnes objecti circumstantias, quia in illa adest *periculum proximum* desiderii pravi peccandi cum hujusmodi persona. – *Hom. Ap. III. 48.* – *(V. 15.).*

21. *An liceat delectari de re mala, ob bonum effectum inde secutum?*

Non licet delectari de re ipsa mala in se spectata, quia objectum delectationis est semper malum. *Licet tamen delectari ob bonum effectum* [2] qui inde provenit, dummodo ordo charitatis non violetur. – *I. 173. 4°.*

Distingue. Si opus fuerit formaliter malum, nempe quia *cum peccato* patratum fuit, peccat qui de illo delectatur, *etiamsi delectetur de opere malo... ut causa effectus secuti...* Si vero opus malum patratum fuit *sine peccato*, sentiunt Less. et Vasq..., licitum esse de illo delectari... ut causa boni effectus. *Sed verius est tenendum oppositum...* – *V. 20.* [3]

22. *An licita sit ebrietas ad operationem chirurgicam faciendam?*

Controvertitur. Negat S. Ligorius cum aliis; quia ebrietas directe intenderetur, et bonus effectus ex malo sequeretur. *Affirmat* vero Busembaum... *Et reapse*, sicut adhibetur in tali casu opium et aether, ita etiam vinum adhiberi posset. – *I. 182. q. 3.*

Sent. (affirm.) satis probabilis, imo probabilior mihi videtur, casu quo potatio vini praebeatur ad expellendos sive corrigendos pravos humores... *Secus vero dicendum*, si potatio daretur directe ad ebrietatem, sive ad privationem rationis causandam... Hinc, ut bene advertit Croix, *nunquam licitum est se inebriare ad sensus sopiendos*, ne cruciatus sentiantur. – *V. 76.*

1) Hinc, etsi S. Alphonsus (Lib. 5. n. 49.) dicat, unum esse peccatum *detractionis* aggravatum, si quis detrahit alicui coram pluribus, vult tamen ut poenitens interrogetur « *si in» famaverit* (aliquem) *coram uno an pluribus, et coram quot.* » (Prax. Conf. n. 45.) — Ratio petitur, non ex natura ipsa detractionis, sed ex conceptu *scandali* aliis dati, quia (juxta doctrinam S. Alphonsi) tot committuntur peccata, quot personae *scandalizantur*, seu inducuntur ad detractionem accipiendam vel etiam propagandam.

Hic etiam obiter advertimus, Patrem Gury circa praesentem quaestionem magis et sibi et S. Alphonso cohaesisse in prioribus sui Compendii editionibus. Olim enim, una cum principio de distinctione peccatorum *numerica*, etiam consectaria a S. Alphonso tradita satis fideliter retulerat; postea vero, cum principium intactum reliquisset *(Vid. Tom. 1. n. 160.)*, ejusdem consequentias illogice mutavit.

2) In altera edit. rom., cl. Ballerinius pro verbis: *ob bonum effectum*, rectius legit: *de bono effectu.* — 3) Cfr. supra, pag. 135.

P. Gury.	S. Alphonsus.

TRACT. DE VIRTUTIBUS.

23. *An requiratur fides explicita mysterii SS. Trinitatis et Incarnationis, de necessitate medii?*

Duplex datur sent. probabilis. 1ª sent. omnino affirmat... Hanc probabiliorem dicit S. Lig. – 2ª sent., *quae videtur probabilior,* negat. – *I. 195. q. 1.*

Prima sent., quae est *communior,* et *videtur probabilior,* docet credenda esse de necessitate medii... [1] Secunda vero sent. *satis etiam probabilis* dicit..., necessitate medii sufficere, si credantur implicite. – *II. 2.*

24. *An possit absolvi ignorans mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis?*

Non potest licite extra casum necessitatis, v. g. periculum mortis... *Probabilius potest absolvi valide,* si versatur in ignorantia invincibili. – *I. 196.*

Cum ipse (poenitens bona fide confessus) adverterit, confessionem suam ob ignorantiam (horum) mysteriorum fuisse *probabiliter validam,* sed etiam *probabiliter nullam,* tenetur, postquam de illis mysteriis instructus fuerit, confessionem iterare. – *II. 2. in fin.*

25. *Quandonam urgeat praeceptum charitatis?*

S. Ligorio arridet sententia eorum, qui actum charitatis semel in mense requirunt. Sed hujus opinionis *nullum est solidum fundamentum.* – *I. 218.*

Magis mihi arridet sent. eorum, qui actum requirunt semel in mense; *dum difficiliter observare poterit legem divinam,* qui frequenter suum erga Deum amorem actibus positivis non exercet. Attamen opus non est, ut hi actus reflexe et explicite fiant. – *Hom. Ap. IV. 13.* [2]

26. *An debeas aliqua signa dilectionis offensori, veniam non petenti?*

Quidam affirmant cum S. Ligorio; alii vero negant cum S. Antonino. – *I. 225. q. 5.*

(Ubinam hoc dicat S. A., nemo sane reperiet. Docet tantum S. D. *cum communi sent.,* deberi inimicis signa communia benevolentiae.)

27. *An praecepta positiva sint quandoque omittenda propter scandalum pusillorum?*

Controvertitur. Prima sententia *probabilis* affirmat... Negant tamen alii *non minus probabiliter.* – *I. 236. q. 1.*

Prima sententia probabilis *negat...* Affirmat vero secunda sententia *probabilior.* – *II. 51.* – *Hom. Ap. IV. 28.*

1) Praestat hic referre, quae Benedictus XIV., sententiam affirmantem confirmans, in Rescripto Apostolico *Postremo mense,* die 28. Febr. 1747., declaravit: « Quoad ea, quae ante » Baptismum adulto credenda sunt, animadversione dignum est dubium seu quaestio ab » Episcopo Quebec. S. Officii Congregationi proposita, definita 3. Maji 1703.: *Utrum antequam adulto conferatur Baptisma, Minister teneatur ei explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius; an non sufficeret, si moribundus promitteret fore ut, ubi e morbo convalesceret, instruendum se curet, ut in praxim redigat quod ei praescriptum fuerit?* Respondetur, *non sufficere promissionem, sed Missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis.* »

2) Cfr. supra, pag. 145.

P. Gury. **S. Alphonsus.**

28. *An in scandalo detur non solum peccatum contra charitatem, sed etiam contra virtutem ad quam violandam proximus inducitur?*

Affirmative quoad scandalum directum... Quidam affirmant etiam quoad scandalum indirectum. *Melius tamen alii negant.* Nam secus, qui exemplo suo movet alium ad furandum, teneretur ad restitutionem, quod communissime DD. negant. – *I. 236. q. 3.* [1]

Tertia sent., *cui subscribo*, tenet, quod qui directe *vel indirecte* inducit proximum ad peccatum, dupliciter peccat, sc. tam *contra charitatem*, quam *contra virtutem* ad quam laedendam proximum inducit... Qui tamen suo exemplo induceret alium ad furandum, licet peccet contra justitiam duplici peccato, non tenetur tamen ad restitutionem... Quia *exemplum illud non est causa directe influxiva*, sed tantum occasio, quae non praestat ad furandum positivum influxum, qui requiritur ad obligationem restitutionis. – *II. 45.*

29. *An possit famulus, ratione famulatus, sternere equum domini ad peccandum profecturi?*

Non videtur illicitum..., quia in hoc non videtur magis peccato domini cooperari, quam aperiendo ostium meretrici.– *I. 251. q. 3.*

Probabilius non sufficit ad id *sola ratio famulatus*, etiam si sine famuli ope herus adiret; saltem requiritur metus gravis damni. – *II. 64.* [2]

30. *An liceat famulo dona meretrici deferre?*

Neg., saltem sine causa valde gravi... Imo hoc intrinsece malum reputat S. Lig... Sed *probabilius contradicit Viva cum aliis.* – *I. 251. q. 4.*

Verius P. Concina putat, hoc esse intrinsece malum, quia *revera* munera per se turpem amorem fovent. – *II. 65.* [3]

31. *An liceat famulo litteras amatorias concubinae domini sui deferre?*

Neg., *nisi adsit ratio valde gravis.* Imo juxta S. Lig., nunquam licet, etiam posita gravissima causa, quia hoc, ait, intrinsece malum est. *Oppositum tamen*

Quidquid alii dicant, puto cum Salmant. etc., haec *nunquam* licere, quia formaliter concurrunt ad peccatum heri, fovendo turpem ejus amorem. Et hoc

1) Ex hac doctrina Patris Gury, *cl. Ballerinius* (pag. 232., in altera edit. pag. 178.) tria consectaria deducit. Ait enim 1°: « Sufficit ergo in confessione exprimere generatim peccatum » scandali (in irecti), neque necesse est speciem peccati innuere, ad quod inducti alii fue» rint. — 2° Multo vero minus opus est, ut exprimantur circumstantiae, quae aliorum pec» catis forte speciem superaddant. — 3° Adde, nec necessarium esse, ubi eodem actu plures » scandalizati fuerint, horum numerum exprimere. » — Ad haec breviter respondemus. Tertium ex praefatis consectariis jam attigimus supra pag. 912. n. 17. — Quoad duo priora, contra opinionem cl. Professoris praevalet sane tum auctoritas S. Alphonsi et aliorum Doctorum quos allegat, tum intrinseca ratio summi profecto ponderis: « *quia* (nempe) *quae» » libet virtus non solum contrarios actus prohibet, sed etiam prohibet ne detur occasio* » *aliis inductiva ad peccandum: tunc enim occasio illa, esto non sit causa de se influ» xiva, est tamen causa moralis, ut proximus peccet.* » — Qua etiam ratione recte solvitur argumentum quod adversarii opponunt. — Addi potest, cl. Ballerinium minus sibi cohaerere. Cum enim alibi (not. 1ª in num. 235.) dixisset, malitiam scandali propriam inesse, tum scandalo directo, tum indirecto, « quia in moralibus voluntarium *directum et indirectum ad eamdem speciem pertinet* »; hic ex adverso asserit, non necesse esse « speciem peccati innuere, ad quod inducti *indirecte* alii fuerint », esse vero necesse, si *directe* fuerint inducti.

2) Vid. supra, pag. 165. — 3) Pag. 173.

*

P. Gury.	S. Alphonsus.
docet Vogler cum aliis. Ceterum famulus non tenetur inquirere, quid in litteris contineatur. – *I. 251. q. 5.*	censeo dicendum cum Sanch... *etiam in dubio,* an litterae contineant amatoria, quia cum constet de turpi amore, moraliter creditur turpia continere. – *II. 67.*[1]

TRACT. DE PRAECEPTIS DECALOGI.

32. *An licitus sit usus virgae divinatoriae?*

Non videtur certo damnandus usus virgae ad detegendas aquas vel metalla, si virga super haec *in omni casu aeque moveatur,* sive quaerantur, sive non quaerantur; modo fiat protestatio contra diabolicam operationem, quae forte adesse potest, excludaturque omnis animus superstitiosus. Ita *communius recentiores contra S. Lig.* – *I. 270. q. 3.*

Usum hujus virgae aliqui DD. medici et etiam theologi conati sunt naturalem probare et innocentem; sed *merito* eum reprobat Cont. Tournely. – (Ac dein S. Alphonsus rationes affert, quarum praecipua est, quod *« virga movetur juxta mentem ferentis*[2] *»*). – *III. 8.*

33. *An tentatio Dei interpretativa seu implicita admittat parvitatem materiae?*

Certum est, tentationem Dei formalem expressam semper esse peccatum mortale contra religionem. – Si autem sit implicita solum, saepe ob ignorantiam, inadvertentiam, aut *materiae parvitatem* venialis esse potest. – *I. 283.*

Dicunt (plures DD.) quod si quis *in re levi* tentaret Deum..., hic tantum venialiter peccaret. Sed *probabilius* Sanch., Suar., Salm. eum damnant de mortali, nisi excusaretur ratione ignorantiae vel indeliberationis. – *III. 30.*[3]

34. *An sit sacrilegium violatio personae voto simplici castitatis ligatae extra Religionem?*

Controvertitur. Prima sententia affirmat... Secunda non minus probabilis negat. – *I. 286. q. 1.*

Qui violat votum castitatis (scil. simplex extra religionem) *probabilius* committit sacrilegium. – *III. 47.*[4]

35. *An peccata luxuriae externa et gravia (praeter consummata), in ecclesia commissa, sint sacrilegia?*

Controvertitur. Probabilius affirmant S. Ligorius, Collet etc. – Negant autem *non improbabiliter* Sanchez, etc. – *I. 286. q. 2.*

Tres adsunt sententiae... Secunda damnat ut sacrilegia actus externos graviter turpes... Puto secundam sent. *absolute probabiliorem.* – *III. 461.*[5]

36. *An omne furtum in ecclesia sit sacrilegium?*

Quoad res, quae casu aut per accidens in ecclesia reperiuntur, ut crumenae, horologium, etc., controvertitur. *Probabilius* negandum. – *I. 286. q. 3.*

Probabile est, furtum cujuslibet rei profanae, quae ad ecclesiam non pertinet, non esse sacrilegium; sed nobis *probabilius* videtur *esse quidem* (sacrilegium). *Hom. Ap. IV. 39.* – *(III. 39.)*[6]

1) Vid. supra, pag. 175.
2) Hinc patet, diversam esse Patris Gury et S. Alphonsi hypothesim, ac proinde fictam esse dissensionem, quae inter recentiores et S. Doctorem ponitur.
3) Cfr. supra pag. 187. — 4) Pag. 191. — 5) Pag. 205.
6) Quamvis S. Alphonsus *probabilem* dicat opinionem *negantem,* videtur tamen sententiam

P. Gury. **S. Alphonsus.**

37. *An sit simonia dare temporale ad sibi conciliandum Superiorem, intuitu beneficii obtinendi?*

Neg., si intentio primaria sit dandi gratis temporale; quia tunc comparatio immediata fit rei temporalis cum temporali, nempe benevolentia Superioris. Secus autem, si intendatur res spiritualis ut debita retributio, non vero *ut effectus gratitudinis* animi. S. Ligorius. – *I. 290. q. 2.*

(Negat et ipse S. Alph., at mox subdit:) Ceterum, *recte* advertunt Ronc.... quod, ubi alius deest titulus..., quando datur aliquid *solo intuitu obtinendae rei spiritualis,* vel contra, praesumenda tunc sit intentio saltem virtualiter simoniaca... Et maxime nequit excusari a simonia mentali.... is, qui Episcopo gratis inserviret *animo eum obligandi ex gratitudine,* etsi non ex justitia, ad retribuendum beneficium. – *III. 51.*

38. *An liceat aliquid accipere pro sustentatione ingressuri in monasterium opulentum?*

Controvertitur, si agatur de monasterio opulento. Negat S. Ligorius, nisi recipiendus sit senex vel infirmus. *Affirmant tamen alii non pauci,* modo non exigatur pecunia pro ipso ingressu, sed recipiatur aut postuletur tantum ratione sustentationis seu dotis. – *I. 291. q. 5.*

Prima sent... affirmat. Secunda vero *negat,* quam sequuntur Cabass... et alii, quibus clare consentit D. Thomas... Ratio potissima et *mihi valde urgens* est, quia postulans, etsi ante receptionem nullum jus habeat ad bona monasterii, postquam tamen receptus est, habet quidem jus ad illa pro sua sustentatione. – *III. 92.*[1]

39. *Cui restituendum sit pretium simoniace acceptum, secuta utrinque traditione?*

Si utrinque sequuta sit traditio, distinguenda a reliquis est causa *beneficialis.* In hac enim, simoniacum pretium restituendum est *Ecclesiae,* in qua situm beneficium est, vel, si Superior velit, potest pauperibus distribui. – Quoad pretium vero *pro alia re spirituali* acceptum, cum nihil jure clare decretum reperiamus, superest, *ut ei restituatur, qui illud persolvit.* – *I. 295. q. 3.*

Tres sunt sent. probabiles. Prima tenet, ante sententiam restituendum esse ei qui dedit... Secunda tenet, esse restituendum Ecclesiae, in qua est beneficium... Tertia dicit, ex consuetudine posse restitui etiam pauperibus, ut admittit S. Thomas.... Quare recipiens pretium, juxta has sent. *satis omnes probabiles,* ut recte dicunt Salmant., poterit, prout voluerit, illud restituere *vel danti, vel Ecclesiae, vel pauperibus,* et etiam sibi ipsi, si egens sit. – *III. 115.*[2]

affirmantem, etsi simpliciter probabiliorem, *in praxi* tenuisse. Secus enim textum Patris Busembaum adnotare et reformare haud debuisset. — Idem quoque evincitur ex textu Operis: *Confess. diretto per le confessioni della gente di campagna,* ubi (cap. 4. n. 22.) legitur: « Sono anche *più probabilmente* sacrilegii *tutti* i furti commessi ne' luoghi sacri »; — nec oppositae opinionis mentio injicitur.

1) Excipit tamen S. Doctor tempus Novitiatus; item infirmos et senes, ac demum monasteria Monialium — (In *Hom. Ap.* tr. 4. n. 43. praefatam sententiam absolute tradit).

2) Cfr. supra, pag. 249.

P. Gury.	S. Alphonsus.
40. *An blasphemia sit dicere: Perdat te mors, vel sanguis Dei, vel Sacramenta?*	
Blasphemia est juxta quosdam... *Verius* tamen videntur verba mere imprecatoria. – *I. 300.* [1]	*Blasphemat*.... qui injuriose usurpat membrum Christi, v. g.: *Perdat te Dei sanguis, vulnera, mors, caput, passio, sacramenta*... (Sic Busemb., quem S. A. tacite approbat) -- *III. 126.*
41. *An peccent, qui passione abrepti verba blasphema proferunt?*	
Non peccant graviter, qui ira vel aliqua passione abrepti, verba blasphemiae proferunt, *non advertentes* ad eorum significationem. – *I. 300. 3°.*	Puto... *semper adesse* in blasphemando *aliquam advertentiam*, saltem confusam de malitia illius prolationis : ira enim aut habitus *ordinarie* non ita intellectum obtenebrat... - *III. 127.* [2]
42. *An sit blasphemia maledicere toti mundo?*	
Affirmat S. Ligorius; quia, sicut jurare per creaturas, in quibus magis relucent attributa divina est verum juramentum: ita ipsis maledicere est vera blasphemia, quia Deus in ipsis indirecte contemnitur. *Reipsa tamen vix talis sensus animo haec proferentis occurrere solet.* - *I. 304. q. 4.*	Auctor citatus : *Istruzione etc.* nimis obiter asserit, hanc maledictionem non esse per se gravem blasphemiam. *Sed oppositum verius omnino censeo*, et ducor argumento... (quod P. Gury bene exponit). *Ordinarie* loquendo, censeo rusticos, qui mundo maledicunt, *ut plurimum graviter peccare*, dum ipsi de tali maledictione cum magno horrore se accusant. - *III. 129.*

1) S. ALPHONSUS (lib. 3. n. 126.) docet cum Busembaum, « exprimendum esse in confessione, si quis (blasphemando) *directe et formaliter* Deum inhonorare intenderit, aut ei formaliter iratus fuerit. *Laymann (lib. 4. tr. 10. cap. 6. n. 12.).* » — Quibus verbis S. Alphonsus addit: « *Cum communi apud Salmant.* (tr. 21. cap. 3. n. 123.) *cum Lessio* (lib. 2. cap. 45. n. 33.). *Secus, si tantum ex ira* (scilicet in homines vel creaturas) *blasphemet.* » — Ratio vero subministratur tum a Salmant., tum a Lessio, ad quos S. Doctor lectorem delegat, quia nempe in hujusmodi actu, praeter blasphemiam, accedit *odium Dei*, quod novam peccati speciem constituit, atque adeo necessario confitendam.

Circa hanc S. A. sententiam, cl. BALLERINIUS (in nota 2. ad *n. 299.* Patris Gury pag. 329., in altera edit. pag. 251.) advertit: 1° *Salmanticenses* fuisse *abs re* a S. Alphonso pro sua opinione adductos; 2° *Laymannum* ac *Lessium* ideo tueri necessitatem confitendi directam voluntatem inhonorandi Deum, quia ducti erant « *opinione de necessitate confitendi quasdam circumstantias mere aggravantes.* »

Sed vera non sunt quae P. Ballerini asserit. — Nam ad *primum* quod attinet, S. Alphonsus optimo jure *Salmanticenses* allegat, quippe qui docent cum communi « blasphemias *ex odio Dei* procedentes » (uti, juxta Laymann, plerumque est directa et formalis inhonoratio Dei) « esse *diversas specie* ab aliis blasphemiis. »

Ad *alterum* quod spectat, *Laymann* et *Lessius* docent, inhonorationem formalem Dei *non esse dumtaxat circumstantiam mere aggravantem*, sed aperte dicunt, eam esse, saltem plerumque, *novam speciem peccati*, sc. odii in Deum, et proinde hac ratione necessario confitendam. — Audiamus utrumque Auctorem. *Lessius*, loco cit. ratiocinationem suam sic concludit: « Multo ejus est blasphemare Deum, ut ipsi contumeliam irroges, quam ut iram tuam in hominem declares. Unde non dubium est, quin hoc in confessione *tamquam peculiaris species*, in qua ipsa malitia est directe volita, sit aperiendum. » — Idem admittit *Laymann*, loco cit., saltem plerumque. Nam loquens de « blasphemia prolata.... cum formali ac directa intentione inhonorandi Deum », ait, ad officium Confessarii pertinere in eam inquirere: « tum quia haec circumstantia intrinsece aggravat et auget despectum, sive inhonorationem Dei, in qua essentialis malitia blasphemiae consistit; tum etiam *quia hujusmodi perversa intentio saepe provenit ex odio*, saltem abominationis erga Deum, *quod est peccatum distinctum a blasphemia.* »

Ex hisce igitur patet, S. Alphonsum recte citasse Auctores a se allegatos, et cl. Ballerinium S. Doctoris sensum in hac quaestione non satis percepisse.

2) Cfr. supra, pag. 256.

P. Gury. **S. Alphonsus.**

43. *Quale peccatum sit juramentum promissorium fictum?*

Non valet juramentum promissorium fictum, seu mere externum, ob voluntatis seu intentionis defectum. Peccat vero sic jurans, sed *probabilius venialiter tantum, per se loquendo,* quia non est nisi *mendacium cum vana nominis Dei usurpatione.* S. Lig. - *I. 308.*

Si quis jurat sine animo jurandi, et sine animo standi promissis, *procul dubio peccat graviter.* - Si contra jurat *cum animo standi promissis,* sed sine animo jurandi, probabile est, quod tantum *venialiter peccat,* quia tunc nulla alia adest culpa, quam in vanum Deum nominare. - *Hom. Ap. V. 17. - (III. 172.)*

44. *An obliget in conscientia juramentum promissorium metu extortum?*

Controvertitur. Prima sententia communior affirmat.... Secunda sententia, quae *sat probabilis* videtur, negat. - *I. 314. q. 3.*

Prima sent. negat obligare... Secunda *longe probabilior...* dicit, tale juramentum obligare. - Notandum, quod metum passus... potest illius (juramenti) relaxationem petere ab Episcopo. - *III. 174.*

45. *An voto teneatur, qui dubitat, utrum sufficientem habuerit deliberationem?*

Resp. Negative..., quando *positive* et *graviter* dubitet de sufficienti deliberatione. - *I. 322. q. 4.*

In quocumque dubio, an defuerit plena deliberatio, valet votum. - *III. 196.* [1]

46. *An notabilis dilatio in exequendo voto, cui nullum determinatum fuit tempus, sit culpa mortalis?*

Si tempus determinatum non fuerit, aut ad urgendam tantum voti executionem praefixum sit, dilatio notabilis in re gravi peccatum grave erit juxta S.Ligorium. *Tamburinus tamen cum aliis* nullam dilationem, *quantumvis longam,* mortalem per se, dempto nimirum aut oblivionis, aut impotentiae forte superventurae periculo, esse existimat. - *I. 327. q. 4.*

Certum est, quod si votum (pro tempore indeterminato) est *in perpetuum obsequium Dei...,* peccat lethaliter qui diu differt, si adsit opportunitas implendi, et non excusat rationabilis causa... Si autem votum sit *in obsequium temporale...,* censet probabile... Tamb., quamcumque dilationem non pertingere ad mortale... Sed *verius* [2] *dicendum,* peccare mortaliter, qui sine justa causa notabiliter votum differt implere. - *III. 221.*

1) Quoad materiam voti, S. Alphonsus lib. 3. *n. 206. ad 5.* docet: Votum esse nullum « etiamsi finis pravus voti non sit primario, sed tantum *secundario motivus*, seu sit *impulsivus*, sed sine quo votum non fieret. » — Haec cl. Ballerinio non probantur. Scribit enim *n. 324. q.* 2. pag. 356., (in altera edit. pag. 271.): « Quae quidem pugnantia videri » possunt: quando enim causa actus est ejusmodi, sine qua actus non fieret, non dicitur » solum *impulsiva*, sed *motiva, principalis, primaria.* »

At, pace cl. Professoris, haec minime pugnantia videri possunt; quod exemplo patebit. Quidam religionem ingredi statuit, ut aeternam suam salutem operetur; sed quum inordinate feratur in esum piscium, vovet Carthusianus fieri. Is quidem principaliter ac primario votum suum in bonum finem dirigit, cum salutem animae intendat; non determinatur tamen ad *tale* votum faciendum, nisi ex inordinato amore piscium. Paucis, fit Religiosus propter Deum, et Carthusianus quia pisces amat. — Ergo bene dari potest casus, in quo finis neque sit mere impulsivus, neque primarius aut principalis, sed impulsivus et determinans, ita ut sine hujusmodi fine votum minime emitteretur.

2) Hoc verbo *verius*, S. A. significat (Vide Monitum ad Lectorem, in fronte Theol. mor. in fine) contrariam opinionem non censeri sibi probabilem. Ac merito quidem in hac quaestione S. Doctor damnat ceu peccati mortalis reum, illum qui vota temporalia ultra duos

P. Gury.	S. Alphonsus.
47. *An Superior possit dispensare in votis ad utilitatem proximi factis?*	
Affirmative, si votum non fuerit acceptatum a proximo. *Secus negative,* quia tunc intercedit obligatio contractus. *S. Ligorius.* – *I. 333. q. 2.*	Si votum fuerit emissum in tertii utilitatem, et iste tertius est determinatus..., non potest dispensari, quoties... acceptatum est. Sed si votum emissum est pro *paupere indeterminato*, potest dispensari, *licet ab aliquo paupere jam acceptatum fuisset.* – *Hom. Ap. V. 41.* – *(III. 225.)*
48. *An, qui die festo post consecrationem ultimae Missae advenit, reliqua audire teneatur?*	
Neg. probabiliter; quia jam deest essentia sacrificii, et cessat proinde obligatio illi assistendi, cum praeceptum per hoc impleri non possit. *S. Ligorius.* – *I. 343. q. 3.*	*Dicimus, oppositum* (sent. affir.) *tenendum...* Ratio, quia, cum sit satis etiam probabile quod essentia Sacrificii in sumptione consistat, dicimus illum *bene obligari...* Ceterum sent. haec *est valde probabilis, et in praxi tenenda ex alia ratione,* sc. quia audiri potest pars notabilis ceremoniae ab Ecclesia praeceptae. – *Hom. Ap. VI. 33.* – *(III. 310. q. 2.)*
49. *An satisfaciat praecepto, qui tempore Missae peccata confitetur?*	
Negant plures. Verum *affirmativae* sententiae *sua non deest probabilitas...* Generatim non videntur inquietandi hac de re fideles, neque scrupulus eis injiciendus, quando Missae aliquo modo attendant. – *I. 346. q. 2.*	Haec secunda *(affirm.)* sent. non videtur omnino probabilitate destituta, et *olim probabilem ipsemet censui;* sed quia postmodum observavi eam a pluribus gravibus DD. rejici, *modo non audeo probabilem dicere.* – *III. 314.* [1]
50. *Quinam familiares uti possunt Oratorio privato ad Missam audiendam?*	
Certum est, satisfacere praecepto audiendae Missae in Oratorio privato omnes,	Ut ergo familiares privilegio oratorii gaudeant, requiritur.... 3° *ut actu sint*

vel tres annos exequi differt. Nam, ut recte observant *Salmant.* (de statu Relig. c. 2. n. 32.), licet res promissa integre sit exequenda, illius tamen executionem tanto tempore (ultra 2 vel 3 annos) differre contra voluntatem Dei, qui est creditor, gravem continet deordinationem.

Falso etiam asserit P. Ballerini in sua adnotatione ad hunc locum P. Gury (pag. 361., in altera edit. pag. 275.) pro hac doctrina *« nullum, praeter externam aliquam auctoritatem, pondus rationum militare. »* — Forsan oblitus est cl. Professor illius Eccles. 5. 3.: *« Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. »* Et illius Deuter. 23. 21.: *« Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. »*

Ad quos textus egregie advertit *Tostatus Abulensis: «* Quod ergo aliquis in his, quae ad Deum sunt, *negligenter* se habeat, est *non existimare* Deum tantae bonitatis, sicut est: quod magnum peccatum est; nam coram magnis dominis in serviendo diligentes sumus, propter eorum reverentiam; *omnis autem tardans votum reddere, cum possit, dominum negligit:* quia aut putat illud votum nil fuisse, et Deum non attendere ista, quod error magnus est, tamquam ea quae ad Deum loquimur ridicula sint; aut non reputat Deum tantae dignitatis, reverentiae aut potestatis, ut propter eum in solvendo promissa festinare debeat, et hoc rursus detestabile est. »

1) Cfr. supra pag. 275.

P. Gury.

qui in Indulto comprehenduntur, nempe dominum Oratorii cum suis et familiaribus, *qui ejus servitio addicti sunt.* – *I. 348.*

S. Alphonsus.

necessarii, non solum aliquando intra diem, sed *tempore quo Missa celebratur.* Ita recte P. a Brixia, idque patet ex verbis Indulti. – *III. 318. claus. 10.*

51. *An teneatur dominus uti privilegio Oratorii privati, si ecclesiam adire non potest?*

Affirmative juxta S. Alphonsum, si Sacerdotem commode habere valeat.... *Alii tamen negant,* ex eo principio, quod nemo privilegio uti tenetur. – *I. 348.*

Merito affirmant teneri dominum, si commode Sacerdotem habere potest...., non quidem ex vi privilegii, sed *ex vi praecepti*, quod obligat ad missam audiendam omnes, qui illud sine gravi incommodo implere valent. – *III. 319. dub. 3.*

52. *Quaenam causae a Missa audienda excusant?*

Excusat a Missa audienda quaevis causa mediocriter gravis, seu quae involvit *mediocre quoddam incommodum* vel damnum in bonis animae, vel corporis proprii, vel proximi... Ita S. Lig. – *I. 351.*

Excusat ab audienda Missa quaevis causa mediocriter gravis, scil. quae involvit *notabile aliquod incommodum* aut damnum in bonis animae, vel corporis proprii, vel proximi. – *III. 324.*

53. *Quid sit stuprum?*

Stuprum est violatio, seu oppressio *mulieris*, ipsa invita. Ita communiter.– *I. 425.*

Stuprum est defloratio *virginis*, ipsa invita. – *Hom. Ap. IX. 14.*

54. *An in peccato sodomiae explicandum sit, si quis fuerit agens vel patiens?*

Probabilius per se non est declarandum quis fuerit agens aut patiens, quia species peccati eadem est... Circumstantia tamen pollutionis, si adfuit, quod facilius in agente contingit, omnino aperienda est. – *I. 434.*

Negant Salmant..., quia dicunt, taliter coeuntes communiter ambo polluuntur. At *verius* explicandum est secundum Holzm., Tourn..., quia in agente multo facilius adest pollutio quam in patiente (ergo ratione ipsius periculi). – *III. 468.*

55. *An committat diversa peccata, qui detrahit alicui in pluribus materiis, vel eum diversis contumeliis afficit?*

An specie differant detractiones in materiis specie diversis. Resp. *Duplex datur sententia probabilis.* Prima sententia affirmat. Secunda negat. – *I. 449. q. 2.*

Negant Salmant... Sed *probabilius censent* plura peccata committere Cont. Tournely, Holzm... etc. Ratio, quia laeduntur diversa jura ad famam vel honorem... – *V. 48.*[1]

1) Probe advertendum est, quaestionem diversimode a diversis Auctoribus proponi. Alii enim, ut *P. Gury*, de distinctione *specifica* disserunt; alii vero de *numerica*. De hac postrema distinctione agit *S. Alph.* Lib. 5. num. 45-50. Et citato loco *n. 48.*, posita quaestione uti eam nos posuimus, respondet, *plura* committi peccata. — Itaque P. Gury cum S. Doctore quidem concordat, quatenus negat in casu plura peccata committi *specie* diversa; at ab eo discerpat, quatenus S. Alphonsus docet, probabilius tunc adesse plura peccata *numero distincta*, ratione diversitatis objectorum totalium.

Atque hoc modo patet responsio ad notam *cl. Ballerinii* praefato num. P. Gury adjectam, in qua *imprudentiae* arguit Confessarium, qui *« exigeret a poenitente, ut detractionis materiam exprimat. »* — Hoc utique verum esset, si exigeretur declaratio *ipsius materiae;* quod distinctionem *specificam* respiceret. Sed prudentissime ageret Confessarius, inquirendo a poenitente, *quotnam* diversa crimina proximi revelaverit, aut eidem falso imposuerit: quod ad *numericam* distinctionem spectat. — Ratio est, quia S. Alphonsus, nullo dato judicio de opinione negante, affirmantem probabiliorem esse censet ac demonstrat.

P. Gury. **S. Alphonsus.**

TRACT. DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

56. *An qui inculpabiliter duplicem in die jejunii refectionem sumpserit, teneatur a tertia abstinere?*

Quidam affirmant. Ratio est, quia jejunium materialiter tantum, non formaliter laesit.... Ita *probabiliter* Reuter, S. Lig. – Alii tamen *probabilius negant*, quia, cum essentia jejunii in unica comestione sita sit, post binam refectionem jejunium impossibile evadit – *I. 495.*

Probabilius mihi videtur oppositum (sent. affirm.)... quia, licet qui violat jejunium inadvertenter, jam materialiter illud frangit, nihilominus videtur, *advertendo postea ad obligationem*, teneri ad illud observandum, *ne solvat illud formaliter.* – *Hom. Ap. XII. 20.* [1]

57. *An hora refectionis pertineat ad essentiam jejunii, ita ut notabilis anticipatio sit grave peccatum?*

Controvertitur. *Duplex* est sententia *probabilis*. Affirmat S. Ligor. et alii multi. Negant vero Laymann, Elbel..., aliique non pauci. – *I. 505.*

Affirmat prima sent... Alii vero negant... Quapropter, licet quondam *secundae* sent. (non esse peccatum grave) adhaesi, re tamen melius animadversa, nunc illam *minime probabilem* censeo. – *Hom. Ap. XII. 21.* – *Prop. reform. 2. Elench. n. 13.*

58. *An et quomodo excusentur a jejunio magistri scientiarum?*

Magistri scientiarum excusantur, licet *per unam tantum horam* singulis diebus doceant, si *studio et labore* indigeant ad lectiones parandas; non autem ii, qui e scripto tantum tradunt lectiones jam prius ordinatas ac saepius repetitas. – *I. 512.* [2]

Excusantur lectores scientiarum, qui *magno studio et labore* indigerent, non vero qui dictant lectiones jam prius ordinatas et saepius repetitas.... Palaus autem et alii apud Croix, dicunt, magistros grammaticae qui per quatuor horas docent, non teneri jejunare plusquam tribus diebus in hebdomada. – *III. 1049. 5.*

TRACT. DE JUSTITIA ET JURE.

59. *An mala fides antecessoris noceat haeredi mediato, quoad praescriptionem?*

Neg. probabilius, quia hic non censetur facere unicam personam cum antecessore. Ita communiter (ergo praescribit). – *I. 590. q. 4.*

Haeres possessoris malae fidei *probabilius non praescribit*... Excipiunt Less., Pal..., si praescribens sit *haeres haeredis; sed hoc probabilius etiam negat* Croix cum Lugo. – *III. 512.*

1) Textus *Hom. Ap.* praeferendus videtur in hoc puncto textui *Theol. mor.* (lib. 3. n. 1030. q. 2.), juxta regulam superius pag. 899. n. 2. traditam.

2) Circa *mulieres quinquagenarias*, an sc. sola aetatis ratione a jejunio excusentur, P. Ballerini in adnot. ad *n. 509.* P. Gury (pag. 518., in altera edit. pag. 392.) urget opinionem affirmantem, additque: « *Nec satis appareat, cur ea, quae de senili aetate animadvertit S. Alphonsus pro viris, pro mulieribus aeque non valeant.* » — Respondemus, ea sane valere; sed forsan cl. Professorem latuerunt quae S. Doctor superiori *n. 1032.* in princ. notaverat: « *Sedulo curavi super hoc puncto* (de causis sc. quae a jejunio excusant) *quamplures AA. observare*, et hic recensere, eo quod Doctorum auctoritas in hoc redundat in probabilitatem intrinsecam, *cum agatur de re, quae valde pendet ab aestimatione sapientum.* » — Hinc S. Alphonsus perfecte sibi consonat, dum loquens de quaestione, an mulieres quinquagenariae sola aetatis ratione a jejunio excusentur, respondet: « *Sententiam* (affirmantem) *non audeo improbare, sed neque audeo probabilem dicere, dum video illam a Laym., Tamb., et Croix cum aliis omnino rejici, et Dianam dubitare de sua probabilitate.* » Quod argumentum eo magis probat, quia isti AA. rigidioribus accenseri nequeunt.

P. Gury. **S. Alphonsus.**

60. *Quoties peccet fur, qui gravem pecuniae summam subripere intendens, per minuta furta procedit, ne detegatur?*

Si fur ab initio intendat surripere aliquam summam determinatam per minuta furta, v. g. ne detegatur, *probabilius unicum admittit peccatum*, quia unicus est actus moralis; omnes siquidem actus particulares ad quid unum efficiendum determinate tendunt.–*I. 615.*

Si quis, ex intentione furandi centum aureos, surripiat eos *centenis* vicibus moraliter interruptis..., *melius re perpensa*, dicendum hujusmodi furta esse *centum distincta peccata mortalia*, cum unumquodque furtum distinctam malitiam in se contineat. – 2. *Elench. prop. ref. q. 6.*

61. *An, qui est in necessitate quasi extrema, possit sibi ex bonis alienis providere?*

Controvertitur. *Affirmant* non pauci... Negant autem alii... Prima sententia est communior et *videtur etiam probabilior.* – *I. 619.*

Certum est, eum qui est in extrema necessitate constitutus, posse... *Idem dicitur*, quando necessitas est proxima extremae, aut illi aequivalens... – *III. 520.*

62. *Ad quid fur tenetur, quando res ablata varium habuerit valorem tempore detentionis?*

Si dominus eamdem rem usque ad tempus minoris pretii servaturus fuisset, vel si eam, antequam pretium ejusdem crevisset, fuisset consumpturus; videtur *negandum probabilius* (furem teneri ad restituendam rem juxta majorem, quem aliquando habuit, valorem)... Affirmant tamen alii non pauci. – *I. 648. resp. 2.*

Si dominus consumpturus fuisset rem tempore vilioris pretii, fur vero consumpserit tempore incrementi; sentiunt Molina etc., furem non teneri nisi ad pretium vilius... Sed mihi videtur omnino *verior opposita* (sent.). – Si dominus consumpturus fuisset agnum tempore vilioris pretii, et apud furem creverit valor, sed postea decreverit...; respondet Concina, furem teneri ad restituendum vilius pretium... Sed id mihi videtur *penitus improbabile.* – *III. 621.* – *Hom. Ap. X. 78.*

63. *An tenearis reparare damnum, quod alicui ex errore intulisti, dum alteri nocere intenderes?*

Affirmandum videtur. In eo enim casu adsunt omnes conditiones requisitae ad restitutionem urgendam: scil. actio injusta, causa damni efficax, et culpa theologica.... Nonnulli tamen negant cum S. Alphonso. Ratio eorum.... ex dictis *parum valere* videtur. – *I. 664.*

Prima sent. absolute affirmat... Secunda negat eum teneri, modo is non intenderit, ne in confuso quidem, incendere domum alterius quam Titii... Ratio, quia ad obligationem restitutionis, quae oritur ex damnificatione principaliter facta propter injuriam, requiritur injuria formalis; nec sufficit materialis et solum effectiva sine animo, sicut nec sufficit injuria tantum affectiva, opere externo non completa. – *III. 629.* [1]

1) In qua solvenda quaestione, S. Alphonsus et alii qui eamdem sententiam tenent, argui minime possunt, quasi sibi contradicant. Haec enim doctrina sequenti inconcusso principio nititur: *Ut ad restitutionem tenearis, requiritur et sufficit ut actio tua damnificans sit simul affective et effective*, seu formaliter et materialiter *injusta: quorum si alterutrum deficiat, cessat restituendi obligatio.* — Unde 1°. si alicui nocere intendis, ex odio quo in eum feraris, sed externa actio tua nullius injustitiae argui potest (v. g. quia simplici con-

P. Gury.	S. Alphonsus.

64. *An teneatur ad restitutionem qui dubitat, an damnum evenerit ex sua actione?*

Probabilius... urgenda est restitutio, quoties certo constat de damno illato, et dubium est dumtaxat, quisnam fuerit damnificator inter plures, qui eodem modo actionem damnificativam posuerunt... Nonnulli tamen eos a restitutione omnino *excusant,* sed *minus firmis argumentis* id evincunt... -- In dubio, an proles sit... ex tali adultero, potius quam ex tali alio... uterque adulter tenetur ad restitutionem pro rata. – *I. 668. resp. 2.* – *I. 733. q. 2.*

Si dubium sit, an proles sit sua (adulteri) vel mariti..., *communis est sent.,* quae *excusat* ab omni restitutione adulterum... Et ob eamdem rationem idem tenent valere, si dubium sit inter duos adulteros, cujus sit proles... Quae utique sent., *spectata ratione,* et *absolute* loquendo, *probabilior est:* nemo enim tenetur ad damnum, *nisi certo moraliter constet,* ipsum fuisse causam damni. (Et S. A. aliquam tantum exceptionem adjicit.) – *III. 657. 658.*

65. *An teneatur ad restitutionem, consulens minus malum ad majus avertendum?*

Neg., si agatur de eadem persona...; secus autem, juxta multos, si agatur de alia, de qua damnificator non cogitabat, quia haec rationabiliter invita merito censetur. S. Lig. -- *Contrarium* tamen tenent alii, ratione *satis probabili* ducti. – *I. 677. q. 2.*

Dixi, adversus eamdem personam: quia *adversus aliam* in particulari *nequit suaderi damnum,* quantumcumque minus. Addit Viva, quod solum in genere potest suaderi illi, ut potius minus malum faciat... Imo concedit, posse dici illi qui vult furari a Titio, ut furetur ab alio in genere... *Sed huic non acquiesco.* – *III. 565.*

66. *An excusetur a restitutione, qui dat injustum suffragium, expleto jam numero votorum necessario?*

Controvertitur. Plures graves Theologi affirmant... Negant alii. – *I. 682. resp. 4.*

Ultimi, qui iniquum dant suffragium, peccant, sed *non tenentur ad restitutionem,* cum non sint causa damni, nisi *ex condicto* egerint. – *III. 566.*

67. *An praeferendi sint creditores tempore priores, posterioribus?*

Neg. probabilius... Affirmant tamen plures. – *I. 706. q. 4.*

Utraque (sententia) est probabilis, sed secunda (scil. *affirmativa*) *probabilior.* – *III. 690.*

68. *An creditor, qui a debitore omnes solvendo impari solutionem accepit, teneatur ad restitutionem?*

Controvertitur. Prima sententia affirmat. Secunda sententia *negat... probabiliter.* – *I. 707. q. 8.*

Verius P. Concina etc. dicunt, ipsum *in conscientia teneri* aliis pro eorum rata satisfacere. – *III. 693.*

silio privasti illum bono, ad quod jus non habebat), peccasti quidem contra charitatem, aut etiam quibusdam in casibus contra justitiam interne; verum ad restitutionem non teneris, quia deest requisitum illud quod est *injustitia externa* (Lib. 3. *n. 584.*). — 2°. Si contra, alicui externe nocueris, quin tamen intentionem habueris, ne indirectam quidem, eidem nocendi, v. g. incendendo amici domum, cum illam inimici incendere velles, pariter hoc casu non teneris ad restitutionem, quia alterum deest requisitum: *voluntas* nempe *nocendi damnificato* (Lib. 3. *n. 629.*).

P. Gury.	S. Alphonsus.

69. *An debitor liberetur, in dubio vel probabilitate solutionis?*

Neg. in mero dubio... In vera probabilitate, *controvertitur*. Prima sent. communior negat... Secunda dicit, restituendum pro rata dubii, saltem si uterque dubitat... Tertia sent. debitorem ab omni obligatione liberat. – *I. 721. q. 7.*

Quando debitum est certum, et probabilitas versatur circa factum solutionis, *certe* ex probabili solutione debitor non liberatur, quia solutio probabilis aequare non potest debitum certum. – *III. 700. in fin.* – *I. 34.*

70. *An violator teneatur ducere puellam violatam sub promissione matrimonii?*

Prima sent. affirmat... S. Lig. et alii communissime. – Secunda sent. quorumdam recentiorum negat. – *I. 729. q. 1.*

Secunda sent. (*affirm.*, exceptis quibusdam casibus) communis et *omnino tenenda* docet, ipsum obligari ad matrimonium. – *III. 642. q. 1.* [1]

71. *An adulteri vel fornicatores divites, mittentes prolem ad nosocomium, teneantur ad impensas resarciendas?*

Controvertitur. Prima sententia communior et *probabilior affirmat*... Secunda sententia negat. – *I. 734.*

Universe (*negat.*) sent. ego puto *probabiliorem:* ratio, quia hujusmodi hospitalia non solum sunt instituta ad subveniendum pauperibus, sed etiam divitibus in infamiae periculo. – *III. 656.*

TRACT. DE CONTRACTIBUS.

72. *An nullus contractus, ex metu levi initus, sit rescindibilis ad nutum metum perpessi?*

Probabilius *nullus contractus*, saltem onerosus, initus ex metu levi, est invalidus, nec rescindibilis ad nutum illius, qui metum passus est. – *I. 780. ad 3.*

Excipienda tamen censent Salmant. omnino esse *sponsalia*, quae etiam per metum levem contracta rescindi possunt per judicis sententiam, ex maxima libertate, quam sponsalia requirunt. – *III. 718. et VI. 844.* [2]

73. *An metus gravis incussus a comparte in ordine ad contrahendum, irritet contractum?*

Quoad contractus gratuitos, affirmandum. Hoc enim a fortiori patet ex dictis de metu levi. – Quoad contractus onerosos, *valde controvertitur, et duplex datur sententia probabilis.* – *I. 781.*

Prima sent. affirmat... Secunda tenet, contractus gratuitos esse invalidos, non vero onerosos... Tertia *probabilior et communissima*, quam tenet Lugo,... et alii innumeri, docet talem contractum esse quidem *rescindibilem, non vero invalidum.* – *III. 716.*

74. *An valeant juramenta metu extorta ad firmandos contractus?*

Duplex sent. datur probabilis. Prima... communior affirmat, quia ex motivo Religionis juramentum servari debet... Secunda *probabilis negat.* – *I. 793.*

Secunda sent. *longe probabilior*, quam tenet S. Thomas..., *dicit tale juramentum obligare.* Ratio, quia tenemur efficere, ut verum sit quod juramus, ne Deum testem falsi faciamus. – *III. 174.*

1) Cfr. supra, pag. 361. — 2) Cfr. supra, pag. 789.

P. Gury.	S. Alphonsus.

75. *An in dubio, utrum mutuatarius dederit aliquid supra sortem gratis vel non, possis id retinere?*

Affirm. cum sententia communi et probabiliori, nisi aliud ex circumstantiis definiri debeat. S. Ligorius. – *I. 854.* [1]

Respondent... Salmant. quod *si mutuans accepit munus in bona fide,* potest, superveniente dubio, illud retinere; *secus vero*, si accepit cum dubio.... Si acceperit cum dubio positivo, admittit Sporer posse retinere... Sed *communiter et recte* id negant Less., Conc... etc. (Confer integ. quaest.) – *III. 761. q. 2.*

76. *An liceat vilius emere, ubi merces venduntur ob paupertatem?*

Affirm. probabiliter. Ratio est, quia res ultronea juxta communem aestimationem pretio decrescit... Negant tamen alii probabiliter. – *I. 893. q. 4.*

Prima sent. affirmat... Negat autem secunda, quia hoc videtur adversari charitati et justitiae... Haec *secunda* est quidem *aequior et omnino suadenda;* sed spectata ratione, *prima* sent. *non videtur improbabilis.* – *III. 802.*

TOMUS II.

TRACT. DE STATIBUS PARTICULARIBUS.

77. *An semper pro possessore Judex pronuntiare debeat, in aequalitate rationum?*

In dubio de sola proprietate, *pro certo possessore* standum est. Constat ex reg. Juris: In pari delicto vel causa, melior est conditio possidentis. – *Tom. II. n. 1. ad 3.*

Excipitur: si agatur de causis matrimonii, dotis, viduae, pupilli, *et aliis causis piis;* nam tunc pro iis judicandum, cum jura sunt aequalia, etiamsi sint actores. – *Lib. IV. n. 210.* v. Quoniam.

78. *An Advocati possint defendere causas etiam minus probabiles, tum reorum, tum actorum?*

In causis civilibus, *affirmative* cum sententia communi et certa, quia spem habere possunt, ut veritas elucescat. S. Lig. n. 222., Laymann, Sanchez, contra paucos. – *II. 10.*

Notant tamen Lugo..., quod hoc currit *si probabilitas sit juris;* nam si sit facti, etiam in pari probabilitate, quia tunc omnino favendum est reo, communiter dicunt non licere Advocato actorem tueri. – *IV. 222.*

79. *An obligatio caelibatus procedat immediate ex praecepto Ecclesiae, vel mediate, sc. ex voto quod in ipsa ordinatione emittitur?*

Quidam probabile putaverunt obligationem esse ex sola lege *ecclesiastica;* quae tamen opinio originem habet, ut videtur, *ex doctrina quorumdam vete-*

Utraque est probabilis, ex Tridentino. Prima sent. quam tenent Mastrius... ac Scotus... apud Salmant., qui cum Sanchez *merito probabilem* putant, dicit,

1) In prioribus editionibus, P. Gury, ad legitimandam in mutuo sortem supra lucrum, de titulo egerat, quem locationem seu fecunditatem pecuniae vocant, remisso tamen peritioribus judicio de hujus opinionis probabilitate. At in editione Romana, articulus ille omnino et merito quidem suppressus fuit.

P. Gury.

rum perperam intellecta; sed communior et tenenda sent. dicit, hanc obligationem ex voto oriri. Et sane nisi eam ex voto repetas, probabile foret, Clericum non esse reum sacrilegii in peccatis internis contra castitatem, quod est contra omnium sententiam. – *II. 41.* [1]

S. Alphonsus.

quod non ex voto, sed ex sola Ecclesiae lege ordinati in sacris teneantur ad castitatem... Secunda sentent. probabilior et communior... tenet quod obligatio castitatis non oritur immediate ex lege Ecclesiae, sed ex voto quod in ipso facto ordinationis emittitur. – *VI. 808.*

80. *An, si quis dubitet, utrum omiserit aliquid in Officio, teneatur id recitare?*

Neg., si dubium sit positivum, id est, si probabiliter judicet se satisfecisse. Ita S. Lig. n. 150., qui dicit esse sententiam communissimam cum Sanchez... – *II. 53.* [2]

Si quis probabiliter judicet, se implevisse... horas canonicas..., an teneatur satisfacere, si adhuc probabile sit, vel dubium non implevisse. Negant plures Auctores; *sed oppositum est tenendum.* – *Quaest. 1. rec. reform.*

81. *An debeat iterari recitatio matutini, si ante tempus (assignatum) habita fuerit?*

Affirm. probabilius... Oppositam tamen tenent sent. Sanchez,... et hanc putat probabilem Tamburinus. Haec autem opinio *probabilitate sua non videtur carere.* Si quis igitur Matutinum recitaverit post horam quidem secundam a meridie, sed ante tempus Rubrica praefixum, ut aliquando ex errore fieri solet, ab iterando Breviario excusari posset. – *II. 65. q. 5.* [3]

An autem satisfaciat dicens Matutinum hora 2ª post meridiem? *Alii affirmant...* dicendo id hodie permitti ex consuetudine introducta; *sed verius negandum...* (et adducitur ratio). Quod autem consuetudo undique jam introduxerit recitari Matutinum hora secunda post meridiem... hoc probandum esset; sed usquedum non probatur, possidet lex opposita. – *Hom. Ap. App. III. 74.* – (Cfr. Lib. IV. 174. et quaest. ref. 51.).

1) Ratio adducta a P. Gury (et quam *cl. Ballerinius* latius evolvit) nihil contra S. Alphonsum evincit. Si enim, una ex parte minus probabile est, actus internos ab Ecclesia directe posse praecipi; ex alia tamen certum est, eosdem actus *indirecte* praecipi ab Ecclesia posse, ob connexionem quam habent cum actibus externis, ut, si connectuntur tamquam effectus et causa. « *Sic* (ait S. Alphonsus, lib. 1. n 100.) *qui prohibet homicidium, prohibet » etiam voluntatem occidendi.* » — Ergo a pari, in casu nostro, cum lex prohibeat Clericis in sacris constitutis, ne nubant aut fornicentur, prohibet etiam voluntatem nubendi aut fornicandi. — Ex hisce responsio patet ad argumenta intrinseca, quibus *P. Ballerini*, in nota longiori ad hunc num. P Gury adjecta, *primae* sententiae probabilitatem evertere conatur. — Quoad extrinsecum valorem, S. Doctor eum praecipue repetit, non a veteribus quibusdam Juristis, sed ex ipsis S. Concilii Trident. verbis, uti expresse monet. — Ceterum, *secundam* sententiam S. Alphonsus communiorem censet et probabiliorem, cui proinde potius adhaeret.

2) Haec quidem leguntur in S. Alphonso *(Lib. 4. n. 150.);* sed certe praeferenda est *quaestio reformata*, quae posterior est, et ultimam S. Doctoris mentem aperit, ut ex collatione secundae editionis cum aliis videre est (Cfr. etiam supra, pag. 20.).

3) Ad hunc locum P. Gury, *cl. Ballerinius* notam adjicit, in qua, collectis Auctoribus, demonstrare contendit, licitum esse, saltem accedente causa, Matutinum *semper* anticipare, duabus horis post meridiem. Et in hujus opinionis patrocinium adducit undeviginti Auctores.

At vero 1° ex hisce Auctoribus aliqui, et *nobiliores quidem, ut S. Thomas et Navarrus* cum *Viguerio, abs re afferuntur.* Quaerit enim *Angelicus* (Quodl. 5. art. 28.): « Utrum liceat » clerico... dicere matutinas sequentis diei *de sero?* » Et respondet: « Si hoc facit propter » lasciviam..., non est absque peccato. Si vero hoc faciat propter necessitatem et honestam » occupationem..., licite potest *de sero* dicere matutinas. » — Vocem illam *de sero* sic explicavit Sanchez (quem sequitur cl. Ballerini), quasi jam designaret horam secundam post meridiem. Sed huic interpretationi obstat naturalis vocis significatio et communis explicatio Auctorum. Nam serotinum tempus communiter accipitur pro illa parte diei, qua sol propior est occasui quam meridiei. Et hoc quidem modo verba D. Thomae intelliguntur a Suarezio,

P. Gury. **S. Alphonsus.**

TRACT. DE SACRAMENTIS IN GENERE.

82. *An conditio verbis exprimi debeat, quando conditionate confertur Sacramentum?*

Neg. Ratio est, quia sufficit ad reverentiam Sacramenti, ut mente concipiatur. Ita S. Lig., Hom. Ap. tr. 14. n. 3. [1] — *II. 206. q. 7.*

Lib. VI. n. 29. in fin. affirmatum est... communissime (non requiri). Sed quia non desunt AA. aliqui... qui tenent, licet parum probabiliter, valorem Sacramenti non pendere ab intentione ministri, sed tantum ab ipsa collatione Sacramenti serio peracta, *tutius est conditionem etiam verbis exprimere.* — *Q. 17. rec. reform.*

83. *An peccet graviter Minister, qui confert in mortali Sacramentum, ad quod non est specialiter ordinatus seu consecratus?*

Neg. probabiliter, quia obligatio in Ministro habendi sanctitatem non oritur praecise ex ipsa sanctitate Christi et Sacramenti secundum se, sed ex Ministri consecratione in ordine ad Sacramenta conferenda. Billuart, S. Thom. et alii multi. — Affirmant tamen alii non pauci; sic Collet, Lacroix, Lugo etc.

S. Ligorius vero, n. 32. admittit probabilitatem utriusque sententiae; in affirmativam tamen magis inclinat. — *II. 208. q. 1.*

Prima sent. negat,... haec est quidem probabilis; sed, spectata ratione, *videtur probabilior secunda sent. affirmans...* Hinc infertur 1. probabilius esse... *laicum,* sive Sacerdotem *ministrantem non solemniter baptismum* in necessitate, peccare graviter si ministret in mortali.

Infertur 2. *probabilius* peccare graviter *contrahentes matrimonium* in mortali, non solum Sacramentum suscipiendo, sed etiam ministrando,... *nostramque sent.* Croix *absolute veram* putat... — *VI. 32.* [2]

Lessio, Croix, Reginaldo, etc. — *Navarrus*, porro et *Vigerius* eodem modo loquuntur ac Angelicus, unde eodem modo sunt intelligendi.

2°. Inter caeteros Auctores, a P. Ballerinio pro sua sententia adductos, plures sunt aequo mitiores. Sic *Caramuel* a S. Alphonso vocatur *laxistarum princeps; Antonius a Spiritu S.*, Auctor *nimis indulgens; Diana, Leander, Tamburini*, Scriptores *nimis benigni.* — E reliquis autem cl. Ballerinii patronis, pauci sunt, qui gravioribus Doctoribus accenseantur.

3°. Sententiam vero S. Alphonsi tuentur, praeter octo graves Auctores ab ipso citatos, *Suarez* (De hor. can. c. 27. n. 4.), *Laymann* (lib. 4. c. 3. n. 7.), *Lessius* (lib. 2. c. 37. dub. 12. n. 79.), *Toletus* (lib. 2. c. 13. n. 3. 4.), *Mastrius* (disp. 14. n. 53.), *Rodriquez* (c. 142. n. 4.), *Bonacina* (Hor. can. disp. 1. q. 3. p. 3. n. 17.), *Abelly* (de stat. cler. art. 4. q. 2. n. 4.), *Ferraris* (V. Offic. div. art. 4. n. 10. et 11.), *Billuart* (tr. de relig. art. 5. §. 4.), *Elbel* (p. 5. conf. 13. n. 440.), *Holzmann* (tr. 3. art. 3. n. 467.), *Benedictus XIV.* (Notificaz. vol. 2. not. 1. in fin.), *Manrique* (P. 3. c. 7. §. 3.), *Reuter* (Th. mor. p. 2. tr. 4. c. 1. q. 5. n. 257.), *Thomas ex Charmes* (tr. 3. c. 2. q. 13.), *Antoine* (de rel. c. 1. q. 4.), *Voit* (tom. 2. n. 1066.), etc.

4°. Quibus Auctoribus, tam multis, tamque gravibus, si addas S. Thomam et Navarrum (ut supra dictum est), parum sane externae auctoritatis opinioni P. Ballerinii remanebit. — *Intrinsecum* vero robur vel magis deficit; nam eliditur prorsus a principio inconcusso possessionis a S. A. adducto. Quippe ad satisfaciendum legi cuipiam, quae certa sit atque possideat (sicut est obligatio recitandi hora debita divinum Officium), non sufficit impletio probabilis, sed requiritur moraliter certa. — Accedit alia ratio *ex Ecclesiae mente* petita. Ecclesia concessit quibusdam Ordinibus religiosis privilegium recitandi, cum rationabili causa, Matutinum hora secunda post meridiem in quocumque anni tempore. Hoc vero privilegium inutile esset, si, vi juris communis, id cuicumque clerico liceret.

1) Sic quidem legitur tum in *Hom. Ap.*, tum in *Theol. mor.* (lib. 6. n. 29.) S. Doctoris. — Verum praeferenda est quaestio reformata, quam allegavimus, utpote quae certe posterior est, et ultimam mentem S. Alphonsi exhibet.

2) Cfr. etiam *Hom. Ap.* App. III. 12., et Quaest. reform. n. 61. ubi S. A. ait: « Negatum » est in priori libro; *sed hic affirmatur*, lib. 6. n. 32. » — Ad num. 208. q. 1. Patris Gury,

P. Gury. **S. Alphonsus.**

84. *An peccet graviter Minister consecratus, ministrans quidem Sacramentum in mortali, sed non solemniter?*

Controvertitur, ut in quaesito praecedenti, eaedemque pro utraque parte afferuntur auctoritates et rationes. – *II. 208. q. 2.*

Sententia (probabilior) docet, quod per se loquendo,... Sacerdos ministrans non solemniter, graviter peccat ministrando in mortali. Ratio, etc. – *VI. 32.*

85. *An peccet graviter, qui extra Missae celebrationem ministrat Eucharistiam in mortali?*

Affirm. probabilius... Probabiliter tamen censent peccare tantum venialiter Lugo, Salmant. et alii. – *II. 209.*

In priori lib. probabilis dicta est sententia negativa. Sed hic eam refutamus (lib. 6. n. 35.). – *Quaest. reform. 62.*

86. *Quot peccata committat Confessarius, plures poenitentes successive in mortali absolvendo?*

Duplex est sent. Nam juxta alios committit tot peccata, quot personas absolvit... Ita S. Lig. cum aliis. – *Alii tamen unum putant esse peccatum.* Ita Salmant. cum aliis quos allegant, eamque opinionem *probabilem* appellat Lugo. – *II. 211. q. 9.*

Sed *verius* Concina... et alii docent, tot sacrilegia committere quot absolutiones impertit; quia singulae absolutiones sunt singula sacramenta. – *V. 50. q. 6.* – In primo libro visa est probabilis opinio (opposita); sed in hoc reprobata est. – *Quaest. ref. 53.*

TRACT. DE BAPTISMO.

87. *An glacies, vel nix sit materia apta Baptismi?*

Materia *invalida* est... 4° nix, glacies, pruina, et alia similia nondum resoluta. – *II. 237. 2°.*

Negant... sed dubitant Aversa... ideo dicunt *posse in necessitate adhiberi* sub conditione. – *VI. 104. dub. 4.*

88. *An possit valide baptizari puer in utero matris?*

Affirm. *probabilius*, si puer attingatur aqua in utero matris mediante aliquo instrumento. S. Lig. n. 107. – Recentius autem medicorum peritia aliam methodum invexit, qua *certius* puer nondum in lucem editus baptizari potest. Inventum nimirum est instrumentum, etc. – *II. 239. et 259. in fine.*

Prima sent. negat... Secunda vero *satis probabilis* affirmat, et hanc tenent Suarez.... His positis, puto in casu necessitatis omnino infantem, *sub conditione tamen*, baptizandum esse in praedictis casibus. [1] – *VI. 107. Hom. Ap. XIV. 10.*

cl. Ballerinius (in secunda edit. romana) notam subjicit, in qua haec dicit: « *Secunda sententia affirmans* (ait S. A.) *videtur probabilior*. At enim, num usui haec opinio confessariis esse queat, disce ex Doctorum sententiis, quas ex eodem S. Alphonso alibi *(Vol. I.* in not. *ad num. 152.)* descripsimus. » — In nota autem *ad num. 152.*, P. Ballerini hanc sententiam S. Doctoris confirmat: *non esse adstruendum mortale, nisi de eo certo constet.* — Sed cl. Ballerinium latuit alius textus S. Alphonsi, in quo non dubitat, casum de quo agitur, ceu peccatum mortale declarare. Dicit enim *absolute* S. Doctor in Compend. *Conf. diretto per le genti di campagna* (cap. 17. n. 7.): « *Da ciò* (che gli sposi sono ministri del matrimonio) *s'inferisce per 1°. che gli sposi, contraendo in peccato mortale, commettono* DUE SACRILEGII, *l'uno come ministri del Sagramento, l'altro come suscipienti.* » — S. Alphonsus igitur, dum opinionem negantem probabilem dixit in Theologia morali, de extrinseca tantum probabilitate locutus esse videtur; forsitan quia eidem opinioni suffragatur D. Thomae auctoritas. Haec tamen auctoritas, licet a S. Alphonso summi ponderis judicetur, nequit efficere, ut opinio cui accedit, sufficienter solida sit, quippe quod pro opposita sententia notabilis excessus et praeponderantia rationis intrinsecae militat.

1) Cum ergo S. Alphonsus validitatem baptismi puero collati in utero matris existenti,

P. Gury. **S. Alphonsus.**

TRACT. DE CONFIRMATIONE.

89. *An vel qualis sit obligatio Sacramentum Confirmationis recipiendi?*

Resp. 2. Juxta S. Lig. est obligatio sub gravi de praecepto divino, saltem decurrente vita, et data opportuna occasione; idque probat ex Declaratione Bened. XIV. in Bulla: Etsi pastoralis... *Notat tamen Scavini*, verba Bened. XIV. non concludere pro omnibus; quia Pontifex loquitur tantum de invalide confirmatis *a Presbyteris graecis*, qui ideo renuebant de novo ad Confirmationem accedere, quia primam ut validam habebant. Unde aderat hic ratio particularis eos obligandi ad Sacramentum Confirmationis suscipiendum, nempe ut errorem sic retractarent. – *II.* 270.

Circa necessitatem hujus Sacramenti, alii dicunt quod quilibet, ut confirmetur, *sub gravi curare tenetur*... Sed hoc grave onus negant multo communius (alii)... Prima sent. *omnino est tenenda*, utpote decisa a Bened. XIV. in Bulla: Etsi pastoralis. – *Hom. Ap. XIV.* 47. (Cfr. Theol. mor. VI. 181. 182.).

(Alibi vero scribit:) Si avverta qui, che lo stesso Bened. XIV. nella Bolla: *Etsi pastoralis*, dichiarò che coloro i quali ricusano o trascurano, potendo, di prendere la cresima stando tra' greci, debbono ammonirsi dai loro Vescovi del peccato grave che essi commettono... *E lo stesso certamente dee dirsi di coloro che stanno tra' latini.* – *Op. dogmatica, sess. XII.* 17. [1]

TRACT. DE EUCHARISTIA.

90. *An censendum sit consecratum ciborium ex oblivione extra corporale relictum?*

Controvertitur. 1. Sent. probabilis affirmat... 2. Sent. negat. – *II.* 283. [2]

Prima sent. affirmat... Secunda *communis et probabilior* negat. – *VI.* 217.

91. *An omissio vocis* enim *in forma consecrationis sit gravis?*

Controvertitur. 1. Sent. probabilior [3] negat... 2. Sent. affirmat, et hanc S. Lig. dicit non esse improbabilem [4]. Ratio est, quia in re tam gravi non videtur dari levis materia in quacumque mutatione deliberata. *Sed haec sententia parvi facienda videtur.* – *II.* 287.

(*Busembaum* dicit: Omnia sunt de essentia, praeter tò *enim*; cujus omissio esset veniale. Addit autem *S. A.:*) *Non improbabiliter* Roncaglia et Concina damnant de mortali. *Revera enim in re tam gravi* non videtur levis materia, quaecumque levis mutatio *deliberate apposita.* – *VI.* 220.

solum *satis probabilem* dicat, fallitur utique *P. Ballerini* in nota ad n. 401. tom. 1. (pag. 431. n. 4., in altera edit. pag. 327.) dum ait: « Nos juxta ea, quae S. Alphonsus (lib. 6. n. 107.) post » Benedictum XIV. disserit, *de validitate Baptismi* infantibus utero clausis sic collati, *prorsus* » *certos* esse posse. » — Et ob eamdem rationem corruit illatio, quam immediate subjungit cl. Professor dicens: « Proinde fere cessant difficultates et quaestiones a veteribus DD. motae » circa pericula, quae mater subire teneatur, ut aeternae prolis saluti prospiciatur. »

1) De *Patrino* in Confirmatione adhibendo, nihil prorsus habet *P. Gury* in suo Compendio. Quod forsan inde provenit, quod opinionem admiserit *Bouvier* asserentis, obligationem hanc abrogatam in Gallia fuisse ex contraria consuetudine ferme universali illius regionis. Verum ejusmodi opinionem egregie refellit *Martinet* (Theol. mor. lib. 3. art. 10. §. 4.). — Atque idem Auctor solidis rationibus sententiam S. Alphonsi confirmat de obligatione suscipiendae Confirmationis. (Theol. sacram. lib. 2. art. 8. §. 3.).

2) In prioribus editionibus P. Gury legebatur: « 2. sententia probabilior et communior negat. » — Cfr. supra pag. 379.

3) In altera edit. de an. 1869., legitur: *probabiliter*.

4) Circa hanc vocem: *non improbabilem*, P. Ballerini adnotationem conficit, in qua asserit: « *Quando agitur de imponenda obligatione, aut etiam de asserenda reatus gra-* » *vitate, prorsus inutile est probabilitates ad eum finem in medium proferre....; multo*

P. Gury. **S. Alphonsus.**

92. *An in* [illegible] *antecedentia:* Qui pridie *etc.*, Simili modo, *etc.?*

Neg. contra nonnullos cum sententia communi, *quam tenet S. Lig.* n. 222.... Ratio est, quia haec verba historice tantum proferuntur, nec ullam efficaciam sacramentalem habere videntur. Attamen, si... forma repetenda sit, juxta Rubricas incipiendum erit ex verbis: Qui pridie... -- *II. 287. q. 2.*

Sent. (neg.) est communis et probabilissima; sed *oppositam non audeo dicere improbabilem;* tanto magis, quia Rubrica, quando forma est repetenda,... praecipit ut Sacerdos incipiat ab illis verbis: Qui pridie... -- *VI. 222.*

93. *An in consecratione calicis, sola haec verba:* Hic est calix Sanguinis mei... *sint de essentia formae?*

Affirm. Ratio est 1. quia verba consecrationis panis sunt haec: *Hoc est Corpus meum.* Ergo a pari... 2. Quia sola illa verba per se exprimunt praesentiam Sanguinis Christi sub speciebus vini. Ita comm. contra aliquos. *Vide S. Lig. n. 223. -- II. 287. q. 3.*

Utraque sent. est speculative probabilis, sed *in praxi certum est,* quod Sacerdos *graviter peccaret,* si non proferret omnia verba, quae in consecratione calicis habentur; et si forte tantum prima verba dixisset, *deberet utique sub conditione integram repetere formam. -- VI. 223.*

94. *An Regulares S. Communionem in suis Ecclesiis ministrare possint die Paschatis?*

Resp. 2. *Non possunt...* Intellige, si sermo sit de personis saecularibus, Monasterio non inservientibus, etsi jam antea praecepto annuae Communionis in propria parochia satisfecerint. Ita saepius S. C. Concilii. Aliqui tamen asserunt, adesse constantem consuetudinem in contrarium, quae jus adstruat. [1] S. Lig. n. 240. -- *II. 290. q. 2.*

Apud Benedict. XIV. adest Decretum S. C... quo sancitum est, *posse Episcopos prohibere Regularibus,* ne die Paschatis ministrent Eucharistiam saecularibus, etiamsi ipsi satisfecissent praecepto Ecclesiae. Et quamvis... ab eadem S. C., ad instantiam parochorum Lovaniensium, responsum fuit... posse ministrare, excepto die Paschatis, *tamen intelligendum est, praesupposita Episcopi prohibitione. -- Hom. Ap. XII. 41.*

» *vero magis id valet, quando istae probabilitates insuper sunt incertae, obque solidi* » *fundamenti defectum, claudicantes seu nutantes appareant.* »

Utique, respondemus, verba praefata non sufficiunt ad damnandum aliquem *positive* de gravi. Attamen, hujusmodi probabilitates referre non est prorsus inutile. Ubi enim de peccato quopiam jam constat, multum inservire potest ad deterrendum poenitentem, ejusmodi peccato forte assuetum, si dicatur ei: Cave, fili, ne id facias: quippe quod a pluribus ceu mortale damnatur; et eorum opinio, quamvis non sit certa, non est tamen improbabilis.

1) De hac quidem consuetudine locutus est *S. Alphonsus* in secunda edit. Theol. mor., sed nonnisi aliorum judicium referens. Ait enim (lib. 6. n. 240. ad 5.): « *Refert N. SS. P.* » *Benedictus XIV., declarasse S. Congregationem, non posse Regulares die Paschatis* » *ministrare Eucharistiam ex devotione communicantibus. Sed Roncaglia et Wigandt* » *in hoc constantem ajunt esse consuetudinem in contrarium, quae jurisdictionem prae-* » *bet.* » — Verum S. Doctoris sententia desumenda est ex *Hom. Ap.*, a nobis citato, qui sane praeferendus est, cum et posterior sit (cfr. supra, pag. 899. n. 2.), et res ibi ex professo tractetur. — Sic igitur evanescit difficultas, quam *P. Ballerini* in adnot. ad n. 290. P. Gury, movebat. — Caeterum interpretationi S. Alphonsi omnino consonant verba *Benedicti XIV.* Hic enim, relatis S. Cong. Concilii decretis, sic concludit (Synod. dioec. lib. 9. c. 16. n. 5.): « *Nullus autem Regularium querimoniae esset locus, si Episcopus illis in-* » *ter liceret, ne solemni Dominicae Resurrectionis die ulli saecularium sacram Eucha-* » *ristiam audeant ministrare, aut si severissimis poenis eorum refrenaret insolentiam,* » *qui eam falsam nec certe tolerandam doctrinam in vulgus disseminarent, annuae scil.*

*

P. Gury.	S. Alphonsus.
Sumenda est a Sacerdote in Missa *ante ablutiones.* -- *II. 313.*	Et ego addo *post ablutionem, sed ante purificationem;* quia reliquiae Sanguinis sunt *certe* sacramentum, sed hostiae illae... *dubie.* -- *VI. 217.* [1]

96. *An qui mane communicavit ex devotione, teneatur aut possit, urgente periculo mortis, Viaticum sumere?*

Triplex est sent. probabilis... 1. affirmat teneri.... 2. dicit non teneri, sed posse communicare... 3. contendit, nec teneri nec posse... In praxi igitur *pro libertate standum est.* -- *II. 319. q. 3.*

Probabilior mihi videtur sent. Lugonis, qui distinguit inter morbum *naturalem* et *violentum*, et ait, quod si quis fuerit vulnere percussus vel ex alto ceciderit, *potest* communicare, imo *tenetur juxta nostram sent.*; quia hic revera non accepit Viaticum in mortis articulo constitutus. -- *VI. 285. dub. 3.* [2]

97. *An possit communicare, qui positive dubitat utrum post mediam noctem cibum aut potum sumpserit, aut in ipso die aliquid deglutierit?*

Affirm. probabilius. Ratio est, quia in casu non constat de violato jejunio, et proinde non constat Communionem esse interdictam; factum enim violati jejunii esset probandum, prius quam invocetur lex prohibens Eucharistiam non jejuno. -- *S. Lig.* tamen n. 282. cum aliis *hoc admittit tantum pro dubio negativo.* -- *II. 332. q. 6.*

Dubium tamen, an deglutiverit aliquid a media nocte, non impedit a Communione,... quia hoc praeceptum... est negativum, ne communicet post jejunii fractionem; quare *quoties non est certum* de jejunii fractione, non possidet jam prohibitio, sed libertas communicari volentis. -- *Hom. Ap. XV. 35.*

Potest communicare... quamdiu in contrarium non dantur *praesumptiones tam fortes*, ut operans probabilius credat jam sonuisse duodecimam. -- *I. 39. VI. 282. in fine.*

98. *Quanto tempore debeat distare una Communio ab alia, si aegrotus non jejunus communicet?*

Sent. communior docet distare debere octo diebus circiter. Sed *non improbabiliter* plures cum S. Lig. dicunt, infirmum *assuetum* saepius ex devotione communicare, *bis in hebdomada* Communionem absque jejunio suscipere posse. -- *II. 335. q. 13.*

Non improbabiliter Laymann.... dicunt, quod infirmus *assuetus* saepius ex devotione communicare, bene possit *altero die statim post Viaticum sumptum* suscipere communionem non jejunus. Idque *in singulis diebus* admittunt Pal... apud Croix, et probabile putat Tamb. -- *VI. 285. dub. 1.* [3]

» *Communionis praecepto posse Fideles in eorum Ecclesiis satisfacere.* » — Hic demum advertere juvat, Romae sacram Communionem saecularibus ministrari non posse in Ecclesiis Regularium, nec in Coena Domini, nec in die Paschatis.

1) Cfr. supra, pag. 380. — 2) Cfr. etiam *Quaest. reform.* n. 66.

3) Cfr. etiam *Hom. Ap.* XV. 47. — Ex hac doctrina S. A. nullatenus sequitur (ut innuere videtur P. Ballerini in adnot. ad locum allegatum Patris Gury), denegandum esse frequens Viaticum, aliis similiter rite dispositis, qui antea non ita saepe communicare consueverant. Facile autem concedet P. Ballerini, haud communiter fieri, ut quis repente ad quotidianam communionem admitti queat.

P. Gury.	S. Alphonsus.

99. *An polluatur Ecclesia per homicidium non injustum?*

Polluitur Ecclesia 1. per homicidium voluntarium et *injustum*. – *II. 388.*

(Busembaum apud S. A.) Polluitur 1. Per factum in ea homicidium mortaliter malum seu injuriosum, saltem immunitati Ecclesiae, quale etiam est, *quod alias justum esset* per sententiam judicis... – *VI. 364.*

100. *An aqua ad reconciliandam Ecclesiam non consecratam, debeat esse ab Episcopo benedicta?*

Si Ecclesia fuit tantum benedicta, reconciliari potest a Sacerdote delegato ab Episcopo, cum orationibus consuetis ad benedictiones faciendas, et *eum aqua ab Ordinario benedicta*. – *II. 389.*

Si vero (Ecclesia) tantum fuerit benedicta, potest fieri reconciliatio a simplici Sacerdote... Debet tamen praecedere Episcopi delegatio... *Aqua autem potest benedici ab ipso Sacerdote.* – *VI. 363.*

101. *An sit mortale celebrare sine manipulo?*

Probabiliter non est mortale celebrare sine manipulo, vel sine manipulo benedicto. – *II. 392. q. 2.*

Loquendo de stola et manipulo, *verius affirmandum* cum comm. sent., quia deficiente *alterutra* istarum vestium... deficit cultus debitus. Idem dicendum... de stola vel manipulo *non benedictis*. Probabiliter tamen excusat gravis necessitas. – *VI. 377.*

102. *An calix et patena consecrationem amittant, si inauratio pereat?* [1]

Affirm. – Igitur post *novam deaurationem* consecratione nova indigent. Sic ex recenti Declaratione S. C. Rit. 14. Junii 1845... Hinc dirimitur controversia TTh., quae in antecessum hac de re existebat. – *II. 394. q. 6.*

Casu quo per longum usum *inauratio deperdatur*, puto probabilius... non requiri novam consecrationem... (Sed calix) denuo est consecrandus,... cum *nova fit inauratio*, (quia) intervenit aurum de novo additum, quod non est consecratum, immediate Sanguinem tangens. – *VI. 370. dub. 2. in fin.*

103. *An generatim Rubricae de agendis extra Missam sint mere directivae?*

Rubricae, quae servantur *extra Missam*, id est ante vel post Sacrum, *habentur communiter ut mere directivae...*

Rubricas de agendis extra Missam, probabiliter dicunt plures DD. ALIQUAS *esse tantum directivas*, prout manuum

1) P. Gury, in secunda parte responsionis, cum S. Alphonso et S. Rit. C. recte dicit, nova consecratione indigere calicem *post novam deaurationem*. — At vero ab utroque dissentit, dum absolute affirmat, calicem et patenam consecrationem amittere, *si inauratio pereat*. Qua de re, S. A. loco cit. haec habet: « Casu autem, *quo per longum usum inauratio deperditur, puto probabilius dicendum* cum Sylvio et Ferraris, *non requiri novam consecrationem ad celebrandum cum hujusmodi calice:* quia tunc viget ratio, quod calix semel » consecratus, totus deinde per modum unius consecratus remanet. » — Decisio autem allegata S. Rit. C. doctrinae S. Alphonsi plane consonat. Ad quaestionem enim: « Utrum calix » et patena suam amittant consecrationem *per novam deaurationem*, et sic indigeant nova » consecratione? » S. C. respondendum censuit: « Affirmative: *amittere* nimirum, et indigere, » juxta exposita. »

P. Gury.	S. Alphonsus.
Controvertitur tamen quoad orationes, quae ex Rubrica recitandae sunt, dum vestes induuntur; sed tenendum est, ait S. Lig. n. 410. cum comm. sent., earum omissionem esse venialiter culpabilem. *Plures tamen* tenent cum Suarez, hanc omissionem *omni culpa vacare.* – *II. 403.*	ablutio post Missam, et orationes ante vel post Missam. – *Exam. Ordin. 112.* – (Vid. etiam Lib. VI. 409. in fine, et 410. dub. 3.).

TRACT. DE POENITENTIA. [1]

104. *An peccata accusata in genere sint materia sufficiens Sacramenti Poenitentiae?*

Resp. 1. Quoad *validitatem*... 2° *affirm.* saltem multo probabilius, *etiam extra casum necessitatis*, si materia necessaria seu in specie declaranda deficiat... Resp. 2. Etiam quoad *liceitatem*, *affirm.* saltem probabiliter... Quod spectat autem ad accusationem generalem de peccatis vitae anteactae, quam poenitentes pii subjicere solent in fine confessionis... satis est sane, ut quis dicat: *Accuso me de peccatis vitae praeteritae, vel totius vitae meae.* – *II. 421.* [2]	Curet (Confessarius) si poenitentem sine peccato vult absolvere, aut eum disponere *ad dolendum praesertim de aliqua levi culpa*, a qua ille magis horreat; aut ei insinuare, ut confiteatur *de aliquo peccato graviori vitae anteactae* CONTRA ALIQUOD PRAECEPTUM; sufficit enim ut confiteatur in generali absque numero, ut habeat materiam certam, super qua inniti possit absolutio. – *Hom. Ap. tr. ult. 9.* – *Cfr. Prax. Conf. 71. in fine.*

105. *Quas ob causas absolvere liceat sub conditione?*

Servatis debitis conditionibus... licet absolvere conditionate in sequentibus casibus... 3° in dubio *jurisdictionis* ex parte Confessarii;... 8° in dubio *de dispositione poenitentis*, urgente non tantum extrema, sed etiam *simpliciter gravi necessitate* spirituali. S. Lig. 432. – *II. 435.*	Sed hoc non admitterem (absolvere in dubio facti circa jurisdictionem), *nisi poenitens diu deberet carere absolutione.* – Si dubitetur, an poenitens *sit rite dispositus* (absolvi posset)... Sed huic doctrinae sic generaliter traditae nec valeo acquiescere: nam dico 1. non posse absolvi sub conditione peccatorem recidivum in culpas lethales, qui non probetur dispositus per signa extraordinaria... *nisi prudenter timeatur quod peccator ille non amplius ad confessionem redibit*, et in peccatis suis tabescet. – *VI. 432.* – *Hom. Ap. XV. 34.* [3]

106. *An opinio quae dicit, dilationem contritionis ad mensem productam esse peccatum grave, sit omni destituta fundamento?*

Quanta debeat esse dilatio haec, ut gravis censeatur, determinari certo non potest: alii illam producunt ad annum; alii ad sex menses; alii cum S. Lig. ad mensem; *nulla tamen ratio sive auctoritas* huic ultimae sententiae favet. – *II. 444. q. 2.*	(*Ratio est*, quia differendo per notabile tempus) peccaret contra praeceptum charitatis erga Deum... tum contra charitatem erga seipsum, *cum se exponeret proximo periculo novarum culparum*, tentationibus succumbendo: ratio patet ex eo quod docet *D. Thomas*... et *D. Gregorius*... – *VI. 437.* – Verum tamen est, quod rudes difficulter eam obligationem advertant. – *Hom. Ap. XVI. 10.* [4]

1) In hoc potissimum Tractatu, P. Gury a sententiis S. Alphonsi deflexit; imo in duplici editione romana, conclusiones saepe non cohaerent amplius cum principiis.
2) Cfr. supra, pag. 479. nota. — 3) Vid. pag. 654. — 4) Cfr. supra, pag. 145.

P. Gury. S. Alphonsus.

107. *An ille, qui in articulo mortis suscipit Sacramentum Poenitentiae cum attritione, teneatur insuper elicere actum contritionis perfectae?*

Resp. 1. *Non videtur teneri ad actum contritionis explicitum*, cum moraliter certus sit, se fuisse justificatum per solam attritionem cum Sacramento. Ita Lugo, et alii comm. *contra nonnullos.* – Resp. 2. Tenetur autem juxta quosdam, qui dicunt praeceptum charitatis perfectae urgere imprimis in articulo mortis. Quidquid sit, *expedit*, ut *moribundi* excitentur quantum fieri potest, tum ad actum charitatis, tum ad actum contritionis perfectae. – *II. 445.*

Utraque sent. est probabilis; sed prima *(affirm.) omnino est consulenda:* cum agatur de summo salutis negotio, cujus periculum est irreparabile. – Imo dico esse *omnino sequendam* (sent. affirm.) ab eo qui esset *in actuali articulo mortis:* tunc enim quisque tenetur elicere actum charitatis..., cui nemo potest satisfacere, si *occurrente memoria peccati*, ex eodem charitatis motivo peccatum non detestetur. – *VI. 437. dub. 2. in fine.*

108. *An contritio debeat praecedere confessionem?*

Resp. 1. Debet certo praecedere absolutionem... Resp. 2. Ad Sacramenti valorem, *non debet dolor necessario praecedere accusationem.* – *II. 447.*

Dico esse probabilem primam sent. (affirm.) proptereaque *in praxi sequendam*... Sufficit (autem) si poenitens post actum doloris dicat: Iterum me accuso de omnibus peccatis confessis. – *Hom. Ap. XVI. 19.*

109. *Per quantum temporis spatium actus doloris moraliter perduret ad valide suscipiendum Sacramentum?*

Juxta sententiam communem, perseverare potest *per unum*, aut etiam *plures dies*, modo elicitus fuerit intentione confessionis faciendae, et non fuerit retractatus. Caeterum, suadendum est poenitentibus... – *II. 447. q. 7.*

Non dubito asserere, *quoties confessio derivat ex peccatorum dolore*, semper virtualiter perseverare dolorem saltem *per unum, aut alterum diem... Secus autem*, si quis ex mera devotione, aut ad votum, aut poenitentiam implendam, confiteretur. – *Hom. Ap. XVI. 20.*

110. *An requiratur novus actus doloris ad novam absolutionem suscipiendam, quando poenitens statim post absolutionem peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur?*

Sententia communior et multo probabilior negat; quia certo perseverat prior contritio... cum S. Lig.
Sent. *(affirm.) levi fundamento innixa videtur.* – *II. 448.*

Quamvis dolor in se moraliter perseveret, non tamen perseverat in ordine ad secundam absolutionem; (etenim) probabiliter ad valorem Sacramenti requiritur, ut dolor... sit elicitus in ordine ad absolutionem. Cum ergo haec sent. (affirm.) sit *probabilis*, imo *probabilior*, in praxi omnino sequendam esse dicunt... saltem *tutius* censeo tenendam. – *VI. 448.* [1]

111. *An sufficiat attritio ex metu poenarum temporalium, prout a Deo infliguntur?*

Affirm. probabilius, modo sit supernaturalis... S. Lig. 443. – *II. 452. q. 7.*

Sent. *(affirm.) videtur* probabilior... At cum (sent. *neg.*) *non careat sua probabilitate*, saltem extrinseca, puto *tutius* in praxi eam servandam esse. – *VI. 443.* [2]

1) Cfr. supra, pag. 418. — 2) Cfr. supra, pag. 426.

P. Gury.	S. Alphonsus.

112. *An ad Sacramentum Poenitentiae rite suscipiendum requiratur propositum explicitum?*

Juxta S. Lig. triplex est sent. Prima, quam *pauci* quidam tenent, absolute affirmat... Secunda absolute negat... Tertia, quam communem dici testatur S. Lig., docet quod, si poenitens cogitet de vita futura, debet formaliter proponere emendationem. Secus si nihil de futuro cogitet... Suum de hisce judicium sic *S. Lig.* interponit: Hae duae ultimae sent. sunt quidem probabiliores; sed quia *prima* non caret sua probabilitate, in praxi *ante factum* tutius sequenda est. – *II. 462.*

Dico ante factum, nam dicunt Croix,... quod si bona fide cum vero dolore confessus fueris sine proposito formali, non teneris confessionem repetere... Nihilominus *nec etiam valeo huic sent. acquiescere;* ratio, quia cum prima opinio sit sufficienter probabilis, poenitens qui gravem culpam et certam perpetravit, tenetur de ea confessionem explere non tantum probabiliter, sed etiam *certe* validam. – *VI. 450. in fine.* [1]

113. *An necessario accusanda sint peccata gravia, certe quidem commissa, de quibus tamen dubites, an confessus fueris?*

Affirm., si dubium sit negativum. – *Controvertitur* autem, si dubium sit *positivum*, id est, si positiva et gravis ratio suadeat, peccatum jam esse declaratum. Alii dicunt hujusmodi peccatum esse declarandum, quia obligatio confessionis est certa, ejus autem adimpletio dubia. Ita S. Lig. 477. *Negant tamen alii communissime* cum Suarez, Lugo, Lacroix, Bonacina, etc. – *II. 479.*

Verum... *nec valeo hanc approbare sent.* (neg.) quoad peccatum probabiliter confessum, cum obligatio confessionis sit certa et satisfactio dubia. – Non autem reprobo... quod ille qui diligens fuit in suis peccatis confitendis, si postea dubitat an aliquod peccatum omiserit, postquam multum elapsum sit tempus a quo illud patravit, non tenetur ad confitendum, *cum possit credere eo casu moraliter certe* jam de illo confessum fuisse. – *VI. 477.* [2]

114. *An qui confessus est aliquod peccatum tanquam dubium, debeat illud repetere, si illud ut certum postea cognoscat?*

Controvertitur. 1. Sent. probabilior et communis affirmat... 2. Sent. *sat probabilis negat.* – *II. 480.*

Vera et communissima sent.... affirmat... *Hom. Ap. XVI. 34.* – Sent. communis, *quam sequimur,* affirmat. – *VI. 478.* [3]

115. *An muti scientes scribere, teneantur scripto confiteri, ad procurandam confessionis integritatem?*

Communior sent. negat...; permitti tamen id potest; at curandum, ut statim scriptura aboleatur. – *II. 503. q. 7.* [4]

Prima sent. negat, secunda vero *probabilior et communior affirmat...* Ratio, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media non difficilia. Id tamen intelligendum... si... moraliter absit manifestationis periculum, aut grave incommodum *extraordinarium.* – *VI. 479.*

1) Cfr. pag. 443., ubi etiam confutatur assertio, primam sententiam nonnisi a paucis quibusdam teneri. — 2) Cfr. etiam Quaest. rec. reform. n. 16. et 18. (vid. supra, pag. 19. et 21.).
3) Cfr. pag. 472.
4) In antiquioribus edit. (v. g. Parmensi an. 1852.), P. Gury, tom. 3. pag. 17., scripserat: « *Affirmative... Ita* COMMUNITER *Lacroix et alii contra plures.* » — Quomodo autem cl. Auctor sententiam, quam communem dixerat, in ejusmodi opinionem mutaverit, cui communior opponatur, profecto non intelligimus. Etenim sententia S. Alphonsi suffragatores habet et permultos et maximae auctoritatis. Praeter quindecim Auctores apud ipsum S. Doctorem

P. Gury. **S. Alphonsus.**

116. *An repetenda sit confessio cum dubia contritione facta?*

Neg. per se... Attamen in praxi sedulo attendendum est ad poenitentis conditionem. Si enim poenitens sit homo sat prudens et gravis in suis actionibus ordinariis, vel in suis confessionibus, *adest saltem vera probabilitas*, imo et legitima praesumptio de valore confessionis; *nec proinde urgendus est ad eam repetendam.* Si tamen supponatur homo levis et in plerisque suis actionibus inconsideratus, repetitio confessionis ei *consulenda* est. [1] Ita communiter. - *II. 513.*

Si quis est certus de peccato commisso..., ille cum dubio negativo *aut positivo*, an recuperaverit nec ne amissam gratiam, v. g. *cum dubitat an confessio fuerit nulla ex defectu dispositionis*, aut jurisdictionis, aut si dubitat de contritione in casu necessitatis communicandi, *non potest Communionem recipere*; quia tunc agit contra praeceptum quod requirit probationem *non solum probabilem, sed etiam certam*, sicut fuit certum peccatum. -- *Hom. Ap. XV. 34.* [2]

117. *An cogendi sint recidivi ad confessiones praecedentes repetendas?*

Neg. per se... Aliquando tamen ex variis circumstantiis judicari prudenter poterit, recidivum quempiam invalide confessum fuisse. -- *II. 513. q. 3.* [3]

Si poenitens *aliquamdiu* post confessionem *dignos poenitentiae fructus fecit...*, Confessarius judicabit validam fuisse confessionem. -- Secus *si paulo post confessionem, seu data prima occasione, lapsus fuerit.* Tunc... revera moraliter certum est, *confessiones fuisse nullas.* -- *VI. 505.* [4]

118. *An obliget sub gravi, poenitentia in se quidem gravis, sed pro solis venialibus imposita?*

Neg. probabilius. Ratio est, quia tunc non est necessaria satisfactio, in quantum est gravis. Unde, sicut Confessarius non tenebatur, imo non poterat illam imponere sub gravi, ita nec poenitens sub gravi implere tenetur. S. Lig. n. 517. -- *II. 528.*

Sentio tamen dicendum... quod *si per accidens peccata illa venialia valde disponerent poenitentem ad mortale*, tunc posset Confessarius gravem ei imponere poenitentiam, ut ipsum removeat a periculo peccandi mortaliter, *et tunc tenebitur poenitens*, si velit absolvi, illam acceptare et adimplere. -- *VI. 517. post med.*

adductos, inter quos sunt nomina Lugonis, Vasquez, Salmanticensium, Croix, Roncaglia, etc., allegari praeterea possunt ex Croix (lib. 6. n. 1194.): Suarez, Escobar, Aversa, Arriaga, Dicastillus, Gormaz, quibus accedunt Thomas ex Charmes (de poen. c. 4. §. 1. concl. 4. q. 2.), Antoine (de poen. c. 1. a. 2. q. 10.), etc. — Ex recentioribus autem Auctoribus adduci possunt fere omnes: *Gousset* (tom. 2. n. 429.), *Neyraguet* (cap. 3. art. 2. p. 2. q. 1.), *Panzuti* (tom. 3. n. 306.), *Galani* (de poen. n. 68.), *Scavini* (tom. 3. n. 367.), *Frassinetti* (n. 399.), *Grassi* (de poen. cap. 6. q. 2.), *Martinet* (lib. 3. art. 11. §. 5.). — Cui extrinsecae auctoritatis ponderi accedit, ex intrinseco, ratio sane gravissima.

1) In edit. Parm. (tom. 3. pag. 162.) legebatur: « Secus vero (*urgendus est* ad repetendam confessionem) si supponatur homo levis et in plerisque suis actionibus inconsideratus. »

2) Cfr. supra, pag. 460. III.

3) In prioribus edit. (Parm. pag. 162.) post haec verba addebatur: « Hinc est regula: si poenitens aliquamdiu post confessionem strenue... pugnaverit, judicanda est valida; secus, si paulo post confessionem... lapsus fuerit. »

4) Vid. supra, pag. 460.

P. Gury.	S. Alphonsus.

119. *An Confessarius pro gravibus culpis poenitentiam possit imponere, gravem quidem, sed leviter obligantem?*

Affirmative, quia legislator quilibet gravem materiam *sub levi imponere potest;* sed generatim hoc non expedit. Suarez cum communi apud S. Lig. – *II. 528. q. 2.*

Sed non probarem, si Confessarius ex hac doctrina vellet pro peccatis gravibus *totam poenitentiam imponere sub levi*, excepto casu gravis aegritudinis aut intensissimae contritionis, vel *alio casu rarissimo...;* censeo enim ex praecepto Trident. teneri *semper* Confessarium injungere aliquod grave opus sub obligatione gravi. – *VI. 518. med.* [1]

120. *An peccet, qui implet poenitentiam in mortali?*

Resp. 2. *Juxta quosdam* venialiter peccat [2]... Plures tamen graves Theologi probabiliter tenent cum Lugo, illum *ab omni culpa* eximi. – *II. 529. q. 5.*

Alii, ut Lugo.... dicunt nullo modo peccare... Alii tamen *probabilius* tenent *peccare venialiter;*.... ita Suarez, Laymann,.... et Salmant. etiam probabile censent. – *VI. 523.*

121. *Quaenam poenitentiae dilatio sit culpa gravis?*

Resp. 2. Si poenitentia sit gravis, et pro gravibus peccatis imposita, probabilius gravis reputanda est *dilatio duorum vel trium mensium*, quando medicinalis sit, aut adsit periculum oblivionis. Caeterum, nulla regula generalis circa hoc determinari potest. – *II. 530.*

Peccat (graviter) qui diutius eam differt, v. gr. per annum, et etiam per sex menses, ut recte dicit Mazzotta; sed neutiquam qui *per mensem* eam differt, *modo poenitentia non sit medicinalis,...* et modo in posterum posset eam adimplere. – *Hom. Ap. XVI. 57.*

122. *An poenitens teneatur confessionem repetere, ad poenitentiae commutationem obtinendam?*

Resp. 3. *Probabilius requiritur summaria confessio*, si Confessarius, saltem in confuso, statum poenitentis non cognoscat... Attamen probabiliter negat S. Lig. cum aliis. – *II. 532.*

Dubium fit, an possit mutari ab alio Confessario, *quin repetantur peccata?* Negant *probabiliter* Castr.... Sed multi alii *etiam probabiliter affirmant*, ut Tolet..., et probabile dicunt idem Lugo,... etc. – *Hom. Ap. XVI. 61.* [3]

123. *An possit simplex Sacerdos absolvere moribundum, etiam praesente Confessario approbato?*

(P. Gury, in edit. a P. Ball. adnotata, non vero in anterioribus, resp., DD. inter se dissentire, et ab ipsis sententiae neg. defensoribus *probabilitatem affirmantis* ultro concedi.) – *II. 551. q. 8.*

(S. Alph. ceu *communissimam et tenendam* tuetur sent., quae negat, Sacerdotem simplicem, praeterquam in quibusdam casibus, absolvere posse moribundum). – *VI. 562. 563.* [4]

1) In *Hom. Ap.* tr. 16. n. 55. (cfr. etiam Lib. 6. n. 516.), *S. Alphonsus* scribit: « Suarez, » et Bonac. post Trid. vocant *temerariam* opinionem Navarri et *Cajetani*, etc., qui dice- » bant *poenitentem posse poenitentiam recusare, ut eam in purgatorio satisfaciat.*» Unde mirum videri potest, quod *cl. Ballerinius* in 1. adnot. ad *n. 522.* pag. 404. (in altera edit. pag. 326.) eamdem opinionem denuo resuscitet.

2) In edit. Parm. (tom. 3. pag. 171.) legitur: « Resp. 2. *Probabilius venialiter peccat.*»

3) In praxi igitur, non est urgenda obligatio repetendi peccata, sed satis erit, si secundo Confessario prima poenitentia manifestetur.

4) Cfr. supra, pag. 501.

P. Gury. **S. Alphonsus.**

124. *An Episcopus possit sub poena invaliditatis prohibere, ne dioecesani pergant ad confitendum extra dioecesim?*

Resp. 2. *Affirmative*, si in alia dioecesi Sacerdotibus saecularibus confiteantur... – *II.* 555.

Communiter docent DD., peregrinos... posse confiteri *cuilibet approbato in loco, ubi reperiuntur*... dummodo ex industria non discedant e proprio domicilio... – *VI.* 569. [1]

125. *An ignorantia reservationis vel censurae, ab ea incurrenda excuset?*

Resp. 2. Quoad reservationem, *controvertitur*. Negat S. Lig. cum aliis non paucis... Verum sententiam affirm. *censent probabilem* Salmant., Lugo, Sanchez, etc. – *II.* 571. [2]

Sent. *communior cui subscribo*, universe negat posse absolvi ignorantes reservationem (episcopalem), et hanc tenent Sanchez.... – *VI.* 581. *tertia sent.* [3]

126. *An ignorantia saltem excuset a reservatione, quando cum censura conjungitur?*

Resp. 2. Pro casibus episcopalibus *non una est DD. sent.* [4] Pro affirm. inter alios Aversa asserit, DD. comm. in hac doctrina convenire. *Melius tamen Suarez concludit*, consideranda esse verba reservationis, consuetudinem, et reservantis potestatem. – *II.* 571. *q.* 2.

Sententia verior negat... quia in episcopalibus principaliter et per se reservatur casus, eique adnectitur censura, ad hoc, ut peccantes fortius ligentur, et per duplicem reservationem a peccando absterreantur. – *VI.* 581. *dub.* 2.

127. *Utrum absolvi possit subditus alterius dioecesis, si casus est reservatus tantum in loco confessionis?*

Communius recentiores negant... Affirmant tamen alii *cum antiquorum communissima sententia*. – *II.* 573. 582.

Sententia (negans) est *quidem communior et longe probabilior*... quia reservatio respicit Confessarios, non poenitentes. – *VI.* 588. [5]

128. *An absolvi possit subditus alterius dioecesis, quando peccatum reservatum est in ipsius dioecesi, non autem in loco confessionis?*

Resp. 2. Quoad Confessarios saeculares, *negant communissime* antiquiores Theologi... Recentiores tamen commune Confessariis saecularibus fecerunt privilegium Regularium; et stante comm. consuetudine,... censendum est *per ratihabitionem de praesenti* hujusmodi peregrinum valide atque etiam licite absolvi. – *II.* 573. *q.* 5. [6]

Prima sent. negat... Secunda *communissima et verior affirmat*... Ratio, quia sic habet universalis consuetudo, ut peregrini quoad confessionem reputentur uti incolae loci ubi versantur. Haecque consuetudo approbata est consensu Praelatorum, *et maxime Eugenii IV*.... – *VI.* 589. [7]

1) Cfr. supra, pag. 507. (Vid. etiam *Hom. Ap.* tr. 16. n. 87.) — 2) In edit. Parm. (tom. 3. pag. 185.) legitur: « *Neg. quoad reservationem*; constat ex dictis. Ita S. Ligorius et alii *communissime* contra paucos. » — 3) Cfr. supra, pag. 515. — 4) In edit. Parm. (tom. 3. pag. 185.) legitur: « *Neg. pro casibus episcopalibus... S. Lig.* » — 5) Vid. supra, pag. 525. — Cfr. etiam Hom. Ap. tr. 16. n. 135.

6) In edit. Parm. (tom. 3. p. 186.) legitur: « Quaer. 4. An incurrat reservationem peccans in alia dioecesi, ubi casus est reservatus, dum reservatus non est in propria dicecesi delinquentis, aut vice versa? Resp. Casus isti, et alii similes, qui a theologis proponuntur, hac unica solvuntur regula: *Reservatio afficit immediate confessarium, non vero poenitentem.* Attende igitur ad hoc solum, utrum Confessarii potestas restricta sit, nec ne. *S. Lig.* — 7) Cfr. supra, pag. 533.

P. Gury.	S. Alphonsus.

129. *An aliquando inferior possit absolvere habentem peccata reservata, extra mortis periculum?*

Si impedimentum (accedendi ad facultatem habentem in reservata) duret ad longum tempus... inferior potest directe absolvere... Quae autem de reservatione Pontificis dicuntur, *ad reservata Episcopalia extendi possunt.* Ita comm. sent. apud S. Alph. n. 585., et lib. 7. n. 92. – *II. 575.* [1]

Verius docent Suarez,... quod, extra articulum mortis, nullus inferior Sacerdos potest directe absolvere a reservatis... Hoc vero procedit *in casibus episcopalibus.* – *VI. 585.*

Casu quo urgeat necessitas, et *Episcopus longe distet*, simplex Confessarius potest poenitentem absolvere directe *tantum super non reservata*, et indirecte super reservata. – *VII. 92. in fine.*

130. *An absolutus a reservatis in articulo mortis ab inferiori, teneatur se sistere Superiori si convalescat?*

Nonnulli limitant obligationem... pro casu percussionis Clerici, aut pro alia reservatione, quam forte exceperit Legislator, uti sunt casus Bullae Coenae... Hanc sent. dicunt probabilem..., *neque contradicere videtur S. Lig.* – *II. 576.* [2]

An absolutus ab Episcopo in necessitate *a casu papali* propter impedimentum temporale, excusetur ab adeundo Romam, si parti jam satisfecerit? – In priori libro dictum est, prob. excusari. Sed hic *omnino teneri* dicimus. VII. 87. – *Quaest. rèform. 93.* [3]

131. *An reservatione ligatus, in necessitate communicandi, aut celebrandi, teneatur confiteri Confessario simplici, alio deficiente?*

Resp. 3. Insuper tenetur confiteri, si habeat mortalia tum reservata, tum non reservata... Ita communissime, inquit S. Lig. contra aliquos ideo negantes, quia Confessarius... jurisdictione caret in talem poenitentem; *quod plane falsum est.* – *II. 577.* [4]

Quid, si habeat simul mortalia reservata, et non reservata? Prima sent. negat... et *merito hanc probabilem* vocant Suarez... Ratio, quia confessio illa apud inferiorem esset invalida, cum fieret judici non competenti, qui ob peccata reservata .. caret omni potestate. – *VI. 265. q. 1.*

132. *An habens peccata reservata et non reservata, teneatur in confessione accusare etiam reservata?*

Neg. probabilius. Ratio est, quia alias teneretur bis peccata illa confiteri, sc.

Vide n. 265. q. 2. ubi diximus *probabilem* esse sent. neg., *nisi manifestatio*

1) Cfr. supra, pag. 554. et 562.

2) Vid. supra, pag. 566. — In edit. Parm. (tom. 3. pag. 188.) legitur: « Neg. quoad simplicem reservationem... Affirm. quoad censuras reservationi adnexas. »

3) A fortiori hoc valet, si a simplici Sacerdote absolutus fuit.

4) *Cl. Ballerini* (in nota ad hunc locum P. Gury subjecta) concludit: « *Ergo thesi illi* » (quam S. A. probabilem censet), « *umbratilis quidem inesse probabilitas aliquando videri* » *potuit; sed, solido quolibet deficiente fundamento, nulla reipsa probabilitas attribui* » *ipsi potest.* » — At vero (pace cl. Professoris) ipse, diversas diversorum Auctorum rationes confutando, praetermittit hujus sententiae fundamentum. Quod quidem S. A. ita exponit: « *Ratio* (est), *quia confessio illa apud inferiorem esset invalida, cum fieret judici non* » *competenti.* » Et reipsa, quid mirum, si videatur *incompetens* judex, cui denegatur jus totam causam cognoscendi, id est, omnia peccata commissa, praesertim graviora, ac dispositionem et verum poenitentis statum? — Idcirco S. A., quamvis oppositam sententiam, utpote probabiliorem, amplectatur, recte tamen et hanc cum Suar. aliisque probabilem dixit.

P. Gury.

inferiori et Superiori. S. Lig. n. 208. q. 2. -- *II. 578.*

S. Alphonsus.

reservatorum sit necessaria, ut Confessarius possit recte judicare de dispositione poenitentis, et opportuna remedia praescribere. -- *VI. 585. dub. 3.*

133. *An inferior absolvere possit moribundum a reservatis, praesente Superiore, aut alio facultatem habente?*

Resp. 1. Affirm. si casus sint pure reservati... Resp. 2. *Affirm. etiam quoad peccata cum censuris reservata.* [1] Eruitur ex Trid.... (Imo pro casibus papalibus) superflua prorsus foret Episcopi venia. -- *II. 579. q. 6. et 7.*

Quoad censuras reservatas, Confessarius simplex *non potest coram Superiore absolvere;* quia, cum certum sit, moribundum, si convaluerit, teneri Superiorem adire,... ut suam obedientiam ostendat,... hinc fit, quod si Superior adest, ab eo a censuris infirmus absolvendus est. -- *Hom. Ap. XVI. 96.* (Cfr. *Lib. VI. 563. et 567.*).

134. *An tollatur reservatio, si poenitens, confitendo apud Superiorem, casus reservatos obliviscatur?*

Affirm. saltem probabiliter contra alios, qui *etiam probabiliter* negant. -- S. Lig. n. 597. dicit priorem sent. communissimam, et aliam probabiliorem. -- *II. 581.*

Omnino tamen dicendum puto, (addit) reservationem non auferri, quando adesset *positiva praesumptio,* quod si Superior audivisset peccatum reservatum, absolutionem distulisset. -- *VI. 597. in fine.* [2]

135. *An denuntiandus sit Confessarius qui consensit poenitenti sollicitanti, sed ipse non sollicitavit?*

Affirm. Vide Decr. 9. ex 16. S. Officii, die 11. febr. 1661., confirmatis a Bened. XIV. in Bulla Sacramentum Poenitentiae. -- *II. 591. q. 2.*

Quidam neotericus scripsit, opinionem (neg.) fuisse proscriptam a Bened. XIV.... *Sed perperam id asseruit;* nam Pontifex ibi tantum dixit, denuntiationem esse faciendam, etiamsi inter Confessarium et poenitentem *mutua* fuerit. -- *VI. 681.* [3]

136. *An monitio facienda sit in dubio, utrum profutura sit vel obfutura?*

Resp. 1. Affirm. si *probabilius profutura sit;* secus, si probabilius obfutura. S. Lig. n. 616... contra nonnullos.

Resp. 2. In dubio ex utraque parte aequali, generatim loquendo, potius vitanda sunt mala formalia, quam materialia. S. Lig. ib. -- *II. 611. q. 2.*

Si non timetur de damno, *omnino quidem fieri debet.* -- *VI. 616. in fine.*

In duobus tamen casibus *omittendum non est*, quin Confessarius veritatem poenitenti aperiat. 1. Quando poenitens eum interrogaret.... 2. Cum ex ejus ignorantia damnum spirituale communitati futurum fuisset. -- *Hom. Ap. XVI. 116.*

1) In edit. Parm. (tom. 3. pag. 190.) legitur: « Affirm., si casus sint pure reservati.... *Negat. si de censuris agatur.* »
2) Cfr. supra, pag. 572. — 3) Vid. supra, pag. 579.

P. Gury.	S. Alphonsus.
137. *Quid agere debeat Confessarius, si cognoscat certo, peccatum aliquod a poenitente reticeri aut negari?*	
Si poenitens interrogatus negaverit, nihil reponat; sed, si id possit citra suspicionem, hortetur dumtaxat generaliter ad conscientiam cum omni fiducia aperiendam. – Utrum vero debeat Confessarius talem poenitentem absolvere, controvertitur... Imo dicunt plures, absolutionem *in omni casu concedendam esse*... Hoc autem *sat probabile est.* - *II. 619.*	Alii affirmant absolvendum esse conditionate; alii absolute; sed *melius* sentiunt... quod, cum Confessarius moraliter certus est poenitentem sacrilege occultare peccatum, *non potest eum absolvere,* sed voce submissa debet aliquam recitare orationem ad occultandam absolutionem, quam ei denegat. - *Hom. Ap. XVI. 120.* (Lib. VI. 631. Si autem.) [1]
138. *An requiratur certitudo de dispositione poenitentis, ut absolvi possit?*	
Resp. 2. Requiritur et sufficit judicium prudens, seu certitudo moralis lata, quae, ut ait S. Alph., *prudenti probabilitati aequivalet.* - *II. 624.*	Sufficit quod Confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione poenitentis, et *non obstet ex alia parte prudens suspicio* indispositionis. – *VI. 461. med.* [2]
139. *An absolvi possit debitor, antequam restituat?*	
Affirm. si Confessarius deprehendat, *debitorem paratum esse* ad restitutionem faciendam, uti debet. - Si vero poenitens aut pluries promissis restituendi non steterit, aut prudenter praevideatur propositum non servaturus, *expedit,* ut Confessarius restitutionem prius exigat, quam absolvat, *nisi tamen aliqua gravis ratio aliter suadeat.* - *II. 627.* [3]	Cum poenitens potest statim restituere, *regulariter loquendo* dicimus .. quod Confessarius *non potest absolvere debitorem, nisi prius restituat...;* quia, cum restitutio sit res valde difficilis ad exequendum, si poenitens absolveretur antequam satisfaciat, *communi experientia quae habetur,* relinquitur in eodem non restituendi periculo. - *Hom. Ap. X. 105.*
140. *Quae sit occasio proxima?*	
Occasio proxima illa est, in qua homines communiter *ut plurimum* peccant. – *II. 628.*	Quidam AA. volunt, non esse occasionem proximam nisi eam, in qua homo fere semper, vel ut plurimum ceciderit; sed communior et *verior* sent. docet, occasionem proximam esse illam in qua *frequenter* quis peccavit. - *Hom. Ap. tr. ult. 1. (Lib. VI. 452).*
141. *Regula pro eo, qui in occasione proxima necessaria versatur?*	
Non potest absolutio (ei) denegari ob istam occasionem, si aliunde dispositus deprehendatur, et remediis praescriptis *uti velit.* Ratio est, quia nemo tenetur ad impossibile, sive physice, sive moraliter, et aliunde occasio peccandi non est per se peccatum, nec in necessitate peccandi hominem constituit. - *II. 629. III.*	*In praxi, omnes conveniunt expedire,* ut iis qui versantur in occasione proxima, etiam necessaria, *differatur absolutio.* - Imo... *numquam absolverem* eum, qui est in occasione proxima extrinseca... praesertim si occasio sit de materia turpi, *semper ac absolutio commode differri potest...* Fortasse alicui haec tradens nimis rigidus videbor; sed ego, etc. - *VI. 456.* [4]

1) Cfr. supra, pag. 587. — 2) Cfr. supra, pag. 649., et passim in Quaest. de Recidivis.
3) Ad hunc textum, cl. Ballerinius advertit: Vide de hac quaestione doctrinam *S. Antonini*, in nota ad *num. 621.* — Sed vide quae de ejusdem Sancti doctrina superius dicta sunt, pag. 757.
4) Cfr. supra, pag. 775.

P. Gury. **S. Alphonsus.**

142. *An possit absolvi, qui existens in occasione necessaria, etiam remediis adhibitis, eodem semper modo relabitur?*

Resp. 2. In casu adhibenda foret *regula generalis*, quam S. Lig. proponit... nimirum, ut mature perpendatur, utrum in praxi difficilius sit occasionem removere, quam vitare peccatum, occasione praesente, an vero facilius. Si difficilius sit occasionem auferre, decernatur, moraliter impossibile esse eam removere. – *II. 631.* [1]

Sent. verior [2]... tenet, hunc non posse absolvi, nisi occasionem deserat, *cum jactura adhuc vitae*, si opus sit, quando nulla emendatio, nec probabilis spes emendationis appareat. Ratio, quia homo tenetur, cum omni jactura, vitare periculum proximum peccati formalis;... cum autem nulla spes apparet emendationis, periculum utique fit formale, et a peccato sejungi non potest... – *VI. 457.*

143. *An quilibet Consuetudinarius prima vice absolvi possit?*

Consuetudinarius quilibet absolvi semper potest, etiam prima vice, qua pravum habitum confitetur, etsi nulla emendatio praecesserit; modo eam serio proponat, et poenitentiae signa, quamvis ordinaria tantum, ostendat. – *II. 633.*

Si habitus esset valde radicatus, potest etiam Confess. ei differre absolutionem, ad experiendum quomodo sit constans poenitens, in praxim deducendo media praescripta, utque ipse de suo vitio majorem concipiat horrorem. – *Hom. Ap. tr. ult. 8.* [3]

144. *An ordinarie magis expediat differre absolutionem recidivo rite disposito?*

Recidivus praebens extraordinaria signa doloris... absolvi potest, *non autem necessario debet.* Confessarius enim *potest* absolutionem in hoc casu differre, si dilationem bono poenitentis utilem futuram esse judicaverit, *licet ordinarie magis expediat, ut non differatur.* – *II. 634.*

Confess. tanquam medicus potest, *imo quandoque tenetur* absolutionem differre, cum judicat tale remedium necessario prodesse saluti sui poenitentis. – *An autem expediat ordinarie uti hoc remedio,...* ego ita censeo: si poenitens relapsus est *ex fragilitate intrinseca*... raro expedit... Aliter agendum cum eo, qui relapsus est *ob occasionem extrinsecam, quamvis necessariam*... – *Hom. Ap. tr. ult. 14. 15.* [4]

145. *An recidivus signa extraordinaria contritionis non praebens, absolvi quandoque possit ac debeat?*

Recidivus, etiam *sola contritionis signa ordinaria praebens, absolvi potest, et generatim debet*, quoties absolutio non potest facile differri. Ratio est, quia ex una parte absolute judicari potest sat dispositus ex signis ordinariis; et ex alia parte, adest gravis ratio eum absolvendi, ne diu permaneat in statu peccati mortalis. – *II. 635.*

Recidivi... ut comm. docetur, *nequeunt absolvi, si sola signa ordinaria afferant*, nempe si tantum confiteantur, asserendo se poenitere et proponere... Nam habitus contractus, et relapsus praeteriti sine ulla emendatione, magnam praestant suspicionem, quod dolor et propositum... nequaquam sint vera. – *Hom. Ap. tr. ult. 9.* (Lib. VI. 459.). [5]

1) In edit. Parm. legitur (tom. 3. pag. 212.): « *Neg., nisi signa extraordinaria doloris dederit...* » Cfr. supra, pag. 603.
2) De sensu vocis: *verior*, cfr. supra, pag. 900. *s.* 2. et 901. n. 6.
3) Vid. supra, pag. 778., ubi alia datur exceptio pro clerico, vitio turpi assueto.
4) Vid. supra, pag. 752. — 5) Cfr. supra, pag. 649. et 657.

P. Gury.	S. Alphonsus.

146. *Ad quid tenetur Confessarius, qui inculpabiliter, vel cum levi culpa, erravit circa valorem Sacramenti?*

Si error sit inculpabilis, vel leviter culpabilis, *Confessarius obligatur quidem ex justitia* (ad reparandum errorem), sed cum minori incommodo. – *II. 643.*

Non tenetur cum suo dedecore, aut alio gravi incommodo poenitentem admonere; quia *talis admonitio est solius charitatis,* quae ad tantum non obligat; ita comm... Excipitur, si Confess. esset *Parochus,* aut si poenitens esset *in mortis articulo,* aut in gravi periculo *non amplius confitendi* constitutus. – *Hom. Ap. XVI. 121.* [1]

147. *Quid, si error fuerit circa integritatem Sacramenti?*

Nulla erit obligatio monendi extra confessionem, *si defectus versetur circa integritatem confessionis;* quia hic error vix, aut ne vix quidem poenitenti vel aliis nocere potest. Ita communiter. – *II. 643. ad III.*

Si vero (Confess.) *positive induxit poenitentem, ne explicaret species sive numerum* (peccatorum): tunc, si cum culpa gravi id fecerit, *tenetur* etiam extra confessionem, cum licentia poenitentis, eum monere de errore, sed sine scandalo et sine gravi suo damno. – *VI. 620.*

148. *An cadant sub sigillo defectus naturales poenitentis?*

(Videatur textus P. Gury, *n. 657. q. 2.*, supra, pag. 643. not. II.)

(Cfr. doctrinam S. Alphonsi, *lib. 6. n. 642.*, etc. supra, pag. 643. not. II.)

TRACT. DE EXTREMA UNCTIONE.

149. *Ubi sacra unctio facienda sit?*

Facienda... 4. in ore, seu *in labio inferiore;* ... 6. in pedibus, seu *supra pedes.* – *II. 675.*

Ad os, *compressis labiis...* [2] Ad pedes, scilicet *in plantis.* [3] – *VI. 711.*

150. *An sit obligatio gravis recipiendi hoc Sacramentum?*

Duplex est sent. probabilis. Prima affirmat. Secunda negat... Ita S. Lig. n. 733. ubi hanc sent. communem vocat, licet primam omnino *suadendam* putet, praecipue ratione charitatis, quam sibi quisque debet. – *II. 692.*

Si vero (adhibitis exhortationibus), infirmus ... pergeret nolle ungi, *valde probabiliter* plures DD. docent eum *lethaliter* peccare, saltem *adversus charitatem erga seipsum:* cum ultro se privet tanto auxilio in tanta necessitate. – *Hom. Ap. tr. ult. 48.* (Cfr. *tr. 17. 12.*) [4]

1) Vid. supra, pag. 621. — 2) Ita expressis verbis dicitur in Rituali rom. *s.* 14.

3) Romae, usus est ungendi *plantas* pedum, nisi causa rationabilis aliud suadeat. — De unctione *renum*, P. Gury subjungit: « *Imo hodie, ait Scavini, in omni casu et quoad omnes omittitur.* » Verum Scavini (in edit. Mediolan. 1869.) haec tantum habet: « Hodie *penes nos*, quoad omnes omittitur. » — In alma Urbe (pro viris) fit generatim unctio ad lumbos; et quidem si nihil obstat, ex utroque latere, secus ex uno tantum: ita tamen, ut in utroque casu infirmus vix moveri debeat.

4) Advertatur hoc loco, sententiam affirmativam, quam S. Alphonsus jam in 2. editione Theologiae moralis (lib. 6. n. 733.) *simpliciter probabilem* dixerat, ab ipso postea tum in *Hom. Ap.* (tr. 17. n. 12.), tum in *Praxi Conf.* (cap. 7. *s.* 5.) *valde probabilem* vocatam esse, utpote quae magis ei placebat. Unde fit, ut contraria, ex mente S. Alphonsi, quamvis non amittat suam probabilitatem, eam tamen vix retineat. — Adde, verba illa: « Vide dicta de » Sacramento *Confirmationis, n. 182.*, quae huic Sacramento etiam congruunt », quae verba jam in 2. edit. Theol. mor. (lib. 6. n. 733.) reperiuntur, suam vim amisisse, postquam S. Doctor in posteriori editione ad praefatum *n. 182.* sexti libri, pristinam sententiam reformavit, ductus nimirum auctoritate Benedicti XIV. sic scribentis: « *Monendi sunt ab Ordinariis lo-*

P. Gury. **S. Alphonsus.**

TRACT. DE ORDINE.

151. *An ad valorem Ordinationis, requiratur tactus physicus instrumentorum?*

Dicit S. Lig. duplicem dari sententiam probabilem, et consequenter tutiorem in praxi sequendam esse. Attamen sententia *neg. tuta dicenda est* ex Decis. S. C. Rituum. - *II. 702.*

Negant alii, quorum sententiam merito putant probabilem... *Affirmant* vero cum *sent. communiori...*, et cum haec sent. sit etiam probabilis, recte dicunt DD. praefati, *omnino in praxi tenendam.* - *VI. 743.* [1]

152. *Qua ratione possit Episcopus ab interstitiis dispensare?*

Episcopus potestatem habet ab interstitiis dispensandi, *si expedire ipsi videatur*, modo debitis temporibus Ordines conferat. - *II. 713.*

(Disting.) Ut a minoribus ascendatur ad Subdiaconatum, requiritur anni spatium: nisi *necessitas*, aut Ecclesiae *utilitas*, judicio Episcopi, aliud exposcat (ex Trid.). Ut a Diaconatu ascendatur ad Sacerdotium, requiritur saltem anni intervallum: nisi ob Ecclesiae *utilitatem* ac *necessitatem* aliud Episcopo videretur... Intellige *necessitatem moralem*, nempe utilitatem notabilem, et *certam* propriae Ecclesiae. - *Exam. Ordinand. 41.* (Cfr. *VI. 795.*).

153. *An sit concedenda absolutio Clerico habituato in vitio turpi occulto, qui ad Ordines sacros ascendere velit, sine praevio continentiae experimento?*

Neg. respondet S. Lig.... Excipit casum, in quo Deus donet poenitenti extraordinariam compunctionis gratiam, quae eum reddat adeo probatum, ut ipse statim possit sacrum Ordinem suscipere... *Alii tamen aliter sentiunt* apud eumdem S. Lig. - *II. 718.*

(Contra primam quaestionis partem, S. Alph. *unum tantum Auctorem* dissentientem allegat; contra secundam vero plures quidem AA. affert, sed istorum sententiam, qua scilicet longior annorum probatio requiratur, S. Doctor *ceu nimis rigidam* non admittit.) - *VI. 63-77.* [2]

TRACT. DE MATRIMONIO.

154. *An inter habentes impedimentum dirimens, valida sint sponsalia sub conditione, si Papa dispensaverit?*

Juxta S. Lig. et alios non paucos, licet sponsalia non valeant ante conditionem impletam, attamen, verificata conditione, valent sine novo consensu. *Verum sent. neg. tenenda est* ex Decisione S. Rotae Rom. apud Clericati..., qui

Si sponsalia sint contracta... sub conditione expressa, si Papa dispensaverit, utrum impleta conditione, valida sint sine novo consensu, vide dicta lib. 3. n. 650., *ubi sententiam tenuimus affirm...* Licet enim sponsalia ante conditionem

» *corum, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possint, ad confirmationem accedere* » *renuunt ac negligunt.* » Hinc S. Doctor loc. cit. ita concludit: « *Quapropter, opinio...,* » *nimirum non teneri fideles sub gravi ad confirmationem suscipiendam, hodie non vi-* » *detur satis probabilis.* »

1) Cfr. supra pag. 388., ubi probatur, ex decisione S. C. Rit., quam P. Gury commemorat, at *minus recte* exponit, rem non esse definitam, nec ideo infirmari S. Alphonsi opinionem.

2) Cfr. supra, pag. 778.

P. Gury.	S. Alphonsus.
testatur hanc fuisse perpetuam S. Rotae sententiam. Constat etiam ex Declaratione S. C. Concilii, in Januensi 12. Decemb. 1733. – *II. 725.*	impletam, vera sponsalia non sint, inducunt tamen absolutam obligationem expectandi eventum conditionis: ergo consensus perseverat usque ad impletionem conditionis. – *VI. 859.* [1]

155. *An sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia, si sponso adveniat pinguis haereditas?*

Controvertitur. Alii negant... Alii affirmant... Hanc sententiam *satis probare videtur S. Lig.* – *II. 731.*	Affirmant Hurtado... *Sed alii communissime... id negant;* quia tunc ille jam non deceptus est in conditione alterius partis, in qua nulla accedit mutatio. – *Hom. Ap. XVIII. 19.* - (Lib. VI. 876.). [2]

156. *An sponsalia dissolvantur per matrimonium subsequens, ita ut, soluto matrimonio, non reviviscant?*

Neg. cum sent. communiori. S. Lig... *Plures tamen contradicunt*, rationibus non spernendis innixi. – *II. 733.*	Dubium fit, an etiam (sponsus) nocens liber a sponsalibus remaneat ex matrimonio a se contracto. Affirm... sed oppositam sent... *ego puto absolute probabiliorem;* nam talis dissolutio non probatur nec lege positiva, nec naturali. - *Hom. Ap. XVIII. 13.* [3]

157. *An Parochus assistere possit matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores?*

Resp. 1. Negat S. Lig. cum aliis ... *Alii tamen melius affirmant*, licet Parochus conari debeat, ut digne contra-	Minime acquiescimus primae sent. (affirmativae), et dicimus, Parochum *non teneri nec posse* assistere tali matrimo-

1) Vid. etiam lib. 6. n. 875. et Quaest. reform. n. 89. — Decisiones *S. Rotae Rom.* non ignoravit S. Alphonsus, ut patet ex *Lib. 3. n. 650.*, ad quem delegat lectorem. Ibi enim ait: « *Pro hac opinione* (negativa), *Diana adducit plures decisiones Rotae Rom. Alii tamen » communius et verius docent, talem promissionem satis obligare.* » — Ad declarationem *S. C. Concilii* quod attinet, ipse *P. Ballerini* scribit: « *Ex hac S. C. Declaratione, nihil » reipsa adversus praemissam S. A... doctrinam concludi potest.* » Ac deinde cl. Professor probat, hanc et alias Declarationes ejusdem S. C. (in *Actis S. Sedis*, Romae vol. 1. pag. 79. 81. relatas) nihil reapse contra S. Doctorem statuere, «*cum de casu prorsus diverso utrobique agatur.* » — Ceterum, etiam S. A. pro se citat Decretum S. C. Concilii ex Pontio. (Lib. VI. 859.).

2) Cfr. supra, pag. 797.

3) Ex diversitate opinionum, quae in hac materia inter Doctores existit, infert *P. Ballerini*, nullam adesse obligationem, qua viduus ad priora sponsalia redeat, nisi cogatur a judice. Sed ex regulis Probabilismi, contraria potius conclusio eruenda est. Hic enim *certe contracta fuit obligatio*, quae nonnisi *dubie extincta* fuit. Ergo ipsa semper urget, nisi altera pars juri suo cedat, aut alia interveniat causa sponsalia solvendi. — Deinde cl. Professor contra sententiam S. Alphonsi argumentatur, ducto exemplo, tum a voto religionis aut castitatis, quibus sponsalia in perpetuum solvuntur; tum a natura matrimonii quod est « con- » tractus indissolubilis ex natura sua, ac per eum *conjux in perpetuum se in alterius » potestatem tradit.* » — Sed haec ad rem non faciunt. Nam matrimonium non est vinculum *de se perpetuum*, sicut votum religionis aut perpetuae castitatis; sed est essentialiter temporale, juxta illud Apostoli (I. Cor. 7. 39.): « Mulier alligata est legi, *quanto tempore* vir » ejus vivit. » Hinc recte arguit *S. Alphonsus* (lib. 6. n. 875. fin.): « *Tantummodo attendenda » est conditio vinculi subsequentis;* si illud est *perpetuum*, utique extinguitur prima obli- » gatio; si vero est *temporale*, illa suspenditur donec impleri possit, vinculo cessante; prout » si quis venderet equum uni, et deinde venderet et traderet illum alteri: casu quo rediret » equus in dominium ipsius, certe tenetur eum tradere primo emptori. »

P. Gury.	S. Alphonsus.
hant... Ita communiter, ut fatetur ipse S. Ligorius. - *II. 769.*	nio. Favetque nobis auctoritas S. P. Benedicti XIV... Ratio nostrae sent., etc. - *VI. 54.* [1]

158. *An liceat contrahere matrimonium cum impedimento dubio, seu probabili?*

1. Affirm. probabilius *in dubio, seu probabilitate Juris ecclesiastici,* quia ... si forte impedimentum reipsa adesset, Ecclesia supplere censetur... - *II. 789.*	Post diligentiam adhibitam (ad veritatem assequendam), comm. docent DD., posse contrahi matrimonium *cum opinione probabili probabilitate juris* de carentia impedimenti ; *modo opinio illa sit universe vel certe ab AA. recepta ut probabilis.* - *VI. 901.* [2]

159. *An in omni casu sponsis dari possit, aut debeat benedictio?*

Resp. 1. Si nomine benedictionis accipiantur verba : Ego vos conjungo ... , *semper sub gravi danda est in matrimonio catholicorum,* quia a Conc. Trident. praecipitur. - *II. 853.*	Parochus vero tenetur sciscitari consensum a sponsis , et proferre verba : Ego vos conjungo ... Licet *probabiliter* dicant ... quod, si ea verba non proferret, *peccaret tantum venialiter,* quoties factus esset certus de consensu manifestato ; *sed forte probabilius ... non excusant eum a peccato mortali,* cum defectus sit circa materiam gravem. - *Hom. Ap. XVIII. 74.* (Lib. VI. 1094.).

160. *An et quomodo illicitus sit usus conjugii ob solam voluptatem?*

Illicitus est conjugii usus, si fiat ob solam voluptatem , id est , alios fines *expresse* excludendo. - *II. 908.*	Usus est illicitus, sed non plus quam venialiter, si adhibeatur ob solam voluptatem, *nisi voluptas intendatur ad bonum generationis,* vel *ut reddatur vir aptus ad reddendum,* ut recte ajunt Croix et Viva. - *Hom. Ap. XVIII. 39.* [3]

TRACT. DE CENSURIS.

161. *An laici ex delegatione possint ferre censuras?*

3. *Laici* et *mulieres,* ne ex delegatione quidem, censuras ferre possunt. - *II. 943. ad 3.*	Comm. tamen dicunt DD., quod ex commissione Pontificis *posset laicus ferre censuras;* quod enim censuras ferens debeat esse ecclesiasticus, est de jure positivo, in quo potest Papa dispensare. - *VII. 12.* - Probabilius negant DD. de *mulieribus.* - *Ibid.* [4]

1) Minime fatetur S. Alphonsus, opinionem affirmativam esse *communem*, uti advertit P. Gury; sed cl. Auctor transtulit ad peccatores *publicos*, ea quae S. A. de iis dixerat, *qui indigni essent ratione peccati vel censurae occultae* (Vid. lib. 6. n. 54., et *Hom. Ap.* tr. 14. n. 6.). Cfr. supra, pag. 815.

2) Cfr. supra, pag. 792. — 3) Cfr. supra, pag. 822. — 4) Vid. pag. 867.

P. Gury.	S. Alphonsus.

162. *A quibusnam censuris quilibet Confessarius absolvere queat?*

Quilibet Confessarius absolvere potest a censuris, *non* SPECIALITER *reservatis* Papae vel Episcopo. – *II. 951. ad III.*

A censuris latis a jure *non reservatis*, certum est Episcopum vel proprium Sacerdotem absolvere posse, ex C. Nuper... – *VII. 70.*

TRACT. DE IRREGULARITATIBUS.

163. *Utrum censendus sit irregularis, qui dubitat an patraverit homicidium?*

Si dubium est de homicidio patrato, probabilius et verius irregularitatem incurrit, ob specialem indecentiam, quae in homicidio reperitur, ut ex jure colligitur. – *II. 1018. q. 3. resp. 2.*

Sed hic notandum 1. quod hoc procedit casu, *quo aliquis certus est de homicidio ...*, et solum dubitat *an ipse sua actione fuerit causa illius...* (Cfr. integrum textum). – *VII. 347. dub. 3.*

TRACT. DE INDULGENTIIS.

164. *An requiratur status gratiae, ad lucrandam indulgentiam pro defunctis?*

Duplex est sent. probabilis. Prima communior affirmat... Hanc *probabiliorem* vocat S. Lig.... Secunda negat... – Prima sententia ut tutior *commendanda* est... – *II. 1050. q. 9.*

De Lugo requirit statum gratiae, *saltem in fine operis;* quae sent. tutior est. Et haec *verior* mihi videtur [1] cum Wigandt, quia nemo potest alteri applicare indulgentiam, nisi prius eam fecerit suam. – *VI. 534. ad 10.*

1) Cum S. Alphonsus *veriorem* aliquam sententiam dicit, alteram jam probabilem non habet (cfr. supra, pag. 900. *s.* 2. et 901. n. 6.).

INDEX RERUM

Benevolo ac studioso Lectori . . . . . *pag.* v
De Auctoritate Doctrinae moralis S. A. Dissertatio prooemialis. » ix
§. 1. - Praecipua referuntur S. Sedis Testimonia atque Judicia de morali doctrina S. Alphonsi . . . . . » x
§. 2. - Exponitur, quo sensu Doctrina S. Alphonsi a Sede Apostolica approbata dici possit et debeat . . . . . » xxii
I. - De Approbatione negativa seu permissiva. . . . . » »
II. - De Approbatione positiva seu electiva. . . . . » xxv
III. - De Consectariis ex praemissa expositione inferendis . . . . . » xxxiv
§. 3. - Examinatur, cujusmodi fuerit erga S. Alphonsum agendi ratio cl. Ballerinii . . . . . » xlix

PARS I.

DE MORALI SYSTEMATE S. ALPHONSI.

Status quaestionis . . . . . *pag.* 1
Cap. I. - *Systematum S. Alph. et cl. Ball. compendiosa expositio.*
§. 1. - Exponitur genuinum ac praecellens Systema morale S. A. » 4
Art. 1. - De variis Gradibus seu speciebus Probabilitatis a S. A. enumeratis. . . » »
2. - De variis a S. A. allegatis Systematibus, una cum judicio quod de singulis profert. . . . . » 8
3. - Summatim exponitur genuinum S. A. Systema . . . . . » 13
4. - Ostenditur praecellens Meritum Systematis S. A. . . . . » 23
§. 2. - Perpenditur genuinum cl. Ballerinii Systema mor. ad quod immerito pertrahitur S. A.. . . » 31
Art. 1. - Quodnam sit P. B. Systema. » »
2. - Probabilismus communis, cui adhaeret cl. B., jure meritoque a S. A. rejicitur tanquam sententia laxa . . . . . » 33
Cap. II. - *Demonstratio historica Aequiprobabilismi S. Alphonsi.*
§. 1. - S. Alph. nunquam communi Probabilismo adhaesit, sed jam in prioribus Scriptis Aequiprobabilismum saltem implicite tenuit. » 40
§. 2. - Ab an. 1762. S. A. explicite Systema Aequiprobabilismi professus est, illudque non solum majori semper perspicuitate exposuit, sed ad mortem usque constanter ac strenue propugnavit . . . . . *pag.* 46
Art. 1. - Exponuntur Opera mor. S. A. ab an. 1762. ad 1767. conscripta. . . . . » 47
2. - Exhibentur novae elucidationes Systematis S. A. ab an. 1767. ad 1769. . . » 60
3. - Referuntur ultimae explicationes Systematis S. A. ab an. 1769. ad 1785. » 65
Cap. III. - *S. Alphonsus verus Aequiprobabilismi Auctor.*
§. 1. - Inter Scriptores mor., solus et primus est S. A., qui Systema ex omni parte absolutum constituerit, quod merito Aequiprobabilismi nomine venit . . . . . » 74
Art. 1. - Ante S. Alphonsum, quaestio de licito usu opinionis probabilis perfecte soluta non fuerat . . . . . » »
2. - Perpenditur doctrina Amort circa licitum usum Opinionis aeque prob. . » 77
§. 2. - Scriptores disciplinae moralis, tum S. Alphonsi coaevi, tum recentiores, perpaucis exceptis, communiter Ipsum existimant Auctorem Aequiprobabilismi . . . . . » 82
Art. 1. - Testimonia Cardinalium, Episcoporum aliorumque Virorum illustrium, in epistolis ad S. A. directis . . . . . » »
2. - Testimonium ex causa Beatificationis S. A. desumptum . . . . . » 85

3. – Judicium Theologorum ac Scriptorum Italorum . . . . . *pag.* 87
4. – Suffragantur Theologi ex Gallia et Hispania . . . . . » 90
5. – nec non ex Austria et Germania. » 92
6. – Testimonia ipsorum S. A. Adversariorum. . . . . » 94

CAP. IV. – *Responsa ad alias cl. Ball. assertiones et objectiones.*

§. 1. – Confutantur plura alia argumenta, in Dissertatione P. B. contra Aequiprob. S. A. prolata.. » 97
Art. 1. – Omni, vel levissimo fundamento destituta est assertio, fraudulenter mutilatam fuisse postremam Theol. mor. editionem, a S. Sede approbatam . . . . . » »
2. – Contra falsam interpretationem cl. B., ostenditur quonam sensu S. A. dicat, Opinionem certe probabiliorem aequipollere sententiae moraliter certae . . . . . » 99
3. – Perperam cl. B. Auctores quosdam arguit gravissimae hallucinationis, quoad doctrinam de opinione certe probabiliori a S. A. traditam . . . . . *pag.* 104
4. – Ad thesim suam firmandam, cl. Ball. nullum deducere potest argumentum ex editionibus Theol. mor. de an. 1757. et 1763., ubi S. Doctor declarat, se abstinere a controversia Probabilismi. . . . . » 108
5. – Falsa et S. A. injuriosa est assertio, Ipsum contra hostes qui nuspiam extabant, inauditam protulisse thesim, eo solo fine ut laxitatis notam declinaret . . . . . » 112
6. – Falsum est, S. A. dum opinionem aeque prob. defendebat, eo ipso etiam propugnasse licitum usum opinionis probabilis in concursu certe probabilioris. . . . . » 115

§. 2. – Confutantur quaedam assertiones cl. B., in suis *Adnotationibus* ad Compendium P. Gury. . . » 117
Art. 1. – Perpenduntur assertiones cl. Ballerinii. . . . . » 118
2. – Explicantur textus S. A. a cl. B. pro thesi sua allegati . . . . . » 120
Summ. et Concl. Systematis S. A. » 123

PARS II.

DE ACTIBUS HUMANIS, PECCATIS ET VIRTUTIBUS.

Quaest. I. An et quomodo teneatur homo omnes actus suos ad Deum referre . . . . . » 127
Art. 1. – DD. qui stant pro obligatione quotidianae actuum relationis, iis minime accensendi sunt qui actualem omnium actionum relationem exigunt . . . . . » 130
2. – DD. obligationem quotidianae actuum relationis defendentes, non affirmant, quotidie actum charitatis esse eliciendum. » 131
3. – Perpenditur sapientissima doctrina S. A. . . . . » 133
Quaest. II. An liceat delectari de opere malo, ob bonum effectum inde secutum, vel de malo proximi, ob bonum finem . . . . . » 135
Art. 1. – Perpenditur S. A. doctrina. » 138
2. – Examini subjiciuntur sententiae AA., quos cl. B. S. Alphonso opponit. . . . » 139
3. – Utrum revera S. A., cum Salmant., dissensionem inter DD. confingat . . » 143
Quaest. III. Quandonam urgeat praeceptum Charitatis . . . . » 145
Art. 1. – Quoties teneamur in vita elicere actus Charitatis . . . . . » »
2. – An urgeat praeceptum Charitatis in articulo mortis. . . . . » 149
Quaest. IV. An, in communibus pauperum necessitatibus, sit obligatio gravis dandi Eleemosynam ex superfluis statui . . . . . » 152
Art. 1. – Merito S. A. communiorem vocat sententiam affirmantem. . . . . » »
2. – Perpenduntur Auctoritates Laym. et Dianae, a cl. B. pro sua sententia neg. allegatae. . . . . » 158
3. – S. A. circa quantitatem eleemosynae erogandae, nullatenus absurdam regulam proponit . . . . . » 161
Quaest. V. An famulus, ratione famulatus, possit comitari herum ad lupanar, vel sternere equum. » 165
Art. 1. – Exponitur S. A. doctrina de cooperatione formali et materiali . . . . » 166
2. – Doctrinae S. A. graves suffragantur Auctoritates . . . . . » 168
3. – Doctrina S. A. solidissimis nititur rationibus. . . . . » 171
Quaest. VI. An liceat famulo deferre munera meretrici, ratione famulatus. . . . . » 173
Quaest. VII. An liceat famulo, ob metum gravem, scribere vel deferre litteras amatorias concubinae domini. . . . . » 175
Quaest. VIII. An liceat vendere ornatus puellae iisdem abusurae, si illa ab aliis aeque emeret. . » 180
Art. 1. – Perpenditur sententia P. Croix, cui minime suffragantur Auctoritates ab ipso allatae . . . . . » 181
2. – Confirmatur doctrina S. A. ex aliorum DD. auctoritate . . . . . » 182
3. – Ostenditur, Palaum et Suarez doctrinae S. A. plene suffragari. . . . . » 183

PARS III.

DE PRAECEPTIS DECALOGI.

Quaest. I. An in tentatione Dei interpretativa detur parvitas materiae . . . . . *pag.* 187

Quaest. II. An committat Sacrilegium, qui violat Votum quodcumque, speciatim votum Castitatis, non tantum solemne, sed etiam simplex intra vel extra Relig. emissum . . » 191

Art. 1. – Quaer. an violatio cujuslibet Voti sit Sacrilegium. . . . . » 192

2. – Ex auctoritate D. Thomae, Suarii et Sanchezii, immerito probare contendit cl. B., solus voti Castitatis solemniter professi violationem esse Sacrilegium. . . . . » 196

3. – Complurium DD. auctoritate probatur, Sacrilegium esse violationem voti Castitatis, non solum solemniter professi, sed etiam simplicis sive a religioso sive a laico emissi. » 201

Quaest. III. An omnes actus externi graviter turpes, ac speciatim copula maritalis, in ecclesia habiti, sint sacrilegia. . . . . » 205

Art. 1. – An, et curnam omnes actus externi graviter turpes in ecclesia habiti, sint sacrilegia. . . . . » 207

2. – An, praeciso scandalo, sit sacrilegium copula maritalis habita in ecclesia . » 215

Quaest. IV. An sit Simonia, dare Mutuum, ut eodem tempore Beneficium, aut alia res spiritualis retribuatur, vel contra. . . . . » 222

Art. 1. – Perpenditur ratio a DD. communiter allata, ad probandum in casu pactum simoniacum; . . . . . » 223

2. – et vera Ratio a cl. B. allegata. » 228

Quaest. V. An, ob simoniacam collationem et susceptionem Ordinum, etiam primae Tonsurae, incurratur Excommunicatio et Suspensio S. Pontifici reservata . . . . . » 230

Art. 1. – Utrum a praefatis censuris Episcopi in casibus occultis dispensare possint. » »

2. – An simoniace Ordinatus suspendatur ab exercitio omnium Ordinum, vel illius tantum quem simoniace recepit . . . . . » 237

3. – An poenae latae contra simoniacas Ordinationes extendi debeant ad simoniacam collationem primae Tonsurae. . . . . » 240

Quaest. VI. An sit Simonia, dare aut promittere aliquid temporale, cum obligatione alteri imposita praestandi opus spirituale sibimetipsi utile; vel sub conditione, ut alter praestet opus spirituale in temporalem dantis utilitatem . . . . . *pag.* 244

Quaest. VII. Cui restituendum sit pretium acceptum pro re spirituali simoniace tradita. . . . . » 249

Art. 1. – S. A. cum Salmant. aptissime et concinne hanc quaest. pertractat; . » 251

2. – ac Lessium pro prima sententia, et Suarium pro secunda merito allegat. » 252

Quaest. VIII. An in blasphemando semper adsit aliqua advertentia, saltem confusa, de malitia illius prolationis . . . . . » 256

Art. 1. – Ostenditur nullum esse discrimen inter sententiam S. A. et D. Thomae. » 257

2. – Exponitur sapientiss. S. A. doctrina circa Habituatos in blasphemiis . . . » 258

Quaest. IX. An sit peccatum grave defectus justitiae in Juramento assertorio. . . . . » 260

Art. 1. – Cl. B. immerito affirmat, a S. A. cum Salmant. discordiam plane imaginariam inter allegatos DD. confingi . . . . . » 261

2. – Praeter DD. allegatos, plures alii sunt in diversas sententias abeuntes . . . » 267

Quaest. X. An qui habet facultatem delegatam dispensandi in Votis, possit dispensare in Juramentis. » 269

Art. 1. – Auctores a S. A. cum Salmant. pro sent. neg. citati, recte allegantur. » 270

2. – Confirmatur doctrina S. A. aliis quibusdam Auctoritatibus. . . . . » 272

3. – Perpenditur sententia Suarii a cl. B. contra S. A. adducta . . . . . » 273

Quaest. XI. An satisfaciat praecepto, qui tempore Missae peccata sua confitetur. . . . . » 275

Art. 1. – Prima sententia neg. merito cum S. A. dicenda est communis. . . . . » 276

2. – Suarez et Azorius sententiae neg. merito accensentur. . . . . » 278

3. – Perpend. solidiss. Rationes intrinsecae, quibus sententia neg. innititur. . . . » 281

Quaest. XII. An detur parvitas materiae in delectatione sensibili sive naturali. . . . . » 283

Art. 1. – Exponuntur principia communiter recepta circa delectationem, et doctrina S. Alphonsi explicatur . . . . . » 285

2. – S. A. dubium proponens: An in delectatione sensibili detur parvitas materiae, nullatenus miram quaest. instituit; . » 286

3. – et rectissime citat Salmant. aliosque AA. pro sua sententia allegatos . . . » 287

4. – Perpend. regula a cl. Ball. circa hanc materiam tradita . . . . . *pag.* 293

Quaest. XIII. An, inter Sponsos, sint peccata mortalia oscula et tactus pudici, si, praeter morem patriae, fiant in amoris ostensionem, vel ad captandam voluptatem seu delectationem sensibilem . . . . » 296

Art. 1. – An graviter illiciti sint Sponsis tactus pudici, praeter morem patriae, benevolentiae gratia et in solam amoris ostensionem habiti . . . . . » 298

2. – Perpend. regulae et consilia a cl. B. Confessariis tradita . . . . . » 301

3. – An, inter Sponsos, sint peccata mort. oscula et tactus pudici, si fiant ad captandam delectationem sensibilem. – Perpend. Auctoritates a cl. B. contra S. A. allegatae. » 303

4. – Vindicantur Auctoritates a S. A. pro sua sententia allegatae, et a P. Ball. impugnatae . . . . . » 312

5. – Confirmatur doctrina S. A. pluribus aliis Auctoritatibus. . . . . » 324

6. – Resp. ad assertiones cl. Ball. circa prop. 40. ab Alex. VII. damnatam. . . » 330

7. – Perpenditur Conclusio cl. B. » 331

Quaestionis summ. et conclusio. . » 332

Quaest. XIV. An inducant obligationem pacta de re prava et turpi. . . . . » 334

Art. 1. – Immerito ait P. B., Regulam 18. Juris pro sententia negante allatam, prorsus esse abs re. . . . . » 337

2. – Roncaglia et Comitolus pro sententia neg. recte allegantur. . . . . *pag.* 338

3. – Etiam Adrianus, Medina et Navarrus a S. A. recte citantur. . . . . » 342

4. – Vindicatur Collet ab immeritis P. B. objurgationibus . . . . . » 348

5. – Recte dicit S. A., sententiam neg. a Lessio et Diana probabilem censeri . » 351

6. – Exponitur doctrina Concinae, a S. A. pro sententia neg. allegati; . . . . . » 354

7. – pro qua sententia plures aliae citantur Auctoritates. . . . . » 355

Quaest. XV. An, qui sub ficte data matrimonii fide puellam violavit, teneatur eam ducere. 361

Art. 1. – Utrum sententia neg. immane paradoxum et abnormis aberratio dicenda sit . . . . . » »

2. – Perpenditur factum a S. A. ex Collet allegatum . . . . . » 370

Quaest. XVI. An, et quandonam graviter contra votum Paupertatis peccet Religiosus, si, absque licentia Superiorum, dona ab extraneis accepta, alieno nomine in alios eroget . . . . . » 372

Art. 1. – Exponitur status quaest. » 373

2. – An et quomodo, ex sententia S. A., peccet Religiosus, accipiens ab extraneo pecuniam, alieno nomine pauperibus a se libere eligendis distribuendam. . . . . » 375

3. – Perpenduntur argumenta Suarii a cl. B. contra S. A. allata. . . . . » 376

PARS IV.

DE S. MISSA ET ORDINATIONE.

Quaest. I. An censendum sit consecratum Ciborium, ex oblivione extra corporale aut petram sacram relictum . . . . . » 379

Art. 1. – Sententiam neg. S. A. merito communem dicit; . . . . . » 380

2. – et probabiliorem . . . . . » 385

Quaest. II. An liceat cum alio Sacerdote permutare intentionem Missae. . . . . » 386

Quaest. III. An ad valorem Ordinationis, requiratur contactus physicus Instrumentorum. . . . » 388

Art. 1. – Perpenditur duplex allegata Decisio S. C. Rituum. . . . . » 389

2. – Exponuntur sententiae DD. . » 391

PARS V.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Quaest. I. Ex quo motivo debeat elici actus perfectae Contrit. » 399

Art. 1. – Exponitur S. A. doctrina. » 400

2. – Adducuntur textus AA. quos S. A. allegat; . . . . . » 403

3. – et recte allegat. . . . . » 407

Quaest. II. An, ut Dolor sit materia apta, debeat esse elicitus cum intentione confessionis. . . . » 411

Art. 1. – In praesenti quaestione merito attendenda est ratio petita ex Prop. I. ab Innocent. XI. damnata. . . . . » 412

2. – Perpenditur Ratiuncula a S. A. pro sententia affirm. allata; . . . . . » 414

3. – quae sententia gravibus sustentatur Auctoritatibus. . . . . *pag.* 416

Quaest. III. An, si quis statim post absolutionem confitetur peccatum oblitum, teneatur novum elicere dolorem. . . . . » 418

Art. 1. – Spectata gravi Auctoritate extrinseca, sententiam affirm. S.A. merito probabiliorem vocat. . . . . » 419

2. – Eidem sent. quam S. A. tuetur, non desunt solidae Rationes intrinsecae. » 422

3. – Perpend. alia quorumdam AA. sententia a cl. B. relata, videlicet, novum dolorem nequidem necessario eliciendum esse in iterata eorumdem peccatorum confessione. . . » 423

4. – Examinatur, an sententia a cl. B. superius exposita, revera conferat ad sedandos scrupulos. . . . . » 425

Quaest. IV. An in confess. sufficiat Attritio ex metu poen. temporalium, prout infliguntur a Deo. . . » 426

Art. 1. – Praemittuntur quaedam generalia. . . . . » 427

2. – Vindicantur Auctores a S. A. pro sentent. neg. allegati; . . . . . » 428

3. – quae confirm. aliis Auctorit. » 433

4. – et exponuntur solidae Rationes ipsi faventes. . . . . » 438

Quaest. V. An prudenter credi possit, quod firmum habeat Propositum poenitens, qui asserit nolle amplius relabi, sed certo credit se relapsurum. . . . . » 440

Quaest. VI. An in Sacramento Poenitentiae sufficiat Propositum virtuale, sive implicitum, inclusum in dolore. . . . . » 443

Art. 1. – Sententia negans, quam S. A. ceu tutiorem in praxi tenendam docet, immerito dicitur doctrina paucorum. . . . » 445

2. – Vindicantur Auctoritates a S. A. pro eadem allegatae. . . . . » 446

3. – Confirm. doctrina S. A. aliis recentioribus Auctoritatibus. . . . . » 456

4. – Doctrina de iteranda confessione a S. A. in hac quaest. tradita, nullatenus repugnat doctrinae quam alibi tradit. . . » 458

5. – De recenti S. Inquisit. Decreto. » 463

6. – Falso asserit P. B., omnes DD. convenire in neganda necessitate repetendi confessionem. . . . . » 465

7. – Falsum est, quod ipse S. A. fateatur, etiam a neg. sententiae patronis doceri, confessionem non esse iterandam. . . . » 466

8. – Immerito prorsus asseritur, doctrinam S. A. fundari in falsis allegationibus, et falso supposito. . . . . » 467

9. – Doctrina a Concilio Rom. sub Benedicto XIII. tradita, nullatenus adversatur sententiae S. A. . . . . » 468

10. – Probabilitas sent. neg., quam tuetur S. A., evincitur ex verbis Tridentini. » 470

Conclusio hujus Quaest. . . . . » 471

Quaest. VII. An qui confessus est peccatum mortale uti dubium, teneatur postea illud repetere, quando uti certum agnoscit . . . . *pag.* 472

Art. 1. – Probatur, sententiam affirm. semper communem fuisse et esse. . . . . » 474

2. – Perpenduntur rationes pro ea militantes. . . . . » 478

Quaest. VIII. An distincte et explicite repetenda sint in confessione omnia peccata, quae antea eidem Confessario mere historice extra confessionem enarrata fuerint. . . » 480

Quaest. IX. An liceat administrare Sacramentum Poenit. cum Jurisdictione tantum probabili . . » 485

Art. 1. – Perpenduntur quae cl. B. circa primam sent. neg. dicit. . . . . » 487

2. – S. A. pro tertia sent. recte allegat Elbel et Suarium. . . . . » 488

3. – Confutantur asserta cl. B. de origine et falso fundamento tertiae sent. . . » 490

4. – S. A. optimo jure docet, tunc tantum licitum esse uti jurisdictione prob., quando adest causa gravis aut saltem justa et rationabilis. . . . . » 492

5. – Haud recte affirmat cl. B., quoad praxim, praefatam limitationem inutiliter a S. A. appositam fuisse. . . . . » 498

Quaest. X. An Sacerdos simplex possit poenitentem absolvere moribundum, etiam praesente Confessario approbato. . . . . » 501

Art. 1. – Sententiam neg. S. A. merito communissimam dicit; . . . . . » 503

2. – ac praecipuum pro ea argumentum ex Rituali Rom. petit. . . . . » 504

3. – Minus recte PP. Gury et B. asserunt, probabilitatem opin. affirm. ultro et simpliciter concedi ab ipsis sent. neg. patronis. » 505

Quaest. XI. An Episcopus, sub poena invaliditatis, prohibere possit, ne dioecesani pergant ad confitendum extra dioecesim Confessariis saecularibus. . . . . » 507

Art. 1. – Perpenduntur sententiae Auctorum a cl. B. haud recte explicatae. . » 508

2. – Recte docet S. A., ex consuetudine univers. ab Ecclesia probata, Peregrinos cuilibet Confessario loci approbato, etiam saeculari, confiteri posse: modo alienam dioecesim non adeant in fraudem reservationis. . . » 511

3. – Ex Constit. Bonifacii VIII. cl. B. nihil deducere potest, quo sent. sua probetur. » 512

Quaest. XII. An ignorantes invincibiliter reservationem, excusentur ab incurrendis casibus ab Episcopo reservatis. . . . . » 515

Art. 1. – Praemittuntur quaedam notitiae historicae. . . . . » 517

2. – Perpend. cl. B. argumenta; *pag.* 519
3. – et variae Auctorum sententiae.» 520

Quaest. XIII. An possit absolvi a simplici Confessario Peregrinus habens peccatum, quod est reservatum in illa dioecesi, sed non in patria. . . . . » 523

Art. 1. – Immerito asserit cl. B., instar axiomatis penes omnes haberi doctrinam, quod Jurisdictio dari debeat a Superiore ejus, qui absolvendus est. . . . . » 526
2. – Auctoritates et argumenta a cl. B. contra sent. neg. allata, eamdem nullatenus infirmant; . . . . . » 527
3. – quam S. Doctor merito communiorem dicit . . . . . » 530

Quaest. XIV. An a quovis Confessario, sive regulari, sive saeculari, absolvi possit Peregrinus, irretitus peccato, quod in ipsius tantum Dioecesi, non autem in loco confessionis, reservatum est; modo non agat in fraudem reservationis. . . . » 533

Art. 1. – Immerito cl. B. asserit, sententiam neg. inter Antiquiores fuisse communissimam. . . . . » 535
2. – Perpenditur doctrina Henriquezii et Suarii a cl. B. impugnata. . . . . » 540
3. – Vindicantur S. A. et Lugo ab injuriosis cl. B. impugnationibus. . . . . » 541
4. – Sententiam affirm. S. A. optimo jure communissimam censet. . . . . » 542
5. – Probatur Peregrinos, modo non abeant in fraudem reservationis, absolvi posse ab omnibus Confessariis etiam saecularibus: et quidem ex universali consuetudine ab ipsa Ecclesia approbata . . . . . » 546

Quaest. XV. An, stante impedimento Episcopum adeundi, et urgente gravi causa, praeter mortis periculum, possit simplex Confessarius directe absolvere a peccatis et censuris, quae Episcopus sibi reservavit. . . . . » 554

Art. 1. – S. A. Auctores pro sent. neg. citatos, recte allegat. . . . . » 556
2. – Immerito contendit P. B., sententiae affirm. sufficiens adesse fundamentum. » 560

Quaest. XVI. An, qui censura Pontificia ligati, et impediti sunt Romam adire, a quolibet Confessario absolvi possint, casu quo etiam Episcopum adire sint impediti . » 562

Quaest. XVII. An qui, stante impedimento non perpetuo Pontificem adeundi, a censuris Pontif. absolutus fuit, cessante impedimento, a tali praesentatione excusetur, si jam sit emendatus et parti satisfecerit.» 566

Art. 1. – Sententiam neg. S. A. merito communiorem et probabiliorem dicit. *pag.* 567
2. – Perpenduntur argumenta a PP. Gury et B. pro sent. affirm. allata . . . . . » 569

Quaest. XVIII. An, si poenitens confessus sit Superiori, et inculpabiliter sit oblitus peccati reservati, poterit deinde cuilibet illud confiteri et absolvi . . . . . » 572

Art. 1. – Minus recta est assertio, vix aliam dari rationem absolutionis differendae, praeter actualem poenitentis indispositionem. » 574
2. – Praefatae limitationi minime contradicit doctrina S. A., tolli sc. reservationem etiam per confessionem culpab. nullam. » 575

Quaest. XIX. An poenitens sollicitatus, facta denuntiatione, a quocumque Confessario absolvi possit ab incursa excommunicatione ob dilatam denuntiationem. . . . . » 578

Quaest. XX. An denuntiandus sit Confessarius, mulieri sollicitanti vel simpliciter consentiens, vel eidem consentiens ob metum accusationis ab illa incussum. . . . . » 579

Art. 1. – An, stante duplici allegato Decreto S. Inquisitionis, sententia neg. S. A. sustineri nequeat . . . . . » 581
2. – An, abstrahendo a Decreto secundo S. Inquis. de anno 1661., sent. neg. jam ex Bullis Gregor. XV. et Bened. XIV. omnino improbabilis appareat. . . . . » 583
3. – An S. A. vitio verti possit, quod Decreta S. Inquis. de a. 1661. non noverit.» 585

Quaest. XXI. Quid debeat agere Confessarius cum poenitente, de quo certe cognoscat aliquod peccatum, quod ille non confitetur. . . » 587

Art. 1. – De certa cognitione peccati a Confessario habita, ex confessione alterius, speciatim complicis; . . . . . » 588
2. – et habita extra confessionem, ex relatione certa aliorum. . . . . » 595

Quaest. XXII. An qui, in occasione necessaria, etiam adhibitis remediis, semper eodem modo relabitur, possit absolvi, nisi prius occasionem deserat. . . . . » 603

Art. 1. – Exponitur status quaestionis a S. A. propositae, cum rationibus intrinsecis pro sua doctrina militantibus. . . . . » 608
2. – Probatur, doctrinam S. A. gravissimis Auctoritatibus fulciri . . . . . » 610
3. – Perpenduntur Auctoritates a cl. B. pro sua sententia allatae . . . . . » 617

Quaest. XXIII. Ad quid tenetur Confessarius, si erravit circa valorem Sacramenti . . . . . » 621

Quaest. XXIV. An frangat sigil-

lum sacram. Confessarius, qui dicit, se audivisse peccatum Religiosi alicujus Monast. vel Ordinis. *pag.* 624

Art. 1. – S. A., loquendo de Conventu, recte adscribit sententiae neg. Auctores pro eadem a se allegatos. . . . . » 626

2. – Confutatur falsa et temeraria assertio cl. B., doctrinam S. A. laxam esse, et contra omnium Theol. sententiam. . . . *pag.* 631

3. – Contra argumenta a cl. B. prolata, clare exponitur S. A. doctrina. . . . . » 640

4. – Falsae sunt assertiones, quibus P. B. adnotationem suam concludit. . . . . » 643

PARS VI.

DE RECIDIVIS.

Praenotanda. . . . . » 647

CAP. I. – *De Recidivo dubie disposito.* . . . . . » 649

Exponitur S. A. doctrina. . . . . » »

§. 1. – Peccator recidivus, rediens cum eodem habitu pravo, non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa suae dispositionis. . . » 657

Art. 1. – S. A. merito communem vocat sententiam a se propugnatam . . . . » 658

2. – Falsum est, doctrinam S. A. totam niti Auctoritatibus incaute ex Salmant. desumptis; . . . . . » 676

3. – et paucos tantum DD. mentionem injicere Signi extraordinarii, etc. – Interim perpenduntur Auctoritates Lug., Laym. et Salm. a cl. B. objectae. . . . . » 681

4. – Vindicantur aliae Auctoritates recte a S. A. et Salmant. allegatae, ac immerito a P. B. impugnatae. . . . . » 684

5. – Falsum est, omnes DD. a S. A. et Salmant. allegatos, dilationem absolutionis ut meram industriam habere etc., et ideo ingens discrimen subsistere inter horum DD. et S. A. sententiam. . . . . » 687

6. – Falsa et injuriosa est assertio, S. Alphonsum, in materia tam gravi et practica, secutum fuisse theorias Juvenini et similium; . . . . . » 690

7. – et rationem pro sua doctrina allatam, vitio logicó non carere, etc. . . . . » 692

§. 2. – Absolvi nequit Habituatus *jam semel admonitus,* si, nullo adhibito conatu, nec ullo impleto medio praescripto, eodem modo relapsus est, nullaque extraordinaria suae dispositionis signa affert. . . . » 695

Art. 1. – Exponitur doctrina S. Caroli Borr., cui suffragantur S. Francisci Sales., Innoc. XII., Bened. XIII. et XIV. . . » 697

2. – Praefatae doctrinae omnino adhaerent Ven. P. Segneri et S. Leonardus; . . » 702

3. – ac Mazzotta, Reuter et Voit, S.J. » 706

§. 3. – Recidivo dubie disposito differenda est absolutio, usquedum habeatur prudens probabilitas de ejus dispositione. . . . . » 710

Art. 1. – Doctrina S.A. de differenda absolutione minime adversatur Litteris encyclicis Leonis XII. . . . . » 712

2. – Exponitur S. A. doctrina, quam cl. B. immerito ad suam pertrahere conatur, dicens, absolutionis dilationem, testante S. D. saepe fallaciss. esse disposit. probationem. » 717

3. – Exponitur doctrina cl. B. circa modum quo Confessarius se gerere debeat cum Recidivis dubie dispositis. . . . . » 720

4. – Perpenditur ratio, pro sua sententia a cl. B. allata, sc. poenitenti credendum esse et pro se et contra se . . . . . » 723

5. – Ad firmandam sapientem S. A. doctrinam, perpenditur doctrina P. Faure, S. J., quocum sentit cl. B. . . . . » 731

6. – Perpenditur conclusio adnotationis cl. B., et coronidis instar, ejus sententiae opponitur doctrina S. Leonardi. . . . . » 749

CAP. II. – *De Recidivo satis disposito.* . . . . . » 752

Exponitur S. A. doctrina. . . . . » »

§. 1. – Recidivo etiam satis disposito Confessarius, ut medicus, non solum potest, sed aliquando tenetur differre absolutionem. . . . » 755

Art. 1. – Praxis differendae absolutionis Recidivo disposito, immerito dicitur mera industria a recentioribus TT. excogitata, et minime necessaria. . . . . » 756

2. – Immerito asserit P. B., a paucis tantum DD. doceri, Confessarium ad differendam absolutionem quandoque teneri. . . . » 760

3. – Ex eo quod durum sit poenitenti, vel per diem absolutione carere, haud recte infert cl. B., ad differendam absolutionem, causam admodum gravem requiri. . . » 764

4. – Verum non est, dilationem absolutionis adhiberi solius experimenti causa; et hujusmodi dilationem, teste experientia et ratione, parum prodesse. . . . . » 765

§. 2. – S. A., loquendo de Recidivis ex fragilitate intrinseca, nequaquam discedit a sent. comm., ut ad rigidiorem viam declinet. . . » 768

§. 3. – Merito docet S. A., Recidivo in occasione proxima necessaria constituto, ordinarie, quando

commode fieri potest, differendam esse absolutionem . . . . *pag.* 771

Art. 1. – Exponitur doctrina Salmant. et S. A., circa Recidivos in occasione proxima necess. constitutos. . . . . » 773

2. – Paucis perpenditur sententia Dicastilli, cui cl. B. adhaeret. . . . . » 776

§. 4. – Examinatur, quid Confessario agendum sit cum Clerico ordinando, in vitio turpi habituato, qui statim ad sacros Ordines ascendere velit. . . . . *pag.* 778

Summarium et Conclusio totius dissertationis de Recidivis. . . . . . » 785

PARS VII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Quaest. I. An sint valida Sponsalia contracta per metum levem, qui dederit causam contractui. . » 789

Quaest. II. An, per Impedimentum superveniens, Sponsalia dissolvantur. . . . . » 792

Quaest. III. An solvi possint Sponsalia per novam haereditatem sponso supervenientem. . . . . » 797

Quaest. IV. An possit Papa, ex dispensatione, solvere Matrimonium ratum et non consummatum. » 800

Quaest. V. An, praeter casum necessitatis communis seu publicae, unquam validum sit Matrimonium clandestinum, inter fideles contractum in loco, ubi receptum est Tridentinum. . . . . » 807

Art. 1. – Confutantur argumenta et auctoritates a P. B. contra sent. neg. allegata. » 809

2. – Omnino falsum est, S. A. sibi contradicere. . . . . » 814

Quaest. VI. An Matrimonio licite assistere possit Parochus suspensus, irregularis, excommunicatus, aut schismaticus. . . . . » 815

Quaest. VII. An, in petitione dispensationis ad Matrim. inter Consang. contrahendum, exprimenda sit, sub poena nullitatis, copula incestuosa inter eos habita. . . . . » 817

Quaest. VIII. An ab omni, etiam veniali, peccato immunis sit voluptas in opere conjugii quaesita. . » 822

Art. 1. – Exponitur S. A. doctrina. » »

2. – Expon. et perpend. sententia cl. B., de opere conjugii ob voluptatem exercito. » 825

3. – Perpenditur doctrina cl. B. de actibus delectabilibus in genere. . . . . » 832

4. – Examinatur, utrum admitti possit interpretatio, a cl. B. tradita, Prop. 8. et 9. ab Innoc. XI. profligatarum. . . . . » 836

PARS VIII.

DE CENSURIS.

Quaest. I. An censuram incurrat qui mandatum consiliumve dedit, si, facti poenitens, criminis executionem vel effectum pro viribus impedire conetur, at revera impedire nequeat. . . . . » 841

Art. 1. – Exponitur doctrina S. A. » 842

2. – Perpenduntur Auctoritates Suarii et Lugonis, contra S. A. allegatae. . . . » 844

Quaest. II. An excuset a censuris Ignorantia vincibilis, vel affectata. . . . . » 848

Art. 1. – Utrum excuset Ignorantia vincibilis, si graviter sit culpabilis; . . . » »

2. – vel Ignorantia affectata. . . . » 850

Quaest. III. An requiratur Monitio, si censura sit comminata a Jure ferendae sententiae. . . . . » 853

Art. 1. – Utrum Auctores a S. A. pro sent. neg. citati, abs re afferantur. . . . . » 855

2. – Utrum S. A. doctrina talis sit, ut nulla solida ratione muniatur. . . . . » 857

Quaest. IV. An Monitio canonica facienda sit in scriptis. . . . » 863

Quaest. V. An Papa, ex plenitudine potestatis, possit committere mulieri facultatem ferendi censuras. . . . . » 867

Quaest. VI. An Episcopus possit

censura ligare subditum alienum in sua dioecesi delinquentem. *pag.* 868

Art. 1. - Exponitur S. A. doctrina. » »
2. - Perpenduntur assertiones cl. B., necnon auctoritas Suarii ab ipso adducta. » 871

Quaest. VII. An Regulares, in iis, in quibus jurisdictioni Episcoporum subjiciuntur, Censuris ab iisdem ligari possint. . . . . » 874

Quaest. VIII. An suspicio Haeresis, quam incurrit qui per annum in Excommunicatione contumaciter persistit, ad alias etiam Censuras extendatur . . . . . *pag.* 877

Quaest. IX. An peccet, et excommunicationem incurrat acceptans Duellum, ad necessariam bonorum magni momenti conservationem. » 879

APPENDICES.

APP. I. - *Conspectus generalis* Quaestionum S. Alph. et Adnotationum cl. B., quae in hoc Opere aut vindicantur, aut confutantur . . . . » 889
§. 1. - Quaestiones Theologiae moralis S. Alphonsi vindicatae aut expositae. . . » »
§. 2. - Adnotationes cl. Ballerinii, quae in hoc opere perj enduntur aut confutantur. » 893
APP. II. - *Elenchus Quaestionum*, quae, additis passim novis, sive argumentis, sive auctoritatibus, ex Actis Doctoratus S. Alphonsi desumptae sunt . . . . . » 897
APP. III. - *Clavis Operum moralium S. A.*, seu quaedam Regulae ad veras ipsius sententias discernendas . . . . . » 898
§. 1. - Exponitur, cuinam ex variis Operibus mor. S. A. praecipue inhaerendum sit, ad cognoscendum genuinum ipsius sensum. . . . . » »
§. 2. - Perpenditur modus, quo S. A. passim sententias suas enuntiare solet . . » 900
APP. IV. - *Praecipuae Quaestiones*, in quibus P. Gury a S. Alphonso dissentit. . . . . » 906

NOTANTUR QUAEDAM CORRIGENDA.

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Legitur*	*Legatur*
LII	1	penult.	desumpti	desumptos
LVIII	»	23	sententiae	sententia
111	2	penult.	preescindere	praescindere
125	»	9	obtunditur	obtenditur
146	»	1	invehit	invehitur
161	1	5	nam imo	nam primo
182	»	23	nunc ministrante	nunc non ministrante
376	»	45	allati	allata
437	2	18	tamquam donum	tamquam bonum
480	not.	24	vel si	vel ita ut
580	2	14	sentierunt	senserunt
628	1	19	aliis quae	aliis verbis quae
673	»	ult.	domos suos	domos suas
685	2	35	evertena	evertenda
745	»	32	vindicta	vindictam
845	1	44	non videtur	nam videtur
921	not.	6	discerpat	discrepat

239.02
Q4
QUIDAM THEOLOGIAE CONGR. SS REDEMP
AUTHOR TORIS
TITLE Doctrina Moralis Vindicata
Vindiciae Alphonsianae seu S. Alphonsi Doctrina Moralis Vindicat
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
ROOM NUMBER
SEP 24 McEnaney.
[redacted]
BALLERINI, Antonio 1803-1881
4830
GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY CA 94709
4830